BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
32 E
6

PAVLVS APOSTOLVS,

SIVE,

VITA SANCTI PAVLI APOSTOLI,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD CATHOLICAM FIDEM, ETIAM Infidelibus, præcipuè verò Hæreticis, aſtruendam; ſpem magnis quoque peccatoribus excitandam; amorem diuinum omnibus accendendum; maximè autem Viris apoſtolicis zelum augendum ſalutis animarum;

A R. P. THOMA MASSVTIO, RECINETENSI, Societatis IESV Theologo,

Quindecim libris hiſtoricè, & dogmaticè explicata.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

Neceſſariis, iiſque percommodis Indicibus adornata.



LVGDVNI,
Sumptibus Iacobi Cardon.

M. DC. XXXIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Miseremini
P. Ippolyti M.e Zoalij Clericor Reg: Mini:
Infirmis
[redacted] S.ta M.e Magdalenę [redacted]

BEATISSIMÆ
VIRGINI, DEI MATRI
SANCTISSIMÆ,
COELI, TERRÆQVE REGINÆ
AVGVSTISSIMÆ.

PAVLVS Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem; ſed per IESVM Chriſtum, Filium tuum, vt vitam ſuam admirabilem, & omnibus virtutibus inſignitam, tibi vni, poſt Deum, Magnæ Matri gratiarum, pluribus nominibus deber; ita etiam gratiſſimo animo refert acceptam. Quidni ego vitæ illius effigiem in hac Hiſtoriæ meæ veluti votiua tabella, etiamſi ruditer delineatam, & vtcunque depictam, templo honoris, ac maieſtatis tuæ ſuſpenderem, tuóque cultui nixis humi genibus conſecrarem? Quapropter ea tota de re priùs hic aliqua loquar ad Dominam meam, cum ſim puluis & cinis. *Si Martyr Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet,* dixit eximius Eccleſiæ Doctor Auguſtinus. Cur etiam mihi non liceat dicere? Si tu, diuinæ gratiæ, & miſericordiarum Mater, Electorum electiſſima Parens, pro Stephano, & Paulo non oraſſes in porta illa Ephraïm, quæ nunc S. Stephani Ieroſolymis appellatur, vbi præſens cum S. Ioanne Euangeliſta adſtabas, dum à Iudæis Stephanus lapidaretur, & Saulus lapidantium veſtimenta ſeruabat; nec Stephanum, nec Paulum fortaſſis, Dei Eccleſia obtineret.

Galat. c. 1. 1. *Gen. cap. 18. 17* *Ser. 4. de SS.*

EST vſque ad hanc diem lapis ille memorabilis, non procul ab ea porta, in honore, atque cultu peregrinis, & degentibus Ieroſolymæ Chriſtianis, vbi tu, Domina, & Patrona generis humani benigniſſima, cum Euangeliſta Ioanne iuxta torrentem

Lorin. in c. 7. Act. v. 58. *Corzel. ibid.*

ã 2 Cedron

Cedron poſitis genibus Deo ſupplicabas, vt cœlũ Martyri Stephano pateret, & Saulo perſecutori tandẽ mutata eius mente aliquando aperiretur. Patuit Protomartyri primùm, vt cœleſtem Agonothetam eminùs palmam, & coronam ſibi offerentem clara luce intueretur, eóque ſpiritum ſuum puriſſimum coronandũ tranſmitteret dicẽs: *Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei. Domine* Iesv, *ſuſcipe ſpiritum meum.*

Act. c. 7. 55. 58.

Sed nec multò pòſt ita perſecutori Saulo reſeratum eſt cœlum, vt ipſum vnigenitum Dei, quem è paterno ſinu ad tuum maternum noſtra mortalitate veſtiendum attraxeras pro ſalute totius humani generis, eundem immortalitatis gloria præfulgidum, mortíſque triumphatorem, è ſupremo cœlorum ad vnum Saulum in Paulum commutandum euocares; ipſique Paulo adhuc natura & conditione mortali ad tertium vſque cœlum pateret acceſſus. Paulus hic eſt vir ille de tribu Benjamin, tuus anteà Benoni, hoc eſt, filius doloris tui, doloris Eccleſiæ, quam adeò crudeliter perſequebatur; poſteà Benjamin, id eſt, tuæ dexteræ filius, & Eccleſiæ Chriſti. *Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia:* priùs Ieroſolymitanæ prædator & vaſtator Eccleſiæ; poſteà multarum ſimul Eccleſiarum amãtiſſimus parens, & fortiſſimus propugnator. Non poſſumus tanti Viri excellentias humana lingua pro meritis explicare, etiamſi aureo Chryſoſtomi ore dixerimus: *Paulus terreſtris Angelus, cœleſtis homo, S. Spiritus receptaculum, zelo incomparabilis, charitate magnus, Eccleſiarum Dei curator ſollicitus, pietatis Orator, imbecillium deductor, credentium pronubus, Iudæorum redarguti̇o, ſagena omnium noſtrûm, demonſtrans nobis, quomodo in cœlos aſcendere oporteat: Paulus, inquam, anima illa cœlo vagari ſolita, & corpore circundatus pugnans cum virtutibus incorporeis: Paulus, ille inſatiabilis Dei cultor, communis Parens & progenitor ſeruorum Chriſti, ille cuſtos orbis terrarum, qui ex hominibus facit templa Chriſti.*

Gen. cap. 35. 18. Gen. cap. 49. 27.

Hom. 22. ad pop.

Hom. 4. in Gen: Lib. 2. de Or.

Qvod ſi Euangeliſtæ Ioanni tu, Virgo ſanctiſſima, ſignum magnum in cœlo apparuiſti, Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus tuis, & in capite corona ſtellarum duodecim, meritò inter has ſtellas tuum diadema illuſtrantes Paulum præcipuè numerabis. Hic inter alios magnum illum Senatorem Athenienſem Dionyſium Areopagitam, diſcipulum ſuum, edocuit, quo te cultu ſupra alios Sanctos, & tantùm infra Deum coli oporteret, cùm ille valdè aliquando ambigeret, dum tuam intuitus, monſtrante S. Ioanne, Maieſtatem, & in mortali adhuc ſpecie veluti radiante Diuinitate, attonitus nimium percelleret-

Apoc. c. 12. 1.

Ex antiqua ep. Dionyſio adſcripta.

t ut.

tur. Et cùm eximi iam à mortali conditione deberes, atque à
terrena Ieruſalem in cœleſtem ſupra choros Angelorum mun-
di Domina, & Regina vniuerſorum eſſes conſtituenda, Pau-
lus tui obſeruantiſſimus ex Aſia maturauit ad te Ieroſolymam
proficiſci: *Propoſuerat enim Paulus* (inquit Lucas) *tranſnauigare* *Actor. c.*
Epheſum, ne qua mora illi fieret in Aſia: feſtinabat enim, ſi poſſibile *20.16.*
eſſet, vt diem Pentecoſtes faceret Ieroſolymis. Quod, fauente Deo,
conſecutus eſt, vt ſupremam à te in hac vita benedictionem
obtineret, & conſilio, ac precibus tuis apud Deum efficaciſſimis
iuuaretur, nempe, Romã inde catenis vinctus ad Neronem trã-
mittendus, vt cum Tyranno omnium immaniſſimo decertaret,
ac de illo victor cum Apoſtolo Petro triumpharet, trophæum
Crucis Romanis arcibus inſerret, atque inclinata quodammo-
do ex tuo ex hac vita receſſu pietate in Eccleſia Ieroſolymita-
na, & propè ruente, ad vrbem imperioſam, omniúmque prima-
riam, illius præcipua decora & gloria transferrentur.

Et ſicut Petrus Marcum habere ſecum voluit Euangeli-
ſtam, ita Paulus delegit ſibi Lucam comitem aſſiduum & ad-
dictiſſimum, qui plura de te in ſuo Euangelio ſcriberet, quàm
vllus alius Euãgeliſta; tanquã ſi tibi ipſe fuiſſet non minùs quàm
Paulo, & à manu, & à ſecretis. Vt (quod à te profectò debuit *Luc. c. 1.*
intellexiſſe) de arcano illo dialogo habito cum Nuntio cœleſti *26.*
circa diuini Verbi in te, & ex te humanæ carnis ſuſceptionem,
Matre te ſimul, ac Virgine opera ſancti Spiritus permanente:
de viſitatione S. Elizabeth te Dei Matrem ſpiritu prophetico *Luc. c. 1.*
prædicantis, cùm exclamaſſet: *Et vnde hoc mihi, vt veniat Mater* *43.* *Luc. c. 1.*
Domini mei ad me? de tuo illo toto diuiniſſimo Cantico: *Ma-* *47.*
gnificat anima mea Dominum. de natiuitate Saluatoris in Beth- *Luc. c. 2.* *7.*
lehem, reclinato à te infante in præſepio: de Angelorum exul-
tatione: de aduentu paſtorum: de tua purificatione in templo,
prophetante tibi ſanctiſſimo ſene Simeone, quòd tuam ipſius *Luc. c. 2.* *35.*
animam gladius pertranſiret: de circunciſione, & nominis IESV
impoſitione, quo nomine te omnium primam vocaſſe credimus
Saluatorem, iuxta præſcriptum Archangeli Gabrielis in eodem
tuo Lucæ, ac Pauli Euangelio: *Et vocabis nomen eius* IESVM. quod *Luc. c. 1.* *31.*
nomen ſacroſanctum adeò poſteà Paulo cordi inhæſit, vt nulla
fere ſit Epiſtolarum eius pagella, in qua ſcriptum aliquoties non
legatur, adeò vt decies nouies ſupra ducenties ibi repetitum
inueniatur.

NEQVE verò anticipatam illam diuini Sanguinis profu-
ſionem in myſterio circunciſionis vnus tantùm Lucas inter

ã 3 Euan

Euangeliſtas enarrat; ſed aliam ſimiliter, antequàm caperetur
Luca c. 21. 44. in horto Gethſemani ſanguinei eius ſudoris, & Angeli apparitionem in agonia eum confortantis, quem Archangelum Gabrielem fuiſſe exiſtimamus: hic enim cùm naſciturum de te humani generis Saluatorem anteà nuntiaſſet, & quaſi venam pretij noſtræ ſalutis Sanguinem ſacratiſſimum indicaſſet; etiam teſtis primarius eſſe debuit, quàm liberaliter pro nobis eſſet effuſus: & quia ab alio notatum non erat Euangeliſta, debuit ab eodem Luca diſtinctiùs, quoties, & quàm copioſè profuſus fuerit, explicari. Atque hoc eodem imbutus Spiritu Paulus Apoſtolus, ſuas omnes Epiſtolas Chriſti pretioſiſſimo Sanguine conſignauit, eo nos identidem aſſeuerans lauari, eo mundari, eo redimi, iuſtificari, ſanctificari. Deo, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, eo pacificari. Denique nihil magis, in ſua
Hebr c. 9. 11. 12. 13. 21. 22. præſertim extrema Epiſtola inculcat ac repetit: *Neque per ſanguinem* (inquit) *hircorum, aut vitulorum; ſed per proprium Sanguinem introiuit ſemel in Sancta, æterna redemptione inuenta: ſi enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quantò magis Sanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo?* & infrà: *Omnia* (inquit) *penè in ſanguine ſecundùm legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.*

PRÆTEREA, nec illa ſanè leuis eſt coniectura, quòd Lucæ Euangelium tuo & Pauli tui magiſterio, ſiue directione, fuerit conſcriptum; quia in nullo alio, ſicut in iſto, Saluatoris noſtri miſericordia erga homines, &, vt eam S. Paulus appellat, φιλανθρωπία, tantoperè declaratur; quaſi te miſericordiarum Matre, & Paulo tantam in ſe miſericordiam conſecuto, ſtylum in eo genere attemperante. Siquidem ex vno tantùm
Lucæ c. 15. 1. Lucæ habemus Euangelio, quomodo erant appropinquantes ad IESVM publicani, & peccatores, quos ipſe omnes
Luca c. 19. 1. humaniſſimè excipiebat: qua ratione in domum Zachæi pu-
Luca c. 7. 37. blicani vltrò ſe ingeſſerit: quanta benignitate peccatricem Magdalenam ad ſuos pedes deuolutam admiſerit, eámque non ſolùm à Phariſæi calumniis, verùm etiam paulo pòſt à querelis ſollicitæ ſororis Marthæ defenderit, eò quòd optimam
Lucæ c. 15. 15. partem ſibi MARIA elegiſſet ab ea non auferendam: ibi de filio prodigo ad Patris amplexus, ad ſtolam primam, ad ſplendidum conuiuium cum cantu & ſymphonia poſt multa flagitia recepto: de alio etiam adoleſcente mortuo filio vnico

matris ſuæ, ad ſolas viduæ matris lacrymas nihil tale ſperantis, nec poſtulantis, in vitam reuocato: ibi parabola Samaritani, ad edocendam erga omnes miſericordiam: parabola paſtoris dimittentis oues nonagintanouem, vt vnam deperditam inueniret: parabola mulieris vnam è decem dragmis amiſſam ſumma diligentia perquirentis. Denique ab vno tantùm Luca narratam legimus illam Chriſti Domini pro crucifigentibus orationem, omnem modum benignitatis longè ſupergreſſam: *Pater, dimitte illis; non enim ſciunt, quid faciunt.* Et illam pendenti in cruce latroni liberaliſſimam ſupra vota promiſſionem: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* *Luc. c. 23. 34.*

VERVM enimverò in nullo alio ſumma Chriſti benignitas, & diuina eius miſericordia ſic enituit, vt in Paulo contra Eccleſiam inſaniente ad ſanam mentem, integram fidem, amicitiam ſuam arctiſſimam, charitatem ardentiſſimam reuocato: id, quod ipſe Paulus Timotheo poſteà ſcribens *1. Timot.* deprædicat, & verbis illis inter alia profitetur: *Fidelis ſermo, c. 1. 15.* *& omni acceptione dignus, quòd Chriſtus* IESVS *venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum; ſed ideò miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus* IESVS *omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam.* Quoniam verò hæc de Paulo magiſtro ſuo Lucas in Euangelio à ſe ſcripto non enarrauerat, tanquam alia tempora ſpectantia; ideò in altero libro hiſtoria fuſiore diligenter eſt proſecutus, qui liber, etiamſi Acta Apoſtolorum inſcribatur; Pauli tamen geſta potiſſimùm continet, atque illa omnia, quæ comes aſſiduus peregrinationum ipſius Lucas per dies ferè ſingulos obſeruabat. Vt, quemadmodum ipſe in ſuo Euangelio ſcribere de te potiſſimùm geſtiebat, ea, videlicet, quæ fecit tibi magna, qui potens eſt; ita in Actis apoſtolicis ea præcipuè literis conſignaret, quæ ad Paulum Vas electionis pertinerent, & quanta illum pati oportuerit pro nomine IESV.

SED neque ſatis habuit tuus hic & Pauli Euangeliſta hiſtorico ſtylo diuina tua chariſmata expreſſiſſe; idem cera, penicillo, & coloribus, multo artificio, & labore poſteà præſtitit Paulo itidem, vel mandanre ſic fieri, vel ſuadente. Cùm enim, vt benè ipſa noſti, & nos ab aliis accepimus, eximenda eſſes ab oculis mortalium, & ad Beatorum ſedes feliciſsimas transferenda, multi veræ pietatis cultores aſpectu illo materni

materni & pluſquàm angelici vultus tui omnes ad omnem ſanctimoniam excitantis carere neutiquam voluiſſent, vt in dies illud Pſalmi de te impleretur: *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* ſicut in hanc ſententiam ſcripſit Summus Pontifex Gregorius ad Germanum Patriarcham pro tuis imaginibus defendendis: optimo proinde conſilio Lucas tibi ſic addictus, adeóque familiaris, vt omnium primus, ita magis ad viuum expreſſas penicillo & coloribus ad poſteros tuas pretioſas tranſmiſit imagines: quibus Ieroſolyma primùm, tum Antiochia, Conſtantinopolis præterea, & Roma demum vſque ad hæc tempora frueretur, idque non ſine magnis & quampluri-mis tuæ erga omnes beneficentiæ miraculis.

Pſal. 44. 13

In epiſt. Concil. Nicen. 2. inſerta.

ATQVE illo ipſo anno, quo terræ erepta fuiſti, vt cœlo donareris, cùm Paulus relicta Ieroſolyma Romam catena pro Chriſto vinctus ad Neronem mitteretur, & facto prope Melitam naufragio tres ipſos menſes in ea inſula hyemando ſubſtitiſſet, haberetque ſecum comitem ſuum fideliſſimum Lucam Euangeliſtam, placuit eam Inſulam ad Chriſtianam fidem tunc adductam tribus tuis ibi delineatis ditare ſacris imaginibus in eius Eccleſiis, vſque ad hæc tempora religioſè aſſeruatis. Poſteà verò quàm ſimul cum Luca Paulus Romam peruenit, & in hoſpitio conducto manere cum cuſtodiente ſe milite toto biennio eſt permiſſus, plures in ea domo Lucas tibi efformauit imagines, quarum illa eſt in primis conſpicua, quæ in hac ipſa conducta tunc domo Pauli, tibi poſteà in Eccleſiam conſecrata, nomine S. MARIÆ in via lata, ſuper aram maximam eſt collocata, geſtans annulum in digito.

Act. cap. 28. 16. 30.

SED ea, qua maximè Roma gloriatur, effigies tua ſimiliter antiquiſſima, &, vt creditur, in hoc eodem Pauli hoſpitio ſic ipſo volente & vidente à Luca depicta, illa eſt, quæ in templo tuo primario à te in Exquilino monte prodigioſa niue deſignato, & S. MARIÆ Maioris dicto, ſumma colitur pietate ac celebritate. Hanc ipſam ſacram imaginem ſæuiente in vrbe grauiſſima peſtilentia, Gregorius Magnus ordinatiſſima pompa Cleri totius & populi vniuerſi voluit circungeſtari prima die Dominicæ Reſurrectionis, ſenſitque tuam opem ingenti miraculo præſtiſſimam. Nam, quacunque à ſupplicantibus ſacra deferebatur imago, peſtilentis aëris grauitate depulſa, optata cœli ſalubritas inſequebatur. Verſo itaque in ſpem bonam, atque lætitiam luctu & mœrore, quaſi te loquentem audirent: *In me omnis ſpes vitæ, & ſalutis.* ecce Angeli voces illis verbis te ſalutantis auditæ:

Sig. l. 1. de regno Italiæ. Caniſius lib. 5. de B. V. cap. 22. Bar. tom. 8. an. 590. Prou. c. 8. 34.

auditæ: *Regina cœli, lætare, alleluia: quia, quem meruiſti portare, alleluia: reſurrexit, ſicut dixit, alleluia.* Quibus à S. Pontifice perceptis, ſic ipſe diuino Spiritu excitatus ſalutationem tuam expleuit: *Ora pro nobis Deum, alleluia.* Hoc poſteà Canticum per annos ſingulos in Eccleſia eſt retentum, & ad gratam ſuſcepti communis beneficij teſtificationem, & ad lætitiæ paſchalis argumentum. Illud quoque admirandum contigiſſe per id tempus accepimus, vt prope Adriani molem delata imagine, ſubſiſtens S. Pontifex Gregorius viderit in ſummo illius arcis, quæ nunc S. Angeli propterea nominatur, Angelum cruentatum gladium detergentem, & in vaginam recondentem, ad iræ cœleſtis tua interceſſione iam placatæ ſignificationem.

QVAPROPTER, ne fidelis populi pietas & religioſa obſeruantia erga te, tuámque adeò ſacroſanctam imaginem diminui, aut in aliquo defeciſſe annorum decurſu videretur, tuus & Pauli Apoſtoli cultor eximius Paulus V. Romanus Antiſtes hac noſtra ætate eandem imaginem multo auro, torquibus, monilibus, vnionibus, gemmis & lapidibus pretioſis exornari curauit, atque in nouo à ſe exſtructo Sacello ſplendidiſſimo & opulentiſſimo ſuper maximam aram collocari, in loculamento quatuor columnis ex iaſpide miræ altitudinis circundato, topazio, pyropo, ſmaragdo, chryſolitho, onyce, amethyſto, cæruleo Perſico, & aliis gemmis incomparabilibus exornato.

SED nihil profectò eſt, quod tantoperè tuas Lucæ manu efformatas nobis commendet imagines, & reddat ſacro cultu digniſſimas, tanquam ſuo prototypo, hoc eſt, tibi coniunctiores, quàm quòd è multis vnam tibi delegeris cedro antiquiſſima expreſſam, miris prodigiis in æde omnium ſacratiſſima Lauretana collocandam, vbi præcipua, quæ Lucas in ſuo Euangelio de te refert myſteria, propemodum contigerunt. Ibi, nimirum, videre eſt, ac recolere quaſi ſeptem Orbis Chriſtiani miracula celeberrima, non illa naturæ, vel artis per Orbem diuiſa & diſperſa; ſed in vnum veluti multorum myſteriorum theſauro diuinitùs congregata & collecta: quæ quidem hoc loco breuiter percenſere, cùm tua ſint decora, & immortalia erga nos beneficia colenda ſemper, & recolenda, non poterit tibi non eſſe gratum, tuíſque cultoribus periucundum.

ET primo loco illud occurrit, quòd tuum hoc ſic natale domicilium, vbi genita, vbi educata, vbi à Nuntio cœleſti Archangelo Gabriele ſalutata, plena gratiæ renuntiata, inter

mulieres ſingulariter benedicta, & Dei Mater admirabilis conſtituta, quando hîc Verbum caro factum eſt, huc primum (ſicut Gal. c. 4. 4. Lucæ concinit Paulus,) *vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.*

SECVNDVM, quod ex primo ſequitur, ſimiliter admirandum illud eſt, nullum in Orbe terrarum vniuerſo inueniri poſſe locũ iſto ſacratiorẽ: vt meritò pro foribus habeat inſcriptum:

Non eſt in toto ſanctior orbe locus.

In altera verò eiuſdem Sacelli facie ſic legitur ſcriptum:

Nullus in orbe locus prælucet ſanctior iſto,
Quáque cadit Titan, quaq; reſurgit aquis.

Etenim in campo olim Damaſceno primus Adam, totius humani generis parens, Dei quidem manibus eſt formatus è terra nondum maledictioni ſubiecta: ſed hîc longè præſtantior, ſecundus de Spiritu ſancto eſt conceptus generatione mirabili, & mirabiliter ſingulari, ex te Matre Virgine, ea puritate nitente, qua maior ſub Deo nequit intelligi. Eua in terreſtri Paradiſo temerè ſerpentem allocuta ex matre viuentium facta eſt mater morientium: hîc tu, Virginum prudentiſſima, reuerita angelicam ſalutationem, & cogitans, qualis eſſet iſta ſalutatio, Reparatrix facta nobis es vitæ, Genitrix Saluatoris. Luca c. 1. 29. In Caluario monte diuini Sanguinis effuſione pretium humanæ redemptionis eſt perſolutum: at hîc veluti in ſua officina & propria fornace liquatum, efformatum, atque ſignatum. In monumento vix per triduum iacuit Corpus noſtri Redemptoris exangue & extinctum: hîc verò Infans, hîc Puer, hîc Iuuenis annos pleroſque ſuæ peregit ætatis, &, vt aliqui numerant, propè viginti.

TERTIVM, vnde redditur hæc tua Lauretana Domus omni regio palatio, omni Baſilica, omni templo venerabilior, quòd in mundo extiterit diuino cultui aliquando conſecratum, numerus eſt ferè ſine numero miraculorum: vt facilius ſit cœli ſtellas enumerare, quam vitales tuæ beneficentiæ radios hinc emiſſos ad mortales omni ægritudinum & miſeriarum genere liberandos, ſicut ipſi parietes votiuis tabellis vndequaque conueſtiti, argentea & aurea donaria, monilia pretioſiſſima, gemmatæ coronæ, ſtatuæ ac ſimulacra vel tacendo loquuntur. Quæ morborum ſpecies adeò inſanabilis, quæ orbitas oculorum, quæ membrorum paralyſis, quæ ciuitatum lues, quæ terrarum peſtilentiæ, quod vulnus adeò lethale, etiam fluentibus viſceribus,

& corde

& corde cum ipſis præcordiis à pectore extracto, ſubitam aliquando, & prorſus aliunde inſperatam non obtinuit curationem? Vidi ego talia beneficia conſecutos non in tabula modò ibi depictos; ſed etiam inter homines quaſi rediuiuos incedentes, & perpetuo veluti miraculo è faucibus mortis ereptos. Quot à præcipitio, à naufragio, à flammis, à carcerum compedibus, à catenis barbaricis liberati?

QVARTVM ſuperiori affine admirationum caput beneficia continet ſpiritualia animorum: quis autem enumeret à flagitiis, à ſceleribus, ab horrendis planè criminibus inde expiatos? Quot facinoroſi & moribus anteà perditiſſimis à Lauretana peregrinatione mutata prorſus mente redierunt, vitæ ſuſcepto conſilio ſanctioris? Nec deſunt, qui animo adeò obſtinato ac peruerſo cùm acceſſiſſent, vt ipſam loci ſanctitatem violare, ferro, flamma, vel alio inſigni facinore inſanienti ac furenti animo agitarent, præſentia Numinis perterrefacti, omnem repente inſaniam, impietatémque depoſuerunt. His addi poſſunt quamplurimi à malignis Spiritibus diuexati & obſeſſi; facili tamen negotio ab omni moleſtia & poteſtate Dæmonum ibidem per te liberati.

QVINTVM non minori dignum admiratione ac ſtupore, tum à fidelibus & piis, tum à prauis & perturbatæ conſcientiæ hominibus obſeruatum, & quotidiana experientia compertum, vbi primùm aliquis ſanctiſſimi huius Sacelli penetralia ingreditur, ſacro quodam horrore affici, & ad omnem reuerentiam quaſi Dei, Matríſque eius præſentia perurgente commoueri. Teſtantur id experti quamplurimi: non nemo etiam extare voluit ſacro carmine ſuum huiuſmodi teſtimonium:

Vnde mihi inſolitus præcordia concutit horror? *Ant. Mur. in car. de æde Laur.*
Et perfuſa metu trepidat velut icta Deo mens?

Quod vbi totum in diuinam præſentiſſimi Numinis virtutem inibi mira operantis retuliſſet, exclamans adiungit:

O cælo dilecta domus, peſteſque beati,
Quos ego iam pridem tota mihi mente cupitos,
Nunc primùm veteris voti reus aduena viſo.

SED eſt ſextum, vnde Lauretanum hoc Sacellum ſupra quodcunque vllo vnquam tempore diuino cultui conſecratum redditur venerabile ac ſanctum; eſt eius per tot ſæcula & viciſſitudines rerũ ac temporũ ducta vetuſtas, eò mirabilior, quò materia cõſtat fragiliori, ſimplici & vulgari ſtructura, tenuibus parie-

tibus,neque ad perpendiculum exactis,& extrinſeca omnia fulcimenta non ſine miraculo reſpuentibus, tanquam diuinæ tantùm potentiæ ſubnixis, qua pluſquam vllum aliud templum in terris ſtetiſſe deprehenditur. Nam,ſiue tuum hoc fuerit cubiculum à reliqua ſeiunctum paterna S.Ioachimi domo; ſiue (quod nobis apparet veroſimilius) aliqua pars, & fortè præcipua ædium tuarum paternarum, certum eſt, Oratorium olim fuiſſe tuum à te Deo conſecratum, eóque Nuntium cœleſtem ad te directum, cùm, ſicut refertur à Luca: *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Meritò autem Apoſtolis auctoribus, &, vt credere par eſt, Paulo, & Luca potiſſimùm, ad tanti myſterij memoriam poſteris tranſmittendam,& ad ſtudium Chriſtianæ pietatis augendum, nouo ritu cubiculum ſacratum, in templi formam redactum, & maiore quotidie fuit celebritate ac religione cultum. Anno deinde à reo partu virgineo circiter trecenteſimo, cùm pia Regina S. Helena Ieroſolymam aduenifſet, Galilæam peragraret, & ad Nazareth nutriculam Domini (ſicut eam appellat S. Hieronymus) perueniſſet, domo hac reperta ſalutationis angelicæ, templum ibi condidit peramœnum (inquit in ſua Hiſtoria Nicephorus.) Viguit ea deinceps religio per aliquot ſæcula ſubſequentia, quouſque Saracenorum, ac deinde Turcarum infeſta barbarie, neque ab indigenis, neque à peregrinis Europæis debitus ſacræ Domui cultus tribuebatur, vt propterea illo ipſo anno, qui ſuprema Palæſthinæ clade fuit Orienti maximè infauſtus, voluerit miro conſilio Deus, vt Matris ſuæ incunabula, ſibíque dilecta domus ab orientali Syria, pariter cum religione in partes migraret occidentales.

Turſel l. 1. Hiſt Laur. — *Luca c. 1. 26.* — *Hier ep. 27. ad Euſtoch* — *Niceph l 8. c. 30.*

ATQVE hoc eſt ſeptimum ædis Lauretanæ planè admirandum, inauditum & plura complectens miracula prodigium, quod quia valdè ſupra humanam fidem eſſe videbatur, pluribus & euidentioribus argumentis diuinitùs eſt probatum, & confirmatum. Et illa quidem noſtræ reparationis, per Domini cruciatus, & mortem, ſacra inſtrumenta, videlicet, lignum ſalutiferæ Crucis, claui, lancea, flagellorum columna, ſcala, quam ſanctam dicimus, pretioſo Sanguine Saluatoris in Prætorio Pilati olim reſperſa, deferri ab Oriente in Occidentem humano conſilio & vi, ſicut factum eſt, benè potuerunt: at vero diuturnum hoc Incarnati Verbi hoſpitium, & natalem Domum Deiparæ Virginis transferri oportuit diuino tantùm

conſilio

conſilio & poteſtate. Quare, vbi primùm Deo viſum fuit, ſacra Domus à ſuis auulſa fundamentis, angelico (vt creditur) miniſterio; & fortè, quod erat ſatis, vnius virtute tantùm Archangeli Gabrielis, per ingentes terrarum, mariſque tractus, nempe, vltra vicies centena paſſuum millia ex Galilæa in Dalmatiam eſt tranſlata. Atque, vt diuinæ virtutis operatio meliùs, & à pluribus, etiam ab incredulis exploratoribus & peruicacibus obſeruaretur, non ſemel, aut iterum; ſed tertiò & quartò intra quinquennium ſedem innouatis ſemper miraculis permutauit. Quin etiam intra ſpatium vix anni vnius, ter de loco migrauit ad alium locum, ad diſtantiam circiter mille paſſuum in agro Recinetenſi, proclinatis etiam ad eius tranſitum, pro veneratione, longo ordine arboribus à trunco ad ſummum verticem, atque in ea reuerentiæ forma perdurantibus aliquot earum arborum vſque ad noſtra tempora per tria ferme ſæcula, etiam in nemore (cur enim hoc reticebo?) quod meis olim maioribus, ipſique meo parenti poſteà in hæreditariam poſſeſſionem ceſſit. Et primùm quidem ſacra Domuncula in media conſtitit ſylua piæ matronæ Recinetenſis, Laurete dictæ; vnde Lauretana ſacra Domus eſt appellata: deinde in colle campeſtri duorum fratrum eiuſdem ciuitatis: tertiò demum, vbi nunc perſtat, in media via militari, quæ Recineto perducebat ad propinquum mare, quod ſuperum, ſiue Adriaticum appellatur. Quaſi nobis velles, miſericordiarum Mater, inſinuare, te non pro vnius, neque pro duorum, ſed plurium bono, & maximè indigenarum ibi ſedem tuam collocaſſe aperta per te via ad mare ſuperum diuinarum miſericordiarum.

Qvapropter, quòd prope tua hæc ſacroſancta incunabula patrium mihi contigerit ſolum, vt à prima ætate ſacra illa limina frequentarem, gratiæ tuæ deputo, & diuinæ miſericordiæ: eóque magis, quòd anno illo primæ ætatis meæ, quem tu noſti, in quodam feſto die tuo celebriore, vt ad altioris vitæ inſtitutum accederem, perſuaſiſti. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in Societatem Filij eius* Iesv *Chriſti*, Paulus inquit Apoſtolus, ex tuo diſcipulo factus Gentium Magiſter. Quamuis autem ad hanc vocati Societatem omnes meritò cenſeantur, quotquot ad Chriſti Iesv participanda merita, fidem, gratiam, & promiſſa inuitantur; illi tamen præcipuè, quibus ex proprio vitæ inſtituto maximè incumbit, ſequi per apoſtolica veſtigia propinquiùs Chriſtum Iesvm. Vnde hortabatur 1. Corin. cap. 1. 9.

 idem

1.Corin. c.11.1. idem Apoſtolus, dicens: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chri-*
Philip. c. *ſti.* Et iterum: *Imitatores mei eſtote, Fratres, & obſeruate eos,*
3.17. *qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Hanc ego formam in tabula huius Hiſtoriæ ſic à me depictam, vt ſciui, vt potui, ſi non vt debui, vt volui, in bono certè lumine feliciſſimi patrocinij tui collocaui, & (vt initio cœperam dicere) valuis templi gloriæ tuæ ſupplex affigam, ſumma tua benignitate & clementia inuitatus, & quaſi verbis illis admonitus, non de te ſolùm, ſed etiam à te prolatis:

Prou. c.8.34. *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei: qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.*

A Domino, inquam, ita mihi contingat, vt fiat, & per te, DOMINA, tandem fiat.

INDEX

INDEX
LIBRORVM, ET CAPITVM, QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

LIBER PRIMVS.

De vita S. Pauli, antequàm ad IESV *Chriſti fidem conuerteretur.*

CAPVT I. De nomine Sauli,& Pauli. pag. 1
Cap. 2. De natali ſolo & tempore natiuitatis S.Pauli. 5
Cap. 3. Fueritne Paulus conditione & genere nobilis. 8
Cap. 4. Quomodo Paulus puer Tarſi à ſuis parentibus traditus fuerit primis ſtudiis literarum,& quantùm in illis profecerit. 13
Cap. 5. De profectione Pauli adoleſcentis à patria Ieroſolymam ad ſtudia altiora,& quantùm in eis profecerit. 18
Cap. 6. Qua ratione Paulus in Iudaïſmo ſectam & diſciplinam Phariſæorum aliquandiu ſecutus ſit. 23
Cap. 7. Fueritne Paulus in Iudaïſmo aliquatenus Nazaræus. 27
Cap. 8. De Pauli perpetuo cœlibatu,& caſtimonia. 31
Cap. 9. Verius videri, Paulum non ſolùm à coniugio abſtinuiſſe; ſed etiam ſemper virginem permanſiſſe. 36
Cap. 10. Qualis de cætero fuerit vita Pauli in iuuentute. 41
Cap. 11. De ſæua in Protomartyrem Stephanum commota perſecutione, inſtigante,& adiuuante Paulo. 45
Cap. 12. De vniuerſali grauiſſima perſecutione in Eccleſiam primitiuam excitata Paulo duce & anteſignano. 50
Cap. 13. Cur permiſerit Deus Paulum in tam grauia peccata prolabi. 57

LIBER SECVNDVS.

De admirabili conuerſione S.Pauli.

CAp. 1. De tempore conuerſionis S. Pauli,& qua ratione precibus S.Stephani à Deo ſit impetrata. 63

Cap. 2.

Cap. [illegible] itinere Pauli versùs Damaſcum, apparatu itineris, comitibus, & loco eius conuerſionis. 68
Cap.3. Ipſum Chriſtum Dominum de ſummo cœlo deſcendiſſe pro conuerſione S. Pauli, oſtenditur contra Caluinum. 74
Cap.4. De lumine, quo Paulus, & ſocij colluſtrati ſunt, & omnes ad terram deiecti; Paulus verò excæcatus. 80
Cap.5. De verbis Chriſti: *Saule, Saule, cur me perſequeris?* & Pauli reſponſione. 87
Cap.6. Vocationi diuinæ Paulum liberè conſenſiſſe, non coactè, vel neceſſariò, vt Caluinus mentitur. 93
Cap.7. Liberum Pauli arbitrium à ſua conuerſione fuiſſe in gratia confirmatum. 98
Cap.8. Introducitur Damaſcum Paulus, diuertit ad hoſpitem ſuum, & triduo nihil guſtans aſperam pœnitentiam agit. 100
Cap.9. Mittitur à Chriſto ad Paulum Ananias, à quo ſanatur primùm à cæcitate, deinde baptizatur. 104
Cap.10. Conſtituitur Paulus à Chriſto Apoſtolus, & varia obtinet priuilegia. 111

LIBER TERTIVS.

De primis Pauli excurſionibus ad Euangelium Iudæis annunciandum.

CAp.1. Baptizatus ſtatim ingreditur Damaſci aliquot Synagogas Iudæorum, ibique prædicat Chriſti diuinitatem. 119
Cap.2. Chriſtum crucifixum eſſe mundi Saluatorem, & expectatum Meſſiam, publicè conuincit: quæritur ad necem clauſis portis ciuitatis; ſed per mœnia occultè dimiſſus, periculo ſubducitur. 123
Cap.3. Damaſco primùm relicta in Arabiam proficiſcitur. 128
Cap.4. Redit ex Arabia Damaſcum, & inde Ieroſolymam videre Principem Apoſtolorum. 133
Cap.5. Manet Ieroſolymis aliquot diebus; inſtruit ad fidem varias nationes; & iterum de vita periclitatur. 138
Cap. 6. Monetur in viſione, vt relinquat Ieroſolymam, vnde Cæſaream, & poſteà Tarſum proficiſcitur. 145
Cap.7. Tarſi multos Chriſto lucratur; venit ad eum Barnabas, cum quo diſcedit Antiochiam, vbi conſtituta Petri cathedra, primùm fideles Chriſtiani appellantur. 149
Cap.8. Paulus, & Barnabas collectas Antiochiæ plurimas eleemoſynas deferunt Ieroſolymã, & magnis Eccleſiarum neceſſitatibus ſubueniunt. 156
Cap.9. Paulus, & Barnabas Ieroſolyma reuertuntur Antiochiam, vbi ambo diuino oraculo Apoſtoli Gentium declarantur. 161
Cap.10. Diuino monitu Paulus, & Barnabas Epiſcopi conſecrantur. 166

LIBER QVARTVS.

De Pauli, & Barnabæ, iam Epiſcopis conſecratis, aliquot peregrinationibus ad Gentium conuerſionem, & inſignibus quibuſdam miraculis & reuelationibus.

CAp.1. De Pauli raptu ad tertium cœlum. 174
Cap.2. Videritne Paulus in eo raptu diuinam eſſentiam, & quid ei tunc fuerit reuelatum. 181
Cap.3. Seleuciam profectus inde nauigat in Cyprum, inuitatur à Proconſule, apud quem Magum ſeductorem cæcitate caſtigat, & Proconſulem ad Chriſti fidem conuertit. 187
Cap.4. Cypro relicta venit Pergen Pamphiliæ, & inde Antiochiam Piſidiæ, vbi magno fructu concionatur. 192
Cap.5. Iterum Antiochiæ magna expectatione concionaturus, excitato à Iudæis obſtinatioribus tumultu, migrat Iconium. 196
Cap.6. Iconij multos ad Chriſti fidem inducit, & inter alios Theclam, virginem nobiliſſimam, poſteà Protomartyrem feminarum. 201
Cap.7. Iconio recedens propter perſecutiones venit Lyſtram, vbi miracula operatur, propter quæ à Iouis Sacerdote diuini honores illi offeruntur, quos cum Barnaba conſtantiſſimè recuſat. 206
Cap.8. Lyſtris à Iudæis lapidatus propè necatur: ſed ereptus, & diuino miraculo ſtatim ſanatus, inde migrat in Derben. 212
Cap.9. A Derbe Paulus, & Barnabas reuertuntur Lyſtram, Iconium, & Antiochiam Piſidiæ: inde veniunt Pergen: deſcendunt in Attaliam, vbi conſcenſa naui repetunt Antiochiam Piſidiæ. 216

LIBER QVINTVS.

Paulus cum Barnaba ad primum Concilium Ieroſolymitanum proficiſcitur: decernuntur variæ controuerſiæ: nouæ ad Euangelium propagandum miſsiones inſtituuntur.

CAp.1. Quo tempore, quáve occaſione iam tertiò Paulus iuerit Ieroſolymam. 223
Cap.2. Paulus Antiochia, Petrus Roma circa idem tempus diſcedentes pro Synodo Ieroſolymis conueniunt. 227
Cap.3. Quinam ex Apoſtolis, & ex aliis primo Concilio Ieroſolymitano interfuerint. 231
Cap.4. Petrus primus in Concilio ſententiam dicit; Iacobus verò concludens aliorum dicta, poſtremus. 234
Cap.5. Mittuntur per Paulum, & Barnabam, ad Eccleſias literæ ſynodales, quas hoſtes Eccleſiæ Hæretici peruerſiſſimè interpretantur. 240
Cap.6. Paulus, & Barnabas, cum Iuda, & Sila, redeunt Antiochiam: eò Petrus

ſuperueniens à Paulo de ſcandalo Gentilium peramanter admonetur. 245

*Cap.*7. Fueritne Apoſtolorum Petri & Pauli vera diſſenſio,an ſimulata: & de S.Hieronymi, & S.Auguſtini ea de re diuerſa ſententia. 249

*Cap.*8. Paulus, & Barnabas,inuicem ſeparantur ad Eccleſias diuerſas viſitandas. 258

*Cap.*9. Pergit Paulus inſtituere, & inuiſere aliquot Lycaoniæ ciuitates,& inde Timotheum ſocium ſibi reliquæ peregrinationis adiungit. 265

*Cap.*10. Tranſit Galatiam,Phrygiam,Myſiam: inuitatur ab Angelo in Macedoniam, & ſocium ſibi tertium Lucam Euangeliſtam aſciſcit. 269

LIBER SEXTVS.

Ab Aſia Paulus tranſit in Europam, comite Luca Euangeliſta; varia edit miracula,patitur multa pro Chriſto, ad fidem plurimos adducit.

*Cap.*1. A Troade nauigat Samothraciam, & inde venit Neapolim, ac P[illegible] Lydia[illegible] 27[illegible]

*Cap.*2. Liberat à Dæmone Pythoniſſam, virgis indignè cæditur,& in vincula cum Sila conijcitur. 278

*Cap.*3. Paulus,& Silas, exorto ingenti carceris terræmotu,ſoluuntur à vinculis, & cuſtode carceris, aliiſque ad Chriſti fidem inductis, ac baptizatis, publica Magiſtratus auctoritate honorificè dimittuntur. 285

*Cap.*4. Paulus egreſſus Philippis venit Amphipolim, & Apolloniam, atque inde Theſſalonicam. 292

*Cap.*5. Theſſalonica propter excitatam à Iudæis perſecutionem venit Berœam; & inde, impedientibus Iudæis Euangelij prædicationem, proficiſcitur Athenas. 298

*Cap.*6. Athenis populo ſæpè concionatur, diſputat cum Philoſophis Epicureis, & Stoïcis. 303

*Cap.*7. Prædicat in Areopago vnum verum Deum, & vnicum Filium eius IESVM Chriſtum occaſione aræ,cui erat inſcriptum: *Ignoto Deo.* 309

*Cap.*8. Dionyſius Areopagita, Damaris, & alij plures Pauli prædicatione fidem & Baptiſmum ſuſcipiunt. 315

*Cap.*9. Dionyſium Areopagitam à S. Paulo conſtitutum Epiſcopum Athenienſem,illum ipſum eſſe,qui ſcripſit doctiſſimos libros, quod malè noſtri temporis Hæretici, & alij quidam inficiantur. 321

*Cap.*10. Inſtituit Hierotheum in Chriſtiana fide: veniunt ad Paulum Timotheus, & Silas, quos in Macedoniam remittens ipſe Athenis diſcedit versùs Corinthum. 325

LIBER

LIBER SEPTIMVS.

De variis, quæ Paulo contigerunt toto tempore, quo manſit Corinthi; & de duabus Epiſtolis ad Theſſalonicenſes ibi ſcriptis.

CAp. 1. Paulus venit Corinthum, hoſpitatur apud Aquilam Ponticum,& victum ſibi comparat opificio. 331
Cap. 2. Iudæis, & Gentibus ſæpè concionatur: veniunt ad illum ex Macedonia Timotheus,& Silas; Iudæis autem obſtinatè reſiſtentibus veritati, dat ſe totum Gentium conuerſioni. 337
Cap. 3. Migrat ad alias ædes inhabitandas; Archiſynagogum,& alios quoſdam Chriſto lucratur; monetur diuina viſione, Corintho ne diſcedat. 341
Cap. 4. Corinthi ſubſiſtens ſcribit priorem Epiſtolam ad Theſſalonicenſes, quæ eſt omnium Pauli Epiſtolarum prima. 345
Cap. 5. Argumentum Epiſtolæ prioris ad Theſſalonicenſes, & eius breuis per capita Paraphraſis. 349
Cap. 6. Circa priorem Epiſtolam ad Theſſalonicenſes quinque dubia examinantur, quinque illius capitibus reſpondentia. 353
Cap. 7. Accuſatur Paulus Corinthi à Iudæis tumultuantibus apud Gallionem Proconſulem, à quo tamen iniqua accuſatio non admittitur. 361
Cap. 8. Proconſulis Gallionis germanus Frater, Seneca Philoſophus, init cum Paulo amicitiam, eámque ambo mutuis fouent officiis, & epiſtolis. 368
Cap. 9. Qua occaſione Corinthi manens Apoſtolus alteram miſerit Epiſtolam ad Theſſalonicenſes,& quid in ea contineatur. 373
Cap. 10. Quæ in ſecunda Epiſtola ad Theſſalonicenſes habentur de Antichriſto, quàm peruersè Hæretici noſtri temporis de Romano Pontifice interpretentur. 376
Cap. 11. Corintho Paulus diſcedit, & votum more Nazaræorum perſoluit in Cenchreis. 383

LIBER OCTAVVS.

Paulus, Europa relicta, redit in Aſiam; varias luſtrat prouincias; Epheſi longo tempore magno multorum bono commoratur.

CAp. 1. Venit primùm Epheſum; inde poſt aliquot dies diſcedit, Ieroſolymam quartò peregrinaturus. 390
Cap. 2. Ex peregrinatione Ieroſolymitana reuertens viſitat Galatiam, & Phrygiam: Apollo ex diſcipulo inſtituitur Magiſter Euangelij: Lucas Pauli conſilio ſcribit ſuum Euangelium. 396
Cap. 3. Reuerſus Epheſum Paulus, duodecim viros Baptiſmo Ioannis initiatos inducit ad Chriſti Baptiſmum, quem planè diuerſum eſſe Sacramentum à Baptiſmo Ioannis, contra Caluinũ, alióſque ſectarios, oſtenditur. 402
Cap. 4. Collatum à Paulo Sacramentum Confirmationis duodecim

baptizatis oſtenditur contra pertinaciã, Caluini:deſeruntur à Paulo Iudæ obſtinatiores,tranſmigrante à Synagoga ad ſcholam cuiuſdã Tyranni. 407
Cap. 5. Sæua patitur Apoſtolus à Iudæis; edit inſignia miracula; eius ſudaria, & ſemicinctia expellunt infirmitates,ac Dæmonia; vnde cultus ſacrarum Reliquiarum contra Caluinum & Nouatores defenditur. 413
Cap.6. Mali Exorciſtæ abuſi auctoritate Pauli à Dæmone corripiuntur:Caluinus malè inde ſentiens de exorciſmis Eccleſiæ catholicæ caſtigatur. 419
Cap.7. Sacramentum Confeſſionis perfidè à Caluino negatum ab Apoſtolo pœnitentibus Epheſiis adminiſtratur:ingentis pretij libri magicæ artis publicè comburuntur. 424
Cap.8. Qua occaſione ſcripſerit priorem Epiſtolam ad Corinthios, dum Epheſo cogitat Ieroſolymam iterum proficiſci. 430
Cap.9. Documenta prioris Epiſtolæ ad Corinthios breui Paraphraſi expoſita. 436
Cap.10. Sexdecim quæſita circa ſexdecim capita prioris Epiſtolæ ad Corinthios. 443
Cap.11. Demetrius argentarius grauem ſeditionem in Paulum concitat,quæ non ſine magna difficultate reprimitur. 449

LIBER NONVS.

Epheſo Paulus diſcedens peragrat Macedoniam, venit in Græciam, ſcribit Epiſtolas, primam ad Timotheum, deinde ad Titum, poſteà ſecundam ad Corinthios.

Cap.1. Epheſo diſcedens Apoſtolus Timotheum illius vrbis Epiſcopum & Primatem Aſiæ conſtituit. 456
Cap.2. Proficiſcitur in Macedoniam, inde ſcribit primam Epiſtolam ad Timotheum, quam aliqui Laodicea datam putant, & de quadam ad Laodicenſes Epiſtola ſuppoſititia. 461
Cap.3. Quæ documenta contineat prior Epiſtola ad Timotheum. 466
Cap.4. Sex dubia examinantur circa ſex capita prioris Epiſtolæ ad Timotheum. 469
Cap.5. Ex Macedonia cum Tito nauigat in Cretam, ibique illum Epiſcopum conſtituit,& totius Inſulæ Primatem. 476
Cap.6. Qua occaſione ex quo loco,& quo tempore Creta diſcedens Apoſtolus ad Titum Epiſtolam ſcripſerit. 484
Cap.7 Breuis Paraphraſis Epiſtolæ ad Titum, & quædam dubia circa illam. 489
Cap.8. Venit Apoſtolus Nicopolim,& ad eum Titus ex Creta; ſcribit ſecundam Epiſtolam ad Corinthios per Titum, & Lucam tranſmiſſam. 495
Cap.9. Explanantur breui Paraphraſi,quæ continentur in ſecunda Epiſtola ad Corinthios. 498
Cap.10. Tredecim dubia circa tredecim capita poſterioris Epiſtolæ ad Corinthios. 507

LIBER DECIMVS.

Ab Epiro Paulus venit in Græciam; tum in Macedoniam; inde nauigat in Syriam; quintò, & poſtremò viſitat Ieroſolymam.

CAp.1. Nicopoli proficiſcitur Corinthum, vbi ſcribit Epiſtolam ad Romanos; & de occaſione, argumento, ac ſtylo illius Epiſtolæ. 515
*Cap.*2. Quæ in Epiſtola ad Romanos continentur, Paraphraſi explanantur. 520
*Cap.*3. Documenta moralia eiuſdem Epiſtolæ quinque poſtremis capitibus contenta. 532
*Cap.*4. Sex præcipua dubia circa Epiſtolam ad Romanos explicata. 537
*Cap.*5. Diſcedit Corintho Paulus magno Fratrum comitatu, quibus Troadem præmiſſis, ipſe cum Luca, & Sila eò ſuperuenit. 546
*Cap.*6. Troade Paulus magna populi frequentia concionatur; Sacramentum Euchariſtiæ fidelibus adminiſtrat; mortuum Eutychum ad vitam reuocat. 552
*Cap.*7. Troade venit Aſſum, Mitylenem, Chium, Samum, & Miletum; vbi conuocatos maiores Eccleſiæ Epheſinæ ad paſtoralem curam omnes adhortatur. 558
*Cap.*8. Vehitur ſecunda nauigatione Coum, Rhodum, Pataram, Tyrum, inde Cæſaream, vbi à Philippo Diacono excipitur, Agabo aduerſa prophetante. 562
*Cap.*9. Cæſarea venit Ieroſolymam pro Pentecoſte, ſoluit in templo votum Nazaræorum. 568

LIBER VNDECIMVS.

Ieroſolymis Paulus multa pro Chriſto patitur: prouocat ad Romanum Imperatorem, vnde à Præſide Syriæ Romam cum militum cuſtodia tranſmittitur.

CAp.1. In templo à Iudæis comprehenditur, falsò accuſatur apud Lyſiam Tribunum, & catenis ligatur. 574
*Cap.*2. Vinctus catenis Paulus publicè concionatur; expediuntur pro illo flagella: ſed profeſſus ſe Romanum ciuem, à ſupplicio eximitur. 580
*Cap.*3. Producitur Paulus à Tribuno in Concilium Iudæorum; Phariſæis autem & Sadducæis inter ſe diſſidentibus, indemnatus ad caſtra reducitur. 586
*Cap.*4. Animatur in viſione à Domino, dum Iudæi ſupra quadraginta de eo interficiendo coniurant. 594
*Cap.*5. Cæſareæ coram Præſide Felice accuſantibus Iudæis pro ſe reſpondet: concionatur

concionatur de iuſtitia, caſtitate, & futuro Iudicio cum magno terrore Præſidis, & vxoris eius Druſillæ. 599

Cap.6. Felici ſuccedens Porcius Feſtus in Iudææ adminiſtratione, Paulum iterum exponit vanis accuſationibus Iudæorum, eúmque Rex Agrippa videre deſiderat. 606

Cap.7. Cauſam ſuam perorat coram Agrippa Rege, & Præſide Feſto; agnoſcitur innocens: ſed, quia Cæſarem appellauit, Romam deſtinatur. 612

Cap.8. Mari committitur vehendus ad Cæſarem, vinctus ſub cuſtodia Iulij Centurionis; & in Inſula Cretæ Trophimum relinquit infirmum. 618

Cap.9. Nautæ Paulo non obſequentes naufragium faciunt; ſed eius apud Deum interceſſione omnes ad terram enatantes ſeruati ſunt. 626

Cap.10. Ad Inſulam Melitam naufragi perueniunt, vbi morantur tribus menſibus: & Paulus multa miracula ibidem operatur. 633

Cap.11. Melita nauigat Syracuſam, inde Rhegium, & Puteolos, ac tandem venit Romam. 640

LIBER DVODECIMVS.

Romæ Paulus duobus annis in conducta ſibi domo catena vinctus habitare permittitur: Neroni ſiſtitur: plures ad Chriſtianam fidem inducit: varias ſcribit Epiſtolas, vnam ad Epheſios, ſecundam ad Timotheum, ad Philippenſes, & Coloſſenſes, & ad Philemonem.

Cap.1. Romæ Iudæis ad Pauli hoſpitium accurrentibus, ipſe concionatur, & plures eorum ad Chriſti fidem inducit. 647

Cap.2. Siſtitur Neroni omni humano auxilio deſtitutus; ſed Chriſti viſitatione recreatur, & à vitæ diſcrimine eripitur. 652

Cap.3. Mittit Epiſtolam ad Epheſios per Tychicum; & de occaſione, materia, ſtylo Epiſtolæ. 659

Cap.4. Quæ continentur in Epiſtola ad Epheſios, breui Paraphraſi explicantur. 663

Cap.5 Enodantur circa ſex capita Epiſtolæ ad Epheſios, ſex dubitationes. 699

Cap.6. Scribit hoc eodem tempore Epiſtolam ſecundam ad Timotheum, & de occaſione, materia, & ſtylo Epiſtolæ. 677

Cap.7. Exponuntur paraphraſticè, quæ continentur in ſecunda Epiſtola ad Timotheum. 683

Cap.8. Veniunt Romam ad Paulum Timotheus Epiſcopus, & alter Epiſcopus, Epaphroditus à Philippenſibus miſſus; & de occaſione, ac materia Epiſtolæ reſcriptæ ad Philippenſes. 688

Cap.9. Exponitur breui contextu Epiſtola ſcripta hoc tempore ad Philippenſes. 692

Cap.10. Hoc eodem anno ſcribit Epiſtolam ad Coloſſenſes, mittens eam per Tychicum, & Oneſimum. 697

Cap.11. Breuis Paraphraſis Epiſtolæ ad Coloſſenſes. 704

Cap.12. Eodem tempore ſcribit Philemoni breuem Epiſtolam commendatitiam ſerui eius fugitiui, nunc ad eum cum Tychico remiſſi. 708

LIBER

LIBER DECIMVSTERTIVS.

De vltimis Pauli Apoſtoli peregrinationibus, ad Euangelium propagandum, eiúſque ſub Nerone martyrio.

*CAp.*1. Liberatur à vinculis, & Roma propediem diſceſſurus Lucam præmittit. 713
*Cap.*2. Scribit Epiſtolam ad Galatas: & de loco, tempore, occaſione, argumento Epiſtolæ. 716
*Cap.*3. Epiſtolæ ad Galatas contextus breui Paraphraſi expoſitus. 721
*Cap.*4. Roma diſcedens ſcribit Epiſtolam ad Hebræos; & de eius autoritate, ſtylo, & argumento. 728
*Cap.*5. Enarratio totius Epiſtolæ ad Hebræos. 736
*Cap.*6. Explanantur tredecim difficultates circa tredecim capita Epiſtolæ ad Hebræos. 750
*Cap.*7. Paulus ex Italia per Gallias in Hiſpaniam proficiſcitur. 759
*Cap.*8. Ex Hiſpania nauigans in Orientem varias luſtrat Romani Orbis regiones. 765
*Cap.*9. Venit iterum Romam, vt Eccleſiæ à Nerone grauiter afflictæ ſubueniat; & in vincula ſimul cum S. Petro conijcitur. 768
*Cap.*10. In carcere Paulus cum Petro diu detinetur; inde multi ad Chriſtum conuertuntur, baptizantur, & miracula varia eduntur. 774
*Cap.*11. Cur Paulus à Nerone capite damnatus; & de tempore, loco, ac genere eius beati martyrij. 779
*Cap.*12. Forma, & ſtatura corporis, ſepultura, & quædam mira poſt eius martyrium ſecuta. 786

LIBER DECIMVSQVARTVS.

De miraculis S. Pauli.

*CAp.*1. Mortui ad vitam à S. Paulo reuocati; alij quamplurimi à faucibus mortis erepti. 793
*Cap.*2. Sanati a variis infirmitatibus corporis. 797
*Cap.*3. Liberati ab ægritudinibus animi, & vexationibus Dæmonum. 799
*Cap.*4. Apparet varijs perſonis, eáſque à grauibus periculis, tum animi, tum corporis eripit. 802
*Cap.*5. Eiuſdem apparitiones ad erudiendos quoſdam inſignes viros. 806
*Cap.*6. Eiuſdem aliæ apparitiones quibuſdam morientibus. 810
*Cap.*7. Fueritne præſens S. Paulus morti, ac funeri Beatiſſimæ Virginis. 814
*Cap.*8. De inſigni dono prophetiæ S. Pauli per ſeptem, hoc eſt, omnes eius gradus. 819.

Cap.9. De dono linguarum,& gratia ſermonum S.Pauli. 824
Cap.10. De quibuſdam Eccleſiis S. Pauli, & beneficiis eius patrocinio impetratis; pœnis verò contemptoribus irrogatis. 830

LIBER DECIMVSQVINTVS.

De Virtutibus S. Pauli.

CAp.1. De virtutibus S.Pauli in genere,& earum imitatione. 837
Cap.2. De accenſa eius charitate in Deum & Chriſtum Dominum. 843
Cap.3. De charitate in proximos. 848
Cap.4. De feruentiſſimo zelo diuinæ gloriæ & ſalutis animarum. 852
Cap.5. De magna eius prudentia,& diſcretione ſpiritus. 856
Cap.6. De inuicta fortitudine,& patientia. 861
Cap.7. De profundiſſima humilitate. 869
Cap.8. De magnanimitate,& in Deum fiducia. 875
Cap.9. De contemptu rerum omnium mundanarum. 879
Cap.10. De præmio æternæ eius felicitatis. 883
Cap.11. Epilogus totius Operis. 890

MVTIVS

MVTIVS VITELLESCVS,
Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis.

CVm Paulum Apoſtolum, ſiue Vitam S. Pauli Apoſtoli, quindecim libris hiſtoricè, & dogmaticè explicatam, P. Thomæ Maſſutij, noſtræ Societatis, quatuor eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint: Facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In cuius rei fidem has literas, manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 24. Nouembris, 1631.

MVTIVS VITELLESCVS.

CENSVRA OPERIS.

QVam mihi R.P. Nicolaus Riccardius, ſacri apoſtolici Palatij Magiſter, legendam dedit ſancti Pauli Apoſtoli Vitam, quindecim diſtinctam libris, Auctore P. Thoma Maſſutio, Societatis Ieſu Theologo, legi libenter, & in ea nihil deprehendi fidei Catholicæ veritati, & morum integritati contrarium. Imò publico natam bono, publica luce dignam cenſeo. Tota enim conſtat ea Hiſtoria ſacrarum literarum, & ſanctorum PP. ſolidis, reconditiſque ſententiis, magnamque omnibus, præcipuè Viris apoſtolicis, afferet vtilitatem, ſi in lucem edatur. Ex Collegio Romano, 4. Kalendas Martias, 1630.

HIERONYMVS PETRVCCIVS,
Societ. IESV, manu mea.

IMprimatur.

F. NICOLAVS RICCARDIVS, Ordinis Prædic. ſacri Palatij apoſt. Magiſter, manu propria.

APPRO

APPROBATIO DOCTORVM.

NOs infraſcripti ſacræ Theologiæ Doctores fidem facimus, legiſſe ac perlegiſſe Librum, cui inſcriptio eſt, *Paulus Apoſtolus, ſiue, Vita ſancti Pauli Apoſtoli, à R. P.* THOMA MASSVTIO, *Recinetenſi, Societatis* IESV *Theologo, quindecim libris hiſtoricè, & dogmaticè explicata*, &c. nihilque in eo Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ fidei contrarium reperiſſe. Lugduni die vigeſimaſeptima Martij, 1632.

Fr. CLAVDIVS COCHET, Ordinis Prædicatorum.

Fr. DESIDERIVS RICHARD, Gardianus Conuentus S. Bonauenturæ.

R. D. D. THOMAE DE MESCHATIN la Faye, huius Libri imprimendi Facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi: Liber, qui inſcribitur, *Paulus Apoſtolus, ſiue, Vita S. Pauli Apoſtoli, à R. P.* THOMA MASSVTIO, *Recinetenſi, Societatis* IESV *Theologo, quindecim libris hiſtoricè, & dogmaticè explicata*, &c. vt in lucem edatur, Facultatem concedo. Lugduni, Kalendis Nouembris, 1632.

MESCHATIN LA FAYE.

SVMMA PRIVILEGII A CHRISTIAniſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, ac patentibus Literis cautum, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vēdendúmque quouis modo & ratione conetur, Librum, qui inſcribitur: *Paulus Apoſtolus, ſiue, Vita S. Pauli Apoſtoli, à R.P.* THOMA MASSVTIO, *Recinetenſi, Societatis* IESV *Theologo, quindecim libris hiſtoricè, & dogmaticè explicata*, &c. præter IACOBVM CARDON, Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate Regia omnibus ſuis ſubditis, eundem Librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quenquam, vbicunque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti IACOBI CARDON. Idq; omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis, die quinta Aprilis, anno 1632.

De mandato Regis,

Signatum,

RENOVARD

Deſiit prelum 1. Martij, 1633.

PAVLVS

PAVLVS APOSTOLVS, *SIVE,* VITA S. PAVLI APOSTOLI.

LIBER PRIMVS.

DE VITA S. PAVLI, ANTEQVAM ad IESV CHRISTI fidem conuerteretur.

CAPVT I.

De nomine Sauli, & Pauli.

QVALIS vir Paulus, & quãtus futurus eſſet Apoſtolus, à gemino ipſius nomine, quando, vnde, quo humano, & diuino conſilio, vel etiam myſterio id ei appellationis primùm obtigit, exponere primo loco aggrediar ex ſententia veterum Patrum. Nam ab explicatione nominis, ſi id poſtulet, & vox digna conſideratione videatur, inchoandam eſſe tractationem ſapientes [a] docuerunt. Et quidem vſque ad ſeptem ea de re opiniones inuenio, eáſque non tam, ſicut aliqui arbitrantur, inter ſe diſſidentes, quàm per quoſdam veluti gradus, Apoſtoli huius multiplices excellentias vario ſenſu explicantes. Non eſt autem dubitandum, Sauli nomen ab initio impoſitum illi fuiſſe in circunciſione, videlicet, octauo die à natiuitate, ſumptum à Saüle primo Rege tribus Benjamin, ex qua naſcebatur, ſicut de ſe teſtatur ad Philippenſes ſcribens [b]: *Ego circunciſus octauo die, ex genere Iſraël, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis*. Neque refert, quòd non Saül, ſed Saulus vbique nominetur: nam Hebraïca vox Saül, Græcè, ac Latinè Saulus meliori pronuncia

a *Ariſt. 4. Met. 3. 10. & 1. Poſt. c. 2. Iuriſcõſ. l. 1. de iuſt. & iure.*

b *ad Phi lip. c. 3. v. 5.*

nunciatione, ſicut pro Ioſeph Ioſephus, & pro Iacob Iacobus dici conſueuit.

Quando verò Saulo nomen Pauli fuerit adiunctum, valdè ambigitur. Origenis [c] opinio fuit, quam S. Anſelmus [d] ait eſſe probabiliorem, non primùm vnum, quàm aliud nomen illi fuiſſe impoſitum; ſed vtrunque ſimul; nempe, Sauli, tanquam Iudæo ex tribu Benjamin; & Pauli, tanquam ciui Romano. Quod inde ſuadent: quia neque in veteri, neque in nouo Teſtamento deſunt exempla eorum, qui duplici nomine appellarentur: ſic Sedechias & Ioachim; ſic Ozias & Azarias: & in nouo Teſtamento idem Matthæus & Leui; Iudas & Thaddæus dicebâtur. Et confirmant ex eo, quòd vbi primùm in Actis Apoſtolicis [e] habemus Pauli mentionem, ita legimus: *Saulus autem, qui & Paulus.* non autem dicitur: Saulus, qui anteà, vel poſteà Paulus. Secunda tamen opinio eſt S. Auguſtini [f], quem ſequitur venerabilis Beda [g] in ſuis Commentariis Epiſtolæ ad Romanos, & ad Corinthios prioris, ipſa quoque S. Auguſtini verba mutuatus; Saulum dictum fuiſſe ante conuerſionem, id eſt, inquietum, ſuperbum, & Eccleſiæ perſecutorem, σάλος enim Græcis ſignificat inquietudinem; Paulum verò appellatum iam ad Chriſtum conuerſum, id eſt, paruum, humilem, & quietum. *Proſtrauit ergo Chriſtus vna voce Saulum,* inquit poſt S. Auguſtinum Beda, *erexit Paulum: hoc eſt, proſtrauit ſuperbum, erexit humilem. Nam, quæ fuit ratio mutandi ſibi nominis, vt cùm Saulus anteà vocaretur, poſteà ſe Paulum dici vellet, niſi quia Sauli nomen in ſe agnouit, cùm perſequeretur, fuiſſe ſuperbiæ? Elegit ergo humile nomen, vt Paulus, hoc eſt, minimus vocaretur.* *De quo nomine iam glorians, humilitatémque commendans* [h]: *Ego, inquit, ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Tertia non longè recedens à ſuperiori ſententia eſt S. Ambroſij [i], & Damaſi [l]: ſicut in circunciſione nomen Sauli, ita in Baptiſmo nomen Pauli ei fuiſſe tributum. *Apoſtolus Paulus,* inquit S. Ambroſius, *priuſquàm præceptis ſpiritualibus lauaretur, erat blaſphemus, perſecutor & Saulus: at vbi pluuia lauacri cœleſtis ſuper eum influxit, necatur blaſphemus, necatur perſecutor, necatur & Saulus; viuificatur Apoſtolus, viuificatur iuſtus, viuificatur & Paulus. Vſque adeò autem mortificauit veterem cum actibus hominem, vt cum moribus mutaret & nomen.* Quarta opinio eſt S. Hieronymi [m], quæ multis plauſibilis viſa eſt, & S. Auguſtino [n] placuit aliquando, Saulum ſumpſiſſe nomen Pauli, vbi primùm cum Barnaba oraculo diuino ſegregatus eſt ad Euangelium prædicandum, & Gentium Apoſtolus fuit deſignatus, ſicut habetur in Actis Apoſtolicis [o], vbi legimus, congregatis Apoſtolis Antiochię dixiſſe Spiritum ſanctum: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam, in opus, ad quod aſſumpſi eos.* incidiſſe verò ſtatim in Sergium Paulum Proconſulem Cypri, eáque inſigni victoria, dum colla Proconſul ſubmittit iugo Chriſti, præclarum Pauli nomen, quaſi pro ſpolio ac trophæo, Apoſtolum ſibi aſſumpſiſſe. Quare inquit S. Hieronymus, *Diligenter attende, quòd hic primùm nomen Pauli acceperit. Vt enim Scipio, ſubiecta Africa, Africani ſibi nomen aſſumpſit; & Metellus, Creta Inſula ſubiugata, inſigne Cretici ſuæ familiæ reportauit; & Imperatores nunc vſque Romani ex ſubiectis gentibus Adiabenici,*

[c] in præf. Ep. ad Rom.
[d] in c. 1. Epiſt. ad Rom.
[e] Act. c. 13. v. 9.
[f] ſer. 74. de temp. ſer. de S. Paulo, & alibi.
[g] in c. 1. Ep. ad Rom. & in c. 1. Ep. ad Cor.
[h] 1. Cor. c. 15. v. 9.
[i] ſer. 31. edit. Rom.
[l] in car. de S. Paulo.
[m] in Ep. ad Philem.
[n] lib. 8. Confeſſ. c. 4.
[o] Act. c. 13. v. 2.

nici, Parthici, Sarmatici nuncupantur: ita & Paulus ad prædicandũ Gentibus miſſus, à primo Eccleſiæ ſpolio, Proconſule Sergio Paulo, victoriæ ſuæ trophæa retulit, erexitque vexillum, vt Paulus diceretur è Saulo. Addit S. Hieronymus duplicem coniecturam: quia poſt hanc inſignem Pauli Sergij cõuerſionem Apoſtolus, qui antea ſemper Saulus in Actis Apoſtolicis, vbique Paulus deinceps appellatur. Præterea, quia ipſum nomen Pauli iuxta Hebraïcam etymologiam videtur ſignificare mirabilem, vel etiam operatorem, aut operatum: vnde ipſe de ſe profitebatur, dicens p: *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circuncisionis, operatus eſt mihi inter Gentes.* p ad Gal. c. 2. v. 8.

Sed tamẽ Cardinali Baronio, aliiſque eruditis recentioribus viſum eſt durum, minúſque Pauli modeſtiæ ac humilitati conueniens, vt qui ſe minimum Apoſtolorum profiteatur, atque eo nomine indignum & abortiuum, ex adepta illa ſpirituali victoria inſigne gloriæ nomen more Gentium vſurpare ſibi voluerit. Quare magis in ea eſt opinione Baronius, quæ quinta poteſt hic nominari, vt quandoquidem a tempore congreſſus cum Sergio Paulo Proconſule Saulus primum Paulus legitur appellatus in Actis Apoſtolicis; nec poſteà vnquam alio quam Pauli nomine vocatus inueniatur; tunc quidem illi Pauli nomen obtigerit; non tamen ob gloriam obtentæ de Sergio Paulo, inducto ad fidem, victoriæ; ſed potiùs quia ab ipſo Proconſule Sergio Paulo amicitiæ, gratiæque animi cauſa, familiæ ſuæ cognomine fuerit nobilitatus, Pauli, videlicet, quod Æmiliorum Romanæ familiæ cognomen fuit. Conſueuiſſe enim nobiles Romanos libertis de ſe optimè meritis, vel aliquibus ex cluentibus, aut hoſpitibus, aliiſque, ad eos magis ſibi deuinciendos, familiæ ſuæ nomen impertiri. Quin etiam Flauium Titum Imperatorem Ioſepho Iudæo, vt ipſe Ioſephus r de ſe teſtatur, in bello capto, deinde libertati ac ciuitati donato, nomen quoque Flauiæ familiæ, honoris gratia, tribuiſſe, vt Flauius Ioſephus appellaretur. r Ioſeph. in Vita ſua, circa fin. Id autem libenter ab Apoſtolo fuiſſe admiſſum; tum, quia Romanus ciuis iure municipij iam habebatur; tum, quòd Gentilibus Euangelium erat prædicaturus, ac proinde gentilitio nomine factus cum Gentibus quaſi Gentilis, maluerit appellari; tum etiam, quia, cùm eſſet Paulus ſtatura paruus, tale nomen habitudini corporis congruebat: quam ob cauſam Æmiliorum genti Pauli cognomen dicitur ſ adhæſiſſe. ſ Sigon. de nom. Rom. Habet tamen hæc opinio non minorem, quàm proxima ſuperior difficultatem: quia, ſi modeſtiæ & humilitati Apoſtolicæ minùs videtur fuiſſe conſentaneum nomen illud quaſi glorioſum victoriæ monumentum, atque trophæum gerere voluiſſe, non magis profectò decuiſſet Catechumenum ac Neophytum Sergium, Apoſtoli in Chriſto filium, Patri ac Magiſtro oſtendere ſe in hac re ſuperiorem, vt ſuo illum cognomine illuſtrando reddere vellet illuſtriorem. Deinde, quia non pro cognomine; ſed vbique pro nomine in ſacra Scriptura Pauli appellationem huic Apoſtolo legimus aſſignatam. t hom. de conuerſ. S. Pauli, & hom. 5. in Ep. ad Rom.

Quare ſexta Græcorum Patrum fuit opinio, Chryſoſtomi t, Oecumenij u, Theodoreti, x & aliorum, nomen Pauli, non tam ab hominibus, quàm à Deo fuiſſe inuentum, & Apoſtolo impoſitum, ſicut olim Patriarchis; & vt par eſſet hac in re Petro, qui à Chriſto y dictus eſt u in c. 13. Act. x in Ep. ad Rom. c. 1. y Ioan. c. 1. 42.

z *Marc. c. 3. v. 17.* Cephas; & Iacobo, ac Ioanni z, qui cognominati ſunt Boanerges, hoc eſt, filij tonitrui. Addit & aliam huius rei Chryſoſtomus rationem: *Nam, quemadmodum dominus, qui ſeruum mercatus eſt, volens oſtendere ſe eſſe dominum talis ſerui, nomen illius immutat: ita & Spiritus ſanctus fecit; vbi Paulum captiuum accepit, vocabulum eius mutauit, vt etiam inde diſceret Paulus, ſe habere Dominum: nominis enim impoſitio dominij ſignum eſt, & præcipuum.* Ita Chryſoſtomus, quod etiam exemplo probat primi parentis a, qui ex ordinatione diuina impoſuit nomina ſingulis animantibus, & Rex Babyloniæ b captiuis pueris Ananiæ, Azariæ, Miſaeli, in Sidrach, Miſach, & Abdenago nomina permutauit.

a *Gen. c. 2. v. 19.* b *Dan. 1. v. 19.*

Septima denique opinio, ſicut aliorum omnium eſt conciliatio; ita plùs videtur habere probabilitatis, & veritatis, atque adeò nobis amplectenda, & aliis non tam opponenda, quàm anteponenda. Diſtinguit enim vſum nominis ab eius primæua impoſitione: itaque, ſi de prima impoſitione ſit quæſtio, prima opinio Origenis, vt vera, eſt admittenda, nempe, Apoſtolum à natiuitate fuiſſe binomium: ſi verò de vſu nominum ſit agendum, nomen Sauli vſitatum magis anteà fuiſſe, quàm Pauli. Hac ratione opinio ſecunda, quæ erat S. Auguſtini, ſuam quoque continet veritatem: ſiquidem poſt Apoſtoli mirabilem ad Chriſtum conuerſionem, Pauli nomen magis placuit & decuit vſurpari. Hoc autem maximè ratum haberi debuit in Baptiſmate, ſicut tertia S. Ambroſij opinio perſuadet. Quarta verò S. Hieronymi ſic erit intelligenda ſententia, quæ etiam, vt diximus, placuit S. Auguſtino, vt non tam ex intentione Apoſtoli humanæ prorſus gloriæ cōtemptoris, quàm ex ipſo rei euentu peropportunè ſit factū, vt Sauli nomine in Paulum cōmutato glorioſam adeò victoriā de illuſtri viro Paulo Sergio Proconſule reportauerit. Simili temperamēto admitti poſſet quinta ſententia, non quaſi conuentione aliqua, aut expreſſa conceſſione Proconſul Paulus, à ſe voluerit Apoſtolum cognominari; ſed, quia nomen, quod iam incipiebat magis eſſe in vſu, libentiùs occaſione ſuæ ad Chriſtum conuerſionis vſurparet, & ab aliis audiebat vſurpari. Quod verò attinet ad ſextam Græcorum Patrum opinionem, quis Chryſoſtomo & aliis non vltrò concedat, diuina quadam prouidentia & inſtinctu ſancti Spiritus eſſe factum, vt nomen Sauli in Paulum, ea, qua diximus, ratione conuenientiſſimè verteretur? Quod tandem amplectitur ſeptima & poſtrema ſententia, imò & prima Origenis huc etiā recidit, cuius in præfatione Epiſtolæ ad Romanos illa ſunt verba: *Videtur nobis Paulus duplici vſus eſſe vocabulo: & donec quidem genti propriæ miniſtrabat, Saulus eſſe vocatus, quod magis appellationi patriæ vernaculum videbatur: Paulum autem appellatum eſſe, cùm Græcis & Gentibus legis præcepta conſcribit.*

Sed nec illud pro concluſione huius capitis cenſeo prætermittendum, circa etymologias nominis Pauli, & Sauli, fruſtrà aliquos diſſentire, tanquam non benè diuerſas à variis aſſignatas: aliud eſt enim, vnde vocabulum primam ducit originem, aliud vnde ingenioſa accommodatione ducere potuiſſet, atque adeò ad rei, ſeu perſonæ qualitates declarandas diuerſis rationibus excogitatur. Itaque nomen Sauli ex ſua origine eſſe Hebraïcum, non eſt, cur dubitemus: ſignificat autem poſtulatum,

tum, ſeu commodatum; quia primus Rex à Deo poſtulatus, ſiue commodatus, Saül eſt appellatus c: & Saulus, antequàm conuerteretur ad Christum, fuit, ſicut ait S. Hieronymus d, à Diabolo ad vexandam Eccleſiam Christi poſtulatus, & perſecutor inſignis Christianorum, quemadmodum Saül, Dæmone inſtigante, Dauidem eſt perſecutus. Idipſum in pluribus locis S. Auguſtinus e de eiuſdem nominis ſignificatione diſſerens adnotauit. Nec deſunt, qui f idem nomen ſepulcrum, Infernum, mortem interpretentur. Sed, ſi Sauli ſignificatio in Græca prolatione quæratur, eam ἀπὸ τοῦ σάλου benè deducunt, id eſt, ab inquietudine, motione maris & fluctuum: alij pleniùs à σαυλὸς, quod mollem ſignificat, leuem, ac delicatum: quæ omnia poſſunt aliquo modo Apoſtolo, priuſquàm Christo nomen daret, accommodari. Pauli verò nomen, ſítne Latinum, Græcum, an Hebraïcum, à quibuſdam ambigitur; ſed eſſe Latinum atque Romanum, apparet multò veroſimilius, & ſignificare paruum, puſillum, vel modicum, vt pluribus locis docuit S. Auguſtinus, & confirmant alij Patres Latini: Græcè autem pronunciatum tanquam ἀπὸ τοῦ παύειν, id eſt, à quieſcendo deriuaretur, cōſiderari nihil vetat. At prolatum Hebraïcè placuit S. Hieronymo g, admirabilem, ſatis eruditè interpretari: alij etiam operatorem, ſiue operatum interpretantur: nec deſunt, qui veluti conflatum partim ex Hebręo, partim ex Græco vocabulum, quaſi os tibiæ, vel tubæ reddiderunt. Quę omnia, ſi perſonæ, de qua agimus, benè conueniant; non eſt, cur in huiuſmodi ſignificationibus, & accommodationibus nominum boni Auctores faſtidioſè accuſentur. Sed iam à nominibus ad res ipſas propiùs accedamus.

c 1. Reg. c. 9. v. 10.
d in Ep. ad Philem. & in Pſal. 17.
e ſer. 9. 15. & 36. de verbis Apoſt. & 93. de diuerſis. & 74. de temp. & in Pſ. 51.
f Arat. l. 1. in Acta.
g in Ep. ad Philem.

CAPVT II.

De natali ſolo, & tempore natiuitatis S. Pauli.

IN ea ſententia fuiſſe S. Hieronymus a videtur aliquando, quæ aſſerit, S. Paulum Giſchalæ Iudęę oppido eſſe natum: nam in libro de Viris illuſtribus, vbi ad Paulum perueniſſet, ita ſcripſit: *Paulus Apoſtolus, qui anteà Saulus extra numerum duodecim Apoſtolorum de tribu Benjamin, & oppido Iudææ Giſchalis fuit, quo à Romanis capto, cum parentibus ſuis Tarſum Ciliciæ commigrauit.* Eandem poſteà ſententiam, iiſdémque planè verbis aſſeruit Beda b in ſuis ſuper Acta Apoſtolica Commentariis: vbi expendens, quod ipſe Apoſtolus de ſe apud Tribunum Ieroſolymis proteſtatus eſt, dicens c: *Ego homo ſum quidem Iudæus à Tarſo Ciliciæ non ignotæ ciuitatis municeps.* adiungit Beda: *Nec mirum, ſi ſe Tarſenſem Paulus, & non Giſchalitem dicat, cùm Dominus ipſe in Bethlehem natus, non Bethlehemites, ſed Nazaræus ſit cognominatus.*

Sed mirum eſt, eundem S. Hieronymum d, cùm in Epiſtolā ad Philemonem ſcriberet Commentaria, quod fecit, antequàm librum ederet de Viris illuſtribus, fabulam appellaſſe, quod aliqui dixerunt, parentes S. Pauli de Giſchalis regione fuiſſe Iudęæ, eáque à Romanis vaſtata in Tarſum Ciliciæ fuiſſe tranſlatos, & parentum conditionem adoleſcentem Paulum eſſe ſecutum. Hæc enim ferè ſunt verba S. Hieronymi, cùm in Epiſtolam ad Phile-

a lib. de Viris illuſtr. in Paulo.
b in c. 21. Act.
c Act. 21. v. 39.
d in Ep. ad Philem. circa fin.

monem extrema ſcriberet Commẽtaria: vnde cogimur ſuſpicari, quæ poſteà ſcripſit in libro de Viris illuſtribus, ex aliorum opinione, quod ſæpè facere conſueuit, non ex propria ſententia inſeruiſſe. Hanc autem minimè vanam eſſe ſuſpicionem inde confirmari poteſt: quia in epiſtola poſtea ſcripta ad Algaſiam [e], ſoluens quaſdam, de quibus fuerat interrogatus, quæſtiones circa Epiſtolas Pauli, apertis verbis affirmat, S. Paulum natum & nutritum fuiſſe Tarſi in Cilicia, ideò retinuiſſe in locutione, & ſcriptione proprietates ac phraſes Græcæ linguæ, qua tunc Tarſenſes vtebantur. Itaque hanc fuiſſe vltimam huius Doctoris ſententiam credere debemus: eſſe autem veriſſimam non licet vlla ratione dubitare. Quod enim certius inueniri poterit huius rei teſtimonium, quàm ipſiuſmet Apoſtoli de ſua patria pro publica concione ſic dicentis [f]: *Viri Fratres, audite, quam ad vos nunc reddo rationem: ego ſum vir Iudaus, natus in Tarſo Cilicia.* Et interrogatus à Tribuno militum Romanorum Ieroſolymis, an eſſet Ægyptius, vt aliqui de illo ſuſpicabãtur, reſpondit, ſe minime eſſe Ægyptium [g]: *Sed ego*, inquit, *homo ſum quidem Iudeus à Tarſo Cilicia, non ignota ciuitatis municeps.* Cùm verò idem Tribunus [h] gloriaretur, quòd magna ſumma pecuniarum ius Romanæ ciuitatis ſibi comparaſſet, adiecit Apoſtolus: *Ego autem & natus ſum.* Videlicet, quia natus Tarſi nobiliter ius Romanæ ciuitatis nobilibus Tarſenſibus, non verò Giſchalitis communicatum, tanquam hæreditarium obtinebat: qua de re ſuo loco pluribus agetur inferiùs. Hinc etiam ipſe Chriſtus Dominus loquens cum Anania, dum illum ad Paulum baptizandum mitteret, Tarſenſem eum, non Giſchalitem appellauit, dicens [i]: *Quære in domo Iuda Saulum, nomine Tarſenſem.* Nec vlla ratione ſatiſfacit, quod ex Beda pro contraria opinione retulimus, Paulum, quamuis Giſchalæ natum, quia tamen educatus eſt Tarſi, dictum eſſe Tarſenſem, non Giſchalitem: ſicut Dominus, quamuis in Bethlehem natus, quia tamen educatus in Nazareth, non Bethlehemites, ſed Nazaræus eſt appellatus. Nam ex verbis Scripturæ manifeſtis iam conſtitit, ideò Tarſenſem vocatum fuiſſe hunc Apoſtolum, quia natus eſſet in Tarſo, & non tantùm ibi educatus. Quinimò educatum ſe magis Ieroſolymis profitetur, dicens [l]: *Ego ſum vir Iudaus, natus in Tarſo Cilicia; nutritus autem in iſta ciuitate*, nempe, Ieruſalem. De Giſchali verò Iudææ nullibi facit mentionem: quòd ſi facere potuiſſet, id profectò non prætermiſiſſet, vt ſe non ſolùm Iudæum genere, ſed etiam in Iudæa natum affirmaret, ad animos Iudæorum, quod aliis argumentis præſtitit, magis ſibi conciliandos.

Sed & Giſchalis oppidi expugnati aliquando à Romanis meminit quidem Ioſephus Hebræus in de [m] bello Iudaico libro quarto: veruntamen non Iudææ, ſed regioni Galilææ, vbi erat ipſe verſatiſſimus, illud adſcribit. Deinde ponit à Tito Veſpaſiani filio fuiſſe expugnatum hoc oppidum, quod ipſe affirmat fuiſſe inter cætera munitiſſimum, totámque Galilæam in poteſtatem Romanorum fuiſſe redactam, quando iam eius pater Veſpaſianus, defuncto Nerone, Romanum imperium obtinebat, hoc eſt, aliquot annis poſt obitum S. Pauli, qui ſub Nerone, anno eius imperij decimotertio, martyrio eſt coronatus. Fieri ergo nulla

e ep. 151. q. 10. & ep. 133. ad Marcellam.

f Act. c. 22. v. 1.

g Act. c. 21. v. 39.

h Act. c. 22. v. 28.

i Act. c. 9. v. 11.

l Act. c. 22. v. 3.

m lib. 4. c. 4.

nulla ratione potuit, vt oppido Giſchalis à Romanis capto, inde Paulus adoleſcens cum parentibus ſuis Tarſum Ciliciæ commigrauerit. Neque reddetur commentum huiuſmodi veriſimile, ſi dicatur hæc Pauli, & parentum eius à Giſchala Tarſum commigratio fortè anteà contigiſſe, cùm primùm duce Pompeio Iudæa à Romanis ſubacta fuiſſet: nam id cõſtat ex Ioſepho [n] & aliis Hiſtoricis olympiade centeſima ſeptuageſimanona accidiſſe, Antonio & Cicerone Conſulibus, hoc eſt, ante aliquot annos quàm Paulus naſceretur, qui natus eſt ſub Herode ſeniore, cui ſucceſſit Archelaüs, regnóque in tetrarchias diuiſo, nullam toto eo tempore vſque ad Veſpaſianum & Titum Iudææ oppida paſſa ſunt à Romanis oppugnationem; ſed pacata & ſubdita illis prouincia parebat in omnibus per Romanos Magiſtratus adminiſtrata.

[n] *Ioſeph. l. 14 Antiq. c. 8. Baron. an. 36.*

Quòd ſi non de ipſo Paulo, déque eius parentibus, ſed de maioribus illius familiæ velimus facere coniecturam, videtur aliqua ratione veriſimile, eos natos in Giſchala oppido, quod à Ioſepho ponitur fuiſſe in Galilæa, vel in alio ſimilis nominis oppido ad tribum Benjamin pertinente, quod à nonnullis aſſeritur fuiſſe in Iudæa, indéque Tarſum ſponte illos demigraſſe, ſicut alij plures fuerunt ex Iudæis, qui orbem terrarum, vt Philo [o] ait, coloniis à ſe deductis repleuerunt, aut etiam bello coacti, maximè ſub Antiocho illuſtri, quod his verbis ſignificauit S. Epiphanius [p]: *Etiamſi à Tarſo originem trahebat S. Paulus, non erat alienus ab Iſrael. Nam, cùm diſperſi eſſent multi temporibus Antiochi illuſtris, & aliis temporibus, quando incidit bellum, captiui facti & dati in obſidionem, qui quidem captiui abducti ſunt, permanſerunt in quibuſdam locis: qui verò hac de cauſa receſſerunt, habitarunt, vbi quiſque locum occupauit.* Sed coniecturas relinquentes de Pauli proauis & maioribus, vbinam terrarum nati ſint, nobis erit ſatis de patria ipſius Apoſtoli nullam ſupereſſe dubitationem, nec ambigi iam poſſe aliam fuiſſe quàm Tarſum: vt proptereà B. Martyr Ignatius ſuam ad Tarſenſes ſcribens epiſtolam, eos Pauli non ſolum diſcipulos, ſed etiam conciues appellauerit.

[o] *lib. de leg. ad Caium.*
[p] *hær. 30.*

Iam verò de hac ciuitate aliqua nobis ſuperſunt hic indicanda, nempe, eius antiquitas, nobilitas, & præſtantia. Nam, vt poſt Ioſephum [q] libro primo Antiquitatum, plures docuerunt, à nepote Iaphet, qui Tharſis eſt dictus [r], nomen accepit ipſa primùm prouincia Ciliciæ in Aſia minori, Syriæ contermina, tum hæc illius præcipua ciuitas omnium, vt ait Ioſephus, celebratiſſima, quæ erat totius prouinciæ metropolis, & quam Solinus [s] matrem vrbium appellauit, Plinius [t] liberam ciuitatem, quam Cydnus fluuius amœniſſimus interſecat, inſigni olim portu exornata, & mercatu celeberrimo. Adeò verò propter ſtudium omnium diſciplinarum à Strabone [x] commendatur, vt dicat, Alexandriam & Athenas ſuperaſſe: cuius rei teſtem appellat ipſam Romam, quippe Tarſenſium huiuſmodi literatorum plenam. Inde enim Antipatri, Archidemi, Diogenes, Neſtores, Diodori, & duo Athenodori, quorum alter diu cum Catone vixit, & apud ipſum mortuus eſt, alter Cæſaris Auguſti præceptor fuit, & Marcelli filij Octauiæ ſororis eiuſdem Auguſti. Sed nullo illuſtrior viro, quàm Doctore Gentium, Paulo Apoſtolo. Fuit autem hæc ciuitas, quo tempore ciuilia bella Romanorum gerebantur,

[q] *lib. 1. Antiq. c. 7.*
[r] *Gen. c. 10. v. 4.*
[s] *Solinus c. 41.*
[t] *Plin. L. 5 c. 27.*
[x] *Strabo l. 14. Geogr.*

Iulio

Iulio Cæſari, & Octauiano Auguſto ſic addicta, vt, quod teſtatur Dio Caſſius [y], Iuliopolis aliquando appellaretur: & quia Cæſarianas partes contra Pompeium, Brutum, & Caſſium ſtrenuè Tarſenſes adiuuerunt, addit alter Dio, cognomento Chryſoſtomus [a], maxima priuilegia eos à Cæſare obtinuiſſe, nempe, illa omnia, quæ quis veris amicis, & fidelibus ſociis præſtaret, terras, leges, honores, poteſtatem maris ac fluminum. In hac igitur tunc florentiſſima ciuitate naſcitur noſter Apoſtolus ſub Cæſare Auguſto, anno eius imperij tertio, vel quarto ſupra quadrageſimum, Chriſto Domino vno, vel altero anno iam nato. Cùm enim ad Chriſtum ſe Paulus conuerterit anno, ſicut poſteà exponetur, ipſius Chriſti Domini trigeſimoquinto ab vno menſe inchoato; ſuæ verò ætatis circiter trigeſimoquarto, (neque enim diem, aut menſem, quo natus ſit, vllis proditum literis inuenimus,) ſequitur, ipſius ortum, vel in extremam partem conſulatus C. Cornelij Lentuli, & Lucij Calphurnij Piſonis, vel in primam Caij Cæſaris, & Lucij Æmilij Pauli incidiſſe: quorum primi duo in ſecundo anno Chriſti Saluatoris, alij duo in tertio anno gerebant conſulatum [b]: vt quemadmodum Chriſti Redemptoris pueritiam eius Præcurſor Ioannes Baptiſta modico interuallo anteceſſit; ita Vas electionis Paulus proximè ſubſequeretur.

[y] *Dio lib. 45.*

[a] *Dio Caſſ. in Tarſica poſter.*

[b] *Baron. an. 2 Seuar. opuſ. de Paulo. Manuus hiſt. ſelect. c. 533.*

CAPVT III.

Fueritne S. Paulus conditione ac genere nobilis.

QVia fieri poteſt, vt ſit aliquis conditione nobilis, & non genere; parta, nimirum, ſibimetipſi primùm nobilitate, quam non habuit à maioribus: & contrà, ſit aliquis genere nobilis, quia tales habuit anteà maiores; ſed conditione vitæ abiectæ ac infimæ ſortis ſit ignobilis: ideò vtrunque diſtinctè hìc exponere propoſuimus, vt hac ratione, quæ de huius Apoſtoli ſanè non obſcuris natalibus apud ſanctos Patres quodammodo contraria inueniuntur, pro rei veritate conciliemus. Et quidem S. Ioannes Chryſoſtomus non vno in loco videtur negare de S. Paulo, ſicut etiam de aliis Apoſtolis, omnem prorſus ſæculi nobilitatem; quod ex ipſius quoque Apoſtoli verbis, tum ipſe, tum alij Patres videntur inferre: ſic enim in prima Epiſtola ad Corinthios [a] ſcriptum legimus: *Videte vocationem veſtram, Fratres: quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed, quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus.* Quare inquit Chryſoſtomus [b], *Cùm Gentiles nobis dixerint, ruſticos fuiſſe Apoſtolos; adiiciamus, item indoctos, illiteratos, pauperes, abiectos, obſcuros. Non ſunt hæc maledicta in Apoſtolos, ſed gloria, quòd tales viri toto orbe clariores apparuerint: ſiquidem hi ineruditi, ruſtici, indocti, viros ſapientia & poteſtate præditos, tyrannos diuitiis, gloria, & omnibus denique externis rebus ſe iactantes, ac ſi viri non fuiſſent, ſuperarunt.* Et S. Ambroſius [c]: *Aduerte,* inquit, *cæleſte conſilium, non ſapientes aliquos, non diuites, non nobiles; ſed piſcatores, & publicanos, quos dirigeret, elegit: ne traduxiſſe prudentia, ne redemiſſe diuitiis, ne potentia nobilitatiſque auctoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur.* Et in eandem ſententiam S. Auguſtinus [d]: *Deus enim ſciebat,* inquit, *quòd ſi eligeret Senato-*

rem,

[a] *1. Cor. c. 1. v. 26.*

[b] *Chryſ. hom. 3. in Ep. 1. ad Cor.*

[c] *S. Ambroſ. l. 1. in Lucã ad c. 6.*

[d] *S. Aug. ſer. 59. de verbis Domini.*

rem, diceret Senator: Dignitas mea electa eſt. Si eligeret diuitem, diceret diues: Opulentia mea electa eſt, &c. *Ideò dixit. Veni tu, pauper, nihil habes, nihil noſti, ſequere me: tam largo fonti vas inane admonendum eſt.* Sed de Vaſe electionis, Paulo, in particulari apertiſſimè ſic loquitur Chryſoſtomus [e]: *Et Paulus cum illa arte cæleſtiſſima tantam potuit inſpirare virtutem, quantam ipſe rerum teſtatur euentus: homo enim ignobilis, abiectus, & circunforaneus, qui artem exercebat in pellibus, in tantum virtute progreſſus eſt.* Et infrà: *Non à proauis nobilis, quippe qui tam vilis fuiſſe artis oſtenditur, non à patria, non à gente: tamen progreſſus in medium, & tantummodo apparens inimicorum cuncta turbauit, vniuerſa confudit.* Et in quadam alia homilia [f], Paulum comparãs cũ Nerone, multis oſtendit ſummam illius Principis nobilitatem, diuitias, poteſtatem, lõgè minùs eſſe faciendam, quàm huius Apoſtoli ignobilitatem, inopiam, & mendicitatem. Accedit illa quoque ratio ex diuinis Scripturis, qua maximè nititur opinio S. Chryſoſtomi: nam habemus in Actis Apoſtolicis [g], exercuiſſe Apoſtolum Paulum artem illiberalem: vnde illum appellat Chryſoſtomus [h], ſutorem ſcenarum: Origenes [i], pellium fabrum. Quamuis Caietanus [k] interpretetur, opificium illud fuiſſe ex lino, lana, vel ſerico tabernaculorum: alij [l], fuiſſe aulæa ad parietes exornandos. At multò veriſimilius eſt, fuiſſe tabernacula ex aſſutis pellibus ad inhabitandum iis, qui peregrè proficiſcuntur, & præſertim militibus. Hanc autem artem non ſolùm ipſe exercuit, poſtquam Chriſtianam humilitatem, & Apoſtolicam profeſſus eſt paupertatem; verùm etiam multò ante ſuam ad Chriſti fidem conuerſionem, vt ex eodem Scripturæ ſacræ allato teſtimonio [m] benè colligitur.

Nihilominùs tamen apertè pro contraria ſententia videtur eſſe S. Auguſtinus, nec ſine apparenti Scripturæ teſtimonio, imò ipſiuſmet Apoſtoli ſic de ſeipſo ſcribentis ad Philippenſes [n]: *Gloriamur in Chriſto* IESV, *& non in carne fiduciam habentes: quanquam & ego confidentiam habeam in carne: ſi quis alius videtur confidere in carne*, (id eſt, poſſe confidere,) *ego magis.* Quæ verba exponit S. Auguſtinus [o] de nobilitate ſanguinis, de qua nolebat, etiamſi verè potuiſſet, Apoſtolus gloriari. *Ne arbitremini*, inquit, *me hoc contemnere, quod non habeo. Quid enim magnum, ſi homo abiectus, plebeius, ignobilis contemnat nobilitatem, & tunc exhibeat humilitatem? Quanquam ego, inquit, habeam fiduciam in carne, hoc eſt, habere poſſim; ideò vos doceo contemnere, quoniam videtis me habere, quod contemnam.* Hæc S. Auguſtinus ex perſona S. Pauli: tum ſubdit aliud nobilitatis ipſius non leue argumentum, ex eo quod addidit, ſe eſſe Iſraëlitã ex genere, & ſecundũ legem Phariſæum. *Primary enim* (inquit Auguſtinus) *erant, & quaſi ad nobilitatem Iudaïcam ſegregati, non contemptibili plebi commixti, qui dicebantur Phariſæi. Nam dicitur hoc verbum quaſi ſegregationem interpretari, quomodo in lingua Latina egregius, quaſi à grege ſeparatus.* Sed de ſecta Phariſæorum plura erunt dicenda inferiùs. S. Ambroſius [p] non ſolùm nobilem aſſerit Paulum extitiſſe; ſed etiam ex ordine ſenatorio: idque colligit ex eo, quia veſte vtebatur Romanorum ſenatoria, nomine penulæ ab ipſo ſignificatæ, cùm ſcriberet ad Timotheum, poſtulans eã ſibi Romam afferri, illis verbis [q]: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, affer tecum. Apoſtolus*, (inquit Ambroſius,) *natura Iudæus fuit*, *nec*

e Chryſoſt. hom. 4. de lau. S. Pauli.
f Chryſoſt. hom. 4. in Ep. ad Tim.
g c. 18. v. 2.
h Chryſ. hom. 5. de S. Paulo
i Orig. hom. 17. in Num.
k Caiet. in Acta c. 18.
l Carthuſ. ibi
m Act. c. 18. v. 2.
n Philip. c. 3. v. 3.
o S. Aug. ſerm. 15. de verbis Apoſtoli.
p in Cõmẽt. Ep. 2. ad Timoth.
q 2. ad Tim. c. 4. v. 13.

nec quidquam habuit alienum:vnde ergo illi penula? Sed quia erat à Tarſo, quos conſtat in ſocietatem Romanorum receptos, vt de cætero appellarentur ciues Romani;idcircò neceſſe eſt,eos & curiam habere,in quam more Romanorum penulati cõuenirẽt. Quicunque enim illo tempore cum muneribus obuiam iuiſſent Romanis, immunitate perpetua donati ciues Romani, & fratres eorum vocabãtur, teſte eodem Apoſtolo. Poteſt ergo fieri,vt ſi nõ ſuam,quia totum ſe legi dederat,patris ſui haberet penulam. Hoc totum ex Ambroſio deſcriptũ iiſdem verbis habet Anſelmus r, pro Commentariis illius Epiſtolæ ſecundæ ad Timotheum,vel quiſquis eſt Auctor illorum Commentariorum inter Opera S.Anſelmi.

r *Anſel. ſiue Hæmane in Com. Ep. 2. ad Tim. c. 4.*

Et quamuis meritò dubitari poſſit, an penulæ nomine veſtem ſenatoriam S. Paulus intellexerit, quod, vbi ad illud tempus peruenerimus, à nobis explicabitur;tamen ſenſiſſe hos Auctores nobilem fuiſſe hunc Apoſtolum non eſt dubitandum. Idipſum ab aliquibus argumento huiuſmodi non malè ſuadetur:quia de Paulo,ſiue Saulo legimus in Actis Apoſtolicis ſ, poteſtatem obtinuiſſe à Principibus Sacerdotum ampliſſimam contra tunc naſcentem Eccleſiam Chriſtianorum, & iuiſſe ſpirantem minarum, ac cædis in diſcipulos Domini,nec ſine aliqua militũ manu,& honeſto, vt credere debemus,comitatu.

ſ *Act. c. 9. v. 1 & c. 26. v. 11.*

Non videtur autem veriſimile, hominem infimæ ſortis,ignobilẽ, & obſcurum gerere tam altos ſpiritus potuiſſe, adeóque minacem,& ſæuum Eccleſiæ perſecutorem per vrbem Ieroſolymam, & per Damaſcum inceſſiſſe. Neque Principes Sacerdotum homini plebeio tantam poteſtatem publicis & patentibus literis conſignatam, ipſo quantumuis depoſcente,indulſiſſent.

His ita in vtramque partem diſputatis,aliqui exiſtimarunt de nobilitate generis S. Pauli ſic eſſe componendam diſſenſionem,vt dicamus,illum quidem fuiſſe nobilem Iudaïca nobilitate, cui exercere artes quaſdã illiberales & mechanica opificia non aduerſabatur;ſed non ſecundùm iura Romanæ nobilitatis. Nos verò,vt totum commodiùs explicemus,potiùs diſtinguendam exiſtimamus nobilitatem generis,ſicut anteà dictum eſt, à nobilitate cõditionis, de qua poſteà: & loquendo de nobilitate generis,dicimus, negari non poſſe, Apoſtolum genere nobiliſſimum extitiſſe;non ſolùm, quia oriebatur ex illuſtri proſapia Patriarcharum, Abraham,Iſaac,Iacob,antiquiſſima, celeberrima, & Deo ſupra quaſcunque alias chariſſima,de qua ſe quidem extolli cum aliis Iſraclitis potuiſſe, ad Corinthios ſcribit:ſed malle in ſolo Chriſto non inſipienter gloriari t: Quis,inquit, *audet? in inſipientia dico, audeo & ego. Hebræi ſunt? & ego: ſemen Abrahæ ſunt? & ego.* Verùm, præterea fuit nobilis,quia directè deſcendebat ex tribu Benjamin, quæ primum Regem Saülem dedit toti Iſraëli; & in ſchiſmate decem aliarum tribuum à regno Iuda, fidelis & conſtans perſtitit tribui Iudæ; regno ac templo Dei ſemper adhæſit;gloria bellicæ fortitudinis, & eximiæ virtutis militaris laude in poſtremo Iudicum capite laudatiſſima.

t *2. Cor. c. 11. v. 22.*

Atque hoc innuere coactus fuit ſcribens ipſe de ſeipſo illis verbis ad Philippenſes u: *Gloriamur in Chriſto* IESV, *& non in carne fiduciam habentes: & ſi quis alius videtur confidere in carne*,id eſt,poſſe confidere, *ego magis ex genere Iſraël,de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis.* quaſi diceret,non proſelytus,non aſcitus. Tum ſubdit, hæc omnia & ſimilia, quæ à mundo tantoperè ſuſpiciuntur,& in

u *ad Ph. c. 3. v. 5.*

magno

magno lucro deputantur, ſe prorſus nihili facere, & omninò deſpicere, ac pro detrimento habere, propter eminentem ſcientiam, quam de IESV Chriſto ex ipſius ſingulari gratia obtinuerat x: *Propter quem* (inquit) *omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Quid igitur mirum, ſi ad opera laborioſa mechanica, & quæ abiecta & vilia in mundo reputantur, tantopere ſe demitteret, atque idipſum non modò nō erubeſceret, ſed etiam de ſeipſo quodammodo prædicaret? Vnde, cùm alloqueretur Mileti Eccleſiæ Presbyteros ac miniſtros in vnum congregatos, ſic aiebat y: *Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupiui, ſicut ipſi ſcitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, miniſtrauerunt manus iſtæ. Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos.* Et ad Corinthios ita ſcribit z: *Laboramus operantes manibus noſtris.* Et ad Theſſalonicenſes a: *Memores eſtis Fratres, laboris noſtri, & fatigationis, nocte ac die operantes, ne quem veſtrûm grauaremus.* Et iterum infrà b: *Neque gratis panem manducauimus ab aliquo; ſed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem veſtrûm grauaremus. Non quaſi non habuerimus poteſtatem; ſed vt noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos.*

x ad Philip. c.3. v. 8.

y Act. c. 20. v. 33.

z 1. Cor. c. 4. v. 12.

a 1. ad Theſſal. c. 2. v. 9.

b 2. ad Theſſ. c. 3. v. 8.

Atque hinc inducta videtur in religioſis Familiis, præſertim Monachorum, honeſtiſſima conſuetudo admiſcendi ſpiritualibus exercitiis aliquid externi laboris per opera manualia. *Vnde* (inquit S. Epiphanius c) *in ſingulis Monaſteriis, tum in Ægyptiorum regione, tum in aliis omnibus, ſic laborant ad iuſtitiam, velut apes, in manibus quidem habentes ceram opificij; in ore verò guttas mellis, cum propria hymnifera voce vniuerſorum Dominum iuxta proprium ſenſum laudant.* Et S. Hieronymus d: *Ægyptiorum*, inquit, *Monaſteria hunc tenent morem, vt nullum abſque opere, aut labore ſuſcipiant: non tam propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem, ne vagentur perniciosis cogitationibus.* Legimus quoque in vita S. Antonij, illud à Deo ſibi dictum accepiſſe: *Antoni, quæris Deo placere? ora: & dum orare non poteris, manibus labora, & ſemper aliquid facito.* Quare S. Auguſtinus librum ſcripſit de opere Monachorum, in quo vehementer reprehendit Monachos otioſos ac deſides, qui manibus laborare ſubterfugiebant. Cùm igitur tam multi extiterint omni ætate in religioſis Familiis Viri illuſtres & eximiæ nobilitatis, quibus laborioſa eiuſmodi exercitamenta operum manualium nihil obſcurare generis nobilitatem exiſtimatum eſt; quia non aſſumebantur ab ipſis ad turpe lucrum, ſed ad otium exterminandum, ad generoſam animi religioſi ſubmiſſionem, ad corpus ſpiritui mancipandum: neque Apoſtolicæ ingenuitati, ac generis ſplendori aduerſabantur. Vnde Virgo Deipara & eius ſponſus erant generis nobiliſſimi, cùm deſcenderent à regia tribu & familia Dauid, numerando præter Duces & Principes in ſuo ſtemmate vſque ad quatuordecim Reges. & tamen arte fabrili vitam pauperem, honeſtiſſimam tamen, traducebant.

c Epiph. hæres. 80.

d ep. ad Ruſtic. Monac.

At quoquo modo ſe res habeat, dicet aliquis, circa generis nobilitatem, quæ virtus quædam & claritas eſt maiorum quaſi nobis extranea: *Nam genus & proauos* (quidam ait e) *& quæ non fecimus ipſi, Vix ea noſtra puto.* ſupereſt examinanda nobilitas ex vitæ propriæ conditione, quæ nullo pacto cum huiuſmodi mechanicis exercitationibus videtur poſſe conuenire,

e Ovid. l. 13. Metam.

uenire. Atque hìc demum illa diſtinctio Romanæ & Iudaïcæ nobilitaris adhibenda eſt, iuxta quam aliqui negant, Apoſtolum fuiſſe nobilem ſecundum iura Romanæ nobilitatis: nam, teſte Dionyſio Halicarnaſſæo f, Romanæ Hiſtoriæ Scriptore probatiſſimo, huiuſmodi opifices à numero ciuium eximebantur. Sed obſeruandum eſt ex eodem Auctore, atque aliis Hiſtoricis g, ita quidem ab initio vrbis fuiſſe à Romulo inſtitutum, ne ius Romanæ ciuitatis opificibus aliis, quàm agricolis, & militibus concederetur: ſed poſteà id abrogatum fuit à Numa Pompilio, qui ius ciuitatis commune omnibus fecit; quin etiam ferendi ſuffragia, & petendi honores ac Magiſtratus. Adeò vt ex operis publicanorum publicis Rutilius conſulatum adeptus ſit, & imperium geſſerit in Sicilia, atque triumphauerit. Terentius quoque Varro, qui Conſul cladem Cannenſem accepit, lanium habuit parentem, & ipſe inſtitor mercis fuit. Marcus verò Scaurus & Conſul & Cenſor patrem habuit, qui arte carbonaria vitam ſuſtentabat. Quis ergo iam de noſtro Apoſtolo poterit dubitare, proteſtante nõ ſemel de ſeipſo apud Romanum Tribunum & Centurionem Hieroſolymis h, quia ciuis Romanus eſſet: & Tribuno ſimul cum Centurione timente poſt agnitam huius rei longa queſtione veritatem, quòd auſi fuiſſent ciui Romano manus iniicere, & ligatum tentaſſe flagris ſubiicere, quaſi eſſet ignobile aliquod & vile mancipium.

f *Dionyſ. lib.* 2 *&* 6.

g *Sigon. l.* 2. *de iure ciu. Rom. c.* 12.

h *Act. c.* 22. *v.* 23

Iam verò de Iudaïca nobilitate minor videtur ſupereſſe ambiguitas. Aliquos tamen ea, quæ leguntur in Eccleſiaſtico i fecerunt dubitare: nam capite libri illius trigeſimooctauo, vbi opera varia illiberalia fuiſſent enarrata, agriculturæ, architecturæ, fabrorum, & figulorum, non ſine aliqua commendatione, propterea quòd valdè vtilia, & neceſſaria ſint ciuitati, adduntur hæc verba: *Omnes hi in manibus ſuis ſperauerunt, & non inhabitabunt, nec inambulabunt, & in Eccleſiam non tranſilient: ſuper ſellam iudicij non ſedebunt.* Sed non ſunt hæc ita intelligenda, ſi quis omnia, quæ ibi dicuntur, attente conſideret, quaſi ex huiuſmodi operum vilitate ad munia digniora homo reddatur ineptus; ſed, quia nimiùm talibus exercitiis occupari, ita vt nullam nocturni, diurnique temporis partem relinquant ſtudio ſapientiæ, hanc non poterũt vllatenus adipiſci. Alioquin ſcimus in ſacris Prouerbiis l valdè commendaram fortem illam mulierem, quæ lanam quæſiuit & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum, & digiti eius apprehenderunt fuſum: & nobilis in portis nihilominùs dicitur vir eius, qui ſedere ſoleat cum Senatoribus terrę.

i *Eccli. c.* 38. *v.* 37.

l *Prou. c.* 31. *v.* 13.

Fuit prætereà illud peculiare hominibus Iudæis ex inſtituto veterum Rabbinorum m, vt qui vellent ſacras Literas profiteri, deberent, quamuis nobiles, addiſcere aliquod manuale opificium, tum corporis exercendi cauſa, tum ad animum à ſtudiis interdum relaxandum; atque etiam, vt ſi aliqua forte vrgeret neceſſitas, hac ratione victum ſibi poſſent procurare. Quapropter tale vitæ inſtitutum Gamalieli, qui, ſicut infrà dicetur, Pauli adoleſcentis Magiſter fuit, valdè cordi erat; cùm diceret, eos, qui talia corporis exercitaméta negligerẽt, proniores ad vitia inueniri. Vnde Magiſtri apud Iudæos in primis nobiles, vt Rabbi Iohanna ſutoriam artem, Rabbi Iuda piſtoriam didicerunt. Quin etiam inter noſtros, de Carolo Magno referunt Eginhardus & alij in Vita ipſius,

m *in lib. Cabala hiſtor. & in* 1. *lect. hebd.* 1. *azymorũ.*

ipſius, voluiſſe Regem hunc potentiſſimum filios ſuos aliquam artem mechanicam, filias verò lanificam, ſiue linificam addiſcere. Et vidi ego ipſe plura ſanè præclara opificia nobiliſſimorum virorum, quædam manu Ducali, quædam etiam manu Regia, ſolùm animi gratia, & ad otium vitandum valdè affabrè facta. Quòd ſi fines huic exercitationi addantur multò altiores, vt fiebat ab Apoſtolo, qui non ad fallendum tempus, aut propter vile lucrum operabatur; ſed ad corpus atterendum, & illud ſpiritui ſubdendum, ad eleemoſynas inde pauperibus erogandas, ad ædificationem multorum, multò minùs hinc obſcurari, quin potiùs maximè illuſtrari generis nobilitas à rerum non iniquis æſtimatoribus iudicari oporteret. Sed ita naturæ noſtræ vitio comparatum eſt, vulgóque nimis inoleuit hæc opinio, vt non credatur eſſe nobilitas, vbi deſunt opes, deliciæ, nitida & benè curata cutis; adſit verò, ſiue neceſſitate, ſiue infortunio & caſu, ſiue etiam virtute & conſilio inducta paupertas, obſoleta veſtis, macies corporis laboribus obdurati. Vnde refert in ſua Hiſtoria Euſebius n [n *Euſeb. l. 5. Hiſt. c. 15.*] ex Egeſippo de fratribus Domini, fuiſſe hos aliquando coram Domitiano Imperatore vocatos, eò quòd ex Regio Dauidico ſanguine prognati dicerentur, quos propterea omninò extinguere Tyrannus conſtituerat. Cùm autem eorum manus inſpexiſſet, partim callis obtritas, partim laceras labore mechanico, ab omni ſuſpicione rerum nouarum liberos illos ſine vlla moleſtia dimiſit. Atque huic vulgari hominum opinioni cedere quodammodo S. Chryſoſtomus ad populum verba faciens teſtatus fuit, deprimens in Paulo natalium & carnis nobilitatem, vt eam, quæ longè magis eminuit, animi, & ſpiritus, tantò altiùs extolleret. Quod quàm ſæpè, quàm ardenter, quàm eloquenter & ſapienter quauis occaſione præſtiterit, non vno in loco erit à nobis poſteà referendum.

CAPVT IV.

Qua ratione Paulus puer Tarſi à parentibus traditus ſit primis ſtudiis literarum, & quantùm in eis profecerit.

PAuli parentes quinam fuerint, magis ſingillatim exponere, aut probabili coniectura peruestigare non poſſumus, niſi quòd iam diximus, fuiſſe illos Tarſenſes non ignobiles, Romanæ ciuitatis iure ac priuilegiis aliquando donatos. Addunt nihilominùs Auctor Hiſtoriæ ſcholaſticæ a, Gloſſa b, & Dionyſius Carthuſianus c, Pauli patrem propter obſequia Romanis exhibita, & quia eorum Legatis in Ciliciam venientibus cum pace & coronis obuiam proceſſiſſet, ius & inſigne Romanæ ciuitatis, penulam, id eſt, veſtem, vt ipſi interpretantur, ſenatoriam ſibi, ſuíſque filiis ſingulari fauore eſſe conſecutum. At hæc vnde habeantur, & quanta fide ſint digna, minimè conſtat: ſicut etiam quòd alij quidam Pauli ſanguine propinquos faciunt Andronicum, Iuniam, Herodionem, Lucium, Iaſonem, & Soſipatrum: propterea fortaſſe quòd in extremo capite Epiſtolæ ad Romanos d, cognati ab Apoſtolo appellentur, & eo nomine ſalutem eis impertiat. Sed cùm idem Apoſtolus in eadem ad Romanos Epiſtola e, Iudæos omnes cognatos ſuos appellauerit, dicens: *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem, qui ſunt Iſraëlitæ.* non

[a *In Act. c. 105.*]
[b *Gloſſa in c. 4. 2. Timoth. v. 13.*]
[c *Carth. ibid.*]
[d *ad Rom. c. 16. v. 7. & 21.*]
[e *Rom. c. 9. v. 3.*]

plùs inde conuincitur, quàm nominatos omnes fuiſſe Iſraelitas; non verò ſanguine coniunctos: præſertim quia non erant hi Tarſenſes, vel ex Cilicia; ſed diuerſarum & longè diſtantium regionum, vt Cardinalis Baronius[f] obſeruauit. Illud certum habemus ex Luca in Actis Apoſtolicis[g], Paulum ſororem habuiſſe, &, vt magis eſt veriſimile, germanam, cuius filius illum liberauerit ab inſidiis, & coniuratione Iudæorum, ſicut ſuo loco poſteà narraturi ſumus. Sed de Pauli pueritia nunc agentes, cùm ipſe viuidi eſſet ingenij, præclaræque indolis, & honeſtis parentibus natus, ciuitas quoque Tarſis, in qua educabatur, propter ſtudia bonarum diſciplinarum celeberrima non minùs, imò ſi Straboni[h] credimus, adhuc magis quàm eſſent Athenæ, ad ſcholas opportunè miſſus, iis primùm ſtudiis traditus fuit, quibus illa ætas informari ſolet. Florebant autem potiſſimùm in ea ciuitate Græca ſtudia humaniorum literarum, & naturalis Philoſophiæ, quod teſtatur Strabo, ſic ſcribens[i]: *Tantum Tarſenſes ſtudium inceſſit Philoſophiæ, & diſciplinarum, quas encyclicas vocant, vt ſuperauerint Athenas, & Alexandriam, & ſi quis alius locus nominari poteſt, vbi Philoſophorum & artium ad humanitatem pertinentium ſcholæ haberentur. Maxime autem vrbs Roma dicere poteſt, quàm multos Tarſus protulerit literatos, cùm ſit Tarſenſium & Alexandrinorum plena.* Addítque hic Auctor plures ſe huiuſmodi literatorum benè nouiſſe.

f *Baron. an.* 58.
g *Act. c.* 23. *v.* 16.
h *Strabo lib.* 14. *Geogr.*
i *Strabo ibid.*

Quantùm porrò in ſchola Græcæ eloquentiæ Paulus profecerit, res eſt hoc loco digna conſideratione: & ſi, quid ipſe hac de re indicet, aliique, tum Græci, tum Latini Patres tradiderũt, expendantur, non parum controuerſa. Nam in ſecunda Epiſtola, quam ſcripſit Apoſtolus ad Corint.[k] ſe imperitum ſermone fuiſſe, non autem ſcientia profitetur, dicens: *Nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia.* Græcè idiotam ſermone ſe dixit, hoc eſt, rudi atque plebeio vtentem genere loquendi. Facilè autem poſſet aliquis arbitrari, ex Chriſtiana modeſtia, & quadam animi ſubmiſſione commendationem ſui refugientis id eſſe dictum; niſi, quod maioris commendationis eſſe videbatur, ſtatim addidiſſet, dicens: *Sed non ſcientia.* Præterea exiſtimare aliquis poſſet, elegantiam ſermonis, orationis pigmenta, vim & copiam humanæ eloquentiæ non tam illi defuiſſe, quàm ab ipſo ſpretam, & altiori conſilio eminentioris ſcientiæ Chriſti adhibitam non fuiſſe. Id enim aliquando ad eoſdem Corinthios ſcribens non obſcurè illis verbis ſignificauit, dicẽs[l]: *Et ego, cùm veniſſem ad vos, Fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti. Non enim iudicaui, me ſcire aliquid inter vos, niſi* IESVM *Chriſtum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos; & ſermo meus, prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis: vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.*

Huic tamen ſic explicatæ ſententiæ videtur aliquoties S. Hieronymus[m] aduerſari, ſiquidem in epiſtola ad Algaſiam, ſoluens quandam de Apoſtolica elocutione quæſtionem: *Illud*, inquit, *quod crebrò diximus: Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia. nequaquam Paulum de humilitate, ſed de veritate dixiſſe etiam nunc approbamus. Profundos enim & reconditos ſenſus lingua non explicat: & cùm ipſe ſen-* *tiat,*

k 2. *Cor. c.* 11. *v.* 6.
l 1. *Cor. c.* 2. *v.* 1.
m *S. Hieron. epiſt.* 151. *qu.* 10.

tias, quid loquatur in alienas aures, puro non poteſt transferre ſermone. Quem cùm in vernacula lingua habeat diſertiſſimum, quippe Hebræus ex Hebræis, & eruditus ad pedes Gamalielis, viri in lege doctiſſimi, ſeipſum interpretari cupiens, inuoluitur. Si autem in Græca lingua hoc ei accidit, quam nutritus in Tarſo Ciliciæ à parua ætate imbiberat, quid de Latinis dicendum eſt, qui verbum verbo exprimere conantes, obſcuriores faciunt eius ſententias, & veluti herbis creſcentibus frugum ſtrãgulant vbertatem? Subdit inferiùs pro exemplo quaſdam difficiliores Pauli locutiones propter Tarſenſes Græciſmos, quibus exprimebantur, atque ita concludit: *Nec hoc miremur in Apoſtolo, ſi vtatur eius linguæ conſuetudine, in qua natus eſt, & nutritus, cùm Virgilius alter Homerus apud nos, patriæ ſuæ ſequens conſuetudinem, ſceleratum frigus appellet.* Hæc S. Hieronymus [n], qui de ſimili quæſtione ad Hedibiam ſcribens, ſic habet: *Aliquoties diximus, Apoſtolum Paulum virum fuiſſe doctiſſimum, & eruditum ad pedes Gamalielis, qui in Apoſtolorum Actis concionatur, & dicit* [o]: *Et nunc quid habetis cum hominibus iſtis? ſi enim à Deo eſt conſilium hoc, ſtabit; ſi ex hominibus, deſtruetur: cúmque haberet ſcientiam ſanctarum Scripturarum, & ſermonis, diuerſarúmque linguarum gratiam poſſideret; vnde ipſe gloriatur in Domino, & dicit* [p]: *Gratias ago Deo, quòd omnium veſtrûm linguis magis loquor. diuinorum ſenſuum maieſtatem digno non poterat Græci eloquij explicare ſermone. Habebat ergo Titum interpretem, ſicut & B. Petrus Marcum, cuius Euangelium, Petro narrante, & illo ſcribente, compoſitum eſt.*

n Hier. ep. 150. ad Hed. q. 11.

o Act. c. 5. v. 34.

p 1. Cor. c. 14. v. 18.

Sed adhuc magis mirabitur aliquis in hoc Doctore, quòd ſcribẽs Cõmẽtaria in Epiſtolam ad Epheſios, quaſdam illius Epiſtolæ difficiliores locutiones non tam figuratas ait videri poſſe, quàm in arte Grammatica vitioſas, & ſolœcizantes [q]. Quamuis ſubdat: *Si verò quis poteſt, etiam iuxta ſermonis & eloquij contextum, docere, Apoſtolum fuiſſe perfectum, & in arte Grammatica vitia non incurriſſe; ille potiùs auſcultandus eſt. Nos quotieſcunque ſolœciſmos, aut ſale quid adnotamus, non Apoſtolum pulſamus, vt maleuoli criminantur: ſed magis Apoſtoli aſſertores ſumus, quòd Hebræus ex Hebræis, abſque rhetorici nitore ſermonis, & verborum compoſitione, & eloquij venuſtate nunquam ad fidem Chriſti totum mundum traducere valuiſſet, niſi euangelizaſſet eum, non in ſapientia verbi, ſed in virtute Dei.* In eodem quoque ſenſu S. Ioannes Chryſoſtomus, quãuis in laudes Pauli, ſi quis alius, effuſiſſimus; tamen ad extollendam magis eius cæleſtem ſapientiam, & infuſam diuinitùs ſupernaturalẽ ſcientiam, adeò interdum deprimit naturalem, & humano ſtudio acquiſitam, vt eam vix in Apoſtolo agnoſcere videatur [r]: ſic enim loquitur de S. Paulo in homilia quarta ſecundæ Epiſtolæ ad Timotheum: *Erat ille homo Cilix, coriarius, inops, imperitus externæ diſciplinæ: Hebræam tantùm nouerat linguam, quæ cæteris gentibus, ſed Romanis maximè contemptui erat.* Et in alia homilia [ſ] reprehendit quendã Chriſtianum, quòd ridiculè, vt ipſe ait, hac de re cum Ethnico diſputaret, contendente Chriſtiano, Paulum fuiſſe Platone eloquentiorem; Ethnico verò dicente, Paulum fuiſſe rudem & imperitum, quod ait Chryſoſtomus, vltrò illi concedi debuiſſe, vt glorioſior appareret victoria Apoſtolorum de Platonica & ſimili mundana ſapientia. Rem totam præclarè S. Chryſoſtomus exponit his verbis: *Chriſtianum quendam item audiui aduersùs Ethnicum ridiculè diſputantem,*

q S. Hieron. l. 2. in cap. 3. Ep. ad Epheſ.

r Chryſ. hom. 4. in 2. Tim.

ſ Chryſ. hom. 3. in 1. Cor.

tantem, cùm ambo in certamine inuicem ſua ſoluerent argumenta: ſiquidem, quæ oportebat Chriſtianum dicere, ea Gentilis afferebat; & quæ Gentilis partes erant, eas Chriſtianus adducebat in medium. De Paulo enim & Platone inquirebant. In qua diſputatione Gentilis conabatur oſtendere, Paulum & rudem & indoctum fuiſſe: Chriſtianus vero temerè contrà confirmare annitebatur, Platone Paulum fuiſſe eloquentiorem: hoc pacto Gentilis victor euaſit, cùm ita iudicaretur. Nam, ſi Platone diſertior Paulus fuiſſet, multi non immeritò aſſerere potuiſſent, non gratia viciſſe Paulum, ſed facundia. Quamobrem Gentilis cauſam tuebatur Chriſtiani; Chriſtianus verò Gentilis: nam, ſi Paulus ineruditus fuit, vicit verò Platonem, profectò, vt dicimus, clariſſima eius victoria fuit, qui indoctus illius diſcipulos alliciens in ſe, & ad ſe omnes conuertit. Ex quo ſatis conſtat, non in ſapientia humana prædicationem factam eſſe, ſed in diuina gratia. Vt igitur hæc nobis non eueniant, neque huiuſmodi contra Gentiles diſceptationibus irrideamur, cùm in id certamen venerimus, Apoſtolos vt indoctos accuſemus: hoc eis & laudi erit & ornamento. Hactenus Chryſoſtomus.

Quæ quidem in genere dicta de Apoſtolis, vtcunque ſint vera, certè in Paulo, ipſis quoque Chryſoſtomo & Hieronymo valdè aſſentientibus, aliquam admittere debent exceptionem. Primum, quia refert S. Lucas t in Actis Apoſtolicis, Paulum in Lycaonia concionantem aliquando, voce populi gentilis proclamatum eſſe quaſi alterum Mercurium, qui Deus eloquentiæ ab ipſis habebatur: *Et vocabant* (inquit S. Lucas) *Paulum Mercurium: quoniam ipſe erat dux verbi.* Quod ſanè haberi poteſt pro aliquo argumēto eius in dicendo efficaciæ, ac virtutis; non autem ruditatis & imperitiæ. Deinde, quia verba illa Apoſtoli de ſe ad Corinth. ſcripta u: *Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia.* S. Auguſtinus in libro quarto de doctrina Chriſtiana x, exponit non ex ſua, ſed ex obtrectatorum ſententia eſſe dicta. *Videtur*, inquit S. Auguſtinus, *vbi Paulus Apoſtolus ait: Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia. quaſi concedendo obtrectatoribus ſic locutus, non tanquam id verum agnoſceret confitendum.* Et multis ibi oſtendit, hunc Apoſtolum fuiſſe eloquentiſſimum; ea tamen eloquentia, quæ non quaſi domina præiret ſapientiam, ſed tanquam famula fidelis, quæ etiam non vocata ſapientiam ſequeretur. Præterea, quia etiam illimetipſi obtrectatores Apoſtoli, quod ibidem notauit S. Auguſtinus, qui eius ſermonem imperitum, & præſentiam infirmam eſſe dicebant; eius tamen Epiſtolas graues & fortes eſſe confitebantur: ſic enim legimus in ſecunda Epiſtola ad Corinthios y: *Quoniam quidem, inquiunt, epiſtolæ graues ſunt, & fortes; præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis.* Denique, quia ſi vnam excipias ad Hebræos Epiſtolam, quam multi cenſent Hebraïcè ſcriptam, omnes alias Græco ſtylo ipſe exarauit, tanta dicendī copia, tali flumine orationis, ea ſententiarum maieſtate, & ſublimitate myſteriorum, vt præclara quæque, non tātùm noſtræ, ſed etiam alienæ religionis ingenia intenta illarum lectioni exercuerint & exerceant, atque in magnam admirationem inducant. S. Hieronymum, qui pro contraria videtur aliquādo fuiſſe opinione, audiamus z: *Paulum Apoſtolū proferam, quē quotieſcunque lego, videor mihi non verba, ſed audire tonitrua. Legite Epiſtolas eius, ſed maximè ad Romanos, ad Galatas, ad Epheſios, in quibus totus in certamine poſitus eſt; & videbitis*

t *Act. c. 14. v. 11.*

u 2. Cor. c. 11. v. 6.

x S. *Aug. l. 4. doct. Chriſt. c. 7.*

y 2. *Cor. c. 10. v. 10.*

z S. *Hier. ep. 50. ad Pamm. & ep. 61. ad eund.*

videbitis eum in teſtimoniis, quæ ſumit de veteri Teſtamento, quàm artifex, quàm prudens, quam diſſimulator ſit eius, quod agit: videntur quidem verba ſimplicia, & quaſi innocentis hominis & ruſticani, & qui nec facere, nec declinare noverit inſidias: ſed quocunque reſpexeris, fulmina ſunt. Et in alia ad eundem Pammachium epiſtola: *Vbi,* inquit, *electionis Vas, tuba Euangelij, rugitus leonis noſtri, tonitrus Gentium, flumen eloquentiæ Chriſtianæ? qui myſterium retrò generationibus ignoratū, & profundum diuitiarū ſapientiæ & ſcientiæ Dei magis miratur, quàm loquitur.*

a Feuardent. in 1. Petri Ep. c. 5. v. 12.

Quod verò aliqui [a] opinati ſunt, raro, tum Paulum, tum alios Apoſtolos propria manu Epiſtolas ſcripſiſſe; ſed ferè ſemper aliis excipientibus dictaſſe, tum nomen proprium ſubſcripſiſſe; verum eſſe non poteſt, cùm ſæpiùs ipſe Apoſtolus Paulus, quaſi ad hanc ſuſpicionem remouendam, id ſe feciſſe atteſtetur. Itaque in Epiſtola ad Philemonem ſic habet [b]: *Ego Paulus ſcripſi mea manu.* Et ad Galatas [c]: *Videte, quibus literis ſcripſi vobis mea manu.* Et ad Corinthios [d]: *Salutatio mea manu Pauli.* Et iterum ad Theſſalonicenſes [e]: *Salutatio mea manu Pauli, quod eſt ſignum in omni epiſtola, ita ſcribo.* Nec refert, quòd in fine Epiſtolæ ad Romanos [f], poſt varias ſalutationes de amanuenſe ſic habeatur: *Saluto ego vos Tertius, qui ſcripſi epiſtolā.* quamuis enim Tertius ſit nomen proprium ſcribæ illius Epiſtolæ, qui erat Pauli Apoſtoli diſcipulus, & poſteà Epiſcopus & Martyr Iconij in Lycaonia, eúmque aliqui non Tertium, ſed Terrentium vocant [h]; tamen fieri benè potuit, vt Epiſtola priùs fuerit ab Apoſtolo ſcripta, & inde ab alio deſcripta: quippe canonicam ſcripturam ſe condere Apoſtolus minimè ignorabat, eámque profundiſſimis ſenſibus refertiſſimam, ac proinde non alieno ſtylo facilè committendam, niſi ad deſcribendum, aut certè ipſo dictante ſingula verba erant excipienda. Verùm id potiùs maiorem arguit ſtyli exercitationem, & Græcæ linguæ peritiam. Meritò itaque in hanc ſententiam ſic ſcripſit Euſebius [i]: *Paulus, qui inter cæteros Apoſtolos eruditior etiam in verbis videtur, & in ſenſibus præpotens, non ampliùs quàm paruulum ſuarum Epiſtolarum corpus reliquit, quod vtique immenſa continet intra ſe, atque innumera ſacramenta.*

b ad Philemon v. 19.
c ad Galat. c. vlt. v. 11.
d 1. Cor. c. vlt. v. 12.
e 2. Theſſ. c. vlt. v. 17.
f Rom. c. vlt. v. 22.
g Mart. 22. Iun.
h Theodul. Presbyter apud Xiſt. Sen. l. 2. Bibl. in Tertium.
i Euſeb. l. 3 hiſt. c. 24.

His itaque pro vtraque parte ſic examinatis atque perpēſis circa eruditionem Pauli, & profectum eius in ſcholis humanioribus Græcæ eloquentiæ, ita videtur pro veritate ſtatuendum: à puero Græcas literas Tarſi eum didiciſſe, nec ſolùm artis Grammaticæ regulis, verùm etiam præceptis politioris orationis, & eloquentiæ, atque adeò poëſeos fuiſſe imbutum: ſiquidem plura in ſuis Epiſtolis inducit teſtimonia Græcorum Poëtarum, Epimenidis, Arati, Menandri, ſiue Callimaci, quos non niſi in adoleſcentia lectitaſſe magis eſt veriſimile: tum, quia Ieroſolymam adhuc adoleſcens ſe contulit ad ſtudia grauiora, vt poſteà ſumus enarraturi: tum, quia, teſte Ioſepho in libris de Iudaïca Antiquitate [l], hæc ſtudia Græcanica, & linguarum peregrinarum Ieroſolymis a Iudæis eo tempore deſpiciebantur, & tanquam profana habebantur. Multoque minùs apparet veroſimile, poſt ſuam ad Chriſti fidem conuerſionem Apoſtolum, etiamſi otio abundaſſet, quod erat ei prorſus nullum, conterere tempus voluiſſe in libris gentilium Poëtarum, potiùs quàm in lectione ſacrorum Auctorum, & diuinarum Scripturarum. Neque verò ſolet Spi-

l Ioſeph. l. 20. Ant. c. vlt.

ritus ſanctus humaniorum literarum infundere diſciplinas, ſicut diuinas ſcientias, & myſteriorum fidei ſubliniiorem ſapientiam infudit copioſiſſime, quibus vtpote ſupra humanum captum vehementer intentus, de cultura dictionis parum fuit ſollicitus, neque conuenire ſibi exiſtimauit eſſe admodum elegantis ac perpoliti ſermonis ſtudioſum: ne, ſicut olim à Platone Demoſthenes, accuſari poſſet, tanquam λογοδαίδαλος, & θηρολέξης, hoc eſt, præclarus artifex dictionum, & venator vocabulorum. Atque hanc addit rationem S. Irenæus [n], cur ſæpè hyperbatis vtatur Apoſtolus, id eſt, ſenſibus conuolutis & perturbatis: *Nā hyperbatis*, inquit, *frequenter vtitur propter velocitatem ſermonum ſuorū, & impetum Spiritus, qui in ipſo eſt.* Eaſdémque ob cauſas congerit ſæpè dictiones, agglomerat ſententias, & primas quaſi imperfectas relinquens, aliò abreptus digreditur, multa interloquitur, & ad primas tandem, ſuúmque inſtitutum reuertitur. Abundat Hebraïſmis, ſchemata ſæpiùs interſerit, vt metonymiam, enallagen, ellipſim, emphaſim, apoſtrophen, epiphonemata, reticentias, aliáſque huius generis figuratas quidem locutiones, non tamen ſolœcizātes, vt exemplis optimorum Oratorum, & Poëtarum, quibus talia pro figuris computantur, eruditi Interpretes oſtenderunt; id, quod optare S. Hieronymus [o] à nobis anteà relatus videbatur. Imò Laurentius Valla [p] profeſſione Grammaticus, & in tali arte inſignis, quarto libro ſuarum elegantiarum aſſeruit, Apoſtolum nulla alia re tam eminere in ſuis Epiſtolis, quàm eloquentia. In quo tamen Valla fuit valdè deceptus, quippe qui tantum externa orationis ornamenta conſiderauit, & noluerit admirari; cùm alia quamplurima adeò ſine comparatione maiora ibi inueniantur, & ſic emineant, vt ſancti Patres, & præſertim Chryſoſtomus, vt ſuprà referebamus, nec inter laudes quidem Apoſtoli computandam dictionis elegantiam exiſtimauerint. Quamuis ſpectata non tam eloquentia verborum, quàm ſententiarum ſapientia, dicat idem Chryſoſtomus [q], in Paulo non deſiderari, neque Iſocratis terſum læuorem, neque Demoſthenis amplam ſublimitatem, neque Thucydidis verecundam maieſtatem, neque Platonis excellentem dignitatem. Et S. Auguſtinus [r] multis hac de re diſputans libro quarto de doctrina Chriſtiana, & oſtendens minimè omnium decere ſacros Auctores fucatam orationem, & picturatam, ita concludit: *Sicut ergo Apoſtolū præcepta eloquentiæ ſecutum fuiſſe non dicimus; ita quòd eius ſapientiam ſecuta ſit eloquentia, non negamus.* Idque tantò veriùs & conuenientiùs de Scriptoribus ſacrorum librorum eſt intelligendum, quantò etiam in aliis grauibus materiis ab ipſis quoque Ethnicis bonæ Latinitatis Auctoribus ſcimus commendatum, vt iuxta Horatianum illud [ſ]: *non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem Cogitet, & ſpecioſa dehinc miracula promat.* Sed de Pauli ſtudiis humanioribus & Græca literatura ſatis.

n S. Iren. l. 3. c. 7.
o S. Hier. l. 2. in Ep. ad Eph. c. 5.
p Laur. Valla l. 4. eleg. in proœm.
q Chryſ. hom. 4. de ſacerdotio.
r S. Aug. l. 4. de doct. Chriſt. c. 7.
ſ Horat. de arte Poët.

CAPVT V.

De profectione Pauli adoleſcentis à patria Ieroſolymam, ad ſtudia altiora; & quantùm in eis profecerit.

QVando primùm relicta Paulus Tarſenſi ciuitate, natalíque ſolo Ieroſolymam ad grauiora ſtudia profectus

profectus ſit, ſub quo Magiſtro, cum quibus condiſcipulis, & quaſi ſucceſſu ſtudiorum in ea vrbe vacauerit altioribus diſciplinis, hoc loco erit exponendum. Et primùm eam fuiſſe Tarſenſium conſuetudinem à Strabone[a] didicimus, vt vbi ſtudioſi adoleſcentes in patria ſchola liberalioris doctrinæ fundamenta ieciſſent, quò magis perficerentur, ad exteras Vniuerſitates proficiſcerentur. Itaque S. Hieronymus in libro de Viris illuſtribus refert, Paulum adoleſcentem fuiſſe a ſuis parentibus Tarſo miſſum Ieroſolymam ob ſtudia diuinæ legis, vt à Gamaliele, viro in ea lege doctiſſimo, erudiretur. Idque narrante S. Luca[b] in Actis Apoſtolicis, ipſemet Paulus de ſe aliquando teſtatus eſt, dicens: *Ego ſum vir Iudæus natus in Tarſo Ciliciæ: nutritus autem in iſta ciuitate*, nempe, Ieruſalem, *ſecus pedes Gamaliel, eruditus iuxta veritatẽ paternæ legis*. Et quamuis quo ætatis ſuæ anno patriam reliquerit, & venerit Ieroſolymam, certò affirmare non poſſimus; tamen id factum inter pueritiam eius, & adoleſcentiam, ſuadet quintuplex coniectura. Primùm quidem ex eo, quòd ait nutritum ſe in ea ciuitate, nempe, iuxta vim Græcæ locutionis, ἀνατεθραμμένος, educatus Ieroſolymis adoleuit, ſeu excreuit. Deinde, quia dicitur ibidem eruditus, πεπαιδευμένος, quæ vox propriè puerilem ſignificat inſtitutionem, vnde & pædagogi puerorum magiſtri appellantur. Tertiò additur: *Secus pedes Gamalielis*. quod fuiſſe iuniorum, docuit Philo[c] Iudæus. Magiſter enim ex cathedra, ſiue loco ſuperiori, ſuam exponebat lectionem, audientibus diſcipulis in loco humili atque demiſſo; & qui minoris eſſent ætatis, adhuc magis inferiori. Quartò, nam apud Regem Agrippam aliquando accuſatus, reddens Paulus ſuæ prioris vitæ rationem, ſic ait[d]: *Vitam meam à iuuentute, quæ ab initio fuit in gente mea in Ieroſolymis, nouerunt omnes Iudæi*. Illud autem, *à iuuentute*, Græcè, ἐκ νεότητος, Syrus Interpres vertit, *à pueritia*. Quintam addere poſſumus coniecturam: quia poſt aliquot annos ab eius aduentu Ieroſolymam, & longa commoratione in ea ciuitate, martyrium ſucceſſerat S. Stephani, cui ipſe interfuit, vt ſuo loco infrà referetur. At fuiſſe tunc eum adoleſcentem teſtatur in Actis Apoſtolicis S. Lucas, dicens[d], eos qui Stephanum lapidabant, depoſuiſſe veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus. Multò igitur adoleſcentiorem illum eſſe oportuit, nec ætate ſupra pueritiam valdè maiorem, cùm primùm ad ſtudia legis ſe contulit Ieroſolymam.

a *Strabo lib. 14. Geogr.*

b *Act. c. 22. v. 3.*

c *Philo l. quòd omnis probus ſit liber.*

d *Act. c. 26. v. 4.*

d *Act. c. 7. v. 57.*

Atque hinc veriſimiliora eſſe intelliguntur, quæ anteà de egregia Pauli indole, & non obſcuris eius natalibus dicebamus. Neque enim puer abiectæ conditionis, ac infimæ ſortis, quíque nullius, vel perexigui eſſet patrimonij, in tenera ætate, à ſua tam remota patria miſſus fuiſſet à parentibus in primariam Iudæorum ciuitatem, non ad mercaturam, ſed ad ſtudia celeberrima diuinæ legis, & ſacrarum Scripturarum; niſi & progreſſus in ſtudiis minoribus iam in patria facti, & ſpes magis proficiendi in maioribus, & ardor diſcendi, & facultas ingenij non mediocris, ac denique aliqua copia fortunarum parentes adoleſcentis ad tale ſuſcipiendum de illo conſiliũ permouiſſent. Quapropter expendens S. Ioannes Chryſoſtomus[e] illud Pauli de ſe redditum teſtimonium, quòd, videlicet, Ieroſolymis fuiſſet educatus, & eruditus ad pedes inſignis Doctoris Gamalielis, ſic ait:

e *Chryſ. hom. 47. in Act.*

Sed dicet fortaſſe aliquis: Nihil ad rem facit, quòd ibi educatus eſt: quid enim, ſi ob negotiationem, vel ob aliam cauſam quandam ibi verſatus eſt? Vt igitur ne tale quid putetur, addidit, apud pedes Gamalielis: & non ſimpliciter dixit ad Gamalielem, ſed apud pedes; conſtantiam, ſedulitatem, ſtudium in audiendo, & reuerentiam erga virum monſtrans. Quis autem fuerit hic Gamaliel, qualis legis Doctor, & quanti nominis, hîc exponere debemus.

In primis verò pro fabula Rabbinorũ haberi debet conficta in odium Chriſtianorum, quę narratur à Thalmudiſtis f, hunc Gamalielem ſemper à doctrina Chriſti abhorruiſſe, & illam benedictionem, hoc eſt, maledictionem, ſiue execrationem compoſuiſſe, cum aliis duodeviginti conſimilibus, quibus Iudæi nobis ſub Nazaræorum, vel Hæreticorum nomine (ſic nos Chriſtianos appellant) feſtis diebus ter mala imprecantur: perueniſſeque vſque ad tempus excidij Ieroſolymitani, atque in Iudaiſmo conſenuiſſe, cùm vita ei condonata fuiſſet à Tito Imperatore, intercedente Rabbino Ionathan Benzachaï. Veruntamen hæc omnia commenticia ſunt, & planè conficta, aut ſi aliquo modo vera, non de noſtro Gamaliele, ſed de alio fortè eiuſdem nominis ſunt intelligenda: certum eſt enim, narrante S. Luca in Actis Apoſtolicis g, hunc illum eſſe Gamalielem magnum legis Doctorem, vniuerſæ plebi, ſicut ibi dicitur, honorabilem, qui longa oratione in Concilio Iudæorum defenſionem & patrocinium ſuſcepit Apoſtolorum, dum Princeps Sacerdotum & Magiſtratus de illis interficiendis magno furore tractaret. Ex quo benè arguit S. Ioannes Chryſoſtomus h, non potuiſſe hunc Gamalielem à fide Chriſti eſſe alienum. Imò Clemens Romanus i aſſeruit, Chriſtianum iam illum fuiſſe, & ſocium Apoſtolorum; ſed eorum conſilio ſic occultum aliquandiu permanſiſſe inter ſeniores Iudæorum, vt ea ratione commodiùs naſcenti Eccleſiæ prouideret. Quod etiam S. Sebaſtianum legimus aliquandiu feciſſe, eáque ratione multos ex infidelibus idololatris ad veri Dei cultum, & Chriſti fidem faciliùs perduxiſſe. Et quamuis illi Clementis libri Recognitionum apocryphi ab aliquibus cenſeantur, propter aliqua fortaſſis ab infidelibus inſerta; in multis tamen ſunt fide digni, atque in hoc præcipuè: quod etiam Venerabilis Beda in ſuis ſuper Acta Commentariis approbauit his verbis k: *Hic Gamaliel, vt Clemens indicat, Apoſtolorum erat in fide ſocius; ſed eorum conſilio permanens apud Iudæos, vt illorum in tali turbine poſſet ſedare furorem.* Extat prętereà eiuſdem Gamalielis epiſtola apud Gennadium l, auctoritate veterum cõmendata, in qua de ſe Gamaliel refert, Chriſti ſtudio & amore ſe Protomartyrem Stephanum à Iudęis lapidatum in ſua villa humaſſe, ſanctóque Nicodemo Ieroſolyma expulſo victum & hoſpitiũ præbuiſſe.

Sed, quod omnem adimit falſitatis hac de re ſuſpicionem, eſt liber Luciani Presbyteri, quem de S. Protomartyris Stephani corporis inuentione Græca lingua deſcripſit, rogante Auito Presbytero Hiſpano, & ab hoc ſtatim in Latinum conuerſus eſt, viuente adhuc S. Auguſtino, qui propterea huius celeberrimæ hiſtoriæ non ſemel facit mentionem. Sic enim diuina prouidentia rectè diſpoſuit, vt, quemadmodum Gamaliel curauerat corpus S. Stephani honorificè ſepeliri; ſic poſt eius mortem corpus ipſius Gamalielis cum S. Stephani corpore conſepultum, & multis

f *Thalm. c. Thephiloth.*

g *Act. c. 15. v. 34*

h *Chryſ. hom. 14. in Act.*

i *Clem. lib. 1. Recogn. c. 9. & 15.*

k *Beda in c. 5. Act.*

l *Genn. l. de Viris illuſtr. c. 46. & 47.*

tis

ai Clem. lib. 1. Recogn. c. 9. & 1…

tis illuſtratum miraculis inueniretur, ſicut omnia Martyrologia teſtantur, vbi de inuentione corporis S. Stephani ad diem tertiam menſis Auguſti meminerunt. Hiſtoriæ ſumma ſic habet, Luciano fideliſſimè omnia referente, cui reuelatio facta eſt tempore Theodoſij Imperatoris, circa annum Domini quadringenteſimum decimumquintum. Dormienti Luciano Presbytero prope ſuam Eccleſiam, noctu apparuit Gamaliel in ſpecie ſenis valdè venerabilis, habitu indutus ſacerdotali, ſtola candida, pallio gemmis ornato admodum pretioſis auro inſertis, & intrinſecùs ſignum Crucis referentibus. Auream virgam geſtabat manibus, qua dextram Presbyteri percutiens, dormientem excitauit, eúmque ter proprio nomine compellans Græca lingua illi dixit, vt Epiſcopum adiret, eíque ſuo nomine ſignificaret, quamprimùm iret ad villam Caphargamalem, quæ interpretatur, Villa Gamalielis, viginti milliaribus à ciuitate Ieruſalem diſtantem, ibi in vetuſto monumento quæreret ſacra corpora transferenda in locum honeſtiorem. Roganti autem Luciano, quiſnam eſſet, & quæ illa ſacra corpora, reſpondit ſenex, ſe eſſe Gamalielem, qui Paulum Apoſtolum Chriſti nutriuerat, & legem docuerat Ieroſolymis: corpus verò, & reliquias in arca poſitas ad partem orientalem eſſe Protomartyris Chriſti S. Stephani, quas ipſe curauerat ſuo vehiculo tranſportatas noctu poſt illam diem, in qua fuerat Martyr lapidatus, ad prædictam villam, recondi in monumento ſuo nouo. In arca verò ſecunda eſſe corpus Nicodemi, viri Principis inter Iudæos, qui aliquãdo fuerat occultus Chriſti diſcipulus; poſteà verò quàm innotuit, à Iudæis afflictus, & Ieroſolyma expulſus, in ea villa ſuſtentabatur à Gamaliele, ibique moriens eſt ſepultus. Tertiam arcam continere corpus Abibonis, ſeu Abibæ filij ſui, cum quo ipſe Gamaliel Baptiſmum Chriſti ſuſceperat, atque in eadem arca ſuum ſimul corpus fuiſſe reconditum. Hæc audiens Presbyter Lucianus, nec ſatis adhuc viſioni credens, per hebdomadam dubius expectauit ieiunans, & Deum orans, ne circa rem tantam deciperetur. Octauo die iterum eadem viſione vrgebatur, vt Epiſcopum adiret: nec plenam adhuc viſioni præſtitit fidem; ſed iterum per hebdomadam rem Deo cõmendans, expectauit, donec valdè perterritus, & acriter ab eodem ſene reprehenſus, omnia Ieroſolymorum Epiſcopo, S. Ioanni, exponere compulſus fuit. Tunc Ieroſolymitanus cum aliis quibuſdam Epiſcopis, & magno populi comitatu venit ad locum; apertóque monumento, & arcis reſeratis magnus terræmotus eſt factus, & tanta odoris fragrantia, taliſque ſuauitas inde proueniens afflauit vniuerſos, vt infirmi ſeptuagintatres variis lãguoribus afflicti, qui eò conuenerant, integræ ſanitati repentè fuerint reſtituti, & Dæmones ab aliquot energumenis ſtatim expulſi, ipſomet Luciano, qui hæc retulit, ſpectante cum Epiſcopis, & populo vniuerſo.

Beda … 5.

Quando autem primùm Gamaliel, infideli Synagoga relicta, Eccleſiæ fidelium ſit adſcriptus; & an eo tempore, quo Paulus adoleſcens illius ſe tradidit diſciplinæ, ſectaretur adhuc praua dogmata Iudæorum, Meſſiam iam natum agnoſcere nolentium; affirmare ſatis certò nõ poſſumus. Cùm enim nondum Chriſtus Dominus promulgare ſuum Euangelium incepiſſet, nec aliquid de ſua doctrina, diſcipulis ad ſe nondum conuocatis expoſuiſſet, id enim non

ante annum ætatis ſuæ trigeſimum facere exorſus eſt, quo tempore Paulus iam adoleſcentia peracta propè ad annum trigeſimum, vno, vel altero minùs, acceſſerat; difficile creditu videtur, in ea Synagoga, in qua tam alienus à Chriſto Paulus erudiebatur, Magiſtrum fuiſſe doctrina & corde Chriſtianum. Ex altera tamen parte haberi pro certo debet, veram Dei Eccleſiam nunquam defeciſſe: & quamuis ante promulgatum Euangelium, & cùm nondum Chriſtus Dominus prædicare incepiſſet, Eccleſia fidelium ad paucos redacta inueniretur; in aliquibus tamen familiis conſiſtebat, vt parentum S. Ioannis Baptiſtæ, & iuſtorum Annæ ac Simeonis. Nec deſunt qui affirmēt [n], hunc Gamalielem illius ſancti Simeonis filium, vel diſcipulum, qui Chriſtum Dominum in vlnis acceptum moriturus prophetica voce ſalutauit. Si ergo res ita ſe habear, non leuis poterit hinc ſumi coniectura, Gamalielem ab ineunte ætate in illa ſancta familia, vera fide ac pietate fuiſſe imbutum; quamuis non niſi poſt aliquot annos inſtituto à Chriſto Baptiſmi Sacramento, illud cum filio ſuo Abiba, vel, vt alij vocant, Abibone, ſuſceperit. Nihil tamē hac de re, vbi firmioribus vti non poſſumus coniecturis, definiendo ſolùm ponimus maximè veriſimile, inter omnes illius temporis Magiſtros, qui præerant Synagogis Iudæorum, Gamalielem fuiſſe ſanctorum Prophetarum, diuinæ Scripturæ, ac veteris legis peritiſſimū, ſicut ex Actis Apoſtolicis, vbi non ſemel de ipſo habetur perhonorifica mentio, facile eſt intelligere, ac proinde ad veritates noui Teſtamenti, & doctrinam euangelicam excipiendam optimè diſpoſitum.

n *Rabbi Abrahā in Catala hiſt. Nic. Seuar. in Paulo, §. 10.*

Erant autem vltimis temporibus, ſicut Hebræorum tradūt Hiſtoriæ [o], Ieroſolymis Synagogæ quadringentæ & octuaginta, ſuis omnes inſtructæ cathedris & ſubſelliis, vbi Moyſes & Prophetæ à Scribis & Phariſæis explicabantur. Vnde dicebat in Euangelio Chriſtus Dominus [p]: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.* Fuiſſe verò Gamalielem Phariſæum, legimus in Actis Apoſtolicis [q], vbi ſic dicitur: *Surgens autem quidam in Concilio Phariſæus, nomine Gamaliel, legis Doctor honorabilis vniuerſæ plebi.* In hac igitur celebri Synagoga, ſub tanto legis Doctore, condiſcipulos inſignes ſortitus eſt Paulus, Stephanum poſteà Diaconum, & Protomartyrem, Barnabam ſibi præ cæteris charum, & familiarem, quem deinde habuit in Euangelio Chriſti prædicando ſocium fidelem, & multarum comitem peregrinationum: filios prætereà ipſius Gamalielis, Simeonem iuniorem, quem poſteà Rabbini magnum Sanctum vocarunt, Doctorémque illius ætatis facilè principem; & Abibam, quem diximus cum ſuo parente baptizatum; & ætatis ſuæ anno vigeſimo, cùm diem ſuum extremum obiiſſet, in eodem conditus eſt ſepulcro cum parente. Denique habuit etiam inter condiſcipulos Semdemium, Gamalielis primogenitum, qui, ſicut ipſe Gamaliel teſtatus eſt, in ea, de qua diximus, probatæ fidei reuelatione Luciano factæ, quoniam Chriſti cultum & religionem obſtinate recuſauerat, vnà cum matre ſimili perfidia defuncta, in alio eiuſdem villæ ſepulcro remotiori eſt poſitus.

o *Sig. l. 3. de rep. Iudaor. c. vlt.*

p *Matth. c. 23. v. 2.*

q *Act. c. 5. v. 34.*

Quantùm verò in ſtudio legis & Prophetarum Paulus profecerit, ipſe aliquoties non minùs verè, quàm modeſtè ſignificauit, vt vbi ad Galatas ſcribit [t]: *Proficiebam in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo,*

t *Gal. c. 1. v. 14.*

meo abundantiùs æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum. Et alibi u teſtatur ſe iuxta veritatem paternæ legis à Gamaliele fuiſſe eruditum,& illius legis æmulatorem præcipuum:ideò maximè vrgere Iudæos ſolebat teſtimoniis veteris Teſtaméti,& oraculis Prophetarum x, in quibus erat verſatiſſimus. Et cùm aliquando ex Moyſe & Prophetis rationem doctrinę ſuæ magna contentione apud Regem Agrippam reddidiſſet,Præſes,qui tunc aderat,exclamauit dicens y : *Paule, multa te litera ad inſaniam conuertunt.* Quapropter inter omnes noui Teſtamenti ſacras paginas,Epiſtolæ S.Pauli plurimos & maximè profundos veteris legis ſenſus ac teſtimonia complectuntur : vt Tertullianus contra Marcionem ſcribens z,affirmare non dubitauerit,neminem magis noſſe medullas Scripturarum , quàm Apoſtolum Paulum. Sanctus autem Hieronymus a propterea cenſet,illud Ananiæ fuiſſe dictum à Chriſto Domino b: *Vas electionis eſt mihi iſte , vt portet nomen meum coram Gentibus , & Regibus , & filiis Iſraël. Quia ,* inquit Hieronymus, *legis & Scripturarum ſanctarum erat armarium Paulus Apoſtolus , qui ad pedes Gamalielis legem Moyſis & Prophetarum ſe didiciſſe gloriatur : vt armatus ſpiritualibus telis poſtea diceret confidenter* c : *Arma noſtra militia non carnalia ſunt,potentia Deo , ad deſtructionem munitionum , conſilia deſtruentes , & omnem altitudinem extollentem ſe aduersùs ſcientiam Dei.*Hæc & alia S. Hieronymus de Pauli ſapientia,& ſcientia Scripturarum:qua etiamſi potiſſimùm repletus fuerit, vbi Chriſti fidem & Sacramenta ſuſcepit Apoſtolus & Doctor Gentium conſtitutus;vas tamen erat anteà capaciſſimum,ſtudio,labore, induſtria, conſtantiáque diuturnæ diſciplinæ præparatum quodammodo atque diſpoſitum,ad eas, quæ non niſi diuinitùs infundi ſolent , ſcientias , faciliùs,& copioſiùs admittendas.

u *Act. c.* 22.*v.* 3.
x *Act. c.* 9. *v.* 22.
y *Act. c.* 26. *v.* 24.
z *Tertul. l.* 5. *cõtra Marc ad fin.*
a *S.Hier. in ep. ad Paulin.*
b *Act. c.* 9.*v.* 15.
c 2. *Cor. c.* 10. *v.* 4.

CAPVT VI.

Qua ratione Paulus in Iudaïſmo ſectam & diſciplinam Phariſæorum aliquandiu ſecutus ſit.

EBion antiquus Hæreſiarcha ſummo odio Paulum Apoſtolum proſecutus eſt, ſicut etiam Ioannem Euangeliſtam , eò quòd prauis ſuis dogmatibus hos duos maximè aduerſarios pateretur , dum negaret Chriſti diuinitatem a , virginitatem damnaret b , veterem legem nouæ anteponendam doceret , & in pleriſque iudaïzaret. Quare Paulum Græculum eſſe dicebat ex gentilibus natum ; non verò Iudæum , & multò minùs Phariſæum ; ſumpta inde ſui mendacij occaſione , quòd Paulus in Iudæa natus nõ eſſet,ſed Tarſi in Cilicia, & Gentium Apoſtolus cõſtitutus totus eſſet cum gentilibus. Addebat impoſtor c, factũ deinde Paulum ex gentili proſelytum ; hoc eſt, à ſuperſtitione gentilium ad Iudaïſmum acceſſiſſe , cùm Ieroſolymam veniſſet,vt ibi filiam cuiuſdam Iudæi Sacerdotis,quam adamauerat , obtineret in vxorem;& ea tantùm de cauſa circuncisionem ſuſcepiſſe. Cùm autem nec ita,quod optauerat , aſſecutus fuiſſet , ad impugnandam circuncisionem,& veterem legem , nouam legem euangelicam prædicare,& extollere ſupra veterem incepiſſe.

a *S. Ign. in epiſt. ad Philadeph.*
b *Tertul. l. de præſcrip. c.* 48.
c *refert S. Epiph. hær.* 30.

Sed gentem ſuam , & propriam gentis tribum , ac ſectam Phariſæorum,quam in Iudaïſmo Paulus ſecutus eſt , non vno tantùm in loco diſertis verbis ſignificauit. *Nam,ſi quis*

alius,

plùs inde conuincitur, quàm nominatos omnes fuiſſe Iſraclitas; non verò ſanguine coniunctos: præſertim quia non erant hi Tarſenſes, vel ex Cilicia; ſed diuerſarum & longè diſtantium regionum, vt Cardinalis Baronius [f] obſeruauit. Illud certum habemus ex Luca in Actis Apoſtolicis [g], Paulum ſororem habuiſſe, &, vt magis eſt veriſimile, germanam, cuius filius illum liberauerit ab inſidiis, & coniuratione Iudæorum, ſicut ſuo loco poſteà narraturi ſumus. Sed de Pauli pueritia nunc agentes, cùm ipſe viuidi eſſet ingenij, præclaræque indolis, & honeſtis parentibus natus, ciuitas quoque Tarſis, in qua educabatur, propter ſtudia bonarum diſciplinarum celeberrima non minùs, imò ſi Straboni [h] credimus, adhuc magis quàm eſſent Athenæ, ad ſcholas opportunè miſſus, iis primùm ſtudiis traditus fuit, quibus illa ætas informari ſolet. Florebant autem potiſſimùm in ea ciuitate Græca ſtudia humaniorum literarum, & naturalis Philoſophiæ, quod teſtatur Strabo, ſic ſcribens [i]: *Tantum Tarſenſes ſtudium inceſſit Philoſophiæ, & diſciplinarum, quas encyclicas vocant, vt ſuperauerint Athenas, & Alexandriam, & ſi quis alius locus nominari poteſt, vbi Philoſophorum & artium ad humanitatem pertinentium ſcholæ haberentur. Maxime autem vrbs Roma dicere poteſt, quam multos Tarſus protulerit literatos, cùm ſit Tarſenſium & Alexandrinorum plena.* Additque hic Auctor plures ſe huiuſmodi literatorum benè nouiſſe.

Quantùm porrò in ſchola Græcæ eloquentiæ Paulus profecerit, res eſt hoc loco digna conſideratione: & ſi, quid ipſe hac de re indicet, aliique, tum Græci, tum Latini Patres tradiderũt, expendantur, non parum controuerſa. Nam in ſecunda Epiſtola, quam ſcripſit Apoſtolus ad Corint. [k] ſe imperitum ſermone fuiſſe, non autem ſcientia profitetur, dicens: *Nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia.* Græcè idiotam ſermone ſe dixit, hoc eſt, rudi atque plebeio vtentem genere loquendi. Facilè autem poſſet aliquis arbitrari, ex Chriſtiana modeſtia, & quadam animi ſubmiſſione commendationem ſui refugientis id eſſe dictum; niſi, quod maioris commendationis eſſe videbatur, ſtatim addidiſſet, dicens: *Sed non ſcientia.* Præterea exiſtimare aliquis poſſet, elegantiam ſermonis, orationis pigmenta, vim & copiam humanæ eloquentiæ non tam illi defuiſſe, quàm ab ipſo ſpretam, & altiori conſilio eminentioris ſcientiæ Chriſti adhibitam non fuiſſe. Id enim aliquando ad eoſdem Corinthios ſcribens non obſcurè illis verbis ſignificauit, dicẽs [l]: *Et ego, cùm veniſſem ad vos, Fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti. Non enim iudicaui, me ſcire aliquid inter vos, niſi* IESVM *Chriſtum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos; & ſermo meus, prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis: vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.*

Huic tamen ſic explicatæ ſententiæ videtur aliquoties S. Hieronymus [m] aduerſari, ſiquidem in epiſtola ad Algaſiam, ſoluens quandam de Apoſtolica elocutione quæſtionem: *Illud*, inquit, *quod crebrò diximus: Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia. nequaquam Paulum de humilitate, ſed de veritate dixiſſe etiam nunc approbamus. Profundos enim & reconditos ſenſus lingua non explicat: & cùm ipſe ſen-*

ſiat,

f *Baron. an. 58.*
g *Act. c. 23. v. 16.*
h *Strabo lib. 14. Geogr.*
i *Strabo ibid.*
k 2. *Cor. c. 11. v. 6.*
l 1. *Cor. c. 2. v. 1.*
m *S. Hieron. epiſt. 151. qu. 10.*

tiat, quid loquatur in alienas aures, puro non poteſt transferre ſermone. Quem cùm in vernacula lingua habeat diſertiſſimum, quippe Hebraus ex Hebrais, & eruditus ad pedes Gamalielis, viri in lege doctiſſimi, ſeipſum interpretari cupiens, inuoluitur. Si autem in Graca lingua hoc ei accidit, quam nutritus in Tarſo Cilicia à parua atate imbiberat, quid de Latinis dicendum eſt, qui verbum verbo exprimere conantes, obſcuriores faciunt eius ſententias, & veluti herbis creſcentibus frugum ſtrãgulant vbertatem? Subdit inferiùs pro exemplo quaſdam difficiliores Pauli locutiones propter Tarſenſes Græciſmos, quibus exprimebantur, atque ita concludit: *Nec hoc miremur in Apoſtolo, ſi vtatur eius lingua conſuetudine, in qua natus eſt, & nutritus, cùm Virgilius alter Homerus apud nos, patria ſua ſequens conſuetudinem, ſceleratum frigus appellet.* Hæc S. Hieronymus[n], qui de ſimili quæſtione ad Hedibiam ſcribens, ſic habet: *Aliquoties diximus, Apoſtolum Paulum virum fuiſſe doctiſſimum, & eruditum ad pedes Gamalielis, qui in Apoſtolorum Actis concionatur, & dicit*[o]: *Et nunc quid habetis cum hominibus iſtis? ſi enim a Deo eſt conſilium hoc, ſtabit; ſi ex hominibus, deſtruetur: cúmque haberet ſcientiam ſanctarum Scripturarum, & ſermonis, diuerſarúmque linguarum gratiam poſſideret; vnde ipſe gloriatur in Domino, & dicit* p: *Gratias ago Deo, quòd omnium veſtrûm linguis magis loquor. diuinorum ſenſuum maieſtatem digno non poterat Graci eloquij explicare ſermone. Habebat ergo Titum interpretem, ſicut & B. Petrus Marcum, cuius Euangelium, Petro narrante, & illo ſcribente, compoſitum eſt.*

n *Hier. ep.* 150. *ad Hed. q.* 11.

o *Act. c.* 5. *v.* 34.

p 1. *Cor. c.* 14. *v.* 18.

Sed adhuc magis mirabitur aliquis in hoc Doctore, quòd ſcribẽs Cõmẽtaria in Epiſtolam ad Epheſios, quaſdam illius Epiſtolæ difficiliores locutiones non tam figuratas ait videri poſſe, quàm in arte Grammatica vitioſas, & ſolœcizantes q. Quamuis ſubdat: *Si verò quis poteſt, etiam iuxta ſermonis & eloquij contextum, docere, Apoſtolum fuiſſe perfectum, & in arte Grammatica vitia non incurriſſe; ille potiùs auſcultandus eſt. Nos quotieſcunque ſolœciſmos, aut tale quid adnotamus, non Apoſtolum pulſamus, vt maleuoli criminantur: ſed magis Apoſtoli aſſertores ſumus, quòd Hebraus ex Hebrais, abſque rhetorici nitore ſermonis, & verborum compoſitione, & eloquij venuſtate nunquam ad fidem Chriſti totum mundum traducere valuiſſet, niſi euangelizaſſet eum, non in ſapientia verbi, ſed in virtute Dei.* In eodem quoque ſenſu S. Ioannes Chryſoſtomus, quãuis in laudes Pauli, ſi quis alius, effuſiſſimus; tamen ad extollendam magis eius cæleſtem ſapientiam, & infuſam diuinitùs ſupernaturalẽ ſcientiam, adeò interdum deprimit naturalem, & humano ſtudio acquiſitam, vt eam vix in Apoſtolo agnoſcere videatur r: ſic enim loquitur de S. Paulo in homilia quarta ſecundæ Epiſtolæ ad Timotheum: *Erat ille homo Cilix, coriarius, inops, imperitus externa diſciplina: Hebraam tantùm nouerat linguam, qua cateris gentibus, ſed Romanis maximè contemptui erat.* Et in alia homilia ſ reprehendit quendã Chriſtianum, quòd ridiculè, vt ipſe ait, hac de re cum Ethnico diſputaret, contendente Chriſtiano, Paulum fuiſſe Platone eloquentiorem; Ethnico verò dicente, Paulum fuiſſe rudem & imperitum, quod ait Chryſoſtomus, vltrò illi concedi debuiſſe, vt glorioſior appareret victoria Apoſtolorum de Platonica & ſimili mundana ſapientia. Rem totam præclarè S. Chryſoſtomus exponit his verbis: *Chriſtianum quendam iam audiui aduersùs Ethnicum ridiculè diſputantem,*

q *S. Hieron. l.* 2. *in cap.* 3. *Ep. ad Epheſ.*

r *Chryſ. hom.* 4. *in* 2. *Tim.*

ſ *Chryſ. hom.* 3. *in* 1. *Cor.*

tantem, cùm ambo in certamine inuicem ſua ſoluerent argumenta: ſiquidem, quæ oportebat Chriſtianum dicere, ea Gentilis afferebat; & quæ Gentilis partes erant, eas Chriſtianus adducebat in medium. De Paulo enim & Platone inquirebant. In qua diſputatione Gentilis conabatur oſtendere, Paulum & rudem & indoctum fuiſſe: Chriſtianus vero temerè contrà confirmare annitebatur, Platone Paulum fuiſſe eloquentiorem: hoc pacto Gentilis victor euaſit, cùm ita iudicaretur. Nam, ſi Platone diſertior Paulus fuiſſet, multi non immeritò aſſerere potuiſſent, non gratia viciſſe Paulum, ſed facundia. Quamobrem Gentilis cauſam tuebatur Chriſtiani; Chriſtianus verò Gentilis: nam, ſi Paulus ineruditus fuit, vicit verò Platonem, profectò, vt dicimus, clariſſima eius victoria fuit, qui indoctus illius diſcipulos alliciens in ſe, & ad ſe omnes conuertit. Ex quo ſatis conſtat, non in ſapientia humana prædicationem factam eſſe, ſed in diuina gratia. Vt igitur hæc nobis non eueniant, neque huiuſmodi contra Gentiles diſceptationibus irrideamur, cùm in id certamen venerimus, Apoſtolos vt indoctos accuſemus: hoc eis & laudi erit & ornamento. Hactenus Chryſoſtomus.

Quæ quidem in genere dicta de Apoſtolis, vtcunque ſint vera, certè in Paulo, ipſis quoque Chryſoſtomo & Hieronymo valdè aſſentientibus, aliquam admittere debent exceptionem. Primum, quia refert S. Lucas t in Actis Apoſtolicis, Paulum in Lycaonia concionantem aliquando, voce populi gentilis proclamatum eſſe quaſi alterum Mercurium, qui Deus eloquentiæ ab ipſis habebatur: *Et vocabant* (inquit S. Lucas) *Paulum Mercurium: quoniam ipſe erat dux verbi.* Quod ſanè haberi poteſt pro aliquo argumẽto eius in dicendo efficaciæ, ac virtutis; non autem ruditatis & imperitiæ. Deinde, quia verba illa Apoſtoli de ſe ad Corinth. ſcripta u: *Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia.* S. Auguſtinus in libro quarto de doctrina Chriſtiana x, exponit non ex ſua, ſed ex obtrectatorum ſententia eſſe dicta. *Videtur*, inquit S. Auguſtinus, *vbi Paulus Apoſtolus ait: Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia. quaſi concedendo obtrectatoribus ſic locutus, non tanquam id verum agnoſceret confitendum.* Et multis ibi oſtendit, hunc Apoſtolum fuiſſe eloquentiſſimum; ea tamen eloquentia, quæ non quaſi domina præiret ſapientiam, ſed tanquam famula fidelis, quæ etiam non vocata ſapientiam ſequeretur. Prætereà, quia etiam illimet ipſi obtrectatores Apoſtoli, quod ibidem notauit S. Auguſtinus, qui eius ſermonem imperitum, & præſentiam infirmam eſſe dicebant; eius tamen Epiſtolas graues & fortes eſſe confitebantur: ſic enim legimus in ſecunda Epiſtola ad Corinthios y: *Quoniam quidem, inquiunt, epiſtolæ graues ſunt, & fortes; præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis.* Denique, quia ſi vnam excipias ad Hebræos Epiſtolam, quam multi cenſent Hebraïcè ſcriptam, omnes alias Græco ſtylo ipſe exarauit, tanta dicẽdi copia, tali flumine orationis, ea ſententiarum maieſtate, & ſublimitate myſteriorum, vt præclara quæque, non tãtùm noſtræ, ſed etiam alienæ religionis ingenia intenta illarum lectioni exercuerint & exerceant, atque in magnam admirationem inducant. S. Hieronymum, qui pro contraria videtur aliquãdo fuiſſe opinione, audiamus z: *Paulum Apoſtolũ proferam, quẽ quotieſcunque lego, videor mihi non verba, ſed audire tonitrua. Legite Epiſtolas eius, ſed maximè ad Romanos, ad Galatas, ad Epheſios, in quibus totus in certamine poſitus eſt; &*

t *Act. c. 14. v. 11.*

u 2. Cor. c. 11. v. 6.

x S. *Aug. l. 4. doct. Chriſt. c. 7.*

y 2. *Cor. c. 10. v.* 10.

z S. *Hier. ep. 50. ad Pamm. & ep. 61. ad eund.*

videbitis

videbitis eum in teſtimoniis, quæ ſumit de veteri Teſtamento, quàm artifex, quàm prudens, quam diſſimulator ſit eius, quod agit: videntur quidem verba ſimplicia, & quaſi innocentis hominis & ruſticani, & qui nec facere, nec declinare nouerit inſidias: ſed quocunque reſpexeris, fulmina ſunt. Et in alia ad eundem Pammachium epiſtola: *Vbi,* inquit, *electionis Vas, tuba Euangelij, rugitus leonis noſtri, tonitrus Gentium, flumen eloquentiæ Chriſtianæ? qui myſterium retrò generationibus ignoratũ, & profundum diuitiarũ ſapientiæ & ſcientiæ Dei magis miratur, quam loquitur.*

Quod verò aliqui [a] opinati ſunt, rarò, tum Paulum, tum alios Apoſtolos propria manu Epiſtolas ſcripſiſſe, ſed ferè ſemper aliis excipientibus dictaſſe, tum nomen proprium ſubſcripſiſſe; verum eſſe non poteſt, cùm ſæpiùs ipſe Apoſtolus Paulus, quaſi ad hanc ſuſpicionem remouendam, id ſe feciſſe atteſtetur. Itaque in Epiſtola ad Philemonem ſic habet [b]: *Ego Paulus ſcripſi mea manu.* Et ad Galatas [c]: *Videte, quibus literis ſcripſi vobis mea manu.* Et ad Corinthios [d]: *Salutatio mea manu Pauli.* Et iterum ad Theſſalonicenſes [e]: *Salutatio mea manu Pauli, quod eſt ſignum in omni epiſtola, ita ſcribo.* Nec refert, quòd in fine Epiſtolæ ad Romanos [f], poſt varias ſalutationes de amanuenſe ſic habeatur: *Saluto ego vos Tertius, qui ſcripſi epiſtolã.* quamuis enim Tertius ſit nomen proprium ſcribæ illius Epiſtolæ, qui erat Pauli Apoſtoli diſcipulus, & poſteà Epiſcopus & Martyr Iconij in Lycaonia, cúmque aliqui non Tertium, ſed Terrentium vocant [h]; tamen fieri bene potuit, vt Epiſtola priùs fuerit ab Apoſtolo ſcripta, & inde ab alio deſcripta: quippe canonicam ſcripturam ſe condere Apoſtolus minimè ignorabat, eámque

a Feuardent. in 1. Petri Ep. c. 5. v. 12.
b ad Philemon v. 19.
c ad Galat. c. vlt. v. 11.
d 1. Cor. c. vlt. v. 21.
e 2. Theſſ. c. vlt. v. 17.
f Rom. c. vlt. v. 22.
g Mart. 22. Iun.
h Theodul. Presbyter apud Xiſt. Sen. l. 2. Bibl. in Tertium.

profundiſſimis ſenſibus refertiſſimam, ac proinde non alieno ſtylo facilè committendam, niſi ad deſcribendum, aut certè ipſo dictante ſingula verba erant excipienda. Verùm id potiùs maiorem arguit ſtyli exercitationem, & Græcæ linguæ peritiam. Meritò itaque in hanc ſententiam ſic ſcripſit Euſebius [i]: *Paulus, qui inter cæteros Apoſtolos eruditior etiam in verbis videtur, & in ſenſibus præpotens, non ampliùs quàm paruulum ſuarum Epiſtolarum corpus reliquit, quod vtique immenſa continet intra ſe, atque innumera ſacramenta.*

His itaque pro vtraque parte ſic examinatis atque perpẽſis circa eruditionem Pauli, & profectum eius in ſcholis humanioribus Græcæ eloquentiæ, ita videtur pro veritate ſtatuendum: à puero Græcas literas Tarſi eum didiciſſe, nec ſolùm artis Grammaticæ regulis, verùm etiam præceptis politioris orationis, & eloquentiæ, atque adeò poëſeos fuiſſe imbutum: ſiquidem plura in ſuis Epiſtolis inducit teſtimonia Græcorum Poëtarum, Epimenidis, Arati, Menandri, ſiue Callimaci, quos non niſi in adoleſcentia lectitaſſe magis eſt veriſimile: tum, quia Ieroſolymam adhuc adoleſcens ſe contulit ad ſtudia grauiora, vt poſteà ſumus enarraturi: tum, quia, teſte Ioſepho in libris de Iudaïca Antiquitate [l], hæc ſtudia Græcanica, & linguarum peregrinarum Ieroſolymis à Iudæis eo tempore deſpiciebantur, & tanquam profana habebantur. Multoque minùs apparet veroſimile, poſt ſuam ad Chriſti fidem conuerſionem Apoſtolum, etiamſi otio abundaſſet, quod erat ei prorſus nullum, conterere tempus voluiſſe in libris gentilium Poëtarum, potiùs quàm in lectione ſacrorum Auctorum, & diuinarum Scripturarum. Neque verò ſolet Spi-

i Euſeb. l. 3 hiſt. c. 24.
l Ioſeph. l. vlt. Ant. c. vlt.

ritus ſanctus humaniorum literarum infundere diſciplinas, ſicut diuinas ſcientias, & myſteriorum fidei ſubliniorem ſapientiam infudit copioſiſſime, quibus vtpote ſupra humanum captum vehementer intentus, de cultura dictionis parum fuit ſollicitus, neque conuenire ſibi exiſtimauit eſſe admodum elegantis ac perpoliti ſermonis ſtudioſum: ne, ſicut olim à Platone Demoſthenes, accuſari poſſet, tanquam λογοδαίδαλος, & θηρολέξης, hoc eſt, præclarus artifex dictionum, & venator vocabulorum. Atque hanc addit rationem S. Irenæus [n], cur ſæpè hyperbatis vtatur Apoſtolus, id eſt, ſenſibus conuolutis & perturbatis: *Nã hyperbatis*, inquit, *frequenter vtitur propter velocitatem ſermonum ſuorũ, & impetum Spiritus, qui in ipſo eſt.* Eaſdémque ob cauſas congerit ſæpè dictiones, agglomerat ſententias, & primas quaſi imperfectas relinquens, aliò abreptus digreditur, multa interloquitur, & ad primas tandem, ſuúmque inſtitutum reuertitur. Abundat Hebraïſmis, ſchemata ſæpiùs interſerit, vt metonymiam, enallagen, ellipſim, emphaſim, apoſtrophen, epiphonemata, reticentias, aliáſque huius generis figuratas quidem locutiones, non tamen ſolœcizátes, vt exemplis optimorum Oratorum, & Poëtarum, quibus talia pro figuris computantur, eruditi Interpretes oſtenderunt; id, quod optare S. Hieronymus [o] à nobis anteà relatus videbatur. Imò Laurentius Valla [p] profeſſione Grammaticus, & in tali arte inſignis, quarto libro ſuarum elegantiarum aſſeruit, Apoſtolum nulla alia re tam eminere in ſuis Epiſtolis, quàm eloquentia. In quo tamen Valla fuit valdè deceptus, quippe qui tantùm externa orationis ornamenta conſiderauit, & nouerit admirari; cùm alia quamplurima adeò ſine comparatione maiora ibi inueniantur, & ſic emineant, vt ſancti Patres, & præſertim Chryſoſtomus, vt ſuprà referebamus, nec inter laudes quidem Apoſtoli computandam dictionis elegantiam exiſtimauerint. Quamuis ſpectata non tam eloquentia verborum, quàm ſententiarum ſapientia, dicat idem Chryſoſtomus [q], in Paulo non deſiderari, neque Iſocratis terſum læuorem, neque Demoſthenis amplam ſublimitatem, neque Thucydidis verecundam maieſtatem, neque Platonis excellentem dignitatem. Et S. Auguſtinus [r] multis hac de re diſputans libro quarto de doctrina Chriſtiana, & oſtendens minime omnium decere ſacros Auctores fucatam orationem, & picturatam, ita concludit: *Sicut ergo Apoſtolũ præcepta eloquentiæ ſecutum fuiſſe non dicimus; ita quòd eius ſapientiam ſecuta ſit eloquentia, non negamus.* Idque tantò veriùs & conuenientiùs de Scriptoribus ſacrorum librorum eſt intelligendum, quantò etiam in aliis grauibus materiis ab ipſis quoque Ethnicis bonæ Latinitatis Auctoribus ſcimus commendatum, vt iuxta Horatianum illud [ſ]: *non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem Cogitet, & ſpecioſa dehinc miracula promat.* Sed de Pauli ſtudiis humanioribus & Græca literatura ſatis.

n S. Iren. l. 3. c. 7.

o S. Hier. l. 2. in Ep. ad Eph. c. 5.

p Laur. Valla l. 4. eleg. in proœm.

q Chryſ. hom. 4. de ſacerdotio.

r S. Aug. l. 4. de doct. Chriſt. c. 7.

ſ Horat. de arte Poët.

CAPVT V.

De profectione Pauli adoleſcentis à patria Ieroſolymam, ad ſtudia altiora; & quantùm in eis profecerit.

QVando primùm relicta Paulus Tarſenſi ciuitate, naralíque ſolo Ieroſolymam ad grauiora ſtudia profectus

profectus ſit, ſub quo Magiſtro, cum quibus condiſcipulis, & quali ſucceſſu ſtudiorum in ea vrbe vacauerit altioribus diſciplinis, hoc loco erit exponendum. Et primùm eam fuiſſe Tarſenſium conſuetudinem à Strabone a didicimus, vt vbi ſtudioſi adoleſcentes in patria ſchola liberalioris doctrinæ fundamenta iecisſent, quò magis perficerentur, ad exteras Vniuerſitates proficiſcerentur. Itaque S. Hieronymus in libro de Viris illuſtribus refert, Paulum adoleſcentem fuiſſe a ſuis parentibus Tarſo miſſum Ieroſolymam ob ſtudia diuinæ legis, vt a Gamaliele, viro in ea lege doctiſſimo, erudiretur. Idque nam ante S. Luca b in Actis Apoſtolicis, ipſemet Paulus de ſe aliquando teſtatus eſt, dicens: *Ego ſum vir Iudæus natus in Tarſo Ciliciæ: nutritus autem in iſta ciuitate*, nempe, Ieruſalem, *ſecus pedes Gamaliel, eruditus iuxta veritatẽ paternæ legis*. Et quamuis quo ætatis ſuæ anno patriam reliquerit, & venerit Ieroſolymam, certò affirmare non poſſimus; tamen id factum inter pueritiam eius, & adoleſcentiam, ſuadet quinruplex coniectura. Primùm quidem ex eo, quòd ait nutritum ſe in ea ciuitate, nempe, iuxta vim Græcæ locutionis, ἀνατεθραμμένος, educatus Ieroſolymis adoleuit, ſeu excreuit. Deinde, quia dicitur ibidem eruditus, πεπαιδευμένος, quæ vox propriè puerilem ſignificat inſtitutionem, vnde & pædagogi puerorum magiſtri appellantur. Tertiò additur: *Secus pedes Gamalielis*. quod fuiſſe iuniorum, docuit Philo c Iudæus. Magiſter enim ex cathedra, ſiue loco ſuperiori, ſuam exponebat lectionem, audientibus diſcipulis in loco humili atque demiſſo; & qui minoris eſſent ætatis, adhuc magis inferiori. Quartò, nam apud Regem Agrippam aliquando accuſatus, reddens Paulus ſuæ prioris vitæ rationem, ſic ait d: *Vitam meam à iuuentute, quæ ab initio fuit in gente mea in Ieroſolymis, nouerunt omnes Iudæi*. Illud autem, *à iuuentute*, Græcè, ἐκ νεότητος, Syrus Interpres vertit, *à pueritia*. Quintam addere poſſumus coniecturam: quia poſt aliquot annos ab eius aduentu Ieroſolymam, & longa commoratione in ea ciuitate, martyrium ſucceſſerat S. Stephani, cui ipſe interfuit, vt ſuo loco infrà referetur. At fuiſſe tunc eum adoleſcentem teſtatur in Actis Apoſtolicis S. Lucas, dicens d, eos qui Stephanum lapidabant, depoſuiſſe veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus. Multò igitur adoleſcentiorem illum eſſe oportuit, nec ætate ſupra pueritiam valdè maiorem, cùm primùm ad ſtudia legis ſe contulit Ieroſolymam.

a Strabo lib. 14. Geogr.

b Act. c. 22. v. 3.

c Philo l. quòd omnis probus ſit liber.

d Act. c. 26. v. 4.

d Act. c. 7. v. 57.

Atque hinc veriſimiliora eſſe intelliguntur, quæ anteà de egregia Pauli indole, & non obſcuris eius natalibus dicebamus. Neque enim puer abiectæ conditionis, ac infimæ ſortis, quique nullius, vel perexigui eſſet patrimonij, in tenera ætate, à ſua tam remota patria miſſus fuiſſet à parentibus in primariam Iudæorum ciuitatem, non ad mercaturam, ſed ad ſtudia celeberrima diuinæ legis, & ſacrarum Scripturarum; niſi & progreſſus in ſtudiis minoribus iam in patria facti, & ſpes magis proficiendi in maioribus, & ardor diſcendi, & facultas ingenij non mediocris, ac denique aliqua copia fortunarum parentes adoleſcentis ad tale ſuſcipiendum de illo conſiliũ permouiſſent. Quapropter expendens S. Ioannes Chryſoſtomus e illud Pauli de ſe redditum teſtimonium, quòd, videlicet, Ieroſolymis fuiſſet educatus, & eruditus ad pedes inſignis Doctoris Gamalielis, ſic ait:

e Chryſ. hom. 47. in Act.

Sed dicet fortaſſe aliquis: Nihil ad rem facit, quòd ibi educatus eſt: quid enim, ſi ob negotiationem, vel ob aliam cauſam quandam ibi verſatus eſt? Vt igitur ne tale quid putetur, addidit, apud pedes Gamalielis: & non ſimpliciter dixit ad Gamalielem, ſed apud pedes; conſtantiam, ſedulitatem, ſtudium in audiendo, & reuerentiam erga virum monſtrans. Quis autem fuerit hic Gamaliel, qualis legis Doctor, & quanti nominis, hîc exponere debemus.

In primis verò pro fabula Rabbinorũ haberi debet conficta in odium Chriſtianorum, quę narratur à Thalmudiſtis f, hunc Gamalielem ſemper à doctrina Chriſti abhorruiſſe, & illam benedictionem, hoc eſt, maledictionem, ſiue execrationem compoſuiſſe, cum aliis duodeviginti conſimilibus, quibus Iudæi nobis ſub Nazaræorum, vel Hæreticorum nomine (ſic nos Chriſtianos appellant) feſtis diebus ter mala imprecantur: perueniſſéque vſque ad tempus excidij Ieroſolymitani, atque in Iudaïſmo conſenuiſſe, cùm vita ei condonata fuiſſet à Tito Imperatore, intercedente Rabbino Ionathan Benzachaï. Veruntamen hæc omnia commentitia ſunt, & planè conficta, aut ſi aliquo modo vera, non de noſtro Gamaliele, ſed de alio fortè eiuſdem nominis ſunt intelligenda: certum eſt enim, narrante S. Luca in Actis Apoſtolicis g, hunc illum eſſe Gamalielem magnum legis Doctorem, vniuerſæ plebi, ſicut ibi dicitur, honorabilem, qui longa oratione in Concilio Iudæorum defenſionem & patrocinium ſuſcepit Apoſtolorum, dum Princeps Sacerdotum & Magiſtratus de illis interficiendis magno furore tractaret. Ex quo benè arguit S. Ioannes Chryſoſtomus h, non potuiſſe hunc Gamalielem à fide Chriſti eſſe alienum. Imò Clemens Romanus i aſſeruit, Chriſtianum iam illum fuiſſe, & ſocium Apoſtolorum; ſed eorum conſilio ſic occultum aliquandiu permanſiſſe inter ſeniores Iudæorum, vt ea ratione commodiùs naſcenti Eccleſiæ prouideret. Quod etiam S. Sebaſtianum legimus aliquandiu feciſſe, eáque ratione multos ex infidelibus idololatris ad veri Dei cultum, & Chriſti fidem faciliùs perduxiſſe. Et quamuis illi Clementis libri Recognitionum apocryphi ab aliquibus cenſeantur, propter aliqua fortaſſis ab infidelibus inſerta; in multis tamen ſunt fide digni, atque in hoc præcipuè: quod etiam Venerabilis Beda in ſuis ſuper Acta Commentariis approbauit his verbis k: *Hic Gamaliel, vt Clemens indicat, Apoſtolorum erat in fide ſocius; ſed eorum conſilio permanens apud Iudæos, vt illorum in tali turbine poſſet ſedare furorem.* Extat pręterea eiuſdem Gamalielis epiſtola apud Gennadium l, auctoritate veterum cõmendata, in qua de ſe Gamaliel refert, Chriſti ſtudio & amore ſe Protomartyrem Stephanum à Iudęis lapidatum in ſua villa humaſſe, ſanctóque Nicodemo Ieroſolyma expulſo victum & hoſpitiũ præbuiſſe.

Sed, quod omnem adimit falſitatis hac de re ſuſpicionem, eſt liber Luciani Presbyteri, quem de S. Protomartyris Stephani corporis inuentione Græca lingua deſcripſit, rogante Auito Presbytero Hiſpano, & ab hoc ſtatim in Latinum conuerſus eſt, viuente adhuc S. Auguſtino, qui propterea huius celebetrimæ hiſtoriæ non ſemel facit mentionem. Sic enim diuina prouidentia rectè diſpoſuit, vt, quemadmodum Gamaliel curauerat corpus S. Stephani honorificè ſepeliri; ſic poſt eius mortem corpus ipſius Gamalielis cum S. Stephani corpore conſepultum, & multis

f *Thalm. c. Thephiloth.*

g *Act. c. 15. v. 34*

h *Chryſ. hom. 14. in Act.*

i *Clem. lib. I. Recogn. c. 9. & 15.*

k *Beda in c. 5. Act.*

l *Genn. l. de Viris illuſtr. c. 46. & 47.*

tis

tis illuſtratum miraculis inueniretur, ſicut omnia Martyrologia teſtantur, vbi de inuentione corporis S. Stephani ad diem tertiam menſis Auguſti meminerunt. Hiſtoriæ ſumma ſic habet, Luciano fideliſſimè omnia referente, cui reuelatio facta eſt tempore Theodoſij Imperatoris, circa annum Domini quadringenteſimum decimumquintum. Dormienti Luciano Presbytero prope ſuam Eccleſiam, noctu apparuit Gamaliel in ſpecie ſenis valdè venerabilis, habitu indutus ſacerdotali, ſtola candida, pallio gemmis ornato admodum pretioſis auro inſertis, & intrinſecùs ſignum Crucis referentibus. Auream virgam geſtabat manibus, qua dextram Presbyteri percutiens, dormientem excitauit, eúmque ter proprio nomine compellans Græca lingua illi dixit, vt Epiſcopum adiret, eíque ſuo nomine ſignificaret, quamprimùm iret ad villam Caphargamalem, quæ interpretatur, Villa Gamalielis, viginti milliaribus à ciuitate Ieruſalem diſtantem, ibi in vetuſto monumento quæreret ſacra corpora transferenda in locum honeſtiorem. Roganti autem Luciano, quiſnam eſſet, & quæ illa ſacra corpora, reſpondit ſenex, ſe eſſe Gamalielem, qui Paulum Apoſtolum Chriſti nutriuerat, & legem docuerat Ieroſolymis: corpus verò, & reliquias in arca poſitas ad partem orientalem eſſe Protomartyris Chriſti S. Stephani, quas ipſe curauerat ſuo vehiculo tranſportatas noctu poſt illam diem, in qua fuerat Martyr lapidatus, ad prædictam villam, recondi in monumento ſuo nouo. In arca verò ſecunda eſſe corpus Nicodemi, viri Principis inter Iudæos, qui aliquãdo fuerat occultus Chriſti diſcipulus; poſteà verò quàm innotuit, à Iudæis afflictus, & Ieroſolyma expulſus, in ea villa ſuſtentabatur à Gamaliele, ibíque moriens eſt ſepultus. Tertiam arcam continere corpus Abibonis, ſeu Abibæ filij ſui, cum quo ipſe Gamaliel Baptiſmum Chriſti ſuſceperat, atque in eadem arca ſuum ſimul corpus fuiſſe reconditum. Hæc audiens Presbyter Lucianus, nec ſatis adhuc viſioni credens, per hebdomadam dubius expectauit ieiunans, & Deum orans, ne circa rem tantam deciperetur. Octauo die iterum eadem viſione vrgebatur, vt Epiſcopum adiret: nec plenam adhuc viſioni præſtitit fidem; ſed iterum per hebdomadam rem Deo cõmendans, expectauit, donec valdè perterritus, & acriter ab eodem ſene reprehenſus, omnia Ieroſolymorum Epiſcopo, S. Ioanni, exponere compulſus fuit. Tunc Ieroſolymitanus cum aliis quibuſdam Epiſcopis, & magno populi comitatu venit ad locum; apertóque monumento, & arcis reſeratis magnus terræmotus eſt factus, & tanta odoris fragrantia, taliſque ſuauitas inde proueniens afflauit vniuerſos, vt infirmi ſeptuagintatres variis lãguoribus afflicti, qui eò conuenerant, integræ ſanitati repentè fuerint reſtituti, & Dæmones ab aliquot energumenis ſtatim expulſi, ipſomet Luciano, qui hæc retulit, ſpectante cum Epiſcopis, & populo vniuerſo.

Quando autem primùm Gamaliel, infideli Synagoga relicta, Eccleſiæ fidelium ſit adſcriptus; & an eo tempore, quo Paulus adoleſcens illius ſe tradidit diſciplinæ, ſectaretur adhuc praua dogmata Iudæorum, Meſſiam iam natum agnoſcere nolentium; affirmare ſatis certò nõ poſſumus. Cùm enim nondum Chriſtus Dominus promulgare ſuum Euangelium incepiſſet, nec aliquid de ſua doctrina, diſcipulis ad ſe nondum conuocatis expoſuiſſet, id enim non

ante annum ætatis ſuæ trigeſimum facere exorſus eſt, quo tempore Paulus iam adoleſcentia peracta propè ad annum trigeſimum, vno, vel altero minùs, acceſſerat; difficile creditu videtur, in ea Synagoga, in qua tam alienus à Chriſto Paulus erudiebatur, Magiſtrum fuiſſe doctrina & corde Chriſtianum. Ex altera tamen parte haberi pro certo debet, veram Dei Eccleſiam nunquam defeciſſe: & quamuis ante promulgatum Euangelium, & cùm nondum Chriſtus Dominus prædicare incepiſſet, Eccleſia fidelium ad paucos redacta inueniretur; in aliquibus tamen familiis conſiſtebat, vt parentum S. Ioannis Baptiſtæ, & iuſtorum Annæ ac Simeonis. Nec deſunt qui affirmēt [n], hunc Gamalielem illius ſancti Simeonis filium, vel diſcipulum, qui Chriſtum Dominum in vlnis acceptum moriturus prophetica voce ſalutauit. Si ergo res ita ſe habeat, non leuis poterit hinc ſumi coniectura, Gamalielem ab ineunte ætate in illa ſancta familia, vera fide ac pietate fuiſſe imbutum; quamuis non niſi poſt aliquot annos inſtituto à Chriſto Baptiſmi Sacramento, illud cum filio ſuo Abiba, vel, vt alij vocant, Abibone, ſuſceperit. Nihil tamē hac de re, vbi firmioribus vti non poſſumus coniecturis, definiendo ſolùm ponimus maximè veriſimile, inter omnes illius temporis Magiſtros, qui præerant Synagogis Iudæorum, Gamalielem fuiſſe ſanctorum Prophetarum, diuinæ Scripturæ, ac veteris legis peritiſſimū, ſicut ex Actis Apoſtolicis, vbi non ſemel de ipſo habetur perhonorifica mentio, facile eſt intelligere, ac proinde ad veritates noui Teſtamenti, & doctrinam euangelicam excipiendam optimè diſpoſitum.

[n] *Rabbi Abrahā in Cabala hiſt. Nic. Seuar. in Paulo, §. 10.*

Erant autem vltimis temporibus, ſicut Hebræorum tradūt Hiſtoriæ [o], Ieroſolymis Synagogæ quadringentæ & octuaginta, ſuis omnes inſtructæ cathedris & ſubſelliis, vbi Moyſes & Prophetæ à Scribis & Phariſæis explicabantur. Vnde dicebat in Euangelio Chriſtus Dominus [p]: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.* Fuiſſe verò Gamalielem Phariſæum, legimus in Actis Apoſtolicis [q], vbi ſic dicitur: *Surgens autem quidam in Concilio Phariſæus, nomine Gamaliel, legis Doctor honorabilis vniuerſæ plebi.* In hac igitur celebri Synagoga, ſub tanto legis Doctore, condiſcipulos inſignes ſortitus eſt Paulus, Stephanum poſteà Diaconum, & Protomartyrem, Barnabam ſibi præ cæteris charum, & familiarem, quem deinde habuit in Euangelio Chriſti prædicando ſocium fidelem, & multarum comitem peregrinationum: filios prætereà ipſius Gamalielis, Simeonem iuniorem, quem poſteà Rabbini magnum Sanctum vocarunt, Doctorémque illius ætatis facilè principem; & Abibam, quem diximus cum ſuo parente baptizatum; & ætatis ſuæ anno vigeſimo, cùm diem ſuum extremum obiiſſet, in eodem conditus eſt ſepulcro cum parente. Denique habuit etiam inter condiſcipulos Semdemium, Gamalielis primogenitum, qui, ſicut ipſe Gamaliel teſtatus eſt, in ea, de qua diximus, probatæ fidei reuelatione Luciano factæ, quoniam Chriſti cultum & religionem obſtinatè recuſauerat, vnà cum matre ſimili perfidia defuncta, in alio eiuſdem villæ ſepulcro remotiori eſt poſitus.

[o] *Sig. l. 3. de rep. Iudæor. c. vlt.*

[p] *Matth. c. 23. v. 2.*

[q] *Act. c. 5. v. 34.*

Quantùm verò in ſtudio legis & Prophetarum Paulus profecerit, ipſe aliquoties non minùs verè, quam modeſtè ſignificauit, vt vbi ad Galatas ſcribit [r]: *Proficiebam in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo,*

[r] *Gal. c. 1. v. 14.*

meo, abundantiùs æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum. Et alibi w teſtatur ſe iuxta veritatem paternæ legis à Gamaliele fuiſſe eruditum,& illius legis æmulatorem præcipuum:ideò maximè vrgere Iudæos ſolebat teſtimoniis veteris Teſtaméti,& oraculis Prophetarum x, in quibus erat verſatiſſimus. Et cùm aliquando ex Moyſe & Prophetis rationem doctrinę ſuæ magna contentione apud Regem Agrippam reddidiſſet,Præſes,qui tunc aderat,exclamauit dicens y : *Paule, multa te litera ad inſaniam conuertunt*. Quapropter inter omnes noui Teſtamenti ſacras paginas,Epiſtolæ S.Pauli plurimos & maximè profundos veteris legis ſenſus ac teſtimonia complectuntur : vt Tertullianus contra Marcionem ſcribens z,affirmare non dubitauerit,neminem magis noſſe medullas Scripturarum, quàm Apoſtolum Paulum. Sanctus autem Hieronymus a propterea cenſet,illud Ananiæ fuiſſe dictum à Chriſto Domino b: *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël. Quia*, inquit Hieronymus, *leges & Scripturarum ſanctarum erat armarium Paulus Apoſtolus, qui ad pedes Gamalielis legem Moyſis & Prophetarum ſe didiciſſe gloriatur : vt armatus ſpiritualibus telis poſtea diceret confidenter* c : *Arma noſtræ militiæ non carnalia ſunt,potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduersùs ſcientiam Dei.* Hæc & alia S. Hieronymus de Pauli ſapientia,& ſcientia Scripturarum:qua etiamſi potiſſimùm repletus fuerit, vbi Chriſti fidem & Sacramenta ſuſcepit Apoſtolus & Doctor Gentium conſtituerus;vas tamen erat anteà capaciſſimum,ſtudio,labore, induſtria, conſtantiáque diuturnæ diſciplinæ præparatum quodammodo atque diſpoſitum,ad eas, quæ non niſi diuinitùs infundi ſolent, ſcientias, faciliùs,& copioſiùs admittendas.

w *Act. c. 22. v. 3.*
x *Act. c. 9. v. 22.*
y *Act. c. 26. v. 24.*
z *Tertul. l. 5. cõtra Marc ad fin.*
a *S. Hier. in ep. ad Paulin.*
b *Act. c. 9. v. 15.*
c *2. Cor. 10. v. 4.*

CAPVT VI.

Qua ratione Paulus in Iudaïſmo ſectam & diſciplinam Phariſæorum aliquandiu ſecutus ſit.

EBion antiquus Hæreſiarcha ſummo odio Paulum Apoſtolum proſecutus eſt, ſicut etiam Ioannem Euangeliſtam, eò quòd prauis ſuis dogmatibus hos duos maximè aduerſarios pateretur, dum negaret Chriſti diuinitatem a, virginitatem damnaret b, veterem legem nouæ anteponendam doceret, & in pleriſque iudaïzaret. Quare Paulum Græculum eſſe dicebat ex gentilibus natum; non verò Iudæum, & multò minùs Phariſæum; ſumpta inde ſui mendacij occaſione, quòd Paulus in Iudæa natus nõ eſſet,ſed Tarſi in Cilicia, & Gentium Apoſtolus cõſtitutus totus eſſet cum gentilibus. Addebat impoſtor c, factũ deinde Paulum ex gentili proſelytum; hoc eſt,à ſuperſtitione gentilium ad Iudaïſmum acceſſiſſe, cùm Ieroſolymam veniſſet,vt ibi filiam cuiuſdam Iudæi Sacerdotis,quam adamauerat, obtineret in vxorem;& ea tantùm de cauſa circunciſionem ſuſcepiſſe. Cùm autem nec ita,quod optauerat, aſſecutus fuiſſet, ad impugnandam circunciſionem,& veterem legem, nouam legem euangelicam prædicare,& extollere ſupra veterem incepiſſe.

a *S. Ign. in epiſt. ad Philadeph.*
b *Tertul. l. de præſcrip. c. 48.*
c *refert S. Epiph. hær. 30.*

Sed gentem ſuam, & propriam gentis tribum, ac ſectam Phariſæorum,quam in Iudaïſmo Paulus ſecutus eſt, non vno tantùm in loco diſertis verbis ſignificauit. *Nam, ſi quis*

alius,

d Philip. c.3.v.4. *alius*, ait ad Philippenſes d ſcribens, *videtur confidere in carne, ego magis, circumciſus octauo die, ex genere Iſrael, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebrais, ſecundùm legem Phariſæus.* Et loquens hac ipſa de re cum Agrippa Rege multis audientibus, ita proteſtatus eſt e: *Et quidem vitam meam à iuuentute, quæ ab initio fuit in gente mea in Ieroſolymis, nouerunt omnes Iudæi: præſcientes me ab initio, ſi velint teſtimonium perhibere, quoniam ſecundùm certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus.* Imò verò, quod mirum nobis videri poſſet, adhuc poſtquam Iudaïcam perfidiam deſeruerat, & Chriſti fidem, ac euangelicam perfectionem profitebatur, accuſatus hac de re aliquando in publico Concilio Iudæorum, adſtantibus Phariſæis exclamauit, dicens f: *Ego Phariſæus ſum, & filius Phariſæorum.*

e Act. c. 26.v.4.

f Act. c. 23.v.6.

Vt igitur exponamus, qua ratione ſectam hanc Iudaïcæ religionis Paulus amplexus ſit, quando in eam inciderit, qualis, & quanto tempore in illa vixerit, operæpretium erit benè intelligere, quænam fuerit apud antiquos Iudæos propria Phariſæorum viuendi ratio, doctrina, & diſciplina. Phariſæos aliqui, iuxta Hebraïci nominis etymologiam, putant à ſcientia, & expoſitione legis, quaſi expoſitores appellatos: meliùs alij quaſi expoſitos, ſiue ſepoſitos, atque diuiſos: quia Phariſæi doctrina, moribus, & profeſſione vitæ religioſioris erant ſeparati, & omnibus eminebant. Idque videtur indicare Paulus ipſe voluiſſe, cùm de ſe dixit g: *Quoniam ego ab initio ſecundùm certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus.* vocans eam ſectam certiſſimam, ἀκριβεστάτην, id eſt, accuratiſſimam, & exactiſſimam; ſiue, vt vertit Syrus Interpres, præcipuam diſciplinam. *Erat enim*, inquit S. Auguſtinus h, *primarij, & quaſi ad nobilitatem Iudaïcam ſegregati, non contemptibili gregi commixti, qui dicebantur Phariſæi: nam dicitur hoc verbum quaſi ſegregationem interpretari, quomodo in lingua Latina egregius, quaſi à grege ſeparatus.* Hæc S. Auguſtinus. Sunt autem qui i antiquitatem huius inſtituti vſque ad Moyſem putent referendam, quippe qui non tantùm in monte Sina legem acceperit in tabulis lapideis Dei digito conſcriptam, verùm etiam legis interpretationem, & intelligentiam, non quidem ſcriptam, ſed voce viua ſucceſſori ſuo Ioſuë traditam. Hunc dicunt eandem tradidiſſe iis ſenioribus, qui ipſum ſecuti ſunt; hos verò Prophetis: Prophetas viris præcipuis Synagogæ poſt reditum ex captiuitate Babylonica: atque ab his viris profectam eſſe ſectam Phariſæorum, quæ poſteà ab Hillel, & Schammaï fuerit propagata. At S. Hieronymus k, non propagatam, ſed ortam & proſeminatam ab Hillel ſectam Phariſæorum, & à Schammaï ſectam Scribarum affirmauit: idque non multò ante aduentum Chriſti Domini, atque adeò paulò ante Apoſtoli ætatem ac natiuitatem. Et quidem Ioſephus l natione Iudæus, & vitæ inſtituto Phariſæus teſtatur in libro decimooctauo Iudaïcarum Antiquitatum, extremis illis temporibus, videlicet, paulò ante Ieroſolymitanum excidium, quod in pœnam illatę Chriſto necis ſubſecutum eſt, has potiſſimùm tres ſectas Iudæorum extitiſſe, Phariſæorum, Eſſenorum, & Sadducæorum: præcipuam verò fuiſſe Phariſæorum: *Quorum*, inquit m, *tanta eſt apud populum auctoritas, vt etiamſi Regi obloquerentur, aut Pontifici; fidem tamen vulgus eis habebat: & iuxta eorum reſponſa fierent, quæ ad cultum diuinum, & precationes ſolennes pertinebant.*

g Act. c. 26.v.5.

h S. Aug. ſer.15. de verbis Apoſt.

i Becan. in anal. leg. vet. & noua Teſt. c.10. Serar. l. 1. Tribar. c. 11.

k Hier. in c. 8. Iſaia.

l Ioſeph. lib. 18. Antiq. c.2.

m Ioſep. l.13. Antiq. c. 8. & 9. & l.18. c. 2.

Erant

Erant autem Phariſæi ex tribus maximè conſpicui & ſingulares, in veſtitu, ſiue habitu exteriori, in moribus ac vitæ inſtituto, & in dogmatibus, atque doctrina, ſicut ex eodem Ioſepho n habetur, & ex SS. Hieronymo o, & Epiphanio p. Nam veſtem geſtabant propriam profeſſionis ſuæ habentem fimbrias hyacinthinas, vnde perpetuò monerentur obſeruationis diuinæ legis, vitæque cœleſtis: ſicut illis verbis præceperat Deus per Moyſem, dicens q: *Loquere filiis Iſraël, & dices ad eos, vt faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini.* Et ipſe Christus Dominus ſimiles fimbrias videtur habuiſſe in veſtimento, quas magna fide tangens mulier r, à diuturno ſanguinis fluxu ſtatim curata eſt: & cùm aliquando è naui eſſet egreſſus, plurimi infirmi *deprecabantur* eum, ait S. Marcus t, *vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum, ſalui fiebant.* Vnde vſque ad hæc tempora dicuntur Iudæi ſimilibus palliis vti in Synagogis ſuper alias veſtes, ad preces ſolenniores, arbitrati in eorum fimbriis hyacinthinis, id eſt, cærulei coloris, quādam ineſſe virtutem. Sed has fimbrias Phariſæi maximè protrahebant, vt aliis ſanctiores ex hoc viderentur: *Et in oris illarum*, ait S. Hieronymus u, *ſpinas alligabant, quarum punctionibus pedes, tibiaſque cruentatas oſtentarent in ſignum vitæ auſterioris, & legis obſeruantiæ arctioris.* Et quia in Deuteronomio x, præceptorum Dei memoria verbis illis commendabatur: *Ligabis præcepta mea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos.* ipſi legem in membranulis deſcriptam & complicatā, partim brachiis alligabant, partim capiti ac fronti, veluti coronam, circumponebant. Et hæc ſunt phylacteria, id eſt, conſeruatoria legis papyracea, nimis craſsè ac ſuperſtitiosè intellecta, & ex hypocriſi vſurpata, quę Christus Dominus reprehendebat in Phariſæis, cùm diceret y: *Omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias: amant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro.* Sed de Phariſęorū moribus & vitæ ſeueriori̇s inſtituto mirū, eſt, quod à S. Epiphanio refertur his verbis z: *Quidam ipſorum, cùm ſe exercebant, præſcribebant decennium, aut octennium, aut quadriennium virginitatis & continentiæ. & frequentiùs orantes, crebriùs certamen hoc aggrediebantur, vt ne, videlicet, corporale quid eis accideret, aut clandeſtinè per ſomnia corporis defluxio contingeret. Et alij ex ipſis aſſeres ſibi parabant dodrantis tantùm latitudine, & in his ſe ad veſperam locabant; vt ſi quis dormiſſet, in pauimentum decideret, & rurſum excitaretur ad orationem, per hoc quod vigilantem vitam haberet, quantum fieri poſſet. Alij lapillos ex aquis collectos ſibi ipſis ſternebant, vt dum his pungerentur, non in profundum ſomnum deferrentur, ſed vigilantiam ſibi ipſis parare cogerentur. Alij ſpinas pro ſtrato habebant: ieiunabant bis in ſabbatho, ſecūda, & quinta die decimabant decimationes: dabant primitias, trigeſimas, & quinquageſimas: ſacrificia, & vota exactiſſimè perſoluebant.* Hæc S. Epiphanius de Phariſæis. Vnde quidam ipſorum deſcribitur in Euangelio ſuperbè orans, & gratias Deo agens a: *Quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, ſicut etiam hic publicanus.* Ieiuno bis in ſabbatho, hoc eſt, duobus per hebdomadam diebus, *decimas do omnium, quæ poſſideo.* Similiter alij obiiciebāt Chriſto Domino b: *Quare* nos

n Ioſeph. lib. 18. Antiq. c. 2.
o Hier. in cap. 23. Matth.
p Epiph. in panar. lib. 1. c. 16.
q Num. c. 15. v. 38.
r Matth. c. 9. v. 20.
t Marci c. 6. v. 56.
u in c. 23. Matth.
x Deut. c. 6. v. 8.
y Matt. c. 23. v. 5.
z S. Epiphan. in panar. l. 1. c. 15.
a Lucæ c. 18. v. 14.
b Matth. c. 9. v. 14.

nos Phariſæi ieiunamus frequenter; diſcipuli autem tui non ieiunant? In quo non fuiſſent vſque adeò reprehendendi, niſi eorum plerique id ex hypocriſi & vana gloria feciſſent, aliis ſe anteponentes, & grauiora interim legis præcepta paruipendentes. Vt propterea diceret Chriſtus de illis [c]: *Væ vobis, Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum; & reliquiſtis, quæ grauiora ſunt legis, iudicium, miſericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

c *Matth. c. 23. v. 23.*

Quod verò ſpectat ad propria dogmata Phariſęorum, quamuis non in omnibus, in multis tamen eorum doctrina verior, & Scripturarum intelligentia ſanior habebatur, vt de animæ immortalitate, de præmiis bonorum, & ſuppliciis improborum. Vnde primas cathedras communiter obtinebant in Synagogis: & ideò de illis dicebat Chriſtus Dominus [d]: *Super cathedram Moyſi ſederũt Scribæ, & Phariſæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite: ſecundum opera verò eorum nolite facere.* Erant autem Scribæ, publici Notarij, quorum officium fuit non ſolùm publica inſtrumenta conficere; ſed etiam ſacras Scripturas incorruptas ſeruare, earúmque ſenſum interpretari. Quapropter, eandem perſonam & eſſe Scribam & Phariſæum, nihil vetabat: vt plurimùm tamen diſtinguebantur. Et quamuis haberentur Phariſæi religioſiores; addebant tamen eorum non pauci moribus ſuperſtitioſis errores grauiſſimos. Nam fato, ſicut Stoïci, multa tribuebant: quod etiam agnoſcit Ioſephus Iudæus ipſe & Phariſæus, addens, non propterea eos negaſſe arbitrij noſtri libertatem. Prætereà tranſmigrationem animarum, ſi bonæ fuiſſent, in alia atque alia humana corpora concedebant, iuxta doctrinam Pythagoræorum; malarum autem animarum in pecudes. Hinc orta eſt illa ſuſpicio [e] dicentium, fortaſſe Chriſtum eſſe Eliam, aut Ieremiam, aut Ioannem Baptiſtam, aut alium quempiam ex antiquioribus Prophetis: quaſi, nimirum, anima Eliæ, Ieremiæ, Ioannis Baptiſtæ, aut alterius ex Prophetis in Chriſti corpus eo tempore transfuſa fuiſſet. Erant quoque Phariſæi aſtrologiæ iudiciariæ valdè addicti, vt fusè à S. Epiphanio [f] explicatur. Scripturas autem diuinas falſis interpretationibus eos corrupiſſe ſæpiùs à Chriſto Domino conuicti ſunt. Sed error eorum omnium maximus, & malum ſupra omnia mala pernicioſiſſimum fuit, Chriſti Saluatoris doctrinam, & veri Meſſiæ aduentum non admittere, & nullã eius miraculis fidem præſtare voluiſſe; quin potiùs odio capitali vſque ad mortem, & poſt mortem eum perſecutos fuiſſe.

d *Matth. c. 23. v. 2.*

e *Matth. c. 16. v. 14.*

f *in panar. lib. 1. c. 16.*

Non defuerunt tamen inter illos boni, qualis fuit vir ille primarius Nicodemus, de quo dicitur in Euangelio [g]: *Erat autem homo ex Phariſæis Nicodemus nomine.* Et poſteà de ipſo narratur inferiùs [h], Chriſti patrocinium, ac defenſionem ſuſcepiſſe contra alios Phariſæos, qui in illum malo animo inſurrexerant. Huic non abſimilis videtur fuiſſe Gamaliel, Pauli Magiſter, qui etiam, Phariſæus cùm eſſet, Chriſti diſcipulos ab iniquo Iudæorum conſilio perdendi illos, magno ſtudio vindicauit. Atque hoc Magiſtro, Paulum adoleſcentem inductum fuiſſe ad ſuſcipiendum Phariſæorum inſtitutum, & eorum proprium viuendi genus, valdè eſt veriſimile: quod quidem eo tempore nondum erat tanta hypocriſi, ſuperſtitione, & corruptela Scripturarum deprauatum, ſicut apparuit annis ſubſequentibus in multis doctrinæ

g *Ioan. c. 3. v. 1.*

h *Ioan. c. 7. v. 50.*

Chriſti

Chriſti perfectiſſimæ, magnis eius miraculis, diuiniſque virtutibus ex inuidia & maleuolentia peruicaciſſimè obſiſtentibus. Quæ tamen vitia erant hominum, & non honeſtæ in ſe diſciplinæ Phariſæorum. Atque hinc erit facile intelligere, cur toties Paulus Phariſæum ſe fuiſſe profiteatur, atque etiam adhuc eſſe, cùm eſſet Apoſtolus: nec ſolùm Phariſæum, ſed etiam filium Phariſæorum, atque eam ſectam certiſſimam vocet k: *Quoniam*, inquit, *ſecundum certiſſimam ſectã noſtræ religionis vixi Phariſæus*. quaſi diceret: ſecundùm inſtitutum minimè dubiæ honeſtatis, & in ſe optimum, ideóque ab omnibus communiter approbatum, & commendatum. Quamobrem, ſi hoc vitæ inſtituto vitia, quæ ipſius non ſint, ſed hominum malè in eo viuentium, ſecernantur; verè Paulus, etiam poſtquàm erat Apoſtolus, potuit affirmare, ſicut aliquando in Concilio Phariſæorum, & Sadducæorum affirmauit l: *Ego Phariſæus ſum, & filius Phariſæorum*, nempe, quoad profeſſionem immortalitatis animorum, & futuram reſurrectionem, præmia æterna bonorum, & malorum ſupplicia ſempiterna: quæ omnia negabant Sadducæi, admittebant Phariſæi, & quoad alia veriſſima dogmata, & honeſtos mores fidei euãgelicæ, & Chriſtianæ perfectioni congruentes. Addidit prætereà Paulus m, ſe non ſolùm eſſe Phariſæum, ſed etiam filium Phariſæorum, fortaſſe vt ſignificaret, ſe Magiſtrum habuiſſe Gamalielem, virum Phariſæum, benè omnibus notum, cui, tanquam filius patri, fuerat addictiſſimus & obſequentiſſimus: ſiue vt proprium parentem indicaret, aut etiam vtrunque, tum patrem, tum Magiſtrum ſe habuiſſe profeſſione Phariſæum: cùm numero multitudinis affirmauerit, ſe filiũ eſſe Phariſæorum.

k *Act. c. 26. v. 4.*

l *Act. c. 23. v. 6.*

m *Act. c. cit.*

Quod verò aliqui dubitarunt, an Pauli germanus parens potuerit eſſe Phariſæus, propterea quòd penula veſte ſenatoria vteretur, profectò mouere quenquam ab ea, de qua diximus, ſententia non deberet: nam, cùm penulam illam, quam iſti conſiderant, peteret Paulus ad ſe mitti Romam, ſic de ea ſcribens Epiſcopo Timotheo n: *Penulam, quam reliqui Troade, veniens affer tecum*. nempe, quia illa ipſa, vt re propria, vti cogitabat; non tam patri, quàm filio ſenatoria illa veſtis obſtitiſſet, ne inter Phariſæos cenſeretur. Et mirum ſanè, ſi nullus Iudæorum donari Romana ciuitate potuiſſet, niſi Phariſaïca profeſſione, quæ tanti apud Iudæos æſtimabatur, ſe abdicaſſet. Quid, quòd per eam penulam, nihil minùs, quàm veſtem ſenatoriam ab Apoſtolo fuiſſe ſignificatum, optimi quique Interpretes arbitrantur? Nihil enim Apoſtolo in carcere conſtituto, & propediem morituro ſenatoria veſte opus erat; ſed aut ſacrum indumentum ſacerdotale, quod nos caſulam, ſeu planetam appellamus, vt videtur Tertulliano o; aut magis vulgarem veſtem ad arcendum frigus accommodatam; aut, quod aliis magis placet, nullum veſtimenti genus, ſed, ſicut habet Syrus Interpres, quandam librorum thecam. Sed hac de re alibi: nunc ſatis ſit diſciplinam Phariſæorum, qua ratione Paulus ſecutus ſit, hactenus oſtendiſſe.

n *2. Tim. c. 4. v. 13.*

o *Tertul. l. de orat. c. 12.*

CAPVT VII.

Fueritne Paulus in Iudaiſmo aliquatenus Nazaræus.

NOn parum implicata huiuſce rei dubitatio explicari commodè non poterit, niſi antea quænam

fuerit apud Iudęos vitæ ratio propria Nazaræorum exponatur. Nam, quod capite ſuperiore dicebamus, tres fuiſſe præcipuas ſectas Iudæorũ, Chriſti, & Pauli temporibus vigentes, nempe, Phariſæorum, Eſſenorum, & Sadducæorum, ſic eſt accipiendum, vt aliæ quidem plures; non tamen adeò celebres inuenirentur: vt Doſitheorum, Herodianorum, Hemerobaptiſtarum, Nazaræorum, & aliorum. Itaque præter mores, & inſtituta Phariſæorum, qui primarij omnium habebantur, de quibus ſuprà dictum eſt ſatis, Eſſeni vitam profitebantur perfectiorem; ſed erant ab aliis ſchiſmate ſeparati, nec in templo ſacrificare volebant, putantes ſe cæremoniis vti ſanctioribus. Sadducæi Hæretici negabant corporum reſurrectionem, Angelos & creaturas merè ſpirituales, ſiue etiam, vt aliqui referunt, omnes ſubſtantias ſpirituales, quæ omnia Phariſæi confitebantur [a]. Doſithei ab eſu animatorum abſtinebant, & Sabbathum adeò ſuſpicioſe obſeruabant, vt quò quiſque eorum habitu, ſitu, loco in die Sabbathi fuiſſet inuentus, vſque ad veſperam perduraret immobilis [b]. Herodiani credebant, Herodem Aſcalonitam Chriſtum eſſe Meſſiam: eò quòd ſub ipſo, & per ipſũ defeciſſet ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius. Quod iuxta prophetiã Iacobi Patriarchæ [c], ſignum erat aduentus Meſſiæ. Hemerobaptiſtæ ſic appellati ſunt, quia diebus ſingulis baptizabantur, vanè perſuaſi, non poſſe hominem puram ac ſanctam vitã traducere, niſi aqua ſingulis diebus mergeretur, & benè ablueretur. Ita de his refert S. Epiphanius [d], quibus addit eiuſdem ætatis Hæreticos Nazaræos, qui libros Moyſis non recipiebant, nec offerre ſacrificia more Iudæorum volebant, & ab animalium eſu abſtinebant, ſimiles in hac re Sadducæis. Sed de his hominum ſuperſtitionibus, & abſurditatibus non agimus in præſentia, cùm quærimus, an Paulus in Iudaiſmo aliquatenus fuerit Nazaræus.

a *Act. c.* 23. *v.* 8.
b *Orig. periar. l.* 4.
c *Gen. c.* 49. *v.* 10.
d *S. Epiphan. in panar. lib.* 1. *c.* 17. *Idem ibid. c.* 18. *&* 19.

Alij fuerunt Nazaræi antiquiſſimi, quorum inſtitutum valde religioſum non fuit humanæ adinuentionis, ſed à Deo præſcriptum. Vnde per Amos Prophetam populo Iſraël dicebat Deus [e]: *Ego ſum, qui aſcendere vos feci de terra Ægypti, & ſuſcitaui de filiis veſtris in Prophetas, & de iuuenibus veſtris Nazaræos.* Ex quibus verbis intelligimus, ſolitos Iudæos, in iuuentute potiſſimùm, qui id vitæ genus elegiſſent, Deo ſe conſecrare inter Nazaræos, vt modò faciunt, qui ſe Deo dedicant in Familiis Religioſorum, quibus valde ſimiles fuerunt Nazaræi. Quærimus itaque, an Paulus in adoleſcentia, vel iuuentute, horum inſtitutum aliqua ratione ſecutus ſit: quod quale fuerit, à Moyſe deſcribitur, aut potiùs per Moyſem præſcribitur ab ipſo Deo in libro Numerorum ita mandante [f]: *Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos: Vir, ſiue mulier, cùm fecerint votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint Deo conſecrare, à vino, & omni, quod inebriare poteſt, abſtinebũt.* Et hoc erat primum, quod cauere debebant Nazaræi tanta obſeruantia, vt, ſicut ibidem præcipitur, nec vuas, ſiue recentes, ſiue ſiccas, nec acinum illarum, nec acetum, aut aliud quidquam ex fructu vitis quomodocũque expreſſum guſtare permitterentur. Secundò, Nazaræi comam promiſſam ſinebant creſcere, vt hoc ſigno ſe à cultu & deliciis corporis eſſe ſeparatos demonſtrarent. Vnde Samſon, qui fuit Nazaræus, vt legitur in Iudicum libro [g], ab importuna muliere delinitus, & deceptus, reddens illi rationem ſuæ fortitudinis,

e *Amos c.* 2. *v.* 10.
f *Num. c.* 6. *v.* 2.
g *Iud. c.* 16. *v.* 17.

titudinis, dixit: *Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum, quia Nazaræus, id eſt, conſecratus Deo, ſum de ventro matris meæ: ſi raſum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, & deficiam, eróque ſicut cæteri homines.* Et ita factum eſt, vt à muliere detonſus, in cuius ſinu obdormiuerat, primùm fortitudinem amitteret; deinde oculos, obcæcatus a Philiſthæis; ac denique vitam. Tertiò, funeri mortuorum intereſſe Nazaræi prohibebantur, etiamſi mortui fuiſſent eorum pater aut mater. In qua re habebantur religioſiores quàm alij communes Sacerdotes: hi enim poterant intereſſe funeri ſaltem patris, matris, fratris, & ſororis: & æquabantur in hoc Nazaræi Summo Pontifici, qui nullius planè funus, nec patris, nec matris adire permittebatur, ſicut ei mandatum fuerat à Domino in Leuitico h, & hoc etiam hodie à Summis Pontificibus in Eccleſia Chriſti, non ritu veteri, ſed maieſtate ſanctiori obſeruatur. Habebant præterea Nazaræi varias expiationes & ſacrificia, ſi eos contaminari aliqua tranſgreſſione in ſimilibus contigiſſet. Studio quoque legis, & meditatione rerum diuinarum maximè occupabantur. Ab aliorum commercio, & conuictu, vel ſemper, vel ad certum tempus ſe abdicabant. Neque ſolùm vini abſtinentia, ſed etiam aliis vitæ ſeuerioris exercitationibus corpus affligebant, præſertim qui pœnitentes appellabantur: nam alij magis ſe eſſe contemplantes profitebantur. Dicti autem ſunt Nazaræi à cæſarie; quia benè comati primo aſpectu apparebant, & inde potiſſimùm à cæteris diſcernebantur: deinde, quia ſeparati ab aliis: tertiò, quòd eſſent Deo conſecrati: quartò, quia ſuis illis intonſis crinibus veluti corona erant redimiti: quatuor ſiquidem hæc, vox, *Nezer*, ſignificat, nempe, cæſariem, ſeparationem, conſecrationem, atque coronam: vnde *Nazir*, id eſt, Nazaræus, quaſi comatus, ſeparatus, conſecratus, & coronatus dicebatur.

h *Leu. c. 21. v. 11.*

Ad Paulum igitur, propter quem ad iſta digreſſi ſumus, redeuntes, quòd ipſe perpetuus fuerit Nazaræus, ſicut fuit Samſon, vt dictum eſt, & Samuel Propheta i, & alij, quos Deus ad magna in Teſtamento veteri deſtinauerat, affirmare certò non poſſumus: at fuiſſe Nazaræum ad certum tempus, quod non erat in lege definitum, ſed pro ſua vnuſquiſque deuotione ſibi ſtatuebat, agnoſci poteſt ex S. Luca in Actis apoſtolicis k, vbi dicitur Paulus Nazaræorum inſtituta, ſimul cum quibuſdam aliis Nazaræis obſeruaſſe minimum, a vino abſtinendo, certas oblationes Deo offerendo, cæſariem, quam promiſerat, reſecando, vt ſimul cum ſacrificio pacificorum cremaretur, non ad caput tantummodo illo capillorum onere alleuiandum, vt aliqui opinantur; neque, vt aliqui ſuſpicantur, ex fictione, ſed ex animo adimplendi, quod ſanctè prius Deo vouiſſet, & honeſtè eo tempore profitebatur. Vnde benè cum erudito Baronio aliqui arguunt l, vbi Paulus inopinatò, & ante vnum tantùm diem rogatus fuiſſet aliquando a ſenioribus Iudæorum, vt illas Nazaræorum cæremonias, & oblationes cum aliis eiuſdem inſtituti ad cõmunem ædificationem exhiberet, fieri minimè potuiſſe, quin iſta iam pridem obſeruare nuncupato voto non ſtatuiſſet. Nam teſtatur Ioſephus Iudæus in ſecundo libro Iudaïcarum Antiquitatum m, conſueuiſſe Nazaræos extremis illis temporibus, ſaltem per triginta dies, orationi vacare, antequam hoſtias immolarent: abſtinere quoque à vino, & poſtremò capillos ra-

i 1 *Reg. c. 1. v. 3.*

k *Act. c. 18. v. 18. & 21. v. 23.*

l *Baron. an 58. Corn in Ep. Pau. li. de Progat. c. 4.*

m *Ioſep. l. 2 Ant. c. 15.*

dere. Ex quibus colligi planè poſſe videtur, ait Baronius, Paulum, qui ex magna neceſſitate Timothei lãguenti ſtomacho prohibuit aquã bibere, & vt modico vino vteretur præcepit, à vino penitùs tẽperaſſe: ſicque haud impoſſibile ei fuiſſe, quòd abſtemius ſemper eſſe ſoleret, Nazaræorum in tẽplo munus explere. Alioquin fuiſſet hæc potiùs quædã legis illuſio, & ſimulatæ ſanctitatis effictio, & tanquam in fœno fabula, ac in re geſta mendaciũ affectatum. Indigna prorſus hæc omnia, quæ non tantùm de Apoſtolo, ſed nec de quolibet Chriſtiano dicantur. At, nec ſeniores legem æmulantes Paulo Nazaræorum numeros ſuaſiſſent explere, niſi in omnibus compertum habuiſſent, ea omnia faciendi illi pariter facultatem in promptu fuiſſe. Hæc Baronius.

Ex his nos vltrà deducimus, Paulum, qui Iudaïcos ritus Nazaræorum & cæremonias illas adhuc Apoſtolus obſeruabat tanquam ex proprio inſtituto, multò magis in Iudaïſmo, cuius erat zelantiſſimus, talia præſtitiſſe: niſi enim, antequàm ad euangelicam fidem conuerſus eſſet, obſeruare ſimilia conſueuiſſet, haud apparet veriſimile, id poſteà feciſſe, & tunc primùm voluiſſe Nazaræum ſe profiteri, quando nouam Euangelij legem ſuſcipiendam, & veterem abolendam demonſtrare modis omnibus ſatagebat. Imò illud obiicere meritò aliquis poſſet, mirum non eſſe, ſi Paulus in iuuẽtute, & antequã Chriſtiana ſacra ſuſciperet, quemadmodum ex vitæ inſtituto Phariſæus, ita etiã Nazaræus vixerit aliquando: ſed quod in ea religione, & quaſi ſuperſtitione iã Apoſtolus adhuc perſeueraret, hoc eſſe dignum admiratione. Ad id tamen ita reſponderi facilè poteſt, ſicut Phariſaïcam diſciplinam ex ſe bonam & honeſtam, quamuis hominum vitio deprauatam, cum Chriſtiana fide & moribus euangelicis ita commutauit Apoſtolus, vt, ſicut expoſitum à nobis fuit in capite ſuperiori, ex ipſius Apoſtoli verbis, & publica confeſſione ipſe non ſolùm ſe fuiſſe, ſed etiam adhuc eſſe Phariſæum, in Concilio profeſſus ſit, ſcilicet, quoad illa, in quibus cum fide euangelica, & perfectione Apoſtolica mores & dogmata Phariſæorum conuenirent; ita etiam, & multò magis, potuit profiteri, ſe Nazaræum non ſolùm fuiſſe, priuſquam euangelicam legem ſuſciperet; verum etiam anteà. Nam viuendi ratio propria Nazaræorum fuit ex præſcripto & ordinatione diuina, & non ſicut ſecta Phariſæorum, ex inſtitutione humana; nec illa tantoperè, ſicut iſta, hominum vitio fuerat deprauata. Quapropter Iacobus quoque frater Domini dictus, cognomento Iuſtus, & ipſe Chriſtus Dominus dicuntur geſtaſſe comam ritu Nazaræorum; & ſunt, qui de Chriſto prophetatum velint, quod in figura Sãſonis parenti de filio fuit ab Angelo prædictũ o: *Non tanget nouacula caput eius: erit enim Nazaræus Dei ab infantia ſua, & ex matris vtero; & ipſe incipiet liberare Iſrael de manu Philiſthinorum.* Et quod eſt apud Ieremiã dictum de antiquis Nazaræis p, accõmodat Eccleſia ſanctis Apoſtolis, & Martyribus: *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores.* Quin etiam morem deponẽdi, ſacra cæremonia capillos capitis, iis qui profiteri vellent vitam eccleſiaſticam, à Nazaræis acceptum multi tradiderunt: diſertè autem S. Iſidorus q his verbis in quodã Concilio inſertis: *Tonſuræ eccleſiaſticæ vſus à Nazaræis, ni fallor, exortus eſt: qui*

o *Iud. c. 13. v. 5.*

p *Ierem. lam. c. 4. v. 7.*

q *S. Iſid. lib. 2. de diu. off. c. de tonſ. in Conc. Aquiſgr. 1. c. 2.*

prius

prius crine ſeruato, denuò poſt vita magnam cōtinentiam, deuotione completa, caput radebant, & capillos in ignem ſacrificij ponere iubebantur; ſcilicet, vt perfectionem deuotionis ſua Domino conſecrarent. Huius ergo exempli vſus ab Apoſtolis introductus eſt, vt qui diuinis cultibus mancipati, Domino conſecrantur, quaſi Nazaræi, id eſt ſancti Dei, crine præciſo innouentur. Cur autem Eccleſiaſtici in lege euangelica Nazaræos antiquæ legis non tam imitentur in alendis, quàm in reſecandis, & tondendis crinibus, rationem reddit S. Auguſtinus r: quia coma velamen eſt capitis: velata autem magis erant in veteri Teſtamento myſteria fidei, quàm in lege euāgelica: vt proptereà dicat Apoſtolus de Iudæis ſ: *Obtuſi ſunt ſenſus eorum: vſque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non reuelatum, quoniam in ipſo euacuatur: nos autem reuelata facie gloriam Domini contemplantes*, &c. Denique, fuiſſe optime præſignatos Religioſos noui Teſtamenti in Nazaræis, qui fuerunt in veteri Teſtamento habiti omnium religioſiores & ſanctiores, fuse docuerunt ſancti Eccleſiæ Patres y, & alij recentiores. Nobis ſatis fuerit oſtendiſſe, rudia hæc euangelicæ perfectionis, & religioſæ vitæ lineamenta pridem in Paulo, ſiue iuuene, ſiue adhuc etiam adoleſcente: neque enim certum tempus licet definire, fuiſſe ea, qua diximus, ratione præſignata.

r S. Aug. lib. de op. Monach.

ſ 2. Cor. c. 3. v. 14.

y S Greg. lib. 32. Mor. c. 17. Naz. or. in S. Baſ. S Th. 2. 2. q. 186. a 6. Plat. lib. 2. de bono ſtatu Relig. c. 39. Cornel. à Lap. in c. 6. Num. & in c. 4. lamen. Ier. v. 7.

CAPVT VIII.

De perpetuo Pauli cœlibatu, & caſtimonia.

QVi malè, aut minùs quàm oportuit, benè ſenſerunt de Pauli perpetuo cœlibatu, varij fuère, tum Hæretici, tum Catholici quidam Auctores, quorum hic referre ſententias debemus, & malè opinandi haud firma ipſorum fundamēta proponere, tum hîc, tum capite ſequēti funditùs euertenda. In primis itaque Hæretici Ebionei, ſicut de illis refert S. Epiphanius a, plura circa id mendacia per ſummam calumniam confinxerunt dicentes, Paulum, quem, vt cœlibatus & virginitatis propugnatorem, capitali odio proſequebantur, nequaquam cœlibem, ſed nec Hebræum genere fuiſſe, verùm ex Græco parente in Cilicia natum, inde Ieroſolymam profectum adamaſſe filiam Sacerdotis; &, vt illam in vxorem obtineret, ad Iudæorum religionem tranſiſſe, atque ita proſelytum factum circunciſionem ſuſcepiſſe. Cùm verò vxorem, quam ſibi quærebat, non fuiſſet conſecutus, ira concitatum, contra Sabbathum & circunciſionem, ac veterem legem apoſtatando multa docuiſſe, & ſcripſiſſe. Simili vano prætextu Hæretici noſtri temporis, Lutherus, Caluinus, Petrus Martyr, & horū ſequaces, ad improbandum Eccleſiaſticorum cœlibatum, contēdunt ex verbis ipſius S. Pauli perperam interpretatis oſtēdere, Apoſtolum, non ſolùm antequàm ad Chriſtum conuerteretur; ſed adhuc in Apoſtolatu propriam vxorem habuiſſe. Quæ verba S. Pauli infrà referenda exponens Caietanus b in priorem Epiſtolam ad Corinthios, cùm negaſſet, inde colligi poſſe, Paulum aliquando vxorem habuiſſe; tamen poſteà exponens Epiſtolam ad Philippenſes c, ſic ait: *Diſputare hic, an Paulus habuerit vxorem, ſuperfluum duxi, cùm ex aliis locis Epiſtolarum eius nihil certi habeam; & hic locus videtur cogere, non ratione demonſtratiua, ſed ſenſu valde rationabili,*

a S. Epip. hær. 30.

b Caiet. in 1. ad Cor. c. 7.

c Id. in Epiſt. ad Philipp. c. 4.

bili, quòd Paulus habuerit vxorẽ. Quod non ſolùm multi Græcorum in dubium reuocarunt; ſed etiam, ſi epiſtolis Ignatij datur fides, affirmarunt. Idem ſenſit Ambroſius Catharinus in eandem Epiſtolam ad Philippenſes Commentaria ſcribens [d]: hac tamen moderatione, vt primùm nihil ſe dubitare aſſeueret, imò haberi pro certo à quocunque debere, ſiue Paulum, ſiue alium quemuis Apoſtolum, licet antea coniugatum, in apoſtolatu ab officio coniugali prorſus abſtinuiſſe. Et meritò: id enim ſatis apertè colligitur ex illis Euangelij verbis, vbi Petrus nomine omnium Apoſtolorum proteſtatus eſt, dicens [e]: *Ecce nos reliquimus omnia.* tum Chriſtus Dominus, quaſi exponens, quæ eſſent hæc omnia, ſubiecit: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut matrem, aut vxorem.* Deinde ait Catharinus, ex ſacra Scriptura non poſſe euidenter oſtendi de Paulo habuiſſe, vel non habuiſſe illum aliquando vxorem; quòd tamen habuerit, videri probabilius, & extare de hoc expreſſam reuelationem S. Brigidæ Sueuæ, quam tamen reuelationem ipſe non profert; nos verò infrà aliam illius aperriſſimam in contrarium afferemus. Tertiò dicit, non eſſe cur timeamus cōcedere, Paulum aliquando coniugio alligatum fuiſſe, quaſi propterea Hæreticis faueamus hoc tempore accuſantibus Eccleſiaſticorũ cœlibatum: quin potius id in Paulo agnoſcentes, faciliùs illos redarguemus: ſiquidem Paulus, cùm anteà vxorem habuiſſet, vt apoſtolico officio fugeretur, & propter apoſtolicam, & euangelicam perfectionem vxori nuncium planè remiſit. Igitur multò minùs expediet, vt qui ante contractas nuptias viram elegit eccleſiaſticam, aut religioſam, in eo ſtatu cogitet de vxore. Et hoc quidem benè ab hoc Auctore dictum eſt, Apoſtolo etiam atteſtante [f]: *Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem: volo enim vos ſine ſollicitudine eſſe: qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* Addit tamen Catharinus, videri ſibi probabile, Paulum in adoleſcentia vxorem duxiſſe; quia moris erat apud Hebræos, tempeſtiuiùs filiis vxores dare: tamen in domum ſuam illam non traduxiſſe, nec vnquam nouiſſe, quòd hoc differri aliquando ſoleret apud Iudæos; & interim ad Chriſtum vocatum, ſponſam ſuam intactam reliquiſſe.

Hæc opinio, vt pia, ita plauſibilis viſa eſt quibuſdam recentioribus [g], quia nihil prorſus obeſt Apoſtoli cœlibatui, quemadmodum nec perfectæ virginitati ſanctiſſimæ Deiparæ quidquam derogauit, quòd S. Ioſepho aliquando fuerit deſponſata. Et de B. Ioanne Euangeliſta (vt iſti aſſumunt, ſed falsò,) ex nuptiis fuiſſe à Chriſto vocatum legimus in Euangelio [h], quem tamen caſtitatem ac virginitatem vouiſſe non dubitamus. Præterea, quia id nullo modo fauere poteſt Hæreticis, quaſi liceat ab exēplo Pauli colligere, Sacerdotes, & Epiſcopos, quod ipſi volunt, poſſe ac debere eſſe coniugatos, atque adeò iniquam eſſe legem eccleſiaſticam id prohibentem. Cùm potiùs contrà, ſi propter Euangelium intactam, & incognitam reliquit Paulus, quam ſibi deſponſauerat vxorem, fortiùs arguamus, debere Sacerdotes euangelicos ab ineundo coniugio abſtinere. Nam & Apoſtolorum Principem Petrum coniugatum extitiſſe negari non poteſt: & poſtquàm ad euangelicam perfectionem vocatus eſt, à coniugio prorſus abſtinuiſſe. Quare ſi functio apoſtolica

d *Cath. in c. 4. ep. ad Philipp.*

e *Matt. c. 19. v. 27.*

f *1. Cor. c. 7. v. 32.*

g *Salmeron. tom. 13. d. 18. & alij apud ipſum.*

h *Ioan. c. 2. v. 1.*

apoſtolica & ſacerdotalis maritos adigit proprias vxores derelinquere, multò magis poterit Eccleſia legem ferre,qua in futurum miniſtri Eccleſiæ ad altaris ſacroſanćta myſteria deputati ab ineundo coniugio prohibeantur, & ſi quid huiuſmodi auſi fuerint, irritum & inane, non ſolùm illicitum, & inhoneſtum habeatur. Poſtremò,quia,ſi dicamus,hac ratione Paulum ſponſam habuiſſe,vt eam intactam propter Chriſtum dereliquerit, veterum Patrum ſententias, quæ inter ſe videntur eſſe contrariæ, facilè conciliabimus, affirmantibus quibuſdam; aliis verò negantibus, vxorem Paulo fuiſſe;nimirum,quòd vxor propriè non fuerit, ſed ſponſa tantummodo. Iam verò argumenta præcipua affirmantium,quę tam Hęreticis, quam Catholicis ferè ſunt communia,audiamus.

Primùm itaque arguũt ex eo, quòd in Epiſtola priori ad Corinthios de ſeipſo ſic ſcribit Apoſtolus i: *Dico autem non nuptis & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Quòd ſi non ſe contineant, nubant.* Igitur viduus,dicũt iſti, erat Apoſtolus, dum hęc ſcriberet,alioquin non benè ſe viduis proponeret in exemplum. Habuit ergo vxorem aliquando. Sed vlteriùs argumentantur Hæretici: quia, quando mortua ſit vxor Pauli, non conſtat, & mortuam eſſe quaſi repentino interitu ſtatim atque ipſe ad Chriſtum acceſſit, non apparet veroſimile. habuit ergo illam adhuc Apoſtolus aliquandiu, & cùm illa caruit, magis ex neceſſitate, quam voluntate caruit: quam ipſe neceſsitatem propter continentiam vertit ſibi in virtutem; aliis communiter tanta virtute deſtitutis facultatem fecit, vt, ſi non contineant, nubant. Sed peccat hęc argumentatio in pluribus:neque enim facultatem præbebat Apoſtolus omnibus nubendi, etiam iis,qui voto, vel Eccleſiæ præcepto à nuptiis prohibentur;ſed tantummodo liberis & ſolutis.Neque ſe in exemplum continentiæ tantùm exhibet incontinentibus, nullo autem modo continentibus. Neque ſi non ſtatim ad Chriſtum conuerſus defunctã repentino interitu amiſiſſet vxorem, propterea abſtinere ſtatim ab vxore non potuiſſet, aut eum & ſimiles viros apoſtolicos ita ſe gerere non decuiſſet. Denique,ſi ex eo colligunt viduum fuiſſe Apoſtolum, quia viduis ſeipſum exhibet in exẽplum, cur potiùs non inferunt fuiſſe innuptum, cùm ſe ſimiliter atque in primis imitandum proponat innuptis?*Dico*,inquit,*non nuptis & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut ego.* Sanè multò magis:nam ideò primo loco ſe proponit innuptis virginibus imitandum, & dum talium eſſet exemplar, eſſe non minùs, imò magis poterat viduarum: cùm tamen viduus viduis vt cunque; innuptis autem atque virginibus imitandum ſe nulla ratione prædicaſſet.

i 1. *Cor. c.7.v.8.*

Sed iam ſecundum non maioris ponderis argumentum contra Pauli cœlibatum audiamus, ex eadem ad Corinthios epiſtola priore deſumptum, vbi Paulus ſic ait k: *Nunquid non habemus poteſtatem manducandi atque bibendi? nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circunducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* Mulierem dixit γυναῖκα, vocabulo ambiguo,quod & mulierem ſignificat & vxorem: igitur Beza,Bucerus, & Petrus Pſeudomartyr legunt vxorem,ſcilicet, Pauli:alioquin,inquiunt,verbo circunducendi,quod mariti in vxorem ſignificat auctoritatem, vti non debuiſſet. Deinde, quid opus erat,ait Bucerus, addidiſſe mulierem, cùm dixiſſet ſororem?

k 1. *Cor. c.9.v.4.*

rorem? quaſi poſſit aliquis eam, quæ mulier non ſit, habere ſororem. Sed valdè falluntur: nam neque poteſt aliquis eum habere pro fratre, aut patre, qui non ſit vir; & tamen non
l *Act. c. 1. v. 29.* ſemel, tum Petrus l, tum Paulus m
Iudæos eo nomine compellarunt:
m *Act. c. 22. v. 1.* *Viri fratres, & patres.* Quòd ſi non
fuit neceſſe, mulierem addidiſſe, cùm dixiſſet ſororem, multò minus ſi dixiſſet vxorem: nam nomen ſororis deſtruit ſignificationem vxoris: quę enim pro ſorore habetur, haberi pro legitima vxore non poteſt. Deinde, ſi per vocem, γυναῖκα, non mulierem quancunque, ſed vxorem ſignificare voluiſſet, articulum, τὴν, addere debuiſſet: neque enim vxor niſi certa quædam mulier eſſe poteſt. Quòd autem dixit Apoſtolus, mulierem, ſiue, vt alij legunt, mulieres ſe circunducere potuiſſe, ſicut Petrus, & alij Apoſtoli interdum faciebant, nequaquam de auctoritate maritali, ſed magiſtrali, Eccleſiæ Patres dictum intellexerunt, quos infrà referemus. Ita Chriſtus Dominus pias mulieres aliquando circunducebat, non vt maritus vxores, ſed vt Doctor diſcipulas, & quaſi famulas, ſiue tanquam vitæ ac victus officioſas adminiſtras. Et propterea præmiſit Apoſtolus: *Nunquid non habemus poteſtatem mãducandi, & bibendi?* tum ſubiecit: *& ſororem mulierem circũducendi?* Quæ, videlicet, germana charitate ſubminiſtrent nobis temporalia, dum nos adminiſtramus ſpiritualia.

Tertium, quod maximè vrgent, argumentum eſt ex Epiſtola ad Phi-
n *Philip. c. 4. v. 3.* lippenſes n, vbi ſic ſcripſit capite
quarto S. Paulus: *Etiam rogo, & te, germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio.* Duas autem illas voces, *germane compar,* Græcè, γνήσιε σύζυγε, vertunt Zuinglius & Eraſmus, *germana coniux,* quaſi compellet his verbis Apoſtolus vxorem ſuam, quæ σύζυγος dicitur, id eſt, eiuſdem iugi, nempe, coniugij: propria itaque coniux. Sed hanc inuerſionem refellunt, non ſolùm Grǽcæ linguæ peritiſſimi Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, ac Theophylactus; ſed etiam Beza & Caluinus: quia, ſi vxorem ſuam Paulus intellexiſſet, femininè potiùs dixiſſet, γνησία σύζυγη, germana coniux, quàm γνήσιε σύζυγε: & quamuis apud Græcos, σύζυγος, generis poſſit eſſe cõmunis, non tamen ita γνήσιος. Prætereà, quamuis Atticorum ſit aliquando feminea efferre maſculinè: communiter tamen non ſic accipitur, nec Atticorũ, vt ait Theophylactus, affectare elegantias Apoſtolus conſueuit. Deinde, quia, ſi qua fuit vxor Pauli, benè ait idem Theophylactus, non Philippi, quò hæc Epiſtola dirigitur, habitaſſet; ſed vel Tarſi, nempe, in Pauli patria, vel Ieroſolymis. Quare Theodoretus in ea Pauli verba pro Commentario ſic ſcribit: *Comparem nonnulli ſtultè exiſtimarunt eſſe Pauli vxorem, non attendentes ea, quæ ſcripta ſunt in Epiſtola ad Corinthios: quod, ſcilicet, ſe retulerit in numerũ cœlibum: Dico enim his, qui matrimonio iuncti non ſunt, & viduis: bonum, ſi permanſerint ſicut ego: quòd ſi ſe non continent, nubant. Et clarum quidem eſt, quod ſiue eſſet cœlebs, ſiue viduus, vxorem non habebat, & vxorem nunquam duxiſſe verius eſt.* Hæc Theodoretus. Comparem ergo, ſeu coniugem eum vocat, qui iugum Chriſtianæ obſeruantiæ ac pietatis ſecum trahit, & hortatur, vt ſit optimarũ mulierum in eadem pietate adiutor. Sic alibi
dixit o: *Nolite iugum trahere cum in-* o *2. Cor. c. 6. v. 14.*
fidelibus. non ſolum coniugia, ſed etiam conſortia, & cõſociationes cum talibus interdicens. Perinde igitur eſt dicere, *germane compar,* ac ſi dixiſſet,

ingenue

ingenue collega : vel etiam fortaſſe, vt S. Chryſoſtomus interpretatur, coniugem voluit ſignificare, non tamen Pauli, nec vllius vxorem; ſed maritum alicuius ex his, quæ ibidem nominãtur mulierum, vt Syntychis, aut Euodiæ. Nec eſt improbabile, quod Oecumenius & alij quidam ſuſpicantur, Syzigum eſſe proprium viri alicuius nomen, & qui fortè frater, non verò coniux eſſet illarum, quæ ibi nominantur mulierum, ait S. Chryſoſtomus, cui epithetum illud appoſuit Paulus, γνήσιε, ſyncere, ſiue germane, alludẽdo ad nominis ſignificationem: vt, ſi ei qui nomen haberet Conſtantius, diceremus: O germanæ vir Conſtantiæ! vel poſſet, vt alij exponunt commodiùs, & vt nobis videtur conuenientius, γνήσιος, proprium eſſe viri nomen, benè Philippenſibus noti, quem Apoſtolus σύζυγον, id eſt, collegam, ſeu collaboratorem ſuum agnominauerit. In ſumma, quiduis aliud, quàm vxorem Pauli agnoſcere in his verbis ſapientes quique Interpretes maluerunt.

Sed non contenti, qui contrariam tuentur opinionem ſiniſtris huiuſmodi ſacrarum Scripturarum interpretationibus, proferunt inſuper deprauatas quaſdam Patrum auctoritates, & maximè S. Ignatij Martyris, qui, cùm diſcipulus fuerit Apoſtolorum, & S. Pauli ſtudioſiſſimus, dubitandum non videtur, quin totum, quod de Pauli matrimonio ipſemet ſcripſit, habuerit omninò certum & exploratum. Hic igitur Ignatius in ſua, quam ſcripſit ad Philadelphios epiſtola [r], cùm circa medium epiſtolæ valdè cõmendaſſet virginitatem, hæc verba ſubiecit: *Non detraho cæteris Beatis, qui nuptiis copulati fuerunt: opto enim dignus ad veſtigia eorum in regno Dei inueniri, ſicut Abraham, & Iſaac, & Iacob, ſicut Ioſeph, & Iſaias, & cæteri Prophetæ, ſicut Petrus, & Paulus, & reliqui Apoſtoli, qui nuptiis fuerunt ſociati, qui non libidinis cauſa, ſed poſteritatis ſubrogandæ gratia coniuges habuerunt.* Atque hoc demum teſtimonium antiquiſſimi & probatiſſimi Auctoris, ſi non eſſet ex impoſtura, vt reuerà eſſe infra manifeſtè conuincemus, magnum afferret Pauli cœlibatui præiudicium. Profert deinde Eraſmus [ſ] aliud teſtimoniũ Clementis, quem ipſe vocat S. Petri comitem, ſiue memoriæ lapſu, ſiue inſcitia hiſtoriarum, cùm ſit Clemens Alexandrinus [x], qui Stromatum ſuorum libro tertio, contra eos diſputans, qui nuptias reprobabant, ſic ait: *Num Apoſtolos ſunt improbaturi? Petrus enim & Philippus filios procrearunt. Philippus filias collocauit in matrimonio. Paulus etiam non veretur in quadam Epiſtola ſuam appellare coniugem, quam non circunducebat, quòd non magno ei opus eſſet miniſterio. Dixit enim in quadam Epiſtola* [y]*: Nunquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circunducendi, ſicut & reliqui Apoſtoli? Sed hi quidem, vt erat conſentaneum miniſterio, quod diuelli non poterat, prædicationi ſcilicet, attendentes; non vt vxores, ſed vt ſorores circunducebant mulieres, quæ vna miniſtraturæ eſſent apud mulieres, quæ domos cuſtodiebant: per quas etiam in gynæceum abſque vlla reprehenſione, vel etiam ſuſpicione ingredi poſſet doctrina Domini.* Hæc ipſa verba in eandem ſententiam ex Clemente retulit Euſebius Cæſarienſis [z], & ex his Nicephorus Calliſtus [a], de quibus non eſt magnoperè curãdum: tum, quòd plures alij Patres ſunt pro contraria ſententia, quin & ipſe Apoſtolus, vt vidimus, pro ſeipſo: tum, quòd Clementis, & Euſebij ſcripta inter apocrypha à Gelaſio Papa numerentur, eò quòd interdum valdè falſa contineant;

r S. Ign in ep. ad Philad. circa medium.

ſ Eraſ in c. 4 ep. ad Philip.

x Clem. Alexãd. lib. 3. Strom. ante medium.

y 1. Cor. c. 9. v. 4.

z Euſeb. l. 3. hiſt. c. 24

a Nicep. l. 2. hiſt. c. 44.

neant; Nicephorus verò Græcus Auctor non admodum antiquus & ſchiſmaticus, qui etiam, cùm verba illa ex Clemente, & Euſebio tranſcripſiſſet, addere hęc ſua nō prętermiſit: *Multis autem, eiſque magnis apud nos viris non videtur Paulus coniugem habuiſſe: idque ex verbis eius, quibus virginitatem & cœlibatum commendat,* b 1. Cor. c.7.v.7. *colligunt, cùm dicit* b: *Peruellē equidem, omnes eſſe, vt ego ſum. Illud verò: Salue, mihi & tu compar. non mulieri, ſed viro cupiam ita fortaſſe nominato dictum putant.* Ita Nicephorus.

Ad extremum, teſtimonio etiam abutuntur Leonis IX. Summi Pontificis c, qui, ſicut à Gratiano refertur c apud Grat. d. 31. in Decretis, videtur præſupponere, mulieres illas, quas Apoſtoli circunducebant, & Paulus dixit, ſe quoque circunducere potuiſſe, eorum fuiſſe vxores. At nihil ea de re Pontifex definiuit, niſi quòd inde ſumentibus aliquod argumentum contra Eccleſiaſticorum cœlibatum, quaſi vſus coniugij Presbyteris eſſet permittendus, eludens eiuſmodi argumentum, ita reſpondet: *Vide, inſipiens: quia non dixit: Nunquid non habemus poteſtatem, ſororem mulierem amplectendi; ſed, circunducendi; ſcilicet, vt mercede prædicationis ſuſtentaretur ab eis; nec tamen deinceps vlterius foret carnale inter eos coniugium.* Quare illud expendens Pontifex, quod magis ad eius faciebat inſtitutum, eſſéntne, vel non eſſent vllius vxores illæ mulieres, ſub dubio reliquit: ſicut etiam Clementis Alexandrini diſcipulus Origenes d. d Orig. in c.1. Ep. ad Rom. Nec alij vllius nominis afferri poſſunt pro hac ſententia, cuius adhuc improbabilitatem toto ſequenti capite amplius oſtendemus.

CAPVT IX.

Verius videri, Paulum non ſolùm à coniugio abſtinuiſſe; ſed etiam ſemper virginem permanſiſſe.

PAucis, qui id negarunt, aut in dubium reuocarunt, plurimos opponemus, tum antiquitate, tum doctrina, tum ſanctitate præſtantiſſimos, Epiphanium, Chryſoſtomum, Ambroſium, Auguſtinum, Hieronymum, Hilarium, Tertullianū, Theodoretum, Bedam, & alios, quos anteà nominauimus, præter quamplurimos recentiores, qui tot, tantíſque Auctoribus facilè ſubſcripſerunt. Adeò vt, quamuis fateamur auctoritate Scripturarum omnium manifeſta, certum eſſe de fide, hanc ſententiam non poſſe conuinci; tamen haberi debere veriſſimam, non ſit dubitandum. Solùm allatum anteà teſtimonium S. Ignatij, grauiſſimi & antiquiſſimi Patris, poſſet aliquem remorari: ſed fraus deprehenſa iam eſt à pluribus eruditis viris, qui vetuſtiſſima exemplaria, tam Græca, quàm Latina reuolueſtes in celeberrimis Bibliothecis, Vaticana, Sfortiana, Florentina, Oxouienſi, & quæ non ita pridem ante Turcicam direptionem in Hungaria famoſiſſima fuit, Budenſi, aduerterunt, nomen Pauli inter coniugatos ab Ignatio in ſua epiſtola recēſitos minimè reperiri. Vt omninò credere debeamus, temeritate Librariorum, aut aliquorum nupturientium Clericorum fraude inſertum ibi fuiſſe nomen Pauli, & aliorum Apoſtolorum: vel audacia quorundam Hæreticorum, qui maximè Paulum ad defenſionem incontinentiæ ipſorum voluerunt habere patronum. Quod ſane perquàm veriſimile

mile inde apparet:quia,ſi attentè verba illa ſuppoſititia conſiderentur, eò ſpectant, vt velint ſignificare, Paulum,& alios Apoſtolos adhuc in apoſtolatu coniugio,& liberis procreandis operam dediſſe,quod nullus ſanæ mentis auſus eſt affirmare; & apertè S. Paulum, & S. Petrum, quin & Chriſtum Dominum contradicere ſupra demonſtrauimus. Deinde,etiáſi exemplaria antiquiora,quibus maior iure optimo debetur fides, non redarguerent exemplaria recentiora,de ſincera S. Ignatij verborum lectione prouocare poſſemus ad antiquiores Auctores, non Patres tantùm, qui pro cœlibatu aduersùs Hæreticos diſputationes, ac defenſiones inſtituerunt; ſed ad Hæreticos ipſos, qui eundem acerrimè impugnarunt. At Iouinianus, & Iouinianiſtæ, aliique veteres Hæretici, qui omnes vndique coniugij laudes contra virginitatem perueſtigabant,tale tanti viri teſtimonium quomodo neglexiſſent? Et Clemens Alexandrinus, vir alioqui tam eruditus, & prope illa tempora, qui contra vituperãtes nuptias argumenta, & teſtimonia vndique conquirebat,quomodo hoc maioris momenti prætermiſiſſet? Cur Euſebius Cæſarienſis,& Nicephorus Calliſtus, qui in eandem ſententiam teſtimonium Clementis adduxerunt, hoc multò maioris ponderis, ſi vere eſſet Ignatij,non curaſſent? An fortè huius Auctoris epiſtolas non legerunt? Hoc dici non poteſt:nam earũ ſæpe meminerunt,& fragmenta illarum benè magna in ſuis ſcriptis,ſicut ex libris Clementis,inſeruerunt. Sed, etiamſi concederemus, eos,qui contra virginitatem pro nuptiis diſputarunt,hac in parte non ſolùm negligentes,verùm etiam ſtupidos extitiſſe;num idem perſuadere nobis poterimus de tot aliis, qui pro cœlibatu diligentiſſimè ſcripſerunt, & in ſpecie pro cœlibatu Apoſtolorum,ac in ſingulari pro cœlibatu,& virginitate S.Pauli? Num affirmare tam audacter potuiſſent, ſi vel vnus illis Ignatius tam aperte obſtitiſſet? Certè Tertullianus in libro de Monogamia [b], loquens non ſolùm de Pauli cœlibatu,ſed aliorum etiam Apoſtolorum, ſic ait: *Petrum ſolum inuenio maritum per ſocrum, monogamum præſumo per Eccleſiam, quæ ſuper illum ædificata omnem gradum ordinis ſui de monogamis erat collocatura. Cæteros autem cùm maritos non inuenio, aut ſpadones intelligam,neceſſe eſt,aut continentes. Nec enim ſi penes Græcos communi vocabulo cenſentur mulieres, & vxores; ideò Paulum ſic interpretabimur, quaſi demonſtret, vxores Apoſtolos habuiſſe: ſi enim ibi de matrimoniis diſputaret Paulus,quod anteà fecerat, rectè videretur dicere: Nunquid non habemus poteſtatem,vxores circunducendi,ſicut cæteri Apoſtoli,& Cephas? At,vbi ea ſubiungit, quæ de victuaria exhibitione abſtinentiam eius oſtendunt, dicentis: Nunquid nõ habemus poteſtatem manducandi & bibendi? non vxores demonſtrat ab Apoſtolis circunductas,quas & qui non habent,poteſtatem tamen manducandi & bibendi habent: ſed ſimpliciter mulieres,quæ illis eodem inſtituto,quo & Domino, comitantes miniſtrabant.* Et in eodem libro [c] vocat Tertullianus Paulum Apoſtolum, ſpadonem euangelicum, ſpectans illud a Chriſto Domino de virginibus dictum [d]: *Sunt eunuchi propter regnum cœlorum.* & alibi ſæpè idem Auctor cœlibatus & continentiæ Pauli eſt firmiſſimus adſtipulator. Sanctus quoque Epiphanius [e] in eandem ſententiam ſcribens contra Valeſios Hæreticos, qui ad ſeruandam caſtitatem violenta corporis ſectione fiebant eunuchi, eos refellit exemplo Apo-

b *Tertul. l. de monog. c. 8.*

c *Id. ib. c. 3.*

d *Matth. c. 19. v. 12.*

e *S. Epip. l. 2. hær. 58. circa med.*

ſtolorum, & Religioſorum, dicens: *Quam generoſi Apoſtoli, & monaſticam vitam degentes, & deinceps virgines? Ioannes quidem & Iacobus, filij Zebedæi, qui manſerunt in virginitate; neque tamen propriis manibus membra reſecuerũt, neque nuptias contraxerunt. Velut etiam Elias in veteri Teſtamento, & Paulus, cùm ait: Dico autem inconiugatis, bonum eſt ipſis, ſi permanſerint ſicut ego.* Pro eodem eſt ſæpè S. Hieronymus [f]: nã in epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis, ita ſcribit: *De virginibus Apoſtolus inquit: Præceptum Domini non habeo. Cur? quia ipſe, vt eſſet virgo, non fuit imperij, ſed propriæ voluntatis. Neque enim audiendi ſunt, qui eum vxorem habuiſſe confingunt, cùm de continentia diſſerens, & ſuadens perpetuam caſtitatem, intulerit: Volo autem, omnes eſſe ſicut meipſum. & infra: Dico autem innuptis, & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut ego.* Et in libro priori aduersùs Iouinianum [g]: *Si autem*, inquit, *nobis Iouinianus illud oppoſuerit ad probandũ, quòd omnes Apoſtoli vxores habuerint: Nunquid non habemus poteſtatem mulieres, vel vxores circunducendi? quia vox, γυνὴ, apud Græcos vtrũque ſignificat, ſicut cæteri Apoſtoli? iũgat & illud, quod in Græcis codicibus eſt, qui voci ſignificanti mulieres, vel vxores, adiungit vocem, quæ ſignificat ſororem. Ex quo apparet, Paulum de illis loqui ſanctis mulieribus, quæ iuxta morem Iudaicum Magiſtris de ſua ſubſtantia miniſtrabant, ſicut legimus ipſi quoque Domino factitatum. Nam & ordo verborum hoc indicat; dixerat enim: Nunquid non habemus poteſtatem manducandi, ac bibendi? & ſubdit: aut ſorores mulieres circunducendi? vbi de comedendo, & bibendo, & de adminiſtratione ſumptuum præmittitur, & de ſororibus mulieribus infertur, perſpicuum eſt non vxorem debere intelligi: ſed eas, vt diximus, quæ de ſua ſubſtantia miniſtrabant. Quod & in veteri lege* [h] *de Sunamitide illa ſcribitur, quæ ſolita ſit Eliſæum recipere, & ponere ei menſam, & panem, & candelabrum, &c. Vox etiam illa, quæ additur, ſorores, tollit vxores, & oſtenditur in ſpiritu eas fuiſſe germanas, non autem coniuges.* Hactenus S. Hieronymus, qui, cùm in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis, enumerans epiſtolas à S. Ignatio ſcriptas, eius quoque, quæ eſt ad Philadelphios, expreſſam fecerit mentionem, ignorare, aut diſſimulare vtique non potuiſſet, ſi contrarium S. Ignatius de coniugio Pauli, & Apoſtolorum tam apertè ſenſiſſet. Sed iam S. Auguſtinum audiamus [l]: *Quidam non bene intelligentes putarunt, Paulum, non de muliere, ſed de vxore locutum eſſe, cùm dixit: Nunquid non habemus poteſtatem, mulierem ſororem circunducendi? Fefellit eos, videlicet, Græci verbi ambiguitas: quia & vxor, & mulier eodem Græco verbo dicitur: quanquam ita poſuerit Apoſtolus, vt falli non debuerint. Non enim mulierem tantùm dixit; ſed ſororem mulierem; neque ducendi, ſed circunducendi verbo vſus eſt. Veruntamen alios Interpretes non fefellit hæc verbi ambiguitas, qui eo loco, non vxorem, ſed mulierem interpretati ſunt.* Addamus S. Ambroſium [m]: *Volo*, inquit, *vos imitatores eſſe tanti Apoſtoli, vt vitam eius ſequamini, qui coniugij vinculum refugit, vt vinctus eſſet Chriſti* IESV. *Non potuiſſet ad tantam Apoſtolatus ſui peruenire gratiam, ſi fuiſſet colligatus coniugij contubernio.* Et in Commentario primæ Epiſtolæ ad Corinthios [n]: *Nõ diceret Paulus: Bonũ eſt innuptis, ſi ſint ſicut ego. niſi eſſet integer corpore. Nec diceret: Omnes homines volebam eſſe vt meipſum. ſi enim habuerit vxorem, & hoc dixit, virgines eſſe noluit. Sed abſit: ſic enim à pueritia ſpiritui ſeruiuit, vt huius rei ſtudium non haberet, quippe*

cum

[f] S. Hier. epiſt. 22. ad Euſt.

[g] S. Hier. l. 1. cont. Iouinian. poſt med.

[h] 4. Reg. c. 4. v. 10.

[l] S. Aug. l. de oper. Monach. c. 4.

[m] S. Ambroſ. in exhort. ad virg. poſt med. tomo 1.

[n] Id in c. 7. ep. 1. ad Cor. v. 8.

cùm iuuenculus anticipatus ſit à gratia Dei. Denique, vt alios omittamus, & ab auctoritatibus ad rationes veniamus, S. Hilarius ° ex eo, quod dixit Apoſtolus de ſeipſo: *Volebam omnes homines eſſe ſicut meipſum.* virginem eum fuiſſe pro certo aſſumit; & ideò illum dicit beatæ virginitatis fuiſſe magiſtrum. Poſſumus prætereà ſic arguere firmiſſima cõiectura: quia propter eximiam ſuam erga omnes charitatem conſueuit Apoſtolus, cùm boni aliquid aliis optat, ac deprecatur, nõniſi excipiẽdo imperfectiones, ſi quæ fuerint, id exoptare. Quare, cùm aliquãdo catena vinctus Agrippæ Regi ſiſteretur, eique multis audientibus fidem Chriſti vellet perſuadere, dicebat p: *Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantùm te, ſed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego ſum, exceptis vinculis his.* Cur ergo loquens, tam nuptis, quàm innuptis, viduis, & virginibus, & dicens q: *Volo omnes eſſe ſicut meipſum: & bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint ſicut & ego.* non addidiſſet: exceptis vinculis matrimonij, aut nuptiarum, ſi quidem his ipſis fuiſſet alligatus? An, quia confundebatur palam id fateri? Imo verò in huiuſmodi ſuimet accuſationibus, vt magis oſtendemus capite ſequenti, ſolet eſſe profuſior. Vnde in ſecunda Epiſtola ad Corinthios r, varias enumerans ſuas miſerias, & ſtimulum carnis, atque Angelum Satanæ colaphizantem: *Si*, inquit, *gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor.* & infra: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.* Deinde, ſi vxorem habuit aliquando, vbi manſit? qualis vixit? quando mortua? num fidelis, an infidelis? Si infidelis, de illa ad fidem inducenda cur Gentium Prædicator non fuit ſollicitus? qui ſ etiã optabat anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis, qui ſunt cognati eius ſecundùm carnem, vt eos ad Chriſtum conuerteret? Si erat fidelis, cur in ſuis ipſe Epiſtolis ſalutem tam multis impertiens, eius quoque aliquando non meminit? At dicunt, hoc eſſe, quod in fine Epiſtolæ ad Philippenſes adſcripſit: *Etiam rogo & te, germana coniux.* quamuis, *germane compar*, legatur lectione vulgata. Sed, ſi non ſufficiant, quæ contra prauam hanc interpretationem sũt dcta ſuperiùs, nunc eius abſurditas hac ratione demonſtratur. Quia conſtat ex capite ſeptimo prioris Epiſtolæ ad Corinthios, Paulum tunc vxorem non habuiſſe, cùm ita de ſe ſcribat: *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut ego*, id eſt, innuptus. At hæc Epiſtola ad Corinthios ſcripta fuit, antequàm Paulus iret Ieroſolymam, vt habetur ex vltimo capite illius Epiſtolæ, qua ſcripta iuit Ieroſolymam, ibique captus, miſſus eſt Romam: dum autem Romæ ageret, in vinculis ſcripſit Epiſtolam ad Philippenſes: nam propterea initio illius Epiſtolæ t aliquoties vinculorum ſuorũ facit mentionem, dicens, ea manifeſtata fuiſſe in omni Prætorio, nempe Neronis, & multis fiduciam Euangelium profitendi addidiſſe: & in fine Epiſtolæ: *Salutant vos, inquit, omnes ſancti, maximè autem, qui de Cæſaris domo ſunt.* Ergo, ſi nondum habuit vxorem, quando ad Corinthios ſcripſit, multò minùs habuit poſteà, cùm Romæ vinctus ſcriberet ad Philippenſes; niſi quis fortè ita deſipiat, vt putet, Paulum iam ſenem, & ad palmam beati martyrij feſtinãtem, tunc demum vxorem ducere voluiſſe: quod non eſſe credibile fatetur etiã aduerſarius virginitatis, & cœlibatus Ioannes Caluinus in illius Epiſt. ad Philippenſ. Comment.

o S. Hil. in Pſal. 127.
p Act. c. 26. v. 29.
q 1. Cor. c. 7. v. 7.
r 2. Cor. cap 11. v. 30. & c. 12. v. 9.
ſ Rom. c. 9. v. 3.
t Philip. c. 1 v. 13. & c. 4 v. 22.

Sed,

Sed, quanto ſtudio, & amore pudicitiæ, maximè autem ſanctæ virginitatis Pauli animus exardeſceret, non ſolùm ex iis intelligi poteſt, quæ habet in ſuis epiſtolis de hac materia ab ipſo commendatiſſima, verùm etiam ex geſtis in primis cum Thecla, virgine nobiliſſima, & Pauli primogenita in Chriſto, ac virginum Protomartyre, ſummis laudibus à ſanctis Patribus celebrata. Hæc, vbi in Paulum incidiſſet, ſtatim omnem nuptiarum cogitationem depoſuit, etiamſi ſponſum iam haberet, vt ait
x *S. Epip. hær. 78.* S. Epiphanius x, formoſiſſimum, primarium vrbis, valdéque diuitem, ac generoſiſſimum. Quare S. Gregorius
y *Nicæn. hom. 14. in Cant.* Nicænus y, exponens illa verba Canticorum z: *Labia eius lilia ſtillantia*
z *Cant. c. 5. v. 13.* *myrrham primam. Talem*, inquit, *myrrham olim Paulus effundebat ex ore ſuo mixtam cum puro pudicitiæ lilio in ſanctæ virginis aures. Ea verò erat Thecla, quæ præclarè animo ſuo defluentibus de lilio guttis intra ſe receptis hominem externum morte opprimit, omni cogitatione, cupiditatéque carnalium extincta* Hæc cùm ita ſe haberet pro tempore, quo Chriſto ſub euangelica diſciplina militabat Apoſtolus, illud pro ætate ſuperiori oportet meminiſſe, quod anteà expoſuimus, fuiſſe illum in Iudaïſmo ſectæ Phariſæorum ſtudioſiſſimum, quorum inſtituta, leges, ac mores tam exactè obſeruabat, vt, ſicut ipſe de ſe teſtatur, æqualium nemini cederet in hac
a *Epip. l. 1. panar. c. 15.* parte. Refert autem S. Epiphanius a, Phariſaïcæ diſciplinæ obſeruantiores conſueuiſſe ad certum tempus quadriennij, octennij, aut decennij, & vltrà, virginitatem ſibi
b *Ioſeph. in Vita ſua.* præſcribere: & Ioſephus b Hebræus communiter Phariſæos non niſi in ætate prouecta ad nuptias ait accedere conſueuiſſe, quod etiam apud Gentiles, vt naturæ magis conſentaneum commendat Ariſtoteles c, & c *Ariſt. l. 7. Polit.*
nonnullos, qui coniugati iam erant, nouem, decémve annis ab vxoribus abſtinuiſſe, idem Ioſephus teſtatur, & de ſeipſo, cùm eſſet ex vitæ inſtituto Phariſæus, refert, totos annos triginta continentiam coluiſſe, neque poſteà niſi ætate matura nuptias admiſiſſe. Sed & illud obſeruandum ſuperiùs à nobis relatum, non modò Phariſæorum, ſed etiam Nazaræorum inſtituta Paulum à iuuentute ſectatum fuiſſe, quæ duo vitæ genera tunc ſanctiora, & religioſiora habebantur.

Ex his apparet, quàm parum ſit veriſimile, quod Ambroſius Catharinus, & alij quidam ſuperiori capite recenſiti probabile exiſtimarũt, Paulum in adoleſcentia ſponſum extitiſſe, & quàm incertum, & ſine fundamento, quod addiderunt, ſponſam in domum ſuam nondum traductam habuiſſe, cùm interim vocatus ad Chriſtum fuiſſet, ideò illam intactã reliquiſſe, ſicut legimus de Ioanne Euangeliſta. Nam hoc eſt planè diuinare; & quod aſſumitur de nuptiis S. Ioannis Euangeliſtæ, prorſus fictitium à magnis Auctoribus d iu- d *Tol. in*
dicatur: ſi enim Chriſtus Dominus e *c. 2. Ioan.*
ad illas nuptias in Cana Galilææ ce- *v. 1.* *Perer. ib.*
lebratas e inuitatus ſponſum propriæ *Mald. ib.*
ſponſæ eripuiſſet, non ad eas hono- *Bar. an.*
randas, & ad matrimonium appro- *31.*
bandum; ſed potiùs quodammodo f *Ioan. c.*
improbandum veniſſet, contra com- *2. v. 1.*
munem ſanctorum Patrum intelligentiam: neque S. Ioannes tam perfectè virgo extitiſſet, ſi quidem nubendi propoſitum habuit, & nuptias affectauit. Vnde Ebion Hæreſiarcha, oſor, & aduerſarius virginitatis, fabulam illam ſuprà relatam confinxit de Paulo adoleſcente, quòd filiã cuiuſdã Sacerdotis adamauerit, & in vxorem expetiuerit: neque tamen auſus

eſt

eſt dicere, nuptias cum illa, vel cum alia celebraſſe, qui tam procliuis ad calumniandum & mentiendum, ſi tale aliquid affirmare cum veritate de Paulo potuiſſet, multò minùs diſſimulaſſet. Denique, vt hoc caput concludamus, mirum ſanè, quod ibidem addit Catharinus, vxorem aliquando à Paulo ductam, extare expreſſum in reuelationibus S. Brigidæ; cùm ibi nihil ea de re inueniatur: ſed libro ſecundo planè contrarium, his verbis f in perſona Chriſti prolatis: *Petrus fuit alligatus coniugio, qui videns coniugium cum officio Clerici non poſſe conuenire, & rectitudinem mentis ſuæ in incontinentia periclitari perpendens ſeparauit ſe quantùm ad commixtionem à coniugio, quamuis licito; & perfecta mente adhæſit mihi. Paulus autem caſtitatem ſeruauit, & ſe immaculatum à thoro cuſtodiuit.* Idem de vtroque Apoſtolo repetitur libro octauo g. Sed de hac materia ſatis.

f *S. Brig. reu. l. 2. c. 7.*

g *lib. 8. reuel. c. 1.*

CAPVT X.

Qualis de cætero fuerit vita Pauli in iuuentute.

CVm ea, quæ ſpectant ad Pauli integritatem, ac pudicitiam, per omnes eius ætatis gradus ita ſe habeant, nempe, ſine nota, & ſine contumelia, ne videamur eius laudationem potiùs velle contexere, quàm hiſtoriam, exponere nunc debemus, quibus de cætero moribus ætatem peregerit, præſertim iuuentutem, ad animi perturbationes, & vitia procliuiorem. Nec aliunde huius rei veritatem peruestigabimus, quàm ex ipſiuſmet humili & ſyncera confeſſione, iuxta occaſiones varias in eius Epiſtolis expreſſa. Quia tamen interdum ex ſūma vindicis animi ſui demiſſione videtur excedere, aut ad culpas acriùs inſectandas, & magis amplificandas communem perſonam ſuſcipere; ideò alia eiuſdem teſtimonia prioribus opponamus, quibus, vt protegentis ſe gratiæ Dei beneficium agnoſceret, illa ipſa ſua vitia veritate victus iuſta moderatione extenuat, & excuſat. Atque ex horum collatione teſtimoniorū facilè deducemus, quid, omnibus conſideratis, de Saulo, nondum Paulo, id eſt, infideli adhuc, & Eccleſiæ perſecutore, nondum Apoſtolo, ac Gentium Doctore ſentire debeamus. Itaque ſic ait in Epiſtola ad Romanos de ſeipſo a: *Ego viuebam ſine lege aliquando: ſed, cùm veniſſet mandatum, peccatum reuixit: ego autem mortuus ſum, & inuentum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Nam peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit.* Quæ verba S. Auguſtinus exponens, ait b: *Hæc omnia poteſt videri Apoſtolus de ſua vita commemoraſſe præterita, & illud, quod ait: Ego autem viuebam aliquando ſine lege. ætatem ſuam primam ab infantia ante rationales annos voluerit intelligi. Quod autem adiunxit: Ego autem mortuus ſum. iam ſe præcepti capacem, ſed non efficacem, & ideò præuaricatorem legis oſtendere.* Addit tamen S. Auguſtinus, poſſe etiam intelligi, Paulum non in ſua, ſed in aliorum perſona eſſe locutum, nempe, eorum, qui ante legem Moyſi datam, & præcepta Decalogi, viuebant ſub lege naturæ. Quod etiam ſentiūt Sancti Ambroſius c & Chryſoſtomus. Sed tamen non patitur Paulus ad Epheſios ſcribens, excludi ſe a legis & mandatorum præuaricatione, cùm ait d: *Et vos cùm eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundùm ſæculum mundi huius, ſecundùm Principem*

a *Rom. c. 7. v. 9.*

b *S. Aug. l. 1 cōtra duas ep. Pelag. c. 9.*

c *Ambr. in c. 7. Epiſt. ad Rom. Chryſoſt. ibid.*

d *Epheſ. c. 2. v. 1.*

pem poteſtatis aëris huius, ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ: in quibus & nos omnes aliquando conuerſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri. Eadem quoque de re ad Titum ſcribens e: *Eramus*, inquit, *aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſeruientes deſideriis & voluptatibus variis, in malitia, & inuidia agentes, odibiles, odiẽtes inuicem.* Quòd ſi quis dicat, hæc omnia videri contraria iis, quæ de ſe alibi teſtatur, ſic ſcribens ad Philippenſes f: *Ego ſecundùm legem Phariſæus, ſecundùm iuſtitiam, quæ in lege eſt, conuerſatus ſum ſine querela.* ad hæc ita S. Auguſtinus reſpondet g: *Nec moueat, quòd Paulus ſcripſit ad Philippenſes, ſecundùm iuſtitiam, quæ in lege eſt, quòd fuerit ſine querela: potuit enim eſſe intus in affectionibus prauis præuaricator legis; & tamen conſpicua legis implere, vel timore hominum, vel ipſius Dei, ſed pœnæ formidine, non dilectione, & delectatione iuſtitiæ. Aliud eſt enim voluntate benè faciendi bene facere, aliud ad malè faciendum ſic voluntate inclinari, ſi hoc poſſet impunè permitti. Nam ſic profectò in ipſa voluntate peccat, qui non voluntate, ſed timore non peccat. In quibus interioribus ſuis talem ſe fuiſſe ſciens Apoſtolus ante gratiam Dei, quæ per* Iesvm *Chriſtum Dominum noſtrum eſt, hoc ad Titum & Philippenſes ſcribens apertiſſimè confitetur.* Hæc S. Auguſtinus. Adhuc tamen magis exaggerat peccatum ſuum Paulus ad Corinthios ſcribens, cùm ſe abortiuum appellat, & minimũ Apoſtolorum h: *Qui non ſum dignus*, inquit, *vocari Apoſtolus: quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Et ad Timotheum i: *Qui priùs*, inquit, *blaſphemus fui, & perſecutor & contumelioſus.* & infrà: *Chriſtus Dominus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.* Et rurſus ad Galatas ita de ſe ſcribit k: *Audiſtis conuerſationem meam aliquando in Iudaiſmo: quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam. Ac ſi diceret*, ait S. Hieronymus l: *Deuaſtabam illam quaſi quidam graſſator & prædo.* Et S. Chryſoſtomus m: *Vides, vt ſingula cum exaggeratione commemoret? nec pudet ſua mala confiteri. Non enim tantùm eſt perſecutus, ſed omni cum vehementia: nec perſecutus eſt modò, verùm etiam expugnauit: hoc eſt, conatus eſt Eccleſiam extinguere, ſubuertere, demoliri, abolere.* Sed oportet etiam attendere, quæ ibi ſubiunxit n: *Abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum.* & alibi o: *Secundùm æmulationem perſequens Eccleſiam Dei* p: *& ego quidem exiſtimaueram, me aduerſum nomen* Iesv *Nazareni debere multa contraria agere. Quod & feci Ieroſolymis, & multos Sanctorum ego in carceribus incluſi à Principibus Sacerdotũ poteſtate acceptâ: & cùm occiderentur, detuli ſententiam: & per omnes Synagogas frequenter puniens eos compellebam blaſphemare: & ampliùs inſaniens in eos perſequebar vſque in exteras ciuitates* q. *Sed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate mea.* Ex quibus verbis tria eliciuntur ad rem noſtram conſideratione digna, nempe, pro tot criminum ſanè grauium aliqua extenuatione, & qualicunque modo perpendenda excuſatione. Primum eſt ignorantia, de qua diſputans S. Thomas, & quærens, vtrùm ex ea peccatum diminuatur r, hæc ipſa protulit ad inueſtigandam veritatem Apoſtoli verba de ſe affirmantis: *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci. Si ergo*, inquit S. Thomas, *ratio remiſſionis peccati minuit aliquo modo peccatum, cum ignorantia*, teſte

e Tit. c. 3. v. 3.

f Philip. c. 3. v. 6.

g S. Aug. l. 1. cõtra duas ep. Pelag. c. 9.

h 1. Cor. c. 15. v. 9.

i Tim. 1. c. 1. v. 13. & 15.

k Gal. c. 1. v. 13.

l S. Hier. in c. 1. Ep. ad Gal.

m in ead. Ep. ad Gal. c. 1.

n Gal. c. 1. v. 14.

o Philip. c. 3. v. 6.

p Act. c. 26. v. 9. 10. 11.

q 1. Tim. c. 1. v. 13.

r S. Th. 1. 2. q. 76. a. 4. iuxta doctrinam.

S. Greg. in l. 4. Reg. c. 10 & lib. 25. Mor. c. 16.

S. Aug. in Pſ. 50. & lib. cõtra mendac. c. 19.

S. Chryſoſt. hom. 1. de conuerſ. S. Pauli.

S. Ber. ſer 1. de conu. S. Pauli.

recte Apoſtolo, ſit huiuſmodi, ea neceſſe eſt peccatū aliqua ratione diminuatur. Vt autem explicet, quomodo id fiat, ait, omne peccatū, vt peccatū ſit, debere eſſe voluntariū: itaque in tātum ignorantia diminui, in quantum ex ea minuitur eſſe voluntarium: quòd ſi ex toto voluntarium auferatur, actio prorſus culpa vacabit, & propriè non erit peccatum. Vt cùm ex ea ignorantia commiſſum eſt, quam inuincibilem vocant, & antecedentem, hoc eſt, ita voluntatem anteuertentem, vt præueniri ac ſuperari minimè potuerit: ſicut, qui proprium filium ignorans eſſe filium, & omninò putans eſſe hoſtem, ex tali ignorantia, quam omnino à ſe repellere non potuit, interfecit: quod eſt exemplū in hac materia Ariſtotelis f. Sed huiuſmodi non fuit Pauli perſecutoris Eccleſiæ ignorantia; erat enim vincibilis, cùm ipſe poſſet, ac deberet ex diuinis Scripturis, quarum erat peritus, & ex tot Chriſti miraculis, ex tanta vitæ & doctrinæ ſanctitate tot Chriſtianorum, & præſertim legis Doctorum & Sacerdotū Chriſto credentium agnoſcere, veram eſſe eam religionem, & Chriſtum expectatum Meſſiam mundi Redemptorem ac Saluatorem. Quare à culpa propter talem ignorantiam ex toto non potuit excuſari: non enim antecedebat penitùs voluntatem, ſed quodammodo ſequebatur. Quoniam verò non ſic talis ignorantia voluntatem Pauli ſequebatur, vt quaſi per ſe ac directè illam affectaret ac vellet, vt quidam valdè peruerſi, ad liberiùs peccandum: hac enim ratione culpam auxiſſet potiùs, quàm minuiſſet: ſed per accidens & indirectè, ſicut cùm aliquis, ait idem Doctor, ex tædio inquirendæ veritatis, aut fuga laboris in ſtudendo, vel ex intemperantia in vino immoderatè bibendo, impedit ſibi iudicij rectitudinem, vnde peccat in operando: & hæc ignorantia minuit voluntarium, atque adeò culpam in peccato. Talis autem fuit Pauli tunc perſecutoris ignorantia, & veluti ebrietas, & inſania, ex qua peccatum eius aliqua ratione minuebatur, vt minùs diuinam prouocaret indignationem, minúſque miſericordiam impediret. Ideò ipſe dicebat u: *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.*

f *Ariſt. lib. 3. Eth. c. 1.*

u *1. Tim. c. 1. v. 13.*

Secundum, vnde Pauli peccatum ex ſe grauiſſimum aliquo modo extenuabatur, erat zelus, æmulatio, & dira quædam cupido patrias leges, & inſtituta maiorum ab iniuria, vt ipſe reputabat, nouæ legis euangelicæ vindicandi. Atque hoc expreſsè ipſe ſignificauit, dicens x: *Ego quidem exiſtimaueram aduersùm nomen* I E S V *Nazareni debere multa contraria agere* y. *Æmulator exiſtens paternarum mearū traditionum; & ſecundùm æmulationem perſequens Eccleſiam Dei.* Ex quibus licet agnoſcere, fuiſſe Paulum acris naturæ, feruentioris, & ardentioris ingenij, ex quo facinora, tum bona, tum mala faciliùs erumpunt, & bona quidem plerunque commendabiliora; mala verò venia digniora. Id quod accommodatis ad rem noſtram exemplis S. Auguſtinus expoſuit dicens a: *Anima virtutis capaces ac fertiles premittunt ſæpè vitia, quibus hoc ipſum indicent, cui virtuti potiſſimum ſint accommodata, ſi fuerint præceptis exculta: ſic enim agricola, quā terram vident, quamuis inutiles, tamen ingentes herbas progignere, frumentis aptam eſſe pronunciant: & quem montem oleaſtris ſilueſcere aſpexerint, oleis eſſe vtilem, cultura accedente, non dubitant: ſic ille animi motus, quo Moyſes peregrinum fratrem à ciue improbo iniuriam perpetientem inultum eſſe non pertulit,*

x *Act. c. 26. v. 9.*

y *Gal. c. 1. v. 14.*

a *S. Aug. l. 22. contra Fauſtum, c. 70.*

pertulit, non ſeruato ordine poteſtatis, vitioſa quidem, ſed magna fertilitatis ſigna fundebat: ſic Saulum Eccleſiam perſequentem Deus de cœlo vocauit, proſtrauit, erexit, implicuit: tanquam percuſſit, amputauit, inſeruit, fœcundauit. Illa namque Pauli ſæuitia, cùm ſecundum æmulationem paternarum traditionum perſequebatur Eccleſiam, putans officium Deo ſe facere, tanquam ſyluestre erat vitium; ſed magna feracitatis indicium. Hæc S. Auguſtinus, diſputans contra Fauſtum Hæreticum Manichæum propter nonnullos huiuſmodi exceſſus Sanctorum, tum noui, tum veteris Teſtamenti, nimis acerbum calumniatorem.

Sed eſt tertium pro Hæreticis noſtri temporis antiquioribus illis nihilò modeſtioribus, aduertendum circa Pauli iuuentutem. Quod enim ipſe ait b, vixiſſe ſe aliquando ſine lege c, & conuerſatum in deſideriis carnis, faciendo illius voluntatem d, ſeruiendo variis deſideriis & voluptatibus, inſipientem, incredulum, errantem, in malitia, odio, inuidia, ſicut ex ipſius verbis anteà retulimus; Caluiniſtę e interpretantur, vixiſſe Paulum in Iudaïſmo ſicut Epicureum, profanum, abhorrentem à rebus ſpiritualibus & cœleſtibus, totum traditum voluptatibus, & peccatis carnis: ſic enim ipſi loquuntur, ſuo, ſcilicet, pede alios metientes. At hæc nullo modo poſſunt cum ea veritate conſiſtere, quam ſuprà certam reddidimus, fuiſſe, nimirum, ab adoleſcentia Paulũ profeſſione Phariſæum, quorum diſciplina non ad Epicureos; ſed potiùs ad Stoïcos, vt ait Ioſephus, accedebat f; & in iis maximè, quæ ad temperantiam & caſtimoniam pertinent, ea vitæ ratio erat ſeuera, in qua, ſi quis alius, ipſe fuerit obſeruãtiſſimus, perpetuò cœlebs, atque etiam virgo, & conſecratus Deo Nazaræus. Quare, quę ſibi adſcribit tam longa enumeratione culpatum, quatuor his modis erunt intelligenda. Primùm, quaſi more concionatorio prolata, in maiorem talium criminum deteſtationem. Secundò, quia non de ſe tantùm, ſed plerunque in caſu multitudinis loquebatur. Tertiò, facta collatione cum præſenti iuſtitia, & ſanctitate virorum apoſtolicorum, qui ſemper ad maiorem perfectionem aſpirabant: *Et qui, ſicut ait* S. Auguſtinus g refellens huiuſmodi calumnias Hæreticorum, *à cõſenſione prauarum libidinum iam liberi; de concupiſcentia tamen carnis, quam moderando frenabant, tanta humilitate & pietate gemebant, vt optarent, eam non habere potiùs, quàm domare.* Quartò denique, per voluntates, deſideria, & opera carnis, in quibus ſe fuiſſe, & quibus ſe aliquando ſeruiuiſſe deplorat Apoſtolus, ſunt ea opera intelligenda, quæ ipſe ſic enumerat ad Galatas ſcribens h: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia.* Non autem, quæ ibidem ſubiunguntur: *ebrietates, comeſſationes, immunditiæ, impudicitiæ.* Vnde ipſemet explicans de ſeipſo, quid per huiuſmodi praua deſideria intelligeret, quibus fatetur grauiter peccando ſe implicitum, ait: *Eramus enim aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, in malitia, & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem.* Quæ quidem Pauli errata, vbi magis expoſita fuerint duobus capitibus ſequentibus, tum demum cur permiſerit illum Deus in tam grauia peccata delabi, aperiemus.

b *Hom. c.7.v.9.*
c *Epheſ. c.2.v.2.*
d *Tit. c. 3.v.3.*
e *apud Feuard. dial.7.de Spirit.S.*
f *Ioſeph. l.18.Antiq c.2.*
g *lib. 1. contra duas ep. Pelag. c. 11.*
h *Gal. c. 5.v.19.*

CAPVT

CAPVT XI.

De ſæua in Protomartyrem Stephanum commota perſecutione, inſtigante & adiuuante Paulo.

STephanus autẽ plenus gratia & fortitudine faciebat ſigna & prodigia magna in populo, ait in Actis apoſtolicis S.Lucas a, referens ſæuam nimis perſecutionem contra Chriſti Eccleſiam excitatam, & præcipuè contra S. Stephanum. *Surrexerunt autem,* inquit, *de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia & Aſia, diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur.* Fuiſſe Stephanum, & Paulum, in eadẽ ſchola condiſcipulos, ſub inſigni legis Doctore Gamaliele, iam anteà diximus b, quin etiam fratres conſobrinos eos fuiſſe narrat Oecumenius, vnde flamma tantò vehementior exarſit æmulationis, & fraterni odij maius incendium: erant enim ambo præclaris ingenij dotibus inſigniti, plurimùm in ſtudio legis & Prophetarum vterque proficiebat: ſed Stephanus ætate minor vocanti Deo ſtatim ceſſit, repletus gratia, fortitudine, ac ſuperinfuſa cœleſti ſapiẽtia, Paulo interim obſtinatiùs contranitente, & reſiſtente. Vnde non eſt dubitandum, Gamalielem, qui Apoſtolorum ſuſceperat defenſionem, frementibus & furentibus in eos Principibus & Magiſtratibus Iudæorũ c, magis Stephano, ſuo diſcipulo, quàm Paulo, tunc exaſperato, in eadẽ ſchola fuiſſe. Hinc enim poſteà Mattyrem Stephanum à Iudæis impiè lapidatum curauit noctu aſportari in ſuo curru ad propriam villam, ibique in ſepulcro ſuo nouo perhonorificè ſepeliri d. Erat præterea S. Stephanus non ſolùm animi, ſed etiam corporis dotibus in ætate florenti perinſignis. Quare S. Hilarius e Arelatenſis, expendens quod de illo dicitur in Actis apoſtolicis f: *Intuentes eum omnes, qui erant in Concilio, viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli.* ſic ait: *Abundantia cordis tranſiuit in decus corporis; in exterioris gloriam candor interioris exundat; & abſcondita pectoris ornamenta ſpeculum frontis irradiant: habens intra ſe Spiritum ſanctum, os præ ſe geſtat angelicum. Nimirum, tali eum vultu internus habitator induerat.* Sed quod magis torquebat aduerſarios, erat grauiſſima quæſtio ardentiſſimè agitata de religione, de aduentu veri Meſſiæ, de iniquiſſima per ipſos procurata eius nece, erátque fortis nimis, & vehemens redargutio, qua Stephanus Prophetarum teſtimoniis, & præcipuè Moyſis, cui maximè fidebant Iudæi, illos vrgebat, & quanto in errore verſarentur fidem Euangelij non admittentes, oſtendebat, vanas eorum interpretationes refellebat, veritatem ſignis, ac prodigiis confirmabat, ipſorum nimiam duritiem increpabat, dicens g: *Dura ceruice, & incircuncìſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis: ſicut patres veſtri, ita & vos. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? & occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iuſti, cuius vos proditores & homicidæ fuiſtis: qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis* Erat diſceptatio hæc de materia ſummi momenti, non ſuſcepta cum paucis, ſiquidem Synagogæ Ieroſolymis eo tempore, vt in metropoli, numerabantur quadringẽtæ & octuaginta h, in quibus, tanquam in Collegiis, erudiebantur adoleſcentes, qui ex diuerſis prouin-

a *Act.* 6. v. 8, 9. 10.

b *ex ep. Luciani de inu. corp. S. Steph.*

c *Act. c.* 5. v. 34.

d *ex ep. Luciani anteà relata.*

e *S. Hil. hom. in feſto S. Steph.*

f *Act. c.* 6. v. 15.

g *Act. c.* 7. v. 51.

h *ex Sig. l. 3. de rep. Iud. c. vlt.*

ciis, & ex omnibus ferè mundi regionibus, vt diuinam legem addiſcerent, eò confluebant.

Sed, qui contra ſanctum Diaconum maximè inſurrexerunt, *fuerunt*, ait S. Lucas i, *quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia, & Aſia diſputantes cum Stephano.* vt ex quauis mundi parte impugnantes aliquos, inexpugnabilis veritas totum mundum perſuaſura pateretur: nempe, ſicut aliqui k interpretantur, ex Europa Romanos Libertinos; ex Africa Cyrenenſes, & Alexandrinos; ex Aſia illos, qui erant à Cilicia dicta hodie Caramania, quæ eſt in Aſia minori, & metropolim tunc habebat Tarſum, vnde Paulus aduenerat acri vir ingenio; & qui, ſicut de ſeipſo teſtatur l, proficiebat in Iudaiſmo ſuper omnes coætaneos ſuos, abundantiùs æmulator exiſtens paternarum traditionum: ac proinde illius Synagogæ, quæ erat à Cilicia, facilè princeps, aliorum dux, & inſtigator, cæco zelo Moſaïcæ legis proprio ingenio malè intellectæ in tranſuerſum actus, contra tantæ virtutis ſodalem, condiſcipulum, fratrem. *Et non poterant*, ait S. Lucas m, *reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur.* Vt verū per omnia redderetur, quod ſuis diſcipulis Chriſtus Dominus aliquando prædixerat, & promiſerat, dicens n: *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis.* Et o, *Abſque Synagogis facient vos: ſed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* Ita planè arbitrabatur Paulus, vnde dicebat p: *Ego quidem exiſtimaueram, me aduerſum nomen* Iesv *Nazareni debere multa contraria agere.* Facto igitur impetu furentis multitudinis in S. Diaconum, primùm extra Synagogam eum traxerunt: deinde perduxerunt extra portam, quę vergit ad Aquilonē, & porta Ephraïm dicebatur, poſteà verò S. Stephani eſt appellata p, vbi propter torrētem Cedron magna erat copia lapidum, quibus armati non ſolùm falſi teſtes, vt aliquibus viſum eſt; ſed etiam reliqua inſaniens multitudo, ſine vllo iuris ordine, ſine alia facta à politico Magiſtratu facultate, de innocentiſſimo Chriſti & veritatis euangelicæ præcone, tanquam de blaſphemo, extremum ſupplicium crudeliſſimè ſumebant: *Et teſtes*, ait S. Lucas q, *depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus.* Quod ipſemet Paulus, poſteà pro Chriſto, quem Iudæis audacter prædicabat, captus, cæſus, & tantùm non interfectus, aliquando faſſus eſt alta voce coram Deo, dicens r: *Domine, ipſi ſciunt, quia ego eram concludens in carcerem, & cædens per Synagogas eos, qui credebant in te. Et cùm funderetur ſanguis Stephani teſtis tui, ego aſtabam, & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum.*

Cæterùm, tria ſe nobis offerunt hac de re modò examinanda: primum, cur teſtes S. Stephanum lapidaturi depoſuiſſe dicantur propria veſtimenta: deinde, cur ſecus Pauli pedes: tertiò, cur adoleſcens dicatur fuiſſe tunc Saulus, ætate, vt videbimus, iam virili. In primis autem falſa eorum haberi debet opinio, qui veſtimenta ad Pauli pedes eo tempore depoſita dicunt fuiſſe Martyris Stephani; non verò teſtium eum lapidantium: occaſione ſumpta fortaſſis ex ambigua voce (*ſua*) cùm dicitur: *Depoſuerunt veſtimenta ſua.* & à ſermone quodam, qui S. Bernardo adſcribitur,

i *Act. c. 6. v. 9.*

k *Lor. in Act. c. 6. v. 9.*

l *Gal. c. 1. v. 14.*

m *Act. c. 6. v. 10.*

n *Luca c. 21. v. 15.*

o *Ioan c. 16. v. 2.*

p *Act. c. 26. v. 9.*

p *apud Bed. lib. de locis ſanctis, c. 1. & Baron. an. 34.*

q *Act. c. 7. v. 58.*

r *Act. c. 22. v. 19.*

adſcribitur, cùm ſit Petri Damiani ſ, vbi ſic legitur: *Depoſuerunt veſtimenta Martyris ſecus pedes perſecutoris, qui ad tactum ſacrarum veſtium, & orationibus lapidandi fuerat conuertendus.* At dubitari non poteſt, illa veſtimenta Martyris non fuiſſe, ſed ipſorum lapidantium, cùm, *ἱμάτια αὐτῶν*, non *αὐτοῦ*, id eſt, veſtes ipſorum, non ipſius, Græcè ſcriptum reliquerit ſacer Hiſtoricus, idémque ſimiliter exprimit antiqua interpretatio Syriaca: imò apertiſſimè ipſemet S. Paulus retulit de ſeipſo, dicens: *Ego cuſtodiebam veſtimēta interficientium illum* u. Cur autem ſuas veſtes depoſuerint illi teſtes, qui Martyrem erant lapidaturi, intelligi poterit ex Leuitico x, & Deuteronomio, vbi præceperat Deus, vt blaſphemus extra portam ciuitatis educeretur, & ab iis primùm, qui blaſphemiam audierant, hoc eſt, ab auritis teſtibus, qui eum accuſaſſent, lapidaretur, poſitis anteà ſupra caput blaſphemi manibus, tanquam ſuper hoſtiam piacularem, vel etiam ad prolatum contra reum teſtimonium ea cæremonia, & iureiurando confirmandum; deinde etiam à reliqua multitudine lapidibus opprimeretur. Sic illi duo periuri ſenes, qui contra innocentem Suſannam falſum teſtimonium dixerunt, in Daniele y deſcribuntur manus ſuas ſupra Suſannæ caput impoſuiſſe. Veſtes autem depoſuerunt, qui Stephanum erant lapidaturi, non niſi ſuperiores, vt ſunt pallia, non quaſi timentes, ne eius ſanguine, ſicut aliqui z interpretantur, macularentur; cùm lapidaturi deberent à longè ferire, & ſi ſanguis eò vſque reſilire potuiſſet, perinde veſtes inferiores maculaſſet: ſed neque, quod alij putarunt, ad vitandum æſtum, cùm hæc in ſumma hyeme, videlicet, in fine Decembris accidiſſe, infrà ſimus oſtenſuri: verùm vt ſic expeditiùs lapidarent, & brachio validiori Chriſti Protomartyrem impeterent.

ſ Petr. Dam. ſer. de 221 ph.

u Act. c. 22. v. 19.

x Leu. c. 24. v. 14. & 23. & Deut. c. 17. v. 7.

y Dan. c. 13. v. 33.

z Petrus Comeſt. & Cartuſ. in Act.

Quòd autem ad Pauli pedes teſtes iniquiſſimi ſua depoſuerint veſtimenta, ſocium illum tanti criminis, ſuaſorem, & hortatorem demonſtrant. *Quantùm*, inquit S. Auguſtinus a, *in illa cæde Paulus ſæuiebat, vultis audire? veſtimenta lapidantium ſeruabat, vt omnium manibus lapidaret. Sed, quid agis, Saule?* ait in alio ſermone. *Quid Martyr in Martyrem ſæuis? quia & tu lapidaberis aliquando pro Chriſto manibus alienis.* Non iaciebat ipſe Saulus contra Stephanum lapides; ſiue, quòd exequi per ſe tantum facinus horreret; ſiue, quia minùs eum deceret profeſſione literatum, & ex inſtituto vitæ Phariſæum; ſiue etiam, propterea quòd non vt miniſter, ſed vt extraordinarius Iudex aſſiſteret: & ideò fortè ad eius pedes veſtimenta teſtium lapidantium fuēre depoſita. Nam hoc ipſe indicare ſua illa coram Deo confeſſione videtur voluiſſe, cū dixit b: *Et ego, Domine, cùm funderetur ſanguis Stephani Martyris tui, aſtabam*, Græcè, *ἤμην ἐφεστὼς*, quod etiam reddi poſſet, eram ſuperſtans, ſiue præeram, & non tantùm intereram. Alio verò in loco ait idem Paulus de ſeipſo c: *Multos Sanctorum ego in carceribus incluſi, à Principibus Sacerdotum poteſtate accepta; & cùm occiderentur, detuli ſententiam.* *κατήνεγκα ψῆφον*, tuli ſuffragium. Quoniam verò peremptorium ſuffragium non ferri tunc, cùm occiderētur ad necem adiudicati, ſed anteà debuiſſet, non plùs eo loquendi modo cogimur intelligere, quàm conſenſu & approbatione facta, Saulum neci Stephani eſſe ſuffragatum: quippe cuius lapidatio, vt initio ſignificauimus, tumultuario furore inſanientis multitudinis, non autem ordine iuris

a S. Aug. ſer. 93. de de diuer. & ſer. 96.

b Act. c. 22. v. 20.

c Act. c. 26. v. 10.

iuris obſeruato, fuerit perpetrata. Quare, ſi quid auctoritatis in eo facinore ſupra alios facinoroſos Paulo quaſi tūc quæſtionario, vt eum vocat S. Auguſtinus d, tributa fuiſſe videatur; non fuit à Præſide, cuius erat iudicium mortis; ſed à Iudæorum Concilio, Synedrin appellato, cuius eò vſque legitima poteſtas non extendebatur: quod ampliùs in capite ſequenti erit explicandum.

d *S. Aug. ſer. 28. de SS.*

Nunc illud poſtremum, quod propoſuimus, videamus, cuius, videlicet, ętatis eſſet Paulus, qui adoleſcens hic appellatur, cùm Stephani martyrio intereſſet. Sed, vt rem planiùs inueſtigemus, oportet anteà tanquā certum aſſumere, necem huius Protomartyris in diem vigeſimamſextam menſis Decembris incidiſſe, hoc eſt, poſt illum diem, quo Eccleſia per annos ſingulos feſtiua celebritate colit Chriſti Domini noſtri natiuitatem: qua de re nos dubitare antiqua Eccleſiæ traditio non permittit, & Romanum, aliáque omnia Martyrologia, quæ natalem diem S. Stephani, poſt diem natalem Chriſti Domini conſtituunt. Idémque confirmant Sancti Auguſtinus, Nicænus, Bernardus, Fulgentius, & alij tam Græci, quàm Latini Patres, in ſuis ea die habitis ſermonibus, vel homiliis, in quibus diem illū natalitium S. Stephani appellant, quòd in eo per martyrium trāſierit ad beatam, & æternam vitā. Nec minùs certum & indubitatum aſſumere debemus, Stephanum ideò Protomartyrem eſſe communiter dictum, quòd primus poſt Chriſti Domini paſſionem, reſurrectionem, & in cœlum aſcenſionem martyrio fuerit coronatus. Quantùm verò inter Chriſti in cœlum aſcenſionem, & S. Stephani martyrium temporis intercesſerit, Romanum Martyrologium, tum antiquum, tum nouum, his verbis exponit quodammodo ambiguis: *Ieroſolymis hodie*, nempe, die vigeſimaſexta Decembris, *Natalis S. Stephani Protomartyris, qui à Iudæis non longè ab aſcenſione Domini lapidatus eſt.* Quibus antiqua Manuſcripta conſentiunt, necnon Adonis, Bedæ, Vſuardi, atque aliorum Martyrologia e. Vnde aliqui recentiores in eam adducti ſunt opinionem, vt dicant, non plùs interceſſiſſe temporis à Domini aſcenſione ad S. Stephani martyrium, quam trium circiter menſium, ponentes die tertia Auguſti fuiſſe S. Stephanum martyrio coronatum, quo die inuentio eius ſacri corporis celebratur. Sed aſſumit hæc opinio falſum, & rem aſſerit incredibilem: falſum, inquam, aſſumit in eo, quòd natalē S. Stephani diem, quem, vt diximus, certa traditione ſēper Eccleſia celebrauit die vigeſimaſexta Decembris, transfert in diē inuentionis, & rem addit creditu perdifficilem, nempe, omnia, quæ de S. Stephano in Actis apoſtolicis recenſentur, intra vnum, aut alterum menſem accidere potuiſſe. Nam poſt aſcenſionem in cœlum noſtri Redemptoris, poſt miſſum Apoſtolis Spiritum ſanctum, poſt aggregatam Eccleſiæ Chriſti magnam fidelium multitudinē, qui ſuas domos, agros, & poſſeſſiones vendentes, pretia ponebant ante pedes Apoſtolorum, vt proprij nihil habētes, quaſi Religioſi viuerent in communi; aliquandiu in eo vitæ genere perdurarunt f: donec ortum eſt murmur Græcorum aduerſus Iudæos, eò quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. Vnde actum eſt de electione ſeptem Diaconorum, quibus cura huiuſmodi, & miniſterium committeretur. Inter hos Diaconos primas obtinuit S. Stephanus, qui etiam, teſte S. Ignatio Martyre, in epiſtola, quam

e *apud Baron. in Notis Martyrol. 26. Decemb. & 3. Auguſti.*

f *Act. c. 2. v. 46. & c. 6. v. 1.*

quam ſcripſit ad Trallianos, aliquandiu Iacobo Apoſtolo miniſtrauit, ei, nimirum, qui frater Domini eſt appellatus, cui ſoli, vt ſcribit Hegeſippus [g], permittebatur à Iudæis ingredi Sancta Sanctorum, & ab Apoſtolis Epiſcopus Ieroſolymorum die ſequenti à morte S. Stephani eſt conſtitutus. Prætereà, teſtatur de S. Stephano iam Diacono ordinato S. Lucas in Actis apoſtolicis [h], magna per ipſum ſigna & prodigia eſſe facta. Quæ ſanè omnia impleri potuiſſe eo breui tempore, quod ab aſcenſione Domini, vſque ad Auguſti diem tertiam intercedit, nulla ratio perſuadet. Quare in aliud extremum aliorum quorundam ſententia declinauit, aſſerentium S. Stephanum ſeptimo anno poſt Chriſti Domini paſſionem, & in cœlum aſcenſionem, non anteà, martyrij palmam eſſe conſecutum. Tribuitur autem hæc opinio à Nicephoro in ſua Hiſtoria [i], Euodio, qui S. Petro ſucceſſit in epiſcopatu Antiocheno, eandémque Hippolyto Thebano adſcripſit Glycas in tertia parte ſuorũ Annaliũ. Sed, præterquàm quòd Acta Apoſtolorũ, & omnia Martyrologia huic opinioni refragantur, habet tot incommoda, vt in ea refellenda, tanquam nimis improbabili, non oporteat commorari. Niſi quòd ex tanta eius improbabilitate redditur admodum veriſimile, quod eruditi recentiores [k] ſuſpicãtur, errore Librariorum accidiſſe, vt pro ſeptem menſibus ſeptem anni poſiti in antiquioribus illis Auctoribus, vno alterum inde fallente, perperam ſcriptum inueniatur. Re etenim vera ſeptem menſes, nõ plùs temporis interuenit à Domini aſcẽſione, quæ die quinta menſis Maij putatur eo anno contigiſſe, ad diem Decembris vigeſimamſextam, in qua Natalis S. Stephani celebratur.

g *apud Euſeb. lib. 2. Hiſt. c. 22.*

h *Act. c. 6. v. 8.*

i *Niceph. lib. 2. Hiſt. c. 3.*

k *Baron. an. 34. & in Notis Martyr. die 26. Decẽbr.*

Hinc iam deducere non erit difficile, quotonam ætatis ſuæ anno Saulus Stephani martyrio potuerit intereſſe: cùm enim ſuperiùs capite ſecundo, vbi de tempore natiuitatis Pauli ageremus, oſtẽſum ſit, natum ipſum duobus fermè annis à natiuitate Saluatoris, cuius paſſio & mors in annũ incidit ætatis ipſius trigeſimumtertium iam expletum, & quartum inchoatum à quatuor menſibus inter Dominicam natiuitatem, & Paſcha reſurrectionis currentibus: mors autem S. Stephani anno à Chriſti natiuitate trigeſimoquinto vna die inchoato; manifeſtè ſequitur, fuiſſe tunc Paulum annorum circiter trigintatrium ſub anno imperij Tyberij Cæſaris decimonono.

Cur autem Paulus, cùm id eſſet ætatis, adoleſcens fuerit appellatus in Actis apoſtolicis, vbi dicitur [l]: *Et teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus.* non vnica tantùm, ſed triplex ratio reddi poteſt. Prima, quòd ſumi aliquando ſoleat adoleſcentia pro iuuentute, idque S. Gregorius [m] benè confirmat ex verbis illis Eccleſiaſtæ [n]: *Lætare, iuuenis, in adoleſcentia tua, & in diebus iuuentutis tuæ.* Addit etiam, quod legimus in prima ad Timotheum Epiſtola, ita ſcriptũ [o]: *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat.* cùm tamen Timotheus, iam Epiſcopus, adoleſcens propriè eſſe non potuerit, nec admodùm iuuenis; ſed triginta circiter annorum: *Huc vſque enim,* ait ibi noſter Cornelius [p], *& aliquantò vlteriùs ſe porrigit iuuentus.* Deinde, quia ſumitur interdum adoleſcentia pro toto illo ætatis decurſu, quo aliquis adoleſcendo, id eſt, creſcendo per annos, tum iuueniles, tum etiam viriles, peruenit ad conſiſtentiã, quæ initium eſt ſenectutis. Qua ratione M. Tullius in libro, quem ſcripſit de

l *Act. c. 7. v. 59.*

m *S. Gr. hom. 2. in Ezech. & 3. p paſt. adm. 26.*

n *Eccleſ. c. 11. v. 9.*

o *1. Tim. c. 4. v. 12.*

p *Corn. à Lapide in c. 4. ep. 2. ad Timoth.*

G ſene

ſenectute, ſolam adoleſcentiam mediam conſtituit inter pueritiam & ſenectutem. Vnde, cùm aliquãdo ipſe Paulus reddens vitæ ſuæ rationem, referente S. Luca ſic dixerit q: *Vitam meam à iuuentute*, ἐκ νεότητος, id eſt, ab adoleſcentia, *quæ ab initio fuit in gente mea Ieroſolymis, nouerunt omnes.* & cùm poſt annos plures ab eodem S. Luca r vocetur adoleſcens, & non multò pòſt ab Anania dicatur ſ vir: *Audiui* enim, inquit, *de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis in Ieruſalem.* ſatis hinc oſtenditur, nomen adoleſcentiæ in valdè ampla ſumendum eſſe ſignificatione. Sed eſt tertia cõmunior, & omnium optima reſponſio, quæ ſuperioribus præſertim adiuncta planè ſatisfaciat; nempe, Saulum non tam ætate, quàm moribus, audacia, & præfidentis animi ferocitate dictum fuiſſe adoleſcentem: vt enim eruditi Græcè linguæ tradiderunt, dicitur νεανίας, homo acer, ferox, & qui altos gerens ſpiritus iuuenili potiùs temeritate in tranſuerſum agitur, quàm agat conſilio, & ſenili maturitate. Quæ omnia, quantùm Saulo tunc conuenirent, partim diximus, partim capite ſequenti dicturi ſumus.

q *Act. c.* 26. *v.* 4.
r *Act. c.* 6. *v.* 58.
ſ *Act. c.* 9. *v.* 13.

CAPVT XII.

De vniuerſali grauiſsima perſecutione in Eccleſiam primitiuam excitata, Saulo duce & anteſignano.

AB eo die, quo ſanctus Protomartyr Stephanus eſt interfectus, qual's, & quanta perſecutio in Chriſti tunc naſcentem Eccleſiam excitata ſit, S. Lucas in Actis apoſtolicis breuiter ſic expoſuit a: *Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ, & Samariæ præter Apoſtolos. Saulus autem deuaſtabat Eccleſiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in cuſtodiam.* Atque hanc omnium primam & grauiſſimam Eccleſiæ Chriſti perſecutionem appellat Euſebius b in eccleſiaſtica Hiſtoria. Et miratur S. Auguſtinus c, in libro decimooctauo de Ciuitate Dei, cur hæc tanta perſecutio inter alias Eccleſiæ perſecutiones à variis Tyrannis excitatas non numeretur: niſi fortè propterea, quòd ipſa nec ab Imperatore fuerit, nec à Rege: ſed, ſicut ait S. Gregorius Nicænus d, *per magnum illud Eccleſiæ inſtrumentum Paulum, ira, miniſque a Diabolo armatum, vt aduerſum ipſum armatorem aliquando tela conuerteret, & ex omni eum orbe terrarum exterminaret.* Qua verò poteſtate Paulus vir priuatus rem tantam ſit aggreſſus, & tam audacter proſecutus, S. Lucas expouit his verbis e: *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotũ, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcũ ad Synagogas, vt ſi quos inueniſſes huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem.* Et ipſemet Paulus, cùm poſt aliquot annos in Apoſtolum Chriſti mutatus, rationem redderet Iudæis fidei, & mutationis ſuæ; quanta etiam pro Chriſto agere, & pati teneretur, quippe qui aduersùs illum talia cõmiſiſſet f: *Hanc*, inquit, *viam perſecutus ſum vſque ad mortem, alligans, & tradens in cuſtodiam viros, ac mulieres, ſicut Princeps Sacerdotum mihi teſtimonium reddit, & omnes maiores natu, a quibus & epiſtolas accipiens ad fratres Damaſcum pergebam, vt adducerem inde vinctos in Ieruſalem, vt punirentur.* Itaque non rogatus ſponte

a *Act. c.* 8. *v.* 1. & 3.
b *Euſeb. l.* 2. *Hiſt. c.* 1.
c *S. Aug. l.* 18. *de Ciu. c.* 25.
d *Nic. or. de S. Steph.*
e *Act. c.* 9. *v.* 1.
f *Act. c.* 22. *v.* 4. & 5.

ſponte obtulit ſe, vtróque ingeſſit, inſtigante,& veluti faces admouente zelo ipſius ardentiſſimo defendendæ patriæ,& auitæ religionis,& quaſi ab interitu vindicandæ. Creſcebat enim quotidie magis,& in maximo numero Eccleſia Chriſti, recedentibus à Iudaïſmo quamplurimis,& ad Euangelium accedentibus. Vnde illi duo teſtes iniquiſſimi, qui contra S. Stephanum accuſationem depoſuerunt, illud maximè vrgebant à Stephano dictum g: *Quoniam* IESVS *Nazarenus hic deſtruet locum iſtum,& mutabit traditiones,quas tradidit nobis Moyſes.* Quam multi verò à Iudaïſmo deficientes Chriſti Eccleſiæ breui illo tempore ſint adſcripti, hinc licet facere coniecturam: nam, antequàm Dominus aſcendiſſet in cœlum, teſtatur ipſe S. Paulus in prima ſua ad Corinthios Epiſtola h, apparuiſſe pluſquàm quingẽtis fratribus ſimul: poſt aſcenſionem verò in prima Petri concione i tria circiter millia fidẽ euangelicam ſubitò ſuſceperunt, & baptizati ſunt: paulò pòſt, concionante eodem Petro in porticu Salomonis k, auctus eſt numerus credentium viris quinque millibus. Poſt hæc S. Lucas, victus fortaſſe tot ad fidem accedentium multitudine, numerum prætermittens loquitur indefinite. Ac editis ſubinde nouis ſignis & prodigiis l: *Magis*, inquit, *augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum:& concurrebat multitudo vicinarum ciuitatum Ieruſalem.* Et rurſus poſt verberatos Apoſtolos m: *Verbum Domini*, ait S. Lucas, *creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Ieruſalem valde: multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.* Quare ſcribit Metaphraſtes n, Petrum Ieroſolymis Eccleſiam conſtituiſſe decem millium Chriſtianorum, quod etiam confir-

g *Act. c. 6. v. 13.*
h *1. Cor. c. 15. v. 6.*
i *Act. c. 2. v. 41.*
k *Act. c. 4. v. 4.*
l *Act. c. 5. v. 14. & 5.*
m *Act. c. 6. v. 7.*
n *Metaphr. 29. Iun. & Sophr. in frag. de laborib. SS. Petri & Pauli, tom. 7. Bibl. PP. Baron. 48. 35.*

mat Sophronius: omnibúſque conſideratis, ſi quis numerum, tempore huius perſecutionis, fidelium ad quindecim millia dixerit perueniſſe, non longè à vero aberrare Baronius affirmauit: in antiquo autem Chronico Lucij Dextri, nuper edito, ſupra quindecim millia fuiſſe dicuntur. Atque hi ferè omnes viſa rabie & furore Iudæorum adeò contra Stephanum ſæuientium, & inde aduersùs alios Chriſtianos ſuſcitata grauiſſima perſecutione, Ieroſolyma ſeceſſerũt; fortè ita etiam ſuadentibus Apoſtolis, iuxta illud Domini conſilium in Euangelio o: *Cùm vos perſequentur in ciuitate iſta, fugite in aliam.* Et ita diſperſi sũt omnes per varias regiones, præter Apoſtolos, ait Lucas p, qui Ieroſolymis remanſerũt in exemplum maioris conſtantiæ, & fortitudinis. Quin etiam die ſequenti à nece S. Stephani, hoc eſt, Decembris vigeſimaſeptima, vt priùs eſt dictum, ſanctum Iacobum fratrem Domini, & Iuſtum appellatum, Ieroſolymorum primum Epiſcopum inſtituerunt q: res ſanè admiratione digniſſima, cũ Principes Sacerdotum, Scribæ, & Magiſtratus, totúſque furens ille populus benè cognoſceret Chriſti Apoſtolos eſſe nouæ illius religionis, quam ipſi euertere tantoperè moliebantur, capita & fundamenta. Nam, quod aliqui r dicunt, ſtudio & induſtria Gamalielis fuiſſe Apoſtolos in tanto diſcrimine ſeruatos: alij putant timore maioris tumultus, & ſeditionis populi permiſſos à Magiſtratu manere Apoſtolos ſine moleſtia; eò quòd plerique viſa eorum probitate, vitæ innocentia, ſanctitate, miraculis etiam plurimis confirmata, benè affecti erga illos inuenirentur: id ſanè ad eos à tanto periculo eximendos haud videtur ſufficere potuiſſe: adeò enim ſæua tempeſtas in Chriſti Ec-

o *Matt. c. 10. v. 2.*
p *Act. c. 8. v. 1.*
q *Beda in Mart. 27 Dec.*
r *Oecum. in c. 8. Act.*

cleſiam tunc excitata eſt, vt Dorotheus ſ, Tyri Epiſcopus, teſtetur in libro de vita & morte Prophetarum & Apoſtolorum, illa ipſa die, qua S. Stephanus interfectus eſt, alios plurimos Chriſtianos fuiſſe necatos. Nã, inquit Dorotheus, *Nicanor & ipſe vnus de ſeptem Diaconis eodem die cum Syndiacono ſuo & Protomartyre Stephano, & duobus millibus aliis in Chriſtum ſperantibus mortuus eſt.* Sic enim in multis exemplaribus legimus, quamuis Baronius in ſuis Annalibus t, ex eodem Dorotheo referat, non duo millia, ſed ducentos Chriſtianorum tunc eſſe interfectos: addit etiam de Nicanore, vno ex primis ſeptem Diaconis, dubitari poſſe, an illa die martyrium obierit; ſiquidem in Græcorum Menologio legitur, poſt aliquot annos ſub Imperatore Veſpaſiano in Cypro, die vigeſimaoctaua menſis Iulij fuiſſe occiſus: & in Romano Martyrologio die decima Ianuarij ſic habetur: *In Cypro B. Nicanoris Diaconi, vnius de ſeptem primis, qui gratia fidei, & virtute admirandus glorioſiſſimè coronatus eſt.* Niſi forte, quod aliqui ſuſpicantur, hac die tranſlatio ſacri corporis facta eſſe intelligatur, atque hac occaſione martyrij quoque memoria reuocata, vt ea ratione dies feſtus celebris martyrio S. Stephani, tanquam illi proprius relinqueretur. Cæterùm Hippolytus quoque in libro de ſeptuagintaduobus Domini diſcipulis, Nicanorem ſimul cum Stephano martyrio coronatum aſſeruit. Nec videtur dubitandum, quidquid de numero tunc interfectorum ambigatur, aliquot Chriſtianorum ſtatim poſt mortem Stephani a Iudæis fuiſſe interfectos, cùm à Paulo coram Feſto Præſide, & Agrippa Rege ſuam cauſam perorante, dictum fuiſſe in Actis apoſtolicis referatur u: *Multos Sanctorum ego in carceribus incluſi à Principibus Sacerdotum poteſtate accepta; & cùm occiderentur, detuli ſententiam.* Nam, quod aliqui x dicunt, propoſitionem illam, licet numero multitudinis, tamen indefinitè prolatam, poſſe propter vnius tantùm Stephani occiſionem, habere ſuam veritatem; admitti poſſet, niſi ſenſus nimis eſſet anguſtus, & niſi aliis antiquis Scriptoribus aliqua fide dignis aduerſaretur. Per eos quoque dies accidiſſe credẽdum eſt, quod de Nicodemo Chriſti diſcipulo ex relatione Gamalielis narrat Lucianus Presbyter y, in ea celebri epiſtola, cuius anteà meminimus, dum ſic ait: *Cognoſcentes Iudæi, Nicodemum eſſe Chriſtianum, amouerunt eum a principatu ſuo, & anathematizauerunt illum, & de ciuitate eiecerunt. Tunc ego Gamaliel, quaſi perſecutionem pro Chriſto paſſum ſuſtuli eum in meum agrum, & alui, & veſtiui vſque ad finem vitæ eius, & defunctum honorificè ſepeliui iuxta Dominum Stephanum.* Addit confirmans idipſum Nicetas Philoſophus z: cùm ad necem Stephani compunctus & baptizatus eſſet Nicodemus, reuerentia Gamalielis in præſentia quidem interfectum non fuiſſe; præter facultatum tamen priuationem, & exilium, plagas tuliſſe. Circa hoc idẽ tempus, vt multi tradunt a, eiecti ſunt Ieroſolyma Lazarus, Maria Magdalena, Martha, cum Marcella pediſſequa, & Maximino diſcipulo, omnéſque naui ſine remigio impoſiti, ad certum periculũ fluctibus maris expoſiti: quamuis Lucius Dexter in ſuo Chronico id referat ad annum Chriſti quadrageſimumoctauũ. Cum his ponitur etiam Ioſephus ab Arimathia, nobilis Decurio, qui omnes incerto mari delati, prouidentia diuina dicuntur Maſſiliam appuliſſe. Hęc Ieroſolymis dum agerentur, non poſſumus

ſ *Dorot. in Synop.*

t *Baron. an. 34.*

u *Act. c. 26. v. 10.*

x *Lorin. in Act. c. 26. v. 10.*

y *Luc. in ep. de inuent. corp. S. Steph.*

z *Nicet. in tr. de mart. & inuẽt. S. Steph.*

a *Acta S. Mag. & ſoc. & Manuſc. hiſt. Anglic. quæ habentur in Bibl. Vatic. Gildas Britan. Baron. an. 35. Lorin. Act. c. 8. v. 1.*

poſſumus niſi diuinæ gratiæ prote-
gentis auxilio ſingulari adſcribere,
quòd Iudæi tanto furore exagitati
neminem ex duodecim Apoſtolis ex-
pulerint a ciuitate, nec foras cũ aliis
tam multis quenque eorum ire coë-
gerint; quos tamẽ propterea aliquan-
b *Act. c. 4. v. 3.* diu habuerant in cuſtodia b, quæſtio-
ni & flagris ſubiecerant, & ne omni-
nò in nomine Chriſti IESV ampliùs
c *Act. c. 5. v. 50.* loquerentur c, ſeuerè prohibuerant.
Sed ibi maximè fundari Chriſtiana
religio debuit, vbi Chriſti ſanguis
erat effuſus; & quod à Prophetis
multò anteà fuerat prænunciatum,
d *Iſai. c. 2. v. 3.* impleri d: *Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Et e, *Vir-*
e *Pſ. 109. v. 2.* *gam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.* Quin etiam teſtatur Apollo-
nius, antiquus Theologus, in libro,
f *apud Euſeb. l. 5. hiſt. c. 17.* quẽ ſcripſit aduersùs Cataphrygas f,
ſe traditione accepiſſe, mandatum
Apoſtolis à Chriſto Domino, ne vſ-
que ad annos duodecim diſcederent
Ieroſolyma, à qua demum fundata
ibi benè primùm Eccleſia, per totum
orbem diuiderentur. Quod manda-
tum, ſi tamen vera ea traditio ſit ha-
h *infra lib. 3. c. 5.* benda, de qua alibi h plura, ſic aliqui
interpretantur, vt nõ prohibuerit ex-
curſiones ad vicinas ciuitates, & loca
Ieroſolymis adiacẽtia; imò nec ad re-
motiora per breue tẽpus; ſed tantùm
longiores in exteris terris commora-
tiones. Sicut etiam, quod S. Lucas
affirmauit, omnes Chriſti fideles præ-
ter Apoſtolos, Ieroſolyma nunc reli-
cta, fuiſſe diſperſos, non ita eſt acci-
piendum, quaſi præter Apoſtolos, ne-
mo prorſus fidelium ibi remanſerit:
ſed, quia vix aliqui manſerunt, & ple-
rique diſceſſerant. Nam aliquos per-
manſiſſe, ſaltem ad Stephani corpus
ſepeliendum, & eius exequias cele-
i *Act. c. 8, v. 2.* brandas, indicat ipſe S. Lucas, cùm
ſubdit i: *Curauerunt autem Stepha-*
num viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. Quod etſi præſti-
tum per Apoſtolos, indicet S. Hiero-
nymus k in quadam epiſtola ſcripta k *S. Hier. ep. ad Rip. par. 53.*
ad Riparium contra Hæreticum Vi-
gilantium, improbantem cultum ſa-
crarum Reliquiarum; tamen ad ma-
iorem funeris pompam & celebrita-
tem, alios quoque plures ex fratribus
interfuiſſe, in alia epiſtola ſignifica-
uit, quam de obitu Bleſillæ ad San-
ctam Paulam l ſcripſit. Sed & Lu-
cianus hac tota de re ex verbis Ga- l *Id. ep. 25 ad Paulã.*
malielis in ſua ſæpè allegata, & fide
digniſſima epiſtola m, ſic retulit: m *Luc. in ep. de inu. S. Steph.*
Lapidatus pro Chriſti fide Stephanus a Iudæis, & Principibus Sacerdotum in Ieruſalem, foris portã, quæ eſt ad Aquilonem, quæ ducit ad Cedar, ibi die ac nocte iacuit proiectus, vt ſepultura non daretur ſecundùm mandatum impiorum Principum, vt à feris conſumeretur corpus eius. Ex Domini autem voluntate non tetigit eum vnus ex his, non fera, non auis, non canis. Ego Gamaliel compatiens Chriſti miniſtro, & feſtinans habere mercedem a Domino, & partem cum ſancto viro fidei, miſi per noctem, quantos poteram religioſos Chriſtianos, & in Chriſto IESV fideliter credentes, habitãtes Ieruſalẽ in medio Iudæorum: & hortatus ſum eos, & neceſſaria ſubſtantias miniſtraui, ac perſuaſi illis ire occultè, vt portarent corpus eius meo vehiculo in villam meam, viginti millia habentem a ciuitate, & ibi feci ibi planctum fieri diebus ſeptuaginta: & poſui eum in monumento meo nouo in orientali theca, & præcepi meis, vt quæcunque neceſſaria erant pro eius planctu, de meo darent. Nec minùs clarè
S. Lucas in Actis apoſtolicis ſigni-
ficauit, alios fideles, præter Apo-
ſtolos, Ieroſolymis remanſiſſe, cùm
ſic ait n: *Saulus autem deuaſtabat* n *Act. c. 8. v. 3.*
Eccleſiam per domos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in cuſtodiã.

 Qui

Qui enim tunc fidelium Ieroſolymæ non erant egreſſi, ſed latebras domi quærebant, à Saulo magna diligentia perquirebantur, extrahebantur, & detenti ad carcerem ducebantur. Deſcribit præclarè hoc totum Chryſoſtomus, dicens o: *Et quid mali Saulus tunc non fecit? Sanguine Ieroſolymam impleuit, fideles interfecit, Eccleſiam impugnauit, Apoſtolos perſecutus eſt, Stephanum occidit, neque viris, neque mulieribus pepercit. Non ſufficiebat ei forum, inſiliebat in domos vi rapiens mulieres, ac viros; ſicut de fera dicere ſolemus: idē enim faciebat, quod ſæuiens lupus, qui inſiliens in caulam ouium, agnum inde rapit, quem vbi deuorauit, audacior fit. Rapuit agnum Chriſti Stephanum, quem dilaniaret, & cæde audacior effectus eſt.* Hæc & plura Chryſoſtomus; qui tamē in eo, quòd Saulus non ſolùm viros, ſed etiam mulieres fidem Chriſti ſectantes tanto ſtudio conquirebat, & perſequebatur, venia magis dignum eum facit. Quia zelo minùs malo defendendæ per omnia Iudaïcæ religionis decipiebatur: *Et ob hoc*, inquit p, *venia dignus fuit, cùm Iudæi, qui eadem faciebāt, accuſatione digni eſſent. Quid enim ipſi reſpicerent, manifeſtabant; nempe, quod omnia honoris & gloriæ gratia fecerint: erant enim apud multos in magna exiſtimatione. At Paulus non ſic; ſed zelo Dei, quamuis non ſecundum ſcientiam. Et hinc eſt, quare Iudæi mulieres quidem dimiſerunt; viris autem infeſti fuerunt: quoniam in illos tranſiſſe gloriam ſuam videbant: hic autem ob zelum, erga omnes ita ſe gerebat.* Meritò autem ſic ratiocinatur Chryſoſtomus: nam ex iis, qui Ieroſolymis remanſerunt, veriſimile eſt, plures fuiſſe fidelium, & ſanctarum feminarum, cùm minùs eſſent idoneæ ad fugam, minuſque viderentur timere ſibi de perſecutione debuiſſe: nec tamen minùs in illis, quàm in viris pietas & religio Chriſtiana appareret. Vnde tempore etiam Chriſti paſſionis aliquot earum ſine vlla oſtenſione Dominum vſque ad Caluariæ locum ſunt proſecutæ, ſteteruntque impauidæ iuxta ipſam crucem: & eo deinde à cruce depoſito, & in ſepulcro collocato, etiam militarem cuſtodiam irrumpentes, iterum ad ſepulcrum onuſtæ aromatibus redierunt. Turpe, videlicet, ac indecorum Iudæi exiſtimabant, in hac parte mulieribus eſſe moleſtos. Sed, vbi de religione agebatur, quā altas iam mittere radices, & in dies magis propagari Saulus aduertebat, ferre id impatiens nequaquam potuit. *Nam ego quidem*, dicebat ipſe de ſe q, *exiſtimaueram, me aduerſum nomen* IESV *Nazareni debere multa agere: quod & feci Ieroſolymis.* Ex quibus non temerè ſuſpicari aliquis poſſet, Paulum Ieroſolymis non fuiſſe; ſed Tarſi in ſua patria, aut aliis negotiis occupatum, quo tēpore plurima miracula Chriſtus Dominus operabatur, præſertim extremis illis diebus, cùm in eius paſſione & morte tot ſunt viſa prodigia: ſed ſuperueniſſe poſt eius in Paſchate reſurrectionem, aut Pentecoſten, quando poſt aduentum ſancti Spiritus Euangelium nouæ legis à Chriſti diſcipulis magno ardore animorum promulgabatur, cui proinde tam ſubitæ, & tam magnæ religionis & ſacrorum mutationi Saulus tunc primùm, & non anteà ſe oppoſuit. Nam, ſi quæ anteà in Chriſto præceſſerant mirabilia, magis è vicino ſpectare potuiſſet, cùm eſſet in diuinis Scripturis, & oraculis Prophetarum valdè verſatus, fortè non tam diu ſuam ad Chriſtum conuerſionem diſtuliſſet: aut nondum efficaci Dei vocatione permotus, vnà cum Principibus Iudæorū, Phariſæis, legiſque Docto

o Chryſ. hom. de conuer. S. Pauli, & ferè. repreh. tom. 3.

p Id. hō. cit.

q Act. c. 26. v. 9.

Doctoribus,de quibus ipſe poſteà ad Corinthios ſcripſit t: *Si cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſet.* inſignis ipſe aduerſarius cęco illo ſuo zelo inter alios Chriſto infeſtos innotuiſſet. Hoc certum eſt, vbi ſe perſecutorem Eccleſiæ Chriſti Ieroſolymæ profeſſus eſt, magnam excitaſſe tragœdiam,qualem ipſe paucis deſcribit dicens t: *Nam Ieroſolymis multos Sanctorum ego in carceribus incluſi, a Principibus Sacerdotum poteſtate accepta; & cum occiderentur,detuli ſententiam: & per omnes Synagogas frequenter puniens, eos compellebam blaſphemare:* hoc eſt, Chriſtum verum eſſe Meſſiam negare cogebā, & eius diuinitatem, fidem, Euangelium abiurare;addens fortaſſis,ad eos magis prouocandos, exemplū ſuum huiuſcemodi impietatis, quam tamē ipſe putabat eſſe pietatem. Ita enim indicat,vbi ait u: *Blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus:ſed ignorās feci in incredulitate.* Neque contentus malis,quæ intulerat Sanctis in Ieruſalem,quia maiorem eorum partem extrà diſpetſam obſeruabat: *Amplius*, inquit x, *inſaniens in eos,perſequebar vſque ad exteras ciuitates.* Mirum profectò, qui nec eſſet de genere ſacerdotali, aut Leuitico, quibus propria erat religionis & ſacrorum cura:eam tamē ſibi aſſumens, tot laboribus, tantíſque periculis vltrò ſe exponebat, intra, & extra ciuitates, *factus*,vt ait S. Auguſtinus z, *crudelis quæſtionarius, portans funereum gladium contra milites Chriſti: vt Iudæa, quæ pridem ſæuierat in capite,crudelitatem exerceret in corpore.*

t 1. Cor. 2. v. 28.

t Act. c. 26. v. 10.

u 1. Tim. c. 1. v. 13.

x Act. c. 26. v. 11.

z S. Aug. ſerm. 26. de S.

Quapropter exiſtimare aliquis poſſet,non vinculis tantùm,flagris,& contumeliis Saulum Chriſti fideles diuexaſſe,ſed neque ab eorum cæde, & magna ſanguinis effuſione proprias manus continuiſſe. Quod etſi aliquorum videtur eſſe ſententia, & à Patribus interdum cōcionatoriè ad populum ea de re tractantibus per quandam exaggerationem indicata; multò tamen veroſimilius eſt, ea facultate nunquam vſum eſſe Saulum, imò nec talem poteſtatem à Principibus Sacerdotum, aut à Iudaïcis Magiſtratibus accepiſſe.Nam,quamuis quoad propoſitum malæ voluntatis Paulus deſcribatur y ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini: additur tamen ſtatim,quid perfeceit: *Acceſſit ad Principem Sacerdotum,& petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas,vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem.* Non igitur vt gladio feriret, aut interfici à ſuis ipſe miniſtris curaret: vnde nec vbicunque locorum eos poterat in cuſtodia retinere,ſed ligatos tantùm debebat perducere in Ieruſalē.Quapropter ipſe Paulus referens, quid hoc in genere commiſiſſet a, tantùm ait:*Multos Sanctorum ego in carceribus incluſi, a Principibus Sacerdotum poteſtate accepta.*& alibi b: *Princeps*,inquit, *Sacerdotum mihi teſtimonium reddit, & omnes maiores natu, a quibus & epiſtolas accipiens, ad fratres Damaſcum pergebam,vt adducerem inde vinctos in Ieruſalem, vt punirentur.* Præterea, cùm Ananias à Deo mitteretur ad Paulum Baptiſmi Sacramento regenerandum, quem neſciebat ad Chriſti fidem iam eſſe conuerſum: *Domine*, inquit c, *audiui de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Ieruſalem; & hic habet poteſtatem à Principibus Sacerdotum alligandi omnes,qui inuocant nomen tuum.* Eſt & illud argumentum non leue, Saulum nullius cæde, aut ſanguine manus proprias inquinaſſe: quia vbicunque ſua deteſtatur olim perpetrata delicta, quod ſæpè facit, nec

y Act. c. 9. v. 1. & 2.

a ibid. c. 26. v. 10.

b ibid. c. 22. v. 5.

c ibid. c. 9. v. 3.

illa extenuando, ſed magis amplificando, dicens [d], ſe fuiſſe perſecutorem Eccleſiæ Dei ſupra modum [e], & blaſphemum, & contumelioſum [f], errantem, inſipientem, ita, odio, malitia agitatum: tamen homicidam, & ſanguinis effuſorem nunquam ſe dicit; niſi tantùm ad hæc aliquando ſuum conſenſum, ſiue ſuffragium præſtitiſſe. *Nam*, inquit [g], *cùm funderetur ſanguis Stephani, teſtis Chriſti, ego aſtabam, & conſentiebam.* Et Lucas idem referens [h]: *Saulus autem*, inquit, *erat conſentiens neci eius.* Quòd ſi aliàs dixit Paulus de ſeipſo [i]: *Perſecutus ſum illos vſque ad mortem* [k]; *& cùm occiderentur, detuli ſententiam.* non eſt, vt aliqui [l] putant, ad ſignificandum, ſe iudiciaria poteſtate mortis contra illos protuliſſe ſententiam, aut prolatam, & executioni, iubente ipſo, mandatã, altiori iudicio retuliſſe: verùm, vt optimè expoſuit Syrus Interpres, perinde ac dixiſſet: Cùm interficerentur nonnulli ex eis, ego illis, qui damnabant eos ad mortem, ſuffragabar; hoc eſt, illam ego cædem meo fauore & aſſenſu comprobabam. Imò verò non ſolùm tantam à Pontificibus & Iudaïco Magiſtratu poteſtatem Saulus non obtinuit; ſed neque obtinere, legibus Romanorum obſtantibus, legitimè potuiſſet. Nam, etiamſi lapidare idololatras, blaſphemos, adulteros, & ſimilia grauiſſima ſcelera morte vindicare in lege Moyſis olim præſcribebatur [m]: tamen, quia ea poteſtate Iudæi facilè abutebantur, ablata illis fuerat à Romanis. Vnde Pilato Iudæi dicebãt [n]: *Nobis non licet interficere quenquam.* Et optionem Pilatus illis dedit [o], Chriſtum, vel Barrabam à morte liberandi. *Herodes quoque Rex* [p] *occidit Iacobum, fratrem Ioannis, gladio: & videns, quia placeret Iudæis, appoſuit, vt apprehenderet & Petrum.* Et de altero Iacobo, Epiſcopo Ieroſolymorum, quem vocat fratrẽ IESV Chriſti Ioſephus Hebræus [q], ipſe refert ab Anano Pontifice, homine turbulento, aſſentiente furori eius Concilio Iudæorum, fuiſſe lapidatum: *Quod factum*, ait Ioſephus, *omnibus in ea ciuitate bonis, & legum ſtudioſis diſplicuit.* Qua de re cùm eſſet Ananus Põtifex apud Agrippam Regem accuſatus, depoſitus fuit à pontificatu. Neque obſtat huic opinioni, quam ſequuntur viri doctiſſimi [r], tentaſſe Iudæos aliquando Chriſtum Dominum lapidare [ſ], & Stephanum reipſa lapidaſſe, alióſque plures in illa prima Eccleſiæ perſecutione occidiſſe: quia non iure, ſed impetu concitatæ multitudinis id fiebat, & diſſimulabantur quædam huiuſmodi à ciuili Romanorum poteſtate, vbi de violata lege Moyſis, non verò Imperatorum, agebatur. Videtur prætereà Iudæis ordinaria poteſtate fuiſſe conceſſum, aliqua minora inferre ſupplicia, vt carceris, verberum, & vinculorum, qua ratione manus iniecerunt in Apoſtolos aliquando, & poſuerunt eos in cuſtodia, tum cæſos inde dimiſerunt. Saulo quoque talia facere literis patentibus conceſſerunt. At, vbi grauiora crimina ſupplicio capitis erant punienda, nonniſi politico Romanorum tribunali cauſa definiebatur. Quapropter de accuſato aliquando Paulo Apoſtolo à Iudæis apud Proconſulem Gallionem ita narrat S. Lucas [x]: *Gallione autẽ Proconſule Achaiæ inſurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, dicentes. Quia contra legem hic perſuadet hominibus colere Deum. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Iudæos: Si quidem eſſet iniquum aliquid, aut facinus peſſimum, ô viri Iudæi, rectè vos ſuſtinerem: ſi verò quæſtiones ſunt de verbo & nominibus,*

d *Gal. c.* 1. v. 13.
e 1. *Tim.* c. 1. v. 13.
f *Tit.* c. 3. v. 3.
g *Act.* c. 22. n. 19.
h *ibid.* c. 7. v. 59.
i *ibid.* c. 22. v. 4.
k *ibid.* c. 26. v. 10.
l *Andr. Riclius in Paulum*, 1. p. n. 17.
m *Leuit.* c. 2. v. 1.
n *Ioan.* c. 18. v. 31.
o *Matth.* c. 27. v. 17.
p *Act.* c. 12. n. 2. 3.
q *Ioſeph.* l. 20. *Antiq.* c. 8.
r *Tolet. in* c. 18. *Io. Mald. in* c. 27. *Matth. & alij apud Lorin. in Act.* c. 4. v. 3. *poſt Chryſoſt. hom.* 82. *in Ioan.*
ſ *Ioan.* c. 1. v. 31.
u *Act.* c. 4. v. 3.
x *ibid.* c. 18. v. 12. 13. 14.

minibus, & lege veſtra, vos ipſi videritis, Iudex ego horum eſſe nolo. Hæc in Actis Apoſtolorum S. Lucas: ex quibus ſatis aperte colligitur, quod dicebamus, cauſas grauiores, & vbi de pœna capitis ageretur, ad Pontifices & Magiſtratus templi, vel Concilium Iudæorum non ſpectaſſe, qui tã malè erant erga Paulum affecti, vt ſi eis licuiſſet, iam pridem ſententiam mortis in eum protuliſſent; non autem detuliſſét ad Procõſulem, qui videns Paulum non eſſe tãti ſupplicij reum, examinare vlteriùs cauſam recuſauit: ſicut etiam Pilatus, vrgentibus Iudæis, vt Chriſtus Redemptor crucifigeretur, dum ipſe diceret: *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate.* quia non leui ſupplicio, ſed morte volebant eum Iudæi interemptum, dicebant z: *Nobis non licet interficere quenquam* y: *& nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori: quia filium Dei ſe fecit.* Hæc operæpretium fuit hoc loco addidiſſe, vt conſtaret manifeſtè, Saulum, ſicut dixit Ananias a, multa quidem mala feciſſe Dei Sanctis in Ieruſalem, quin etiam extra Ieruſalem, eóſque ad mortem, vt ipſe fatebatur b, perſecutum fuiſſe; optaſſe quoque & vrſiſſe, vt qui in Chriſtum credebant, interficerentur, & naſcens illa Chriſti Eccleſia prorſus extirparetur; non tamen permiſiſſe Deum, vt proprias manus vllius nece, aut ſanguine contaminaret.

z Ioan. c. 18. v. 31.
y Ioan. c. 19. v. 7.
a Act. c. 9. v. 13.
b ibid. c. 22. v. 4.

CAPVT XIII.

Cur permiſerit Deus, Saulum in tam grauia peccata prolabi.

Aliquot huius diuinæ permiſſionis, & præcipuas rationes optimè intellexit Apoſtolus, nõ ampliùs Saulus, ſed Paulus à Chriſto illuminatus, eáſque ad Timotheum ſcribens, his verbis aperuit a: *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus: quòd Chriſtus* IESVS *venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum: ſed ideò miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus* IESVS *omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam.* Ac ſi apertiùs ita nobis dixiſſet: Omni fide, omníque approbatione dignam ecce nunc profero ſententiam, velle Deum omnes homines ſaluos fieri, & propterea miſiſſe Filium ſuum, Saluatorem mundi: vt ad ſpem veniæ obtinendæ omnes, quantumuis magni peccatores, excitarentur, inter quos fui ego quodãmodo primus; & miſericordiã tamen conſecutus ſum, vt ex me tanto peccatore, viuum exemplar, forma abſolutiſſima, & quædam veluti hypotypoſis haberetur diuinæ patientiæ, longanimitatis, miſericordiæ, & clementiæ; eóque exemplo accenderentur omnes, qui futuris ſæculis in Chriſtum eſſent credituri, ad agendam pœnitentiam, cum maxima ſpe veniæ à tam bono Domino de quãtumuis grauibus criminibus impetrandæ. Quod autem dixit Apoſtolus, ſe fuiſſe primum inter peccatores, non eſt, vt fabuloſè quidam Hæretici b commenti ſunt, quaſi anima primi parentis, per quem primò peccantem mors introiuit in orbem terrarum, transfuſa eſſet in Paulum, iuxta Pythagoreorum de tranſmigratione animarum impium deliramentum: ſed neque vllo modo his verbis voluit Paulus ſignificare, ſe fuiſſe primum tempore in peccatis; verùm magnitudine & grauitate culparum. *Nunquid*, inquit S. Auguſtinus c, *ante Paulum non erant peccatores? quid eſt ergo, quorum primus ego ſum?*

a 1. Tim. c. 1. v. 15 & 16.
b apud S. Thom. in 1. ad Tim. c. 1.
c S. Aug. in Pſ. 70.

d Idem ſer. 9. de verb. Apoſt. *ſum? non tempore, ſed malignitate*[d]*: nemo enim acrior Paulo inter perſecutores · nemo ergo peior inter peccatores.* At dicet aliquis, nónne Iudas, Caïphas, Herodes, & alij multi grauiùs quàm Paulus peccauerunt? Deinde, cur ait: *quorum primus ego ſum?* quaſi adhuc in eius anima culparum præteritarum maculæ perdurarent: cùm tamen ſciret condonatum ſibi iam pridem à Deo fuiſſe peccatum. At hæc reſponſio non eſt difficilis: nam, qui ſe eſſe primum inter peccatores aſſeruit, quomodo id accipiendum ſit, verbis immediatè præcedentibus

e 1. ad Tim. c. 1. v. 13. explicauit, dicens e: *Qui priùs blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus; ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum.* Itaque ex affectu profundiſſimæ humilitatis, & ob ſummam deteſtationem criminum, quæ ſe aliquando commiſiſſe recordabatur, dum gratiæ diuinæ peruicaciter aduerſaretur, adhuc gratiam & miſericordiam conſecutus, tanquam ſine illa ſe conſiderabat; quia illa ſe planè indignum fuiſſe agnoſcebat: eóque maximè, quò illum angebat, ad id oculos mentis intendebat: aliorum verò quæ, qualia, vel quanta eſſent demerita, non attendebat, niſi fortè quatenus extenuari & excuſari aliqua ratione poſſe videbātur. Quemadmodum, qui graui dolore capitis, oculorum, aut dentium afflictantur, nullum eſſe maiorem, illo ſuo, dolorem, aut illi ſimilem credunt, & aſſeuerant: quia hunc per experientiam agnoſcunt & ſentiunt; alterius autem per ſimplicem tantùm, quæ parum afficit, ſpeculationem tenuiter apprehendunt. Notat verò circa hæc S.

f Chryſ. hom. 4. in 1. Tim. Chryſoſtomus f, quod & nos ſuprà monuimus contra Hæreticorum noſtri temporis impudentiam, nō ideò ſe maximum peccatorem fuiſſe Paulum affirmaſſe: *Quaſi*, inquit Chryſoſtomus, *vitam carpat ſuam impudicè actam, & per fornicationes & prauas cupiditates fœdatam: abſit: ſed ſuam exaggerat culpam in perſecutione Sanctorum, vt Chriſti erga ſe patientiam & benignitatem magis extollat*, qui adeò ſuauiter tantam emolliuit duritiem, vicit obſtinationem, & edomuit feritatem. Explicat idipſum eleganti ſimilitudine Rhinocerotis S. Grego-

rius g, dum illa verba Iob moraliter g S. Gr. lib. 30. mor. c. 13. v. 14.

interpretatur h: *Nunquid volet Rhinoceros ſeruire tibi? nunquid alligabis illum loro tuo?* Nam ait S. Greg. *Rhinoceros, qui & Monoceros, tanta eſt for-* h Iob c. 39. v. 9.

titudinis & ferocitatis, vt nulla venantium arte capiatur: ſed, vt Phyſici aſſerunt, virgo ei puella proponitur, quæ venienti ſinum aperit, in quo ille, omni ferocitate depoſita, caput deponit; ſicque ſoporatus veluti inermis capitur. Pari modo caro illa virginea Chriſti, Paulum ſpirantem minarum & cædis, domare, placare, capere, totúmque ſibi deuincire potuit, dum ei totum ſinum ſuæ benignitatis & miſerationis expandit. Hoc eſt igitur primum, quod voluit Deus in Pauli obſtinata ſæuitia vſque ad eius conuerſionem diſſimulando declarare; ſuam, videlicet, erga peccatores quantumuis magnos longanimitatem, patientiam, atque clementiam.

Deinde voluit Deus efficacitatem gratiæ ſuæ ita demonſtrare, tanquam pharmaci præſtantiſſimi ad curandos quoſcunque animi morbos, & quantumuis deſperatas ægritudines. *Quemadmodum Medicus*, ait Theo-

doretus i, *cùm in vna domo multi ſimul ægrotant, & omnes de ſalute deſperant, ſi vnum peſſimè affectum acceperit, & datis ei medicamentis ad perfectiſſimam ſanitatem adduxerit, facit, vt alij omnes bono ſint animo, & fiduciam concipiant: ita Dominus Chriſtus animarum Medicus, cùm factus eſſet homo pro ſalute peccatorum, Saulum* i Theod. in 1. Tim. c. 1.

Eccleſiæ

Eccleſiæ perſecutorem iniquiſſimum, nō ſolum a prioribus liberauit maculis; ſed maximis etiam donis cumulauit, & exornauit. Simili etiam ratione diſputans Origenes k contra Celſum contumelioſè obiicientem, ad Chriſtum tot perditos, & flagitioſos, & inter hos Paulum, non poſtremum, imò primum ex eius confeſſione inter peccatores, confluxiſſe, ita reſpondet: *Quid igitur abſurdi, ſi* IESVS *oſtendere volens humano generi, quantùm eius medicina contra peſtes animorum polleat, infames, & nequiſſimos elegit, eóſque eò prouexit, vt morum puriſſimorum exemplum fierent amplectentibus ipſius Euangelium? Quod ſi par eſt, vt iam mutatis exprobremus vitam priſtinam, accuſandus erit & Phædon iam Philoſophus, quem, vt habetur in Hiſtoria, e meritoria cella in ſcholam philoſophicam traduxerat Socrates. Sed & Polemoni Xenocratis in Philoſophiæ profeſſione ſucceſſori luxum opprobrabimus priſtinum: cùm potiùs deberemus eius vim in illis admirari, quòd tantis vitiis occupatos valuerit efficacibus rationibus ad bonam mentem traducere.* Ita Origenes.

k *Orig. lib. 1. contra Celſum prope fin.*

Tertia ratio ſuperiori affinis, ob quam permiſerit Deus, Saulum in tam grauia peccata prolabi, eſt, vt viſa in eius ad Chriſtum admirabili conuerſione ſumma Dei clementia, & gratiæ ipſius tanta efficacia, in ſpē veniæ & vitæ melioris quicunque peccator erigatur, exemplo Pauli non ſolum peccatoris, ſed etiam talis ac tanti Eccleſiæ Chriſti perſecutoris. Nihil enim poſt excitantem, & interiùs adiuuantem Dei gratiam ita ſolet humanam in bonum afficere voluntatem, ſicut viſa, vel audita, aut lecta exempla bonorum. *Sagittaueras,* inquit S. Auguſtinus l, *tu, Domine, cor meum charitate tua, & geſtabam verba tua transfixa viſceribus, & exempla ſeruorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis viuos feceras, congeſta in ſinum cogitationis noſtræ vrebant, & conſumebant teporem.* Quare loquens idem Eccleſiæ Doctor in alio ſermone de S. Paulo m, ſic habet: *Si Saulus ſanatus eſt, ego quare deſpero? Si a tanto Medico tam deſperatus æger ſanatus eſt, ego vulneribus meis illas manus non optabo? ad illas manus non feſtinabo? Vt hoc dicerent homines, ideò factus eſt Saulus de perſecutore Apoſtolus: quia, cùm venit Medicus, volens ſibi famam comparare, infirmum quærit aliquem deſperatum, & ipſum ſanat: etſi pauperrimū inueniat, non ibi quærit mercedem, ſed commendat artem. Ita & Chriſtus potentiam ſpecialis medicinæ ſpiritualis ſuæ oſtendit in Saulo, vt omnes deinceps noſſent, eum ſanare poſſe cunctas infirmitates omnium confugientium ad ſe.* Præclarè quoque in eandem ſententiā S. Ioannes Chryſoſtomus n: *Si impius es,* inquit, *cogita publicanum; ſi immundus es, attende meretricem; ſi homicida es, perſpice latronem, ſi iniquus es, cogita blaſphemum, conſidera Paulum prius perſecutorem, poſteà annunciatorem. Nolo mihi dicas, blaſphemus ſum: nolo dicas, perſecutor ſum, immundus ſum. Habes omnium oſtenſiones, in quem volueris portum confugito: vis in nouum? vis in veterem? in veteri Dauid, in nouo Paulus. Quid eſt peccatum ad Dei miſericordiam? tela aranea, quæ vento flante nuſquam comparet.* Denique, vt alios Patres omittamus, qui multi ſunt in hoc argumento, vnum adhuc S. Bernardum audiamus o: *Quis deſperet vltra pro magnitudine cuiuſlibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc ſpirantem minarum & cædis in diſcipulos Domini, ſubito factum Vas electionis? Quis dicat: Iniquitatis pondere preſſus, aſſurgere iam ad ſtudia meliora non valeo? quando in ipſo itinere, quo*

l *S. Aug. l. 9. Confeſ. c. 2.*

m *S. Auguſt. ſer. 9. de verbis Ap. Eadem verba habet S. Anſelm. in c. 1. Ep. 1. ad Tim.*

n *Chryſ. hom. 2. in Pſ. 50.*

o *S. Bern. ſer. 1. de conuer. S. Pauli.*

ſanguinem ſitiens Chriſtianũ,dirum toto pectore virus efflabat,perſecutor crudeliſſimus in fideliſſimum repente mutatus eſt Prædicatorem. Magnificè ſiquidem in hac vna conuerſione, & miſericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur. O verè ineſtimabilis diuinæ dignatio pietatis! Ita S. Bernardus.

Quarta ratio huius diuinæ permiſſionis fuit, vt admirabilior,atque adeò efficacior Pauli prædicatio redderetur. Quis enim non obſtupuiſſet viſa in tali viro tanta,tam inopinata, & tam repentina, vitæ, morum, ac doctrinæ mutatione,vt qui ante paucos dies per omnes Synagogas celebris habebatur ob zelum Iudaïcæ religionis,vltrò quæſitis & acceptis publicis literis à Magiſtratibus & Pontificibus, non ſolùm Ieroſolymis,ſed etiam vſque Damaſcum, & per alias ciuitates notiſſimus erat Chriſtiani nominis perſecutor, in momento factus ſit fideliſſimus Euangelij aſſertor, & laudum Chriſti ardentiſſimus Prædicator: & qui paulò antè vrgebat alios ſanctiſſimum nomen Saluatoris blaſphemare,iã obteſtetur p: *Si quis non amat Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum, anathema ſit.* Qui alios propter illum vexabat, vinciebat, ad cuſtodias trahebat, pro illo nunc eſſe in carcere, in catena, magnam ſibi gloriam ducat,& cædi, lapidari, interfici pro Euangelio, qui alios propter illud lapidari curabat, & flagellari, & occidi. Quàm aptè, conuenientérque vſurpari parabola illa Iſaïæ de Paulo potuit q: *Et erit in die illa, cùm requiem dederit tibi Deus à labore tuo, & à concuſſione tua, ſumes parabolam iſtam contra Regem Babylonis,*(nempe, Diabolum,) *& dices: Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum? Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione, plaga inſanabili, ſubiicientem in furore gentes, perſequentem crudeliter.* Quis, niſi malitia prorſus obcæcatus, tantam talis hominis mutationem, alteri, quàm naturali, & humanæ virtuti, & ſoli dexteræ Excelſi non tribuiſſet? Quare narrans S. Lucas r, ingreſſum ſtatim Paulum à ſuſcepto Baptiſmo, aliquot Synagogas Iudæorum, cœpiſſe prædicare IESVM: *Quoniam hic eſt Filius Dei. Stupebãt,* inquit, *omnes, & dicebant: Nónne hic eſt, qui expugnabat in Ieruſalem eos, qui inuocabant nomen iſtud? & huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad Principes Sacerdotum?* Et ipſe Paulus, quoties ſuæ nouæ fidei, & aſſumptæ profeſſionis euangelicæ redditurus erat rationem in tribunalibus,& conuentu Iudæorum ſ, hinc ducebat exordium, exponens qualis anteà fuiſſet in Iudaïſmo,quã ſæuus, quàm crudelis Chriſti IESV aduerſarius, oſor nominis illius,crucis eius hoſtis iuratus,& inimicus capitalis. Qui tamen poſteà nihil adeò in corde, in ore, in vita gerebat expreſſum, ſicut Chriſtum IESVM, eiuſque ſalutiferam crucem, dicens t: *Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri* IESV *Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo* u. *Chriſto confixus ſum cruci.* Et x, *Non iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi* IESVM *Chriſtum, & hunc crucifixum.* Addebat y, nihil aliud ſe debere in poſterum prædicare, niſi Chriſtum crucifixum, Dei virtutem, & Dei ſapientiam; licèt perfidis Iudæis ſcandalum, cæcis Gentibus ſtultitia videretur. Quo tam inopinato, & mirabili genere prædicationis, ab homine præſertim nobili, & profeſſione Phariſæo, legis peritiſſimo, & in Prophetis verſatiſſimo adeò percellebantur auditores, vt

p 1. Cor. c. 16. v. 22.
q Iſai. c. 14. v. 4.
r Act. c. 9. v. 20.
ſ Ibid. c. 22. & 26.
t Gal. c. 6. v. 14.
u Ibid. c. 2. v. 19.
x 1. Cor. c. 2. v. 2.
y 1. Cor. c. 1. v. 23.

vt vel reſipiſcere cogerentur, & ad meliorem mentem redire, vel, qui pertinaciùs obſiſtebant, prope ad inſaniam redigerentur: vt propterea illum interficere aliquoties cogitauerint: ſicut, qui oculorum morbo grauiter laborantes ita ſplendore diurni Solis offenduntur, vt illum, ſi fieri poſſet, vellent extinctum.

Quintam addere poſſumus rationem, cur permiſerit Deus, tales præcedere in mente Pauli ſic obſcurata tenebras peccatorum, & adeò tetram obſtinatæ infidelitatis noctem: vt, nimirum, non ſolùm, ſicut dicebamus, lumen euangelicæ prædicationis ab ipſo effuſum, toti mundo mirabiliùs inclareſceret; vnde S. Dionyſius Areopagita z Paulum præceptorem ſuum, mundi lucem, & communem Solem appellauit: verùm etiam vt viſa à Paulo tanta Chriſti benignitate, beneuolentia, & nimis profuſa beneficẽtia erga ſe adeò perditum, & atrocem aduerſariũ ſuum, accenderetur vehementiùs, & arderet totus amore Chriſti ſui Redemptoris, atque in illum tantò magis alios accenderet, & inflãmaret. Quod poſteà egregiè præſtitit: *In tantum virtute progreſſus*, inquit S. Chryſoſtomus [a], *vt vix triginta annorum ſpatio, & Romanos, & Perſas, & Parthos, & Medos, & Indos, & Scythas, & Æthiopes, & Sauromatas, & Saracenos ſub iugum mitteret veritatis.* Sed æſtus illius ſacri pectoris ex ardentiſſima Chriſti dilectione quis explicet? *Quis nos ſeparabit*, dicebat ad Romanos ſcribens [b], *a charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto* IESV. Cupiebat diſſolui a vinculis corporis moribundi, & eſſe cũ Chriſto c: & tamen, vt quos Chriſto per Euangelium genuerat, amplius adiuuaret, permanere adhuc in huius vitæ laboribus voluiſſet; & quid e duobus propter Chriſtum eligeret, ambigebat: *Quid dicis, Paule*, ait idẽ Chryſoſtomus d, *cùm hinc abiens in cœlum migraturus ſis, & cum Chriſto in futurus, ignoras, quid eligere debeas? Acerbam hic vitam ducis in fame, ſiti, frigore, nuditate, curis, perſecutionibus, anguſtiis; & acerbam adhuc vitam hanc deſideras? Futura nemis, & innumeris malis es obnoxius, & apud Chriſtum adhuc eſſe non vis? Non, inquit: atque id propter ipſum Chriſtum, vt quos illi lucrifeci ſeruos, expeditiores conſtituam, & ſolidiores.* Quare meritò ibidem ſanctus hic Doctor exclamat: *Quis loquetur potentias tuas, Domine, quòd Paulum orbi exhibuiſti? Laudarunt te ſimul omnes Angeli, cùm aſtra creares, & Solem. Veruntamen non ita, quemadmodum cùm Paulum nobis orbe toto conſpicuum faceres. Propterea cœlo ſplendidior facta eſt terra: nam clarior iſte ſolari lumine, illuſtriorem immiſit ſplendorem, clariores extendit radios.* Hucuſque Chryſoſtomus.

Hinc ſextam deducimus rationem huius diuinæ permiſſionis circa Pauli priora errata, & graues prolapſiones; vt, videlicet, in humilitate tantò profundiora iaceret fundamenta, quantò ſublimius in eius anima virtutum, & gratiarum ædificium conſtituere Deus altiſſimo ſuo conſilio deſtinauerat; & vt totum agnoſceretur à gratia, & ex gratia ipſius beniгniſſima proficiſci, & non niſi eius gratiæ referendum. Quod profectò accuratiſſimè, nulla prætermiſſa occaſione, vbique facit Apoſtolus. huic nixus fundamento, huic fonti bono-

z Dion. c. 1. de diu. nom.

a hom. 4. de lau. S. Pauli.

b Rom. c. 8. v. 35.

c Philip. c. 1. v. 23.

d Chryſ. in c. 1 Philip. v. 23.

rum ſemper intentus. Gratiam enim
Dei in omnibus ferè ſuatum Epiſto-
larum ſacris paginis ipſe deprædi-
e 1. Cor. cat[e]. *Gratia*(inquit) *Dei ſum id, quod*
c. 15. v. *ſum: & non ego, ſed gratia Dei mecum.*
10. *Ego enim ſum minimus Apoſtolorum,*
qui non ſum dignus vocari Apoſtolus;
quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei.
Neque ſolùm ſe omnium Apoſtolo-
rum minimum reputabat; ſed etiam
omnium Chriſti fidelium, quos San-
f ad Phi- ctos vocat, cùm ait [f]: *Mihi omnium*
lip. c. 3. v. *Sanctorum minimo data eſt gratia hæc.*
8. Neque fidelium ſolùm, ſed etiam in-
fidelium & peccatorum omnium,
propter quos ſaluandos Chriſtus ad-
uenit, deteriorem ſe exiſtimabat:
dum, ſicut relatum eſt ſuprà, veniſſe
Chriſtus in hunc mundum affirma-
bat peccatores ſaluos facere, quorum
ipſe eſſet primus. Denique, permiſit
Deus talem anteà Paulum extitiſſe,
vt experientia propriarum miſeria-
rum, erga alios peccatores maximè
miſericors redderetur, & ſciret om-
nibus compati. Quod, quibus pluſ-
quàm paternis, maternìſque viſceri-
bus ſynceriſſimæ charitatis ſit affe-
ctus, explicari paucis non poteſt,
neque multis expedit hoc loco; ſed
in toto vitæ ipſius progreſſu libris ſe-
quentibus fusè manifeſtabitur.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

De admirabili conuerſione S. Pauli.

CAPVT I.

De tempore conuerſionis S. Pauli, & qua ratione precibus Sancti Stephani fuerit impetrata.

CVM annum iniquiſſimæ cædis S. Protomartyris Stephani anteà ſtatuerimus, eundem fuiſſe cum anno Dominicæ paſſionis, reſurrectionis, & in cœlum aſcenſionis, menſibus non ampliùs quàm ſeptem ab aſcenſionis die intercurrentibus vſque ad diem mortis S. Stephani, qui fuit annus à Chriſti natiuitate trigeſimuſquintus vna die inchoatus, Tiberij Imperatoris decimuſnonus; ætatis verò Pauli circiter trigeſimuſquartus: ſi modò, quantùm temporis à S. Stephani martyrio ad S. Pauli conuerſionem interceſſerit, oſtendatur, facilè conſtabit, quo anno à Chriſto nato; quo item anno imperij Tiberij Cæſaris, ac denique ætatis ipſius Pauli contigerit eius planè admirabilis conuerſio, de qua toto hoc libro fuse pertractabimus. Et quidem ſi agatur de die, vel menſe, non de anno conuerſionis S. Pauli, non poteſt in dubium reuocari incidiſſe in diem vigeſimamquintam menſis Ianuarij, quando ex antiquiſſima traditione per Eccleſiam vniuerſam eius ſolennis memoria celebratur. Sed, cùm Romanum, tam nouum, quàm antiquum Martyrologium, Vſuardi quoque, & aliorum ita ponant illa die vigeſimaquinta Ianuarij conuerſionem S. Pauli, vt etiam addant, fuiſſe ab aſcenſione Domini anno ſecundo, quomodo hoc ſit intelligendum, à multis controuertitur. Sunt enim aliqui graues Auctores, qui ſecuti Euſebium Cæſarienſem in Chronico a, affirmare maluerunt, primo anno ab aſcenſione Domini hanc Pauli conuerſionem eſſe factam, id eſt, à paſſione Domini, quæ communiter creditur in Martio contigiſſe, decem inde menſibus præterlapſis; octauo autem menſe à Domini aſcenſione, quæ putatur fuiſſe in Maio, & vno menſe à martyrio S. Stephani, quod ſine dubio accidit in Decembri, die illius menſis, vt diximus, vigeſimaſexta, quando ab Eccleſia celebratur: conuerſio autem S. Pauli die vigeſimaquinta ſequentis menſis Ianuarij. Quare poſſe etiam dici, Pauli conuerſionem eſſe factam anno ſecundo à Chriſti Domini Aſcenſione, ſi nouus annus à Chriſti natiuitate, vel à Calendis Ianuarij eccleſiaſtico more computetur. Itaque Auctor Hiſtoriæ ſcholaſticæ hanc ſecutus opinionem b: *Non te* (inquit) *moueat, ſi quandoque legatur conuerſio S. Pauli facta primo anno Dominicæ paſſionis, quandoque autẽ ſecundo anno: alterum enim de anno vſuali; alterum autem de*

a *Euſeb. lib. 1. Hiſt. c. 1. & in Chron.*

b *Auctor Hiſt. eccl. in Act. c. 46. ſua Hiſt.*

de anno emergenti dicitur: ſi enim computes primum annum Dominicæ paſſionis à Calendis Ianuary, qui eſt annus vſualis, tunc ſecundo anno conuerſus eſt Paulus: ſi autem computes ab ipſo die paſſionis, vſque ad ſequentem diem anniuerſarium paſſionis, reuoluto anno, qui eſt annus emergens; ſic in primo anno Dominicæ paſſionis conuerſus eſt Paulus.

Huic tamen ſatis expeditæ opinioni Cæſar Cardinalis Baronius c, & hunc ſecuti doctiſſimi Viri etiam noſtri Ordinis Benedictus d Peretius, Bened. Iuſtinianus, Gaſpar e Sanzius, Ioan. Lorin. Cornelius à Lapide, aliique recétiores minimè acquieſcunt, ea moti potiſſimùm coniectura: quia, ſi dicamus inter martyrium S. Stephani, & S. Pauli conuerſionem non niſi dies triginta interceſſiſſe, nimis breue tempus aſſignaretur iis, quæ in Actis apoſtolicis toto capite octauo accidiſſe deſcribuntur inter Stephani mortem, quæ narratur capite ſeptimo, & Pauli conuerſionem capite nono explicatam. Ea verò ſunt f, perſecutio magna poſt necem Stephani excitata in Eccleſia, quæ erat Ieroſolymis: magna diſperſio Chriſtianorum per regiones Iudææ, atque Samariæ g: exequiæ S. Stephani funerales celebratæ ſecundùm aliquos h, diebus quadraginta; ſecundùm alios, ſeptuaginta i: Sauli excurſiones deuaſtantis Eccleſiam, & perquirentis eos, qui per varia loca fugiebant, & latebris abſcondebantur k: Philippi Diaconi profectio in Samariam; prædicatio eiuſdem, & miracula, cum conuerſione plurimorum; literæ ab illo ea de re inde ſcriptę Ieroſolymam ad Apoſtolos l: qui, *cùm audiſſent, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem* m. deinde eiuſdem Philippi Diaconi excurſio longior vſque Gazam, vbi Eunuchum Candacis Reginæ, Æthiopum Theſaurarium, in fide inſtruxit & baptizauit n: denique Ananię profectio Damaſcum, ibique edita Euangelij prædicatio, Eccleſiæ collectio, & propagatio; cuius rei fama Ieroſolymam vſque perlata, ſummum Pontificem, & alios Iudaïcos Magiſtratus concitauit, vt ad Chriſtianos ſuccreſcentes inquirendos, & vinctos Ieroſolymam adducendos, Saulum vltrò ſe ad hoc offerentem, literis authenticis, & comitatu ſatellitio deſtinarent. Hæc omnia perfici ſpatio tantùm dierum triginta potuiſſe, prædictis Auctoribus non videtur: arbitrantur itaque, non vno menſe, ſed vno anno, & adhuc vno menſe præterlapſo à die interfectionis Stephani, conuerſionem Pauli eſſe ſubſecutam, qui annorum tunc eſſet trigintaquinque.

Hæc tamen non omninò conuincunt à priore ſententia recedendum, quæ plurium eſt, & grauium Auctorum, tum antiquorum, tum recentiorum o, & in ea facilè omnia conciliantur, quæ cum oppoſita non cohærent. Nam, quod ait S. Lucas in illo Actorum capite octauo, factam eſſe perſecutionem magnam poſt necem Stephani in Eccleſia, & fidelium diſperſionem ab Ieruſalem, annuum tempus minimè requirit; imò vnicus illi aſſignatur dies, cùm dicitur p: *Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia.* nempe, quia illa die, qua occiſus eſt S. Stephanus, inceperat tumultuoſiſſimè; & per plures dies, ac menſes, adhuc Paulo iam cõuerſo, potuit perduraſſe. Similiter funus S. Stephani tunc inchoatum, quamdiu protractum ſit, S. Lucas non expoſuit: nihil verò prohibet, ſi per dies quadraginta, vel etiam ſeptuaginta, vt ex Gamaliele Pauli præceptore Lucianus retulit q, celebratum eſt,

c Baron. an. 36. & in Notis Martyr. 25. Ian.
d Peretius in Epiſt. ad Rom. proleg. diſp. 1. n. 25. Iuſtin. in Paulum d. 3. c. 4.
e Sãzius in Acta, c. 9. Lor. ib. 2. 19. Cor. in c. 2. Ep. ad Gal. & in c. 9. Act. Pet. Lintrenſis in Acta c. 9. v. 15.
f Act. c. 8. v. 1.
g ibid. c. 8. v. 2.
h apud Lorin. in Act c. 8. v. 2.
i Act. c. 8. v. 3.
k ibid. c. 8. v. 5.
l ibid. v. 14.
m ibid. v. 26.
n ibid. c. 9. v. 10.
o Beda in c. 1. Act. S. Thom. in c. 12. Ep. ad Corint. ibidem Lyran. Ioannes Arbor. S. Anton. 1. p. hiſt. tit. 6. c. 5. Salmer. tract. 29. in Act. Serarius in Vita Pauli, p. 2. §. 1 Nauclerus gen. 2. Bellar. indicat lib. 1. de Baptiſm. c. 7.
p Act. c. 8. v. 1.
q Lucianus in ep. de inuent. S. Steph.

eſt, duraſſe adhuc poſt Pauli conuerſionem. Deinde, perſecutionem Pauli, & eius ad Chriſtianos carceri mãcipãdos excurſiones, tredecim menſium fuiſſe negotium, ſacra Hiſtoria non indicat; ſed potius fuiſſe temporis multò breuioris. Deſcribitur enim Saulus *adhuc ſpirans minarum & cædis*: id eſt, inquit ibi Chryſoſtomus [f], nondum ſatiatus cæde Stephani acceſſiſſe ad Principem Sacerdotum, & petiiſſe ab eo epiſtolas in Damaſcum: & in hoc itinere, dum efferatus nece Stephani, Damaſcum peteret, à Chriſto vocatus eſt. Non igitur longo tempore poſt Stephani martyrium Pauli conuerſio eſſe potuit. Philippi Diaconi profectio ab Ieruſalem in Samariam, prædicatio, miracula, & Apoſtolorum Petri ac Ioannis eò per literas aduocatio, annum profectò non requirebant, imò nec menſem, cùm eſſet iter vix vnius diei, vnde ire, redire, & multa in ſalutem animarum perfici vna hebdomada benè potuiſſent. Inſtitutio de rebus fidei, & Baptiſmus Eunuchi Reginæ Cãdacis, minùs quàm vnius diei negotium fuit, operante gratia efficaciſſima illius Spiritus, qui, ſicut S. Ambroſius ait [t], neſcit tarda molimina, idque per miniſterium Philippi Diaconi, viuo exemplo, & ſanguine recenti Protomartyris Stephani, cuius ſubibat vicem, corroborati. Qui etiam, vt exequeretur celeriùs miniſterium ſuum, à Gaza in Azotum, hoc eſt, per quadraginta milliaria, ſicut olim Habacuc [u] in Babylonem, ab Angelo in momento ferè temporis tranſlatus eſt. *Nam, cùm aſcendiſſet de aqua*, ait S. Lucas [x], *Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus.* Itaque, inquit Chryſoſtomus [y], *quod Philippus audiuit de Prophetis, de Habacuc, de Ezechiele* [z], *& aliis, vidit in ſe quoque fieri, qui in minimo tempore expertus ſit multum itineris ſe confeciſſe, quandoquidem in Azoto inuentus eſt, & illic poſtea ſtat, vbi etiam illum euangelizare oportebat.* Ananiæ in ciuitate Damaſci commoratio, pro Euangelij prædicatione, Eccleſiæ fundatione, & amplificatione plùs fortaſſe temporis, quàm vnius menſis ſpatium exigebat: ſed non debemus exiſtimare, Ananiam non niſi poſt Stephani martyrium Ieroſolyma Damaſcum eſſe profectum; potuit enim multò antè proficiſci. Et ſanè id apparet eſſe veroſimilius: nã, cũ Damaſci eſſet, & a Chriſto mitti deberet ad Paulum iam conuerſum baptizandũ, ita reſpondit Ananias [a]: *Domine, audiui de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Ieruſalem.* Non igitur erat ipſe Ieroſolymis, dum Stephanus interficeretur, & Saulus Eccleſiã perſequebatur: alioquin non dixiſſet, audiui; ſed, vidi, quanta mala fecerit Saulus in Ieruſalem. Quare credere potiùs debemus, cũ eſſet Damaſcus ciuitas primaria, & Syriæ metropolis, ſecundo loco poſt Ieruſalem, fidelium collectam multitudinem aluiſſe ſub Ananiæ cura & inſtitutione, qui proinde ſtatim mortuo S. Stephano dicitur [b] Eccleſiæ Damaſcenæ Epiſcopus ab Apoſtolis fuiſſe conſtitutus. Et quoniam furor exortæ perſecutionis Ieroſolymitanam Eccleſiam ſatis diſſipauerat, Summus Sacerdos Annas, aut Caïphas, aut quiſquis tunc ſummum gerebat pontificatum, ne Damaſci Eccleſiæ Chriſtianæ feliciter iacta fundamenta ſubſiſterent, eò Saulum ſine dilatione mittendum putarunt, tanquam ad alteram Chriſtianæ religionis arcem primariam quamprimùm demoliendam. Quare iuxta hanc ſententiam, quam veriorem exiſtimamus, res vltra annum

[Margin notes:]

r *Act. c. 9. v. 1.*

f *Chryſ. hom. 19 in Acta.*

t *S. Ambr. l. [illegible] in Lucam c. [illegible]*

u *Dan. c. 14. v. [illegible]*

x *Act. c. 8. v. 39.*

y *Chryſ. hom. [illegible] in Acta.*

z *Ezech. c. 8. v. 3.*

a *Act. c. 9. v. 13.*

b *Doroth. in Synop. Petrus de Nat. l. 3. c. 11.*

dilata nequaquam fuit;ſed ad paucos vix vnius menſis dies: ita enim benè omnia,vt diximus,conciliantur;præſertim quòd non tanta fuerit Iudæorum in hac re tarditas, & diſſimulatio,neque Pauli in perſecutione cunctatio, quòd Deus non permiſerit Paulum diu cæco illo furore agitari, & quòd preces pro ipſo deuotiſſimè à S.Stephano oblatæ,de quibus infrà referemus,citò effectum ſortitæ ſunt. Hac etiam ratione vera eſſe dignoſcuntur,quę à tam multis,& nō ſpernendis Auctoribus affirmantur;videlicet,eodem anno Dominicæ paſſionis Stephanum martyrio coronatum, & Paulum ad fidem Chriſti vocatum: & quomodo, qui hoc referunt ad annum ſequentem, minimè contradicant.Imò neque fortaſsis illi antiquiſsimi,Enodius Epiſcopus in cathedra Antiochena Petri ſucceſſor [c], & Hippolytus Thebanus [d], qui,licet affirmaſſe referantur, ab aſcenſione Domini ad Stephani martyrium, & Pauli conuerſionem, ſeptem annos interfluxiſſe; tamen errore fortè Librariorum,ſeptem annos pro ſeptem menſibus aliqui legerūt;reuerà enim tot menſes interceſsêre, non tot anni. Præterea, hinc etiam conſtabit eſſe veriſsimum,quod de Pauli ætate S.Chryſoſtomus affirmauit [e], illum vixiſſe annis ſexagintaocto, & horum medietatem in Chriſti deuotiſſimo obſequio conſumpſiſſe. Annorum igitur trigintaquatuor eum eſſe oportuit, cùm ad fidem conuerteretur, quando à Chriſti natiuitate annus decurrebat trigeſimusquintus, Tiberij Imperatoris decimusnonus, Sulpitio Galba, & Cornelio Sylla Conſulibus. Qui verò [f] annum, & menſem à nece S. Stephani ad Pauli conuerſionem interiecerunt,ætatis Pauli plenam medietatem in obſequio Chriſti non poſſunt adſcribere; ſed tantùm annos triginta tres: cùm tamen Chryſoſtomus rerum Pauli peritiſsimus, neque trigintaquatuor ſatis eſſe putauerit; ſed trigintaquinque, his verbis expreſſerit [g], *Trigintaquinque annus Paulus Apoſtolus Chriſto Domino cum omni promptitudine ſeruiuit:curſu autem pietatis conſummato,cùm eſſet annorum ſexagintaocto requieuit.* Nempe, quia inchoato trigeſimoquarto ætatis ſuæ anno, ad Chriſtum,vti diximus,eſt conuerſus. Addendo igitur illi anno trigintaquatuor expletos, benè dici poteſt, habuiſſe illum in obſequio Chriſti annos trigintaquinque:& ſexagintaocto manent pro ætate vniuerſa. Eadem à Chryſoſtomo fortaſsis accepta,de Pauli ætate,atque annis,habet Metaphraſtes. Denique,vt hanc materiam concludamus,ſi pro tam multis, quæ geſta in Eccleſia primitiua ab aſcenſione Domini vſque ad martyrium S. Stephani, ſeptem primis capitibus referunt Acta Apoſtolorum,ſeptem menſes ſine controuerſia ſufficiunt; cur pro iis,quæ in vno tantùm octauo capite ſequenti ibidem narrantur, non ſufficiet vnus menſis,octauus, videlicet, ab aſcenſione:Hæc iam ſcripſeram,cùm poſteà obſeruaui, quod anteà non aduerteram,in additionibus Cardinalis Baronij ad tomum Analiū decimum, in fine,ita ſcriptum: *Cæterùm,ſi magis placet eiuſdem S.Hieronymi ſententiam ſequi, vt velimus, quod apud omnes in confeſſo eſt, hoc anno Chriſti quinquageſimoprimo habitum eſſe Concilium Apoſtolorum: tunc opus eſt ad primum annum poſt Domini aſcenſionem reuoces S.Pauli conuerſionem.* Hæc etiam aduertens Henricus Spondanus in editione 2. Compendij Annalium, ad annum trigeſimumquintum, in eandē nobiſcum ſententiā venit,ſic dicens: *Baronius prioribus quidem tomi pri-*

c apud Nicep. l. 2. Hiſt. c. 3.

d Glyc. ac 3.p. Hiſt.

e Chryſoſt.or. de SS.Petro, & Paulo, addita tom. 5. noua ed.

f Baron. anno 36. tom. 1. edit.1. & alij ſuprà citati.

g Chryſ. or. cit. de SS.Petro, & Paulo. Idem habet Metaph. de mart. Petri, & Pauli, 29.Iulij. apud Surium.

mi

m Annalium editionibus maluit cum aliis plurimis, Pauli conuerſionem accidiſſe anno ſequenti: ſed, cum poſtea diligentius conſideraſſet, quæ aduerſus eam opinionem obiicerentur à nonnullis, liberum reliquit, quam quiſque vellet opinionem ſequi. Itaque illam de anno præſenti nos libentius amplexi ſumus multis adducti rationibus. quas hic Auctor fuse perſequitur, & pro eadem ſententia refert Illuſtriſſimum Cardinalem Perronium multis ea de re diſſerentem. Quæ quidem legi tantò libentius, quantò minùs libenter aduerſarer magnæ auctoritatis Scriptoribus, niſi conuictus valdè firmis rationibus, voluiſſem.

Reliquum eſt, vt oſtendamus, non tantùm à nece S. Stephani conuerſionem Pauli prope ſubſecutam; verùm etiam huius Martyris precibus à Deo fuiſſe impetratam. Rident hoc hoſtes bonorum operum, & ſanctatum precum contemptores, Caluinus, & Baza; irridendine ipſi, an potiùs deflendi. Sed S. Auguſtinum magis audiamus: *Vt noueritis*, inquit [h], *quantùm valuerit oratio Martyris S. Stephani, recurrite nobiſcum ad illum adoleſcentem, nomine Saulum, qui, cùm S. Stephanus lapidaretur, omnium veſtimenta ſeruabat, & tanquã manibus omniũ lapidabat.* Deinde poſt multa in hãç ſẽtentiam: *Si*, inquit, *Martyr Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet: ſed ideo de terra erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus.* Addit in alio ſermone S. Auguſtinus [i], quinque circa idem merito nobis obſeruanda. Primum eſt ſine dubio S. Stephanum orationem illam, quam obtulit pro ſuis lapidatoribus, cùm dixit [k]: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* à Chriſto Domino didiciſſe, in cruce ſic orante pro ſuis crucifixoribus [l]: *Pater, dimitte illis; non enim ſciunt, quid faciunt.*

h S. Augu. ſer. 4 de ...

i S. Aug. ... 4. de diuer. ...

k Act. 7. 59

l Lucæ 23. 34

Vnde in aliquibus exemplaribus, orationi quoque S. Stephani verba illa ſimiliter adiuncta leguntur: *Quia neſciunt, quid faciunt.* Sed in noſtra vulgata nõ habentur. Secundum eſt, videri probabile, S. Stephanum interfuiſſe, quando Chriſtus Saluator pendens à cruce pro crucifixoribus exorauit, adeóque preces illas ex ipſius Chriſti morientis ore prolatas Stephanum accepiſſe, & ideò cordi ſuo altiùs infixiſſe. Tertium eſt, fortè Stephanum vnum fuiſſe ex illis, pro quibus tunc Chriſtus in cruce precabatur: non enim conſtat, an ante illud tempus eſſet conuerſus, & non conſentiens neci Chriſti: ſicut Paulus præſens martyrio Stephani [m], erat conſentiens neci eius. Quartò, S. Stephani eximiam charitatem in eo maximè enituiſſe, quòd pro ſe orando nondum genua flectebat, nec vocem adeò intendebat; pro ſuis autem interfectoribus poſitis in terra genibus, & voce magna clamauit, dicens: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* quia, videlicet, pro magnis peccatoribus ſupplicabat, & multò facilius pro ſe iuſto, quàm pro tam iniquis fuerat exaudiri. Quintò, Saulum ibi præſentem illas Stephani orantis voces audiuiſſe; eas tamen adhuc obdurato corde, & mente obcæcata contempſiſſe, atque irriſiſſe: neque inde propterea minorem redditam Martyris ſupplicantis charitatem, & precum eius efficacitatem. *Putáſne*, inquit S. Auguſtinus, *verba iſta audiuit Saulus? audiuit ſubſannans; ſed irriſit: & tamen ad orationem Stephani pertinebat. Adhuc graſſabatur, & iam pro illo Stephanus exaudiebatur.* Quare inquit S. Fulgentius [n], *Charitatis virtute ſubnixus Stephanus vicit Saulum crudeliter ſæuientem; & quem habuit in terra perſecutorem, in cœlo meruit habere conſortem. Quo*

m Act. c. 7. v. 59.

n Fulgẽtius ſer. de S. Stephano.

enim præceſſit Stephanus trucidatus lapidibus Pauli; illuc ſecutus eſt Paulus adiutus orationibus Stephani. Addunt aliqui [o], Paulum, dum veſtes lapidantium cuſtodiret, ſuas viciſſim preces pro Stephano ad Deum fudiſſe, vt illi Deus ſaniorem mentem iniiceret, quem magno in errore verſari multùm ipſe aberrans ſibi perſuadebat. Sed hoc, vnde conſtet, aut quanta cum veritate aſſeratur, non apparet. Illud multi teſtantur [p], qui loca terræ ſanctæ circa Ieroſolymam deſcripſerunt, & confirmatur ab inde redeuntibus peregrinis, extare adhuc lapidem, non procul à porta Ephraïm, quæ porta S. Stephani poſteà eſt appellata, ſuper quem Beatiſſima Virgo, & cũ illa S. Euangeliſta Ioannes tandiu pro Stephano deprecarentur, quandiu inter ictus lapidum, quos à longè proſpiciebant, immaculatum Deo ſpiritum Martyr Chriſti reddidiſſet. Quòd ſi Stephanus in tali poſitus anguſtia ita pro ſe orauit, vt lapidãtium ſe minimè obliuiſceretur, nec ab eorum contra ſe feritate auocabatur, quominùs pro illis ardentiſſimas preces ad Deum effunderet; quis poterit dubitare, ſic Deiparam, & S. Euangeliſtam Ioannem oraſſe pro Stephano, vt Saulum, alióſque aduerſarios Deo commendare, illóſque placare iram Numinis prætermiſerint? Quare, ſi orationibus S. Stephani Paulum debere ſe, agnoſcit Eccleſia; & orationibus ſacratiſſimæ Virginis dicere poſſumus deberi quodammodo ipſum Stephanum; cur non dicamus & Paulum? Cum enim Virgo Beatiſſima ſub cruce Mater omnium electorum in perſona S. Ioannis à Chriſto fuerit conſtituta [q], quid mirũ, ſi inter ſummos dolores, quos propter necem S. Stephani, & peccata lapidantium tunc pauebatur, Paulum, quaſi alterum Benjamin [r], hoc eſt, filium dexteræ Chriſti, oratione ſua pepererit; quem tamen ipſa Benoni, hoc eſt, filium doloris mei, potuerit appellare? Nam & de tribu Benjamin, & Apoſtolorum minimum, & tanquam abortiuum ſe fuiſſe teſtatur Paulus, qualis fuit Benjamin inter duodecim Patriarchas. Sed ad hiſtoriam conuerſionis eius propius accedamus.

o *apud Lorinum in c. 7. Act. v. 58.*

p *Burchardus in ſuo itinerario, p. 1. c. 7. §. 4. Ioan. Zual l. 3. itiner. & alij.*

q *Ioan. c. 19. v. 26*

r *Gen. c. 35 v. 18.*

CAPVT II.

De itinere Pauli verſus Damaſcum, apparatu itineris, comitibus, & loco eius conuerſionis.

Damaſcus, primaria ciuitas Syriæ Prouinciæ, vt propterea dixerit Iſaïas [a]: *Caput Syriæ, Damaſcus*, & ipſa interdum Syria, Damaſci eſt cognominata, ad Syriarum diſtinctionem: cùm priùs, ſicut teſtatur Iuſtinus Martyr [b], & Tertullianus [c], Arabiæ deputaretur, antequam tranſcripta eſſet in Syrophœnicem Fama eſt, ex luto campi Damaſceni primum hominem à Deo fuiſſe formatum: verum campus ille fuit iuxta Hebron [d], vbi vallis eſt vſque hodie dicta lacrymarum, eò quòd Adam eiectus a Paradiſo, ibi longo tempore fleuiſſe mortem Abelis referatur. *Et Hebræorum traditio eſt*, inquit S. Hieronymus [e], *campum, in quo inter fectus eſt Abel à parricida Cain, fuiſſe in Damaſco, qui interpretatur ſanguinem bibens, vt proinde mirum non ſit, ſi Paulus poſt interfectionem Stephani primi in Chriſto Martyris, adhuc ſpirans minarum & cædis, perrexerit in Damaſcũ.* Sed hæc ingenioſe euentibus rerum ſunt accommodata. Cæterùm ipſa Damaſcena ciuitas antiquiſſima & nobiliſſima, in loco peramœno extedificata, ad latus montis Libani, diſtans

a *Iſai. c. 7. v. 8.*

b *Iuſtin. contra Tryph.*

c *Tertul. cõtra Iudæos, c. 9. & l. 3. contra Marcionẽ c. 13.*

d *Burchardus in ſuo itinerario, & alij in deſcr. terræ ſanctæ.*

e *S. Hier. in c. 27. Ezech.*

ſtans quinque manſionibus, ſeu quinque dierum itinere ab Ieruſalem, non quinquaginta, vt aliqui [f] putauerunt, à Damaſco Eliezer, famulo, ac procuratore Abraham, nomen accepit [g], vt poſt Hieronymum [h], Abulenſis, & alij docuerunt. Quòd autem iuxta Hebraici vocabuli etymologiam Damaſcus ſaccus ſanguinis interpretetur, imò etiam iuxta Græcam; nam *αἷμα* ſanguinem, & *ἄσκον* ſaccum Græci dicunt; hoc magis proprie ad ſoli fertilitatem alij retulerunt: erat enim Damaſcus variorum fructuũ, maximè autem vini feraciſſima, quod in ſacris Litteris notũ eſt nomine ſanguinis ſæpè ſignificari [k]. Quare Gentiles ipſi Bacchum in ea regione habitaſſe commenti ſunt, & in quodam ſacco ibi latitaſſe. Erat tunc Damaſci Rex Aretas, qui grauem cum Herode Tetrarcha regnante Ieroſolymis, gerebat ſimultatem, eò quòd hic Herodes filiã Aretæ, quam duxerat in vxorem, & cum qua diu vixerat, poſteà turpiter repudiauerat, vt Herodiadem vxorem fratris ſui nefariis ſibi nuptiis copularet. Vnde mirum eſt, tantùm iuris vindicare ſibi potuiſſe Summum illius temporis Pontificem Iudæorum, in iis, quæ ad religionem pertinebãt, vt cùm Ieroſolymis reſideret, ad vnius Sauli poſtulatum, daret literas ad alterius ditionis, & regni Synagogas, vt vincti Ieroſolymam inde adducerentur, quicunque ex Iudæis in Chriſtum credidiſſent. Videtur enim iuri gentium repugnare, tutum non eſſe perfugium iis, qui extra ditionem proprij Principis, in alterius dominij regionem proficiſcuntur. Fieri tamen poteſt, vt Tiberius Imperator, vel etiam ante ipſum Cæſar Auguſtus, qui multa Iudæis priuilegia contulerunt, & valdè ſe illis beneficos oſtenderunt, ſicut Philo in libro de ſua ad Caium legatione teſtatur, id quoque ampliſſimi iuris indulſerint Pontificibus, & Concilio Iudæorum. Potuit etiam pactũ inter Aretam Regem, & Pontifices illos interceſſiſſe, vt cauſas omnes religionis vſque ad Arabiæ Synagogas, ipſi cognoſcerent, & diiudicarent, quidquid inter Aretam, & Herodem politicæ controuerſiæ tunc incidiſſet. Quamuis horum duorum Regum odia, dum hæc agerentur, non adhuc in apertum bellum eruperant: ſcribit enim Ioſephus [l], bellum ab Areta conflatum, & ingentem ab eo cladem illatam Herodi fuiſſe, cùm Præſes Iudææ Pontius Pilatus amplius non eſſet, ſed Vitellius ei ſucceſſiſſet [m]: fuiſſe verò Pilatum miſſum in Iudæam a Tiberio, imperij ſui anno duodecimo, manſiſſéque in eo Magiſtratu decem annis; nempe, ad annum vſque vigeſimumſecundum imperij Tiberij Cæſaris, ac demum Vitellium ſucceſſorem accepiſſe: quæ autem de Pauli conuerſione hic à nobis referuntur, circa annum imperij Tiberij decimumnonum eueniſſe, iam anteà demonſtrauimus.

Cùm igitur Paulus non ſatis haberet Chriſti fideles perſequi Ieroſolymis; ſed ampliùs inſaniens, ait ipſe de ſe [n], vſque ad exteras ciuitates ire cogitaret, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum. *Ex quo videre licet*, ait Chryſoſtomus [o], *Pauli zelum & ardorem, & quomodo legitime operatus eſt: nam accedit ad Principem, petit epiſtolas ab illo: qui, nimirum, non ad vnum tantum Summum Sacerdotem; ſed ad alios quoque ob eandem cauſam obtinendæ legitimæ poteſtatis ſe inſinuaſſe teſtatus eſt aliquando Agrippa Regi* [p], *dicens, ſe à Principibus Sacerdotum poteſtatem accepiſſe*. Et iterum ibi [q]: *Mihi*, inquit, *teſtimonium reddant omnes*

f Salmer. tom. 12. d. 9. & tom. 1. prolog. 4.
g Gen. 15. 2.
h Hier. in 15. Gen.
i Abul. ibid.
k Deut. 32. 14. Eccl. 50. 15. Mac. 6. 34.

l Ioſeph. l. 18. Antiq. c. 5.
m Id. lib. 18. Antiq. c. 5.
n Act. c. 26 v. 11
o hom. 19 in Act.
p Act. c. 26. 10.
q ibid. c. 22. v. 5.

maiores natu, à quibus epiſtolas accipiens ad Fratres Damaſcum pergebam. Videtur itaque, plures, & varias Paulus epiſtolas procuraſſe; tum patentes, & publicæ poteſtatis ſigillo munitas; tum commendatitias ad Magiſtratus, & Archiſynagogos, vt negotium vindicandæ religionis in perſona ſua, quocunque ipſe adueniſſet, omnes adiuuarent. *Quare autem in Damaſcum ibat?* (ait Chryſoſtomus [r].) *Nempe, quia magna erat ea ciuitas, & regia. timebat igitur, ne & illa ciuitas praeueniretur.* Vnde, quamuis in animo Saulus habuiſſet, alias quoque plures adire ciuitates, atque oppida, in quibus fideles Ieroſolyma diffugientes, propter factam à cæde Stephani perſecutionem, ſe recepiſſent: tamen poſt eos oppugnatos, qui erant Ieroſolymis, & inde magna ex parte diſſipatos, atque diſperſos, à Damaſco primùm incipere voluiſſe, magis eſt veriſimile: quia præter Ieroſolyma nuper expulſos, & Damaſcum petẽtes, iam ibi frequens eccleſia fidelium collecta inueniebatur, & ab Anania, ſicut anteà retulimus [s], ordinata, & benè inſtituta. Vnde Paulum Ieroſolyma diſcedentem, vt Eccleſiam deuaſtaret, aliò iuiſſe quàm versùs Damaſcum, ſacra Hiſtoria non recenſet, ſed tantùm indicat, ire in animo habuiſſe: idque ſine dubio præſtitiſſet, ſi plùs illi temporis, quàm vnius menſis fuiſſet; & niſi ipſe Chriſtus Dominus occurſu ſuo tam inopinato, quàm admirabili, maturè obſtitiſſet.

r hom. 19. in Acta.

s cap. praeced.

Dies, quo ſe huic itineri Paulus commiſit, quantum aſſequi coniectura licet, fuit menſis Ianuarij vigeſimaprima: cùm enim Ieroſolyma Damaſcum via intercederet dierum quinque; & cũ eſſet prope Damaſcũ, die, videlicet, illius itineris poſtremo, ad Chriſtum ſit conuerſus, is fuit eius menſis vigeſimusquintus; ante quatuor, vel quinque dies oportuit Ieroſolyma diſceſſiſſe; ſi tamen pedibus illud iter conficiendum ſuſceperat, & non potiùs cum aliquo equitatu, de quo à pluribus non parum video fuiſſe dubitatum. Et quidem equo vectum fuiſſe, multorum, & ferè communis videtur eſſe ſententia, pro qua illa non leuia faciunt argumenta. Nam ſatis longum erat illud iter, non vnius, vel duorum; ſed quinque ad minimum dierum: deinde, ibat Saulus feſtinus, ſpirans minarum & cædis, cum auctoritate & publica poteſtate, illaturus vim multis: ibat ſatellitio comitatus: denique, ferè vbique picturæ, etiam antiquiſſimæ, cadentem illum ex generoſo equo, fulgore cœleſti cum ſociis in terram deturbatum, nobis proponunt: vt quamuis in ſacra Hiſtoria non ſit expreſſum; quaſi tamen antiqua traditione ratũ habeatur. Hæc multorum opinio, quamuis abſurdi nihil contineat, & quatenus à bonis Auctoribus [t] approbatur, non ſit contra illam, tanquam pro re magni momenti, operoſiùs diſputandum: quia tamen aduerti, Caluino placuiſſe, & aliis quibuſdam Lutheranis [u], qui pedeſtres peregrinationes pro ſuo Euangelio valdè ægrè ſuſcipiunt; ideò verba ſacræ Hiſtoriæ attentius conſideranti apparere mihi cœpit minùs probabilis, & comperi ſententiam oppoſitam magis eſſe Scripturæ conſentaneam. Nam, cùm hæc Hiſtoria conuerſionis Pauli ſemel à S. Luca [x], & iterum [y], ac tertiò [z] ab ipſo S. Paulo cum omnibus ſuis circunſtantiis fuſa oratione deſcribatur, nuſquam equitatus, vel equi vllius mentio, aut indicium inuenitur. Et tamen vbi ſemel tantùm, & breuiùs eadẽ Actorum ſacra Hiſtoria [a] conuerſionem exponit Eunuchi Reginæ

t qui cribunt in Acta Apoſt. c. 9.

Perion. in Vita S. Pauli, & aly.

u Haret. in com. ſuper c. 9. Act.

x Act. c. 9. v. 3.

y ibid. 22. v. 6.

z ibid. c. 26. v. 12.

a ibid. c. 8. v. 27.

…æ Æthiopum, toties repetit illum curru vectum iter ſuum peregiſſe, & currum ſtare iuſſiſſe, voluiſſe Philippum aſcendere; tum ambo de curru ad aquas, vt baptizaretur Eunuchus, deſcendiſſe. Deinde ait S. Paulus [b], ſe, omnéſque, qui cum ipſo erant, ſplendore illo ſuperni luminis circunfuſos in terram corruiſſe: quòd ſi ex equis decidiſſent, frangere ceruices, aut grauiter lædi ſine dubio debuiſſent: quòd ſi miraculo id ſecutum non fuiſſet, eò minùs fuerat in Hiſtoria reticendum. Præterea, magnam eſſe oportuit equorum perturbationem ex occurſu repentino rei tam inſolitæ, & fulgoris adeò exceſſiui, quippe qui lumen ipſum Solis meridiani, vt poſteà explicabitur, ſuperaret. Quare (inquit Xenophon in libro de re equeſtri) *hoc non ignorabimus, repentina omnia in equis perturbationem efficere, ſiue quid tum aſpexit ſubito, ſiue audiuit, ſeu etiam paſſus eſt.* Quòd ſi iumentum Prophetæ Balaam [c], equo militari multò ſtolidius, ex vnius Angeli viſu fuit adeò perterrefactum, vt longam ea de re narrationem texere debuerit ſacer Hiſtoricus; cur, quæſo, hîc de equitatu illo, Chriſti triumphatoris adeò ferienti lumine conſternato, ne verbum quidem? Imò verò fuiſſe ſe, omneſque, qui comitabantur, pedites, & non equites, Paulus haud obſcurè ſignificauit, cùm dixit [d], audiuiſſe ſe, cùm in terram delapſus iaceret, à Chriſto ſibi dictum: *Exurge, & ſta ſuper pedes tuos.* Pedeſter igitur, & non eques cecidit: nam ex modo ſurgendi modum cadendi bene hîc poſſumus deprehendere. Additur à S. Paulo: *Et cum non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus à comitibus, veni Damaſcum.* Si igitur cæcus, & quando equo maximè indiguiſſet, pedibus incedere Damaſcum vſque, tum ipſe, tum ſocij illum deducentes cogebantur, profectò equi non erant ad manus, quos etiam ita per habenas adducere ſeſſoribus vacuos, minimè ad rem fuiſſet, & noua moleſtia nõ caruiſſet. Denique S. Auguſtinus non vno in loco de S. Pauli itinere versùs Damaſcum diſſerens, idem videtur aſſumere pro comperto: *Ibat*, inquit [f], *ſæuire Saulus in membra Chriſti; ibat ſanguinem fundere; ibat lupus, futurus paſtor: & cùm ſic ambulabat, & cogitabat, anhelabat cæde: conducit pedes eius ira, mouet membra odium: dum pergit & ambulat, ecce vox de cælo.* Et in alio ſermone [g]: *Nonne cum iter agens ſpirat & anhelat cædes, de cœlo percuſſus eſt? & vocem Domini audiuit ad ſalutem fulminatus? dum ambulat proſternitur.* Quare in libertatem pictorum non diſſimili libertate poetica quidam ſcripſit:

Mentitur pictor, Paulum qui pingit equeſtrem,
Cùm clarè cõſtet, quòd fuit ille pedes.

Neque mouere nos multùm debet itineris longitudo, auctoritas, vel poteſtas, & comitatus, quo Paulus Damaſcũ proficiſcebatur: nã vſus equorum magis erat hominum Gentilium, quàm Iudæorum. Quare S. Baſilius exponens illa verba Pſalmi trigeſimiſecundi: *Fallax equus ad ſalutem.* ſic ait: *Excluſus eſt ab vſu Sanctorum equus; neque Iſrael in obeundis bellis, quantumuis proſpere ſe geſſerit, videtur vſus aliquando equeſtri comitatu. Nec Sanctorum aliquis priuatim equo vti pulchrum exiſtimauit. Pharao equeſtri vſus exercitu, & Sennacherib ſuperbus equorum multitudine narratur; & lex per Moyſem promulgata hac de Regibus ſancit. Non multiplicabis tibi equum.* Ita S. Baſilius. Et S. Hieronymus ad illa verba Pſalmi ſeptuageſimiquinti: *Dormitauerunt, qui aſcen-*

b Act. c. 22. v. 7. & c. 26. v. 14.
c Num. c. 22. v. 27.
d Act. c. 22. v.
e Ibid. v. 11.
f S. Aug. ſerm. 17. de verb. Apoſt. homil.
g ſer. 9. de verb. Apoſt.

aſcenderunt equos. Præceptum, inquit, *eſt in lege,vt Hebræus non habeat equos.* Adde,quòd Paulus fuit ex vitæ inſtituto Phariſæus:Phariſæorum autem valdè ſeuera, atque etiam in huiuſmodi auſtera erat diſciplina, & delicias in cultu, & cura corporis ipſi aſpernabantur,vt ex S Epiphanio, & Ioſepho Hiſtorico anteà [h] demonſtrauimus: quam viuendi rationem tunc Paulus exactiſsimè obſeruauit, & deinceps in Apoſtolatu, vt ſe adhuc Phariſæum profiteri in Concilio Iudæorum aliquando [i] veritus non ſit, nempe, quoad ea, quæ illud inſtitutum ex ſe honeſtum habere potuit cum euangelica perfectione communia. Conſtat autem, Apoſtolum itinera propè innumera, & peregrinationes immenſas ſemper vſque ad vltimam ſenectutem incedendo pedibus confeciſſe,niſi quatenus propter maria, vel flumina conſcendere nauigium cogebatur. Quid igitur mirum,ſi idem obſeruauerit in iuuentute? Atque hinc illud maximè confirmatur, quod aliquoties anteà [l] dictum eſt,& à S. Chryſoſtomo non ſemel obſeruatum [m]; Paulum nequaquam ſuperbiæ faſtu, vel cupidine captandæ auræ popularis; ſed zelo Moſaicæ legis, cuius erat ſtudioſiſsimus,tantam ſibi deſumpſiſſe perſequēdi Chriſtianos ſollicitudinem, atque moleſtiam,tot ſe laboribus,atque etiam periculis expoſuiſſe;quod alij non audebant, quia tali zelo religionis non ardebant. Idem quoque S.Ambroſius [n] adnotauit, exponens ipſius Apoſtoli hac de re teſtimoniū, ad Galatas [o] ita ſcribentis:*Supra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & proficiebam in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo,abundantiùs æmulator exiſtens*, &c. *Neſciebat enim,*inquit Ambroſius, *iam tempus aſſeruandæ legis non eſſe, omni induſtria & feruore mentis id agebat, vt cæteris æqualibus ſibi æmulatione legis præſtantior videretur,ſic inſaniens contra diſciplinam Chriſti, vt nulli hominum parceret fidei fœdera aſſecuto.* Quare addit idem Auctor: *Videns Deus æmulationem eius bonam; ſed ſcientiam ei deeſſe, placuit ei vocare illum ad gratiam ſuam, ſciens iam idoneum hunc eſſe ad prædicandum Euangelium Filij eius in Gentibus. Quia, ſi in re minima tam velox & fidus eſſet audacia conſcientiæ, non adulatione cuiuſquam; quantò magis in prædicando dono Dei, futurus eſſet conſtantior ſpe promiſſi præmij?*

h lib. 1. c. 6.

i Act. c. 23. v. 6.

l lib. 1. c. 1?. & 12.

m Chryſoſt. hom. de cōmr. S. Pauli, & in Act. Ap. hom. 19.

n S. Ambroſ. in epiſt.

o ad Gal. c. 1. v. 13.

Quia verò negotium, quod ſibi Paulus aſſumpſerat, non modò erat laborioſum, ſed etiam multarum contentionum, magníque diſcriminis;ideò non incedebat ſolus, ſed ſocios ſibi aliquot eiuſdem propoſiti, ac voluntatis aſciuerat. Qui autem hi fuerint,& quot,nobis non conſtat, & an eſſent accincti milites, vel potiùs togati legis ſtudioſi, ſiue alij, vt ipſe erat,Phariſæi. Nam,quamuis ad homines per vim extrahendos, vinciendos, & ad cuſtodias & carceres perducendos, omninò videatur opus habuiſſe lictoribus; tamen eos facile potuit obtinere Damaſci à Magiſtratibus.Et quia non acceperat poteſtatem, reos in illa ciuitate puniendi; ſed, ſicut dicitur in Actis apoſtolicis [p], *vinctos in Ieruſalem perducendi:* *Vt ita,* inquit Chryſoſtomus [q], *cum maiore poteſtate ibi pœnā de illis ſumeret*:adeò ſi tunc ſecū ſatellites non habuit, ſaltem inde oportuit accipere; præſertim, vbi captiuorum magnus fuiſſet numerus, qui non niſi armata militum manu,vel comitante aliquo equitatu tranſmitti Ieroſolymam debuiſſent. Neque verò ſolum vt cum maiori poteſtate Chriſti fideles ſupplicio afficerentur, erant perducendi

p Act. c. 9. v. 2.

q Chryſ. hom. 19. in Act.

cendi Ieroſolymam; ſed etiam, quia ſi de graui aliquo ſupplicio, & pœna capitis ageretur, vt verſare animo Paulus ſpirans minarum & cædis videbatur, auctoritas Pontificum, vel poteſtas Synagogæ, aut Iudaici Magiſtratus minimè ſufficiebat, Cæſarum ſtatutis & legibus eam poteſtatem reipublicæ Iudæorum, vt ſuprà
[r Ib. 1. c. 32.] declaratum eſt [r], adimentibus; vt proinde non niſi ad tribunal Romanorum cauſæ huiuſmodi eſſent referendæ.

His itaque plenus mortiferis cogitationibus Paulus incedebat, anhelans toto pectore crudelitatem, ſpirans minarum, & cædis inferendæ, quando per ſe non poterat, ſaltem ipſo procurante, per alios: & erat itineris dies quinta (vt putamus) atque poſtrema prope Damaſcum, quò ſe fortè veſperi diſpoſuerat peruenturum: ſed debuit in meridie prorſus mutare conſilia & cogitationes. Nam
[s Act. c. 9. v. 3.] ait S. Lucas [s]: *Cõtigit, vt appropinquaret Damaſco, & ſubitò circunfulſit eum lux de cœlo.* Eandémque rem de ſeipſo
[t ibid. c. 22. v. 6.] referens Paulus [t]: *Factum eſt*, inquit, *eunte me, & appropinquante Damaſco, media die, ſubitò de cœlo circunfulſit me*
[u ibid. c. 26. v. 13] *lux copioſa.* Et addit [u], copioſam hanc lucem ſplendorem Solis lucentis in meridie ſuperaſſe; nec ipſum tantùm, ſed & eos omnes, qui cum ipſo erãt, circunfulſiſſe, omnéſque in terrã quaſi fulmine ictos deieciſſe: qua de re multa erunt exponenda in ſequentibus. Interim hic illud à S. Chryſoſto-
[x hom. 19. in Act.] mo [illegible] adnotatum obſeruare debemus: factum Dei prouidentia, vt hæc neque Ieroſolymis Paulo contingerent, neque Damaſci, ſed in media via: nam, ſi intra ciuitatem corã multis perfidis facile præſtigias ſuſpicantibus, & omnia in deteriorem partem interpretãtibus talia cõfusè viſa fuiſſent, deprauata rei veritas in vulgus prodiiſſet, aliter quàm ſe habuerit factum exponentibus, & malam ſidem, tãquam de re ſuis quoque oculis perſpecta, exigentibus. Iam verò non niſi ſynceriſſima narratione totum habebatur à teſte omni exceptione maiori, qui cùm eſſet priùs tantoperè à Chriſto alienus, & Chriſtianorum ſupra omnes aduerſarius, ac notorius perſecutor, maximè omnium fide dignus, in eo præſertim quod ſibimetipſi, non alteri contigiſſe referebat, & minimè in dubium reuocari, quod dicebat, poſſe videbatur. Fuit etiam illud diuini conſilij, vt non prope Ieruſalem, ſed ante Damaſcum Pauli conuerſio ſecuta ſit: nam Chriſti Eccleſia, etiamſi Ieroſolymis valdè eſſet exagitata; duodecim tamen Apoſtolorum præſentia confirmabatur, qui ex Chriſti mandato ibi aliquandiu ſubſiſtere debuerunt, ad plurima inter ſe conferenda, & ad commune religionis bonum ſtabilienda. Igitur oportebat nouæ Eccleſiæ Damaſcenæ nouus naſceretur Apoſtolus; & vt, vnde magnum illi à Dæmone periculum creabatur, inde à Deo præſidium pararetur, atque in remedium, ac ſolatium ſingulare totum conuerteretur. Fuit autem adeò notus & celebris veteribus Chriſtianis locus ille huius Apoſtoli conuerſionis, prope Damaſcum, extra portam ciuitatis ad primum lapidem, vt ibi ad perpetuam tantæ rei memoriam conſeruandam illuſtre templum fuerit exædificatum: quod ſignificare voluit S. Auguſtinus, cùm in quodam ſermone de Pauli conuerſione, dixit [y]: *Hodie in illis regionibus etiam ipſa loca teſtantur, quod geſtum eſt: & nunc legitur, & creditur.* *[y ſer. 14. de diuerſis ex edit. Louan.]*
Sed contra incredulos ac perfidos agendum eſt pluribus capite ſequenti.

K CAPVT

CAPVT III.

Ipſum Chriſtum Dominum de ſummo cœlo deſcendiſſe pro conuerſione S. Pauli, oſtenditur contra Caluiniſtas.

HÆc à Saulo contra Chriſti naſcentem Eccleſiam dum agerentur, Saluator Chriſtus, qui nunquam ſuos ex omni parte deſtituit, ita ſe geſſit, vt aliqui ratiocinantur, quemadmodum aquila ſublimiſſimi volatus, & viſus perſpicaciſſimi; quę, quamuis in altum adeò ſubleuetur, vt mortalium fugiat aſpectum; nihilominùs tamen prouida e longinquo ſpeculatur, ſi fortè rapax auis pullis ſuis in nido inferiùs relictis circunuolando inſidietur, aut nidum eius inuadat: tunc enim indignans protinùs deorſum toto corpore librata in prædatricem inuolat, eam proprio pectore ad terram allidit, atque proſternit, vnguibus, & roſtro vulneratam, humi iacentem, prope mortuam relinquit. Ita planè Chriſtus Dominus, qui, vt de illo dicitur in Cantico

a Deut. c. 32. v. 11. Moyſis [a]: *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans expandit alas ſuas.* & per ſuum non pridem aſcenſum in cœlum, vſque ad empyreum penetrauerat. Vn-

b Pſ. 67. v. 34. de Pſalmographus: *Aſcendit*, inquit, *ſuper cœlos cœlorum ad orientem.* tum

c ibid. v. 22. addit in eodem Pſalmo [c]: *Veruntamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.* Quamuis itaque Deus & homo Chriſtus, peracto iam curſu mortalitatis, in altiſſimo ſolio paternæ gloriæ ſuper omnes cœlos requieſceret; curam tamen, ac prouidentiam Eccleſiæ ſuæ, tórque recentium fidelium in magno verſantium diſcrimine ac trepidantium, minime deſerebat. Quare procul intuitus Pauli perſecutoris ſæuitiam & ferocitatem, non diſtulit à ſummo cœlorum, tanquam aquila velociſſima ſe demittere, illi occurrere, querula voce illum perterrefacere, ad terram ſternere, fulgore nimio ferire, obcæcare, vt mentis eius oculos illuminaret; & ferè mortuum reddere, vt ſibi viuere inciperet vita meliori.

e Caluinus, & Beza in c. 9. Act. At valdè angit Caluinum [e], & Bezam, alioſque iſtorum ſectatores, talis Chriſti de cælo ad terram deſcenſus, propter vnius Pauli conuerſionem; neque perſuadere ſibi poſſunt, id ſatis probari ex diuina Scriptura, niſi quòd ſpecies quędam imaginaria, & fulgor in aëre apparens, oculos Pauli perſtrinxerit, & vox quædam aures impleuerit; non tamé ex ore Chriſti prolata, quaſi ibi præſentis, ſed formata diuinitùs, vt ali-

f Matth. c. 3. v. 7. quando in Baptiſmo [f], aut in monte

g Matth. c. 17. v. 5. Thabor [g], cum de nube vox Patris inſonuit. Meritò ſanè dixit S. Epi-

h S. Epiphanius. in Anchorato. phanius [h], peiorem eſſe prauam Hæreticorum fidem, quam ipſe vocat κακοπιστίαν, alia qualibet ἀπιστίᾳ, id eſt, infidelitate. Timent Caluiniani, ne ſi Chriſtum in cœlis ſemper manentem, atque inde, vt ipſi putant, nec ad modicum quidem tempus, vſque ad extremi Iudicij diem recedentem, aduenire in terram potuiſſe concedant, cogantur fateri, poſſe ſimul in cœlo manere, & præſentem adeſſe venerabili Euchariſtiæ Sacramento, cui ſubſtantialé, realemque Chriſti pręſentiam ipſi ſacrilege pernegant. Sed, quidquid ſit de huiuſmodi illationibus & conſequentiis, illud vnum hic agimus, vt oſtendamus, Chriſtum ipſum in vicino medio aëre, non Angelum loco ipſius, vel aliud phãtaſma, ſeu ſimulacrum,

aut

aut fictam ſpeciem Paulo nunc adſtitiſſe. Optimus autem huius viſionis Interpres eſſe in primis debuit S. Ananias, non ab alio, quàm ab ipſo Chriſto Domino tota ea de re inſtructus. Hic ergo ſtatim à Chriſto ad Saulũ miſſus, ſic eſt eum allocutus [i]: *Saule frater, Dominus miſit me* IESVS, *qui apparuit tibi in via, qua veniebas.* Sicut igitur Saulus ipſemet erat, qui illa via veniebat, non phantaſma ipſius: ita erat Chriſtuſmet, qui ſe in illa via illi oſtendebat; non eius imago, aut ſimulacrum. Et, vt adhuc manifeſtius hanc minimè dubiam veritatem Ananias exponeret, addidit [l]: *Deus patrum noſtrorum praeordinauit te, vt cognoſceres voluntatem eius, & videres iuſtum, & audires vocem ex ore eius.* Non dixit, vt alium loco ipſius videres, aut audires alterum pro ipſo loquentem, aut in aëre, vel ex aëre, non ex humano eius ore prolatam vocem: ſed, *vt videres iuſtum*; quod nomen antonomaſticè à Prophetis [m] expectato Meſſiæ tribuitur: *& audires vocem ex ore eius.* Hæc Ananias Paulo fideliter retulit ex Chriſti cõmiſſione. Deinde eodem ſenſu Barnabas Apoſtolus eandem viſionem aliis Apoſtolis, qui nondum eam intellexerant, explicauit, cum Paulum manu apprehenſum ad illos induxiſſet: ita enim legimus in Actis apoſtolicis [n] *Barnabas autem apprehenſum Paulum manu duxit ad Apoſtolos: & narrauit illis, quomodo in via vidiſſet Dominum, & quia locutus eſt ei.* Præterea S. Lucas Euangeliſta addit, hæc omnia deſcribens [o]: *Viri autem illi, qui comitabantur, cum eo ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem; neminem autem videntes.* Itaque inter Paulum & comites ponit Lucas hanc differentiam: quia comites, Chriſti quidem vocem audiebant; ipſum tamen, qui loquebatur, non videbant:

i *Act.* c. 9.v.17.
l *ibid.* c. 22.v.14
m *Iſai.* c. 62.1.1. *Ierem.* c. 23.v.5.
n *Act.* c. 9.v.27.
o *ibid.* c. 9.v.7.

Paulus autem & vocem audiebat, & eum, qui ſecum loquebatur, propè adſtantem videbat. Quid, quòd ipſemet Paulus, tanquam de re minimè in dubium reuocanda, in prima ad Corinthios Epiſtola ita ſcribit [p]: *Nonne Chriſtum* IESVM *Dominum noſtrum vidi?* Et paulò inferiùs enumerans teſtes oculatos Dominicæ reſurrectionis, poſteaquàm poſuerat Petrum, Iacobum, & alios, de ſeipſo ſic ait [q]: *Nouiſſimè autem omnium tanquam abortiuo viſus eſt mihi.* Quando, videlicet, ſicut naſci ſolent fœtus abortiui, tanta violentia proiectus in terram, obcæcatus, ſemimortuus naſcebatur afflictæ ab ipſo Eccleſiæ Chriſti, tunc illi viſus eſt Chriſtus, poſt eius à mortuis reſurrectionem, corpore illo ſuo ſplendidiſſimo & glorioſo: talis enim Petro apparuerat, & Iacobo, & aliis Apoſtolis: alioquin non ſufficienter Paulus ex hac apparitione probaſſet, vt intendebat, Saluatoris noſtri à mortuis reſurrectionem. Sed audiamus iam ipſum Dominum explicantem, quomodo Paulo apparuerit, dum illum in terram proieciſſet radiis validiſſimæ lucis è ſuo glorioſiſſimo corpore contra illum eiaculatis [r]. *Exurge*, inquit illi, *& ſta ſupra pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, vt conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorũ, quæ vidiſti.* Dicit illi, ſe apparuiſſe, non alium loco ſuo, vel aliquid aliud imaginem eius referẽs. Deinde, quia debebat ex hoc teſtis eſſe non imaginis, aut luminis ipſius; ſed reſurrectionis, & gloriæ Chriſti viuentis; *eorum, quæ vidiſti*, ait: igitur viuentem Chriſtum debuit vidiſſe, & ita conſtitui miniſter eius, vt cæteri Apoſtoli, qui illum non in imagine, ſed in perſona iam viderant. Præterea, quaſi indignaretur Paulus, ſi quis vellet hac de re dubitare, dicebat ad Corinthios ſcribẽs [s]: *Non ſum*

p 1. *Cor.* c. 9 v. 1.
q 1. *Cor.* c. 15. v. 8.
r *Act.* c. 26.v.16
s 1. *Cor.* 9.v.1.

ſum Apoſtolus? Nonne Chriſtum Dominum noſtrum vidi? ac ſi dixiſſet: Proculdubio ſum,& vidi, ſicut viderunt ipſi. Atque hoc eſt, quod profitebatur ad Corinthios ſcribens [u]: *Tradidi vobis in primis, quod accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt,& ſurrexit tertia die ſecundum Scripturas, & quia viſus eſt Cephæ, deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus: nouiſſimè autem omnium, tanquam abortiuo, viſus eſt mihi. ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Notat autem S. Ioannes Chryſoſtomus [x], in hæc verba, cùm deberet pro rei veritate Paulus inter teſtes viuentes, & oculatos Chriſti reſurrectionis enumerare ſeipſum, magna id prudentia, modeſtia,& humilitate feciſſe, addendo ſe fuiſſe perſecutorem Eccleſiæ,& eſſe minimum Apoſtolorum,& tanquam abortiuum Eccleſiæ fœtum: quia multam hac ratione fidem ſibi conciliabat, tam ea, quæ contra ſe, quàm quæ pro ſe videbantur, ſyncerè manifeſtando, omnem vanitatis, ac iactantiæ ſuſpicionem longè declinando: quoniam rem proferebat ſummi fauoris,& ſingularis Chriſti erga ſe dilectionis. Non enim quando aliis Apoſtolis Chriſtus Dominus apparuerat, oportuit ipſum de cœlo, quò nondum aſcenderat, deſcendiſſe, ſicut quando perſecutori Eccleſiæ Paulo voluit apparere. Quare diſputans Origenes [y] contra Celſum negantem Chriſti reſurrectionem, cùm protuliſſet hoc Pauli teſtimonium, vt minimè omnium ſuſpectum, quo dicebat, ſibi quoque tanquam abortiuo, Chriſtum eſſe viſum, ait Origenes, tã fuiſſe viſum à Paulo Chriſtum poſt aſcenſionẽ, quã ab aliis Apoſtolis ſtatim poſt reſurrectionem, cùm à terra in cœlum nondum aſcendiſſet.

u 1. Cor. c. 15. v. 3.

x Chryſoſt. hom. 38. in 1. Cor. c. 15.

y Orig. l. 2. contra Celſum

Ad hæc iam audiamus, quid obiiciant aduerſarij. Paulus, dicunt, erat tunc planè cæcus: quomodo igitur potuit Chriſtũ intueri? Reſpõdemus, primo intuitu vidiſſe corpus Chriſti ante ſe in aëre ſubſiſtentis, fulgentiſſimi ſplendoris, & inde ſenſiſſe, non in momento, ſed parua mora interpoſita, ſe obcæcatum, vt pluribus exponetur capite ſequenti. Sicut, qui aciem oculorum in Solem meridianum intenderet, vtique illum videret: ſed, niſi citò viſum auerteret, paulò pòſt nihil videret. Vnde non ſtatim cæcum eſſe redditum Paulum, S. Lucas apertè ſignificauit, cùm dixit [z], illum in terra proiectum aliquandiu iacuiſſe, donec illi Chriſtus, poſt interrogationes varias, vt ſurgeret, imperauit. *Surrexit autem,* inquit, *de terra Saulus, apertiſque oculis nihil videbat.* Et profectò, ſi toto illo tempore Saulus nihil vidit, quomodo verum erit, quod ei dixit Ananias? *Vidiſti iuſtum, & audiſti vocem eius.* & Barnabas; vidiſſe Dominum in via, qua veniebat: & ipſe Paulus: *Nonne Chriſtum* IESVM *Dominum noſtrum vidi?* Adhuc tamen inſtant aliqui. Potuit Paulus Chriſtum vidiſſe; non tamen in ſua ſubſtantia; ſed in eius aliquo effectu, nempe, in lumine, tanquam illius ſymbolo,& nota: atque ita contigiſſe, videtur ipſe Paulus ſignificare, cùm Agrippæ Regi narrans ſuam viſionem, ſic ait [a]: *Vidi, Rex, de cœlo ſupra ſplẽdorem Solis, circunfulſiſſe me lumen, & eos, qui mecum ſimul erant.* Reſpondeo, vidit quidem lumen,& hoc maximè illius oculos feriebat; idémque ſocij, quamuis remotiores, viderunt; & ideò poterant huius luminis oculati eſſe teſtes: ſed ipſe Paulus vidit prætereà Chriſtum viuum,& eum ſibi loquentem audiuit; quia debebat eſſe teſtis, non tantùm luminis; ſed etiam & maximè Chriſti

z Act. c. 9. v. 7.

a ibid. c. 26. v. 13.

Chriſti viuentis, ac de morte triumphantis. Vnde, ſicut apparet ex allatis antea teſtimoniis, ſæpiùs legimus in Scriptura, viſum à Paulo Chriſtũ Dominum, quam lumen: de ſociis autem, quòd nõ viderint niſi lumen, & quaſdam voces audiuerint: *Et ſtabant ſtupefacti*, ait S. Lucas[b], *neminem videntes*: non dixit, nihil videntes; ſed neminem: aliquid enim, nempe, magnum lumen videbant; non autem corpus Chriſti Paulum alloquentis, eique dicentis: *Ego ſum* IESVS *Nazaræus*. Atque hoc tandem conſtrictus argumento Caluinus aliam excogitauit reſponſionem[c]: ait enim poſſe admitti, à Paulo viſum eſſe Chriſtum ipſum, & eum ab illo auditum loquentem; non tamen ob id ad terram deſcendiſſe; ſed in cœlo, vnde nunquam recedit, conſiſtentem: ſicut illum Stephanus viderat ſedẽtem à dextris Dei. Factum enim diuina virtute, vt oculi, & aures Pauli cœlos omnes penetrarent. Sed huic reſponſioni primùm aliqui ex noſtris[d] illud meritò obiiciunt, quod ipſe Caluinus alibi ridens Sanctorum inuocationem ſcripſit his verbis[e]: *Quis eò vſque longas eſſe illis aures reuelauit, quæ ad voces noſtras porrigantur? oculos etiam tam perſpicaces, qui neceſſitatibus noſtris aduigilent?* Ita ipſe in nos & Sanctos obloquitur. Quid igitur, ſi nos illi obiiciamus, neque Paulum habuiſſe tam longas aures, nec oculos tam perſpicaces, vt vſque ad cœlos, & ſupremum cœlorum penetrarent? Quid, quæſo, poterit reſpondere, niſi diuina virtute id fieri per aliquod miraculum potuiſſe? At, ſi diuinæ virtuti non eſt difficile facere, vt mortales & carnei oculi, atque aures, quales tunc erant S. Pauli, penetrarent vſque ad empyreum cœlum; cur non poterit eadem virtute fieri, vt oculi, & aures ſpirituales animarum beatarum ea, quæ hîc aguntur in terris, & preces, quæ hinc à nobis ad eos effunduntur, percipiãt? Quare S. Stephanus[f] videns Chriſtum Dominum in cœlo ſedentem à dextris Dei, ad illum conceptis verbis orauit: auditum autem, atque etiam exauditum non dubitamus: at vocale reſponſum dediſſe Chriſtum Dominum S. Stephano in terra manenti, non legimus, nec eſt veriſimile: quia ſonos articulatos per immenſa ſpatia tot cœlorum, & elementorum traiicere, idque interuallo temporis breuiſſimo, nimis magnum miraculum fuiſſet, & minimè neceſſarium. Sed iſta omittamus: neque quid fieri abſolutè potuerit, hîc nos quærimus; ſed quid factum ſit. Dicimus itaque Chriſtum à Paulo viſum, non in cœlo, ſed in terra, ſiue in aëre terræ propinquo. Primò, quia, ſicut dixit Ananias[g], apparuit illi Chriſtus in via, qua veniebat: non igitur in cœlo. Idémque confirmauit Barnabas[h], cùm hanc viſionem, præſente ipſo Paulo, narraret Apoſtolis. Secundò, quia S. Paulus retulit ad Corinthios ſcribens[i], à ſe viſum Dominum, ſicut fuit viſus à S. Petro, à S. Iacobo, ab vndecim diſcipulis, & deinde à quingentis fratribus ſimul poſt reſurrectionem: at nulli horum in cœlo viſus eſt; quia nõdum aſcenderat in cœlum. Tertiò, ſi Paulus illũ vidiſſet in cœlo, ſicut S. Stephanus vidit ſedentẽm à dextris Dei, facilè, quis eſſet, intellexiſſet, neque interrogare debuiſſet[k]: *Quis es, Domine?* ſicut ipſe interrogauit. Quartò, ſi tantùm in cœlo Paulus Chriſtum vidiſſet, idoneus teſtis reſurrectionis eius non fuiſſet: facilè enim increduli dicere potuiſſent, deceptum aliqua ſua imaginatione Paulum: neque enim per diſtantias propè infinitas cœli à terra, mortales oculos, & aures

b *Act. c. 9. v. 7.*

c *Calu. l. 4. Inſt c. 17. §. 29.*

d *Bellar. l. 3. de Euch. c. 3.*

e *Serar in Paulum, p. 2. §. 3.*

e *Calu. lib. 3 Inſt. c. 20. §. 24.*

f *Act. c. 7. v. 55.*

g *ibid. c. 9. v. 17.*

h *ibid. c. 9. v. 27.*

i *1. Cor. c. 15. v. 5*

k *Act. c. 9. v. 5. & c. 22. v. 8. & c. 26. v. 15.*

officio ſuo fungi ſine deceptione aliquavaluiſſe. Quintò, etiam Pauli comites vocis ſonum audierunt, quod eſt ſignum euidentiſſimum, in terra, ſiue in aere proximo Chriſtum apparuiſſe, & inde locutũ fuiſſe, non à ſummo cœlo: vnde dicebat Ananias, Chriſtum Paulo in via, qua Damaſcum ibat, apparuiſſe, & vocem eius audiuiſſe ex ore ipſius. Sextò, comites Pauli non tam bene Chriſti verba excipiebant, ſicut Paulus, qui erat
m *Act. c. 9. v. 7. & c. 22. v. 9.* Chriſto propinquior [m]: quod eſt aliud euidens argumentum non fuiſſe tunc e cœlo Chriſtum locutum, ſed prope Paulum, quaſi ad aures, comitibus aliquantò remotioribus, ideò minus audientibus. Septimò, tanta fuit vis luminis circa Paulum, vt eum excæcauerit: igitur è vicino Chriſti corpore micabat, radiis tanquam à propinquo igne in faciem eius directe immiſſis: nam, ſi à ſummo cœlo, remiſſiùs vtique fulſiſſet, nec adeò lædere illius oculos debuiſſet: vel ſi etiam longiſſimo illo cœlorum & elementorum tractu tanta virtute per totum fundebatur; cur non eius ſimiliter comites excæcauit? ſiquidẽ ipſi benè illud lumen aſpexerunt, etiamſi verba Chriſti non ita benè perceperunt. Octauò, ſi lumen illud è cœlo fũdebatur, cùm eſſet, teſte ipſo Paulo, ſupra ſplendorem meridiani Solis; cur tantùm à Paulo & comitibus in illa via fuit obſeruatum; non verò alibi, & maximè Damaſci? Dices tamen, Paulum narrantem de
n *Ibid. c. 26. v. 13.* hoc lumine ſic affirmaſſe [n]: *Vidi de cœlo ſupra ſplendorem Solis circumfulſiſſe me lumen.* De cœlo igitur illud lumen veniebat. Sed non eſt difficilis reſponſio: ſicut enim de cœlo veniebat, qui lumen illud ſecum vehebat, nempe, corpus Chriſti glorioſũ; ita etiã ipſum lumen: ſed, ſicut, quando ſe Chriſtus Paulo præſentauit, iam à cœlo deſcenderat, & erat in via; ita etiam eius lumen. Quapropter ita Paulus referebat [o]. *Dum irem Damaſcum die media in via vidi de cœlo lumen*, &c. ſignificans locum, vbi erat ipſe, cùm hoc vidit, nempe, in itinere, dum iret Damaſcum; tempus, quando accidit, id eſt, in meridie; locum, vbi Chriſtus ſe illi oſtendit adeò luminoſum, nimirum, in illa via; & vnde aduenìſſet, nempe, de cœlo, non ex aliqua inferiori mundi regione, tanquam à mortali hominum conditione prorſus exemptus. o *loco cit. ſup.*

Sed contrà adhuc inſtant Caluinus, & alij Hæretici, qui Sacramentarij nominantur, eò quòd fateri nolint realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia: quia ſanctus Petrus in Actis apoſtolicis [p] affirmat, Chriſtum ita ſe per aſcenſionem in cœlis conſtituiſſe, vt inde ad extremum vſque vniuerſalis Iudicij diem non ſit deſcenſurus: *Quem*, inquit S. Petrus, *oportet quidem cœlum ſuſcipere vſque in tempora reſtitutionis omnium.* Quo teſtimonio eſſe abuſum olim Berengarium, contra realem Chriſti præſentiã in Euchariſtia, teſtatur Guidmundus [q]: &, vt hoc meliùs errori Sacramentariorum Beza adaptaret, quod noſtra vulgata verſio reddit actiuè, dicẽs: *Quem oportet cœlum ſuſcipere.* ipſe ſic vertit paſſiuè [r]: *Quem oportet cœlo capi, & contineri.* Quaſi verò Chriſtus Dominus cœlo tanquam carcere mancipatus, ſic detineretur, vt non poſſet ire, quò vellet. Qua de re à multis Beza [s] reprehenſus, tanquam diuinarum Scripturarum corruptor atque falſarius; conſtat enim valdè eſſe diuerſum, dicere: Domus hæc debet me ſuſcipere. &, Debeo capi & contineri hac domo. ideò in alia editione [t], verba mutauit; ſed prauam ſententiam retinuit, dicens, Chriſti corpus tantum eſſe in cœlo,

p *Act. c. 3. v. 21.*
q *Guid. l. 3. cõtra Bereng.*
r *Beza in ſua edit. an. 1565.*
s *vt refert Staplet. in Antid. Act. c. 3.*
t *Beza in edit. anni 1588.*

cœlo, alibi poſt aſcenſionem nunquã fuiſſe, neque futurum, niſi cùm venerit ad Iudicium vniuerſale. Sed ad prolatum Scripturæ teſtimonium duplex erit Catholicorum reſponſio. Prima eorum, qui opinantur, vnum, idémque corpus non poſſe conſtitui ſimul eodem tempore in pluribus locis, niſi ſacramentaliter, vt eſt corpus Chriſti ſimul in cœlo, & in hoſtiis conſecratis. Atque hi reſpondent, etiamſi Chriſtus Dominus tanquam in ſua regia maneat ordinariè in empyreo cœlo, nec inde ſit ad nos deſcenſurus publica pompa & maieſtate, niſi pro extremo Iudicio; ſicut in Symbolo Nicæno dicitur: *Inde venturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos.* & duo Angeli in die Dominicæ aſcenſionis dixerunt [u]: *Sic veniet, quemadmodum vidiſtis eũ euntem in cœlum.* tamen priuata aliqua apparitione, & ad modicum tempus inde recedere ſtatim reuerſurum, nullum eſſe inconueniens. Quare S. Thomas [x] agens de Chriſti Domini ad cœlum aſcẽſu: *Dicendum,* inquit, *quod Chriſtus ſemel aſcendens in cœlum, adeptus eſt ſibi, & nobis in perpetuum ius, & dignitatem manſionis cæleſtis: cui tamen dignitati nõ derogat, ſi ex aliqua diſpenſatione Chriſtus quãdoque corporaliter ad terram deſcendat; vel vt oſtendat ſe omnibus, ſicut in Iudicio; vel, vt oſtendat ſe alicui ſpecialiter, ſicut S. Paulo in ſua conuerſione.* Hæc B.Thomas. Secunda reſponſio eſt Theologorum aſſerentium, benè fieri poſſe diuina virtute, vt vnum corpus eodem tempore ſimul in pluribus locis conſtituatur; atque adeò, vt Chriſtus Dominus cœlum non deſerendo, præſentem ſe realiter exhibeat, cui voluerit, in terra; & ita S. Paulo in via realiter præſentem ſe conſtituiſſe, vt tamen in cœlo, ſicut antea, permaneret. Multis hæc reſpõſio magis placet: ea enim Chriſti præſentia ſacramentalis in Euchariſtia meliùs contra Hæreticos defenditur, etiãſi prima ſatis bona ſit; & nũc vno, nunc altero modo, nempe, cœlum ad medium relinquendo, vel in eo ſimul perſiſtendo, præſentem ſe diuerſis apparitionibus exhibuiſſe Chriſtum Dominum pro ſua non minùs omnipotenti, quam ſapienti, & libera voluntate, non eſt dubitandum. Quæ quidem Chriſti apparitiones tam multæ, & tam celebres, à grauiſſimis & ſanctiſſimis Doctoribus referuntur, Gregorio [y], Ambroſio [z], Athanaſio [a], Paulino [b], atque aliis, vt eas omnes velle negare, extremæ impudentiæ eſſe videatur. Cæterùm hæc S. Paulo facta primùm, poſtquàm in cœlũ Chriſtus aſcẽderat, adeò inſignis apparitio, tanta interni, externique luminis claritate, ac ſplendore, tam illuſtrem inter alios reddidit hũc Apoſtolum, vt hanc rationem reddant graues Auctores [c], cur in antiquis ſigillis, quibus diplomata Summorum Pontificum obſignãtur, Paulus à dextris honoris gratia, & Petrus à ſiniſtris expreſſus haberetur. Quod etiam in multis antiquis imaginibus Principum Apoſtolorũ obſeruatum eſſe docuit Petrus Damiani [d]: non quòd maior Petro inter Apoſtolos eſſet Paulus, qui etiam ſe minimum Apoſtolorum profitetur: ſed, quia ortus de tribu Benjamin, tanto Eccleſiæ ab ipſo afflictæ dolore in Chriſti lucem editus [e], vt Benoni, hoc eſt, filius doloris mei, ab Eccleſia potuerit appellari; Chriſto tamen verè fuerit Benjamin, id eſt, filius dexteræ, Vas electionis, pro cuius magna conuerſione ipſemet, qui ſedet ad dexteram virtutis Dei, voluerit è cœlò in terram benigniſſimè deſcendere, vt oſtenſum eſt.

u *Act. c. 1. v. 11.*
x *S. Th. 3 p. q. 57. art. 6. ad 3.*
y *S. Greg. l. 4 dial. c. 16.*
z *S. Ambr. in or. cõt. Aux.*
a *Athan. apolog. pro fuga ſua.*
b *Paulin. in ep. ad Macar.*
c *Innoc. 3. ſer. de Euangel. S. Th. lect. 1. in Ep. ad Gal. Mucint. de Imag. SS. Petri, & Pauli.*
d *Petrus Dam. in epiſt. ad Deſider. Abbat.*
e *Gen. c. 35 v. 18.*

CAPVT

CAPVT IV.

De lumine, quo Paulus, & ſocij colluſtrati ſunt, & omnes in terram deiecti; Paulus verò obcæcatus.

NAturam huius luminis, proprietates, virtutem, effectus, ad ſacræ noſtræ Hiſtoriæ pleniorem veritatem, hîc viſum eſt opportunum explicare. Nam in primis, quod attinet ad naturam talis luminis, aliqui [a] dubitarunt, eſſétne portio ſolarium radiorum, virtute diuina, vel Angelorum miniſterio eo loco replicata, & ad miraculi majeſtatem propinquo aëri contemperata, ſiue à ſyderibus transfuſa, aut inducta à ſphæra elementari, quales aliquando eduntur inde coruſcationes, aut erumpunt è nubibus fulgura; vel quemadmodum apparuit Apoſtolis ſpecies quædam ignis in die Pentecoſtes. Sed non eſt, cur dubitemus, fuiſſe illud lumen à glorioſo Chriſti corpore tunc ibi apparente tranſmiſſum, ſine alio nouo miraculo, præterquàm alicuius detentionis, ne ad maiorem diſtantiam funderetur, & vt ſtatim, quando placuit Chriſto Domino, totum ab aſpectu mortalium ſubduceretur. Eſt enim catholica fide certum, omnia corpora Beatorum habitura in reſurrectione, inter alias, quas vocant, dotes, hanc veluti præcipuam claritatis & lucis fulgentiſſimæ, de qua Dominus dixit in Euangelio [b]: *Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol.* Et Daniel [c]: *Fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Et ipſe Paulus dè hac re ſic ad Corinthios ſcribit [d]: *Stella differt a ſtella in claritate: ſic erit in reſurrectione mortuorum.* Quæ verba S. Auguſtinus explanans [e]: *Videtis*, inquit, *quia promiſſa eſt Sanctorum corporibus claritas, & diuerſa ſpecies claritatis, quia diuerſa ſunt merita charitatis?* Quare, ſicvt anima ſanctiſſima Redemptoris, gradu & meritis charitatis longè omnibus beatis mentibus antefertur; ita ex ea in proprium corpus glorificatum ſumma huius generis claritas debuit redundare. Quin etiam ſacratiſſima illa Saluatoris noſtri humanitas, vt in merito, ſic in præmio exhibendo cauſa eſſe debuit, & exemplar abſolutiſſimum omnibus aliis corporibus glorificandis huiuſmodi perfectionis, vt idem Apoſtolus ad Philippenſes ſcribens illis verbis ſignificauit [f]: *Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ cōfiguratum corpori claritatis ſuæ.* Pertinet autem ad perfectum animæ beatæ dominium ſupra corpus ſuum, poſſe pro voluntatis libertate, radios illius luminis, & fulgorem, quin etiam ſpecies viſibiles continere, ſiue ex toto, ſiue ex parte, aut ita contemperatas exteriùs fundere, vt beatus reddat ſe aliis, quatenus ei placuerit, aut conſpicuum, aut inuiſibilem. Hac ratione Chriſtus Dominus poſt ſuam ad beatam vitam reſurrectionem, quibus, quando, & quantùm volebat, ſe manifeſtabat, aut ab omniū aſpectu repentè ſe ſubducebat.

Hinc facile eſt intelligere, quanta ſit opinionum quorundam in re noſtra probabilitas, aſſerentium, lucem à Paulo viſam in via Damaſci, apparuiſſe per modum globi ab aëre propinquo terræ pendentis, & intra ſe, tum Chriſtum, tum Paulum includentis [g], quandoquidem Paulus ipſe ſic eam deſcripſit [h]: *Vidi de cœlo ſupra ſplendorem Solis, circunfulſiſſe me lumen, & eos, qui mecum erant.* Alij verò, quia lumen illud veniſſe de cœlo dicitur, putarunt à cœlo cōtinuatum fuiſſe,

a Hugo in c. 9. Act. Lyr. ibi. S. Ephr. ſerm. in omnes SS Martyres.

b Matt. c. 13. v. 43.

c Dan. c. 12. v. 3.

d 1. Cor. c. 15. v. 41.

e S. Aug. ſer. 143. de tempore.

f Philip. c. 3. v. 20.

g Thom. Bozius l. 14. de ſignis Eccl. c. 9.

h Act. c. 26. v. 13.

fuiſſe, vſque ad aërem inferiorem, vbi à Paulo & comitibus conſpiciebatur. Sed nequaquam exiſtimare debemus ſplendorem illum dici fuiſſe de cœlo, quaſi ſuam inde haberet originem vt lumen Lunæ, vel Solis: ſed, quia de cœlo Chriſti corpus aduenerat, à quo ſplendor ille fundebatur: qui, licet irradiare potuiſſet, non ſolum aërem inferiorem, & propinquam terram; ſed etiam elementa ſuperiora, vſque ad cœlos; tamen id fieri neceſſe non fuit, neque tunc expediebat, cùm videri nonniſi à paucis prope Damaſcum oporteret. Sed neque illud, quod fundebatur luminis in medio aëre terræ finitimo, perfectum conſtituiſſe globum, eſt admodum veriſimile. Ad quid enim tam perfectè circinata radiorum ſphæra? præſertim ſi dicatur intra illam Pauli comites non eſſe comprehenſos. Non enim ſicut globus nebulæ, vel caliginis meliùs ab iis, qui ſunt extrà, quàm intrà conſpicitur; ita & luminis: nam corpora, quæ in ſe non ſunt luminoſa, ex ſe proximè viſibilia non ſunt; ſed per emiſſas aliquantò remotiùs à ſe ſpecies, quas vocant intentionales, iuxta medium illuminatum conſpicua redduntur: at verò ipſum lumen, cùm ſit qualitas ſimul realis & intentionalis, ſi ad oculum vſque pertingat, atque adeò intra lumen ipſum oculus conſtituatur, tunc eius perfectam eliciet viſionem. Cùm igitur omnes, qui Paulum comitabantur, lumen illud bene conſpexerint, quin etiam in terram ſplẽdore illo reuerberati corruerint, oportuit illuc vſque radios in lõgum fuiſſe protenſos, non tam figura ſphęræ, quàm pyramidis, aut cylindri. Atque hoc ſignificare Agrippæ Regi Paulus voluit, cùm dixit [i]: *Vidi. Rex, de cœlo ſupra ſplendorem Solis circumfulſiſſe me lumen, & eos, qui mecum ſimul erant; omnéſque cùm decidiſſemus in terram, audiui vocem dicentem mihi,* &c.

[i] Act. 26. v. 13. & 14.

Ad huius verò luminis effectus varios, qui in hac Pauli conuerſione apparuerunt, melius intelligendos, ſcire oportet, cùm claritas corporum beatorum in diuinis Scripturis dicatur fore ſimilis lumini Solis, ſplendori firmamenti, & claritati ſtellarũ, & quòd ſicut ſtella differt à ſtella, ita erit in corporum reſurrectione, dubium eſſe apud Theologos, sítne lux corporum Beatorum ſpecie diſtinguenda à luce Solis, & ſyderum. Affirmant aliqui, tum antiquiores, tũ recentiores [k], non ſolùm futurã lucem diuerſæ ſpeciei, ſed etiam ordinis in ſubſtantia ſupernaturalis: id autem à proprietatibus, & effectibus eleuatioribus, quamuis non ſine ambiguitate, vt ipſi fatentur, coniiciunt. Et quidem probabilior hæc ſententia videretur, ſi vera eſſet opinio quorundam Philoſophorum, aſſerentium lumina varia Solis, & aſtrorum inter ſe natura differre: at contrarium videtur eſſe veroſimilius, vt inter alios docuit S. Thomas [l], inde etiam concludens, lumen corporum Beatorum in modo tantùm eſſe debere ſupernaturale, quatenus à cauſis prouenit altioribus, & humanis corporibus in ſtatu naturali non debetur; ſed tantùm pro ſtatu gloriæ, atque æternæ beatitudinis: & præterea conferetur in alto intenſionis gradu, cum dominio ac poteſtate quadam admirabili, contrahendi, vel emittendi radios talis lucis, deferendi ſecum, aut detinendi viſibiles ſpecies. Cæterùm, eſſe lumen in eſſentia ſua naturale, multa ſuadent. Primum, quia id magis à diuinis Scripturis, & ſanctis Patribus indicatur, ſæpè affirmantibus, futura Beatorum corpora ſicut Sol ſplendida, & ſicut ignis, & ſydera, & firma

[k] Suarez in 3. p. to. 2. diſput. 48. ſec 2. Salas in 1. 2. tom. 1. tract. 2. diſput. 14. ſect. 16. Scotus in 4. d. 49. q. 4. a. 8.

[l] S. Th. in 4. ſent. d. 44. q. 2. a. 4 & in addit. ad 3. p q. 86. a. 2. Conimbr. l. 2 de cælo.

firmamentum cœli. Apoſtolus quoque lumen illud exponens à Chriſti glorioſo corpore contra ſe vibratum [m], ait fuiſſe ſupra ſplendorem Solis copioſum, ſatis inde ſignificans, in gradu potiùs, & copia claritatis, quàm in natura lumen Solis ſuperaſſe. Secundò, quia miſceri poteſt cũ aliis luminibus naturalibus, & illa reddere intenſiora: quo argumento probari etiam ſolet, oportere lumina cœleſtia & terreſtria vnius & eiuſdem eſſe ſpeciei. Neque credere debemus magis eleuatum eſſe lumen vnius corporis beati ſupra lumen Solis, quàm ſit ipſum lumen Solis ſupra modicum & corruptibile lumen vnius candelæ. Quòd ſi non eſt opus, lumen Solis à lumine candelæ perfectione eſſentiali, ſed tantùm gradu excellentiore diſtingui; multò minùs lumen beati corporis à lumine Solis. Imò, cùm dicuntur corpora Beatorũ Sole lucidiora, non eſt opus, ait Dominicus Sotus [n], corpus vnius Beati tantùm lucere, quantùm lucet totum corpus Solis: quia Sol amplitudine ſua incomparabiliter ſuperat humani corporis quantitatem; ſed, quia ſi daretur ſeparata tantula particula corporis Solis, Beati corpus rutilantius, quàm illa Solis particula cerneretur. Tertiò, erit illa lux corporum beatorum ad reddendos viſibiles colores quoſcunque etiam naturales: eſſe igitur debet ordinis naturalis, quamuis in gradu intra talem ordinem excellentiſſimo. Quartò, lux illa, quæ in monte Thabor à Transfigurato Chriſti corpore fundebatur, iuxta communem opinionem, fuit huiuſcemodi claritas debita corporibus glorioſis; quæ tamen non ſolùm recipiebatur in corpore Saluatoris, vnde ait Euangeliſta [o]: *Reſplenduit facies eius, ſicut Sol.* Sed etiam in veſtimentis, de quibus dicitur: *Veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* Quod magis explicans alius Euangeliſta dixit [p]: *Veſtimenta eius facta ſunt ſplendentia, & candida nimis.* Nẽpe, ſicut, vbi traiicitur Solis radius per feneſtras vitreas, aut papyraceas. Igitur ordinis naturalis illa qualitas habenda eſt, ſiquidem ita facilè recipitur, tranſmittitur, ac reflectitur à ſubiectis tam variis naturalibus. Quintò denique, illa videtur optima ratio, & ſatis concludere propoſitum; quia tale lumen vtique obiectum eſt viſus naturalis, & videri ſine alio miraculo poteſt ab oculis non ſolùm glorificatis, quales erunt oculi Beatorum ad Chriſtum accurrentium cum ſumma gloria de cœlo ad Iudicium deſcendentem, ſicut aquilæ ad iuſtitiæ Solem: vnde in Euangelio dicitur [q]: *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* verùm etiam à quocunque alio non Beato, & à damnatis videbitur, vt ſignificatur in Apocalypſi, cùm dicitur [r]: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus.* Viſus ſimiliter fuit in transfiguratione à tribus diſcipulis, & in hac S. Paulo facta apparitione, non ſolùm ab ipſo Paulo; ſed etiam ab omnibus, qui eum comitabantur. Dicere autem, horũ oculos, & omnium aliorum, etiam damnatorum, Chriſti ſplendentem humanitatem intuentium eleuari per miraculum oportere, vt eam eliciant viſionem, ſicut eleuatur intellectus Beati per lumen gloriæ ad eſſentiam diuinam intuendam, eſſe adeò credibile non videtur.

Neque verò contrarium oſtendunt, quæ ab aliquibus obiiciuntur, cùm dicunt, oculos damnatorũ valdè affligendos illo ſplendore Chriſti Iudicis, & Sanctorum, vt in libro Sapientiæ illis verbis ſignificatur [s]: *Videntes turbabuntur timore horribili.* Et Paulus

m *Act. c.* 22. *v.* 6. *& c.* 26. *v.* 13.

n *Sot. in* 4. *d.* 49. *q.* 4. *a.* 8. *concl.* 1.

o *Matt. c.* 17. *v.* 2.

p *Marc. c.* 9. *v.* 2.

q *Matt. c.* 24. *v.* 27.

r *Apoc. c.* 1. *v.* 7.

s *Sap. c.* 5. *v.* 2.

Paulus illo ſplendore fuit excæcatus. Præterea S. Auguſtinus [t]: *Claritas, inquit, in Chriſti corpore, cũ reſurrexit, ab oculis diſcipulorum abſcondita fuiſſe potius, quam defuiſſe credenda eſt. Non enim eam ferret humanus, atque infirmus aſpectus, quando ille à ſuis ita deberet attendi, vt poſſet agnoſci.* Quin potiùs non parum ex his noſtra ſententia confirmatur, & per eam multa, quæ iuxta opinionem contrariam declarari non poſſunt, facilè explicantur. Nam, vt à S. Auguſtini teſtimonio incipiamus, profectò nõ erat, cur ab oculis Diſcipulorum Chriſti, claritas corporis eius abſconderetur, ſi naturaliter videri ab eorum oculis non potuiſſet. At verò, cùm dicat S. Auguſtinus, humanum, & infirmum aſpectum tantam lucem ferre nequiuiſſe, apertè ſignificat, naturaliter ab oculo mortali videri; ſed propter nimij ſplendoris excellentiam ſuſtineri minimè potuiſſe. Vnde etiam fiet, vt oculi damnatorum illo intuitu in Iudicio extremo plurimùm debeant excruciari: & niſi eſſent miſeri ad immortales pœnas ſurrecturi, non ſolùm inde affligi; ſed etiam, vt excæcatus eſt Paulus, ipſi quoque deberent obcæcari. Etenim, cùm illud lumen intueri humanis oculis in triplici ſtatu poſſit contingere, nempe, in ſtatu gloriæ corporis beati, in ſtatu corporis ad æterna ſupplicia reſurgentis, & in ſtatu noſtræ huius vitæ mortalis; triplici diuerſa ratione affici eo ſplendore poterit viſus humanus. Primũ nanque, licèt gradus ſplendoris ponatur eminentiſſimus, non ideò poterit inducere cæcitatem, aut deſtruere organum viſus Beati; ſed nec vlla moleſtia afficere, imò demulcere, & recreare tales oculos maximè debebit. In ſecundo autem ſtatu oculi damnatorum, vtpote valdè paſſibiles, minimè autem corruptibiles, illo fulgentiſſimo lumine irradiati turbabuntur, & valdè cruciabuntur, & vt productior poſſit eſſe moleſtia, nunquam poterunt ex toto deſtrui, aut excæcari. Iam verò loquendo de tertio ſtatu, qui magis ad rem noſtram facit, nempe, mortalium oculorum, quales erant Pauli, & qui eum Damaſcum comitabantur, emiſſum à fulgentiſſimo Chriſti corpore ſplendorem intuentium, non ſolùm perturbari, ſed etiam ita lædi organum ſenſationis potuit, vt propter diſtemperiem impedita videndi facultate cæcitas induceretur. *Nam, ſicut vehemens ſonus* (ait Chryſoſtomus loquens de hoc lumine [u]) *ſurdos reddit homines, & attonitos; ita nimiùm reſplendens lumen eripit viſum, eò quòd ſuas habeant oculi, ſicut etiam aures, in ſentiendi virtute menſuras.* Hac autem phyſica ratione concludens Chryſoſtomus immiſſam oculis Pauli cæcitatem, ſimul inſinuat lumen à Paulo viſum ordinis fuiſſe naturalis, nec à ſplendore Solis in ſubſtantia; ſed in gradu tantùm, & perfectione fuiſſe diuerſum. Quapropter inſignis Medicus Galenus [x], multis differens de lumine ſolari, varia protulit in eandem ſententiam exempla: fuiſſe, nimirum, aliquos, qui, dum fixis oculis eclipſim Solis intuerentur, noſſe effectum eius cupientes, prorſus ſint obcæcati; & milites Xenophontis, cùm per multam niuem Sole colluſtratam longum iter confeciſſent, oculos grauiter læſiſſe: ſic Dionyſium Siciliæ Tyrannum ſolitum detẽtos diu in imo, & obſcuriſſimo carcere, ad ſuperiorem domum adducere ſplendidiſſimam, benè calce illitam ac læuigatam, & ita excæcare. Huius effectus ratio illa redditur à Phyſicis, quæ à S. Chryſoſtomo ſuperiùs eſt indicata: quia lux natura ſua caloris eſt cauſa: vnde, ſi nimia ſit, facilè immutat organi

t S. Aug. lib. 2. de ciu. c.19.

u hom. 19. in acta.

x Galen. de vſu partium, lib. 10. c. 3.

organi temperiem, quæ in oculis mollis admodum eſt,& delicata. Idque maximè ſentiunt ophthalmia laborantes,qui luce multò magis, quā alij offenduntur. Præterea,vis illa caloris extranei à nimia luce oculis impreſſa partes materiæ diſgregat, ac viam aperit, qua foras exiliant ſpiritus vitales, ſine quibus elici viſio, cùm non poſſit,neceſſe eſt, ſequi aliquam cæcitatem. Si quis autem hic perquirat, vnde magis Paulo, quàm aliis, qui ſimul cum eo magnā illam lucem intuebantur, contigerit obcæcari,duplicem habet rationē,alteram phyſicam & naturalem,alteram moralem diuinæ prouidentiæ ſapienter cauſas phyſicas ſuis altioribus conſiliis adaptantis. Nam in primis dubitari non poteſt, Paulum illi lumini fuiſſe viciniorem,& in ipſum maximè ſuos fulgentiſſimos radios Chriſtum direxiſſe, ipſe quoque Paulus magis, quàm alij, oculorum ſuorum aciem in illud corpus lucidiſſimum intendebat, cupiens explorare, quid hoc eſſet rei tam inexpectatæ,& admirabilis. Vnde ſtatim interrogauit, vbi vocem loquentis ſibi percepiſſet [y]: *Quis es,Domine?* cùm interim ſocij remotiores, nec ita directè lumen illud aſpicerent, nec articulata Chriſti verba;ſed Pauli tantùm audirēt,vt erit ſequenti capite examinandum. Quare, quod aliqui dixerunt, Pauli cæcitatem ab eius ecſtaſi proceſſiſſe, in quam inciderit ſenſibus deſtitutus propter occurſum rei tam inſolitæ, nec eſt veriſimile, nec verbis ſacræ Scripturæ conſentaneum, cùm dixerit Paulus de ſeipſo [z], quòd tunc præ claritudine luminis illius non videret. Et quamuis in terram deiectus,tremens ac ſtupens fuiſſe,à S. Luca [a] narretur; hic tamen ſtupor ecſtaſis proprie non fuit,quæ abalienationem facit à ſenſibus, & præcipuè externis: hi verò illo caſu potiùs excitati ſunt, & redditi attentiores. Vnde Paulus optime percepit, quid ei tunc Chriſtus loqueretur? *Et tremens ac ſtupens* (ait S. Lucas [b]) *dixit: Domine, quid me vis facere?* Deinde, ſi ecſtaſis aliqua præceſſiſſet, iam debuit ceſſaſſe, cùm à terra, iubente Domino,ſurrexiſſet,atque adeò tunc erecto, & ſtanti cęcitas ab ecſtaſi deceſſiſſet:cùm tamen non ita, ſed planè contrarium accidiſſe referatur,vbi dicitur [c]: *Surrexit autem Paulus de terra, apertiſque oculis nihil videbat.* Quia, nimirum, tanta fuit vis coruſcantium in eius oculis radiorum,vt, etiamſi primo intuitu intentos eos in illius lucis fontem aliquantiſper ſuſtinuerit; ſtatim tamen cedere compulſus ſit,& illatæ oculis plagę compreſſas palpebras ita obducere, vt eas aperire non ſit auſus, niſi vbi vis illa tanti fulgoris diſparuiſſet.Et tunc quia palpebris reſeratis nihil videbat,ſenſit ſe planè obcæcatum.Quòd ſi præter cauſas phyſicas huius cæcitatis, rationes cupimus noſſe altiores,occurrit primùm illa benè obſeruata ab Oecumenio [d], quærente,cur potiùs Paulus,quàm eius comites illo ſplendore videndi amiſerint facultatem: *Ne*, inquit hic Auctor, *ſi communis fuiſſet afflictio, caſu contigiſſe; non verò diuina prouidentia factum iudicaretur.* Et quamuis Pauli comites non tam grauiter afflicti, eo tempore ad fidem fortaſſe conuerſi non ſint; nam ex diuina Scriptura id non habemus:tamen conuerti potuiſſent, & aliquando eſſe conuerſos facilè credi poteſt:viderunt enim,quantùm ſufficiebat,& quæ ipſi non viderant, vel non benè perceperant, dum Paulo Chriſtus Dominus loqueretur,illo referente fide digniſſimo audierunt. Quandiu verò in ſua infidelitate perſiſtebant, maiorem quodammodo fidem

y *Act. c.* 9.v.5.
z *ibid. c.* 22.v.11.
a *ibid. c.* 9.v.6.
b *ibid. loco cit.*
c *ibid.v.* 8.
d *Oecum. in c.* 9. *Act.*

fidem aliis faciebant: nam miracula tam ingentia, quæ in Pauli conuerſione acciderunt, ſi tantùm ab ipſo Paulo narrata fuiſſent, cùm mente mutata defecerat à Iudaïſmo, non adeò credibilia reddi potuiſſent, ſicut vbi teſtimonio tot ſociorum in Iudaïſmo adhuc perdurantium, per ſingula confirmabantur, qui, etiamſi ad Chriſtum, quem nondum agnoſcebant, minimè afficerentur; erga Paulum tamen benè affecti cùm eſſent, eique propterea in illa afflictione omnia exhibentes officia humanitatis, manu eum ducentes, & Damaſcum introducentes, non poterant teſtari, niſi quod ipſis præſentibus, & luce meridiana conſpicientibus in rei veritate contigiſſet. Et hæc quidem benè Oecumenius[e]: illud non ita, quod addit[e], non fuiſſe viſum à Saulo Chriſtum, niſi rebus & efficacia quadam: nam, ſi velit hoc modo loquendi ſignificare à Saulo non eſſe viſum niſi magnum illud lumen, hoc eſt negare differentiam inter Paulum & eius comites à S. Luca expreſſam[f]: quòd hi lumen quidem viderunt; neminem autem in illo lumine agnouerunt: Paulus autem & lumen & Chriſtum vidit in illo lumine, ſicut contra Caluinum antea demonſtrauimus. At, ſi voluit Oecumenius indicare non ſatis cognitum à Paulo fuiſſe, num fons eſſet illius lucis præſens humanitas Chriſti, an alia ibi ſtans virtus cœleſtis, donec ipſo interrogante[g]: *Quis es, Domine?* reſponſum audiuit: *Ego ſum* Iesvs. non debuiſſet ita loqui: ſed, vt ſanctus Auguſtinus[h], qui reddens rationem, cur poſt reſurrectionem ſuam Chriſtus Dominus Apoſtolis non ſe oſtenderit, ſicut ſe oſtendit Paulo in corpore ſplendenti beatifica claritate, ait id Dominum feciſſe, vt meliùs diſcerni poſſet, non diſgregante viſum tanta copia lucis. *Non enim*, inquit, *eam ferret humanus, & infirmus aſpectus, quando ille à ſuis ita deberet attendi, vt poſſet agnoſci.* Et in eandem ſententiam S. Bernardus[i]: *Circumfuſa erat*, inquit, *Paulo claritas illa, non infuſa: audiebat vocem Domini; ſed faciem eius non videbat, quoniam erudiebatur ad fidem.* Dicit, faciem eius non vidiſſe; hoc eſt, illum agnoſcere, vt ait S. Auguſtinus, ac benè diſcernere non potuiſſe.

[e] Oecum. ibid. in c. 9. Act.

[f] Act. c. 22. v. 9. & c. 9. v. 7.

[g] ibid. c. 9. v. 5.

[h] [illegible] c. [illegible] 9.

[i] S. Bern. ſerm. 1. de conuerſ. S. Pauli.

Aliæ plures addi poſſunt myſticæ rationes à SS. Patribus indicatæ, huius per lumen illatæ Paulo cæcitatis. Putabat ſe Paulus in legis & Prophetarum doctrina valdè illuminatum, & inde zelo peruerſo cæcabatur magis, vnde illuminari debuiſſet. Erat inter Iudæos valdè obtenebrata mente, & adeò cæcus cùm eſſet, ducem ſe cæcorum conſtituebat. Erat quaſi lupus ouium Chriſti prædator: lupis autem inimica lux eſt, eáque ſurgente impediuntur à nocturna rapina, & quodammodo inde cæcati, meliùs enim nocte, quàm interdiu vident, ad latibula cōpelluntur. *Lupus erat Saulus*, ait S. Ambroſius[l], *quando intrabat in domos, & viros, ac mulieres trahebat in carcerem: lupus erat, quando ſpirans minas & homicidia in diſcipulos Domini, petebat epiſtolas à Principe Sacerdotum, vt inuaderet ſeruos Chriſti, quem tanquam lupum nocturnis tenebris oberrātem offuſa* Iesvs *luce cæcauit. Sed, qui lupus venerat, Paſtor eſt factus.* Pergit autem multis exponere S. Ambroſius, quàm appoſitè Paulo conueniat illa olim à Iacobo Patriarcha benedictio collata Bēiamin, de cuius tribu Paulus ducebat originem[m]: *Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam; & veſpere diuidet ſpolia.* Idemque præclarè S. Auguſtinus[n] exequitur; per mane, ante

[l] S. Amb. lib. de bened. Patriar.

[m] Gen. c. 49. v. 26.

[n] S. Aug. ſer. 14. de SS.

anteriorem exponens ætatem Pauli Eccleſiam deuaſtantis; per veſperam, ſenectutem, cùm Gentibus euangelizaret, plurimos ad Chriſti fidem perduceret, & quaſi prædam è faucibus Dæmonis ereptam per Eccleſias diſtribueret. Addit S. Ambroſius [o] aliam benedictionem de Benjamin à Moyſe prophetatam [p]: *Benjamin dilectus à Domino habitabit confidenter, & Deus obumbrabit ſuper eum, & inter humeros requieſcet.* ſic enim ipſe legit: id eſt, Saulus, Vas electionis, à Deo ſingulariter dilectus, habitabit in tabernaculis Eccleſiæ confidenter, qui anteà quaſi lupus in ſyluis errabat, & Deus obumbrauit ſuper eum, quãdo viſus eſt ei Chriſtus, & inde obcæcatus. Quare non tam cæcitatis fuit obumbratio illa quàm gratiæ, ait S. Ambroſius: nam & MARIÆ dictum eſt [q]: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Cæcus ſanè factus eſt Paulus,* inquit S. Auguſtinus [r], *vt interiore luce fulgeret cor eius: exterior lux ad tempus ſubtracta eſt perſecutori, vt interior redderetur Prædicatori: & tamen in eo tempore, quo cætera non videbat, IESVM videbat; ita & ipſa cæcitas eius informabatur ad myſterium credentium. Quiſquis in Chriſtum credit, ipſum intueri debet. Cætera creatura vileſcat, vt Creator in corde dulceſcat.* Hinc aliqui formam, & quaſi typum veræ ad Chriſtum conuerſionis dicunt accipiendum: vt primùm, videlicet, peccator cœlitùs illuminetur; deinde, ad externa ſenſibilia, veluti cæcus & inſenſibilis, efficiatur, illa deſpiciat, & nihili faciat, ad terram ſe proſternat, puluerem ac cinerem ſe eſſe cognoſcat, Damaſcum eat, id eſt, Eccleſiam Chriſti petat, paratus obedire Ananiæ: & ſuper huiuſmodi requieſcere Dei ſpiritum, talémque maximè ſe reſpicere, teſtatur dicens per Iſaiam Deus [s]: *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?*

Vna ſupereſt circa effectus huius luminis dubitatio, an ei repentinus Pauli, & ſociorum eius in terram caſus tribuendus ſit, vel potiùs illi à Chriſto factæ obiurgationi [u]: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Nam hoc ſecundum aliqui magis admittunt, & indicare S. Chryſoſtomus [x] videtur, comparans allata Chriſti verba cum illis, quibus hoſtes ſuos aliquando proſtrauit, cùm ad eum capiendum in horto Gethſemani armata manu conueniſſent: ipſo enim dicente [y]: *Quem quæritis? Ego ſum.* abierunt retrorſum, & in terram omnes ceciderunt. Sed non tam ſignificare Chryſoſtomus voluit, Chriſti verba in terram Paulum deieciſſe, quàm fulgurante lumine iam deiectum humi detinuiſſe, donec illi Chriſtus diceret [z]: *Exſurge, & ſta ſuper pedes tuos.* Atque hoc apertè à ſacra Hiſtoria nobis ſignificatur, cùm dicitur [a]: *Et ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo, & cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris?* Sed adhuc apertiùs ipſemet Paulus referens caſum ſuum, & ſociorum [b]: *Vidi*, inquit, *circumfulſiſſe me lumen, & eos, qui mecum ſimul erant; omnéſque cùm decidiſſemus in terram, audiui vocem loquentem mihi.* Iam igitur iacebat in terra, cùm vocem loquentis ſibi audire incepiſſet: effectus ergo fuit eiaculati luminis ille in terram caſus, non autem vocis. Quid, quòd illam lucem omnes exceperũt; vocem autem Chriſti articulatam Paulus audiuit, illi non audierunt; & tamen ad vnum omnes in terram deciderunt [c]: Igitur ſplendore illo tacti, & veluti fulminati: *Miſit enim Deus*, vt in Pſalmo dicitur [d], *ſagittas ſuas, & diſſipauit eos, fulgura multiplicauit, & contur*

o S. Ambroſ. in lib. de benedict. Patr. c. 12.

p Deut. c. 33. v. 12.

q Lucæ c. 1. v. 35.

r S. Aug. ſer. 14. de SS.

s Iſai. c. 66. v. 2.

u Act. c. 9. v. 5.

x S. Chr. hom. de ferendis reprehẽſ. & cõuer. S. Pauli.

y Ioan. c. 18. v. 5.

z Act. c. 26 v. 16.

a ibid. c. 9. v. 4.

b ibid. c. 26. v. 13.

c ibid. c. 26. v. 13.

d Pſ. 17. v. 15.

conturbauit eos. Notarunt autem SS. Gregorius[e], Hieronymus[f], & Auguſtinus[g], cadentem Paulum in faciem ſuam corruiſſe: quod, etiamſi ſacra Scriptura hîc non exprimat; aliunde tamen ipſi coniiciunt; quia caſus electorum in aliis diuinis Scripturis in faciem eſſe deſcribitur, vt eorum, qui ſuas à Deo correcti culpas ſtatim agnoſcunt, & ſunt per pœnitentiam facilè ſurrecturi: reproborum autem caſus, tanquam impœnitentium, ſolet eſſe retrorſum. Et quidem, cùm eodem modo cecidiſſe Paulum & comites eius veriſimile ſit; nã teſtatus eſt ipſe Paulus[h], omnes pariter illo lumine percuſſos in terram corruiſſe; aliqua hinc duceretur coniectura, etiam Pauli comites extitiſſe de numero electorum. Sed habet illa obſeruatio exceptiones: nam impius Goliath de numero, vt credere debemus, reproborum, lapide à Dauid in fronte percuſſus, dicitur in libris Regum[i] ſuper terram in faciem ſuam corruiſſe. At non deſunt aliæ firmiores de ſalute[e] comitum Pauli coniecturæ anteà indicatæ; & caſus eorum in faciem eueniſſe, ſi equis portabantur, intelligi vix poteſt. Nam, qui ex equo decidere occurſu rei violentæ compellitur, nequaquam antè, ſed retrò primùm, atque inde ad ſiniſtram, vel dextram in terram vſque deuoluatur, neceſſe eſt. Quòd ſi, vt alibi oſtendimus eſſe veroſimilius, pedites incedebant, cecidiſſe illos in faciem optimè intelligimus: qua etiam ratione tres Chriſti diſcipuli, qui transfigurationi eius in monte Thabor interfuerunt, cecidiſſe in faciem ab Euangeliſta[k] deſcribuntur: & quoquot in ſacra Scriptura legimus pronos in ſuam faciem corruiſſe, neminem tunc equitaſſe, verum ſtetiſſe omnes propriis pedibus, & ita prolapſos inueniemus. Denique, vt hoc tandem caput concludamus, addendum eſt, lucem, qua, tum Paulus, tum ſocij ſunt colluſtrati, multò efficaciorem in Paulo triplici ratione extitiſſe. Nam in primis ſolum Paulum reddidit cæcum: deinde fuit illi occaſio externa lux, vt ad internam diſponeretur, & ad gratiam Dei, vt S. Thomas[l] notauit, ſe præpararet: tertiò, deiectum in terra tandiu detinuit aduersùs ferientes illos radios, oculorum palpebris antè compreſſis, quandiu quid illi Chriſtus ad cor loqueretur, attentiſſimè audiret, nec antequàm Dominus iuſſiſſet è terra conſurgeret: cùm tamen ſocij, quod benè obſeruauit Caietanus[m], iniuſſi ſponte iam ſurrexiſſent. Sed verba Chriſti ad Saulum humi ſtratum, qualia fuerint, in ſequentibus exponere debemus.

e S. Greg. l. 1. Mor. c. 10.
f S. Hier. in c. 2. Ezech.
g S. Aug. ſerm. 14. de SS.
h Act. c. 26. v. 13.
i lib. 1. Reg. c. 17. v. 49.
k Matth. c. 17. v. 6.
l S. Th. 2. Sent. d. 28. q. vnica. art. 4. ad 3.
m Caiet. in c. 9. Act. & in c. 26.

CAPVT V.

De verbis Chriſti: Saule, Saule, quid me perſequeris? *& de Sauli reſponſione.*

VErba Chriſti Saluatoris, quibus Saulum iacentem humi eſt allocutus, & reſponſa, totúſque inter eos habitus dialogiſmus, tribus in locis, à ſacra Lucæ Hiſtoria, non ſine aliqua diuerſitate, refertur. Primùm enim capite nono ſic dicitur[a]: *Cadens in terram Saulus audiuit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris?* Capite autem vigeſimo-ſexto idem referens Agrippæ Regi S. Paulus[b], ſic ait: *Omnéſque nos cùm decidiſſemus in terram, audiui vocem dicentem mihi Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me perſequeris? durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* At hoc ſtimuli prouerbium narratur in capite nono[c] à Chriſto dictum, non ſta-

a Act. c. 9. v. 4.
b ibid. c. 26. v. 14
c ibid. c. 9. v. 5.

tim

tim poſt eius primam interrogationem, ſed poſt Pauli reſponſum, dicentis. *Quis es, Domine? At ille: Ego ſum* IESVS, *quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Quod prouerbium omittitur capite vigeſimoſecundo, & additur[d]: *Ego ſum* IESVS *Nazarenus, quem tu perſequeris. Tunc Paulus tremens, ac ſtupens dixit*[e]: *Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Adduntur, & alia plura capite vigeſimoſexto[f], quæ Chriſtus Paulo dixit, dum eum Damaſcum ad Ananiam dirigeret. Hæc antequàm à nobis ſingillatim expendantur, tria occurrunt in vniuerſum obſeruanda. Primum, id, quod in ſermone de conuerſione S. Pauli S. Bernardus[g] aduertit, nempe, quemadmodum in Chriſti Baptiſmo[h], viſibili ſpecie Spiritus ſanctus apparuit, & vox deinde Patris intonuit: ac ſimiliter in Chriſti transfiguratione[i] claritas primùm eius luminoſi corporis viſa eſt, & deinde vox fuit audita de nube: *Ita,* inquit S. Bernardus, *in hac Pauli conuerſione lucis, & vocis teſtimonia credibilia facta ſunt nimis: nec dubitare eſt de veritate, quæ ſe ingerit per vtraſque, oculorum, ſcilicet, auriúmque, feneſtras.* Sed obſeruandum ſecundò, quod hic S. Ioannes Chryſoſtomus[k] adnotauit, propterea lucem voci fuiſſe præmiſſam, vt Paulus radiis illis quaſi fulminibus ad terram depreſſus, & humiliatus, furore atque ſuperbia depoſita, verba Chriſti attentè perciperet, & alto cordi impreſſa retineret. *Ideò*, inquit Chryſoſtomus, *non eſt allata priùs vox, ſed anteà lux eum circunfulgurauit, vt cum ſilentio Chriſti vocem audiret. Nam, qui in opere aliquo intentus, & furore plenus eſt, etiamſi plurimi vocent, prorſus non aduertit, quid circa ſe agatur. Ne ergo* Paulo id eueniret, & factorum inſania ebrius vocem contemneret, vel principium non audiret, mente tota in tonitruo occupata, priùs per lumen excæcatis oculis, & compreſſo furore, extinctaque omni animæ turbulentia, & cordis ingenti ſerenitate reddita, vocem emiſit: vt depreſſo faſtu his, quæ dicebantur, mente ſobria, & modeſta intenderet. Tertium in genere obſeruandum circa hæc vltrò, citróque prolata Chriſti, & Pauli verba, videri poſſe aliquam in Hiſtoria contradictionem; cùm tamen re benè perpenſa, nulla planè contrarietas inueniatur. Nam capite nono ſic ait S. Lucas[l]: *Viri autem illi, qui comitabantur, cum eo ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem; neminem autem videntes.* Et tamen hoc ipſum referens S. Paulus in publica concione videtur contrarium affirmaſſe, cùm dixit[m]: *Et qui mecũ erant, lumen quidem viderunt; vocem autem non audierunt eius, qui loquebatur mecum.* Solent ad hæc plerique Interpretum reſpondere, Lucam affirmaſſe auditam à Pauli comitibus vocem ipſius tantùm Pauli cum Chriſto loquentis; Paulum verò negaſſe auditam ab illis Chriſti vocem: non enim dixit, nullam ab eis auditam vocem: *Sed vocem,* inquit, *non audierunt eius, qui loquebatur mecum.* Atque ita nulla eſt in Hiſtoria contradictio. Sed non parua manet adhuc ambigendi ratio: nam profectò Lucas affirmare videtur de Chriſti voce, de qua negat S. Paulus, quòd hæc à ſociis eius ſit audita: nam, quòd ab illis vox Pauli audiretur, quis dubitaret? Sicut enim Paulum ſemper ante ſe viderunt; ita loquentem audire facilè potuerunt. At S. Lucas ait, ſtetiſſe illos ſtupefactos, audientes quidem vocem; neminem autem videntes. Sicut igitur negat, eos quenquam vidiſſe, præter Paulum; ita affirmat aliquem eos præter

d ibid. c. 22. v. 8.
e ibid. c. 9. v. 6.
f ibid. c. 26. v. 16.
g S. Bern. ser. 1. de conuerſ. S. Pauli.
h Matth. c. 3. v. 16.
i Matth. 17. v. 2.
k hom. de ferendis reprehenſ. & conu. S. Pauli. & hom. 4. de laudibus S. Pauli.
l Act. c. 9. v. 7.
m ibid. c. 22. v. 9.

præter Paulum audiuiſſe. Atque hæc erat ſtuporis eorum cauſa,& ſummæ admirationis: quia voces cuiuſdam loquentis cum Paulo audiebant;& tamen neminem alium videbant. Quare non poſſunt hæc meliùs conciliari,quam ſi dicamus,eos,qui Paulum comitabantur,ſonum verborum Chriſti in aëre fuſum aliquo modo percepiſſe; non tamen diſtinctè, ſed confusè, ita vt intelligere non poſſent, quid Paulo Chriſtus loqueretur: & hoc ſignificare voluit ipſe Paulus [n] dicens: *Vocem autem non audierunt eius, qui loquebatur mecum.* Id eſt, quid mihi loqueretur, benè intelligere non potuerunt: quia tamen vtcunque ſonum illum confuſum perceperunt, ideò dixit S. Lucas: *Stabant ſtupefacti, audientes quidem vocem; neminem autem videntes.* Quare, ſicut illi perſonam Chriſti non viderunt; ſed tantùm lucem quandam intuebantur aerem colluſtrantem: ita verba Chriſti articulata, eiúſque diſtinctam prolationem non perceperunt; ſed tantùm ſonitũ ignotæ cuiuſdam vocis aërem confusè verberantis. Vterque igitur verum dixit;& Lucas affirmando, quia vocem audierunt; & Paulus negando, quia ſignificationem verborum non perceperunt: & Lucas ita debuit affirmare, vt admirationis comitum Pauli cauſas omnes exponeret; & Paulus debuit negare, vt magis propriè in concione loqueretur, & ne quis è comitibus redargueret illum poſſet, nequaquam ab ipſis perceptum, quid ei Chriſtus in via Damaſci locutus fuiſſet.

n *Act. c. 22. v. 9.*

Primùm itaque, vt verba Chriſti Domini iam expẽdamus, ſic Paulum Dominus eſt allocutus: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* quatuor verbis varios exprimens affectus, eóſque gratia ſua efficaciſſima cordi perſecutoris cedere iam incipientis altè imprimens. Locutus eſt lingua Hebraïca dicens: *Saul, Saul.* vt etiam legitur Græcè, nempe, lingua Syrochaldaïca, quæ tunc erat vernaculum idioma Iudæorum, ne vir extraneus Dominus IESVS Paulo videretur. Geminata nominis Sauli appellatione beneuolentiam, & dignationem primis vocibus declarauit. Addens: *Quid me perſequeris?* ſuam manſuetudinem inſinuauit,& propenſionem ad miſericordiam exhibendam. Ita olim lamentabatur ipſe per Prophetam dicens [o]: *Popule meus, quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi? Reſponde mihi.* Vitium deinde notat ingrati animi: vt olim, cùm dicebat Iudæis [p]: *Multa bona opera oſtendi vobis à Patre meo: propter quod eorum opus me lapidatis?* exprobrat duritiem cordis. Sic aliàs aiebat [q]: *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt.* Non dixit: Cur meos: ſed, Cur me perſequeris? tum, vt oſtenderet, ſe Pauli conſilia benè percipere, qui fideles propter odium in Chriſtum, & eius Euangeliũ perſequeretur: tum, vt aperiret grauitatem, & atrocitatem peccati: perinde enim erat, ac ſi Chriſtum ipſum moleſtia, & contumeliis affeciſſet: tum etiam, vt eximiam ſuam oſtenderet charitatem, & erga Eccleſiam veluti capitis in membra, & in totum eius myſticum corpus dilectionem, & curam. *Membris poſitis in terra*, ait S. Auguſtinus [r], *caput clamabat in cælo, & non dicebat: Quid perſequeris fideles meos? ſed, Quid me perſequeris? Noluit dicere, Sanctos meos ſeruos meos; poſtremo honorabilius, fratres meos ſed me, hoc eſt, membra mea, quibus ego ſum caput. Quomodo ſolet lingua dicere calcato pede: calcas me. Linguam nullus tetigit: compaſſione clamat, non attritione.* Denique terrorem his verbis Saulo incutiebat maximum, quaſi di-

o *Mich. c. 6. v. 3.*

p *Ioann. c. 10. v. 32.*

q *Matt. 23. v. 37.*

r *S. Aug. ſer. 14 de SS. & tr. 8 in Ioan. & in Pſal. 87.*

xiſſet: Vides, cum quo ſibi ſit negotium? non iam cum homine mortali: mihi reputo illata tot mala, quæ Ieroſolymis, & alibi Sanctis meis intuliſti, & adhuc inferre non deſinis: deprehenſus es in facinore, ſunt in manibus epiſtolæ iniquiſſimæ, quas cæco tuo zelo contra innocentes ſeruos meos à Principibus Sacerdotum obtinuiſti. Quis furor hic tuus? quæ tam dira inſania? ecce luce mea cæcatus es, iaces in terra, qui nimiū contra me eleuabaris; ligatus es abſque catenis; poſſem te, ſi vellem, & ſi tua reſpicerem demerita, ſtatim vita priuare. Ad hæc Paulus: *Quis es, Domine?* Et dum honorifico vocabulo Dominum eum vocat, quem non ſatis adhuc internoſcebat, niſi quòd aliqua eſſet ſupra mortalem conditionem angelica, vel diuina virtus, ſeruum ſe illius quodammodo profitetur. Quod expreſſiùs deinceps in ſuis Epiſtolis toties adſcribere conſueuit, dum ſe Dei, & IESV Chriſti ſeruum libenter appellat [s]. *Seruus namque propriè dicitur*, vt ait Rupertus Abbas [t], *qui victus bello cum poſſit occidi, proſſus victoris voluntate ſeruatur, & proinde proprius eius, a quo vita donatus eſt. Cuius rei non immemor Paulus in omni vita ſua ſeruū ſe nominat* IESV *Chriſti: quia, videlicet, de bello victum gratia victoris ſeruatum ſe eſſe nouerat, vt viueret, & viuens ſeruiret, qui occidi omninò potuiſſet.* Hæc Rupertus. Præclarè quoque in hæc verba Chryſoſtomus [u]: *Quis es, Domine? Vide*, inquit, *animam Pauli gratam & beneuolam, vide mentem libertate plenam, vide conſcientiam ſynceram & incorruptam. Non obluctatur, non contendit; ſed ſtatim agnoſcit Dominum.* Quibus verbis noluit ſignificare Chryſoſtomus, à Paulo Chriſtum benè tunc cognitum, alioquin non interrogaſſet illum: *Quis es, Domine?* Sed agnouiſſe diuinam in eo, quiſquis eſſet, virtutem; & ideò magis ab ipſo voluiſſe intelligere, quiſnam eſſet, quid iuberet, paratum ſe & obſequentem ad omnia futurum. Vnde Chriſtus Dominus mentem nactus Pauli tam docilem, ſtatim pro reſponſione ſubiunxit: *Ego ſum* IESVS *Nazarenus, quem tu perſequeris.* Et quare, inquit Chryſoſtomus [x], *non dixit: Ego ſum* IESVS, *qui reſurrexit: ego ſum* IESVS, *qui ſedet ad dexteram Dei? ſed, Ego ſum* IESVS, *quem tu perſequeris? Vt perſtringeret eius mentem, vt compungeret eius animam.* Poſſumus ad hæc alias quinque afferre rationes, cur ſe Dominus dixerit Nazaræum. Prima eſt, quia ita communiter à Iudæis cognominabatur, & ab aliis, qui Ieſu nomen ſortiti erant, eo Nazaræni cognomine vulgò diſtinguebatur: vnde in titulo Crucis Pilatus inſcribi mandauit [y]: IESVS *Nazarenus.* & Paulus ipſe Regi Agrippæ dixit [z]: *Ego quidem exiſtimaueram, me aduerſum nomen* IESV *Nazareni debere multa contraria agere.* Secundò, quia ſic à Iudæis Chriſtus per contemptum appellabatur: vnde ſimiliter Chriſtiani, Nazaræni ab infidelibus dicebantur. Hinc audiens Nathanaël, Chriſtum Meſſiā eſſe à Nazareth [a], dixit cum admiratione: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Vt ergo Chriſtus Paulo ſignificaret, quanto Iudæi fuerint in errore, & ignominiam in gloriam ſibi eſſe conuerſam, Nazarænum ſe ſtatim appellat, eadémque ratione quærentibus Chriſtum in monumento mulieribus Angelus dixit [b]: IESVM *quæritis Nazarenum crucifixum: ſurrexit, non eſt hic.* Tertiò, quia, ſicut Paulum terrebat Chriſtus tanta ſua gloria & maieſtate, ita humilem hanc ſui appellationem minimè dedignatus alliciebat, & altos deponere ſpiritus, exemplo ſuo illum

s in Ep. ad Rom. c. 1. v. 1. ad Tit. c. 1. v. 1. & aliis.

t Rupert. Abbas lib. 2. de operibus Spiritus S. c. 19.

u Chryſ. hom. de ferendis reprehenſ. & conuerſ. S. Pauli

x Chryſ. hom. citata.

y Ioan. c. 19. v. 19.

z Act. c. 26. v. 8.

a Ioan. c. 1. v. 46.

b Marci c. 16. v. 6.

illum inſtruebat. Quartam rationem S. Bernardus indicauit [c]: vt ita conuinceretur Paulus, hanc ipſam odioſam, & cõtemptibilem obſtinatis Iudæis Nazaræni appellationẽ, amabilẽ eſſe veri Meſſię charactẽrem, de quo propterea teſtatur in Euangelio S. Matthæus [d], dictũ anteà per Prophetas: *quoniã Nazaræus vocabitur*: id eſt, flos ab Iſaia [e], germen à Ieremia [f], & virgultũ [g]: & in Cãticis Canticorũ [h], *flos campi, & lilium conuallium*: ob candorem, videlicet, innocentiæ, decorem eximiæ ſanctitatis, & virtutum odorem, atque fragrantiam. Quintam denique rationem habemus a S. Gregorio [i]: Vt myſterium incarnationis, quod in oppidulo Nazareth eſt adimpletum, Paulo inſinuaretur, qui maxime in eo credendo reddebat ſe difficilem, & peruicacem. Itaque ait S. Gregorius: *Non ei a Domino reſpondetur: Ego ſum vnigenitus Patris, ego Principium, ego Verbum ante ſæcula. Quia enim Saulus incarnatum Verbum credere contemnebat, & eius humanitatis infirma deſpexerat, de cœlo hoc, quod contempſerat, audiuit: Ego ſum* Iesvs *Nazarenus, quem tu perſequeris. Ac ſi diceret: Hoc a me audi de ſuperioribus, quod in me de inferioribus deſpicis. Auctorem cœli veniſſe deſpexeras in terram: ex terra ergo hominem cognoſce de cœlo, vt tantò in me amplius Sacramenta infirmitatis metuas, quantò & hæc perducta in cœleſtibus ad excellentiam poteſtatis probas. Proſternens igitur te, nequaquam tibi hoc adſtruo, quòd ante ſæcula Deus ſum; ſed illud à me audis, quod de me credere dedignaris. Poſtquàm enim dixit: Ego ſum* Iesvs, *ſubdidit, Nazarenus; velut ſi apertiùs dicatur: Humilitatis meæ infirma ſuſcipe, & tuæ ſuperbiæ ſquamas amitte.* Hactenus S. Gregorius.

c S. Ber. ſer. 1. de conu. S. Pauli.
d Matth. c. 1. v. 23.
e Iſai. c. 11. v. 1.
f Ieam. c. 23. v. 5.
g Iſai. c. 53. v. 2.
h Cant. c. 2. v. 1.
i S. Greg. l. 33. Mor. c. 32.

Prouerbium prætereà Chriſtus addidit: *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* quo ſignificatur, augere ſibi potiùs malum, ſi illato ad correctionem propriam ſtimulo impariẽs reluctetur, ſimilitudine à bobus accepta, qui, dum ab aratore ſtimulo vrgentur, ſi ſtimulum tentent calce repellere, multò peiùs feriuntur. Vnde videtur ſignificare Chriſtus voluiſſe, non tunc primùm; ſed aliàs quoque inſtigatum Pauli animum, vt Euangelij iugo ſuperbam ceruicem aliquando ſubmitteret, ſtimulante non parum conſcientia, ſiue ex iis, quæ de Chriſti miraculis, morte, & reſurrectione à multis ferebantur; ſiue ex diſputationibus condiſcipulorum Stephani, & Barnabæ in ſchola Gamalielis; ſiue etiam ex traditis ab ipſo Magiſtro ſuo in lege doctiſſimo Gamaliele. *Verba enim ſapientum*, ait Eccleſiaſtes [l], *ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt a Paſtore vno.* Sed nimiùm duræ ceruicis reſiſtebat, & obluctabatur Paulus, donec ipſe per ſe Paſtor Chriſtus inſidiantem ouili ſuo rapacem hunc lupum ouem reddidit mitem, & manſuetam. Itaque, cùm is, qui ſecum loquebatur, quiſnam eſſet attento ac deuoto animo percepiſſet, quod intelligere ante omnia geſtiebat: *tremens & ſtupens dixit* [m]: *Domine, quid me vis facere?* Et dum Dominum iterũ eum com pellat, quem meliùs agnoſcere incipiebat, iterum ſe illius ſeruum obſequentiori animo profitetur: id, quod verbis illis exprimit manifeſtius: *Quid me vis facere?* Circa quæ ſuauiſſimè diſſerentẽ S. Bernardũ prȩſtat audire [n]: *Hæc, inquit, Fratres, perfectæ cõuerſionis eſt forma: Paratum cor meum, Deus, paratũ cor meũ Domine, quid me vis facere? O verbũ breue; ſed plenũ, ſed viuũ, ſed efficax. ſed dignum omni acceptione. Quàm pauci inueniuntur in hac*

l Eccl. c. 12. v. 11.
m Act. c. 9. v. 6.
n S. Ber. ſer. 1. de conuerſ. S. Pauli.

perfectâ obedientiæ forma, qui ſuam ita abiecerint voluntatem, vt ne ipſum quidem cor proprium habeant: vt non quid ipſi, ſed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes ſine intermiſſione: Domine, quid me vis facere? & illud Samuelis [o]*: Loquere, Domine, quia audit ſeruus tuus. Heu! plures habemus euangelici illius cæci, quam noui Apoſtoli imitatores* [p]*: Quid vis, ait Dominus ad cæcum, vt faciam tibi? Quanta eſt miſeratio tua, Domine, quanta dignatio? Siccine Dominus quærit, vt ſerui faciat voluntatem? Verè cæcus ille, qui non conſiderauit, non expauit, non exclamauit. Abſit hoc, Domine: tu magis dic, quid me facere velis: ſic enim decet, ſic omninò dignum eſt, non meam à te, ſed à me tuam quæri & fieri voluntatem.*

[o] 1. Reg. c.3.v.10.
[p] Luc. c.18. v. 41.

Ergo Saluator Chriſtus Saulo iam ad cor perfectâ conuerſione redeunti, vt ſuam aperiret voluntatem, tria reſpondet. Primùm, iubet illum à terra ſurgere [q]: *Exurge*, ait, *& ſta ſuper pedes tuos.* Ita olim Prophetæ Ezechieli [r], qui viſa in multo ſplendore Domini maieſtate pronus in faciem ſuam ceciderat, dixit Deus: *Fili hominis, ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecum.* Népe, vt ſic & corpore erectus, attentiùs, & confidentiùs, quæ illi dicebantur, exciperet. *Et ita*, inquit Propheta, *ingreſſus eſt in me ſpiritus, & ſtatuit me ſupra pedes meos, & audiui loquentem ad me.* Idem prorſus quod nunc Paulo contigit, cuius ſocij iam antè ſurrexerant ſponte à ſeipſis, non enim tantus eos terror inuaſerat, nec tali, quali tunc Paulus humi ſtratus, reuerentia percellebantur; quia Dei gratia cor eorum non ita penetrauerat, voces Chriſti non niſi confuſas, aut ſonitum potiùs quendam inclamantis procul exceperant, neque de cætero audituri erant, quæ mox fuerant ſoli Paulo ſuggerenda. Secundò itaque monet Paulum Chriſtus Dominus, vt Damaſcenam intret ciuitatem, ibi auditurus, quid eſſet ſibi faciendum [s]. *Ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Quibus verbis ſignificatum fortaſſe videri poſſet, ante ipſas portas ciuitatis apparitionem hanc Paulo contigiſſe, niſi eandem Chriſti viſionem poſteà ipſemet Paulus in hæc verba retuliſſet [t]: *Dominus autem dixit ad me: Surgens vade Damaſcum.* Aliquid igitur itineris ſupererat conficiendum, vt Damaſcum veniret. Et quidem hora cùm eſſet eo tempore, quo hæc euenerunt, meridiana [u], & dies itineris, vt alibi coniecimus, quinta atque poſtrema, veriſimile eſt non plùs viæ ſuperfuiſſe, quàm quod à meridie ad veſperam commodè confici potuiſſet, vt ad ciuitatem ante occaſum Solis totus ille comitatus perueniret.

[q] Act. c. 26.v.6.
[r] Ezech. c.2.v.1.
[s] Act. c. 9.v.7.
[t] ibid. c. 22.v.10.
[u] ibid. c. 26.v.13.

Sed maior quædam occurrit hoc loco ambiguitas in eo, quod Paulo fuiſſe dictum à Chriſto Domino in capite Actorum nono ſic legimus [x]: *Ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Cùm tamen in capite vigeſimoſexto [y] id omittatur: nec pauca, quæ oportebat, Paulus faceret, à Chriſto ibi dicantur. Hæc tamen conciliari poſſunt per ea, quæ in capite vigeſimoſecũdo ſic habentur [z]: *Surgens vade Damaſcum: & ibi tibi dicetur de omnibus, quæ te oporteat facere.* Quamuis igitur de pluribus, non tamen de omnibus fuit ab ipſo Chriſto præmonitus; ſed ire debebat ad Ananiam, à quo & de Baptiſmi Sacramento ſuſcipiendo, & de aliis, quæ facere & pati pro Chriſto debebat, pleniùs fuerat edocendus. Interim hæc ad illum inter alia dixit Chriſtus Dominus [a]: *Ad hoc apparui tibi, vt conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum, quæ vidiſti, &*

[x] ibid. c. 9.v.7.
[y] ibid. c. 26.v.16.
[z] ibid. c. 22.v.10.
[a] Act. c. 26.v.16.

eorum, quibus apparebo tibi. Quaſi diceret: Apparui tibi nunc, vt in meam militiam adſcribereris; ſed alias ob cauſas aliquoties poſteà ſum appariturus, & quaſi ad pericula, ait S. Auguſtinus[b], tibi præiturus. Quæ quando, & quomodo contigerint, ſuo loco referemus. Pergit Chriſtus Dominus[c]: *Eripiens te de populo*; hoc eſt, liberans te à quamplurimis perſecutionibus populi Iudæorum, *& gentibus, in quas nunc ego mitto te aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de poteſtate Satanæ ad Deum, vt accipiant remiſſionem peccatorum, & ſortem inter Sanctos per fidem, quæ eſt in me.* Hæc ſunt verba Chriſti Saluatoris, quæ, dum à Paulo audita, ſibíque dicta referrentur coram Rege Agrippa, Præſide Feſto, & conuentu frequentiſſimo Iudæorum, magnum profectò argumentum fiduciæ, conſtantiæ, ac libertatis eſſe oportebat; in eo præſertim quod Paulus aſſeuerabat, ſe Chriſtum in tanto ſplendore ac maieſtate, non per ſomnum, aut in tenebris; ſed in luce meridiana conſpexiſſe, & certiſſimum auxilium contra aduerſarios ſibi eſſe pollicitum, virtutem quoque plurimos eorũ ab erroribus & deceptionibus Satanæ liberandi, atque ad lucem Euangelij per Chriſti fidem reducendi. Vtrùm autẽ hæc verba tantùm, an alia prætereà Paulus à Chriſto tunc acceperit, ipſe nõ refert, nec ſcire poſſumus aliunde.

b *Aug. l. 13. de Trinit. c. 15.*

c *Act. c. 26. v. 17.*

CAPVT VI.

Vocationi diuinæ Paulum liberè conſenſiſſe, non neceſſariò, vel coactè, vt Caluinus, & eius aſſeclæ mentiuntur.

Verbis Chriſti Domini ad Paulum, & Pauli reſponſionibus hactenus expoſitis, voluntatem, & cor eius efficaciſſima Chriſti gratia mirabiliter immutatum aliquantò altiùs introſpicere debemus. Fuiſſe nanque aliquos olim ex Gentilibus, & Iudæis, necnon ex imperfectis Chriſtianis, ait S. Chryſoſtomus[a], qui dicerent, mirum non eſſe, ſi Paulus adeò vocationi diuinæ paruit, & talem, ac tantam ſortitus eſt à malo in bonum cordis mutationem, quandoquidem Chriſti vox, aiunt, veluti funis eius ceruicibus iniectus, & fortiter circunductus, illum vi, ac fatali quadam neceſſitate, quò voluit, attraxit. Quare ſe proptereà non poſſe à vitiis ad pietatem, & perfectionem Chriſtianã conuertere, quòd ita efficaciter nõ pertrahantur. Quam eſſe frigidam nequitiæ propriæ excuſationem, ait S. Chryſoſtomus, & virtutis Pauli contumelioſam accuſationem. Sed vlteriùs Caluinus[b] progreſſus eſt: ex efficacia enim diuinæ gratiæ, quæ ſine dubio in Pauli vocatione fuit maxima, intulit vniuerſaliter, quotquot efficaci Dei gratia mouentur, neceſſariò, non liberè operari; & reprehendit acriter Papiſtas, (ſic enim Catholicos vocat,) quia non totum gratiæ in ſolidum, vt ipſe loquitur, adſcribant; ſed humanam fingant liberè ſubſequi debere cooperationem. Eſt autem valdè obſeruandum, quoties Caluinus affirmat, Paulum inuitum conſenſiſſe diuinæ vocationi, & violẽter, coactè, ac vi pertractum, & alios ſimiliter, qui efficaci Dei gratia permouentur; nolle huiuſmodi locutionibus ſignificare, homines habere ſe ad motiones diuinas gratiæ efficacis merè paſſiuè, nihil prorſus non ſolùm liberè, ſed neque vitaliter operando, quod tamen ſæpè affirmauit Lutherus, & eſt damnatũ in Concilio Tridentino, illis verbis[c]: *Si quis dixerit, liberum homi-*

a *Chryſoſt. hom. de ferẽdis reprehẽſ. & conuerſ. S. Pauli.*

b *Calu. in comm. Act. c. 9. & apud Thomam Stapler. in Antid. Act. c. 9.*

c *Trid. ſeſſ. 6. can. 4.*

hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil Deo cooperari aſſentiendo; ſed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, meréque paſſiuè ſe habere, anathema ſit. Sed Caluinus callidè admiſit vitalem potentiæ noſtræ concurſum, & influxum phyſicum ad eliciendum actum voluntatis cōſentientis vocationi gratiæ nos excitantis; negat autem in eo nos eſſe liberos, propterea quòd ita determinata, & affixa illi actui potentia noſtra ſit ab efficacitate gratiæ, vt ei reſiſtere, illum actum reiicere, vel aliò ſe vertere nequaquam poſſit; & hoc ipſe vocat vim & coactionem, non quaſi voluntaria, & ſpontanea non ſit illa operatio noſtræ voluntatis; ſed, quia libera non eſt, & caret ex parte potentiæ indifferentia operandi, & non operandi, ac proinde neceſſaria eſt, & prorſus ineuitabilis operatio. Id totum ex huius Hæreſiarchæ verbis fideliter relatis faciam manifeſtum. Caluinus [d] igitur, cùm aliquando poſt multa in gratiæ diuinæ commendationem, & liberi noſtri arbitrij depreſſionem congeſta, ſibi obieciſſet illud Dauidis [e]: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas.* & alia ſimilia Scripturæ diuinæ teſtimonia pro aſſerenda humani arbitrij libertate, ſic ipſe reſpondet: *Stultè inde colligitur, cor in vtranque partem eſſe flexibile, cuius præparatio à Deo eſt: dicit Propheta: Inclinaui cor meum. quia libenter, & hilari animi propenſione Deo ſe addixerat.* Obiicit quoque ſibi teſtimonium S. Auguſtini dicentis, non tolli ex gratia voluntatem, id eſt, noſtram libertatem; ſed ex mala mutari in bonam; &, cùm bona fuerit, adiuuari: tum ita reſpondet [f]: *Significat Auguſtinus tantùm, hominem non ita trahi, vt ſine motu cordis, quia extraneo impulſu, feratur; ſed intus ſic affici, vt ex corde obſequatur.* Ex quibus conſtat manifeſtè, Caluinum conceſſiſſe ad motionem gratiæ efficacis non habere nos merè paſſiuè, vt Lutherus affirmauit; ſed actiuè ac vitaliter concurrere, & quodammodo ſponte, hoc eſt, inclinatione intrinſeca, & voluntariè, nempe, voluntate phyſicè influente in actum ſuum; ſed non propterea liberè, eò quòd non ſit in poteſtate noſtræ voluntatis declinare aliò, quàm quò nos Deus facit inclinare. *Ex his ſolutionibus* (inquit Hæreticus) *expedire te facillimè poteris ab immenſa teſtimoniorum congerie, quam ad erigendum liberi arbitrij ſimulacrum hoſtes gratiæ Dei ſtatuere ſolent.* Nec eum puduit apertè ſpreta totius antiquitatis auctoritate, his verbis ſuam ſtatuere ſententiam [g]: *Ac voluntatem mouet Deus, non qualiter, vt multis ſæculis traditum eſt, & creditum, vt noſtræ poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari; ſed illam efficaciter afficiendo.* Tum ſubdit: *Neque ſecùs accipi ſententia Chriſti poteſt: Omnis, qui audit à Patre meo, venit ad me. quàm vt efficacem à ſeipſa gratiam Dei doceat.* Addit infrà: *Nam medium, quem Sophiſtæ imaginantur, motum, cui obſequi, vel quem repellere liberum ſit, apertè excludi videmus.* Et cùm adhuc, ipſo Caluino viuente, Concilium Tridentinum ſeſſ. ſexta, habita initio anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimiſeptimi, declaraſſet [h], hominem liberè aſſentiri diuinis inſpirationibus, eò quòd illas abiicere poſſit; Caluinus in obſtinatione perſiſtens ſcripſit eodem anno ſuum Antidotum cōtra Tridentinum, vbi pagina mihi 171. ita reſpondet: *In eo Patres Tridentini hallucinantur, quod motum nobis offerri ſomniant, qui mediam electionem nobis relinquat: nihil autem de efficacia illa cogitant, qua cor*

homi-

d Calu. lib. 2. Inſtit. c. 5. §. 11.

e Pſal. 118. v. 112.

f Calu. lib. 2. Inſtit. c. 3. §. 14.

g Calu. l. 2. Inſt. c. 3. §. 10.

h Trid. ſeſſ. 6. c. 5.

hominis renouatur, &c. Rurſus Tridentinum eadem ſeſſione, canone quarto, & quinto, definit ſub anathemate, hominem poſſe, ſi velit, diſſentire Deo excitanti, & vocanti, adeoque verè eſſe liberi arbitrij: &, vt qui dixerit, ſicut iſti dicebant, liberum hominis arbitrium rem eſſe de ſolo titulo, vel titulum ſine re, & Satanæ figmentum, anathema ſit. Reſpondet ad hæc Caluinus pag. ſui Antidoti 227. *De verbo non moueamus rixam; ſed, quia per liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatē, quæ ſit in vtraque partem libera, & ſoluta, titulum ſine re eſſe, qui affirmat, Chriſtum habet auctorem.* Ex his apparet manifeſtè, non tam fuiſſe ſollicitum Caluinum de nomine liberi arbitrij nobis eripiendo, quam de re; quatenus negabat indifferentiam acceptandi, & reſpuēdi motus internos varios à Deo excitatos, quod pertinet ad libertatem exercitij. Qua in re, poſt Patres Concilij Tridentini, Patres noſtræ tunc naſcentis Societatis ſolitus fuit appellare nouos Pelagianos, quaſi nimium libero arbitrio; parum, aut nihil diuinæ gratiæ tribuentes. Sed ad Pauli liberum conſenſum veniamus.

Tria in primis diſtinguenda ſunt circa eius aſſenſum diuinę vocationi. Primum, illa externa vis illata corpori in terram deiecto, viſu priuato, trementi, ac ſtupenti, ſicut a S. Luca deſcribitur. Secundò, internus animi motus ex gratia excitante, præueniente, vocante, ſiue operante, quod idem eſt, verbis illis ſignificatus: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Tertio, motus eiuſdem gratiæ cooperantis, adiuuantis, ſubſequentis; ſiue, quod eſt idem, comitantis, & conſenſum exprimentis, ſignificatus illis Pauli vocibus: *Domine, quid me vis facere?* Ad primi ergo generis motiones habuit ſe Paulus merè paſſiuè, & in iis vim paſſus eſt, ac violentiam maximam: in ſecundis non item; nam habuit ſe quodammodo actiuè, quamuis non deliberatè, imò nec liberè: in tertiis non ſolum egit liberè, ſed etiam planè deliberate: quod modò nobis per ſingula eſt oſtendendum. Er quidem vim ac violentiam Paulo illè illatam in primo Chriſti occurſu, nihil eſt dubitandum: ſi enim violentum propriè illud dicitur, Ariſtotele definiente [m], *quod à cauſa infertur extrinſeca, præter impetum eius qui patitur, & contra propoſitum, ac electionem obſtat, ac prohibet*: cùm hæc repētina, & prorſus inexpectata Chriſti apparitio Paulum ad terram proſtrauerit, obcæcauerit, eius contra Chriſtum conatus omnes perfregerit, maximè fuiſſe violentam ſatis eſt manifeſtum. Quare S. Auguſtinus [n]: *Quid*, inquit, *volebat Saulus, niſi vt inuaderet, & traheret, vinciret, & necaret Chriſtianos? Quam rabida voluntas, quam furioſa, quam cæca? qui tamen vnica deſuper voce proſtratus, accurrente vtique tali viſo, quo mens illa, & voluntas refracta à ſæuitia retorqueretur, & corrigeretur ad fidē, repentè ex Euangelij mirabili perſecutore mirabilior Prædicator effectus eſt.* Ita S. Auguſtinus. Quare neq; id Caluinus negat: hinc tamen aliquid aliud, ipſe, & alij, quod Hęretici minimè vellēt, inferre poterimus; nempe, licere, & ſæpè expedire, perfidos, præſertim, Hæreticos, minis, ſuppliciis, & illata vi, ad Chriſti fidem ſuſcipiendam compellere. Deducit id optimè S. Auguſtinus [o] ab hoc exemplo conuerſionis Pauli in epiſtola, quam ſcribit ad Bonifacium Comitem, cui demandata fuerat ab Imperatoribus, Theodoſio, & Valentiniano, cura Hæreticos, aliosque rebelles armis coer

[m] Ariſt. l. 2. Eud. c. 8. & 9. & 5. Metaph. c. 6.

[n] S. Aug. l. 2. ad Simpl. q. 2. in fine.

[o] S. Aug. ep. 50. ad Bonifac. Com.

coërcendi, vbi inter alia, de hoc argumento ſic ait: *Vbi eſt, quod iſti clamare conſueuerunt, liberum eſt credere, vel non credere? Cui vim Chriſtus intulit? Ecce habent Paulum Apoſtolum, agnoſcant in eo primùm cogentẽ Chriſtum, & poſteà docentem; priùs ferientem, & poſteà conſolantem. Cur ergo non cogeret Eccleſia perditos filios, vt redirent; ſi perditi filij coegerunt alios, vt perirent?*

Quod verò attinet ad ſecundum genus motionum internarum, gratiæ, nimirum, excitantis, vocantis, & operantis, qua Deus præueniendo liberum Pauli conſenſum, ſubita illuſtratione mentis, & repentino tactu cordis cœpit illum ad ſe conuertere, dicimus, non ſe habuiſſe Pauli animum merè paſſiuè, ſicut habuit ſe corpus ad illatas moleſtias; ſed actiuè quodammodo, quamuis non liberè. Eſt hæc doctrina ſæpè à S. Auguſtino tradita, præſertim in libro de gratia, & libero arbitrio [p]: *Vt enim,* inquit, *de cœlo Paulus vocaretur, & tam magna, & efficaciſſima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat ſola; quia merita eius erant magna, ſed mala.* Quod verò dicit S. Doctor, gratiã Dei fuiſſe ſolam, non eſt ad excludendum vitalem, & phyſicum Pauli concurſum per potentiam volendi, & intelligendi: ſi enim Chriſto clamante: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Saulus aliquid intelligebat, & cor eius hæc verba penetrabant, vtique operari ſuo intellectu debuit, & propriæ voluntatis affectu: ſed ſola dicitur fuiſſe gratia Dei, ad excludendum concurſum moralem, ac liberum facultatis ad operandum minimè expeditæ commotione adeò improuiſa. *Nam voluntas,* ait S. Auguſtinus [q], *niſi aliquid occurrat, quod delectet, atque incitet animum, moueri nullo modo poteſt: hoc autem vt occurrat, non eſt in hominis poteſtate.* Quod pergit exemplo Pauli explicare, qui alia omnia cogitabat in ea perſecutione, quàm quæ poſſent eum allicere ad obſequiũ Chriſti. Et nihilominùs talia externis eius ſenſibus Deus obiecit, vt rabida illa, & furioſa voluntas fracta ſæuitia retorqueretur, & ad bonum corrigeretur. Fuit autem alter Caluini [r] error in hac re aſſerentis, quales in Paulo, tales in aliis omnibus inueniri prauas diſpoſitiones, & gratiæ æquè contrarias, cùm ad Deum per ipſius gratiã conuertuntur. *Quare,* inquit ipſe, *non aliter nos ſubigit Deus, quàm Paulum, nec pilo vno nobis propenſior eſt ad parendum voluntas, quàm Paulo fuit: donec contuſa cordis noſtri ſuperbia nos non morbò flexibiles, ſed ad ſequendum voluntarios reddiderit.* At etiam in hoc, ſicut in aliis Hęreticus & fallit, & fallitur: nam, etiamſi primam vocationis gratiam, quam excitantem, præuenientem, & operantem quoque appellamus, nullis planè meritis propriis quiſquam valeat adipiſci; aliquibus tamen obuenit cum demeritis paucioribus, & minoribus; aliis, ſicut Paulo, cum pluribus, & maioribus: *Cuius voluntas,* inquit S. Auguſtinus [s], *deſuper excitatur, vt credat, etiamſi tã auerſa eſſet à fide, vt etiam credentes perſequeretur.* Et ſicut ipſemet Paulus ait [t]: *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* Hinc factum eſt, vt in Eccleſia Catholica conuerſio S. Pauli tanquam miraculoſa ſingulis annis celebraretur: quia, ſicut docuit S. Thomas [u], etiamſi cuiuſque impij iuſtificatio eatenus miraculoſa quodammodo videatur, quatenus excedit virtutem cauſarum ſecundarum, & eſt ſupra ſubiecti iuſtificati meritum, omnéſque naturæ leges; tamen in Paulo fuit etiam modo valdè extraordinario, mutatis repẽte per

[p] S. Aug. de grat. & liber. arb. c. 5.

[q] S. Aug. l. 1. ad Simpl. q. 2. in fin.

[r] Caluin. in commẽt. Act. c. 9.

[s] S. Aug. lib. de gratia Chriſti, c. 9.

[t] Rom. c. 5. v. 20.

[u] 1. 2. q. 113. a. 1. ad 2. & q. 113. a. 10. corp.

peruerſiſſimis animi eius diſpoſitionibus in contrarias valdè perfectas, quod Deus facere communiter non conſueuit; ſed paulatim, & per aliqua temporis interualla. *Quia ſic charitas* (ait S. Auguſtinus [x]) *meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici.*

x S. Aug. tract. 5. in epiſt. Ioan. & ep. 106.

Sed illud, in quo grauiſſimè, & pernicioſiſſimè Caluinus, & alij huius temporis Hęretici errauerunt, eſt circa tertium genus operationum, gratiæ, videlicet, ſubſequentis, ſiue cooperantis, & conſenſum liberum exprimentis, quem ipſi, tam in Paulo, quàm in aliis omnibus efficaci gratia motis liberum eſſe pertinaciter negant. At in primis ore ipſius Pauli refelluntur, ita Chriſto pro ſua parte reſpondentis [y]: *Domine, quid me vis facere?* Quis autem ſeruus vnquam à ſuo domino poſtularet, quid velit eum facere in eo, quod à ſe fieri non liberè, ſed neceſſariò & ineuitabiliter oporteat? Et ad quid interrogare de eligendo, cuius libera eſſe nullo modo poteſt electio? Vnde Chriſtus Dominus Paulo dixit: *Durũ eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* non dixit, impoſſibile, ſed durũ eſt tibi. *Vides,* inquit Chryſoſtomus [z], *nõ eſſe neceſſitatis negotiũ, & quòd multùm quidem fecit ad ſalutẽ Pauli vocatio, ſicut & ad aliorum hominum facere ſolet; nõ autem deſtituit eum a bonis operibus, & ſua propria voluntatis laude, neque nocuit eius libero arbitrio, ſed voluntarius aduenit ipſe cum ſua bona voluntate.* Quod pergit Chryſoſtomus tribus exẽplis fuſiùs demonſtrare. Primum eſt Iudæorum, qui tam multa, & tam inſignia Chriſti miracula viderũt, teſtimoniũ de cœlo audierunt æterni Patris de Filio [a]: *Hic eſt Filius meus dilectus.* viderunt ſuper ipſum in ſpecie columbæ Spiritum ſanctum: prædicantem Ioannẽ Baptiſtam intellexerunt: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* [b]. *Ego baptizaui vos aqua; ille autem baptizabit vos Spiritu ſancto.* & [c], *Ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Et tamen increduli pro ſui arbitrij libertate mãſerunt, & calumniari, ac perſequi Chriſtum vſque ad mortẽ non deſtiterunt. Secundum addit exemplum militum, qui ad Chriſtum capiendum venerunt; hi enim IESVM Nazaræum inſequebantur, cuius vocem, vt Paulus, audierunt, dicẽtis: *Quem quæritis? ego ſum.* Fuerunt hac voce omnes ad terram proſtrati, vt Paulus cum ſuo comitatu, nec ſurgere niſi facta à Chriſto poteſtate valuerunt. *Vtrobique vincula* (ait Chryſoſtomus [e]) *vtrobique perſecutio, ſimile vtrobique virtutis Chriſti indicium, ſimiliáque remedia: at non ſimilis correctio. Hac igitur omnia inter ſe confer diligenter, & diſce, quòd Paulus non ex neceſſitate, ſed animа ſyncera, bonáque voluntate ad fidem acceſſit.* Hæc S. Ioannes Chryſoſtomus, addens ad eandem arbitrij noſtri libertatem in conſentiendo vocationi diuinæ, vel diſſentiendo, tertium exemplum vocationi Pauli quàm ſimillimũ [f]: cùm enim Cyprum Paulus perueniſſet, incidit in quendam Magum apud Proconſulem Sergium, qui multa contra Chriſtianam religionem moliebatur: hunc Paulus in Dei virtute grauiter increpauit, quia non deſinere: *ſubuertere vias Domini rectas. Et nunc,* inquit, *ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, & non videns Solem vſque ad tempus. Et confeſtim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circumiens quærebat, cui manus daret:* ait S. Lucas [g]. Et tamen Chriſto Magus ille non dedit manus, quia noluit, malè vſus arbitrij libertate, cùm tamen Sergius Conſul viſo in aliena perſona tali miraculo, ad Chriſti fidem conuerſus ſit: *Accepitque alius remedium,*

y Act. c. 9. v. 6.

z Hom. de conuerſ. S. Pauli.

a Matth. cap. 3. v. 17.

b Marci c. 1. v. 8.

c Ioan. ca. 1. v. 27.

e Chryſoſt hom. de conuerſ. S. Pauli.

f Act. c. 13. v. 6. & 9.

g ibid. c. 13. v. 11.

h Chryſoſt. hom. de conuerſ. S. Pauli.

dium, (ait Chryſoſtomus[h]) *alius autem curatus eſt; vt addiſcamus, tam in bono, quam in malo humani arbitrij libertatem.* Pugnat pro hac ipſa veritate integris libris Magiſter gratiæ S. Auguſtinus, præſertim in eo, quem inſcripſit de gratia & libero arbitrio, & in altero de correctione & gratia, oſtendens gratiæ efficaciam in benè operando, ſtatuere, non deſtruere liberum arbitrium, & vbi gratia ſe ſubtrahit, culpa humanæ libertatis, non propterea ſubtrahendas eſſe humanas correctiones, quaſi peccantes ad malum irreuocabiliter adigantur. Optimè autem S. hic Doctor gratiam operantem in eo diſtinguit à cooperante, quòd illa ſoli Deo adſcribenda ſit, hominis in bono præuenienti non ſolùm meritum, ſed etiam libertatem: hæc autem inuoluit liberam ex parte noſtra cooperationem. Quod totum exponit exemplo vocationis Pauli, & ex doctrina Epiſtolarum ipſius:

i S. Aug. lib. de grat. & lib. arb. cap 5.

Nam meritum (inquit[i]) *fuit quidem in Apoſtolo Paulo, ſed malum, quando perſequebatur Eccleſiam, vnde dicit: Non ſum idoneus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Cùm ergo haberet hoc meritum malum, redditum eſt ei bonum pro malo, in eo quod ſecutus adiunxit: Sed gratia Dei ſum id, quod ſum. Atque vt oſtenderet & liberum arbitrium, mox addidit: Et gratia eius in me vacua non fuit; ſed plùs omnibus illis laboraui. Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur & in aliis, quibus dicit: Rogamus, ne in vacuum gratiam Dei ſuſcipiatis. Vt quid enim eos rogat, ſi gratiam Dei ſic ſuſceperunt, vt propriam perderent voluntatem,* id eſt, libertatem? Et concludit S. Auguſtinus, cum Paulo eſſe dicendum: *Non ego, ſed gratia Dei mecum,* id eſt, non ego ſolus, quia hoc Pelagianum eſt: neque gratia Dei ſola, quia hoc iam eſſet Caluinianum: ſed gratia Dei mecum: *Ita vt gratia,* (inquit idem S. Doctor[k], *ſemper liberum praeueniat arbitrium, hoc ſequatur, comitante, non ducente; pediſſequa, non praeuia voluntate.* Quod dictum S. Auguſtini, vt veriſſimum, ita in catholica doctrina certiſſimum Caluinus[l] cæca temeritate improbare non eſt veritus, dum ſic ait: *Quia voluntas reformata vnius gratiæ opus eſt, hæc perperam ab Auguſtino homini tribuitur, quod gratiæ præuenienti pediſſequa voluntate obſequatur.* Neque tam hoc dicit Hæreticus, vt Dei gratiam extollat, quàm vt liberum hominis arbitrium deprimat ac extinguat, & Deum peccati cauſam auctorémque faciat; ita vt ſicut ipſi loquuntur, non minùs opus eius ſit proditio Iudæ, quàm Pauli vocatio. Quæ blaſphemia propterea iiſdem verbis damnari debuit ſub anathemate in Tridentino ſeſſione ſexta, vbi ſic legimus[m]: *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere; ſed mala opera ita vt bona Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam proprie, & per ſe, adeò vt ſit proprium eius opus non minus perditio Iudæ, quam vocatio Pauli; anathema ſit.* Sed iam ſatis de hac re.

k S. Aug. ep. 106.

l Calu. loco cit.

m Trid. ſeſſ. 6. can. 6.

CAPVT VII.

Liberum Pauli arbitrium à ſua conuerſione fuiſſe in gratia confirmatum.

ILlud maximi momenti hoc loco non eſt prætermittendum,

tam

tam altè, firmitérque impreſſam animo, & menti Pauli fuiſſe, quæ in ſua conuerſione diuinitus ei contigerunt, adeóque manſiſſe ab eo tempore vinculis dilectionis reciprocæ, atque inuiolabilis charitatis Chriſto deuinctum, vt non modò perſeuerantiæ donum obtinuerit in eius obſequio, quod eſt commune omnibus iuſtis, qui Dei gratiam non ſunt ampliùs amiſſuri; verùm etiam inſigne aliud donum, quod paucorum eſt, perpetuæ confirmationis in gratia & amicitia diuina. Poteſt autem eſſe triplex donum huiuſmodi confirmationis in diuina gratia; ſicut benè S. Thomas [q] expoſuit. Primum eſt ſolius Chriſti proprium, qui cùm eſſet homo ſimul ac Deus, ab intrinſeco diuinitatis habuit, non poſſe peccare. Secundum eſt proprium Beatorum, qui per gratiam patriæ ſic in bono firmantur, vt ampliùs excidere à Dei amicitia non poſſint; nempe, ob claram ſemper viſionem ſummi boni, & amorem eius perpetuum, ac neceſſarium. Tertium genus confirmationis iuſtorum confertur in hac vita Sanctis quibuſdam inſignioribus, non quaſi per hoc ab intrinſeco reddantur impeccabiles; ſed, quia extrinſeca Dei protectione, ac prouidentia ſic reguntur, vt ex dono perſeuerantiæ nunquam incidant in lethalia peccata: ex eo verò quòd in gratia confirmantur, non ſolùm non incidant; ſed etiam ab huiuſmodi lapſibus ſint remotiſſimi, ablatis per Dei gratiam omnibus occaſionibus delinquendi, & tanta inſtructi ſapientiæ cœleſtis plenitudine, & copia deuotionis ſemper affluentes, vt difficillimum ſit (quod nos dicimus moraliter impoſſibile,) velle graui vlla culpa inquinari. Et hanc in Dei gratia confirmationem habere Apoſtolos omnes decuiſſe, ait S. Thomas [r], quia erant quaſi fundamenta, & baſes totius eccleſiaſtici ædificij: vnde firmos eos eſſe in bono maximè oportebat. Verum quidem eſt, alios Apoſtolos, præter S. Paulum, non ſtatim in prima vocatione, ſed in die Pentecoſtes donum confirmationis in gratia cum plenitudine S. Spiritus accepiſſe: at, quoniam Pauli conuerſio poſt illud tempus ſecuta eſt, & ad eam ipſa Chriſti Domini maieſtas è cœlo deſcendit, quæ anteà vice ſui pro aliis Apoſtolis miſerat Spiritum ſanctum; meritò credimus Paulo nunc huiuſmodi confirmationis in gratia beneficium, cum iuſtitia, ſanctitate, aliiſque ſancti Spiritus chariſmatibus fuiſſe collatum. Videtur id ſanè ab ipſo Chriſto Domino Ananiæ ſignificatum, cùm ad Paulum baptizandum mitteretur, illis verbis [s]: *Vade, quia Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael.* & ipſi Paulo, cui dictum eſt [t]: *Ad hoc apparui tibi, vt conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum, quæ vidiſti, eripiens te de populo, & gentibus, in quas nunc ego mitto te.* Quare, ſicut alij Apoſtoli donum confirmationis in gratia pro Pentecoſte obtinuerunt, quia poſt acceptum Spiritum ſanctum exercere munus Apoſtolicum debuerunt diuiſi per varias mundi regiones, etiã decebat in ſua ſtatim conuerſione, & Baptiſmo Paulum ſimiliter cõfirmari: vnde protinus a Baptiſmo Damaſci, & inde in Arabiã profectus officio ſugi apoſtolico aggreſſus eſt, & pluribus, ac maioribus quã alij laboribus, ærũnis, vitæque periculis ſe exponere. Quod viſuri ſumus in ſequẽtibus, & ipſe poſteà ſyncerè profeſſus eſt,

N 2 dicens:

q S.Th. q.24. de verit. art.9.

r S.Th. art.cit.in resp. ad 2.

s Act c. 9.v.15.

t ibid. c. 26.v.16.

u 1. Cor. c. 15. v. 10. dicens u: *Gratia Dei ſum id, quod ſum; & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboraui: non ego autem, ſed gratia Dei mecum.*

CAPVT VIII.

Introductus Damaſcum Paulus diuertit ad hoſpitem ſuum, & triduo nihil guſtans aſperam pœnitentiam agit.

CVm à terra Paulus ſurrexiſſet, vbi tandiu iacuerat admiratione ac ſtupore eorum, quæ viderat, & audierat, conſternatus, quandiu ſurgere à Chriſto Domino non eſt iuſſus; modicū itineris, quod reſtabat vſque Damaſcum, proſecutus eſt. Qua verò id ratione peractū fuerit, his verbis S. Lucas exponit a: *Surrexit autem Saulus de terra, apertiſque oculis nihil videbat: ad manus autem illum trahentes introduxerunt Damaſcum.* & ipſe poſteà S. Paulus idem ſic enarrauit b: *Cùm non viderem præ claritudine luminis illius, ad manum deductus a comitibus veni Damaſcum.* Circa quæ primùm obſeruare dignum eſt, non diſſimiles hac in parte huius magnæ viſionis effectus extitiſſe in Paulo illis, quos in Daniele ob ſimilem viſionē, ipſo de ſe referente ſic legimus c: *Ego Daniel vidi ſolus viſionem grandem hanc, & non remanſit in me fortitudo, & dixi: Domine mi, in viſione tua diſſolutæ ſunt compages meæ, & nihil in me remanſit virium.* Et tamen Daniel Angelum tantummodo viderat, auguſta quidem ſpecie, & facie fulgurantem, vnde oculos, vultúmque demittere coactus fuit: at nō vidit ipſam Domini perſonam, & maieſtatem Sole meridiano ſplendidiorem; ita vt nimio illo fulgore cæcaretur, quod Paulo ſcimus modò contigiſſe. Quapropter exiſtimarunt nōnulli fortaſſe ob debilitatas Pauli vires, adeò vt ægrè poſſet incedere, vel etiam vix pedibus conſiſtere, fuiſſe illum à comitibus vehiculo impoſitum, aut iumento, circunſtantibus ipſis, deducentibus, & collabētem, ne decideret, manu ſuſtinētibus. Hoc tamen ſacer Hiſtoricus non indicat: nulla enim hic mentio equitatus, vehiculi, aut iumēti, vbi profectò, quod alibi pluribus oſtēdebamus d, ſi quid huius generis interceſſiſſet, prætermitti ab Hiſtorico prorſus nō debuiſſet. Imò verò, cùm dicatur ad manus à comitibus tractus, deductus, & ita Damaſcum introductus, ſatis apertè ſignificatur, verius eſſe, quod Auctor Hiſtoriæ ſcholaſticæ, & alij tradiderūt, Pauli comites manus ſuas tenuiſſe manibus illius implicitas; & ita, cæcum, vbi poneret veſtigia non aduertentem, perductum intra ciuitatem. *En*, inquit Chryſoſtomus f, *qui feſtinabat, qui vbique circuncurſabat, opus nunc habet aliquibus, qui eum manu ducant: & ligatus introductus eſt non circumpoſitis illi vinculis; ſed trahebant illum, qui ſperabat ſe alios tracturum: ſpolia Satanæ, quaſi capta metropoli, omnibus, qui videbant rei nouitatem, admirantibus, ita circunducebatur.* Quali verò ſenſu doloris, & quanta contriti cordis pœnitudine Paulus Damaſcū verſus progrederetur, inde colligit S. Chryſoſtomus g: *Quia, ſi*, inquit, *poſt multa tempora, plurimáque bona opera audis illum ita lamentantem* h: *Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui nō ſum dignus, vt vocer Apoſtolus, quoniā perſecutus ſum Eccleſiam Dei. igitur qui poſt multa bona opera, & tanta tempora hoc lugebat, quid veriſimile eſt, ipſum per id temporis paſſum, quo nullum bonum opus habebat. & conſcius erat perſecutionis, & Chriſti terrificas audierat voces?* Ita Chryſoſtomus. Quamuis credere

a Act. c. 9. v. 8.
b ibid. c. 22. v. 11.
c Dan. c. 10. v. 8. & 16.
d lib. 1. c. 1.
f Chryſ. hom. de cōuerſ. S. Pauli, & hom. 19. in Acta.
g hom. de cōuerſ. S. Pauli.
h 1. Cor. c. 15. v. 9.

credere etiam debeamus, illi timori & compunctioni cordis talem admiſtam fuiſſe animi conſolationem, vt etiamſi viribus primùm deſtitutus videretur; poſteà tamen ſpiritu recollecto, & redditus animoſior corporis debilitatem vigore ac virtute mentis facilè ſuſtentaret, & greſſus vrgendo, quantùm poterat, versùs ciuitatem feſtinaſſe, vt Chriſti iuſſio-

i *Act. c. 9. v. 7.*

nem adimpleret, qui ei dixerat [i]: *Surge, ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere* illa interim, aut ſimilia verba Dauidis ſibi vſur-

k *Pſ. 22. v. 4.*

l *Pſ. 118. v. 71.*

pando [k]: *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me cõſolata ſunt*, & [l], *Bonum mihi, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas: bonum mihi lex oris tui.* & cum

m *Ier. c. 31. v. 18.*

Ieremia [m]: *Caſtigaſti me, Domine, & eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus: & poſtquàm oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum.* Interim manũ ſuam alterutram diſiungendo à ductrice manu ſociorum, proprium pectus fortiter feriebat; nunc accuſando cordis ſui duritiem, cæcitatem, obſtinationem; nunc extollendo Chriſti Saluatoris adeò inexpectatam benignitatem, clementiam, patientiam, & inæſtimabilem erga ſe bonitatem, ac miſericordiam. Bona mihi (dicebat) cæcitas corporis ad curandam cæcitatem animæ ac mentis meæ obſcuratiſſimæ. Putabam, me Leges, & Prophetas optimè intelligere; & in eum, cui omnes Prophetæ, & Lex vniuerſa teſtimonium perhibet, grauiſſimè delinquebam. Gamalielis ſanctiſſimi, æquè ac doctiſſimi præceptoris mei ſynceras interpretationes admittere contemnebam, & ſupra magiſtrum diſcipulus ſuperbia dementatus extollebar: & quaſi parum hoc eſſet inſaniæ, non ſolùm hoſtis fui veritatis, ſanæque doctrinæ, & aduersùs cœli dogmata latrator auarus; ſed etiam pluſquàm canina rabie frendens, intuli ſanguineos dentes in amariſſimum ſodalem, fratrem innocentiſſimum, condiſcipulum omni beneuolentia, & veneratione dignum, Stephanum dico [n], cuius ſapientiæ, & ſpiritui nemo

n *Act. c. 6. v. 10.*

poterat reſiſtere: & ego tamen vt obſiſterem, vnus præ omnibus contrarie bar [o]: cuius vultum intuentes

o *Ibid. c. 6. v. 15.*

omnes, qui erant in Concilio, videbant tanquam faciem Angeli: & ego cæcatus inuidentia, & liuore nimio, non videbam, ſed magis obrutum refugiebam. Stephanus poſitis in terra genibus pro lapidantibus, quin etiam pro me ſupplicabat, & iratum contra me Deum, quantùm poterat, placabat: ego verò lapidantium veſtimenta cuſtodiendo, eóſque ad impiam crudelitatem animando, vnus, quaſi omnium manibus immane illud ſcelus operabar, & eò magis Dei iuſtiſſimam iram in nos omnes, & in me potiſſimùm prouocabam. Peccantem Regem Dauidem [p] Deus

p *2. Reg. c. 7. v. 5.*

miſericors per Nathan Prophetam admonuit, vt corrigeretur: mihi verò tantò miſeriori, quantò plura & maiora peccanti, non Prophetam, non Angelum; ſed ſeipſum diuinum Verbum, æterna Sapientia Dei Patris, Altiſſimi filius præſentem dedit. Et ego non audiam? non obſequar? non me illi totum, qui ſe mihi ſic totum tradidit, dabo, & penitùs conſecrabo? Ingrediar feſtinus ciuitatem, vt iuxta verbum ipſius intelligam ibi, quid me oporteat facere, quid etiam pro illo pati. Scio, magna mihi diſcrimina illicò ſubeunda, multa & grauia, cum Iudæis præſertim, ineunda certamina: ſed [q], *Si conſi*

q *Pſ. 61. v. 1.*

ſtant aduersùm me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo Hæc

ſecum

ſecum & cum Deo ſuo Paulus loquebatur, nec multùm quid alij de illo dicerent, aut ab illo interrogarent, attendebat: ſed, ſicut oculis corporis cæcatus exteriùs, illuminabatur interiùs; ita mutus ore, plurimùm in corde loquebatur.

Ad tantæ rei nouitatem quotquot obuiam illo itinere veniebant Paulo, & eius comitatui, valdè admirabantur; & quid viro illi tam generoſo inter alios accidiſſet, à comitibus, qui eum ducebant, percontabantur. Multò verò magis, vbi ciuitatem eſſet ingreſſus, & occurrerent, qui eum fortaſſe nouerant, vel etiam ad quid veniſſet Ieroſolyma Damaſcum miſſus à Principibus Sacerdotum, & Pontificibus, iam ſciebant, atque adeò illum expectabant. Quare via recta ſimul procedentes per vicum, qui proptereà Rectus vocabatur [r], venerunt ad domum hoſpitis, cui nomen erat Iudas. Hunc illum eſſe aliqui ſuſpicantur, de quo poſteà in Actis apoſtolicis [s] refertur, habuiſſe cognomen Barſabas, & inter primarios Christianos ſocium Pauli, ac Barnabæ deſtinatum ab Apoſtolis pro Antiochena legatione fuiſſe. Quòd ſi ita eſt, cognomen optimè congruit euentui: Barſabas enim interpretatur filius quietis, aut conuerſionis; quippe qui vel iam ad Chriſti fidem erat conuerſus, vel non multò pòſt admirabili conuerſione Pauli, ipſo narrante percepta, id præſtitit: vnde ad illius domum, tanquam ad tranquillum veræ quietis portum, magna iactatus tempeſtate Paulus primùm ſe recepit. Eſt autem, quod aliqui dicunt, minùs veriſimile, actum ibi ante alia fuiſſe de graui illo cæcitatis Pauli morbo, ſi fieri poſſet, aliqua curatione auertendo, de Medicis aduocandis, & fortè iam aliquos adfuiſſe, & curare tentaſſe; ſed fruſtrà: nam altiori Medico ea cura ſeruabatur, dum nec ægritudo humanum admitteret remedium, & ipſe Paulus aliam à Chriſto Domino expectabat medicinam. Siquidem, vt apud Sanctum Iob legimus [t], *Ipſe eſt, qui vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius ſanabunt.* Quinimò guſtare toto illo triduo nihil voluit. Mirum ſanè poſt iter pedeſtre tam longum, & adeò debilitatas corporis vires, vt cùm vix poſſet incedere, tamen via benè longa debuerit à comitibus manu duci. Neque verò diuturna hæc ab omni cibo & potu abſtinentia fuit, ſicut oſor ieiuniorum Caluinus [u] interpretatur, ex animi quaſi extra ſe poſiti, & abalienatæ à ſenſu mentis quadam ſtupiditate: ſed fuit ex libera electione ad inchoandam ſeriam pœnitentiam ſuæ vitæ præteritę malè traductæ. Vnde Chryſoſtomus [x]: *Quare autem*, inquit, *non comedit, neque bibit. Compungebat ſe propterea, quæ fecerat; confitebatur, precabatur, orabat Deum.* Benè quoque in eandem ſententiam Theophylactus ſic habet [y]: *Tres dies neque comedit, neque bibit. Cur hoc fecit? Quia valdè ſibi diſplicebat, quòd Eccleſiam perſecutus erat, & ſupra modum triſtis & mæſtus erat, ac precabatur, & orabat Deum.* Cùm enim tria ſint genera ſatisfactionum in eccleſiaſtica pœnitentia, nempe, ieiuniū, eleemoſyna, & oratio; voluit verus hic pœnitens per hæc omnia tria iuſtitiam omnem, quantum poterat, adimplere: ieiunio, videlicet, aſperrimo, nihil per eos dies deguſtās cibi, vel potionis, quando maximè indiguiſſet: eleemoſyna, omnia ſua pro Chriſto relinquendo: oratione tam aſſidua, & intenta, vt cùm ad eum Ananias

r *Act. c. 9. v. 11.*

s *ibid. c. 15. v. 22.*

t *Iob. c. 5. v. 18.*

u *Calu. in Com. Act. c. 9.*

x *Chryſ. hom. 19. in Acta.*

y *Theophyl. in c. 9. Act.*

Anani[a]s tertia die a Chriſto mitteretur, hoc illi fuerit exhibitum pro ſigno veri pœnitentis, de quo valdè Ananias ambigebat [z]: dixit enim illi Dominus: *Vade, & quære in domo Iudæ Saulum: ecce enim orat.* Imò non deſunt plures [a], qui opinentur, raptum illum ſublimiſſimæ contemplationis in hoc triduo ei contigiſſe, de quo ipſe meminit ita ad Corinthios ſcribens[b]: *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit, raptum huiuſmodi vſque ad tertium cœlum.* Sed hoc minùs eſt credibile: cùm enim eam Epiſtolam ad Corinthios ſcripſerit Apoſtolus anno Domini quinquageſimooctauo, quod ſuo loco infrà oſtenſuri ſumus, ſi annos inde quatuordecim ſubducamus, ante quos ſuam illam ecſtaſim & raptum vſque ad cœlos ipſe ait ſibi contigiſſe, ad annum Domini deueniemus quadrageſimumquartum, qui fuit nonus ab eius conuerſione: nam Pauli conuerſio, quod anteà oſtenſum fuit, incidit in annum Domini trigeſimumquintum. Deinde, cùm baptizatus nondum eſſet, ſed catechumenus adhuc, & in expectatione eius Sacramenti, quod aliorum eſt quaſi ianua, & primus introitus in Eccleſiam militantem, quòd patentes habuerit anteà portas Eccleſiæ in cœlis triumphantis, vt eò tam mirabiliter raperetur, fieri quidem id potuit; ſed eſſe factum non apparet vſque adeò veriſimile. Deinde, cùm fauor illius ſublimiſſimi raptus fuerit præcipuus, & gratia maximè ſingularis, ſicut toties Apoſtolus commemorare ſolitus fuit ſingula, quæ ſibi in ſua conuerſione contigerunt, ita hoc diſſimulare minimè debuiſſet. Quid, quòd ipſe Chriſtus Dominus [c] inſtruens Ananiam de perfecta Pauli conuerſione, & quomodo illi apparuiſſet in via, eſſétque iam Vas electionis, nihil de hac ſublimiſſima vſque ad cœlum eleuatione ſignificauit? Vnde Ananias ad Paulum cum veniſſet [d]: *Saule frater*, inquit, *Dominus miſit me* IESVS, *qui apparuit tibi in via, qua veniebas.* non dixit: qui etiam te ſecum rapuit ad tertium cœlum. Quæ ſi Ananias de Paulo intellexiſſet, dicere modò non prætermiſiſſet: multùm enim auctoritatis ac fidei apud Paulum hoc illi addidiſſet. Neque verò mouere ab hac noſtra ſententia quenquam debet, quod referente Paulo [e], cum ei Chriſtus in via primùm apparuiſſet, ſe aliàs appariturum promiſit, dicens: *Surge, & ſta ſuper pedes tuos. ad hoc enim apparui tibi, vt conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum, quæ vidiſti, & eorum, quibus apparebo tibi.* Nam aliud eſt apparuiſſe iterum Paulo Chriſtum in terris, aliud raptum ipſum Paulum, & quodammodo apparuiſſe Chriſto in cœlis. Deinde, etiamſi noua illa apparitio, quam Chriſtus Dominus Paulo pollicebatur, de eius raptu intelligeretur; non tamen inde haberemus illo triduo contigiſſe: potuit enim ſtante veritate, & fide promiſſionis Chriſti, poſt aliquot annos, videlicet, nouem, ſicut anteà computauimus, eueniſſe. Præterea, cùm addiderit Chriſtus Dominus, ſe ad hoc Paulo appáruiſſe, & iterum appariturum, vt ea quæ viſurus eſſet, publicè teſtificaretur, & tanquam reuelatæ ſibi veritatis miniſter omnibus prædicaret, vtique non poſſunt hæc dicta intelligi de iis, quæ in raptu ad tertium cœlum fuerunt reuelata, cùm ea dicat ipſe fuiſſe arcana, quæ nõ licet homini loqui. De quibus cùm ad illum ætatis Pauli annum deuenerimus, in quo talia contigerunt, multa erunt examinanda.

z Act. c. 9 v. 11.
a S. Th in c. 12. ep. 2 ad Corint què ſequũtur Lyran. Carthuſ. & aly in 2. ad Cor.
b 2. Cor. 12. v. 2.
c Act. c. 9 v. 15.
d Act. c. 9. v 17.
e c. 26. v. 17.

CAPVT

CAPVT IX.

Mittitur à Chriſto ad Paulum Ananias, à quo ſanatur primùm à cæcitate, ac deinde baptizatur.

QVamuis Pauli raptũ non eueniſſe illo triduo, quo in domo Iudæ ante Baptiſmum commorabatur, ſatis ex iam dictis haberi poſſit perſuaſum; tamen varias ipſum obtinuiſſe tunc temporis diuinas reuelationes minimè dubitamus. Atque in primis ſicut ab omni cibo corporeo tribus illis diebus abſtinuit; ita ſpirituali alimento continuatæ contemplationis, nec intermiſſæ vnquam orationis animum, mentémque refeciſſe teſtatur inter alios S. Bernardus [a], dicens: *Triduo Paulus ſine cibo manens in oratione perſiſtit.* Quod etiam indicaſſe videtur Chriſtus Dominus, cùm Ananiæ indefinitè ſic dixit [b]: *Vade, quære Saulum in domo Iudæ; ecce enim orat.* In qua proinde triduana oratione, & auguſtiſſimæ Trinitatis, & incarnationis diuini Verbi myſteria noſtræ fidei ad ſalutem neceſſaria, totámque legem euangelicam, Deo reuelante, didiciſſe, infuſa, nimirum, diuinitùs illo breui tempore de his omnibus ſcientia, non obſcurè ipſe de ſe ſignificat, ita ad Galatas ſcribens [c]: *Notum vobis facio, Fratres, Euangelium, quod euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundùm hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; ſed per reuelationem* I E S V *Chriſti.* Quapropter non vnum ex Apoſtolis ad eius inſtitutionem; ſed Ananiam tantummodo fuiſſe miſſum, notat S. Chryſoſtomus [d]: *Quoniam, inquit, non oportebat illum per homines, ſed per Chriſtum erudiri: vnde nec illum quidquam docuit Ananias; baptizauit autem ſolùm.* Et ſanè cùm fuerit neceſſarium, vt ante Baptiſmum Paulus de myſteriis noſtræ fidei benè inſtrueretur, ſiquidẽ Ananias id non præſtitit; neque enim hoc illum feciſſe retulit ſacra Hiſtoria, neque vt faceret, mandatum à Chriſto accepit; omninò fieri diuina reuelatione oportebat, idque maximè conueniebat. Non enim deſuturi erant falſi fratres, qui Paulo, etiam cùm Doctor gentium iam eſſet à Deo conſtitutus, exprobrarent, rudimenta fidei à quodam Anania malè percepiſſe, & per contemptum, Ananiæ Apoſtolum eũ vocitarẽt, vt tradidit Auctor Hiſtoriæ ſcholaſticæ [e]. Atq; hos notaſſe Apoſtolus videtur ad Galatas ſcribẽs [f], illis verbis: *Miror, quòd ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti, in aliud Euangelium: quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti.* Tum addit, ſe illud non accepiſſe ab homine, neque didiciſſe; ſed obtinere per reuelationem I E S V Chriſti; ſéque Apoſtolum conſtitutum, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per I E S V M Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis. Inter alia verò, quæ Paulo tunc oranti Deus reuelauit, illud à S. Luca [g] expreſsè commemoratur; nempe, futurum, vt vir quidam, Ananias nomine, adueniret, à quo ſanaretur à cæcitate, & Baptiſmi Sacramento initiaretur. In hac expectatione dum Paulus verſabatur, apparuit Ananiæ Chriſtus Dominus, ſiue in viſione ſenſibus quoque externis manifeſta, ſiue, quod magis indicare videtur ſacer contextus [h], imaginariè per ſomnum, eúmque proprio nomine compellans,

a S. Bern. de conuerſ. S. Pauli, ſerm. 1.

b Act. c. 9. v. 12.

c Galat. c. 1. v. 11.

d Homil. 20. in Act.

e Hiſt. ſcholaſt. cap. 46. Actorũ.

f Gal. c. 1. v. 8.

g Act. c. 9. v. 12.

h Act. c. 9. v. 10. ἐν ὁράματι.

pellans, ire iuſſit ad vicum, qui vocabatur Rectus, & quærere in domo Iudæ Saulum Tarſenſem. Exterritus Ananias ea iuſſione: *Domine*, inquit, *audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Ieruſalem*: & poteſtatem obtinuit à Principibus Sacerdotum in hac etiam Damaſcena ciuitate, vbi ſe tam multi receperunt ex magna perſecutione Ieroſolymis excitata contra Eccleſiam tuã, alligandi omnes, qui per tui ſanctiſſimi Nominis inuocationem, veram fidem, pietatémque profitentur. *Ecce*, inquit S. Auguſtinus [i], *lupus rapax adducitur ad ſequendam, non rapiendam ouem: Ananias enim ouis interpretatur. Mira & magna res geritur, lupo ſæuitia interdicitur, lupus ad ouem captiuus ducitur. Tanta autem præceſſerat fama lupi raptoris, vt eius nomine audito timeret ouis, etiam ſub manu paſtoris: ſed ab agno pro ouibus mortuo fit ouis ſecura de lupo.* Hæc S. Auguſtinus. Quare non eſt vlla ratione exiſtimandum, huiuſmodi Ananiæ reſpõſionem ex incredulitate aliqua proceſſiſſe, tanquam ipſe dubitaret, an Sauli mores, & Eccleſiæ calamitates Chriſto bene eſſent perſpectæ; ſed fuit humano quodam timore correptus: nondum enim ſatis Pauli mutationem à Chriſto intellexerat, & qua ſecuritate ad Saulum eſſet acceſſurus, magis ſcire cupiebat. *Ne igitur*, inquit Chryſoſtomus [l], *putet aliquis hæc audiens, quod non credens his, quæ dicebantur, hæc dicat Ananias, vel putet deludi Chriſtum; abſit: ſed timens ac tremens audito nomine Sauli, dictis non attendebat, ita corripuerat metus illius animam. Quaſi diceret: Timeo, ne me fortaſſis in Ieruſalem ducat. Quid me proiicis in os leonis?* Hinc eſt, quòd Ananiam Dominus nihil de incredulitate reprehendit; ſed quis iam eſſet Paulus, & qualis deinceps futurus ita pergit exponere [m]: *Vade: quoniã Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet Nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël: ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro Nomine meo pati.* Quaſi diceret [n]: Vas quidem anteà Paulus videbatur iræ, & contumeliæ aptum ad interitum; quod ſuſtinui in multa patientia: ſed, vt oſtenderem diuitias gloriæ meæ, vas illud mihi feci miſericordiæ in gloriam præparatum. Vas erat interfectionis [o], & mortiferum in manu Dæmonis inſtrumentum, ſed extorſi illud è manu aduerſarij mei [p]: *& poſui quaſi ſagittam electam: in pharetra mea abſcondi eum: & dixi: Seruus meus es tu, quia in te gloriabor.* Erit in poſterum mihi [q], *quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo*: aureum, propter infuſam cœleſtem ſapientiam; ſolidum, ob inuiolabilem charitatem; ornatum omnium virtutum gemmis pretioſiſſimis, capaciſſimum gratiæ, & gloriæ Nominis mei, *vt portet Nomen meum corã Gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël.* Erit vas [r] muſicum optimi concentus, & ſuauiſſimæ harmoniæ; tuba euangelica, cuius in omnem terram exibit ſonus [s], & in fines orbis terræ verba prædicationis ipſius. Erit denique vas admirabile, opus Excelſi [t], *Vas caſtrorum in excelſis in firmamento cæli*, hoc eſt, Eccleſiæ, reſplendens glorioſè, mundum prædicatione ſua illuminans vniuerſum. *Sol enim quidam hominibus eſt Paulus*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus [u], *qui totum prorſus orbem fulgentibus linguæ ſuæ radiis illuminauit, quique vniuerſas circumeundo Gentes, curſum omnino Solis imitatus eſt, ac mundi regiones omnes, quaſi libero à corpore animo peruolauit; cuius tanta eſt pulchritudo, vt Deus ipſe illum depredicet: nam aſtra cùm fierent, admirabantur Angeli: hunc autem*

i S. Aug. ſer. 14. de SS.

l Chryſ hom. 20. in Acta.

m Act. c. 9. v. 15.

n Rom. c. 9. v. 22.

o Ezech. c. 9. v. 1.

p Iſai. c. 49. v. 2.

q Eccl. c. 49. v. 10.

r Iſai. c. 22. v 24.

s Pſ. 18. v 5.

t Eccli. c. 43. v. 2 & 9.

u Chryſ. hom. 1 de laud S. Pauli & hom 18. in c. 11. Ep. ad Rom. di- creſ. mor.

Deus ipſe admiratus eſt, dicens: Vas electionis eſt mihi iſte. Hæc & ſimilia cùm Ananias de Paulo, partim ex auditis Chriſti verbis, partim coniectura facta ex tanti viri tam admiranda mutatione, ſecum ratiocinando intuliſſet, omni iam depoſita formidine, cupidiſſimus videndi talem hominem quamprimùm, dat ſine mora ſe in viam, venit ad domum Iudæ, & ingreſſus, cùm Paulum adhuc in oratione perſeuerantem, & ipſum expectantem inueniſſet, vbi ſe inuicem agnoſcentes amiciſſimè conſalutaſſent: *Saule frater*, inquit Ananias[x], *Dominus miſit me* IESVS, *qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas, & implearis Spiritu ſancto.* Erat Ananias genere Iudæus, de tribu Iuda, vnus ex Chriſti diſcipulis, qui Ieroſolyma Damaſcum venerat poſt Pentecoſtē, accepto eo die cum aliis, vt credere par eſt, Spiritu ſancto. Nam, quod aliqui arbitrati ſunt, eum multò poſt Pentecoſtē, martyrio Stephani menſe Decembri ſuccedente, & magna in Eccleſia, quæ erat Ieroſolymis, excitata perſecutione inde profugū ſe Damaſcum recepiſſe, alibi refutauimus[y], ex eo maximè, quòd hic ipſe cum Chriſto loquens aſſeueret, audiuiſſe ſe; non autem vidiſſe, quanta mala fecerit Saulus ſanctis Chriſti fidelibus in Ieruſalem: igitur Ieroſolymis tunc non aderat Ananias; ſed anteà inde diſcedens venerat Damaſcum, vbi nouam Chriſti Eccleſiam, quaſi deductam Ieroſolyma coloniam gubernabat, Apoſtolis omnibus adhuc Ieroſolymæ commorantibus. Et quāuis, quo tēpore accidit conuerſio S. Pauli, nondū Ananias eſſet Epiſcopus; tamen ordinatus eſt poſteà ab Apoſtolis, vt Hippolytus Martyr[z], & Dorotheus[a] tradiderūt. Addit quoque Romanum Martyrologium[b], cùm Da-

x *Act. c. 9. v. 17.*
y *huius refutauimus* 2. *libri c.* 1.
z *in libro de 72. diſcipul.*
a *Dorot. in Synop.*
b *Martyrol. die 25. Ian.*

maſci, & Eleutheropoli, & alibi Euāgeliū prędicaſſet, ſub Licinio Iudice, Damaſci martyrium conſummaſſe, cuius poſteà domus in tēplum Chriſtianorū dicitur eſſe cōuerſa. Eius autem martyrij memoriā Eccleſia celebrat die vigeſimaquinta Ianuarij, quādo etiam ſolennis habetur conuerſio S. Pauli. Neque ſolùm adhuc Epiſcopus non erat Ananias, dum hæc Damaſci cum Paulo agerētur; ſed neque Sacerdos, niſi tātū Diaconus, ait Oecumenius[c], proferens auctoritatem cuiuſdā Canonis apoſtolici, tāquam ab ipſo Paulo conditi, in quo excuſat Ananiā, quòd eū baptizauerit, quamuis Presbyter nondū eſſet, cùm id fecerit ex Chriſti diſpenſatione, ac precepto. Ille verò Canon alius eſſe non videtur, niſi quem retulit Clemens[d] in fine octaui libri Conſtitutionum Apoſtolicarum: ibi tamen Diaconus Ananias non appellatur; ſed tantùm fidelis frater. Quòd ſi Diaconus, de quo meritò dubitari poteſt, certè ex primis ſeptē Diaconis, quorū in Actis apoſtolicis nomina ſingillatim recēſentur[e], nō fuiſſe manifeſtum eſt. Sed fortè ſignificare voluit Oecumenius, cuius tātùm hac de re fertur teſtimonium, Ananiam nō tam gradu Ordinis, quàm exercitio miniſterij Diaconum, quod nomen adminiſtrū ſignificat, ſe exhibuiſſe, dū ex Chriſti Sūmi Sacerdotis delegatione Baptiſmi Sacramentum Paulo adminiſtrauit. Iuxta quod in Canonibus apoſtolicis, referente S. Clemente[f], declaratū legimus, munus eſſe Sacerdotis, miniſtrante Diacono, baptizare. Et S. Ambroſius[g] ait, conſueuiſſe Apoſtolos, quando ipſi per ſe baptizare non poterant, tale miniſteriū fratribus, etiam non ordinatis, commendare. Nec diſſimili ratione videtur S. Auguſt.[h] cùm Sacerdos ex eo, quòd ſacra dat, id eſt, Eccleſię Sacramenta ex officio

c *Oecum. in c. 9. Act.*
d *Clem. lib. 8. Conſt. c. vltim.*
e *Act. c. 6. n. 5.*
f *lib. 3. Conſt. c. 11.*
g *in c. 4. Ep. ad Epheſ.*
h *S. Aug. l. 2. qq. euang. q. 47.*

fideli

fidelibus diſtribuit, Ananiæ ſacerdotium adſcripſiſſe, cum ait: *Paulus ad Ananiam miſſus eſt, vt illo ſacerdotio, quod in Eccleſia conſtitutum eſt, ſacramentum doctrina fidei perciperet, & verus eius approbaretur cultor.* Alioquin, cùm apud S. Auguſtinum [i], & alios Patres, nomine Sacerdotis Epiſcopus quoque intelligatur; non tantũ Presbyterum, ſed Epiſcopum etiam tunc fuiſſe Ananiam aliquis ſuſpicari poſſet, quod multò minùs eſt veriſimile: neque ſatis conſtat, illo primo anno ab aſcenſione Chriſti Domini, alios, ſiue Epiſcopos, ſiue Sacerdotes, præter Apoſtolos in Eccleſia extitiſſe: & cum ſeptẽ tantùm Diaconos eo tempore ab Apoſtolis conſtitutos, & in Actis apoſtolicis nominatos habeamus [l], neque fuiſſe propriè Diaconũ multò eſt veroſimilius. Vnde prętereà colligat Oecumenius, fuiſſe Ananiã vnum de ſeptuagintaduobus Chriſti diſcipulis, nõ apparet: ſolùm enim ex diuina Scriptura, diſcipulum fuiſſe intelligimus, vbi ait S. Lucas [m]: *Erat autem quidã diſcipulus Damaſci, nomine Ananias.* Et quòd à pietate, doctrina, & bona fama eſſet commendabilis, habemus ex indubitato Pauli teſtimonio, ſic de illo in conuentu Iudęorum referentis [n]: *Ananias autẽ quidã, vir timoratus ſecundùm legem*; ſiue, vt alij legunt, *vir pius, & iuſtus ſecundũ legem, teſtimoniũ habẽs ab omnibus Damaſci cohabitantibus Iudæis, ad me venit,* &c. Illud quoque nõ parũ ad cõmendationẽ Ananiæ facit, quod S. Chryſoſt. obſeruauit [o]: nam, vbi baptizãdum Eunuchum Reginæ Candacis theſaurarium Philippus, vnus ex primis ſeptẽ Diaconis, mitteretur, non ei Chriſtus Dominus adfuit in viſione, ſed Angelus; neque totũ quod erat facturus ſtatim Philippo manifeſtauit, ſed poſteà per alias inſpirationes ſuggeſſit: at verò Ananiæ Chriſtus ipſe Dominus in viſione apparuit, & de omnibus, quæ circa Paulum fiebant, & qualis in poſterum eſſet futurus, & quid ei cum illo eſſet agendum, admonuit. Illa prætereà reſpondendi Domino libertas Ananiæ, cùm de cętero paratum ſe ad omnia obtuliſſet, dicens [p]: *Ecce ego, Domine: ſed audiui de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Ieruſalem.* indicium eſt non obſcurum ſyncetæ admodum mentis, & animi valdè confidentis, tanquam huiuſmodi viſitationibus diuinis, & cum Chriſto collocutionibus aſſueti. Vnde S. Chryſoſtomus [q]: *Quòd autem*, inquit, *Ananias valdè inſignis vir fuerit, manifeſtum fit ex his, quæ ad illum Chriſtus dixit, & quæ ille reſpondet. Nam, ſi ita cum Domino locutus eſt, multò magis, ſi Angelus miſſus eſſet.*

Quæ itaque in domo Iudæ circa Paulum Ananias debuit præſtitiſſe, iuxta Domini iuſſionem ſunt hæc tria. Primùm, impoſitione manuum illum à cæcitate curare, iuxta Chriſti promiſſionem credentibus factam [r]: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Deinde inſtruere de iis, quæ Chriſtus illi dicenda commiſerat. Tertiò, Baptiſmi Sacramento expiare. Et quod ad primum attinet, de manuum impoſitione, importunè admodum hic, impudentérque, Caluinus [s] traducendi Catholicos quærit occaſionem, per quam ridiculos eos vocans, quippe qui hanc imponendi manus cæremoniam non niſi Epiſcoporum eſſe velint, inter quos, nobis etiam fatentibus, non erat Ananias. Qua in re ſeipſum potiùs Caluinus multipliciter exhibet irridendum. Nam in primis ea cęremonia impoſitionis manuum, quæ in Eccleſia Catholica propria Epiſcoporum eſt, non niſi ad Ordines ſacros, vel ad Sacramentum Confir-

i *S. Aug. lib. 20. de ciu. c.* 10.

l *Act. c. 6. v.* 5.

m *ibid. c. 9. v.* 10.

n *ibid. c. 22. v.* 12.

o *Chryſ. hom.* 9 *in Acta.*

p *Act. c. 9. v. 10. & 11.*

q *Chryſ. hom. 20. in Acta.*

r *Marci c. 16. v. 18.*

s *Calu. in c. 9. Act. & in Antid. ad ſeſſ. 7. can. 3. & lib. 4. Inſt. c. 19. §. 10.*

mationis adhibetur. Cũ igitur Ananias neque vllos Ordines, neque Confirmationis Sacramentum conferre Paulo debuiſſet, quid mirum, ſi ea nondum Epiſcopus vtebatur? Deinde non ſolùm non fuiſſe Epiſcopum, ſed neque Sacerdotem, ſeu Presbyterum Ananiam iam oſtendimus: & tamen eſſe Paulum ab eo baptizatum, & ob id potiſſimum à Chriſto miſſum negare non poſſumus, nec ipſe Caluinus negat: cur igitur ipſe toties, & tam pertinaciter contendit [t], non licere Baptiſmum, etiam in extrema neceſſitate, ab alio, quàm à Sacerdote ſuſcipere? & ſicut Euchariſtiæ, ita Baptiſmi Sacramentum non confici, niſi per Sacerdotem? Tertiò, quamuis non eſſet tunc Ananias Epiſcopus, neque Presbyter, neque Diaconus, neque vllos haberet Ordines, vt magis eſt veriſimile: tamen negare quis poteſt in Chriſtum crediſſe? *At ſigna eos, qui crediderint, hæc ſequentur*, ait Chriſtus Dominus in cœlũ aſcenſurus [u], loquens potiſſimùm de fidelibus Eccleſiæ primitiuæ: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Ad hunc autem effectum veniſſe Ananiam, & ob id Paulo manus impoſuiſſe teſtatur clariſſimis verbis Lucas dicens [x]: *Vidit Paulus virum, Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem ſibi manus, vt viſum recipiat.* Quartò, nónne ridiculus eſt Caluinus, qui cũ illa clariſſima verba Ananiæ ad Paulum benè legerit [y]: *Saule frater, Dominus miſit me* IESVS, *qui apparuit tibi in via, qua veniebas.* auſus tamen fuit affirmare Chriſtum Dominum nequaquam in via, ſed in cœlo apparuiſſe tunc ſancto Paulo, ſicut apparuit S. Stephano, cùm vidit cœlos apertos: qua de re dicta ſunt ſatis multa ſuperiùs [z]. Quintò, debuiſſet Caluinus ex hoc loco dicere, non eſſe contemnendas diuinas apparitiones, & piorum viſiones, quas ipſe, & alij huius temporis Hæretici ſolent tanquam nænias, & nugas irridere, cùm adeò manifeſtè in hac ſacra Hiſtoria doceamur, Chriſtum Dominum aliquoties S. Paulo apparuiſſe, & ſe alias ſæpè appariturum promiſiſſe, & oranti viſionem immiſiſſe de Anania ad ſe veniente, & Ananiæ ſimiliter in viſione multa de Paulo manifeſtaſſe.

t *Calu. lib. 4. Inſt. c. 15. in Ant. Trid. ſeſſ. 7. can. 10. in appendice libelli de reform. Eccleſ. & ep. ſua 51. quem ſequitur Beza in calumn. Heshuſſij et abſterſione.*

u *Marci c. 16. v. 18.*

x *Act. c. 9. v. 12.*

y *ibid. c. 9. v. 17.*

z *hoc lib. 1. c. 3.*

Sed his dimiſſis ad manus Paulo impoſitas ab Anania redeamus. Symbolum hoc fuit acceptæ à Chriſto poteſtatis huiuſmodi miracula operandi: vnde ſimul cum ea cæremonia impoſitionis manuum ſupra caput extenſarum, illud imperandi verbum pronunciauit: *Reſpice.* Sic enim refert ipſe, qui audiuit, & interfuit Paulus: [a] *Et ego*, inquit, *eadem hora reſpexi in eum.* Nihil enim tunc ita videre deſiderabat, ſicut per quem viſum recipiebat adſtantem ſibi benefactorem ſuum. Addit verò S. Lucas [b], in hac tam repentina curatione decidiſſe ab oculis Pauli tanquam ſquamas, & ita viſum confeſtim recepiſſe. Non erant illæ propriè ſquamæ, quales eſſe piſcium, aut ſerpẽtum ſolent; ſed tanquã ſquamæ; nempe, humor fuit aliquis ex capite defluens, & ab aquea oculi ſubſtantia nimia luce diſtemperata violenter expreſſus, tum circa orbes oculorum concretus, & obductus in modum pelliculæ infra palpebras dolore ferientis luminis diu compreſſas, dũ Chriſtum ante Damaſcũ vidiſſet. Simile quid legimus de Tobia in eius ſacra Hiſtoria [c], quòd, cùm felle piſcis ſuper oculos poſito, ex conſilio Angeli Raphaëlis, à cæcitate curaretur, cœpit albugo ex oculis eius, quaſi membrana oui egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, ſtatimque viſum recepit. Niſi quòd

a *Act. c. 22. v. 13.*

b *ibid. c. 9. v. 18.*

c *Tob. c. 11. v. 14.*

Tobiæ

Tobiæ cæcitas illius medicinæ virtute naturali videtur eſſe curata: nam eam vim felli quorundam piſcium ineſſe multi Medicorũ tradiderũt [d]: & ipſa mora horæ ferè dimidiæ, in qua oculi Tobiæ ſuſtinuerunt illud medicamentum, ſicut ſacra narrat Hiſtoria [e], curationem indicat naturalem. At Pauli cæcitas nulla alia adhibita medicina, præter Ananiæ manuum impoſitionẽ, ceſſit in momento temporis, tota illa vitiata materia, & ſquamarum inſtar circa oculos concretâ per ſe decidente: quod euenire ſine aperto miraculo nõ potuit. Fuit prætereà in Pauli cæcitate, & curatione myſterium, quod à ſanctis Patribus, præſertim Gregorio Magno [f], ponderatur, dum illas ſquamas interpretatur carnalem ſapientiam Pauli obdureſcentem aduersùs lumen cœleſtis veritatis, & tegumentum excuſationis contra ictus diuinarum inſpirationum: quales propriè ſquamas ſolent habere dracones venena ſpirantes, & ne facilè feriantur, illo ſquamarum tegumento iacula repellentes. Vnde Venerabilis Beda [g]: *Draconis*, inquit, *omne corpus dicitur ſquamis eſſe contectum. Quia ergo Iudæi ſerpentes, & genimina viperarum ſunt vocati, qui illorũ perfidiam ſectabantur, quaſi pelle ſerpentina oculos cordis obduxerant: ſed cadentibus ſub manibus Ananiæ ſquamis ab oculis Pauli, monſtratur in facie, quod verum lumen recepit in mente.*

d apud Serar. in c. 11. Tobiæ.
e Tob. c. 11. v. 14.
f S. Greg. l. 33. Mor. c. 31.
g Bed. in c. 9. Act.

Poſt viſum corporis Paulo ante omnia mirabiliter ab Anania reſtitutum, addita eſt in ſecundo loco ab eodem adhortatio illis verbis [h]: *Deus Patrum noſtrorum præordinauit te, vt cognoſceres voluntatem eius, & videres iuſtum, & audires vocem de ore eius: quia eris teſtis illius ad omnes homines, eorum, quæ vidiſti, & audiſti.* Hæc ſibi tunc dicta fuiſſe ab Anania, Paulus ipſe poſteà teſtatus eſt [i], inde ſtatim ad Baptiſmum ſuſcipiendum eſt inuitatus, cùm ſatis de cætero promptus atque paratus exiſteret, & de myſteriis euangelicæ fidei reuelationibus diuinis perfectè inſtructus. Quare non ſunt inter ſe vllo modo contraria, quę in hanc ſententiam diuerſo ſenſu à Patribus aſſeruntur, dũ aliqui, quos ſuprà referebamus [l], negãt ab Anania Paulum in rebus fidei fuiſſe inſtructũ, quas Apoſtolus ipſe teſtatur non ab homine ſe didiciſſe; ſed per reuelationem IESV Chriſti, niſi tantum fuiſſe ab Anania baptizatũ: alij vero diuinã agnoſcunt prouidentiam, & extollunt ſapientiã in eo, quòd talis ac tantus futurus Apoſtolus, pro exẽplo humilitatis, fraternæ charitatis, & obediẽtiæ, ad Ananiam miſſus ſit, vt eius adhortationẽ audiret, ac fidei noſtræ Sacramenta ſuſciperet. *O Sapientia*, inquit S. Bernardus [m], *ſuauiter vere omnia diſponens, eum cui tu loqueris, erudiendum de tua voluntate mittis ad hominem, vt ſocialis vitæ commendetur vtilitas, & edoctus per hominẽ diſcat & ipſe ſecundùm datam ſibi gratiam hominibus ſubuenire.* Quantæ verò temeritatis ſit expectare ab ipſo Chriſto immediatè erudiri, aut ſibi adeſſe, ſicut adfuit S. Paulo, multis proſequitur S. Auguſt. in primo libro de doctrina Chriſtiana, vbi inter alia ſic habet [l]: *Caueamus tales tentationes ſuperbiſſimas, & periculoſiſſimas, magiſque cogitemus & ipſũ Apoſtolũ Paulum, licet diuina, & cœleſti voce proſtratũ, & inſtructum; ad hominem tamẽ miſſum eſſe, vt ſacra perciperet, & copularetur Eccleſiæ.* Præclare quoque in eandẽ ſententiã Caſſianus [o], vbi de neceſſitate magiſtri & ducis in via perfectionis diſputationẽ inſtituiſſet, Ananiam inducit, nõ ſacerdotio, vel alio gradu eccleſiaſtico maiorẽ Paulo, ſed tantũ ætate ſeniorem, & inde

h Act. c. 22. v. 14.
i ibid. c. 22. v. 16.
l Chryſ. hom. 20. in Acta. Tertul. lib. de Baptiſm. c. 13.
m S. Bern. ſer. 1. de conu. S. Pauli.
l S. Aug. lib. de doctr. Chriſt. in proœm.
o Caſſ. coll. 2. c. 15.

Chriſti antiquiorem, à quo nihilominùs Vas illud electionis debuit informari, iuxta diuinum eloquium [p]: *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; ſeniores tuos, & dicent tibi. Vnde*, inquit Caſſianus, *Paulũ per ſemetipſum vocans, & alloquens Chriſtus, cùm poſſet ei perfectionis viam reſerare, confeſtim dirigere ad Ananiam mauult, & ab eo iubet viam veritatis agnoſcere, dicens: Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Mittit itaque & hunc ad ſeniorem, eúmque illius potius doctrina, quàm ſua cenſet inſtitui; ne, ſcilicet, quod rectè geſtum fuiſſet in Paulo, poſteris malum præſumptionis præberet exemplum, dum vnuſquiſque ſibimet perſuaderet, ſimili quoque modo ſe debere Dei ſolius miniſterio atque doctrina potiùs, quã ſeniorũ inſtitutione formari.* Hactenus Caſſianus.

[p] Deut. c. 3. v. 7.

Denique pro huius capitis concluſione quædã adhuc circa Pauli Baptiſmũ, cõtra Caluini impietatẽ diſſimulare non debemus: auſus eſt enim hic Hæreticus negare [q], per Baptiſmum propriè remitti peccata; ſed tãtũ vult hoc præſtari, ne, quamuis reipſa maneát, imputẽtur: quod etiã de aliis Sacramentis aſſeruit, & ſequuntur Hæretici recẽtiores, quidã etiã antiquiores [r], quos notaſſe videtur S. Gregor. in ſua quadã epiſtola ſic ſcribens [s]: *Si qui ſũt, qui dicant, peccata in Baptiſmo ſuperficie tenus dimitti, quid eſt hac prædicatione infidelius?* Quare damnatur hic error in Synodo Tridẽt. & ex Baptiſmo S. Pauli, vt à S. Luca deſcribitur, multipliciter cõfutatur. Primũ ex ipſa Pauli ab oculorum cęcitate mira illuminatione, quæ Baptiſmũ præceſſit, & illius fuit ſymbolũ, ac figura: vnde ſępe in eius Epiſtolis, baptizati appellantur illuminati [t]: & S. Pauli diſcipulus Dion. Areop. [u] aliique Græci Patres Baptiſmũ cõmuniter φοτισμὸν, appellant, id eſt, illuminationẽ. Sicut igitur nõ poteſt aliquis ex cæco, & tenebroſo reddi videns, & illuminatus, per ſolam non imputationem cæcitatis, & tenebrarum: ita nec liberari à cæcitate, & tenebris peccatorum, niſi lumen diuinæ gratiæ in ſe recipiat, quo realiter & intime à peccato mũdetur, & in anima renouetur. Ad huius rei expreſſiorem adhuc ſignificationem; quaſi ſquamæ quædã vitiati humoris ab oculis Pauli ceciderunt, vt intelligamus, ſordes peccati per Baptiſmũ verè deponi: nõ quaſi peccatum ſit aliqua vitiata ſubſtantia; ſed, quia maculatã, & obſcurã reddit conſcientiã. Vnde S. Petrus loquens cũ fidelibus Baptiſmo expiatis: *Et vos*, inquit [x], *nunc ſimilis formæ ſaluos facit Baptiſma; non carnis depoſitio ſordiũ, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Prætereà refellitur idẽ error ex eo, quòd Paulo dixit Ananias [y]: *Baptizare, & ablue peccata tua.* Et ipſe Paulus Baptiſmũ ſuum deſcribens ſic ait [z]: *Saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quẽ effudit in nos abundè, per* IESVM *Chriſtum, Dominũ noſtrũ.* Quis autem dicat, cũ lauacro maculę diluuntur, nõ tolli eas propriè, ſed reipſa manere, & tantùm ex aquæ defluxu nõ reputari? præſertim cùm Baptiſmus nõ ſolùm dicatur abundans lauacrũ, ſed etiam animæ renouatio, & regeneratio; nec poſſit intelligi aliquid renouatum, & multò minùs regeneratũ, per non imputationẽ corruptionis, aut vetuſtatis. Quòd ſi quis dicat: Ante Baptiſmũ Paulus erat iuſtificatus aſpera tridui pœnitẽtia, & perfecta cordis cõtritione: nõ habuit igitur in illo Baptiſmus poſſe remittere peccatum: hoc magis virtutem arguit Sacramenti, ex cuius propoſito, ſiue, vt dicunt, ex voto, præmiſſa contritio effectũ iuſtificationis operabatur, qui poſteà effectus, Sacramẽto reipſa ſuſcepto, per nouę gratię ſuper

[q] Calu. in Antid. Trid. ſeſſ. 5. contra decr. fid. & lib. 4. Inſt. c. 11. §. 10.
[r] apud S. Epiph. hær. 64.
[s] Greg. ep. 39.
[t] Hebr. c. 6. v. 4 & c. 10. v. 32.
[u] Dion. lib. de eccl. hierarch. c. 3. φοτισμὸς, baptiſmus. φοτιζόμενοι, illuminati.
[x] 1. Petr. c. 3. v. 21.
[y] Act. c. 22. v. 16.
[z] Tit. c. 3 v. 5.

ſuperinfuſionem valdè ſuccreuerit. Quod ſignificare voluit Ananias, cũ Paulo dixit [a], ſe ad hoc miſſum à Chriſto veniſſe, vt eũ à cæcitate ſanaret, & vt Spiritu ſancto amplius impleretur. Ex quibus alia Caluini argutia euaneſcit, malè inferẽtis, negari a nobis non poſſe illã manuũ impoſitionẽ Paulo exhibitã ab Anania; qui tamen nõ erat Epiſcopus, Sacramentũ fuiſſe Confirmationis, cuius effectus dicitur eſſe gratiæ augmentũ, & ſancti Spiritus plenitudo. Nos autem id negari poſſe dicimus, ac debere: quia, cùm illa manuũ impoſitio fuerit, vt oſtẽdimus, ante collatũ Baptiſmũ; hæc autẽ Spiritus plenitudo ſtatim poſt acceptum Baptiſmũ; manifeſtum eſt, huic Sacramento eſſe tribuẽdam; non autẽ illi cæremoniç, quç multò anteà ſuũ ſortita erat effectũ, curationis, videlicet, a cæcitate. Sed etiamſi talẽ cæremoniã impoſitionis manuũ iteratã fuiſſe concederemus ſtatim ante Baptiſmũ, aut etiã deinde poſt Baptiſmũ; quorũ tamẽ neutrum ſacra Hiſtoria ſignificauit; nullũ cõtra catholicæ Eccleſiæ probatiſſimos ritus argumentũ inde Caluinus deducere potuiſſet. Nam, ſi ea cæremonia præceſſiſſet immediatè Baptiſmum, fuiſſet præparatoria ad tale Sacramentum, ſicut de ea ſæpè antiqua Concilia & Patres tradiderunt [b], nõ verò ad Cõfirmationẽ, quæ nõ poteſt eſſe niſi poſt Baptiſmũ. Quòd ſi Baptiſmũ dicatur ea cæremonia ſubſecuta, potuiſſet pertinere ad Sacramentũ Cõfirmationis, ordinariè quidẽ ab Epiſcopo cõferẽdum; ſed ex diſpẽſatione Summi Pontificis in caſibus quibuſdã, etiã ab inferioribus Sacerdotibus: multò magis igitur ex Chriſti Domini diſpenſatione potuit fieri per Ananiã. Nam & alij omnes Apoſtoli ſine Epiſcopo in Pentecoſte priuilegio Chriſti confirmati ſunt, & in Paulo multa alia priuilegio extraordinario cõtigerunt. Quare nõ eſt id aliquibus viſum improbabile: & profectò dici poſſet, ſi aliquid plus haberet in ſacra Hiſtoria fundamenti. Huic ſimile eſt illud, in quo multò minorem, ac ferè nullam video probabilitatẽ, quod aliqui dicũt, Paulo fuiſſe poſt Baptiſmũ collatã ab Anania Euchariſtiam: quia ſic ait S. Lucas [c]: *Et cũ accepiſſet cibũ, cõfortatus eſt.* Et antiqua fuit Eccleſiæ cõſuetudo adultis poſt Baptiſmũ adminiſtrare Euchariſtiã. At cũ nõ ſciamus, nec liceat diuinare, fuiſſe aliquãdo à Deo diſpenſatum, vt Euchariſtiç Sacramẽtũ ſine Sacerdote cõficiatur, cibũ illũ, quo Paulus eſt confortatus, vulgarẽ fuiſſe, non ſacramentalẽ exiſtimamus. Qua de re bene S. Chryſoſtomus [d]: *Baptizatus*, inquit, *Paulus ſumpto cibo conualuit: quia infirmus factus erat, & ex itinere, & ex metu, & ex ieiunio, & ex triſtitia.* His in domo Iudæ peractis à Paulo receſſit Ananias.

a *Act. c. 9. v. 17.*

b *Concil. Carthag. 4. c. 85. Clement. lib. 7. Conſt. c. 19. S. Dion. de eccl. hierar. c. de Bap. S. Aug. de peccat. mer. & remiſ. c. 26. & alij.*

c *Act. c. 9. v. 19.*

d *Chryſ. hom. 20. in Acta.*

CAPVT X.

Conſtituitur Paulus à Chriſto Apoſtolus, & varia obtinet priuilegia.

Acturi opportunè hoc loco de Pauli Apoſtolatu, quatuor exponemus: primũ, quid nomine Apoſtoli intelligere propriè debeamus: deinde, fueritne Paulus hoc tẽpore, an verò, quod aliqui arbitrantur, poſt aliquot annos dignitate Apoſtolatus à Chriſto inſignitus: tertiò, cur antonomaſticè Apoſtolus nuncupetur: quartò, cur Apoſtolus præcipuè Gentiũ dictus ſit. In primis itaque nomen Apoſtoli à Græco verbo, ἀποστέλλω, quod eſt, mitto, fuiſſe deductũ, agnoſcunt omnes, quaſi diceretur, ab aliquo miſſus iuxta illud à Chriſto Domino dictum in Euãgelio [a]: *Non eſt Apoſtolus maior eo, qui miſit illum.* Sed non à quocunque, & quomodocũque aliquis mittatur, Apoſtolus propriè dici poteſt. Quare

a *Ioan c. 13. v. 16.*

b S. Hier. in c. 1. ep. ad Gal. v. 1. Quare S. Hieronymus[b] exponēs illa verba S. Pauli ab initio Epiſtolæ ad Galatas: *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem; ſed per* IESVM *Chriſtum, & Deum Patrē qui ſuſcitauit eum à mortuis.* diſtinguit quatuor genera eorū, qui mittuntur. Sunt enim, qui neque à Deo, neque ab Eccleſia, ſiue ab Eccleſiæ Prælatis mittūtur; ſed ipſi ſe ingerūt, & aſſumūt eccleſiaſticas functiones. Tales ſunt, de quibus per Ieremiā dicit Deus[c]: *Ipſi currebāt, & ego non mittebam eos.* & S. Paulus[d] monet Corinthios, vt ſibi valdè caueāt ab huiuſmodi perſonis. *Nam*, inquit, *pſeudoapoſtoli ſunt operarij ſubdoli, transfigurātes ſe in Apoſtolos Chriſti.* Et ad hāc claſſem, ait S. Hieronymus, potiſſimū Hæreticos pertinere, de quibus S. Paulus ibi loquebatur, qui aſſūpta ſibi vana ſpecie, & falſo nomine Apoſtolorū Chriſti, prauā doctrinam diſſeminabāt. Quare noſtri temporis Heretici, vt ſuas partes in hac re tueātur, aſſerunt, munus apoſtolicum conſiſtere tantùm in quadam poteſtate enunciandi, & exponēdi hominibus, quod in mandatis fuerit à Deo acceptum, id eſt, prædicandi pro ſuo arbitratu Euangelium. Sed, præterquàm quòd aliud eſt ex mandato Dei prædicare Euangelium, aliud ex ſe, vt ipſi faciunt illud deprauatè interpretari; multò plura, præter munus prædicandi Euangelium, in ſe continet dignitas apoſtolica, quæ non tam eſt nomen officij, & miniſterij, quàm gradus, & dignitatis, & quidem ſupremæ in Eccleſia, de qua in priore Epiſtola ad Corinthios dicitur[e]: *Poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores,* &c. vt magis infrà exponemus. Secunda igitur claſſis eorū, qui mittuntur, illi ſunt, qui ab hominibus quidem, nempe, ab Eccleſiæ Prælatis; ſed nō à Deo mittuntur, nēpe, indignè ad munera eccleſiaſtica per pecuniā, vel humanum fauorē promoti: *Quique*, inquit S. Hieronymus, *nō Dei iudicio, ſed redempto fauore ad ſacerdotia ſubrogātur.* Quare nec tales digni Apoſtolorum nomine inueniuntur. Tertia claſſis eſt eorū, qui à Deo verè mittuntur; non tamē immediatè, ſed per hominem, ſicut à Deo per Moyſem miſſus eſt Ioſuë, & per Eliam Eliſeus. Huius generis ſūt, qui à ſuis Prælatis dignè mittuntur ad Chriſti Euangelium prædicandum, & ſecundùm eccleſiaſticā diſciplinā alios dirigendos, aut gubernādos. Hi meritò viri apoſtolici dici poſſunt, quinetiā Apoſtoli; ſed cum aliquo addito reſtringente appellari ſolent. Ita Epaphroditus in Epiſtola ad Philippenſes[f], dicitur Apoſtolus Philippenſium, & S. Dionyſius Apoſtolus Galliarum, Maternus Germanorū, Bonifacius Anglorum, & Xauerius Indorum. Quarta claſſis eſt eorum, qui proximè à ſolo Deo mittuntur: & tales fuerunt duodecim Apoſtoli, de quibus dicitur in Euangelio[g]: *Vocauit* IESVS *diſcipulos ſuos, & elegit ex iis duodecim, quos & Apoſtolos nominauit, Petrum, Iacobum, Andream,* & reliquos, quibus adnumerandus eſt Paulus à Chriſto ipſo, quamuis poſt paſſionem, & à morte reſurrectionē vocatus, & Apoſtolus conſtitutus. Atque hi propriiſſimè Apoſtolorū nomine intelliguntur propter decē excellētias, quibus ſupra, tū antiqui, tum noui Teſtamēti Sanctos Chriſtus fecit, vt eminerēt, quas omnes facile eſt in Apoſtolo Paulo nunc agnoſcere. Prima eſt, quia, ſicut dicere inceperamus, ab ipſomet Chriſto vocati ſunt, eū corporaliter viderūt, audierūt, familiariter eū illo verſati ſūt, & quaſi Legati eius aliquere fuerunt. Quod magnæ eſſe faciēdū ipſe Dominus ſignificauit, cū ſuis Apoſtolis ita loqueretur[h]: *Beati oculi, qui vidēt quæ vos*

c Ierem. c. 23. v. 21.
d 2. Cor. c. 11. v. 13.
e 1. Cor. c. 12. v. 28.
f Philip. c. 2. v. 25.
g Luca c. 6. v. 13.
h Luca c. 10. v. 23.

vos videtis : dico enim vobis, quòd multi Prophetæ, & Reges voluerũt videre, quæ vos videtis, & nõ viderunt; & audire quæ vos auditis, & non audierunt. Quamuis autem Apoſtolus Paulus Chriſtum Dominum non viderit in corpore mortali; tamen vidit illũ, quod maioris fuit priuilegij, beata immortalitate, & ſumma gloria præditum. Vnde dicebat ad Corinthios ſcribens [l]: *Non ſum Apoſtolus? Nónne Chriſtum* IESVM *Dominum noſtrum vidi?* Quaſi dicere voluiſſet: Vtique ſum Apoſtolus, non minùs quàm alij: quia vidi Dominũ ſicut alij, aut meliori conditione quàm alij. Secunda excellentia Apoſtolorum fuit ampla facultas prædicandi Euangelium per orbem terrarum vniuerſum, docendi omnes gentes, fundandi vbique locorum Eccleſias, eáſque regendi. Quare id, quod in Pſalmo legimus [l]: *In omnẽ terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* dictũ de Apoſtolis S. Paulus [m] interpretatur: & Chriſtus ita illis mandauit, cùm eſſet in cœlum aſcenſurus [n]: *Euntes docete omnes gentes: & euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangeliũ omni creaturæ.* Tertia excellentia fuit eminẽtia quædam ſapientiæ, ac ſcientię rerum diuinarum, & myſteriorum fidei ſupra omnes, qui ante eos, vel poſteà extiterunt. Qua de re ſic ad Epheſios ſcribit S. Paulus [o]: *Secundùm diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis in omni ſapientia. Prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti: quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicuti nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius.* Quarta excellentia fuit donum omnium linguarum, quo poſſent communicatam à Domino ſapientiam faciliùs omnibus populis, & nationibus impertiri, tum loquendo propriis omnium

l 1. Cor. c. 9. v. 1.
l Pſ. 18. v. 5.
m Rom. c. 8. v. 18.
n Matth. c. vlt. v. 19. Marci c. vlt. v. 15.
o Epheſ. c. 1 v. 7. & c. 3. v. 4.

illorum linguis, vt apertè de ſe teſtatur Apoſtolus, ſic ad Corinthios ſcribens [p]: *Gratias ago Deo meo, quòd omnium veſtrûm lingua loquor.* tum etiam, quia loquentes lingua propria, ab omnibus aliis, quamuis eſſent longè diuerſarum linguarum, intelligebantur, ſicuti factum eſſe in die Pentecoſtes aliqui arbitrantur, poſtquàm ſuper Apoſtolos deſcendit Spiritus ſanctus. Quinta excellentia, poteſtas fuit edendi varia miracula in fidei, & prædicationis Euangelij commendationem. Quapropter, cùm Chriſtus Dominus duodecim Apoſtolos ſibi elegiſſet, ait S. Matthæus [q]: *Dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Vnde legimus, ſolam vmbram S. Petri [r] ſanaſſe ægrotos, & S. Pauli [s] ſemicinctia infirmis impoſita ſanitatem attuliſſe, & Dæmones ab obſeſſis corporibus expuliſſe. Qua de re ipſe ad Corinthios ſcribens, ait [t]: *Nihil minùs fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli: tametſi nihil ſum: ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſupra vos, in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus*, videlicet, miraculorum. His acceſſit ſexta excellentia propria Apoſtolorum, dandi fidelibus Spiritum ſanctum viſibili aliqua ſpecie, vel ſigno, per impoſitionem manuum ſuarum: ſicut legimus in Actis apoſtolicis, vbi de Petro, & Ioanne dicitur [u]: quòd cùm veniſſent in Samariam, & aliquos non pridem baptizatos inueniſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritum ſanctum; nondum enim in quenquam illorum venerat: *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Et inferiùs de Paulo narratur [x], quòd baptizatis cùm impoſuiſſet manus Paulus, *venit*

p 1. Cor. c. 14. v. 18.
q Matth. c. 10. v. 1.
r Act. c. 5. v. 15.
s ibid. c. 19. v. 12.
t 2. Cor. c. 12. v. 11.
u Act. c. 8. v. 15.
x ibid. c. 19. v. 6.

Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Septima fuit poteſtas clauium regni cœlorum, primùm S. Petro promiſſa illis verbis [y]: *Et tibi dabo claues regni cœlorum.* deinde aliis Apoſtolis ſimiliter promiſſa, quando nondum erant Sacerdotes [z]: *Amen, amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Et tandem poſt reſurrectionem ampliſſimè collata, cùm omnibus, abſente Thoma, apparuiſſet, dicens [a]: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Et tunc illis iam anteà in nocte vltimæ Cœnæ Sacerdotibus conſtitutis epiſcopalem quoque contulit dignitatem, & iuriſdictionem etiam epiſcopali ampliorem, hoc eſt, non certarum pro ſingulis epiſcopatibus Eccleſiarum; ſed omnium, quæ in mundo inueniuntur. Et quemadmodum abſens S. Thomas Apoſtolus ea epiſcopali dignitate, quando Chriſto placuit, nihilominùs eſt inſignitus: quia, vt ait S. Cyrillus [b], *totus decor apoſtolicæ dignitatis ex Chriſti benigna voluntate illi ſimiliter Apoſtolo debuit reſeruari.* ita etiam S. Paulus. Octaua excellētia Apoſtolatus, fuit perpetua quædam aſſiſtentia Spiritus ſancti in iis, quæ tradebant Apoſtoli Eccleſiæ Chriſti credenda, vel agenda circa Sacramenta, cæremonias, cōſuetudines, & ſimilia, vt eſſent veritatis, & honeſtatis infallibilis, hoc eſt, vt in eis neque falli poſſent Apoſtoli, neq; alios fallere. Hoc ſignificare videtur Chriſtus Dominus voluiſſe, cùm promittens illis Spiritū ſanctum, dixit [c]: *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia.* Et infrà: *Cùm* (inquit) *venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnē veritatem.* Qua de rę pro ſua parte loquens S. Paulus, non ex dubitatione, ſed ex modeſtia dixit, cùm dediſſet aliqua de virginitate conſilia [d]: *Puto, quòd & ego Spiritū Dei habeam.* Nona excellentia eſt, quia omnes poſt acceptum in die Pentecoſtes Spiritū ſanctum, fuerunt in gratia cōfirmati, vt, quātùm ſaltem ad peccata mortalia, redditi ſint quodammodo impeccabiles. Significare id Chriſtus Dominus videtur voluiſſe, cùm eis dixit [e]: *Ego rogabo Patrē, & aliam Paracletū dabit vobis, qui maneat vobiſcum in æternū.* Paulo verò donum huiuſmodi cōfirmationis in gratia intra triduū eius conuerſionis obueniſſe, anteà oſtendebamus [f]. Decima tandem excellentia ſita eſt in iudiciaria poteſtate, qua Apoſtoli præcipua quędam, & ſingulari ratione futuri ſunt Iudices omniū, tum reproborum, tum electorū, cùm Chriſtus Dominus in ſæculi cōſummatione ad vniuerſale iudiciū eſt venturus. Hoc eis ipſe Dominus in Euāgelio promiſit dicens [g]: *Amen, amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Addit S. Paulus, nō ſolùm homines, ſed etiam Angelos, videlicet, malos, qui fuerunt hominibus cauſa damnationis, fore iudicandos [h]. *Neſcitis,* inquit, *quoniā Angelos iudicabimus?* Satis igitur iam conſtat, Paulum ad gradū apoſtolicæ dignitatis, auctore Chriſto, promotū cum omnibus recenſitis ſuperiùs excellētiis, quas alij quoque Apoſtoli obtinuerūt, ſi tantùm Petri primatum ſupra alios excipiamus, de quo non eſt nobis hîc agendi locus. Sequitur iā ſecunda quæſtio examinanda, quando, nimirū, Apoſtoli officium, & dignitatem, vtrùm hoc, an alio tempore, Paulus ſit aſſecutus.

y *Matth. c.16.v.19.*
z *Matth. c.18.v.18.*
a *Ioan. c.20.v.21.*
b *S. Cyrill. l.12. in Ioan. c.57.*
c *Ioan. c.14.v.26. & c.16 v.13.*
d *1. Cor. cap.7.v.40.*
e *Ioan. c.14.v.16.*
f *lib.2.c.8.*
g *Matth. cap.19.v.28.*
h *1. Cor. c.6.v.3.*

Aliqui

Aliqui [i] tunc primùm fuiſſe adſcitum inter Apoſtolos Paulum cenſuerũt, cùm anno à ſua conuerſione circiter decimo Antiochiæ in Eccleſia moraretur, &, ſicut narratur in Actis apoſtolicis, *dixit Spiritus ſanctus* [l]*: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos. Tunc ieiunãtes, & orãtes, imponentéſque eis manus, dimiſerunt illos.* Circa quæ verba S. Ioan. Chryſoſtomus [m]: *Quid eſt*, ait: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam, in opus, ad quod aſſumpſi eos? In Apoſtolatum: ordinantur enim in Apoſtolatum, vt cum poteſtate prædicent.* Beda [n] ſimiliter in eiuſdem loci Cõmentario affirmat, tunc tẽporis Paulum, & Barnabam adeptos eſſe Apoſtolatum ad gentium magiſterium. Sed, cùm inter excellentias apoſtolicæ dignitatis ſuperius enumeratas ſeptima ſit ampliſſima quædam poteſtas clauiũ cum ordine ſacerdotali, & epiſcopali, de hac ordinatione Chryſoſtomus, & Beda ſunt intelligendi: nã ad Apoſtolatum ordinatio ſacramentalis nõ requiritur: nec oportuit, vt omnes illas excellentias Apoſtoli ſimul eodẽ tempore cõſequerentur. Vnde, cùm Chriſtus Dominus, ſicut refert in Euangelio S. Lucas [o], vocauit diſcipulos ſuos, & elegit ex eis duodecim, quos & Apoſtolos nominauit, Apoſtoli ab illo tempore conſtituti ſunt: Sacerdotes autẽ & Epiſcopi, non niſi poſt tres annos ſunt ordinati. Hac igitur ratione dubitandum non eſt, Paulum in ſua tã admirabili, & perfecta conuerſione Apoſtolũ à Chriſto Domino fuiſſe conſtitutum, & ipſius quodãmodo oraculo viuæ vocis talem declaratum. Cùm enim illi Dominus apparẽs exponeret propoſitum voluntatis ſuæ, ſic inter alia ei dixit [p]: *Ad hoc apparui tibi, vt conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum, quæ vidiſti: eripiens te de populo, & Gentibus, in quas nunc mitto te.* Græcè ἐξαποστέλλω, id eſt, Apoſtolum ex hac hora conſtituo te, & miniſtrum Euãgelij, ad prædicationem, & conuerſionem Gentium. Quod ſignificantiſſimis illis vocibus Ananiæ priùs manifeſtauerat, dicens [q]: *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum corã Gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël.* Quæ verba, ſicut anteà expendebamus, continent apoſtolici muneris perfectiſſimam circumſcriptionem: ad hæc ſignum, & quaſi characterem vitæ apoſtolicæ Chriſtus adiunxit, dicens: *Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eũ pro nomine meo pati.* Quod benè ſtatim expertus eſt, vbi primum Damaſci per Synagogas cœpit Chriſti diuinitatem prædicare, & acriter diſputando incredulos Iudæos redarguere, qui propterea ſæpè illum ad necem, quod infrà videbimus, quæſierunt. Quapropter, cùm aliquando longum catalogum eorum, quæ in Euangelij prædicatione paſſus fuerat, Corinthiis deſcripſiſſet [r], adiecit: *Nihil enim minus fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli*; nempe, in laboribus, ærumnis, periculis pro Euangelio toleratis: *tametſi nihil ſum: ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in multa patientia.* Addit alibi quatuor alia ſui apoſtolatus argumenta maxima, quæ illi à tempore conuerſionis, ſine longa dilatione conueniunt: primum, quòd à ſua prima vocatione per Chriſti gratiam talis fuerit profeſſionis: ita enim orditur ſuam ad Romanos Epiſtolam [s]: *Paulus, ſeruus* IESV *Chriſti, vocatus Apoſtolus*, id eſt, iuxta vim Græcæ locutionis, vocatus ad Apoſtolatum, & ex ipſa mea prima vocatione, ac nouæ vitæ inſtituto Apoſtolus conſtitutus gratia IESV Chriſti: *Per quem*, inquit, *habemus gratiam, & Apoſtolatũ* Secũdò,

[i] *Ind. ad Baron. ann. Chriſti 4.* Sequuntur quidam recẽtiores.
[l] *Act. c. 13. v. 2.*
[m] *Hom. 27. in Acta.*
[n] *Beda in c. 13. Act.*
[o] *Lucæ c. 6. v. 13.*
[p] *Act. c. 26. v. 16.*
[q] *ibid. c. 9. v. 15.*
[r] *2. Cor. c. 12. v. 11.*
[s] *Rom. c. 1. v. 1.*

quia dicit, ſe id muneris non habuiſſe ab hominibus, vel per hominem; ſed per Chriſtum à mortuis ſuſcitatum; hoc eſt, qui paulò antè, cùm à mortuis ſurrexiſſet, ac in cœlū aſcendiſſet, mihi prope Damaſcum apparuit, vt eſſem teſtis, ac nuncius reſurrectionis eius. Ideò ſuam ad Galatas Epiſtolam ſic orditur[t]: *Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem; ſed per* Iesvm *Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis.* Non igitur per impoſitionē manus, quæ facta eſt illi poſt tot annos Antiochiæ; ſed pridem anteà fuit Apoſtolus. Tertiò: nam inde arguit ſe eſſe Apoſtolum, ſicut erant alij, quia Chriſtum Dominum vidit, ſicut alij Apoſtoli anteà viderunt, & cum illo egit, & ab eo ad euangelizandum miſſus eſt: hoc autem fuit ſtatim in ſua conuerſione[u]: *Non ſum* (ait) *Apoſtolus? Nónne Chriſtum Dominum noſtrum vidi?* Quartò, addit ibidem indubitatum ſignum Apoſtolatus ſui, opus conuerſionis Gentiū per Euangelij prædicationem: vnde ſic arguit: *Nónne opus meum vos eſtis in Domino? Etſi aliis non ſum Apoſtolus; ſed tamen vobis ſum: nam ſignaculum Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino.* Cùm igitur ſtatim à ſua conuerſione inceperit exercere officium apoſtolicum conuerſionis Gentium, ab eo tempore, non tardiùs, obtinuit Apoſtolatum.

t Gal. c. 1. v. 1.

u 1. Cor. c. 9. v. 1. & 2.

Tertia ſequitur quæſtio breuiter explicanda, cur Apoſtoli nomē Paulo potiſſimùm, tanquā per antonomaſiam, tribuatur; ita vt audito tantùm nomine Apoſtoli, Paulus, nō alius, intelligatur. Duas huius rei attigit rationes S. Auguſtinus[x]: *Apoſtolus,* inquit, *cùm dicitur, ſi non exprimatur quis Apoſtolus, nō intelligitur niſi Paulus; quia pluribus eſt Epiſtolis notior, & plùs omnibus illis laborauit.* Prima igitur ratio eſt, profundiſſima eius ſapientia, præcipuè nobis tradita per Epiſtolas, quas ſcripſit plures, quàm vllus alius Auctor ſacrorum librorū. Nā ſimiliter, quando Philoſophū dicimus, Ariſtotelem intelligimus, propter doctrinę excellentiam, & multa, quæ ſcripſit in Philoſophia. Nec defuiſſe inter Ethnicos teſtatur S. Chryſoſtomus[y], qui diſceptarent, eſsétne Paulus præferēdus diuino, vt ipſi appellant, Platoni, cuius doctrinę ſublimitatē maximè admirantur. Quapropter S. Chryſoſt. vt teſtatur Auctor antiquus Vitæ ipſius[z], nūquā ſinebat Paulum ſibi è manibus elabi; ſed aſſiduè illum legebat, eiúſque ſapientiā habebat pro miraculo. Vnde in quadam homilia de laudibus Apoſtoli[a]: *Paulus,* inquit, *archetypus bonorum, cui omnem prædicationē, res orbis, myſteria cuncta, vniuersámque diſpenſationem Deus conceſſit. Ipſe tanquam cœlum habens iuſtitiæ Solem; ipſe mare ſapientiæ puriſſimum, & profundiſſimum.* Secūda ratio, cur nomine Apoſtoli Paulus potiſſimùm intelligatur, indicata ſuperiùs à S. Auguſtino, imò ab ipſomet S. Paulo, eſt: quia in euangelica prædicatione præ cęteris laborauit. Qua de re ſic ipſe ad Corinthios ſcribit[b]: *Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei: gratia autē Dei ſum id, quod ſum; & gratia eius in me vacua non fuit; ſed abundantiùs illis omnibus laboraui.* Hoc reſpiciens S. Hieronymus[c]: *Subitus calor,* inquit, *longum vincit teporem: Paulus Apoſtolus de perſecutione mutatus, nouiſſimus in ordine, primus in meritis eſt; quia, extremus licèt, plùs omnibus laborauit.* Tertia ratio habetur ex eodem S. Hieronymo[d]: Quia enim Apoſtolus dicitur miſſus, videlicet, à Deo ad prædicandum Euangelium; quantò Paulus, inſtigante Dæmone, ad enertendū Euāgelium vlteriùs progreſſus

eſt;

x S. Aug. l. 5. ad Bonif. c. 3. tom. 7.

y Chryſoſt. hom. 3. in 1. Ep. ad Corinth.

z Greg. Patriarcha Alexand. in Vita Chryſoſt.

a Chryſoſt. hom. 4. de laud. S. Pauli.

b 1. Cor. c. 15. v. 10.

c S. Hieron. in ep. ad Paulinam.

d Idem in cap. 5. Amos.

eſt; tantò debuit, inſpirante Deo, longiores, ac plures peregrinationes ſuſcipere, atque adeò frequentiores apoſtolicas miſſiones obire. *Paulus Apoſtolus*, inquit S.Hieronymus, *quaſi turbo violentus, & ſana tempeſtas, & tumentes maris gurgites, perſequebatur, & opprimere nitebatur Eccleſiam Dei. Qui vocatus à Domino, effuſus eſt ſuper faciem vniuerſæ terræ, vt prædicaret Euangelium de Ieroſolymis vſque ad Illyricum, & vſque ad Hiſpanias tenderet. Atque à mari rubro, imò ab Oceano vſque ad Oceanum curreret, imitans Dominum ſuum, & Solem iuſtitiæ, de quo legimus* [c]: *A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius. vt antè eum terra deficeret, quàm ſtudium prædicandi.* Quæ omnia ſuis digeſta locis, atque temporibus, fusè à nobis explicabuntur inferiùs.

c Pſ. 18. v.7.

Supereſt hic paucis exponendum quartum illud quæſitum, atque poſtremum, cur Paulus Apoſtolus præcipuè Doctor Gentium appelletur, ſicut ipſe non ſemel veritate cogente in ſuis Epiſtolis profitetur: ita enim ad Timotheum ſcribit [f]: *Poſitus ſum ego Prædicator & Apoſtolus: veritatem dico, non mentior, Doctor Gentium in fide, & veritate.* Et ad Galatas [g]: *Cùm vidiſſem*, inquit, *quòd creditum eſt mihi Euangelium præputij*, (hoc eſt, Gentilium,) *ſicut & Petro circunciſionis*, id eſt, Iudæorum: *qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circunciſionis, operatus eſt mihi inter gentes: & cùm cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, vt nos in Gentes; ipſi autem in circunciſionem*, videlicet, Apoſtolatus officio fungeremur. Neque verò ſignificare his verbis voluit S.Paulus, Petrum, Apoſtolum tantummodo fuiſſe Iudæorum, quaſi non fuerit vniuerſale totius Eccleſiæ caput à Chriſto vice ſui conſtitutum, vt recentiores Hæretici obloquuntur, & tanquam Papa tantùm fuerit Iudæorum, vt ſic detrahat Petri ſucceſſoribus: *Nam cunctis*, inquit S.Gregorius [h], *Euangelium ſcientibus liquet, quòd Sancto & omnium Apoſtolorum Principi Petro, totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt: ipſi quippe dicitur: Tibi dabo claues regni cælorum.* & propterea cathedram propriam Pontificiam, quam Antiochiæ primùm habuit, tranſtulit admonitu diuino ad vrbem Romam, vbi maximè gentilitas, & idololatria dominabatur, ibíque annis viginti quinque ad martyrium vſque permanſit. Neque ſignificare Paulus voluit, nihil ad ſe Iudæorum conuerſionem pertinuiſſe; cùm conſtet propterea præclaram illam Epiſtolam ad Hebræos dediſſe, & illis primùm Euangelium prædicare incepiſſe: vnde eis dicebat [i]: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed, quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem Gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.* Quæ verba de Chriſto prophetata ab Iſaia Paulus applicat ſibi, tanquam eius electo ad hoc opus inſtrumento, de quo dixerat Chriſtus Dominus Ananiæ [m]: *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram Gentibus.* Et ipſimet Paulo, vbi primùm illi apparuit, ſignificauit, ſe illum ad Gentes potiſſimùm conuertendas eſſe miſſurum. Et iterum ei apparens in templo [o]: *Exi*, inquit, *ex Ieruſalem: quoniam ego in nationes longè mittam te.* Atque hæc eſt ratio, cur Apoſtolus, & Doctor Gentium Paulus præ cæteris appelletur. Hanc rationem magis explicans S. Hieronymus [p], ait, Paulum minus gratum fuiſſe Iudæis propter zelum, quo illos confun

f 1.Tim. c.2.v.7.

g ad Galat. c.1. v.7.

h S.Gregor. epiſt. 32 lib.4.

i Act. c. 13.v.46.

k Iſai. c. 49.v.6

m Act. c. 9.v.15.

o ibid. c. 22.v.17.

p S.Hier. in c.1.ad Galatas.

confundebat; Petrus autem mitiùs cum illis agebat: quare ſic operas, non poteſtatem eſſe partitos, vt Petrus initio naſcentis Eccleſiæ Iudæis potiſſimùm euangelizaret: Paulus verò, iuxta Chriſti ordinationem, Gentium cõuerſioni maximè incumberet. Quod quàm benè Dei gratia ſucceſſerit, ſæpè in ſuis Epiſtolis ſignificat; præſertim in ea, quam ſcripſit ad Romanos, vbi capite decimoquinto plures adducit rationes & prophetias de Gentium conuerſione, quas per ipſum ex parte non modica impleri, diuina prouidentia ordinauerat [q]: *Audaciùs autem*, inquit, *ſcripſi vobis, Fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens: propter gratiam, quæ data eſt mihi à Deo; vt ſim miniſter Chriſti in Gentibus, ſanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto. Habeo igitur gloriam in Chriſto* IESV *ad Deum, ita vt ab Ieruſalem vſque ad Illyricum repleuerim Euangelium Chriſti.* Addit deinde, ſe profecturum in Hiſpaniam. Imò, ait Chryſoſtomus [r], *in tantum progreſſus eſt, vt vix triginta annorum ſpatio, Romanos, & Perſas, & Parthos, & Medos, & Indos, & Scythas, & Æthiopes, & Sauromatas, & Saracenos, & omne prorſus humanum genus ſub iugum mitteret veritatis.* Ita vt mirum non ſit, ſi Eccleſia in quadam oratione de S. Paulo ſic habeat [s]: *Deus, qui vniuerſum mundum B. Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti.* Id, qua ratione præſtiterit, libris ſequentibus enarrabitur.

q *Rom. c. 15. v. 15.*

r *hom. 4. de laud. S. Pauli.*

s *in Feſto conuerſ. S. Pauli, 25. Ian.*

LIBER

LIBER TERTIVS.

De primis S. Pauli excurſionibus, ad Euangelium Iudæis præcipuè annunciandum.

CAPVT I.

Paulus baptizatus ſtatim ingreditur Synagogas Damaſci, & ibi prædicat Chriſti diuinitatem.

NONDVM Paulus exceſſerat ætatis annum trigeſimumquartum; Chriſti autẽ erat annus trigeſimuſquintus, & Tiberij Imperatoris decimuſnonus, quãdo munus apoſtolicæ prædicationis tãto ardore animi exercere aggreſſus eſt, quanto priùs æſtu obcæcatæ mẽtis Eccleſiam Chriſti fuerat perſecutus. Itaque non diu conceptum ignem S. Spiritus potuit in corde ita continere, quin ad alios incendendos flamma peruaderet. Quieuit tamen tribus diebus in expectatione Baptiſmi, & vt Chriſti fideles, qui erant Damaſci propter perſecutionem valdè afflicti, conſolarentur [a]. *Et conſolatio iſta*, ait Chryſoſtomus, *compenſabat mœrorem, quem à morte Stephani conceperant.* Nec facile poteſt æſtimari, quanto gaudio fideles omnes triumpharent, & quas Deo gratias, & Saulo gratulationes exhiberent. *Et continuò in Synagogis*, ait S. Lucas [b], *prædicabat* IESVM, *quoniam hic eſt Filius Dei.* Nam, quemadmodũ Apoſtoli in die Pentecoſtes, cùm gratia S. Spiritus repleti, & veluti Sacramento confirmati cœleſti illo igne fuiſſent, ſtatim cœperunt Dei magnalia, cum omnium admiratione publicè referre, ita vt ebrij à populo putarentur; & ſimiliter S. Stephanus plenus Spiritu ſancto acerrimè pro euangelica veritate diſputabat; ita Paulus continuò debuit manifeſtare, quanto ſpiritu per Baptiſmum repletus, & quali gratia confirmatus exiſteret; ſiue Sacramentum Confirmationis ab Anania, Deo diſpenſante, ſuſceperit, quod ipſe Ananias ſignificare videtur, dicens [c]: *Dominus miſit me* IESVS, *vt implearis Spiritu ſancto.* & aliquibus, quos ſuprà retulimus, viſum fuit nõ improbabile; ſiue (quod eſt aliquantò veroſimilius) ſine alio miniſtro, & cęremonia Sacramẽti, ab ipſomet Chriſto mittente Spiritũ paracletũ, ſicut Apoſtolis in Pẽtecoſte, repletus ſit gratia eius ſancti Spiritus. Obtinuit præthereà cũ ea gratiæ plenitudine plures alias, quas vocãt gratias gratis datas, ab ipſo in Epiſtola ad Corinthios recenſitas, cùm ait [d]: *Vnicuique autẽ datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatẽ.* nẽpe, ſermo ſapiẽtiæ, ſermo ſciẽtiæ, fides in eodẽ Spiritu, gratia ſanitatũ, operatio virtutũ, prophetia, diſcretio ſpirituũ, genera linguarũ, & interpretatio ſermonũ. Hæc enim omnia ſingulos Apoſtolos in die Pente

a Chryſ. hom. 19. in Acta.

b Act. c. 9. v. 20.

c ibid. c. 9. v. 17.

d 1. Cor. c. 12. v. 7.

Pentecoſtes obtinuiſſe non dub.tamus, cùm eſſent fundamenta ill.. ſupernæ Ieruſalem, gemmis omnis generis conſtanria, & portæ cœli compactæ omni lapide pretioſo, quas vidit in ſua Apocalypſi S.Ioannes[e]:hoc eſt, Eccleſiæ totius Patriarchæ, Magiſtri primarij, & Doctores, ac Principes vniuerſales. Quare, quod ait S.Chryſoſtomus[f], Paulum prædicare incipientem nondum aſſecutum fuiſſe ſpiritum ſigna faciendi, vt ſic fides illius oſtenderetur; non ita eſt intelligendum, quaſi donum miraculorum ſimul inter alias gratias gratis datas non acceperit: ſed, quia hoc donum miracula faciendi potiùs in vſu conſiſtit, quàm in vllo habitu infuſo permanenti: nec adhuc miraculum aliquod Paulus operabatur, cùm ſatis multa in eo iā eſſent facta prodigia, imò magnum ipſe ſic à Deo immutatus erat miraculū. Non fuerat ab Anania de fidei noſtræ myſteriis inſtitutus, nondum egerat cum Apoſtolis, ſiue cum alio fidelium, vt erudiretur, non legerat illo triduo quidquam, vnde inſtrueretur: *Et ſtatim Doctor factus eſt in Synagogis*, ait Chryſoſtomus, *neque erubeſcebat mutationē, neque formidabat ea deſtruere, in quibus anteà clareſcebat.* Ingreditur itaque Synagogas, quæ plures erant Damaſci:& putāt viri eruditi[g], liberum vnicuique ibi dicere, ſi quid occurreret, vt apud nos in publicis diſputationibus diſputare. Alij tamen cenſent[h], non ſine facultate Principum Synagogæ, vel Archiſynagogi licuiſſe: nam propterea, cùm Paulus aliquando veniſſet Antiochiam, & alij cum illo, refert S.Lucas, miſiſſe Principes Synagogæ ad eos dicēres[i]: *Viri Fratres, ſi quis eſt inter vos ſermo exhortationis ad plebem, dicite.* Tunc ſurgens Paulus, & manu ſilentium indicens, ſuam habuit in Synagoga exhortationem. Sed, cùm Damaſci hoc tempore Paulū ad verba in Synagoga facienda fuiſſe inuitatum, aut aliam expreſſam ei factam eſſe dicendi facultatem non inueniamus, credere magis debemus, vſum illum iure ſuo, tanquam Phariſæum, legiſque peritum, quorum in docendo populum, & legem interpretādo magna erat auctoritas: vnde dicebat Chriſtus Dominus[k]. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: quæcunque dixerint vobis, facite.* Ad id præterea conciliabat Paulo auctoritatem nobilitas, & veniſſe Damaſcum aliqua cum poteſtate, litteris à Summo Pontifice, & Principibus Sacerdotum ad Synagogas Damaſci deſtinatum. Et quamuis conſilium ſuum per omnia mutauerat; id tamen vt innoteſceret, manifeſtari per concionem oportebat. Itaque Chriſti prædicare diuinitatem orſus eſt; tum, quia in hoc maximè cardo religionis vertebatur; tum etiam, quia huic potiſſimùm veritati à perfidis Iudæis eo tempore contradicebatur. Nam, cùm plurimi ipſorum humanam Chriſti naturā corporeis oculis fuiſſent intuiti, nec valerent intelligere, quomodo hæc poſſet in vnica, eadémque perſona cum natura diuina conuenire; inde communiter arguebant, Deum eſſe nullo modo poſſe, quem verum hominem anteà cōſpexiſſent, & quem mortalem fuiſſe non pridem nimis manifeſta experientia deprehendiſſent. Quinimò contrarium affirmare, blaſphemiam grauiſſimam, & morte puniendam exiſtimabant, propter quam aliquando cæco furore agitati lapidare Dominum Ieſum voluerunt, dicentes illi, vt refert in Euāgelio S.Ioannes[l]: *De blaſphemia lapidamus te; quia tu, homo cùm ſis, facis teipſum Deum. Propterea ergo*, inquit idē Euangeliſta[m],

e *Apoc. c. 21. v. 12.*

f *Chryſ. hom. 20. in Acta.*

g *Caiet. in cap. 9. A.tor. Maldon. in cap 4. Luc. Toles ibid.*

h *Lorinus Act. c.13. v. 15.*

i *Act. c. 13. v. 15.*

k *Matt. c. 23. v. 2.*

l *Ioann. c. 10. v. 33*

m *Ioan. c.5. v.18.*

magis

magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non ſolum ſoluebat Sabbathum; ſed etiam Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. Nec vnquam ceſſarunt, quouſque illum ob id morti adiudicatum,& crucis ſupplicio affectum viderunt. Caïpha enim interroganti [n], ſi verè Filius eſſet Dei vi- ui, cum Chriſtus modeſtè affirmaſſet, Caiphas ex rabie ſcidit veſtimenta ſua dicens: *Blaſphemauit, quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam. quid vobis videtur? At illi reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis.* Neque ſolum Phariſæi, & Iudæi illius temporis; ſed etiam recentiores Hebræi vſque ad hanc diē Chriſtum ſuū ſo[...] quem adhuc expectant venturum Meſſiā, purum hominem [...] neque alia re magis abhorrent à Chriſtiana religione, quod [...] doctior quidā inter ipſos valdè [...]erauit, quàm quia Chriſtum hominem ſimul eſſe Deū nos Chriſtiani [...], quaſi etiam inde plures Deos admittentes, contra illud toties [...] Scripturis repetitum [o]: *Vnus Deus, ipſe eſt ſolus, & non eſt alius præter eum.* Quod tamen nequaquam [...]ctum eſt ad excludenda Trinitatem [...] perſonarū in vna Deitate, [...] Deorū multitudinē, & falſa Numina Ethnicorū.

[...] Prophetarum teſtimonia [...] neceſſariā veritatē de Chriſti [...] S. Paulus [...], & con[...] expoſitum in Actis [...] aut alibi legemus: [...] nobis hac de re [...] ex [...], quæ ſcripta [...] in ſua Epiſtola ad [...] orditur à diuini[...] Prophetarū oracu[...] maximè autem teſtimoniis Prophetæ regij Dauidis. Idipſum ſimiliter præſtitit Chriſtus Dominus, cū congregatos circa ſe Phariſæos interrogauit aliquando [p], cuius filiū eſſe putarent expectatū ab ipſis Meſſiam; qui reſponderunt: *Dauidis.* tūc intulit Chriſtus: *Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum, dicēs* [q]*: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponā inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?* Ac ſi apertiùs dixiſſet: Vos, ô Iudæi, nō negatis, quod negare profectò non poteſtis, in eo Dauidico Pſalmo ſermonē eſſe de vero Meſſia, quem etiam filiū Dauidis, nempe, naſciturum ex eius proſapia benè affirmatis; ac proinde, quà homo eſt, inter illius minores, ſeu nepotes agnoſcitis: quomodo igitur Dauid, in ſpiritu, id eſt, prophetico ſpiritu repletus, Dominū illum ſuū appellauit? Certè aliquid de illo prænidit ſupra humanā conditionē, quem poſt tot ſæcula naſciturū; Dominum tamen tāto Regi ſuperiorē, & ſedentem ad dextrā Domini, Hebraicè, Iehoua, id eſt, Dei Patris, agnoſcit. Igitur, quia futurus erat, vt homo, filius Dauid, qui erat eius Dominus, vt filius Dei, eiuſdémque naturæ, ac maieſtatis cum Patre, ideò ſimul homo & Deus. Hac argumentatione Chriſti victi Phariſæi [r]: *Nemo,* inquit Euangeliſta, *poterat ei reſpōdere verbum, nec auſus fuit quiſquam ex illa die amplius interrogare.* Vnde etiam S. Petrus in prima ſua ad Iudæos concione, hoc ipſum vrgebat ex Dauide ſuæ [...] teſtimonium, dicēs [s]: *Propheta igitur cum eſſet Dauid, & ſciret, quia iureiurando iuraſſet illi Deus de fructu lumbi eius ſedere ſuper ſedē eius, prouidē locutus eſt: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſrael, quia & Dominum, & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis.*

n Matt. 26. v. 63.

o Deut. 6. v. 4. Marc. 12.

p Matt. c. 22. v. 41.

q Pſal. 109. v. 1.

r Matt. 22. v. 46.

s Act. c. 2. v. 30 & 34.

fixiſtis. Quapropter eſſe omnibus Angelis ſuperiorẽ atque adeò Deum hunc hominẽ Chriſtum S. Paulus in primo capite Epiſtolę ad Hebræos ex iiſdẽ propheticis verbis ſimiliter intulit, dicens [t]: *Ad quem autẽ Angelorũ dixit aliquando Deus. Sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos ſcabellũ pedum tuorũ? Nónne omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus?* Et ruſus inſtat ibidẽ ex alio Pſalmo [u]: *Cui enim*, inquit, *Angelorũ dixit aliquando: Filius meus es tu. ego hodie genui te?* Et iterum in alio Pſalmo [x] de Chriſto dicitur: *Adorent eum omnes Angeli eius.* Ex quibus Dauidis teſtimoniis firmiſſimè ſtatuit noſter Apoſtolus, præcipuum intentum ſuum in illius Epiſtolæ exordio: quòd multifariam olim Deus loquens in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus ſit nobis in Filio, qui eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portans omnia verbo virtutis ſuæ, ſedens ad dexteram maieſtatis in excelſis, hæres vniuerſorum, per quẽ fecit & ſæcula. Itaque huiuſmodi Pſalmorum oraculis iecisſe Paulũ fundamenta firmiſſima primæ huius prædicationis ſuæ, valdè eſt veriſimile. Nec fortaſſe prætermiſit pro eadẽ Chriſti diuinitate aſſerenda varia teſtimonia Iſaïæ in medium afferre, quia non deſunt plurima & præclariſſima, ſicut eſt illud [y]: *Ecce Deus noſter iſte, expectauimus eum, & ſaluabit nos.* Et in alio capite [z]: *Ecce Deus Saluator meus.* & infrà: *Mementote*, inquit, *quoniam excelſum eſt nomen eius.* & iterum apertè in alio capite [a]: *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi Princeps pacis*, hoc eſt, Meſſias, ait antiqua Chaldaica paraphraſis. Nec minùs apertum illud [b]: *Deus ipſe veniet, &*

t Hebr. c. 1. v. 13.
u Pſal. 2. v. 7.
x Pſ. 96. v. 8.
y Iſai. c. 25. v. 9.
z idem c. 12. v. 1. & 4.
a Iſai. c. 9. 2. 6.
b Iſai. c. 35. v. 4.

ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt; tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Quod totum plane in Chriſto eſt adimpletum: vt propterea cùm S. Ioannes ſuos ad illum diſcipulos aliquando miſiſſet, vt interrogarent [c]: *Tu es, qui venturus es*, nempe, Meſſias; *an alium expectamus?* nihil tulerint aliud pro reſponſo, niſi vt, iuxta Iſaïæ prophetiam, renunciarent Ioanni quia *Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, leproſi mundantur.* Huiuſmodi oracula Prophetarum Paulus, in eis verſatiſſimus, diuino interim igne ſuccenſus, dum concionando ardentiſſimè perurgeret. *Stupebant*, inquit S Lucas [d], *omnes, qui audiebant, & dicebant: Nónne hic eſt, qui expugnabat in Ieruſalem nomen iſtud? Non enim dicebant* IESVM, *præ inuidia*, ait S. Chryſoſtomus [e], *neque nomen audire ſuſtinebant, ita erant exaſperati: & nonne huc ad nos Damaſcum venerat paulò antè, vt inuocantes tale nomen vinctos duceret ad Principes Sacerdotum?* Mirabantur, non pridem idiotas, & ſimplices piſcatores, poſt acceptum Spiritum ſanctum, magnalia Dei ſumma cum ſapientia explicare: audiunt nunc, & vident non cum admiratione hominẽ in lege & Prophetis longo tempore, & multo ſtudio eruditũ, alia repente inſtructum ſapientia diſcutere, euertere, demonſtrare ex lege, quæ nunquam benè anteà potuerat in lege percipere. Mirabantur, Apoſtolos pro Chriſti nomine contumelias, verbera, & vincula non curare. Sed nunc alia maior admirandi præbetur occaſio, dum eũ vidẽt aperto ſui capitis diſcrimine in Synagogis ea conſtantiſſimè prædicare, pro quibus alios alligare, ad cuſtodias rapere, & neci tradere feſtinabat. Quamuis autem non ex-

c Matt. c. 11. v. 3.
d Act. c. 9. v. 21.
e Chryſ. hom. 2[illegible]. in Acta.

plicet

plicet nobis S.Lucas, fuerintne aliqui ex Iudaica perfidia tunc ad Euangelij veritatem Pauli exhortatione perducti; fuiſſe tamen plures indicat S. Chryſoſtomus [f], & eſt valdè veriſimile. Certè quia iam Chriſti fidem ſuſceperant, quales non pauci Damaſci ſub Ananiæ diſciplina inueniebantur, fuiſſe plurimùm in fide confirmatos, minimè dubitamus.

f Chryſ. hom. 19. in Acta.

CAPVT II.

Chriſtum crucifixum eſſe mundi Saluatorem, & expectatum Meſſiam, Paulus conuincit: quæritur ad necem clauſis portis ciuitatis; ſed per mœnia dimiſſus à periculo ſubducitur.

AD prima fidei Chriſtianæ fundamenta ſtabilienda non ſufficiebat euertere grauiſſimum errorem Iudæorum, tam malè de Chriſti diuinitate ſentientium; ſed oportebat præterea demonſtrare, verum hunc hominem, & verum Deum, promiſſum eſſe diuinis oraculis Meſſiam, nec alium pro ſalute mundi expectandum, & credendum, quàm qui iam aduenerat, & opus noſtræ redemptionis ſua morte compleuerat Chriſtus IESVS. Vnde ipſe in Euangelio dicebat [a]: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti IESVM Chriſtum.* In hoc igitur ſecundo non minus, quàm in primo fidei noſtræ dogmate declarando, & firmando Paulus debuit ſtrenuè contra incredulos decertare. Nam, ſicut primũ pro blaſphemia; ita hoc ſecundum pro ſcandalo à Iudæis, & pro ſtultitia ab Ethnicis habebatur, ipſo Paulo teſte, cùm ait [b]: *Prædicamus Chriſtum crucifixum; Iudæis quidem ſcandalum; Gentibus autem ſtultitiam.* Id qua ratione à Paulo peragеretur, S.Lucas paucis verbis expoſuit, dicens [c]: *Saulus autem multò magis cõualeſcebat, & confundebat Iudæos, qui erant Damaſci, affirmans, quoniam hic eſt Chriſtus.* Non ſimpliciter affirmans, ſed iuxta vim Græcæ vocis, συμβιβάζων [d], ex collatione, videlicet, diuinorum vaticiniorum probans atque confirmans: *Vtpote,* inquit Chryſoſtomus [e], *in lege edoctus, os illis obſtruebat, & non ſinebat loqui: liberati à Stephano putabant ſe liberatos ab huius rei diſputatione, & nunc alium inuenerunt Stephano potentiorem.* Ita Chryſoſtomus. Neque verò deerant, quocunque ſe Paulus verteret circa diuinas Scripturas, pro hac veritate firmiſſima oracula & vaticinia præclariſſima de aduentus Meſſiæ tempore, & loco natiuitatis, de gloria miraculorum, de vitæ inculpatæ ſanctiſſimis inſtitutis, de paſſione, morte, reſurrectione, & in cœlũ triumphali aſcẽſione. Quæ omnia cùm in vno, & ſolo Chriſto IESV eſſe adimpleta demonſtraret, ipſum omninò, & non alium eſſe verum Meſſiam neceſſariò conuincebat.

a Ioann. c. 17. v. 3.

b 1. Cor. c. 1. v. 23.

c Act. c. 9. v. 22.

d apud Budæum in Cõm. linguæ Græcæ.

e Chryſ. hom. 20. in Acta.

Nam, quod attinet ad tempus aduentus Meſſiæ, extat inſignis prophetia Patriarchæ Iacob [f]: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Et planè circa Chriſti tempora defecerat principatus Iudæorum, ſceptra Regum, & Ducum, quorum poſtremi fuerant Machabæi. Circa idem quoque tempus, hebdomadæ Danielis finiebantur, de quibus extat illuſtris illa in Daniele prophetia [g]: *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt cõſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & vngatur Sanctus Sanctorum;* id eſt,

f Gen. c. 49. v. 10.

g Dan. c. 9. v. 24.

Redemptor noſter, qui dictus eſt antonomaſtice Chriſtus, id eſt, vnctus. De loco natiuitatis tam eſt aperta Michææ prophetia, vt in aduentu Magorũ, Herode ſciſcitante[h], vbi Chriſtus naſceretur, quaſi de re omninò comperta Scribæ, & Sacerdotes Iudæorum ſine vlla hæſitatione reſponderent: *In Bethlehẽ Iudæ: ſic enim ſcriptum eſt per Prophetã: Et tu Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſraël.* De aduentu Magorum celeberrimo, ex quo turbatus eſt Herodes, & omnis Ieroſolyma cum illo, prophetauerat Dauid[k]: *Reges Arabum, & Saba dona adducent, & adorabunt eum.* & Iſaïas[l]: *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes; & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui:* nempe, ſtellæ, iuxta aliam clariſſimam Balaami prophetiam[m]: *Orietur ſtella ex Iacob.* Cuius vaticinij expectabant ipſi iampridem, & viderunt tandem aliquando impletionem. De Chriſti præcurſore prædixit Deus per Malachiam[n]: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Confirmauit hoc Iſaïas, dicens[o]: *Vox clamantis in deſerto. Parate viam Domino, rectas facite ſemitas eius.* Quod ſibi iure tribuebat S. Ioannes Baptiſta, tantæ apud Iudæos auctoritatis, vt miſſa ad ipſum legatione voluerint ab eo ſcire, an eſſet ipſe Chriſtus, id eſt, Meſſias[p]. *Et confeſſus eſt, & non negauit, quia non ſum ego Chriſtus. Sed ego,* inquit, *vox clamantis in deſerto.* Fuit autem Ioannes pluſquam Propheta, quia non tantùm voce, & à lõge; ſed etiam digito propè, & præſentem adeſſe Meſſiam demonſtrauit dicẽs: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Debuit Chriſtus Apoſtolos ad ſe conuocare, à quibus Euangelium populis prædicaretur; ita prædictum fuit à Dauide[q]: *Pro patribus tuis,* id eſt, Patriarchis, & aliis Prophetis, *nati ſunt tibi filij: conſtitues eos Principes ſuper omnem terram: propterea populi confitebuntur tibi.* De gloria miraculorum Chriſti illud Iſaïę peruulgatum ante retulimus[r]: *Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt; tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* De Chriſti paupertate, & de eius humili conuerſatione adeò clara eſt Zachariæ prophetia[s]: *Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & ſaluator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam.* vt Rabbinorũ doctiſſimi[t] aſſeuerent, impoſſibile videri, hanc prophetiam de alio exponere, quàm de Meſſia: ſed de Chriſti paſſione, ac morte pro redemptione generis humani, quia res dura nimis apparebat noſtræ credulitati, tã multa, & cum tot circũſtantiis Prophetæ prædixerunt, præſertim Iſaïas, vt non tã de re futura prophetare, quàm de præterita hiſtoriã texere videantur. Itaque notatur primum tẽpus a Daniele, cùm dicitur[u]: *Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus.* Proditio Iudæ, a Dauide in perſona Chriſti[y]: *Homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Venditio, apud Zachariam[z]: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Captio apud Ieremiam[a]: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris.* In quo teſtimonio legitur quidẽ, Chriſtus Dominus, iuxta ſeptuaginta Interpretes: ſed in Hebræo habetur, *Meſſiach Iehouah,* hoc eſt, Meſſias Deus[b]. Genus mortis in Pſalmo[c] Dauidis exprimitur in perſona Chriſti, dicentis: *Foderunt manus meas, & pedes meos.* & in eo: *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam*

miſerunt

h Matt. c. 2. v. 4.
k Pſ 71. v 10.
l Iſai. c. 60. v. 6.
m Num. c. 24. v. 17.
n Malachiæ c. 3. v. 1.
o Iſai. c. 40. v. 3.
p Ioann. c. 1. v. 20. 19. & 26.
q Pſal. 44. v. 17.
r Iſa. c. 35. v. 4.
s Zach. c. 9. v. 9.
t Rabb. Salomõ, & alii
u Dan. 9. v. 26.
y Pſ. 40. v. 10.
z Zach. 11. v. 12.
a Ierem. lam. c. 4. v 20.
b vt notauit Rabbi Samuel lib. de aduentu Meſſiæ, c. 7.
c Pſ. 21. v 18. 19.

miſ[illegible] ſortem. Quæ nullo modo p[illegible]ſunt Regi Dauid conuenire; ſed tant[illegible] Chriſto Redemptori, ſicut e[illegible]iam reliqua toto illo Pſalmo vigeſimoprimo de paſſione dominica prophetata. Sed nihil magis incredulo[illegible] Iudæos vſque hodie torquet, atque conſtringit, quàm Iſaïæ caput quinquageſimumtertium[d]: ibi enim exprimuntur flagella, iudicium iniquum, mors inter latrones, oratio pro crucifixoribus, ſepultura honorifica, & cauſa mortis, vtpote nobis maxime omnium conſideranda, idẽtidem repetitur, cùm dicitur: *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* & infra: *Poſuit Deus in eo iniquitates omnium noſtrùm.* & iterum infrà: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* & adhuc inferiùs: *Iniquitates eorum ipſe portabit, oblatus eſt, quia ipſe voluit.* De ſepulcro verò, deſcenſu ad Inferos, & à mortuis reſurrectione, potuit S. Paulus adduxiſſe, quod etiam S. Petrus in prima ſua ad Iudæos concione protulerat[e], & ipſe quoque S. Paulus attulit in alia ſimili adhortatione habita Antiochiæ[f], dum eſſet à Iudæis inuitatus, vt verba faceret in Synagoga, ex Pſalmo Dauidis, dicentis[g]: *Et caro mea requieſcet in ſpe: quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem: notas mihi feciſti vias vitæ.* Quæ quidem à Dauide in perſona Chriſti, non de ſeipſo dici poſſe vterque Apoſtolus, Petrus, & Paulus, in ſuis concionibus conuincebant ex eo maximè, quòd omnibus conſtaret corpus Dauidis mortui in ſepulcro computruiſſe, & in pulverem eſſe conuerſum. Denique de triumphali ad cœlum aſcenſione Saluatoris prophetauerat Michæas, dicens[h]: *Aſcendet pandens iter ante eos.* & Dauid[i]: *Pſallite Domino, pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem.* & in alio Pſalmo[k]: *Attollite portas, Principes, veſtras; & eleuamini, portæ æternales; & introibit Rex gloriæ.* Nec poſtremò debuit omittere, quod nec Prophetæ omiſerunt, futuram deſcribere Iudæorum cæcitatem, obſtinationem, reprobationẽ, & Gentium vocationem, ac illuminationem. Iſaïas[l]: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſraël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Ieremias[m]: *Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum: turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: populus autem me non cognouit.* & iterum alibi[n]: *Negauerunt Dominum, & dixerunt: Non eſt ipſe.* Daniel[o]: *Occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt.* Oſeas[p]: *Abiiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus.* Quare ſic Deus concludit per Iſaïam[q]: *Affer filios meos de longinquo: educ foras populum cæcum, & oculos habentem, ſurdum, & aures ei ſunt.* quia, nimirum, viderunt Iudæi propriis oculis Chriſtum Dominum, & viuam eius vocem audiuerunt; & agnoſcere tamen illum pro Meſſia noluerunt.

Talia Paulus dum ex diuinis oraculis in Synagogis Damaſci magno zelo & contentione prædicaret, & quaſi alter Stephanus Iudæorum duritiem vehementer incuſaret, quòd incircuncisis cordibus, & auribus, Spiritui ſancto reſiſterent, pertinaces nimiùm confundebantur. Quapropter ſicut de Stephano, ita de Paulo interimendo cogitare inceperunt, quando aliter nequibant retia vitare manifeſtiſſimæ veritatis, & firmiſſima Pauli argumẽta diſſoluere. Quare inquit S. Lucas[r]: *Cùm implerentur dies multi, conſilium fecerunt in vnum*

d [illegible]

e *Act. c.* 2. v. 25.

f *Act. c.* 13. v. 15.

g *Pſ.* 15. v. 10.

h [illegible] 2. v. 13.

i *Pſ.* 67. v. 34.

k *Pſ.* 23. *v.* 7.

l *Iſaias c.* 1. *v.* 3.

m *Ierem. c.* 8. *v.* 7.

n *Ier. c.* 5. *v.* 12.

o *Daniel. cap.* 9. *v.* 25.

p *Oſeas c.* 9. *v.* 17.

q *Iſai. c.* 43. *v.* 6. & 8.

r *Act.* 9. *v.* 23. & 24.

Iudæi, vt eum interficerent. Nota autem facta ſunt Saulo inſidiæ eorum. Cuſtodiebant autem portas die, ac nocte, vt eum interficerent. Circa quæ ſacræ Hiſtoriæ verba, illud in primis eſt obſeruandum, quod dicitur, cùm multi dies implerétur, Iudæos iniuiſſe de Paulo interficiendo conſilium: nam, quia quot fuerint illi dies, non exprimitur; ſed tantùm multi dicuntur fuiſſe; liberum Auctoribus videtur eſſe relictum de huius temporis longitudine diuerſa opinari. Vnde factum eſt, vt plures horum verborum Interpretes non hebdomadarum tantummodo, aut aliquot menſium, ſed annorum trium illud ſpatium temporis fuiſſe arbitrarentur. Id quibus rationibus ſibi perſuaſerint, & quàm parum ſit veriſimile, pluribus erit in ſequenti capite declarandum. Nunc ſatis fuerit hoc aduertere, quod attinet ad tempus, quo Paulus cœpit Iudæis prædicare Chriſti diuinitatem, & quòd verus Meſſias aduenisſet, dubitari non poſſe illud fuiſſe ſtatim poſt Baptiſmum, paucis elapſis ab eius conuerſione diebus, cùm apertè dicat S. Lucas [s], baptizatum ab Anania Paulum *per dies aliquot fuiſſe cum diſcipulis*, nempe, Chriſti fidelibus, Damaſci; *& continuò in Synagogis prædicaſſe, quoniam* IESVS *eſt Filius Dei.* Atque inde orta eſt magna illa audientium admiratio, ac dicentium: *Nónne hic eſt, qui expugnabat in Ieruſalem eos, qui inuocabant nomen iſtud?* Paulus autem multò magis inualeſcebat, & Iudæos, qui Damaſci habitabant, confundebat, affirmans, & multis Prophetarum teſtimoniis confirmans; quoniam IESVS eſt Chriſtus, id eſt, promiſſus & expectatus Meſſias. Quæ cùm ita ſe haberent, opinari dilatum eſſe conſilium de Paulo interficiendo, vſque ad tres annos, neque ſimplex huius Hiſtoriæ narratio patitur, neque rerum mutua connexio, neque indignatio, & furor Iudæorum, quibus multum fuit non egiſſe tumultuariè, & impetu facto repentè Paulũ, ſicut Stephanum, lapidibus obruiſſe. Tamen aliquis relictus eſt conſilio, & deliberationi locus, eò quòd ageretur de capite Pauli, nempe, viri non qualiſcunque, ſed genere nobilis, profeſſione Phariſæi, ciuis Romani, qui nuper cum poteſtate, & comitatu Ieroſolyma Damaſcum à Principibus Sacerdotũ fuerat delegatus. Vnde fortaſſis expedire iudicarunt, miſſis literis Ieroſolymam ad Summum Pontificem, & templi Ieroſolymitani Magiſtratus, reddere illos de tam inexpectata Sauli mutatione certiores: aut, quod etiam facile credi poteſt, ipſi per ſe Iudæi Damaſceni conficere negotium cogitabant, eò quòd nondum illis bene conſtaret de Pauli poteſtate, cum qua obtentis literis à Principe Sacerdotum Ieroſolyma Damaſcum mittebatur; eas enim literas, inſtrumenta iniquitatis, Paulus vel abiecerat; vel, ſi ſeruauerat, & protulerat, non id fecit ad ſuam poteſtatem contra Eccleſiam Chriſti oſtentandam; ſed ad propriam temeritatem accuſandam, cæcitatem mẽtis, atque animi præcipitem impietatem redarguendam. Sed, quia ne ipſis quidem Principibus Sacerdotũ, Sũmóque Pontifici Ieroſolymis habere tantùm iuris à poteſtate ſæculari permittebatur, vt cauſas ſanguinis iudicarent, & capitalia ſupplicia decernerent: ideò neceſſe fuit apud Gubernatorem Damaſcenæ ciuitatis accuſationem contra Paulum deponere. Erat autem in ea gubernatione Aretæ Regis Arabum Ethnarchus quidam, ſiue Satrapa, quem S. Paulus appellat Præpoſitum gentis

[s] *Act. c. 9. v. 19.*

be Aretæ, ſic ea de re ad Corinthios ſcribens [t]: *Deus, & Pater Domini noſtri* IESV *Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula, ſcit, quòd non mentior. Damaſci Præpoſitus gentis Aretæ Regis cuſtodiebat ciuitatem Damaſcenorum, vt me comprehenderet, & per feneſtram in ſporta demiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius.*

u Baron. an. 17 & 19. Cornel. in ep. 2. ad Cor. cap. 11. [illegible] in c. 9. Act. v. 24 & [illegible] in interpr.

Per id tempus, dicunt aliqui[u], Aretam Regem, qui Herodis Antipæ, interfectoris S. Ioannis Baptiſtæ, ſocer fuit, ingentem cladem exercitui Herodis intuliſſe, propter filiam, quam ipſi Herodi vxorem dederat, repudiatam, vt duceret Herodiadem. Atque inde factum, vt Herodes contra Aretam incitaret Tiberium Cæſarem, qui miſit Vitellium Syriæ Præſidem, vt Aretam, vel caperet, vel occideret. Cùm ergo Damaſcus eſſet primaria ciuitas Regis Aretæ, ac totius Arabici regni caput, ad cuius perniciem aliquot Romanæ legiones feſtinabant ſub Vitellio Duce, mirum non eſſe, ſi portæ ciuitatis diu, noctúque firmis præſidiis cuſtodiebatur. Hinc etiam facile fuiſſe Præfecto vrbis Paulum ſuſpectum reddere, vt ciuem Romanum per ſpeciem noui Euangelij turbas mouentem, & populum à Gentiliſmo ac Iudaïſmo, atque adeò ab Aretæ fide auertentem: fore etiam vt, niſi obuiam iretur, Damaſcum Romanis proderet. Hæc tamen, ſi recta temporum ratio ineatur, ſtare per omnia non poſſe inueniemus. Nam, quamuis hoc tempore inter Reges, Aretam, & Herodem, odia, & inimicitiæ ob repudiatam ab Herode, filiam Aretæ, interuenirent, nondum tamen, vt ex Ioſepho Hiſtorico [y] colligitur, in apertum bellum eruperant: ſiquidem annorum numero ſubducto, ſicut non ſemel anteà obſeruauimus [z], Vitellius contra Aretam bellum Arabicum non ſuſcepit, niſi circa annum Tiberij Cæſaris vigeſimumſecundum: hæc autem Paulo Damaſci contigerunt anno Tiberij decimonono. Vnde agens ipſe Paulus hac de re in Epiſtola poſteriore ad Corinthios, cum iuramento affirmauit, cuſtodiam Damaſcenæ ciuitatis non propter externum hoſtem, aut imminentis belli timorem, ſed propter ipſum ab vrbis Præfecto fuiſſe adhibitam illis diebus [a]: *Deus*, inquit, *& Pater Domini noſtri* IESV *Chriſti ſcit, quia non mentior: Damaſci Præpoſitus gentis Aretæ Regis cuſtodiebat ciuitatem Damaſcenorum, vt me cōprehenderet.* & S. Lucas [b]: *Cuſtodiebant*, inquit, *portas die, ac nocte, vt Paulum interficerent.* ex quo etiã intelligimus, cuſtodes illos à Præfecto ciuitatis per portas, non niſi inſtigantibus Iudæis, fuiſſe diſpoſitos, & inter Gētiles milites Iudæos fortè aliquot Paulo inſidiantes fuiſſe permixtos. Quare nec erat tutum ex aperta murorũ ſummitate, licet per noctem, extra mœnia demitti: ſed per feneſtram domus adiacentis muro ciuitatis ſporta incluſus, quaſi aliquod mercimonium, deorſum oportuit mitteretur, *Vt ita res magis ſuſpicione careret*, ait S. Ioannes Chryſoſtomus [c]. *Et veriſimile eſt*, inquit, *Paulum nondum voluiſſe Damaſco proficiſci, multis licèt de periculo admonentibus* Ceſſit tamen victus precibus diſcipulorum, & ad meliora ſe reſeruans, permiſit hoc officium erga ſe ch[illegible]itatis diſcipulis ſuis: *Etenim*, addit idem Auctor, *diſcipulos ibi iam habebat.* Sed, cum verba S. Lucæ id referentis ſint hæc [d]: *Accipientes autem eum diſcipuli nocte, per murum dimiſerunt eum.* Quidam putant [e], illos Pauli non potuiſſe eſſe diſcipulos; non enim eos tam breui tempore congregaſſet: ſed

y [illegible]

z Tib. 1. cap. 2. & hoc lib. 3. cap. 1.

a 2. Cor. cap. 11. v. 31.

b Act. c. 9. v. 24.

c Chryſoſt. hom. 20. in Acta.

d Act. c. 9. v. 25.

e Gloſſa, Hugo, & alij in Acta.

ſed diſcipulos communi vocabulo intelligendos eſſe fideles; nondum enim Chriſtiani appellabantur. Nihilominùs tamen credibile eſt, fuiſſe illos Apoſtoli per dies aliquot aſſiduos auditores, eiúſque admiratos cœleſtem ſapientiam, tanquam magiſtro à Deo miſſo iam adhæſiſſe: ac proinde Pauli eſſe diſcipulos, vt Chryſoſtomo viſum eſt, aliqua ratione dici potuiſſe. Cæterùm iam Paulus incipiebat id experiri, quod Chriſtus Dominus Ananiæ de illo ſignificauerat, dicens[f]: *Ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Et ipſe Apoſtolus ad Timotheum ſcribens[g]: *Quales*, inquit, *perſecutiones ſuſtinui? Et de his omnibus eripuit me Dominus: & omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutiones patientur.*

f *Act. c. 9. v. 16.*

g *2. ad Tim. c. 3. v. 11.*

CAPVT III.

Damaſco primùm relicta in Arabiam proficiſcitur.

NVllam S. Lucas in Actis apoſtolicis de hac Pauli profectione in Arabiam facit mentionem: ſed narrato eius Baptiſmo, prædicatione, graui contra illum excitata perſecutione, ex qua relinquere Damaſcum eſt compulſus, ſtatim ſubdit[a], veniſſe ipſum Ieroſolymam, ibique tentaſſe diſcipulis ſe adiungere, qui omnes illum refugiebant, non credentes eſſe Chriſti diſcipulum. Quapropter multi ſacræ Scripturæ Interpretes dubitarunt, an Paulus venerit Ieroſolymam, antequàm in Arabiam proficiſceretur; de hac enim profectione, quâlocunque fuerit, dubitari non poteſt. Id cùm ita factum ex cõtextu S. Lucæ colligi videatur; tamẽ aliter accidiſſe ipſe S. Paulus teſtatur, dum ſic ad Galatas de ſe ſcribit[b]: *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret Filium ſuum in me, vt euangelizarem illum in Gentibus, cõtinuò non acquieui carni & ſanguini, neque veni Ieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos; ſed abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum. Deinde poſt annos tres veni Ieroſolymam videre Petrum.* Non igitur ſtatim poſt ſuam ad Chriſtum vocationem, & conuerſionem profectus eſt Damaſco Ieroſolymam. Viderunt hanc perplexam difficultatem SS. Patres, Chryſoſtomus[c], & Hieronymus[d]: ille Acta Apoſtolorum exponens; hic autem Epiſtolam ad Galatas; atque ita reſpondẽt; Paulum fortaſſe ſtatim poſt conuerſionem iuiſſe Ieroſolymam; non tamen ad Apoſtolos, ſiue vt Petrum videret, aut Euangelium cum illo conferret: hoc enim ipſe negat, & non aliud, cùm ad Galatas ſcribit. Sed neque huic reſponſioni prædicti Patres acquieuerunt, & meritò: tum, quòd apertè ſatis & abſolutè negauerit Apoſtolus, iuiſſe ſe poſt ſuam ſtatim conuerſionem in Ieruſalem, & priùs ſe iuiſſe in Arabiam affirmauerit: tum, quia cùm in Actis apoſtolicis nullam fecerit S. Lucas de peregrinatione Pauli in Arabiam mentionem, etiamſi profectum illum dicat Ieroſolymam, anténe, an poſt Arabicam peregrinationem eò profectus ſit, neutrum concludit: tum denique, quia non apparet, cur ſtatim à ſua conuerſione Damaſco rediens Ieroſolymam, vnde ſpirans minarum & cędis paulò ante diſceſſerat. Quod enim aliqui dicunt, fugæ neceſſitate fuiſſe compulſum, vt eam, quam Damaſci patiebatur perſecutionem declinaret, Ieroſolymam ſe conferre: haud apparet veroſimile: fuiſſet enim hoc

a *Act. c. 9. v. 26.*

b *Gal. c. 1. v. 15.*

c *Chryſoſt. hom. 21. in Act.*

d *Hier. in c. 1. Ep. ad Galatas.*

hæc in maiora, & apertiora pericula ſe coniicere: nam Ieroſolymæ grauior erat perſecutio Chriſtianorum, poteſtas Iudaïci Magiſtratus, & auctoritas Pontificum maior, Saulus ibi multò magis, quàm Damaſci notus. Ergo demiſſus noctu per ſportam è mœnibus Damaſcenæ ciuitatis, iter Arabiam versùs ſuſcipere tutius iudicauit: nam Iudææ fines inde tranſgreſſus longe, latéque per eam Gentilium regionem excurrere ſecurè illi concedebatur. Eſt enim triplex Arabia vna alteri contermina: prima, cui Damaſcus adiacet, Petræa appellata, vel etiam Sabathæa, quæ reſpicit ab occaſū Syriam, à ſeptentrione Iudæam, a meridie Arabicum ſinum, ab oriente aliam Arabiam deſertam appellatam: ſecunda verò hæc Arabia dicta deſerta ob vaſtiſſimas ſolitudines, & à Strabone [e] Scenitis vocata, propter tabernacula, in quibus vaga illa gens habitat; habet ab occaſu Petræam, & ſinum Perſicum, à meridie Arabiam Felicem, à ſeptentrione fluuium Euphratem, ab oriente verò Babyloniam: tertia, Arabia Felix appellata, habet à ſeptentrione Petræam, & deſertam, ab occidente ſinum Arabicum, à meridie rubrum mare, & ſinum Perſicum ab oriente. Quare non eſt, quòd hic aliquis opponat, videri Paulum minùs benè ſuæ vitæ conſuluiſſe, Arabiam peragrando, dum ad necem quæreretur à Præfecto Regis Aretæ, qui Arabiæ dominabatur: non enim id Præfectus mandato regio faciebat; ſed inſtigantibus Iudæis, qui erant Damaſci. Deinde, neque ſi regium vrſiſſet edictum, Paulus nuſquam locorum eſſe tutus per Arabiam potuiſſet: nam Aretas vniuerſæ illi regioni non dominabatur. Quòd ſi vlterius peruestigare voluerimus, vſquequò per ea loca Paulus extenderit peregrinationem ſuam, nihil quidem certi habemus hac de re affirmare, niſi quòd ipſe in Epiſtola ad Galatas [f] ſcriptum reliquit, Damaſco ſe ſtatim à conuerſione ſua diſceſſiſſe, Deo vocante *per gratiam ſuam, vt,* inquit, *reuelaret Filium ſuum in me:* id eſt, mihi primùm in anima mea, & corde meo: deinde, vt *euangelizarem illum Gentibus.* Cœperat enim Damaſci euangelizare Iudæis: ſed veritati nimis peruicaciter reſiſtebant; *Ideo continuo non acquieui carni & ſanguini.* Quaſi diceret: Non adhibui in conſilium conſanguineos, non conciues, non amicos, aut quenquam mortalium, ſentiens in me, quia ſatis à ſolo Spiritu Dei agebar, à Chriſto mouebar, & inſtruebar. *Neque veni Ieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos;* qui, etiamſi ante me vocati ad Apoſtolatum à Chriſto fuerint; tamen ego quoque ab ipſomet Chriſto vocatus ſum. Vnde non putaui neceſſarium ire ſtatim Ieroſolymam, ac illis me ſiſtere: *Sed abij,* inquit, *in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum: deinde poſt annos tres veni Ieroſolymam videre Petrum.* Ex quibus verbis liceat nobis, quando hic certius nihil conſtat, ire per aliquot haud improbabiles coniecturas.

In primis itaque credibile eſt, non eo tantùm conſilio Paulum ire in Arabiam voluiſſe, vt Iudæorum inſidias, & vitæ pericula declinaret; verùm etiam, vt per eius regionis latam eremum, amplas illius ſolitudines, & vaſtiſſima deſerta liberiùs ſibi vacaret, ac Deo, commiſſa ætatis ſuperioris nocturno, diurnoque fletu expiaret, varijs modis caſtigans corpus ſuum, & in ſeruitutem redigens: vt ea ratione in obſequio Chri-

[e] Strabo lib. 16.

[f] Gal c.1. v.15.

ſti ſecundùm primitias Spiritus peregeret tyrocinium ſuum. Deinde experiri etiam fortaſſe voluit, an inter Gentiles illo initio commodiùs ſementem faceret Euangelij, quando cum Iudæis adeò tunc exaſperatis non bene prædicatio ſuccedebat: vt vel ſic Dei conſilium per Ieremiam [g], & iterum per Oſeam [h], euangelizantibus traditum exequeretur: *Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Sed & Chriſtus Dominus ei prædixerat [i], ad Gentes ſtatim illum ſe eſſe miſſurum. Vnde non paucos per ipſum in Arabia fuiſſe ad Chriſti fidem inductos teſtatur in caput primum Epiſtolæ ad Galatas S. Ioannes Chryſoſtomus: idque de zelo tanti Apoſtoli, ac Prædicatoris Gentium facilè credi poteſt. Præterea, vt eſſet à Damaſcenorum, aliorúmque Iudæorum perſecutione remotior, relicta ad ſeptentrionem Damaſco, & Ieroſolyma ad occaſum, peregrinando versùs orientem, intrare primùm debuit Arabiam Petræam, à Petra, vrbe primaria, & illius Moabitidis regionis metropoli, vt ait Strabo[k], ſic appellatam, quam Petram deſerti vocauit Iſaïas, dum de Meſſia originem aliquam inde habituro illis verbis vaticinaretur [l]: *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de Petra deſerti ad montem filiæ Sion.* Quia, nimirum, ex illa ciuitate extitit Ruth Moabitis, quę inſerta populo Iſraëlitico ex viro Booz genuit Obed; Obed autem genuit Ieſſe; & Ieſſe genuit Regem Dauidem Chriſti Meſſiæ progenitorem, vnde Agnus naſceretur, qui Ieroſolymis paulò antè immolatus tollere debuit totius mundi peccatum. Quæ ſecum inter alia Paulum recogitaſſe in ea ſolitudine, vbi Deus [m] loquebatur ad cor eius, piè admodum credi poteſt. Inde vlteriùs progreſſus, & Arabiam deſertam prætergreſſus ad Felicem, quæ etiam Saba dicitur, fortè peruenit: vnde Regina Saba, ſicut Regum narrat Hiſtoria [n], audita fama Salomonis in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus, & ingreſſa Ieruſalem multo cum comitatu, & diuitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretioſas, venit ad Regem Salomonem. In eo tamen hæc Regina fuit decepta: quia, cùm ex illa Dauidis prophetia [o]: *Reges Arabum & Saba dona adducent.* & altera Iſaïæ [p]: *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* venturi eſſent ab illa regione tres Magi Reges ad incunabula Saluatoris adoranda, eſſet quoque vulgatum, & celebre oraculum Prophetæ Balaam[q], per Arabiam orientalem de ſupremo omnium Rege in Iudæa naſcituro, cui etiam ſtellæ famularentur; Regina Saba audita fama ſapientiſſimi Regis Salomonis, putauit eum eſſe Meſſiam tot oraculis à Deo promiſſum, & muneribus thuriferæ illius regionis colendum atque adorandū: cùm ipſe non eſſet niſi typus, & figura Chriſti venturi. Sed nec procul aberant tres Magi Reges, qui ante annos triginta quatuor, non ancipitem famam ſecuti, ſed lucidiſſimam ſtellam, ad Chriſtum infantē in præſepio adorandum cum muneribus auri, myrrhæ, & thuris, quibus abundat illa regio, aduenerant. Et fortè adhuc aliqui eorum, aut etiā omnes tres erant ſuperſtites, præſertim ſi verum eſſet, quod in quadā homilia Chryſoſtomo adſcripta [r] tradit Auctor operis imperfecti, S. Thomam Apoſtolū tres illos Magos baptiſmo initiaſſe, ac ſocios prædicationis ſecū duxiſſe: cùm enim hoc Pauli anno, iuxta multorum opinionē, Apoſtoli

non

g *Ier. c. 4. v. 3.*

h *Oſeas c. 10. v. 12.*

i *Act. c. 26. v. 17.*

k *Strabo lib. 16.*

l *Iſai. c. 16. v. 1.*

m *Oſeas c. 2. v. 14.*

n *3. Reg. c. 10. v. 1.*

o *Pſ. 71. v. 10.*

p *Iſai. c. 60. v. 6.*

q *Num. c. 24. v. 17.*

r *Auctor imperf. in Matt. hom. 2.*

nondum eſſent in varias mũdi partes ad prædicandũ Euãgelium diſtributi; non adhuc poterat S. Thomas per illas regiones abducendo ſecum illos Reges eo tempore tranſiuiſſe: ſed & eſſe ipſos in Arabiam Felicem reuerſos, ibique martyrium ſubiiſſe legimus in antiquo Chronico Lucij Dextri circa annum Domini ſeptuageſimum. Veniſſe autem eos ad Chriſti præſepe ex Arabia Felice, ſententia eſt Patrum probabilior, vt Cardinalis Baronius obſeruauit[s]; quos etiam, ſicut Reginam Sabam, originem duxiſſe à filiis Cæturæ, vxoris Abrahæ, incolis illius regionis, confirmat idẽ Auctor optimis argumentis, eóſque Reges quidem fuiſſe, tamen vſitato diuinæ Scripturæ loquendi morbo, quæ cuiuſque oppidi Dominum, Regem appellare conſueuit. Ex quibus valdè redditur veriſimile, quod aliqui coniiciunt, Paulum in hac ſua peregrinatione, vſque ad Arabiam Felicem peruenire voluiſſe, non tam vt ab inſidiis, & perſecutione Iudæorũ lõgiùs abeſſet, quàm vt ſanctos hoſce Dynaſtas inuiſeret, à quibus multa cognoſcere poterat de infantia Saluatoris, tanquam à teſtibus oculatis, & ipſe viciſſim de triumphali Chriſti Domini reſurrectione præclariſſimũ reddere teſtimonium, referens quomodo illi apparuerit in via Damaſci, Sole meridiano ſplendidior, dum illum cæco furore perſequeretur. Atque ita demum deſiderata illa ſpirituali conſolatione perfrui, quam in re ſimili tantoperè ſe optare, & inſtanter in ſuis orationibus à Deo poſtulare ad Romanos aliquando ſcripſit his verbis[u]: *Teſtis eſt mihi Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo in Euangelio Filij eius, quòd ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis, obſecrans, ſi quomodo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Deſidero enim videre vos: vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis, ad confirmandos vos: id eſt, ſimul conſolari in vobis per eam, quæ inuicem eſt, fidem veſtram, atque meam.* Quapropter, ſi de tempore agatur à Paulo inſumpto in hoc toto itinere, & mora per tres Arabiæ regiones, credibile videtur, bonam fuiſſe partem illius triennij, de quo ipſe ſcripſit ad Galatas, dicens[y]: *Abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum: deinde poſt annos tres veni Ieroſolymam.* Ita vt hoc triennium non ſit computandum à reditu Damaſcum, quaſi per tres annos Damaſci commoratus ſit, vbi ex Arabia rediiſſet: id enim minùs eſt veriſimile; ſed triennium computandum eſt à tempore ſuæ conuerſionis: ac ſi dixiſſet, vt habetur ex Actis apoſtolicis[z]: Poſt meam ad Chriſtum conuerſionem baptizatus, fui cũ diſcipulis, qui erant Damaſci, per aliquot dies, & cœpi Chriſtum prædicare in Synagogis: cùm autem dies multi complerentur in prædicatione mea, Iudæi, hoſtes euangelicæ veritatis, per vrbis Præfectum vitæ meæ inſidiabãtur: vnde coactus ſum longam ſuſcipere peregrinationem, vſque ad Arabiam orientalem, atque inde non niſi poſt multum temporis Damaſcum reuerſus ſum; & tandem cùm eundo, manendo, & redeundo tres anni tranſiuiſſent, veni deinde primùm Ieroſolymam videre Petrum. Ex quibus ita ſe habentibus, multorũ implicatis dubitationibus facili negotio ſatisfiet, exiſtimantiũ[a], Paulum non poſteà, ſed ante excitatam contra ſe perſecutionẽ Damaſci in Arabiam diſceſſiſſe, inde verò poſt luſtratam prædicando eam regionẽ, Damaſcum rediiſſe, ibique ardentiùs prędicare Chriſti diuinitatẽ, & mũdi redemptionem cum eſſet

[s] Baron. tom. 1. an. 1.

[u] Rom. c. 1. v. 9.

[y] Gal. c. 1. v. 17.

[z] Act. c. 9. v. 18.

[a] S. Hieron. in c. 1. ad Gal. ibique Lyranus. Iuſtinianus. Auctor hiſt. ſchol. Actor. c. 48. Baron. an 37. & 39. Salmer. tom. 12. tr. 10. Lorin. in Acta c. 9. v. 23. Gaſpar Sanchez ibid.

aggreſſus, coactū fuiſſe noctu diſcedere, & Ieroſolymam tunc ad Petrum ſe contuliſſe. Quia, dicunt, ſi clanculum Damaſco fugiens diſceſſiſſet, non iterum eò manifeſtè rediiſſet. Deinde, quia videtur ſignificare S. Lucas, demiſſum à muro ciuitatis Damaſcenæ Paulum iuiſſe ſtatim Ieroſolymam: non igitur in Arabiam tunc, ſed ante perſecutionem profectus eſt. Tertiò: nam idem S. Lucas [b] ſic ait: *Cùm autem implerentur dies multi, conſilium fecerunt in vnū Iudæi, vt Paulum interficerent.* Multùm igitur temporis prætererat, cùm inſidiis Damaſci pati cœpit: ergo poſt triennium, quando ſine dubio iam redierat ex Arabia, vt videtur S. Hieronymus [c] in Commentario Epiſtolæ ad Galatas approbare. Sed, quod attinet ad S Hieronymum, ipſe indicata rei difficultate varias quidem attulit reſponſiones, liberum tamen reliquit, quam quiſque ſequi voluerit opinionem. Deinde, quod ait S Lucas: *Cùm autem implerentur dies multi,* perinde interpretari ac ſi dictum eſſet, cùm anni tres implerentur; nimis profectò durum videtur. Tertiò, non ſignificauit S. Lucas, demiſſum à muro ciuitatis Paulum, iuiſſe ſtatim Ieroſolymam; ſed potiùs indicat contrarium continuata narratione geſtorum Pauli, & eorum, quæ illi contigerunt Damaſci vſque ad fugam ab ea ciuitate, vt non niſi poſt hanc abiiſſe in Arabiam magis appareat veriſimile. Quartò, quòd clanculum diſceſſerit Damaſco, & eò redierit, nihil eſt mirum, cùm ipſe dicat in Epiſtola ad Galatas [d]: *Abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum.* Quintò, nam ſimile quid illi contigit Lyſtris [e], inde propter concitatam in ipſum perſecutionem diſcedens, & poſteà rediens: ſic etiam Apoſtoli, & Chriſtus Dominus à Iudæis vexati recedebant Ieroſolyma, & iterum eò reuertebantur. Sextò, cùm Paulus in Arabica peregrinatione propè triennium, vt nos putamus, peregiſſet, facilè fieri potuit, vt Præfectus Aretæ Regis alius eſſet conſtitutus, qui geſta ante aliquot annos cum Paulo neſciret, aut modò tanquam ad ſe nihil pertinentia non curaret. Tiberius quoque Cæſar circa hoc tempus eſt mortuus, cui Caius Caligula ſucceſſit: vnde magna potuit fieri publicarum rerum, & Magiſtratuum variatio. Septimò, non eſt valdè veriſimile, perſecutionem illam Damaſci contra Paulum Chriſtum prædicantem excitatam eſſe poſt triennium ab eius conuerſione; ſed magis à principio: nam hoc ſolet facere nouitas rerum: ſicut etiam contigit Ieroſolymis ſtatim in prædicatione Apoſtolorum, & martyrió S. Stephani: poſteà verò, quemadmodum Ieroſolymitana, ita etiam Damaſcena Chriſti Eccleſia radices egerat altiores, & firmiores; nec ita ſua nouitate Iudæos perturbabat. Octauò, non apparet ſanè promptior occaſio profectionis Pauli ad longinquas illas Arabiæ regiones, niſi vt euitaret excitatam contra ſe grauiſſimam perſecutionem, & conſpirationem contra vnum hominem totius ferè ciuitatis: certum autem eſt, inde propterea ſe proripere debuiſſe: quò igitur, niſi in Arabiam, debuit proficiſci? nam redire Ieroſolymam, vt ſuprà oſtendimus, minùs tutum videbatur, & ipſe ad Galatas teſtatus eſt, dicens [f]: *Neque veni Ieroſolymam; ſed abij in Arabiam.* Nonò, totus contextus S. Lucæ in Actis apoſtolicis, ſi quis omnia ſimul conferat, id conuincit: ibi enim dicitur [g], *continuo*, id eſt, ſtatim, ſiue, vt habet Syriaca interpreta

[b] *Act. c. 9. v. 23.*
[c] *S. Hieron. in c. 1. ad Galatas.*
[d] *Gal. c. 1. v. 17.*
[e] *Act. c. 14. v. 18*
[f] *ad Galat. 1. v. 17.*
[g] *Act. c. 9. v. 20.*

pretatio, eadem hora Paulus *ingreſſus Synagogas prædicabat* IESVM *eſſe Filium Dei.* & inde magna illa admiratio, dicentium: Nónne hic eſt, qui huc venit miſſus à Principibus Sacerdotum Ieroſolyma, vt huius ſectæ homines expugnaret? *Saulus autem,* ait S. Lucas, *magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damaſci.* Et cùm in ea concionandi vehementia pluribus diebus perſeueraret, Iudæi de illo interficiendo conſilium iniuerunt: non igitur poſt aliquot annos, cùm ex Arabia rediiſſet. *Mox vt baptiẓatus eſt* (ait Chryſoſtomus [h]) *declarauit Paulus zelum ſuum, vt non ſolùm confunderet Iudæos, ſed ad tantam iracundiam prouocaret, tum Iudeos, tum Gentiles, vt ei ſtruxerint inſidias, conatique ſint è medio tollere.* Decimò, vt tandem hanc materiam concludamus, pro qua multiplicare oportuit rationes, quia plures non contemnendi Auctores aliter ſenſerunt; hinc tamen licet agnoſcere, cur S. Lucas de Pauli fuga in Arabiam non fecerit mentionem, quæ ſtatim referenda eſſe videbatur poſt enarratam eius à mœnibus Damaſci per ſportam demiſſionem. Ratio autem hæc reddi poteſt: quia, vt hic ait S. Chryſoſtomus [i], Hiſtoriographus multa ſuccidit, & tempora congerit. Cùm ergo fuerit illa Pauli fuga iter ſuſceptum præter intentionem, in abſtruſas regiones, neque Lucas adhuc Pauli comes erat, & de hoc itinere nihil fortaſſe ab ipſo ſatis explicatū intellexerat; in proœmio verò ſui Euangelij, cui Acta Apoſtolorum adiunxit, proteſtatur, ea ſe narrare, quæ benè per omnia eſſet aſſecutus; ideò vbi celebriora expoſuiſſet, quæ Damaſci circa Paulum contigerunt, relicta minùs nota profectione Arabica & reditu ex Arabia Damaſcum, tranſit ad eius inde Ieroſolymam profectionem, de qua ſequenti capite dicturi ſumus.

h *Chryſ. in cap. 11 Epiſt. ad Galatas.*

i *homil. 21. in Acta.*

CAPVT IV.

Redit ex Arabia Damaſcum, & inde aſcendit Ieroſolymam inuiſere Petrum, vt Principem Apoſtolorum.

NArrat id totum ipſemet Paulus ita ſcribens ad Galatas [a]: *Abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum: deinde poſt annos tres veni Ieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim.* Vbi primùm circa tempus eſt obſeruādum, cùm à Pauli cōuerſione & mora plurium dierum Damaſci vſque ad hoc iter propter S. Petrum Ieroſolymæ videndum modò ſuſceptum, tres integri anni præterierint, nempe, ætatis Pauli ſupra trigeſimum & quartum annum, quintus, ſextus, & ſeptimus; debuiſſe tunc annum Chriſti decurrere trigeſimumnonū; Caij verò Imperatoris primum, mortuo non pridē Tiberio Cæſare, cùm viginti duobus annis, & mēſibus aliquot imperaſſet. Quota verò pars huius triennij ſit à Paulo Damaſci primùm inſumpta, & quota in Arabica peregrinatione, tū in reditu, & mora iterum Damaſci, definire certò non poſſumus. Nam, quod aliqui ſentiunt, parum in Arabia; multùm verò poſt reditum, ac propè totum triennium Damaſci à Paulo peractum, nullo firmo nititur fundamento: niſi quòd ipſi putāt ſtatim à ſua conuerſione Apoſtolū ſponte ſua, & nulla vrgente perſecutione, iuiſſe in Arabiā, & inde citò rediiſſe, tum Damaſci longo tempore cōmorando ardentiori zelo prædicationis concitaſſe Iudæos, vt ab Areta Regis Præfecto tanquam ſeditioſus quære-

a *Gal. c. 1. v. 18.*

retur ad necẽ clauſis portis ciuitatis: vnde noctu per muros demiſſus aufugerit Ieroſolymã. Sed hoc à nobis ſuperiùs multis rationibus eſt improbatũ, & videtur hic vno verbo Apoſtolus refellere voluiſſe, cũ dixit[b]: *Poſt tres annos veni Ieroſolymam videre Petrũ*. Nõ igitur eò venit fugiẽs, & vt inſidias vitaret Damaſcenorũ, quas ante tres annos, iuxta ſuperiùs explicata declinauerat in Arabiã proficiſcẽs.

b ad Galat. c. 1. v. 18.

Sed oportet hic ampliùs exponere ſecundùm doctrinã Patrũ, cur modò Paulus venerit Ieroſolymam: id enim non tantùm pertinet ad itineris rationem; verùm etiam ad magnam Pauli erga Petrum obſeruantiam, & ipſius Petri ſupra omnes alios Apoſtolos auctoritatem, atque primatũ, Hæreticis noſtri tẽporis valdè inuidioſum: ne ſi illum concedant in Petro; etiam in Petri ſucceſſoribus Romanis Pontificibus cogantur agnoſcere. Sed audiant S. Ambroſiũ[c]: *Dignũ fuit*, inquit, *vt Paulus cuperet videre Petrum; quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum*. Audiant S. Hieronymum pluribus ea de re ita differentem[d]: *Venit Paulus videre Petrum, non vt oculos, genas, vultúmque eius aſpiceret, vtrùm macilẽtus, an pinguis; adunco naſo eſſet, an recto; & vtrùm frontẽ veſtiret coma; an, vt Clemens in periodis eius refert, caluitiẽ haberet in capite. Nõ puto Apoſtolicæ fuiſſe grauitatis, vt poſt tantam trienni preparationem, aliquid humanum in Petro voluerit aſpicere*. Et infrà: *Iuit*, inquit, *non diſcendi ſtudio, qui & ipſe eundem prædicationis haberet auctorem; ſed honoris priori Apoſtolo deferendi*. Et in quadam epiſtola ad S. Auguſtinum[e]: *Tanta*, inquit, *auctoritatis Petrus fuit, vt Paulus in Epiſtola ſua ſcripſerit: Deinde poſt annos tres veni Ieroſolymam videre Petrum*. Præclarè quoque S. Ioannes Chryſoſtomus in eandem ſententiam[f]: *Os*, inquit, *erat Petrus Apoſtolorum, & Princeps; propterea & Paulus eũ præter alios viſurus aſcendit*. Addit[g]: *Vide vt maiorem beneuolentiam habeat erga Petrũ? Huius enim cauſa peregrinationem ſuſcepit, & apud eundem commoratus eſt. Hæc dico frequenter, & vos memoria tenere volo, vt ſi quæ audieritis, quæ aduerſus Petrum dicta videbuntur, ne quis ſuſpectum habeat Paulum Apoſtolum; ſiquidem hanc ob cauſam ipſe hæc loquitur, præueniens vt talem corrigat ſuſpicionem, velutì cùm dicit: Reſtiti Petro. ne quis hæc verba putet eſſe ſimultatis, vel contentionis. Nam & honorat virum, & diligit plus omnibus: nec enim ad vllum alium Apoſtolum narrat ſe aſcendiſſe Ieroſolymam; ſed propter hunc ſolum.* Chryſoſtomo conſentiũt alij Græci. Oecumenius[h]: *Per tot*, inquit, *tantáque certamina abiit Paulus, vt videret Petrum tanquam maiorem, aut etiam maneret cauſa honoris, quem Petro deferebat*. Theodoretus[i]: *Etenim, cùm Paulus humana doctrina non indigeret, vt qui ab vniuerſorum Deo illam accepiſſet; tamen Apoſtolorum Principi honorem, quem par eſt, defert*. Ex his duæ aliæ confictæ rationes refelluntur exiſtimantium, iuiſſe Paulum ad inuiſendum Petrum ob quandam ſolùm beneuolentiam; qua tamen ipſe alios quoque Apoſtolos proſequebatur: vel iuiſſe, vt aliquid à Petro addiſceret, ſicut Eraſmus in Epiſtolam ad Galatas commentus eſt. Quod ex eadem ad Galatas Pauli Epiſtola manifeſtè refellitur, vbi ipſe ait in hunc ſenſum de Apoſtolis loquens[k]: *Nihil mihi contulerunt*. videlicet, quoad eruditionem, & Euangelij cognitionem: & reddit rationem, dicens: *Quia Euangelium, quod euangelizatum eſt à me, non eſt ſecundùm hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; ſed per reuelationem* IESV *Chriſti*.

c S. Ambroſ. in c. 1. ep. ad Galatas.

d S. Hier. in c. 1. ep. ad Galatas.

e S. Hier. ep. 89. & apud S. Aug. 11.

f Chryſ. hom. 87. in Ioannem.

g idẽ in cap. 1. ad Galat.

h Oecũ. in c. 1. ad Galat.

i Theod. in cap. 1. ad Gal.

k ad Gal. c. 2. v. 6.

Chriſti. Atque hæc eſt ratio, cur in illa Epiſtola tam expreſſam fecit de ſua in Arabiam profectione mentionem, quam S. Lucas referre prætermiſit: quia Galatæ permiſerant ſe à nouatoribus ad Iudaïſmum abduci ab Euangelio, quod illis Paulus prædicauerat, paruifacientes prædicationem, ac doctrinam Pauli, quaſi iunioris Apoſtoli, & qui non, ſicut alij, cum Chriſto, & antiquioribus Apoſtolis verſatus fuiſſet. Ideò ſuæ inſignis vocationis honorificam ibi mẽtionem facere compulſus fuit; eò quòd, licèt poſtremus venerit ad Euangelium; illud tamen ab ipſo Chriſto didicerit, & ab eo fuerit Apoſtolus conſtitutus; adeò vt opus illi nõ fuerit ab aliquo, neque ab ipſis Apoſtolis edoceri. Quapropter ſtatim poſt ſuam conuerſionem aliò ſe contuliſſe [m]: *Neque veni*, inquit, *Ieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos: ſed abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum. Deinde poſt annos tres veni Ieroſolymam videre Petrum. Neque verò* (ait Chryſoſtomus[n]) *hæc ambitionis gratia dicit; neque, quò cæteris Apoſtolis præſtantior habeatur; neque, quòd ægrè ferret ipſius dignitatem eleuari: ſed, quòd metueret, ne quid inde detrimenti accideret prædicationi. Nam & abortiuum ſeipſum appellat, & omnium peccatorum primum, ac poſtremum Apoſtolorum, & huius honore nominis indignũ. Non igitur arrogantiæ cauſa hoc dicebat; ſed vt ſuæ prædicationis auctoritatem declararet.* Hæc S. Chryſoſtomus, ex quibus etiam Iuliani Apoſtatæ conuicium refellitur, Paulum ſuperbiæ accuſantis, quòd non ſit dignatus ſtatim poſt ſuam conuerſionem cum Petro agere, & ad alios Apoſtolos ſe conferre. Eſt & alia duplex ratio, cur ad Petrum hoc tempore inuiſendum Paulus acceſſerit: nempe, quamuis dubitare non poſſet de veritate ac integritate Euangelij ſui, quod prædicabat; quia certiſſimè nouerat, Deo reuelante, ſe idem prorſus Euangelium cum cæteris Apoſtolis, & plenum atque perfectum accepiſſe diuinitùs; tamen propter alios conferre ea de re cum Petro diutiùs non diſtulit, quod etiam iterum poſt annos quatuordecim veniens Ieroſolymam denuò præſtitit, vt ipſe teſtatur in Epiſtola ad Galatas, dicens [o]: *Poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Ieroſolymam cum Barnaba, & Tito. Aſcendi autem ſecundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus; ſeorſim autem cum iis, qui videbantur aliquid eſſe*, nempe, Apoſtolis primariis; *ne fortè in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* hoc eſt, ne iactantibus quibuſdam Pſeudoapoſtolis doctrinam meam aliis Apoſtolis non probari; mihi, fideique meæ non crederent, & ſic omnis meus labor caſſus redderetur, ait S. Hieronymus in quadam epiſtola ad S. Auguſtinum [p]. Et ipſe S. Auguſtinus ſcribens cõtra Fauſtum Manichæum [q]. *Apoſtolus* (inquit) *Paulus poſt aſcenſionem Domini de cælo vocatus, ſi nõ inueniret in carne Apoſtolos, quibus communicãdo, & cum quibus conferendo Euangelium, eiuſdem ſocietatis eſſe appareret; Eccleſia illi omninò non crederet.* Addit, neque nos ſimiliter credituros Euangelio, quod dicitur ſecundùm Matthæum, niſi per Eccleſiam traderetur, eſſe Matthæi: *Et putat* (inquit) *Manichæus, credi ſibi debere ab Eccleſia Chriſti, loquenti contra Scripturas, tanta & tam ordinata auctoritate firmatas, per quas ei præcipuè commendatum eſt, vt quiſquis illi annunciauerit, præterquàm quod accepit, anathema ſit.*

m ad Gal. c. 1. v. 17.

n Chryſ. in c. 1. ep. ad Gal.

o Gal. c. 2. v. 1.

p S. Hier. ep. 11 inter ep. S. Aug.

q S. Aug. lib. 28. contra Fauſtũ, c. 4.

Tertiam

r Chryſ. in c.1. ep. ad Gal. Tertiam ponit Chryſoſtomus [r] ratione Pauli peregrinationis ad Petrũ hoc tempore inuiſendum; nempe, vt eximiam hominis ſanctitatem veneraretur, cuius vel ſola vmbra ſanabat ægrotos à quacunque infirmitate. *Sicut enim*(inquit Chryſoſtomus) *nũc multi Fratrum noſtrorũ ad viros ſanctos proficiſcuntur; eodem affectu tunc Paulus ad Petrum profectus eſt. Quin potiùs erat hoc multò ſubmiſſius: nam iſti nunc vtilitatis ſuæ gratia ſuſcipiunt peregrinationem: at Beatus ille, non vt diſceret aliquid ab illo, neque vt correctionem aliquam acciperet, profectus eſt; ſed tantùm vt videret eum, ſuáque præſentia honoraret.* Deinde verbum illud Pauli Chryſoſtomus expendit, dicentis: *Veni videre Petrum. Nõ dixit*,(inquit) ἰδεῖν, *id eſt, cernere Petrum; ſed* ἱστορῆσαι, *id eſt, vt viderem, quomodo loqui ſolent, qui magnas & ſplendidas vrbes inuiſunt cognoſcendi gratia; adeò indicat operæpretium, multóque ſtudio tantummodo videre virũ*, ait Chryſoſtomus. *s Galen. l.5 κατὰ τόπ.* Vnde ἱστορίαν Galenus [s] dixit eſſe cognitionem & experientiam propriam: *t Gellius l.5.c.18.* & Aulus Gellius [t] hiſtoriæ Scriptorem ait, ex Flauij ſententia, eſſe illum, qui rebus præclaris, quas narrat, interfuit.

Sed, qua ratione Paulus ad Petri congreſſum fuerit introductus, Luca *u Act. c. 9.v.26.* referente, audiamus [u]: *Cùm autem*(inquit) *veniſſet Paulus in Ieruſalem, tentabat ſe iungere diſcipulis: & omnes timebant, non credentes, quòd eſſet diſcipulus. Barnabas autem apprehenſum illum duxit ad Apoſtolos, & narrauit illis, quomodo in via vidiſſet Dominum, & quia locutus eſt ei, & quomodo in Damaſco fiducialiter egerit in nomine* IESV. Circa quæ occurrit ante omnia obſeruandum, quantus fuerit diſcipulorum, & Chriſti fidelium de Paulo olim Eccleſię perſecutore conceptus timor, ac trepidatio, vt etiam poſt tres annos, poſt tantam eius vitæ, morúmque mutationem, primo aſpectu omnibus adhuc formidabilis appareret. Deinde, hinc illa noſtra coniectura, quam ſuprà, in huius capitis initio, ſtatuebamus, multò redditur probabilior, de illo Pauli triennio, partim Damaſci, partim in Arabia conſumpto, quod non ſicut multi putant, fuerit ex maiori parte Damaſci; ſed magis in Arabia peractũ. Nã, ſi duos, aut propè tres annos Damaſci Paulus egiſſet, quomodo ab Eccleſia Damaſcena ad Ieroſolymitanã fama non perueniſſet conuerſionis ipſius, & zeli ardẽtiſſimi, qui ad omnia præclara pro Chriſto aggredienda illum incitabat, nec ſinebat quieſcere, vt adhuc inter fideles timeretur tãquam hoſtis, & aduerſarius, qui, an verè ad Chriſti caſtra tranſiſſet, communiter dubitaretur? At verò ſi dicamus, quod ſuprà poſuimus, eſſe veroſimilius, maiorẽ illius triennij partem in Arabica peregrinatione fuiſſe conſumptam; id adeò mirum videri non debebit. Nam à multo tempore auditum de conuerſione ipſius fuerat Ieroſolymis; ſi tamen auditum, præſertim à multis, & ipſe Damaſco noctu fugiens quaſi repẽtè diſparuerat, quò iuiſſet, ne Damaſci quidẽ, nedũ minùs Ieroſolymis, ſciebatur. Quare cõſiderata præterita viri ſæuitia, elato ſpiritu, & nimis feruida natura, non ſatis certi de illius mutatione rumores ferebantur: & quia nihil à multo tempore de illo ampliùs audiebatur, vbi primum poſt tres annos comparuit Ieroſolymis, dubitari potuit, ne minùs vera de illo pridem ſparſa fuiſſent; aut ſi vera, iam ad ingenium rediiſſet; aut aliquid inſidioſè contra Eccleſiam denuò moliri voluiſſet. Ideò dixit S. Lucas [x]: *Cùm autem veniſſet in Ieruſalem, tentabat ſe iungere diſcipulis; & omnes timebant eum;* *x Act. c. 9.v.26.*

eum,non credentes,quòd eſſet diſcipulus. Hinc etiam à vero aliena deprehenditur eſſe illorum opinio à nobis ſuperiùs improbata [y],qui dicunt, Paulum ſtatim à ſua conuerſione Ieroſolymam eſſe profectum, antequam Damaſco in Arabiam ſe contuliſſet: tantus enim diſcipulorum timor planè arguit,non anteà, ſed nunc primũ poſt ſuam conuerſionem Paulum Ieroſolymam aduenifſe. Nam, ſi,antequàm per Arabiam peregrinaretur, Ieroſolymis cum Apoſtolis, aliiſque fidelibus egiſſet; nulla prorſus cauſa noui timoris illos afficere modò potuiſſet, cùm experimento manifeſto, eum eſſe ad Chriſti fidem ſeriò conuerſum, iampridem didiciſſent. Sed nemo adhuc eum viderat poſt conuerſionem ex iis, qui erant Ieroſolymis,& nulla fortaſſe,vel pauca audierant,eáque incerta, & ſilentio tã diuturno in dubium maximè reuocata. Vnus tamen inuentus eſt Barnabas, qui de Paulo magis ſollicitus, quæcunque illi acciderant,accuratiùs notauerat: fuerat enim quondam eius cum Protomartyre Stephano condiſcipulus ſub eodem magiſtro Gamaliele: & erat, ſicut de Barnaba teſtatur S. Lucas [z], *vir bonus,plenus Spiritu ſancto, & fide:* hoc eſt, moribus valde mitis, & manſuetus, zelo Dei plenus, & multa fiducia: vnde cùm Ioſeph anteà nominaretur,cognominatus eſt poſteà ab Apoſtolis [a] Barnabas,id eſt, filius conſolationis, comes deinde Pauli in multis peregrinationibus, & ſimul cum eo Epiſcopus ordinatus, vt ſuo loco poſteà referetur. Hunc igitur habere Paulus debuit quaſi fideiuſſorem:quia, cùm Ieroſolymas perueniſſet, nec alibi, quàm apud Chriſti fideles, hoſpitari cogitaret: ſtatim autem conuenire S.Petrum, modeſtiæ, & maioris obſeruantiæ cauſa, vt notauit Chryſoſtomus [b],noluiſſet; ad alios primùm diſcipulos diuertens, ſuſpectus habebatur:ideò refugiebatur. *Et vide* (inquit Chryſoſtomus)*illum nõ ad Apoſtolos euntem propter modeſtiam;ſed ad diſcipulos, quaſi diſcipulum exiſtentem: nondum enim fide dignus putabatur.* Cùm tamen in illa Eccleſia primitiua tanta fuerit hoſpitalitas, vt aliqui proptereà ſimulantes ſe Chriſtianos, ad lucrum, atque etiam ad luxum liberalitate illa fidelium abuterentur: quos poſteà notaſſe videtur S.Paulus illis verbis ad Corinthios ſcribens [c]: *Periculum in falſis fratribus.* Quare ſignum quoddam oportuit inuenire, quod qui ferret, pro legitimo Eccleſiæ filio duceretur, & à fidelibus honorificè Chriſtiana charitate, vt frater,reciperetur,quod ſignum conteſſeratio dicitur à Tertulliano [d]. Et quia hoc etiam ſignum cœperat à quibuſdam falſis fratribus adulterari, viſum eſt in poſterum fidem literis committere, quas Concilij Nicæni Patres nominauère formatas [e]: & à Concilio Chalcedonenſi [f] dicuntur pacificæ, ſiue commendatitiæ; ſumptum fortaſſis à S. Paulo ſic ad Corinthios ſcribente [g]: *Nunquid egemus,ſicut quidam, commendatitiis epiſtolis apud vos,aut ex vobis?* Sed,quando primùm Apoſtolus Damaſco venit Ieroſolymam, fortè nondũ erant in vſu, aut ex Arabia rediens parum Damaſci commoratus eas ab Anania non quæſiuit,aut,quia ſimiles contra Chriſtianam Eccleſiam a Principibus Sacerdotum anteà ſecum attulerat Ieroſolyma ad Synagogas Damaſci, nunc Damaſco veniens Ieroſolymam propter Chriſtum eas non cenſuit neceſſarias;ſed magis diuinæ prouidentiæ confidendum. Itaque in Barnabam incidit verè filium conſolationis, ſibique pro veteri neceſſitudine ſupra omnes, quos inue-

y *ſuprà c. 3. huius libri.*

z *Act. c. 11. v. 24.*

a *ibid. c. 4. v. 36.*

b *Chryſ. hom. 21. in Acta.*

c *2. Cor. c. 11 v. 26.*

d *Tertul. de præſump. Hæret. c. 20.*

e *Concil. Nic. c. 28.*

f *Chalced. can. 11*

g *2. Cor. c. 3. v. 1.*

nire potuiſſet, beneuolum, & nouæ charitatis in Chriſto ſacratiori vinculo adſtrictum. Putat autem Chryſoſtomus[h] non improbabiliter, Barnabam etiam Damaſci fuiſſe, vt ibi de Pauli admiranda conuerſione melius, quæ ferebantur, intelligeret. Credibile quoque eſt, multa Barnabam in hoc congreſſu priùs cum Paulo eſſe locutum, quàm ad Petrum ſimul venirent, interrogando de ſingulis, & Paulo ea, quæ de ſe ab aliis audiuerat, confirmante, ac magis explicante. Donec tandem, vt ait S. Lucas[i], Barnabas apprehenſum illum duxit ad Apoſtolos, & narrauit illis, quomodo in via vidiſſet Dominum, & quia locutus eſt ei, & quomodo in Domino fiducialiter egerit in nomine IESV. Qui verò fuerint hi Apoſtoli, ad quos Paulus modò eſt introductus, ipſe Paulus exponit, cùm ad Galatas ita ſcribit[k]: *Veni Ieroſolymam videre Petrum: alium autem Apoſtolorum vidi neminẽ, niſi Iacobum fratrem Domini.* Videntur enim alij Apoſtoli Ieroſolyma tunc temporis abfuiſſe, ad Euangelium per varias mundi regiones prędicandum diſtributi, quando, inquit S. Lucas[l], *per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam Eccleſia habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & conſolatione Spiritus ſancti replebatur.* Manſerant autem hi duo Apoſtoli in ciuitate, Petrus tanquam vniuerſalis Paſtor in Eccleſia primaria, & Iacobus proprius illius ciuitatis Epiſcopus conſtitutus, quem propterea in Ieroſolymitano Concilio poſt Petrum dixiſſe ſententiam legimus in Actis apoſtolicis[m], & frater Domini, videlicet, conſobrinus, eſt appellatus, ſiue cognatus, more loquendi Hebræorum, qui fratres ſolent vocare quoſcunque cognatos: ſiue etiam, quia moribus, & externa ſpecie ita erat Chriſto ſimilis, vt eius frater eſſe videretur. Sed pro concluſione huius capitis S. Hieronymum audiamus, verba illa Epiſtolæ ad Galatas exponentem[n]: *Alium autem diſcipulorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini. Hic*, inquit, *Iacobus Epiſcopus Ieroſolymorum primus fuit, cognomento Iuſtus, vir tantæ ſanctitatis, & rumoris in populo, vt fimbriam veſtimenti eius certatim cuperent attingere. Qui & ipſe poſteà de templo à Iudæis præcipitatus, ſucceſſorem habuit Simonem, quem & ipſum tradunt pro Domino crucifixum. Negat itaque Paulus ſe, præter hos, quenquam conueniſſe Apoſtolorum, ne occulta contradictio miſceretur: Etiamſi à Petro non et edoctus, alios Apoſtolos habuiſti præceptores. Non vidit autem eos, non quòd contemptui duceret; ſed, quòd illi ad Euangelium prædicandum toto fuerant orbe diſperſi.* Vtrùm autem ad vicina tantùm loca Paleſthinæ reliqui Apoſtoli eſſent profecti; an verò diſtributi iam hoc tempore per mundum vniuerſum, quòd hic apertè ſignificare videtur S. Hieronymus, & eſt notatu dignum pro iis, quæ deinceps narraturi ſumus; id erit inferiùs examinandum.

h Chryſ. hom. 21. in Act.
i Act. c. 9. v. 27.
k Gal. 1. c. 18.
l Act. c. 9. v. 31.
m ibid. c. 15. v. 13.
n S. Hier. in c. 1. Ep. ad Gal.

CAPVT V.

Manet Ieroſolymis aliquot diebus: inſtruit ad fidem varias nationes: & iterum de vita periclitatur.

QVot diebus manſerit Paulus hoc tempore Ieroſolymis, ipſemet retulit, cùm ad Galatas ſcribens ait, ſe, vt videret Petrum, eò veniſſe[a]: *Et manſi*, inquit, *apud eum diebus quindecim.* Notat autem S. Hieronymus,

a Gal. c. 1. v. 18.

b S. Hier. in c. 1. Ep. ad Gal. mus [b], propterea numerum horum dierum ab Apoſtolo in ea Epiſtola fuiſſe expreſſum: *Vt*, inquit, *oſtenderet, non fuiſſe grande tempus, quo potuerit aliquid à Petro diſcere, vt ad illum ſenſum, à quo cœpit Epiſtolam, cuncta referantur, ſe non ab homine doctum eſſe, ſed à Deo.* Imò verò non ſolùm eò non venerat, vt de rebus euangelicæ fidei, quas diuina reuelatione in gradu ſcientiæ ſublimiſſimo iam perceperat, erudiretur; ſed etiam ponere operam ſuam ac ſtudium magna contentione cœpit, ad varium genus infidelium inſtituendum. Hoc S. Lucas ſignificauit, dicens [c]: *Et erat cum illis intrans, & exiens in Ieruſalem, & fiducialiter agens in nomine Domini: loquebatur quoque Gentibus, & diſputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum.* Nam, quod Gloſſa ordinaria [d], & Hiſtoria [e] ſcholaſtica cenſuerunt, id Ieroſolymis non contigiſſe, verùm vbi Paulus inde fuiſſet egreſſus, vt iret Cæſaream; apparet ex ipſo ſacræ Hiſtoriæ contextu minùs veriſimile, & nos magis infrà oſtendemus.

c Act. c. 9. v. 28. & 29.

d Gloſſa Act. c. 9.

e Hiſt. ſcholaſt. c. 48.

Illa grauior hìc oritur difficultas, & multorum opinionibus implicata, quinam eſſent illi, quibuſcum Paulus loquebatur, ac diſputabat, & qui eum quærebant occidere: nam etiamſi expreſsè dicat S. Lucas: *Loquebatur cum Gentibus, & diſputabat cum Græcis.* tamen Gentiles eos eſſe non potuiſſe, graues Auctores exiſtimarunt; nempe, Cardinalis Baronius [f], & Bellarminus, ac Doctor Franciſcus Suarius, quos alij ſequuntur, eò quòd nondum eſſet aditus ad Eccleſiam hoc tempore Gentilibus patefactus; ſed hoc primùm fieri per Petrum Eccleſiæ Caput, non per Paulum, oporteret. Vnde loquens hac de re in primo Concilio Ieroſolymitano S. Petrus dicebat [g]: *Viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere.* Non debuit igitur S. Paulus ante Principem Apoſtolorũ in hoc negotium conuerſionis Gentium ſe ingerere; ſed tantùm incumbere conuerſioni Iudæorum, quouſque Deus aliud reuelaret: quod factũ narrat S. Lucas, poſteaquàm à Petro Paulus Ieroſolyma diſceſſiſſet [h]. Tũc enim, cùm Petrus aſcẽdiſſet ad orandum in partem domus ſuperiorem, *cecidit ſuper eum mentis exceſſus, & vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli. Et facta eſt vox ad eum: Surge, Petre, occide, & manduca.* Qua viſione, iuxta cõmunem expoſitionem ſanctorũ Patrum, ſignificabatur, iam factam eſſe Petro poteſtatem, & poſt ipſum aliis Apoſtolis, omne genus hominum infidelium per quatuor mundi partes ad Eccleſiam congregandi. Et benè Petro dictum eſt: *Macta, & manduca.* quia capitis eſt manducare, & ita cibum in ſtomachũ traiicere, ac illum ſibi incorporare: vt ea ratione ſignificaretur, Petro in primis, tanquam totius Eccleſiæ capiti conuenire, infideles conuertere, eóſque membra huius myſtici corporis efficere. Hoc igitur eſt primum, vnde viri eruditi minùs eſſe veriſimile iudicarunt, Paulum hoc tempore in ipſa ciuitate Ieruſalem publicè, & Petro ibi manente Gentilibus aggreſſum eſſe concionari: id enim non ſolùm Iudæi, qui ad Chriſtum nondum erant conuerſi, ægerrimè tuliſſent, verùm etiam fideles ipſi, qui multò magis in Paulo reprehendiſſent, quod in Petro non ſine querela notarunt,

f Baron. an. 35. & 41. Bellar. lib. 1. de Pōt. c. 22. Suarez. lib. 9. de leg. c. 20.

g Act. c. 15. v. 7.

h ibid. c. 10. v. 9.

S 2 inci

incipiente Gentiles inſtituere.

Vnde arguitur ſecundò: quia, cùm Petrus viſione illa præclariſſima fuiſſet admonitus, vt procuraret Gentilium conuerſionem, adhuc ipſe cunctabatur, donec alia reuelatione fuit excitatus [i], vt quamprimùm iret ad Cornelium Centurionem, virum Gentilem, inſtruendum in fide, & baptizandum: quod cùm feciſſet [k], *Obſtupuerunt*, inquit S. Lucas, *ex circunciſione fideles, qui venerant cũ Petro: quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt.* Et paulò pòſt alij fideles, qui neſciebant id à Petro factum ex diuina reuelatione, non ſolùm ſunt admirati; ſed etiam contra illum diſceptabant, dicentes [l]: *Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* Nec acquieuerunt, donec Petrus eis expoſuiſſet totã viſionem, qua id facere diuinitùs erat admonitus. *Quibus auditis*, ait S. Lucas [m], *tacuerunt, & glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Subdit deinde: *Et illi quidem, qui diſperſi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano, perambulauerunt vſque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, niſi ſolis Iudæis.* Quaſi volens Lucas reſpondere tacitæ obiectioni, quæ fieri potuiſſet, dicendo: Nunquid in ea tot fidelium diſperſione, qui tunc Ieroſolyma receſſerunt, euangelizando per tot varias regiones, neminem Gentilium ad Chriſti fidem perduxerunt? Ita quidem: ſed mirum id nemini debere videri; quia negotium euangelizandi Gentibus nondum aggredi licebat: ſiquidem primus ex Gẽtilibus ad fidem vocatus, & à S. Petro diuina iuſſione baptizatus debuit eſſe Cornelius. Fauent huic opinioni ex Patribus in primis Chryſoſtomus, cùm ait [n]: *Vides, vnde initium ſit Gentium? A viro pio, nempe, Cornelio, qui operibus dignus eſt habitus.* Et S. Hieronymus de eodem Cornelio loquens [o]: *Primus* (inquit) *ab Apoſtolo Petro baptizatus ſalutem Gentium dedicauit.* Addamus teſtimonium Pontificis Nicolaï I. ne quid velle diſſimulare in hac difficultate videamur [p]: *Diſcipuli* (inquit) *neſcientes, quod acciderat, moleſte tulerunt, quod Princeps eorum ad Cornelium ingreſſus fuerat, quem ipſe, Deo præcipiente, primum ex Gentibus fecerat Chriſtianum.*

i *Act. c.* 10. v. 19

k *ibid. c.* 10. v. 45.

l *ibid. c.* 11. v. 3.

m *ibid. c.* 11. v. 18.

n *Chryſ. hom.* 22. *in Act.*

o *S. Hier. in ep. ad Saluinã.*

p *Nicol. I. ad conſult. Bulgar. c.* 41.

Tertium argumentum fieri poteſt, aſſignando fundamentum huius inhibitionis ab ipſomet Chriſto Domino, cùm primùm diſcipulos ſuos ad prædicandum mitteret: dixit enim illis [r]: *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; ſed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.* Oportuit igitur expectare huius prohibitionis relaxationem, quæ non niſi S. Petro primùm videtur facta, pro conuerſione Cornelij Centurionis, vt anteà dicebamus. Hæc ſi quidem ita ſe haberent, nihil veriſimile à nobis anteà dictum fuiſſet, vbi de Pauli diuturna peregrinatione per Arabiam coniecturam facientes, cum S. Chryſoſtomo, & aliis inferebamus, multos Gẽtilium in ea regione à Paulo ad Chriſti fidem eſſe conuerſos. Quare cogimur hic amplius pro rei veritate totum explicare, & tribus ſuperioribus argumentis tria opponere ſequentia documenta, ex quibus facilis omnium difficultatum ſolutio apparebit; tum, quod præcipuè intendebamus, Hiſtoriæ noſtræ plana erit & expedita proſecutio.

r *Matth. c.* 15. v. 24.

Primùm itaque ſtatuendum eſt, etiamſi vetitum fuerit Iudæis cum Gentilibus manducare, ne cibis eorũ à lege per Moyſem prohibitis veſcerentur;

rentur, tamen agere cũ illis ad eorum ſalutem procurandam non videtur eis fuiſſe interdictum. Hoc ſatis inde colligimus, quòd vbicũque legimus, Chriſtum Dominum à Iudæis calumniatum; quia cum Gentilibus ageret, ſiue cum alienigenis, ad hoc punctum omnis querela potiſſimùm reuocatur. Ita dicebant Chriſti diſcipulis Phariſæi [s]: *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter?* Erant autẽ publicani plerunque Gentiles, qui vectigalia exigebant pro Ethnico Imperatore, & peccatores à Iudæis Gentiles appellari ſolebant. Vnde Chriſtus Dominus, quod apud vnum Euangeliſtam dixit [t], ſe tradendum in manus peccatorum; apud alios [u] ait, ſe tradendum Gentibus. In eodem quoque ſenſu, murmurantes Scribæ & Phariſæi de Chriſto dicebant [x]: *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Et cùm aliquando fuiſſet exceptus conuiuio a Zachæo, qui erat Princeps publicanorum, & vir Gentilis, vt affirmant Tertullianus [y], Chryſoſtomus [z], & Cyprianus [a]: *Omnes*, inquit Euangeliſta [b], *murmurabant, quòd ad hominem peccatorem diuertiſſet*, id eſt, Gentilem, iuxta illud S. Pauli ad Galatas [c]: *Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores.* Eſt etiam illud obſeruandum, quod mulier Samaritana Chriſto ſic obiecit [d]: *Quomodo tu, Iudæus cùm ſis, poſcis à me bibere, quæ ſum mulier Samaritana?* Tum ait Euangeliſta: *Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Quia, nimirum, habebantur à Iudæis Samaritani tanquam Gentiles, cùm oriundi eſſent à Chaldæis [e]. Neque obiecit mulier, quòd cum ipſa loqueretur; ſed, quia potum ab ea poſtularet, ſignificans quid eſſet, in quo Iudæi cum Gentilibus non deberent communicare. Qua in re adeò fuerunt Iudæi ſuperſtitioſi, vt neque fontem, vnde biberent, vellent Gentilibus indicare; neque viam, qua pergerent, edocere, nedum veſci eorum cibis, quod Iudæis exprobrat in quadam Satyra Iuuenalis [f], cùm ait:

Iudaïcum ediſcunt, & ſeruant, ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes:
Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra colenti,
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

Non tamen propterea fuiſſe prohibitos Iudæos agere cum Gentilibus pro eorum ſalute, & vt illos ad veri Dei cultum inducerent, intelligi poteſt ex illis verbis Chriſti Domini [g]: *Væ vobis, Scribæ, & Phariſæi hypocritæ; quia circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proſelytum.* Appellabant autem Græcè proſelytos, quaſi diceremus, aduetitios, illos, qui ex Gentilium ſuperſtitione ad religionem Iudæorum accedebant, & circunciſionem ſuſcipiebant. Neque reprehendebantur a Chriſto Iudæi, quia procurarent Gentilium conuerſionem; ſed, quia id ex hypocriſi & ambitione faciebant; ſiue, vt exponunt alij, quia morum ſuorum prauitate, & malæ vitæ exemplo ſic à ſtudio legis diuinæ alienigenas auerrebant, vt quantuncunque conarentur, admodum paucos ad cultum & religionem Iudaïcam perducerent. His itaque primo loco ſuppoſitis,

Dicimus ſecundò, Chriſtum Dominum iniunxiſſe quidem Apoſtolis ac diſcipulis ſuis, vt primùm, & ante alias Gentes, Iudæos ad Euangelium inuitarent; non tamen prohibuiſſe per occaſionem aliquando etiã Gentilibus prædicare: à die verò Pentecoſtes æquè omnium ſalutem procurandam eis commendaſſe. Prima

s Marci c. 2. v. 16.
t Matth. c. 26. v. 45.
u Marci 10. v. 33. & Lucæ 18. v. 32.
x Lucæ c. 15. v. 2.
y Tertul. l. 4. cõtra Marc.
z Chryſ. hom. de Zachæo.
a Cypr. lib. 2. ep. 3.
b Lucæ c. 19 v. 7.
c Gal. c. 2. v. 19.
d Ioan. c. 4. v. 9.
e 4. Reg. c. 17. n. 24.
f Iuuen. Sat. 14.
g Matth. c. 23. v. 15.

huius dicti pars habetur ex illis Chriſti verbis, Apoſtolos ad Euangelium prædicandum mittentis [h]: *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: potius ite ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Quæ verba conferens S. Hieronymus [i], cum illis alibi à Chriſto etiam Apoſtolis dictis [k]: *Euntes docete omnes Gentes.* ſic ait: *Non eſt contrarius locus iſte ei præcepto, quod poſtea dicitur: Euntes docete omnes Gentes, quia hoc ante reſurrectionem, illud poſt reſurrectionem præceptum eſt, & oportebat primùm aduentum Chriſti nunciare Iudæis, ne iuſtam haberent excuſationem, dicentes, ideò ſe Dominum non recepiſſe, quia ad Gentes & Samaritanos Apoſtolos miſerit.* Idem quoque Iudæis S. Paulus apertè ſignificauit, dicens [l]: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei. Sed quoniam repellitis illud, & indignos vos indicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.* Hoc ipſum praxi & exemplo ſuo Chriſtus Dominus ſæpè confirmauit: nam & Samaritanam conuertit [m], & ea occaſione multi Samaritanorum in eum crediderunt, & rogatus intrauit eorum ciuitatem, mãſitque ibi duobus diebus: *Et adhuc multò plures* (ait Euangeliſta) *crediderunt in eum.* Rogatus prætereà pro muliere Chananæa, ſeu Syrophœniſſa [n], dixit quidem anteà ſe non veniſſe, niſi propter oues, quæ perierunt domus Iſrael; tamen poſteà magnam eius fidem commendauit, & admiſit, eiúſque filiam ſanauit. Similiter ſeruum Centurionis viri Gentilis curauit [o], & tantam fidem ſe in illo inueniſſe affirmauit, quantam in Iſrael non inuenerat. Zachæum quoque Gentilem hominem cum ſua familia conuertit. & deinde Regulum, qui etiam erat Gentilis, vt ſentiunt SS. Hieronymus [p], & Cyrillus [q], cuius filio ſanato, *credidit ipſe & domus eius tota* [r]. Quòd verò à die Pentecoſtes æquè procurandam ſalutem quoque Gentilium Apoſtolis Chriſtus commendauerit, atque adeò laxauerit, quod anteà inhibuerat, ne irent in viam Gentium, & ne ciuitates intrarent Samaritanorum; ſatis apertè verba illa ſignificant, quę dixit in cœlũ aſcẽſurus [s]: *Accipietis virtutẽ ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ. &* [t], *Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ.* Non fuiſſe verò negotium hoc vſque adeò differendum, indicat ille modus loquendi [u]: *Vos autem ſedete in ciuitate, quoadvſque induamini virtute ex alto.* & cùm *præcepit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris.* Igitur poſt acceptum toties promiſſum, & diu expectatum Spiritum ſanctum, non erat, cur longo adhuc tempore morarentur. Cuius rei rationem exponens S. Chryſoſtomus [x], ait: *Quemadmodum aues pullos ſuos fouentes tandiu in nido ſedent, donec illorum plumæ increſcant, quas dum creuiſſe iam viderint, eos primùm circa nidum volitare docent; deinde adminiculo ſuo totos deſtituunt. Ita faciebat & Chriſtus: in Paleſthina enim, quaſi in nido, nutricabat diſcipulos; & exin eos volare docuit præſens, & geſtans; tandem permiſit eos volare in totum mundum.* Quare valdè probabilis eſt opinio dicẽtium [y], Apoſtolos non multò poſt acceptum Spiritum ſanctum, per varias mũdi partes eſſe diſtributos. Nam, quod aliqui dixerunt, eos vſque ad annos duodecim expectaſſe, non eſt veriſimile, nec niſi dubiæ fidei habet Auctores, vt Baronius obſeruauit [z], qui, etiamſi referat eam Apoſtolorum diuiſionem ad annum octauum à Chriſti Domini aſcenſione;

h Matth. c. 10. v. 5.
i S. Hier. in c. 10. Matth.
k Matth. c. 28. v. 19.
l Act. c. 13. v. 46.
m Ioan. c. 4. v. 39.
n Matth. c. 15. v. 24.
o Luca c. 7. v. 2.
p S. Hier. in c. 65. Iſaiæ.
q Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 22.
r Ioan. c. 4. v. 53.
s Act. c. 1. v. 8.
t Marc. c. 16. v. 15.
u Lucæ c. 24. v. 49. & Act. c. 1. v. 4.
x Chryſ. hom. in illa verba: Salutate Priſcam & Aquil. ad Rom. c. 16.
y Gaſp. Sancius diſp. de præd. S. Iacobi in Hiſp. c. 6. 7. & 8. Chriſtoph. de Caſtro in Mariali, & alij.
z Baron. tom. 1. an. 41 & 44.

ne; fatetur tamen rem eſſe non adeò certam, & inueſtigatu perdifficilem. Quare nihil de anno ſtatuẽdo, vtrùm primo, an ſecundo anno ab aſcenſione Chriſti Domini hæc diuiſio facta ſit, etiamſi non deſint, qui probabiliter ad primum annum eam referant cum Lucio Dextro, qui in ſua veteri Chronologia, quam S. Hieronymo dicauit, ſub vltima die menſis Iunij ponit talem diuiſionem, poſt aduentum Spiritus ſancti triginta & octo diebus; nos ſolùm dicimus, non diu fuiſſe dilatam: quia hoc magis indicant diuinæ Scripturæ, & Patrum plura teſtimonia, vt Chryſoſtomi iam prolati, & S. Leonis in primo ſuo ſermone in ſolennitate Apoſtolorum Petri, & Pauli. Quin etiam pro Feſto Pentecoſtes verba illa per totam Ecclesiam recitantur [a]: *Conuocatis* IESVS *duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia Dæmonia, & miſit illos prædicare regnum Dei.* Sed, quod maximè facit pro hac ſententia, illud eſt ſuprà relatum S. Hieronymi [b] teſtimonium, fundatum in alio S. Pauli teſtimonio dicentis, cùm poſt triennium ipſe veniſſet Ieroſolymam, tantùm Petrum, & Iacobum ibi ſe inueniſſe; alium autem Apoſtolorum neminem ſe vidiſſe: *Quia*, inquit S. Hieronymus, *illi ad Euangelium prædicandum toto fuerant orbe diſperſi.* Et certè ſi per vicina tãtùm loca digreſſi tũc temporis Apoſtoli fuiſſent, quomodo S. Paulus tandiu eundo & redeundo Iudæam circumiens, in aliquem illorum non incidiſſet; præſertim cùm eos videndi magno deſiderio teneretur?

a *in Antiph. fer. 5. ad Benedictus. per oct. Pent.*

b *S. Hier. in c. 1. ep. ad Gal.*

Sed, vt ad tria obiecta ſuperiùs argumenta planius reſpondeamus, dicimus tertiò, viſionem S. Petri, de Gentium conuerſione, non fuiſſe ad ſignificandum tunc primùm Apoſtolis licuiſſe agere cum Gentilibus pro eorũm ad Chriſti fidem & Euangeliũ reductione; hoc enim ante Chriſti paſſionem quodammodo licebat, vt oſtẽſum eſt, & multò magis poſt aduentum Spiritus ſancti: ſed, vt intelligeretur, non obligare legalia de differentia ciborum, vnde impediebantur miniſtri Euangelij à Gentilium commercio & conuictu neceſſario pro libera prędicatione. Ideò, cũ mitteret Chriſtus Dominus Apoſtolos ad euangelizãdum Iudęis, dixit illis [c], vt intrantes domum ibi manerent, quandiu opus eſſet, *edentes, & bibẽtes, quæ apud illos ſunt.* Hinc facilis erit ad ſuperiora argumẽta reſponſio. Nam, quod primo loco fuit obiectũ ex teſtimonio S. Petri in Concilio Ieroſolymitano dicentis [d]: *A diebus antiquis Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbũ Euangelij, & credere*, noſtrã non euertit, ſed magis firmat opinionẽ: ſi enim ab antiquis diebus, vel, vt alij vertũt, quod Gręcè legitur, ἀφ' ἡμέρων ἀρχαίων, à diebus primis, id eſt, primitiuæ Eccleſię, audire Gentes debuerunt Euangeliũ per os Petri; licebat igitur pridem Gentibus euangelizare. Vnde in illa prima poſt Pentecoſten Petri concione [e], quam ipſe hic videtur indicare, tria millia, & paulò pòſt in alia quinque millia hominũ ad fidem euangelicam ſunt adducta, inter quos neminẽ fuiſſe Gentilũ, credibile nõ eſt, cum, ſicut habetur in Actis apoſtolicis, auditores eſſent ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt: & in Hymno Pentecoſtes dicitur: *Ex omni gente cogniti, Græcis, Latinis, barbaris.* & in alio Hymno: *Turbæ pauent Gentilium.* præſertim, quia Gentiles, magis quã Iudæi dociles ſe prębebant, & ad Chriſti fidẽ ſuſcipiẽdam multò promptiores. Ad ſecundũ igitur argumentum ſimiliter reſpondemus, videri potiùs eſſe pro noſtra ſententia: nõ enim enim Petrus, cùm ei

c *Luca c. 10. v. 7.*

d *Act. c. 15. v. 7.*

e *ibid. c. 2. v. 41. & c. 4. v. 4.*

f *ibid. c. 10. v. 13.* ei diceretur in viſione illa[f]: *Surge, & manduca.* reſpondit: Abſit; quia nunquam egi cum Gentilibus, neque de illorum conuerſione, & ſalute tractaui: ſed dixit: *Abſit, Domine; quia nũquam manducaui omne commune, & immundum.* Hoc enim conſcientiæ ſcrupulo debuit liberari iturus Cæſaream, vt Cornelium Centurionem inſtrueret in fide, & baptizaret; ac proinde aliquandiu cum illo maneret, & manducaret. Quare ingreſſus domum Centurionis, cùm magnam inueniſſet hominum multitudinem, g *Act. c. 10. v. 28.* dixit illis[g]: *Vos ſcitis, quomodo abominatum ſit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam: ſed mihi oſtendit Deus, neminem communem, aut immundum dicere hominem.* Et inde redeunti Ieroſolymam quidam fidelium ignorantes reuelationem ei de hac re factam obiiciebant, dicentes[h]: *Quare introiſti ad viros præputium habẽtes, & manducaſti cum illis?* h *ibid. c. 11. v. 3. & 9.* Et hæc fuit cauſa, cur illi, qui diſperſi erant à perſecutione, quæ facta eſt ſub Stephano, vt ait ibidem S. Lucas, varias peragrando regiones nemini loquebantur verbum, niſi Iudæis: nempe, quia nondum liberè cum Gentilibus agere concedebatur; ſed debebãt eorum conuictum refugere, donec aliter S. Petro fuiſſet reuelatum, & publico ac ſolenni Baptiſmo, quod hactenus factum non erat, primitiæ Gentium in Cornelio Romano, ſiue, vt aliis placet, Hiſpano, Centurione, Deo cõſecrarentur. Hoc igitur eſt, quod SS. Patres Chryſoſtomus, & Hieronymus, necnon Pontifex Nicolaüs I. allatis ſuperiùs teſtimoniis ſignificare voluerunt: non quaſi Cornelius Centurio primus fuerit ex Gentilibus baptizatus: nam antea per Philippum Diaconum baptizatus fuerat Eunuchus[i], quem plures, tum i *ibid. c. 8. v. 26.* antiqui, tum recentiores Auctores exiſtimant probabiliùs fuiſſe Gentilem; ſed eius Baptiſmus non fuit publicus, nec ſolennis, qualis per Diaconum dari non poterat; ſed per Epiſcopum, vel Sacerdotem. Ideò dicitur S. Petrus portam Euangelio, & Sacramento Baptiſmi Gentilibus primum aperuiſſe.

Quod verò pro tertio argumento addebatur, iuſſiſſe Chriſtum Dominum Apoſtolis ad euangelizandum miſſis, vt irent potiſſimùm ad oues, quæ perierunt domus Iſraël, & in viam Gentium non abirent, ſatis anteà pro noſtra ſententia fuit expoſitum. Vnde ad Pauli prædicationem redeundo, facile iam erit, verba S. Lucæ hac tota de re ſimpliciter in ſuo vero & proprio ſenſu interpretari, ſic dicentis[h]: *Loquebatur quoque Paulus Gentibus, & diſputabat cum Græcis.* h *ibid. c. 9. v. 29.* quod erat eorum ſalutem procurare, non cibos vetitos cum illis manducare. Et quod aliqui dicunt, vocem illam, *Gentibus*, in Græcis exemplaribus non inueniri, nec in Syriaca, & Gothica verſione, non ſuadet temerè poſitam in Latina, & in vulgata malè retineri. Alij exponũt, *Loquebatur Gẽtibus*, id eſt, Gentilibus; ſed non de rebus ad fidem, & Euangelium pertinentibus: quod neque Pauli zelo dignum apparet, neque Lucæ narratione. Alij negare non audent, locutum eſſe de rebus fidei Chriſtianæ, ſed ad eas tantùm à calumniis Gentilium defendendas: quod etiã fuiſſet diſputare, & Euangelium quodammodo prædicare. Sunt & alij, qui per Gentes Iudæos intelligunt inter Gentiles aſſuetos: per Græcos etiam Iudæos, ſed Græcę linguæ non imperitos. Quæ omnes interpretationes profectò apparent violentæ: vnde quidam alia via putarunt vitandas huiuſmodi difficultates, affirmando, hanc Pauli diſputationem cum Gentilibus,

tilibus, non intra Ieroſolymam, ſed in itinere, dum inde Cæſaream proficiſceretur, contigiſſe, quaſi minus inconueniens videatur obiter egiſſe Paulum, & in itinere, de Gentium conuerſione, quàm intra primariam ciuitatem, antequàm Cornelio baptizato à S. Petro porta Euangelij Gentilibus aperiretur. Sed præter ea, quæ iam diximus, non eſt hoc loco omittendum, minimè conſtare, Baptiſmum Cornelij a S. Petro collatum fuiſſe poſteaquàm Paulus Ieroſolymam hoc tempore veniſſet: imò videri veriſimilius, quod indicat Lucius Dexter, hoc anteà factum; etiamſi à S. Luca narretur poſt Pauli primum diſceſſum Damaſco, vt iret in Arabiam, & eius reuerſionem, atque ad Petrum Ieroſolymæ videndum profectionem: quia, ſicut obſeruauit S. Chryſoſtomus [i], *Lucas Hiſtoriographus multa ſuccidit, & tempora congeſſit.* Voluit enim Actorum capite nono abſoluere, quæ de Pauli conuerſione cœperat enarrare, vſque ad initam cum Petro, quem anteà non viderat, amicitiam, antequàm ad geſta ipſius Petri ſuperius capite octauo propter Eunuchi, & Pauli cõuerſionem exponendã intertupta, regrederetur. Bene itaque Venerabilis Beda [k], nihil dubitans per Gentes, quibuſcum Paulus de rebus fidei Ieroſolymis loquebatur, intelligendos eſſe Gentiles, obſeruauit, in ciuitate Iudæorum primaria, nempe, Ieruſalem, à Paulo doctos eſſe Gentiles; in ciuitate Gẽtilium, nempe, Damaſco, ab eodem Paulo anteà doctos eſſe Iudæos: vt ſignificaretur, Gentiles in Dei ciuitatem adunandos, & Iudæos in Gentium perfidiam abituros, iuxta prophetiam Iſaiæ dicentis [l]: *Nonne adhuc in modico, & in breui conuertetur Libanus in Charmel, & Charmel in ſaltum reputabitur?* Sed quamuis per Gentes, cum quibus agebat Paulus, Gentiles ab eo inſtructos intelligamus; tamen per Græcos, cũ quibus dicitur diſputaſſe, fatemur eſſe intelligendos Iudæos Græcæ linguæ peritos: quia, vt S. Chryſoſtomus adnotauit [m], eos S. Lucas non dixit Ἕλληνας, id eſt natione Græcos; ſed Ἑλληνιστὰς, quaſi diceret, Græcizantes, ſiue, vt paraphraſticè reddit Syrus Interpres, Iudæos, qui ſciebãt Græcè. Quapropter, cùm iſti eſſent eruditiores, non ſicut alij Gẽtiles ſimplici oratione; ſed argumentis, & diſputatione debebant conuinci. Fortè etiam erãt ex illa Ciliciæ Synagoga, ex qua olim extitit ipſe Paulus, quando cum Stephano multi eorum diſputabant [n], & nõ poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui in eo loquebatur. Quare, vt quos anteà ſuo malo exemplo & praua doctrina infecerat, edoceret, magno ardore animi, & ſumma contentione pro veritate, & fide euangelica decertabat. Et quemadmodum in diſputatione cum Stephano, & poſteà cum Paulo Damaſci, aduerſarij conuicti ad conſilia necis inferendæ cæco furore ſunt adacti; ita etiam nunc de Paulo interficiendo cogitabant. *Indicium,* inquit Chryſoſtomus [o], *magnæ Pauli alacritatis, & eius potentis in ea concertatione victoriæ.* Sed quanam ratione a tanto vitæ diſcrimine iterum Paulus fuerit liberatus, capite ſequenti erit explicandum.

i Chryſ. homil. 1. in Acta.

k Beda in cap. 9. Act.

l Iſai. c. 29. v. 17.

m Chryſ. hom. 21. in Acta.

n Act. c. 6. v. 10.

o Chryſ. hom. 21. in Acta.

CAPVT VI.

Monetur in viſione, vt relinquat Ieroſolymam. vnde Cæſaream, & poſteà Tarſum proficiſcitur.

Tantus in vrbe Ieruſalem ex Pauli diſputationibus excitatus eſt motus, & perturbatio Iudæorum, vt

vt meritò timeri poſſet, ne ſæua illa perſecutio renouaretur, quam ante triennium paſſa erat Eccleſia propter ſimiles à Protomartyre Stephano habitas contra perfidos de euangelica fide cõcertationes. Atque hunc imitari Paulus eodem ſpiritu plenus cupiebat, etiam cum aperto capitis ſui periculo, pro Chriſto vitam & ſanguinem ſuum fundendo, qui effundi fecerat alienum. Sed aliter Deo viſum eſt, Apoſtolum ad maiora & patienda & perficienda pro ſua gloria & multorũ bono reſeruanti. Qua verò id ratione contigerit paucis S. Lucas ſignificauit, dicens [a]: *Illi autem quærebant Paulum occidere: quod cùm cognouiſſent Fratres, deduxerunt eum Cæſaream, & dimiſerunt Tarſum.* Hoc tamen inferendæ mortis conſilium ad Paulum de loco & ſententia dimouendum non ſuffeciſſe, ſed vrgeri ampliùs debuiſſe Chriſti Domini apertiſſima reuelatione & iuſſione, teſtatus eſt poſteà ipſe Apoſtolus, cũ ait [b]: *Factum eſt autem reuertenti mihi in Ieruſ lem, & oranti in templo, fieri me in ſtupore mentis, & videre* IESVM *dicentem mihi: Feſtina, & exi velociter ex Ieruſalem, quoniam non recipient teſtimonium tuum de me.* Et quamuis de tempore huius viſionis hic à S. Luca prætermiſſæ aliqui dubitent; tamen nunc planè accidiſſe, multa perſuadent; & in primis, quia in tota ſuperiori narratione vocationem ſuam Paulus expoſuerat; qua, videlicet, ratione accepta poteſtate à Principibus Sacerdotum Ieroſolyma Damaſcum proficiſcebatur, quando ei Chriſtus in via lucidiſſimus apparuit, miſit illum ad Ananiam, vt baptizaretur, & cùm Damaſci fuiſſet baptizatus; *Factum eſt*, inquit, *reuertenti mihi in Ieruſalem, & oranti in templo, fieri me in ſtupore mentis, & audire illum dicentem mihi: Exi velociter ex Ieruſalem, quoniam non recipient teſtimonium tuum de me.* Cùm igitur, à quo Damaſco diſceſſerat, nunc primum Ieroſolymam reuerſus ſit, & experientia ibi didicerit, quia teſtimonium à ſe de Chriſto exhibitum non recipiebatur, dubitare non debemus, ad hoc tempus reuelationem hanc & viſionem eſſe referendam. Deinde, quia inter alia, quæ illi Chriſtus Dominus in ſua prima apparitione prædixit, fuit [c], ſe aliàs illi apparitu rum, eúmque liberaturum ab inſidiis Iudæorum, atque Gentium. Præterea, quia nullum iſto tempus opportunius poſſumus aſſignare huic nouæ Chriſti apparitioni. Ideò neque S. Ioannes Chryſoſtomus [d], neque alij recentiores Interpretes, paucis exceptis, in aliud tempus hanc viſionem eſſe referendam iudicauerunt. Quod verò ad locum attinet viſionis, nemo dubitat in tẽplo Salomonis eueniſſe, cùm dicat S. Paulus hoc factum eſſe orante ſe in templo: nullum verò aliud erat templum Ieroſolymis, niſi Salomonis, ad quod omnes, maximè verò Apoſtoli oraturi, certis diei horis veniebant. Ita legimus in Actis apoſtolicis [e], quod Petrus, & Ioannes aliquando aſcendebant in templum ad horam orationis nonam: & alij fideles [f] erant quotidie perdurantes vnanimiter in templo. Ibi ergo Paulus ſuam Deo exponebat calamitatem, inde tanquam ex opportuniſſimo, ſanctioréque loco imploratum auxilium expectabat [g]. *Et factum eſt*, inquit, *oranti mihi, fieri me in ſtupore mentis, & videre* IESVM *dicentem mihi. Feſtina, & exi velociter ex Ieruſalem.* Hũc mentis ſtuporem aliqui pauorem interpretãtur: ſed Græca vox, qua vſus eſt S. Lucas, eſt ἔκστασις, eandémque poſuit, cùm explicaret Petri viſionem [h] de linteo quatuor angulis

a *Act. c. 9. v. 30.*

b *Act. c. 22. v. 17.*

c *ibid. c. 26. v. 16. & 17.*

d *homil. 48. in Acta. Lyran. Act. cap. 22. Lorinus, & Gaſpar Sãcius ibidem.*

e *Act. c. 3. v. 1.*

f *ibid. c. 22. v. 17.*

g *ibid. c. 22. v. 17.*

h *ibid. c. 10. v. 10.*

ab aperto cœlo in terram demiſſo,& à noſtro vulgato Interprete, mentis exceſſus, magis propriè appellatur, vbi dicitur: *Cecidit ſuper Petrum mentis exceſſus, & vidit cœlum apertum.* Hæc igitur S. Pauli eſtatica viſio perſimilis illi fuit, quæ acciderat S. Petro, de qua ſic ſcripſit S. Auguſtinus[i]: *Illo igitur orante facta eſt illi mentis alienatio, quam Græci ecſtaſim dicũt, id eſt, auerſa eſt mens eius à conſuetudine corporali ad virum quendam contemplandum alienata à præſentibus.* Nam, quemadmodum vbi ſenſus humani corporis nimiùm obiectis propriis inhæſerunt, & eorum ſenſibili voluptate allecti, quaſi ex toto abſorbentur; quia virtus animæ noſtræ tandem finita eſt, mens & portio ſpiritualis nihil, aut vix quidquam operatur: ita etiam animus ſpiritualibus & internis vehementer intentus, ſenſibilibus externis ferè nihil afficitur. Vt propterea benè S. Bonauentura[k], eeſtaſim definiuerit, eſſe, deſerto homine exteriori, ad ſuperintellectualem amoris fontem ſui ipſius ſupra ſe voluptuoſam quãdam eleuationem. Talem igitur in Paulo mentis exceſſum tunc fuiſſe exiſtimamus, cum imaginaria tamen Chriſti viſione, & vocibus interiùs formatis, ſiue mentis ſtuporem placeat cũ Interprete vulgato appellare, ſiue cum aliis ecſtaſim; non autem, quidquid aliqui interpretentur, pauorem: nam etiamſi nomine ecſtaſis aliquando timor & animi conſternatio ſignificetur: tamẽ nihil minùs videtur in Pauli animo tunc fuiſſe, quàm timoris affectus. Vnde, cùm à Chriſto Domino admoneretur, & vrgeretur, vt quamprimùm Ieroſolyma ſe proriperet, quoniam à multis inſidiæ illi tendebantur, & certum vitæ periculum imminebat; emori tamen pro Chriſti gloria & fratrum ſalute cupidiſſimus, inſtabat contrà, & arguebat, operæpretium ſe facturum, ſi ibi potiùs ſubſiſteret, vbi diſcrimina erant maiora, & contentiones grauiores: *Domine*, dicebat Chriſto[l], *ipſi ſciunt, quia ego eram concludens in carcerem, & cædens per Synagogas eos, qui credebant in te: & cum funderetur ſanguis Stephani teſtis tui; ego adſtabam & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum.* Quæ non tam ſunt verba, vt aliqui putant, accuſantis, & peccata exprobrantis, quàm bene pro Iudæorum parte ſperantis: quaſi dicere voluiſſet: Cùm ipſi benè viderint, quantus fuerim perſecutor ſeruorum tuorum, & qualis aduerſarius tuus, quomodo pro ipſis pugnabam, & expugnare omnes, qui pro te ſtabant, ſummo ſtudio contendebam, profectò certi eſſe poſſunt, me, non niſi veritate manifeſtiſſima conuictum, & diuino planè inſtinctu compulſum, mutare conſilium debuiſſe, fuiſſéque conuerſionem hanc meam, vt ait Chryſoſtomus[m], maius miraculum à te factum, quàm fuerit conuerſio trium millium in prima Petri concione, & iterũ in alia quinque millium. Quare non deſpero, quantumuis peruicaces modò ſe præbeant, aliquando tamen ceſſuros, meámque apud ipſos operam, quibus adeò notus ſum, multò vtiliorem futuram, quàm iis, quibus ignotum eſt præteritæ vitæ meæ inſtitutũ, mala, quæ contra te commiſi, & bona, quæ de manu tua benigniſſima, mirè & miſericorditer ſuſcepi. Quòd ſi vitam in hac ego cauſa profunderem, quid adeò magnum hoc eſſet? præſertim ad pondus immenſum, quo ſemper in conſcientia premor debiti officij mei, & eius, qua tantoperè adſtringor, obligationis meę. Quippe qui, dũ funderetur ſanguis Stephanis teſtis

i S. Aug. in Pſal. 103. cõc. 3.

k S. Bon. tract. de ſeptem grad. cõtempl.

l Act. c. 22. v. 19.

m Chryſoſt. hom. 21. in Acta.

teſtis tui, non ſolùm adſtabam ipſe, & conſentiebam; ſed vnus omnium quaſi manibus illum lapidabã. Eiſdem igitur victima tanti criminis quodãmodo expiatrix, ſacrificium propitiatoriũ, & oblatio ad veniã iis, qui per me in te, tuúmque Protomartyrẽ tam atrociter peccauerunt, hac ſaltem ratione impetrandam. Non erant huiuſmodi affectus inſoliti in corde Pauli: nam propterea ſic aliquando ſcripſit ad Romanos [n]: *Veritatem dico in Christo, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto: optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Christo pro Fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem, qui ſunt Iſraelitæ.* Nihilominus Christus Saluator in ſuæ prouidentiæ decreto perſiſtens, iuſſit Paulum Iudæos ſtatim deſerere, & Ieroſolyma quamprimùm diſcedere: *Festina*, inquit, *exi velociter ex Ieruſalem, & vade, quoniam in nationes longè mittam te.* Ad hæc monita Christi Domini acceſſit pia fratrum ſollicitudo, qui, etiamſi carere Pauli præſentia, & tanto ſpirituali ſubſidio noluiſſent; tamen agnoſcentes in quanto ibi periculo verſaretur, & qualem in ipſo iacturam Eccleſia pati vniuerſa debuiſſet, dum maiore ſtudio, quam olim Stephanus, ad necem quæreretur, voluerunt illum noctu Ieroſolyma deducere, & comitari pro ſecuritate vſque Cæſaream.

Sed, cùm plures ciuitates, Cæſareæ nomine appellatæ, inueniantur, de quanam loquatur S. Lucas, dubitari poteſt, dum tantummodo affirmat, Paulum nunc à Fratribus Cæſaream fuiſſe deductũ, & Tarſum inde poſteà dimiſſum. Sed in primis non poſſe id intelligi de Cæſarea, quæ eſt in Cappadocia, præterquam quòd remotior eſt, & ad Pauli iter viam non pertinens, ex ipſo Paulo cognoſcimus, qui ſuum hoc iter in Epiſtola ad Galatas deſcribens ait [p], cùm à Petro, ad quem videndum venerat, Ieroſolyma diſceſſiſſet, veniſſe ſe in partes Syriæ: non ergo venit Cæſaream Cappadociæ. Sed manet difficultas: quia præter Cęſaream, quæ eſt in Cappadocia, duæ aliæ ſunt in Syria, & ad vtrãque diuertere potuiſſet. Antiquior eſt, quæ anteà Stratonis turris vocabatur, poſita ad littus maris mediterranei inter Doram & Ioppen: eam Herodes maior immodicis ſumptibus amplificauit, & decennio multis viſendis operibus exornatam ad promerendam gratiã Auguſti Cęſaris Cęſaream appellauit, vt poſt Ioſephum [q] tradit S. Hieronymus [r]. Ab hac miſit Cornelius Cẽturio in Ioppen accerſitũ Petrum itinere milliariorum trigintaſex, vt ad eum baptizandum veniret. Altera Cæſarea recentior eſt, priùs à Græcis dicta Paneas, ab antro propinquo, vel fonte Paneade; dicta eſt etiam Dioſpolis à vicino templo aureo Iouis in monte Hermon. Hanc Philippus Herodis maioris filius, & frater alterius Herodis, Ioannis Baptiſtę interfectoris [s], cùm Tetrarcha eſſet Ituræ, & Trachonitidis regionis, auxit, ornatámque in honorem Tiberij Cæſaris Cęſaream ſimiliter nominauit: poſteà verò Rex Agrippa iunior eam reſtaurans, & exornans, vt Neroni adularetur, Neroniadem appellauit [t]. Atque ad hanc Cæſareã Paulum à Fratribus modò fuiſſe deductum exiſtimamus: quia Ieroſolymæ vicinior, & magis recto itinere Tarſum perducit: ſita eſt ad radices montis Libani, duos habens fontes, vnum nomine Ior, & alterum Dan, qui ſimul mixti, ait Hieronymus [u], Iordanis fluenta, & nomen efficiunt. Ab hac ciuitate mulier illa nobilis dicitur extitiſſe, de qua in Euãgelio [x] narratur, fuiſſe à Chriſto

n Rom. c. 9. v. 1.

p Gal. c. 1. v. 21.

q Ioſeph. lib. 1. de bello Iudaico, c. 16. & l. 15. Antiq. c. 13.

r S. Hier. in c. 16. Matth.

s Lucæ c. 3. v. 1.

t Ioſeph. libr. 20. Antiq. c. 8.

u in cap. 16. Matthæi.

x Matth. cap. 9. v. 20.

Chriſto curata à profluuio ſanguinis, quæ poſteà in memoriam tanti beneficij Chriſto Domino æneam ſtatuam domi ſuæ poſuit, quam ſe vidiſſe teſtatur Euſebius Cæſarienſis [y] illius poſteà ciuitatis Epiſcopus. Hic quanto tempore Paulus moratus ſit, ſcire certò non poſſumus, niſi quòd Lucæ modus ille loquendi, cùm ait[z], *Fratres deduxerunt eum Cæſaream, & dimiſerunt Tarſum.* tria videtur ſignificare: primum, à fratribus non Tarſum, ſed ſolùm vſque Cæſaream fuiſſe deductum: deinde nihil, aut valdè parum ibi ſubſtitiſſe: ac demũ alibi non morari; ſed quamprimùm peruenire Tarſum voluiſſe: *Tanquam*, inquit Chryſoſtomus, *vtiliùs ibi prædicaturus, & in ſua patria ſecurior futurus.*

y *Euſeb. lib. 7. hiſt. c. 14.*

z *Act. c. 9. v. 30.*

CAPVT VII.

Tarſi Paulus multos Chriſto lucratur: venit ad eum Barnabas, cum quo diſcedit Antiochiam, vbi conſtituta Petri cathedra primùm Chriſti fideles Chriſtiani appellantur.

ANno à Chriſti natiuitate quadrageſimo; imperij verò Caij ſecundo, & ætatis Pauli circiter trigeſimonono, ipſe Apoſtolus Tarſum patriam ſuam tandem reuiſit, à qua ante multos annos diſceſſerat adoleſcens, vt Ieroſolymis in doctrina legis, & Prophetarũ ſub Præceptore Gamaliele inſtitueretur. *Et proficiebam* (inquit ad Galatas ſcribens[a]) *in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo. Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret Filium ſuum in me, vt euangelizarem illum in Gentibus, continuò non acquieui carni & ſanguini.* Nam, etiamſi tunc eſſe tempus maximè opportunum videbatur, patriam & conſanguineos, à quibus per tot annos in ſtudiis alebatur, honeſtiſſimè adiuuandi; non tantùm acquiſita doctrina, ſed & multò magis infuſa diuinitùs copioſiſſima ſapientia; præſertim, cum neque Ieroſolymæ, neque Damaſci tutum ab inſidiis & periculo vitæ locum inueniret; tamen huc vſque rem diſtulit, vt tarditatem puriori & ardentiori charitate compenſaret. Erat Tarſus Ciliciæ ciuitas omnium celeberrima, & totius prouinciæ metropolis, adeóque florebant in illa omnium ſtudia diſciplinarum, vt, ſicut alibi[b] ex Strabone retulimus, Alexandriam, & Athenas ſuperaret. Huius autem rei teſtem, ait hic Auctor, ipſam Romam eſſe potuiſſe, quæ Tarſenſium huiuſmodi literatorum plena tunc eſſe videretur. Campum itaque ampliſſimum, & vberrimum ad Euangelium proſeminandum, cùm ibi Paulus inueniſſet, vt erat ea, de qua diximus, humana, diuináque ſapientia præditus, zelo feruentiſſimus, & non paruę in illa ciuitate auctoritatis, vtpote non ſolùm nobilis ibidem natus, verùm etiam inde Romana ciuitate donatus, quamplurimos aſſidua ſua prædicatione ad Chriſti fidem induxit. Quapropter antiquiſſimus Martyr S. Ignatius in ſua, quam ad Tarſenſes ſcripſit epiſtola, eos appellat Pauli ciues, atque diſcipulos: & in primo Concilio Ieroſolymitano, cùm Paulo rogante quædam fuiſſent definita, & ſtatuta circa obſeruationes antiquæ legis, miſſæ ſunt ea de re literæ fidelibus in Ciliciam, & præcipuè Tarſenſibus, cum hac inſcriptione[c]: *Apoſtoli, & ſeniores Fratres, his, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ,*

a *Gal. c. 1. v. 14.*

b *Lib. 2. cap 2. Strabo lib. 14.*

c *Act. c. 9. v. 23.*

Fratribus ex Gentibus, *Salutem.* Ex qua inſcriptione intelligi poteſt, non in ſola metropoli Ciliciæ Tarſo; verùm etiam in tota illa prouincia multos iam fuiſſe ad Chriſti fidem conuerſos, & pleroſque ex Gentilibus, peragrante Paulo, & inſtruente vniuerſam illam regionem, trium ferè annorum aſſidua prædicatione, diſputationibus, priuatis publicíſque collocutionibus.

Intereà Romæ Caius Caligula moritur, quarto anno imperij ſui nōdum expleto, coniuratione Caſſij Chereæ, & Cornelij Sabini, Tribunorum militum prætorianorum crudeliter interfectus: in cuius locū eorundē pretorianorū militum factione Claudius Caligulæ patruus Imperator ſuffectus eſt. Hic initio imperij ſui non parū fauiſſe Iudæis viſus eſt, & promulgatis variis edictis cauit, ne viuere patriis legibus, & ſuæ religionis ritus exercere impedirentur. Sed Chriſti Eccleſia tantò magis augebatur, quamplurimis, tum ex Iudæis, tū ex Gentilibus, ad eam alacriter accedentibus; maximè verò Antiochiæ, quam Romanus Imperator caput ac principē totius Syriæ & Palæſthinæ conſtituerat, vbi propterea ſedē habuit Proconſul, & præfectura dicebatur Auguſtalis. Id cùm Petrus Ieroſolymis intellexiſſet, Barnabam virum, ſicut eum appellat S. Lucas[d], bonum, plenum Spiritu ſancto, & fide, Antiochiam direxit; *qui cùm perueniſſet, & vidiſſet gratiam Dei, hortabatur omnes in propoſito cordis permanere in Domino.* Sed cùm tanta eſſet Gentiliū multitudo, qui ad Euangeliū diuina gratia vocabantur, de Prædicatore Gentiū Paulo aduocando ſibi amiciſſimo, quia vnus ipſe Barnabas tantæ multitudini non poſſe ſufficere videbatur, cœpit cogitare. Et ne Paulus per literas tantùm inuitatus aliquam fortaſſe prætenderet excuſationē, aut quia Barnabas de Paulo neſciebat, in qua Ciliciæ parte inueniretur, cùm certo non quieſceret loco, ipſemet voluit Tarſum vſque ad eum quærēdū proficiſci. Quare magna Dei prouidentia factum eſſe, ait S. Chryſoſtomus[e], vt Paulum Iudæi auerſarentur, nec vno in loco ſinerent quieſcere, *ne includeretur Ieroſolymis vox prædicationis, tubáque cælorum.* Venit ergo Tarſum Barnabas, & ibi Paulum inuenit: *Venit ad athletam*, inquit idē Auctor, *ad belli ducem, ad certantem duello ſingulari, ad leonem: non habeo, quo nomine dignè illum vocem: venit ad canem venaticum leones occidentem, ad taurum fortem, ad facem claram, ad os orbi ſufficiēs vniuerſo.* Hucvſque Chryſoſtomus. Ergo reuerſi ambo Antiochiā, ibique ſimul Paulus & Barnabas integro anno manētes, nouis ſēper ad fidem & Baptiſmū aggregatis, Eccleſiā valdè auxerunt, vt numerus fidelium iam non trium millium, aut quinque milliū, vt anteà Ieroſolymis, diceretur; ſed indefinitè turba multa credentium fuiſſe Antiochiæ, ibique primū vocatos eſſe Chriſtianos, qui anteà fideles dicebantur, aut credentes, aut diſcipuli, vel fratres inuicē ſe appellabant, aut per contemptum à Iudæis nominabātur Nazaræni, quia in Crucis titulo Chriſtus Nazarænus fuerat inſcriptus. Ex hoc autem Eccleſiæ Antiochenæ tam felici progreſſu, & honorifica nominis Chriſtiani vſurpatione Caluinus Chriſtiano tantùm nomine dealbatus (ſic enim Hæreticos eſſe vocandos ait S. Auguſtinus [f],) arripit qualencunque occaſionem contra Romanam Eccleſiam verbis procacibus inſurgendi, dum ſic ait [g]: *Egregium verò fuit vrbis Antiochenæ decus, quòd illinc nomen ſuum inſtar vexilli Chriſtus protulit: vnde palam fieret toti mundo,*

d ibid. c. 11. v. 23. 24.

e Chryſoſt. hom. 25. in Acta.

f S. Aug. lib. 1. contra epiſtol. Parmen.

g Calu. in com. Act. cap. 11.

mundo, populum eſſe aliquem, qui Chriſtum haberet pro duce, eiúſque titulo gloriaretur. Quòd ſi haberet Roma talem ſuperbiendi prætextum, quis inſolẽtes Papæ, & ſuorum iactãtias ferre poſſet? tunc non ſine colore detonarent, Romam eſſe Eccleſiarum omnium matrem, & caput. Sic iſte Romanæ, hoc eſt, Catholicæ Eccleſiæ perduellis: quaſi verò in his prætexribus, aut coloribus Roma, vel Antiochia, primatum fundet Eccleſiarum: aut, quia illa Chriſtiani nominis appellatio tunc cœpit Antiochiæ, non autem Romę; Eccleſia tunc habuerit, modò non habeat caput. Sed Caluino infrà reſpondebimus. Interim Martyrem antiquiſſimum Ignatium, Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum, audiamus de origine huius nominis Chriſtiani ſic ſcribentem in epiſtola ad Magneſianos: *Scimus digni cognomento, quod accepimus: qui enim alio nomine appellatur præter hoc, hic non eſt Dei, nec accepit Iſaiæ prophetiam loquentem de nobis*[h]*: & vocabitur tibi nomen nouũ, quod os Domini locutum eſt, & erit populus ſanctus. Antiochiæ enim primùm diſcipuli appellati ſunt Chriſtiani, cùm Petrus, & Paulus Eccleſiam fundarent.* Ita S. Ignatius, qui cùm ait, Petrum, & Paulum fundaſſe Eccleſiá Antiochenã, non eſt intelligẽdus, ac ſi vterque Apoſtolus eodẽ modo illi fundationi ſuam operam impẽdiſſet: nam Paulus prædicatione, & pręſentia, Petrus auctoritate etiã in abſentia operabatur. Cùm enim omnes antiquiores Põtifices in dandis prærogatiuis Eccleſiarũ, ordinem ſequerẽtur prouinciarũ, & prærogatiuas ciuitatibus cõceſſas à temporali gubernatione Romanorũ: videret autem S. Petrus inter omnes ciuitates, in quibus tunc florebat religio Chriſtiana, & incremẽta maximè in dies ſuſcipiebat, eſſe Antiochiam, tamque caput Syriæ ac Palæſthinæ, vbi ſedem habuit Romanus Proconſul; ſtatuit ibi ſuam primã Sedem patriarchalem conſtituere. Interim Eccleſia Ieroſolymitana, etiamſi origine & antiquitate præcipua; quia tamen ſecundùm iura Romanorum Antiochiæ ſubdebatur, manſit ſimplex epiſcopatus à S. Iacobo primo Ieroſolymorũ Epiſcopo gubernatus. Cæſarea verò, quia erat metropolis Palæſthinę, conſtituta fuit Archiepiſcopatus, vt ex canone octauo Nicęni Concilij licet agnoſcere. Hinc etiã factum eſt, vt, cùm poſteà S. Petrus per Marcum Euangeliſtam ſuo nomine Eccleſiã Alexandrinam patriarchalẽ cõſtituiſſet, quam ipſe nunquã per ſe adiuit, ſtatim ei ceſſerit Eccleſia Antiochena, non alia ratione, niſi quia Antiochenæ Alexãdrina ciuitas præferebatur, & eius pręfectura Cæſareo iure honorabilior habebatur. Sed nõ eſt omittendũ, quando Eccleſia Antiochena dignitate ceſſit Alexandrinæ, tunc Sedem, quam annis ſeptem Petrus habuerat Antiochiæ patriarchalẽ & pontificiam, Romã ab ipſo fuiſſe tranſlatam, nunquam inde ampliùs, Chriſto ſic ordinante, transferẽdam, relicto interim ſuo loco Epiſcopo Antiocheno, S. Euodio, vt teſtatur S. Ignatius eiuſdem Eccleſiæ poſt S. Euodium Epiſcopus in epiſtola ad ipſos Antiochenos, ſed ſine prærogatiua Patriarchatus vniuerſalis, quæ Petro viuẽte alteri cedere nulla ratione debuiſſet. Prætereà id, quod aſſerimus, S. Petrum Antiochiæ annis ſeptem pontificiam cathedram tenuiſſe, non ſic eſt accipiendum, quaſi ſemper in ea ciuitate toto illo ſeptennio reſideret: cùm enim Paſtor eſſet vniuerſalis, eius præſentia initio naſcentis Eccleſiæ multis locis erat pernéceſſaria; vnde, etiamſi vnam aliquam Eccleſiam patriarchalẽ immediatè per ſe gubernaret, nempe,

h *Iſai. c. 62. v. 2.*

nempe, tūc temporis Antiochenam, ob eas,quas diximus, rationes; alias verò per alios Epiſcopos:tamē obire interdum viſitando diuerſa loca cogebatur. Indicauit hoc paucis verbis S.Lucas,cum dixit [i]: *Factum eſt autem, vt Petrus, dum pertranſiret vniuerſos,deueniret ad Sanctos,qui habitabant Lyddæ.*Circa quę verba S.Chryſoſtomus [k] ita pro Commentario ſcripſit: *Quemadmodum dux in exercitu obambulans conſiderabat, quæ pars ſit coadunata,quæ ornata, quæ ſuo aduētu egeat. Vide illum vbique circuncurſare,& primum inueniri. Quando eligendus Apoſtolus, hic primus; quando loquendum Iudæis, quando concionandum, hic præ aliis; quando agendum contra Principes, quando contra Ananiam*, &c. Quare mirum videri non debet,ſi quando Paulus, & Barnabas Antiochiæ morabantur; Petrus ibi non aderat. Cur autem ad tantam meſſem animarum ſolum Barnabam Petrus deſtinauerit, non aliquem alium Apoſtolorum,illam ait Chryſoſtomus [l] eſſe rationem: quia, cùm Barnabas eſſet Cyprius, atque adeò inter Gentiles educatus,quorum Antiochiæ maxima erat multitudo, qui ad Chriſtum quotidie conuertebantur,commodius agere cum illis, ſine Iudæorū offenſione videbatur, quàm alij Apoſtoli, qui, cùm eſſent ex Iudæis, Gentium conuictum & contubernium magis declinabant. Sed illa quoque optima ratio reddi poteſt: quia,ſicut anteà dicebamus,valdè probabile eſt, Apoſtolorum per varias mundi partes diuiſionem iam hoc tempore fuiſſe factam: vnde Petro in curam plurium Eccleſiarum diſtracto, Iacobo autem in ſua Ieroſolymitana occupato, ſolum duo ſupererant, Paulus, & Barnabas, qui duodenario numero Apoſtolorum erant adiuncti, & ad conuerſionem Gentium multam à Deo gratiam, ac dona ſingularia ſortiti eſſe videbantur. Quamuis autem S. Lucas tantùm referat, Paulum veniſſe Antiochiam à Barnaba aduocatum, & Tarſo deductum, non ſine conſilio tamen, atque præſcripto S. Petri id eſſe factum, meritò credi poteſt: ſolet enim breuitati ſtudens S. Lucas multa prætermittere, ſicut tacuit de Petri ſede Antiochena Romā trāſlata,re apud antiquos Patres, & veteres Hiſtoricos certa & peruulgata, aliáque huiuſmodi prætermiſit,quæ benè S. Chryſoſtomus hic [m] obſeruauit, & S. Hieronymus in Commentario Epiſtolæ ad Galatas, ita ſcribens [n]: *Neque mirum eſt,ſi Lucas hanc rem tacuerit, quod & alia multa, quæ Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, Hiſtoriographi licentia prætermiſerit: & non ſtatim cenſeri debet eſſe contrarium, ſi quod alius ob cauſam dignum putauerit relatu, alius inter cætera dereliquit. Denique primum Epiſcopum Antiochenæ Eccleſiæ Petrum fuiſſe accepimus, & Romam inde tranſlatum, quod Lucas penitùs omiſit.* Hæc S.Hieronymus.

Sed poſt aduentum Pauli & Barnabæ Antiochiam, & operam integro anno illi Eccleſiæ amplificandæ nauatam,quod ait S.Lucas, incepiſſe ibi Chriſti fideles appellari Chriſtianos, qui annus, iuxta dicta ſuperiùs, erat Chriſti quadrageſimuſtertius, Claudij Imperatoris primus, & ætatis Pauli quadrageſimusſecundus, hoc videtur eſſe contrarium ei, quod in Apologetico Tertullianus [o] affirmauit,nomen Chriſtianum in ſæculum introiſſe tempore Tiberij Imperatoris: hic autem Imperator ante quatuor annos, quibus Caius imperauit, mortuus eſt, quàm Paulus & Barnabas eſſent Antiochiæ. Nec ſatisfacit,quod reſpōdet in Notis ſuper Tertul

i *Act. c. 9. v. 32.*

k *Chryſoſt.hom. 21. in Acta.*

l *Chryſoſt. hom. 25. in Acta.*

m *Chryſoſt.hom. 21. in Acta.*

n *Hieron. in cap. 2. Ep. ad Galat.*

o *Tertull. in Apolog. cap. 5.*

p Pamil. in Apolog. Tert. n. 37. Tertullianum Pamelius p, loqui Tertullianum fortaſſe de nomine Chriſtianorum à Iudæis primùm Ieroſolymis vſurpato; Lucam verò de eodem nomine poſteà Antiochiæ à Gẽtibus frequentato: nam Lucas abſolutè dixit, primùm Antiochiæ cognominatos eſſe diſcipulos Chriſtianos. Quare potiùs dicendum videtur, à Tertulliano ſumptum fuiſſe nomen Chriſtianũ pro notitia, & fama religionis Chriſtianę, quomodocũque ea vitæ profeſſio tunc appellaretur. Hęc enim Tertulliani ſunt verba: *Tiberius ergo, cuius tempore nomen Chriſtianum in ſæculum introiuit, nunciatum ſibi ex Syria Paleſthina, quòd illic veritatem illius diuinitatis reuelauerat, detulit ad Senatum cum prærogatiua ſuffragij ſui. Senatus, quia non in ſe probauerat, reſpuit; Cæſar autem in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum.* Voluit enim ſignificare Tertullianus, tempore imperij Tiberij Cęſaris, in quo Chriſtus multa, & maxima edidit miracula, mortuus eſt, reſurrexit, & in cœlum aſcẽdit, adeò famam eius diuinitatis, & bonum nomen Chriſtianæ religionis apud Imperatorem inualuiſſe, vt ipſe curauerit à Senatu per ſuffragia decerni de Chriſto inter Deos referendo. Sed, quia Chriſti admirandas operationes Pontius Pilatus Imperatori, non Senatui deſcripſerat, vt infrà teſtatur idem Tertullianus q, indignatus Senatus, negotium reliquit infectum, quod valdè ægrè tulit Imperator, comminatus ſupplicium, ſi quis auderet apud Iudices accuſare Chriſtianos. Quamuis, quod S. Lucas, & S. Ignatius ſuprà relati dixerũt, Paulo Antiochiæ euangelizante, fideles ibi primùm cognominatos eſſe Chriſtianos, non ſic eſt accipiendum, quaſi hoc nomẽ vna die ſit inditum; ſed quia circa illud tẽpus, vt maximè creſcebat numerus Chriſtianorum; ita eorum appellatio percrebuerit, etiamſi fortè ante aliquot annos apud aliquos audiretur, & poſt aliquot annos habita eſt Synodus Antiochena, in qua inter alios canones vnus dicitur hic extitiſſe r: Vt credentes in Dominũ IESVM deinceps Chriſtiani vocarentur. Vnde mirum non eſt, ſi apud Hiſtoricos varium hoc tempus habeatur, aliis reſpicientibus obſcura initia talis appellationis; alij publicam & vniuerſalem etiam per Concilia approbationem.

q Tert. in Apolog. c. 21.

r refert Pamph. Martyr ex Bibl. Origenis. Turrianus lib. 1. pro canõ. Apoſt. c. 25.

Illud quoque in præſentia quæri poteſt, quanam occaſione, & quibus Auctoribus Antiochiæ potiſſimùm inditum fidelibus Chriſtianum nomen habeatur. Id Pauli prædicationi adſcribit S. Ioannes Chryſoſtomus s, cùm ait, propterea tanta cum laude tale nomen illam ciuitatem fuiſſe cõſecutam, quòd tanto tempore ſacro Pauli concionantis ore frueretur. *Et vide, inquit, in quantum faſtigium extulit ciuitatem, & clariorem eam reddidit hoc Pauli opus?* Et in quadam homilia ad populum Antiochenum t: *Sicut, inquit, inter Apoſtolos primus Petrus Chriſtum prædicauit: ſic inter ciuitates hæc prima tanquam coronam quandam admirabilem, Chriſtianorum tulit appellationem.* Eandem nominis impoſitionem Apoſtolis tribuit S. Athanaſius, qui tunc Antiochiæ non erant alij, niſi Paulus, & Barnabas: & occaſionem exponit his verbis u: *Omnes, qui credebant in Domino noſtro IESV Chriſto, non Chriſtiani, ſed diſcipuli tantummodo vocabantur: & quia multi nouorum dogmatum auctores extiterant doctrinæ obuiantes Apoſtolicæ, omnes ſectatores ſuos diſcipulos nominabant, nec vlla erat nominis diſcretio inter veros, falsóſque diſcipulos; tunc Apoſtoli conuenientes Antiochiæ, ſicut horũ Acta, narrante Luca, teſtantur,*

s Chryſ. hom 25. in Acta.

t Chryſ. homil. 3. ad pop. Antioch.

u S. Ath. diſp. contra Arianos.

tur, omnes diſcipulos vno nomine, id eſt, Chriſtianos appellant, diſcernentes à communi diſcipulorum vocabulo, vt diuini per Iſaiam oraculi ſermo compleretur, quo ait: Seruientibus mihi vocabitur nomen nouum. Videtur tamen S. Athanaſius reſpexiſſe aliud tempus, quàm hoc, vbi erant tantùm ex Apoſtolis Antiochiæ Paulus & Barnabas; & magis ſignificare tempus illud voluiſſe, quo poſt aliquot annos Apoſtoli Concilium Antiochenum habuerunt, & inter alios canones illum ediderunt inuentum à S. Pamphilo Martyre in Origenis antiqua Bibliotheca: vt credētes in Dominū IESVM Chriſtiani deinceps vocarētur. Quare Auctor Hiſtoriæ ſcholaſticæ [x] arbitratus eſt, primam huius nominis adinuentionē fuiſſe à Gentilibus, admiſſam poſteà & approbatā ab Apoſtolis. Ethnici tamen, ne de nomine quidem benè agnoſcere Chriſtū volentes, Chreſtū nominare ſoliti ſunt, & Chriſtianos Chreſtianos [y]. Sed vtrunque nomen honorificum eſt: nam, ſicut Chriſtus, ita Chriſtianus à Chriſmate, regali, videlicet, vnctione deducitur: Chreſtus autem Græcè χρηστὸς, bonum ſignificat, ſiue benignum, ſuauem, ac beneficum. Vnde Chriſtus Dominus, vbi iugum ſuum ſuaue appellauit, in Euangelio [z] Græcè legitur χρηστὸς. Et S. Paulus, vbi Epheſios hortatur, dicens [a]: *Eſtote inuicem benigni.* χρηστὸς Græcè poſuit. Hinc argute in ſuo Apologetico aduersùs Gentes Tertullianus [b]: *Quæ,* inquit, *accuſatio vocabulorum, niſi aut barbarum aliquod ſonat vox nominis, aut infauſtum, aut maledicum, aut impudicum? Chriſtianus verò, quantùm interpretatio eſt, de vnctione deducitur. Sed & cùm perperam Chreſtianus pronunciatur à vobis, (nam nec nominis certa eſt notitia penes vos,) de ſuauitate & benignitate compoſitum eſt. Oditur ergo in hominibus innocuis etiam nomen innocuum.* Sed non minùs quàm Gentiles Hæretici huic nomini aduerſati ſunt: nam, dum ſuos ſectatores abuſu nominis Chriſtianos, quaſi alij fideles tales non eſſent, appellare incepiſſent, ad hos diſcernendos à veris Chriſtianis, adhuc à tempore Apoſtolorum cognomen Catholici addendum fuit: ideò in Symbolo Apoſtolico Chriſti Eccleſia, Catholica eſt cognominata. Quare Pacianus in epiſtola ad Sempronianum, quæ eſt de nomine Catholico: *Catholicum,* inquit, *iſtud, nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum ſonat, nec Hæreticos ſumit auctores. Mihi nomen eſt Chriſtianus; Catholicus vero cognomen: illud me nuncupat; iſtud oſtendit.* Et quia nomen Catholici adhuc aliqui Hæreticorum auſi ſunt ſibi arrogare, alia eſt inuenta denominatio, vt illi cenſerentur veri, & orthodoxi Catholici, qui, quoad fidei profeſſionem, Romani dici poſſent, id eſt, qui eam fidem profiterentur, quam tenet Romanus Pōtifex, legitimus ſucceſſor S. Petri, qui ex Chriſti ordinatione cathedram Pontificiam, quam ſeptem annis habuit Antiochiæ, tranſtulit Romam, cámque caput & matrem omnium Eccleſiarum cōſtituit, in qua nunquam defecit, neque defutura vſque ad finem mundi, Deo promittente ac protegente, ſperatur Catholica fides: quam propterea illis verbis commēdat Apoſtolus ad ipſos Romanos ſcribens [c]: *Primùm quidem gratias ago Deo meo per IESVM Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.* Et hanc eſſe non ſolùm laudem præſentis; ſed etiam prophetiam futuræ fidei monet S. Cyprianus in epiſtola ad Corneliū Papam, & in alia epiſtola [d]: *Nō cogitas,* inquit, *eos eſſe Romanos, ad quos perfidia nō poteſt habere acceſſum?*

Simili

x *Auct. Hiſtor. ſchol. c. 8. in Acta.*

y *Luciā. in Philopatro. Suet. in Claud. c. 25.*

z *Matt. c. 11. v. 30.*

a *Epheſ. cap. 4. v. 32.*

b *Tertul. in Apolog. c. 3.*

c *Rom. c. 1. v. 8.*

d *S. Cypr. ep. 3 lib. 1.*

Similiter S. Hieronymus libro tertio contra Ruffinum: *Ad Romanos*, inquit, *apoſtolico ore laudatos perfidia non habet acceſſum: ſcito Romanam fidem huiuſmodi praeſtigias non recipere.* S. Baſilius [e]: *Nunquam*, inquit, *nos in nouitatem conſenſimus, non alia fides apud nos, alia Romae.* S. Gregorius Nazianzenus [f]: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & ſemper eam retinet, ſicut decet vrbem, quae toti orbi dominatur.* Tertullianus [g]: *Statu felix Eccleſia Romana, cui totam doctrinam Apoſtoli, Petrus, & Paulus, cum ſanguine ſuo perfuderunt.* Quare ſic Romam alloquitur S. Leo in ſermone de SS. Petro, & Paulo: *Per ſacram Petri ſedem caput orbis effecta latius praeſides religione diuina, quàm dominatione terrena; & minus eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubiecit.* Et B. Proſper Aquitanus eiuſdem S. Leonis quondam Notarius, & S. Auguſtini diſcipulus, in carmine de ingratis ita cecinit:

e S. Baſil. ep. 72.

f Naz. in car. de vita ſua.

g Tert. lib. de praeſcr. contra Haeretic. c. 36.

Sedes Roma Petri, quae paſtoralis honoris
Facta caput mundi, quidquid non poſſidet armis,
Relligione tenet.

Itaque non dicat Caluinus, nos ſine colore detonare, Romanam Eccleſiam eſſe omnium Eccleſiarum matrem, & caput; neque modernorum inſolentes has eſſe iactantias: nam & S. Ignatius, qui tertius fuit à S. Petro Epiſcopus Antiochenus, & S. Ioannis Euangeliſtae diſcipulus, ad Romanos ſcribens, ita epiſtolam ſuam orditur: *Miſericordiam conſecuta in magnitudinem Dei altiſſimi Eccleſiae ſanctificatae, & illuminatae Dei, quae praeſidet in loco Romanorum eminentia digna*, &c. Imò addimus eminentiam hanc non eſſe iuris tantùm eccleſiaſtici, ſed diuini: vt, nimirum, ille, qui eſt Romanus Epiſcopus, ſit Petri ſucceſſor in Summo Pontificatu; nec eligi legitimè poſſit in Summum, & vniuerſalem Pontificem Eccleſiae totius, qui non teneat Romanae Eccleſiae Epiſcoparum. Qua in re nonnulli etiam Catholici Scriptores [h] decepti ſunt, putantes, hunc primatum iure tantùm eccleſiaſtico eſſe conſtitutum, atque adeò per eandem Eccleſiam transferri poſſe in alium, quàm Romanum Epiſcopatum. Sed contra hoc eſt apertiſſimum teſtimonium Anacleti Papae, qui in epiſtola ſua tertia, vbi narrat, ſe à S. Petro fuiſſe Epiſcopum ordinatum, & profitetur ea, quae ſcribit, ſe ſcribere ex doctrina Apoſtolorum, ſic habet: *Haec Romana Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino primatum obtinuit ſuper omnes Eccleſias populi Chriſtiani, quādo Chriſtus B. Petro dixit: Super hanc Petram aedificabo Eccleſiam meam.* Vnde Gelaſius Papa in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum ſimiliter ait: *Romana Eccleſia nullis ſynodicis conſtitutionibus caeteris praelata eſt; ſed voce Domini primatum obtinuit.* Et Nicolaus I. in epiſtola ad Imperatorem, *Priuilegia*, inquit, *Romanae Eccleſiae non ſunt à Synodis donata, ſed celebrata.* Quare definita demum eſt haec veritas illis verbis in Concilio Florentino: *Definimus ſanctam apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiúſque Eccleſiae caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à D. N. Iesv Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam geſtis oecumenicorum Conciliorum, & ſacris*

h Sot. in 4. d. 24. q. 2. a. 3.

Canonibus continetur. Quod verò aliqui Hæreticorum in tantam mentiédi impudentiam progreſſi ſunt, vt auſi fuerint negare, S. Petrum, non modò Sedem patriarchalem Antiochenam aliquando Romā tranſtuliſſe; ſed nec vnquam Romæ illū fuiſſe; mendacium eſt irriſione magis, quàm refutatione dignum: cùm ex ſolis Auctoribus, qui ante mille annos ſcripſerunt, plures quàm triginta inueniantur, qui nemine diſſentiente, de Petri in vrbe Roma Pōtificatu apertè meminerūt, quos referunt eruditiſſimi Cardinales, Baronius[i], & Bellarminus[k]: nec vllus ante huius ſæculi nouas hæreſes ex antiquis Scriptoribus, Hiſtoricis, vel Patribus, in dubiū id aliquādo reuocauerit. Et quod Romæ S. Petrus ſupplicio crucis ſit affectus, totis mille & quingentis annis creditum eſt ab orbe vniuerſo, extantibus intra, & extra vrbem illuſtribus ea de re monumētis, ſacris Reliquiis; Cathedra, in qua ſedit; cuius memoria, ſicut etiam martyrij ibidèm conſummati, ſingulis annis certa die per totum orbem Chriſtianum piè celebratur à tempore immemorabili. Sed iam à S. Petro, propter quem, Caluino id importunè poſtulante, huc vſque digreſſi ſumus, ad S. Paulum reuertamur.

i *Baron. tom. 1. an. 44.*
k *Bell. lib. 1. de Rom. Pō-tifice.*

CAPVT VIII.

Paulus, & Barnabas collectas Antiochiæ plurimas eleemoſynas deferunt Ieroſolymam, vt magnis Eccleſiarum neceſsitatibus ſubueniant.

Circa idem tempus, quo Paulus, & Barnabas Eccleſiam Antiochenam florentiſſimam adiuuabant, annus is fuit Chriſti, vt anteà poſuimus, quadrageſimuſtertius, & Claudij Imperatoris primus; aduenerunt profecti Ieroſolyma quidam inſigni prophetiæ dono præditi Chriſtiani; ſiue Antiochenæ Eccleſiæ tam felicibus progreſſibus inuitati; ſiue etiā à S. Petro tunc manente Ieroſolymis tranſmiſſi, ad illius Eccleſiæ Antiochenæ, cuius pręcipuam curam gerebat, ornamētum, atque ſubſidiū; ſiue etiam diuino peculiariter inſtinctu propter Fratres, quibus in Iudæa, & maximè Ieroſolymis imminere maximam calamitatem hi Prophetæ præſentiebant. Erat id etiam futurum emolumento ad maiorem illius nouæ & numeroſiſſimæ Eccleſiæ Antiochenæ confirmationem ex Gentibus magna ex parte collectæ, quibus proinde vaticinia, & huiuſmodi ſigna diuinæ virtutis non parum ad fidem, ac pietatem conferre poſſe videbantur. Hoc à S. Luca narratur his verbis[a]: *In his autem diebus ſupervenerunt ab Ieroſolymis Prophetæ Antiochiam. Et ſurgens vnus ex eis, nomine Agabus, ſignificabat per Spiritum famem magnam futuram in vniuerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio.* Et quamuis de tempore huius famis Hiſtorici quidam diſſentiant: nam Euſebius in Chronico, & eum ſecutus Oroſius[b], Claudij Imperatoris anno quarto referūt accidiſſe; alij verò anno tertio: tamen anno ſecūdo à Baronio[c] multò veriùs adſcribitur. Nam Dio Caſſius[d], qui ex vrbis Faſtis Romanam Hiſtoriam per ſingulos annos diligenter contexuit, nullā aliam ſub Claudio Imperatore factam eſſe famem cōmemorat, niſi anno eius imperij ſecundo, quando etiam propterea de Romano portu extruendo ait initum ab hoc Imperatore conſilium, ne vrbs in poſterum fame huiuſmodi ſine remedio prem eretur: & hoc magis cū ſacra Lucæ Hiſtoria

a *Act. c. 11. v. 27. 28.*
b *Oroſ. l. 7. c. 6.*
c *Baron. ann. 44.*
d *Dio Caſſ. lib. 60.*

Hiſtoria conſentit. Quare, quod dicit Lucas, Agabum Prophetam illis diebus Antiochiam ſuperueniſſe, de anno primo Claudij Imperatoris, in quo verſamur, eſt intelligendum: nam Agabus prophetauit de fame vniuerſali ſub Claudio Cæſare paulò pòſt ſecutura, nēpe, anno eius imperij ſecundo, ideò prophetia hæc nō minùs, quàm integro anno rei euentum debuit præceſſiſſe: ſiquidem proximè futuram terrarum ſterilitatem præuidere & prædicere, quando cœli annua intemperies, mala germinatio ſementis ac ſegetum id præmonſtrat, fieri poteſt etiam ſine prophetia. Quod verò prophetia ſignificauerit, magnam illam famem in vniuerſo Orbe terrarum ſecuturam, per Synecdochem eſt accipiendum, ad magnam Orbis partem ſignificādam, cùm neque totus Orbis imperio Romanorum ſubiiceretur, neque maior, ſed magna quædam eius pars. Fuiſſe verò famem illam valdè vniuerſalem, & varias regiones grauiter afflixiſſe, plures etiam Ethnici Scriptores tradiderunt, nempe, Dio, vt anteà diximus, in ſua Hiſtoria[f], & in vita Claudij Cæſaris Suetonius, qui addit, ob id non longè à periculo Imperatorem abfuiſſe, cùm aliquando à commota ſeditione turba in Romano foro detineretur, & non ſolùm conuiciis, ſed etiam proiectis in illum fragminibus mucidi panis impeteretur: vt difficulter euadere, nec niſi per poſticum potuerit in palatiū ſe recipere. Meminit quoque huius grauiſſimæ famis Ioſephus libro Antiquitatum vigeſimo, his verbis[g]: *Cùm per id tempus ciuitas Ieroſolymitana graui fame premeretur, & multi perirent alimentorum inopia, Regina Helena ex ſuis alios miſit Alexandriā, comportaturos vim magnam tritici; alios in Cyprum, qui copiam ficuum paſſarum inde adueherent: quibus omnibus breui tempore reuerſis, cibos egenis diſtribuit, atque hoc beneficio memoriā immortalem ſibi apud noſtram gentem peperit. Filius quoque eius Izates, comperto quāta fame laboraret ille populus, multùm pecuniæ miſit Ieroſolymorum Primatibus.* Sed, quod addit Ioſephus, Helenam hanc, quam dicit Adiabenorum fuiſſe Reginam, cum filio ſuo Izate, ad religionem Iudæorum trāſiuiſſe, (magna primùm diſputatione præmiſſa inter quendàm Ananiam, & alium Iudæum, qui venerat ex Galilæa, Eleazarum nomine, verùm ſine Sacramento Circunciſionis, à quo Reginæ filius abhorrebat, poſſe eam religionem ſuſcipere; affirmante Anania, Eleazaro autem negante,) meritò dubitare aliquos fecit[h], ne potiùs ad noſtram Chriſtianam religionem Regina illa tranſierit. Nunquam enim apud Iudæos inuenitur in controuerſiam fuiſſe reuocatum, an poſſet maſculus ſine circunciſione ſaluari: cùm in veteri lege ſic apertè præſcribatur[i]: *Maſculus, cuius præputy caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo.* Cùm tamen inter Apoſtolos multo tempore vſque ad Concilium Ieroſolymitanum, Paulo vigente, vt infrà narrabitur, agitata ſit quæſtio de circunciſione ampliùs in lege euangelica non neceſſaria. Et ſanè haud eſſet nouum, in Hiſtoria Ioſephi deprehendere, quæ ad gloriam Chriſtianæ religionis facere poſſe videbantur, diſſimulata, aut parum ſyncerè ab eo fuiſſe narrata. Quare Paulus Oroſius[k], quem alij ſunt ſecuti, maluit affirmare, hanc Helenam, eiúſque filium Izatem, Chriſtianam fidem ſuſcepiſſe. Lucius quoque Dexter in ſuo Chronico circa annum Chriſti ſexageſimum ſextum ſic habet: *Helena, Adiabenorum Regina, Chriſtiana*

f *Dio lib. 60. Suet. in Claud. cap. 18.*

g *Ioſeph. lib. 20. Antiquit. c. 2.*

h *Baron. an. 44.*

i *Gen. c. 17. v. 14.*

k *Oroſ. lib 7 c. 6. Ado in Chron. & alij.*

ſloret Ieroſolymis prædicatione Apoſtolorum conuerſa. Idque, ait hic Auctor, eſſe acceptum ex antiquis Annalibus Ieroſolymitanis. Vtcunque tamen ſe habuerit ea conuerſio, illa erga Ieroſolymitas quantumuis regia liberalitas & munificentia ſatis non fuit, ad famis vniuerſas miſerias releuandas, omnium per Iudæam, ac Palæſthinã Chriſtianorum: niſi charitas Antiochenæ Eccleſiæ numeroſiſſimæ, & ditiſſimę, Paulo cum Barnaba procurante, ſuperueniſſet. Augebatur enim miſeria communis egeſtatis in Chriſtianis Ieroſolymæ, & per Iudæã habitantibus, ex cauſa multiplici. Primũ, quia, ſicut in Actis legimus apoſtolicis [l], plerique fideliũ, ſtudio euãgelicę perfectionis, ꝓpriis agris, domibúſque diuenditis, pretia poſuerãt ad pedes Apoſtolorũ, vt omnia eſſent cõmunia, & religioſam ita paupertatem profiterentur. Quare conſiderãs S. Hieronymus, quod de ſe, & Barnaba Apoſtolus teſtatur in Epiſtola, quã ſcripſit ad Galatas [m], curam pauperum valdè ſibi fuiſſe à ſanctis Apoſtolis Petro, Iacobo, & Ioãne cõmendatam, ſic ait: *Sancti pauperes, quorum præcipuè cura Paulo, & Barnabæ ab Apoſtolis mandatur, hi ſunt, qui ex Iudæis credentes, pretia poſſeſſionum ſuarũ ad pedes Apoſtolorum deferebant, egentibus largienda.* Horũ pręcipuus fuerat ipſe Barnabas, de quo propterea in Actis apoſtolicis ſic habetur [n]: *Ioſeph autẽ, qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis, quod eſt interpretatum, filius conſolationis, Leuites, Cyprius genere, cùm haberet agrum, vendidit eũ, & attulit pretium, & poſuit ante pedes Apoſtolorum.* Fuiſſe autem agrũ non qualencunque, ſed peramplũ, & magnificis ædificiis adornatum, ac proinde ſummã pecuniarum non vulgarem inde collectam, Auctores fide digni tradiderunt [o]. Quare mirum nõ eſt, ſi cũ Paulo Barnabas potiſſimùm fuerit electus, qui, tanquam curator diligẽtiſſimus, & diſpenſator fidelis, inopiã talem Chriſtianorum Ieroſolymitarũ Antiochenæ Eccleſiæ munificentia releuaret. Erat ex alio capite grauior prædicta calamitas Chriſtianis; quia ſæua illa in Martyrẽ Stephanum excitata perſecutio, pleroſque fideliũ Ieroſolyma ſic diſperſerat, vt bonis ſuis, ſi quę illis remanſerãt, cedere tãquam exilio mulctati cogerentur: eorum autẽ bona, partim edicto Iudaïci Magiſtratus, fiſco adiudicabãtur; partim à propinquis, & ab aliis diripiebantur. Et hoc ſignificare videtur Apoſtolus voluiſſe in Epiſtola ſua ad Hebræos, pro cõmendatione patientiæ ipſorum ita ſcribens [p]: *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam.* Eorum autem exemplo ad ſimilem patientiam hortabatur Theſſalonicenſes [q], dicens: *Vos enim imitatores facti eſtis, Fratres, Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa in Chriſto* IESV: *quia eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Iudæis.* Inter omnes autem Eccleſias illa ex Iudæis fideliũ, qui erant Ieroſolymis, maximè affligebatur: quia, inquit S. Hieronymus [r], *à contribulibus, cognatis, & parentibus ſuis quaſi deſertores legis, & in crucifixum hominẽ credentes, deteſtationi & piaculo ducebantur.* His incommodis Eccleſiæ Ieroſolymitanæ aliud grauius accedebat excitatæ in eam circa hoc tempus nouæ perſecutionis à Rege Agrippa, quẽ Lucas Herodem vocat, quia vtroque nomine appellabatur & Herodis, & Agrippæ, ante quẽ fuit Herodes Antipas Ioãnis Baptiſtæ interfector, & Chriſti irriſor, filius Herodis ſenioris, qui Aſcalonita dicebatur, occiſoris paruulorum innocentium. Huius Aſcalonitæ hic Herodes

Agrippa

l *Act. c. 4. v. 34.*

m *Gal. c. 2. v. 10.*

n *Act. c. 4. v. 36.*

o *Alexander Monachus de geſtis Barnabæ.*

p *Hebr. c. 10. v. 34.*

q *Theſſal. ep. 1. c. 2. v. 14.*

r *S. Hieron. in c. 2. Ep. ad Gal.*

Agrippa ex filio Ariſtobulo fuit nepos, qui, cùm regnum obtinuiſſet à Caio Imperatore, in cuius aula Romæ anteà verſabatur, & deinde à Claudio fuiſſet in regno cõfirmatus, tũ paulò pòſt Roma Ieroſolymam reuerſus, vt erat Iudaïcæ religionis ſtudioſiſſimus, quod Philo [s], & Ioſephus [t] de illo teſtantur, facilè permiſit à Iudęis ſibi perſuaderi, vt Eccleſiã Chriſti, quæ tam felici progreſſu magis quotidie creſcebat, affligeret, & ſi fieri poſſet, etiam extingueret. Rem ita S. Lucas exponit [u]: *Eodem autem tempore miſit Herodes Rex manus, vt affligeret quoſdam de Eccleſia. Occidit autem Iacobum, fratrem Ioannis, gladio. Videns autẽ, quia placeret Iudæis, appoſuit, vt apprehenderet & Petrum.* Itaque cùm in perſecutione S. Stephani diſperſi fideles Ieroſolyma fuiſſent, præter Apoſtolos, qui omnes remanere ſine alio diſcrimine ſunt permiſſi; hic primi petebantur Apoſtoli, & aduersùs fundamenta, ipsámque Eccleſiæ petram portæ Inferi præualere nitebãtur. Quamuis autem mira Dei prouidentia, & angelico miniſterio Petri catenæ fuerint diſſolutæ; ipſe verò Petrus liber à carcere, Angelo duce, ſit dimiſſus: tamen regiæ irę cedendum fuit, & procul Ieroſolyma diſcedendum. Quare charitas Pauli præſtò eſſe debebat Eccleſiæ potiſſimum Ieroſolymitanæ, tanquam aliarum matri, illius ante annum præueniendo egeſtatẽ proximè ſecuturam, ea prouidentia & ſollicitudine, quæ per Prophetam à Deo Antiochiam deſtinatum non ſine miraculo dirigebatur. Fuit autẽ hic Propheta Agabus ille idem, qui, ſicut infrà erit referendum, Paulo Cæſareę cõmoranti vincula prophetauit, & imminentes tribulationes: vt proptereà nomẽ eius Agabus interpretetur Beda, nuncium tribulationis; & quaſi alter Michæas prophetans mala. Qua in re aliam quoque hic prouidentiam diuinam, cum Chryſoſtomo licet agnoſcere: quia, cùm non minùs eſſet donum Pauli, quàm Agabi prophetia; tamen de hac imminente calamitate non habuit Paulus propriam reuelationem, ne malum huiuſmodi prænunciando moleſtus Doctor, & nimiùm oneroſus nouis illis Chriſtianis appareret. Sed nihilominùs prædici per Spiritum ſanctum ab aliquo Propheta expediebat, ne, quod interdum Ethnici Chriſtianis obiiciebant, immiſſum propter ipſos malum putaretur. Tanta verò fuit, hortante Paulo, pietas ac liberalitas fidelium Antiochenorum, vt nullus ex eorum numeroſiſſima multitudine inuentus ſit, qui, ſicut indicat S. Lucas, non obtulerit pro ſua quiſque facultate, vel etiam ſupra facultatem, ſe aliquid donaturum. Itaque inquit [y]: *Prout quiſque habebat propoſuerunt ſinguli in miniſterium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerunt mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ, & Sauli.* Antequàm igitur communis illa calamitas prænunciatæ famis in orbe terrarum apparuiſſet, Paulus, & Barnabas Antiochia diſcedentes veniunt Ieroſolymam, ibi collectum theſaurum eleemoſynarum apud Iacobum, Epiſcopum Ieroſolymorum, deponunt, niſi tunc aderat fortè S. Petrus, vt per manus Presbyterorum, & ſeptem Diaconorum indigentibus ſuo tempore diſtribueretur.

s *Philo in Flaccum.*
t *Ioſeph. lib. 18. Antiq. cap. 8. & lib. 19. c. 5.*
u *Act. c. 12. v. 1. 2. 3.*
y *Act. c. 11. v. 29. 30.*

Quanta verò cum approbatione ſucceſſerit prima hæc ex multorum collatione eleemoſynarum, ad inopiam indigentium ſubleuandam, facta in Eccleſia Antiochena contributio, hinc poteſt agnoſci, quòd poſteà per varias Eccleſias magno pietatis emolumento, ex inſtituto apoſtoli-

co

co introductæ huiuſmodi collectæ fuerunt, & pleriſque in Eccleſiis deinceps obſeruatæ. Vnde ſæpè in ſuis Epiſtolis collectarum meminit S. Paulus: vt, cùm in priore ad Corinthios ait [z]: *De collectis autem, quæ fiunt in Sanctos, ſicut ordinaui Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite.* In poſteriore verò ad eoſdem Corinthios Epiſtola [a], longam ea de re inſtituit tractationem, oſtendens rei præſtantiam, neceſſitatem, meritum, tradens formam & modum, vrgens exemplo liberaliſſimæ charitatis aliarum quarundam Eccleſiarum; ſed in primis exemplo Chriſti Saluatoris, *qui propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopia nos diuites eſſemus.* Quare ſic inualuit pia hæc in Eccleſia conſuetudo, vt vſque ad tempora S. Hieronymi, ſicut ipſe teſtatur [b], fideles ex toto orbe mitterent eleemoſynas Ieroſolymam, tanquam ad Eccleſiam origine omnium primam, & quaſi aliorum matrem, in qua primi illi credentes, vt omnium fidelium neceſſitatibus prouideretur, prædia ſua, domóſque vendentes, pretia ante pedes Apoſtolorum liberaliſſima pietate depoſuerunt. Quoniam verò laudabilis huiuſmodi pietatis mos Conſtantinopoli aliquantulùm exoleuerat, S. Ioannes Chryſoſtomus reſtitui diligenter curauit, præclaram habens ea de re concionem [c], in qua etiam meminit antiquæ, & vſque ad eam diem obſeruatæ conſuetudinis, vt eſſent arcæ in Eccleſiis, in quibus oblatæ pro pauperibus pecuniæ conderentur, quas ipſe Græcè vocat gazophylacia. Et S. Cyprianus [d] idem valdè commendans, Corbonam Hebraice appellauit. Sãctus verò Paulinus [e], Domini menſam, cùm ait: *Non patiamur ergo menſam Domini, & nobis vacuam, & egentibus inanem relinqui, & viſui tantùm ſtare, non vſui.* Neque ſolùm ſancti Epiſcopi in ſuis Eccleſiis; ſed etiam Summi Pontifices opus tantæ pietatis Romæ commendare publicis exhortationibus conſueuerunt, & vt potiſſimùm Dominico die, quia ſic S. Paulus inſtituerat, perficeretur, ipſi indicebant. Vnde plures extant S. Leonis inſcripti pro collecta ſermones [f], in quorum vno ſic fideles alloquitur: *Ideò, dilectiſſimi, ſatisfiat apoſtolicis inſtitutis. Et quia die Dominica prima eſt futura collectio, omnes vos deuotioni voluntaria præparate, vt vnuſquiſque ſecundùm ſufficientiam habeat in ſacratiſſima oblatione conſortium.* Statutum præterea fuit, vt in tempore ſolennis Miſſæ ſacrificij hæ potiſſimùm oblationes offerrentur. Iuxta quod in Epiſtola ad Hebræos ſcripſit S. Paulus [g]: *Beneficentiæ, & cõmunionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Et miſſas ſibi à Philippenſibus eleemoſynas [h], vocat, *hoſtiam acceptam, placentem Domino in odorem ſuauitatis.* Imò in ſecunda Epiſtola ad Corinthios [i], collectam eleemoſynã vnico vocabulo Græcè dicit λειτουργίαν, quo propriè ſacrificium ſignificatur. Idque S. Chryſoſtomus expendens ait [k]: *Cùm pauperem vides, corpus Chriſti, aram Chriſti te videre puta, & reuerere, & eleemoſynæ ſacrificium offer: ex quo gloria & gratiarum actio, quaſi fumus aſcendat ad Deum.* Vnde viciſſim factũ eſt, vt tales oblationes cuidam parti Sacrificij Miſſæ, quæ inter Euangelium, & conſecrationem continetur, nomen dederit, Offertorij: ſicut tradunt Innocentius III. [l] & alij, qui de Officiis ac ritibus eccleſiaſticis ſcripſerunt. Quia verò ſucceſſu temporũ ſegnior populus in offerendis talibus eleemoſynis inueniebatur, putant aliqui, ob id fuiſſe inductum, vt Concionatoris voce,

præſer

z 1. Cor. c. 16. v. 1.
a 2. Cor. c. 8. v. 1.
b S. Hieron. lib. contra Vigilantium.
c Chryſoſt. hom. de eleemoſyna, & collectis.
d S. Cypr. lib. de operib. miſericord.
e S. Paulin ep. 32.
f S. Leo ſerm. 2. 3. 5. de collectis.
g Hebr. cap. 13. v. 16.
h Ad Philip. cap. 4. v. 18.
i 2. Cor. c. 9. v. 12.
k Chryſoſt. hom. 20. in 2. ad Cor.
l Innoc. de myſt. Miſſæ. cap. 53. Durandus lib. 4 c. 27.

præſertim vbi ſtatim poſt Euangelium concio haberetur, omnes animarentur & vrgerentur ad eleemoſynas liberaliter offerendas. Atque ita noſtro tempore pro media tantùm concione reſeruatum eſt, quandocunque illa Dominicis, aliiſque diebus habeatur. Vt, ſicut veriſimile eſt, per S. Pauli conciones primum opus tantæ pietatis initium habuiſſe; ita demum oporteat, ne deficiat, Concionatorum vocibus & exhortationibus reſtitui, & in antiquæ pietatis officio contineri.

CAPVT IX.

Ieroſolyma Paulus, & Barnabas Antiochiam reuertuntur, vbi ambo diuino oraculo Apoſtoli Gentium denunciantur.

POſteaquàm Paulus, & Barnabas, quæ ſecum attulerant, ſubſidia pauperum apud Clerū Ieroſolymitanum depoſuiſſent, qua ratione Antiochiam ſint reuerſi, vbi tanto cum fructu per annum demorabantur, S. Lucas his verbis expoſuit [a]: *Barnabas autem, & Saulus reuerſi ſunt ab Ieroſolymis expleto miniſterio, aſſumpto Ioanne, qui cognominatus eſt Marcus.* Non eſt autem hic Marcus, Euangeliſta, ſicut decepti aliqui putauerunt; ſed alter Marcus, qui in epiſtola ad Coloſſenſes [b], Barnabæ dicitur conſobrinus, & fuit illius Marię filius, in cuius domo Ieroſolymis fideles erant congregati, vbi oratio fiebat ſine intermiſſione pro Petro, cùm ab Herode Agrippa in vinculis detineretur, à quibus poſteà per Angelum ſolutus, ad eiuſdem Mariæ domum de nocte peruenit: ſic enim legimus in Actis apoſtolicis [c]: *Et Petrus ad ſe reuerſus dixit: Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Conſiderànſque* [...] *ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus.* Vnde nihil eſt dubitandum, Barnabam hoc tempore ad hanc amitæ ſuæ, ſeu matertera domum cum Paulo diuertiſſe, indéque Ioannem Marcum ſecum accepiſſe. Quanto autem ibi tempore commorati ſint, antequàm, Ieroſolyma relicta, Antiochiam reuerterentur; & vtrùm in illud tempus inciderint, vt aliqui coniectant, quo Rex Agrippa, occiſo Iacobo, & Petro in vinculis detento, vexabat Eccleſiam; id non poſſumus diuinare, cùm in tota narratione S. Lucæ nihil ea de re ſatis expreſſum, aut aliquo modo indicatum habeatur. Imò verò, cùm anteà poſuerimus, circa idem tempus famem illam vniuerſalem ab Agabo prophetatam contigiſſe, & ſimul excitatam ab Agrippa contra Eccleſiam perſecutionem hoc anno Claudij ſecundo; prophetiam verò debuiſſe vno ſaltem anno præcedere, id eſt, anno Claudij primo, nec multis diebus interpoſitis, collectam ab Antiochenis eleemoſynam fuiſſe à Paulo, & Barnaba Ieroſolymam importatam, ita vt famem & neceſſitates imminentes ea prouidentia præueniret; magis eſt credibile, Paulum cum Barnaba priùs, Ieroſolyma relicta, perueniſſe Antiochiam, quàm Rex Agrippa contra Eccleſiam inſurrexiſſet. Quali autem progreſſu Eccleſia Antiochena, tanquam prima patriarchalis auctoritate Petri conſtituta, Pauli zelo, concionibus, & laboribus augeretur, non tantùm numero, ſed etiam qualitate inſignium perſonarum, & quantoperè in toto ordine hierarchico perficeretur, hîc eſt explicandum. Et quidem, ſicut ipſe

a *Act. c. 12. v. 25.*

b *Coloſſ. c. vlt. v. 10.*

c *Act. c. 12. v. 11. 12.*

d 1. Cor. c. 12. v. 28. Apoſtolus ad Corinthios ſcripſit [d]: *Quoſdam poſuit Deus in Eccleſia, primũ Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertiò Doctores, deinde Virtutes.* quaſi diceret: Apoſtolos vt capita, Prophetas vt oculos, Doctores vt linguas, Virtutes vt manus. *Ex quo,* inquit idẽ Apoſtolus [e] (e Coloſſ. c. 2. v. 19.), *totum corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratũ, & cõſtructũ creſcit in augmentũ Dei.* Hæc omnia Eccleſię Antiochenę minimè defuiſſe S. Lucas deſcribit his verbis [f] (f Act. c. 13. v. 1. 2.): *Erãt autẽ in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & Doctores, in quibus Barnabas, & Simõ, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenenſis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus. Miniſtrãtibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quos aſſumpſi eos.* Cęterũ mirabitur hîc aliquis, cur Paulus in catalogo ſuperiori, poſtremo loco fuerit recenſitus, qui tanquam Apoſtolus primo loco poni debuiſſet; & cur potiùs hic Saulus, quã Paulus nominetur. Sed, quod ad nomẽ attinet Pauli, & Sauli, multa, quæ initio libri primi ſunt dicta, breuem hîc ſuggerunt reſponſionẽ; vtrunque, videlicet, illi nomen à natiuitate impoſitũ: ſed Sauli nomen Hebraïcum paulatim deſiiſſe vſurpari; Pauli verò nomen Romanum magis eſſe in vſu incepiſſe, ex quo ſe magis in dies à conſuetudine ſubtrahens Iudæorum, totum ſe dabat Gentium conuerſioni. Fuerat in prima ſua conuerſione Paulus à Deo Patre per Filium IESVM Chriſtum Apoſtolus, quod anteà oſtendimus, conſtitutus ſine alterius hominis interuentu: vnde ipſe ad Galatas ſic ſuam Epiſtolam exorditur [g] (g Gal. c. 1. v. 1.): *Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem; ſed per IESVM Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis.* tamen debuit etiam per tertiam auguſtiſſimę Trinitatis diuinam perſonam apertiùs, nempe, oraculo publico & manifeſto Spiritus ſancti multis audientibus declarari. Quod factum hoc tempore S. Lucas expoſuit, cùm ait [h]: *Miniſtrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulũ, & Barnabã in opus, ad quod aſſũpſi eos.* (h Act. c. 13. v. 2.)

Quibus autem id peractum fuerit cæremoniis, qua ſolennitate, & pietate, cogit hîc nos Hæreticorum impietas aliquantò fuſiùs explicare. Nã Lutherani, Caluiniſtæ, & alij Sacramentarij adeò Miſſam execrantur, de qua ſub nomine Liturgiæ S. Lucas hic meminit, vt inter eos Lutherus librũ ſcripſerit de abominatione Miſſę; nec illum puduit affirmare, à Dæmone ſe doctum fuiſſe, non per ſomnum, ſed in vigilia, Miſſam eſſe magnam abominationem. Caluinus autẽ, & Beza, toti ſunt in huius loci Commentariis, ne hîc Liturgia pro Miſſa accipiatur. Quod enim vetus & vulgatus noſter Interpres Latinè reddidit: *Miniſtrãtibus illis Domino.* Gręcè legitur, *λειτουργούντων αὐτῶν τῷ Κυρίῳ*, quaſi diceretur: Offerentibus illis Domino Liturgiam. Quare circa hęc verba ſic habet in ſuo Commentario Ioannes Caluinus: *Verbum, quo vtitur Lucas, ſæpè pro ſacrificia off.rre accipitur; qui ſenſus Papiſtis maximè arriſit, vt aliquod fuiſſe in vſu Apoſtolis ſacrificium probarent. Ridiculè tamen in ſuæ Miſſa patrociniũ Antiochenos Doctores ſacrificaſſe obtendunt.* Addit Hæreticus pro ſuo errore planè ridiculam argumentationem ſic dicens: *Quia, cũ verbum, λειτουργούντων ſit pluralis numeri, ſequeretur Miſſas à ſingulis ea die celebratas.* quaſi verò plures Miſſas eadẽ die celebratas eſſe à pluribus Sacerdotibus ſingulis ſingulas abſurdũ ſit, nec ferẽdum, nec audiendum. Addit Caluini diſcipulus, Beza, Eraſmum quidẽ vertiſſe,

tiſſe, *ſacrificantibus illis. Quæ interpretatio,* inquit Beza, *tolerabilis videri poſſet, quòd ſic transferri ſoleat ſacrificij nomen ad publicas Eccleſiæ Chriſtianæ functiones: qua etiã ratione certũ eſt, cœnam Domini à veteribus nõnullis* λειτουργίαν, ἱερουργίαν, *ſacrificiũ, & cœnam Domini vocari; ſed tamen omninò eſt expungenda; tum, quia nimiùm eſt anguſta; tũ verò propter execrandũ illorũ errorẽ, qui Filiũ Dei reipſa quotidie in Eccleſia Dei ſacrificari, & offerri cõtendunt, id eſt, qui Religionẽ Chriſtianã radicitùs cõuellũt.* Hęc iſte blaſphemus, ſicut à magiſtro ſuo Caluino didicit, qui ſimilia habet in libro quarto ſuarũ Inſtitutionum [i], vbi ait, Miſſę ſacrificiũ cruento Chriſti in Cruce ſacrificio cõtumeliã irrogare; Crucem eius repellere, ac opprimere; Sacramẽtũ, quo mortis eius memoria nobis relicta erat, eneruare, ac diſſipare. Planè contrariũ magis affirmare Caluinus non poterat verbis, & mandato Chriſti Saluatoris, qui cũ in vltima cœna Apoſtolos ordinaſſet Sacerdotes, eiſque conſecrãdi, & offerẽdi ſacrificiũ ſui Corporis, & Sanguinis poteſtatẽ feciſſet, dixit, ſicut refertur à S. Luca [k], & à S. Paulo [l] repetitur: *Hoc facite in meam commemorationem: quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicẽ bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Meritò igitur in ſacra Synodo Tridentina contra prædictos Hæreticos canon extat his verbis [m]: *Si quis dixerit blaſphemiã irrogari ſanctiſſimo Chriſti ſacrificio in Cruce peracto, per Miſſæ ſacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema ſit.* Atque hoc eſt primum & præcipuum Hæreticorũ argumentũ, cur in illa Eccleſiæ Antiochenę celebritate, vbi Paulus, & Barnabas oraculo diuino Apoſtoli ſunt declarati, non potuerit offerri Miſſæ incruentũ ſacrificiũ, eò quòd vt iſtis placet, illo careat Eccleſia Chriſti. Sed cõtra hoc ipſum ibidẽ extat alter canon Concilij Tridentini: *Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verũ & propriũ ſacrificium, anathema ſit.* Deinde arguũt pertinaces: quia, etiamſi Lucas illud miniſteriũ Deo tũc exhibitũ appellauerit Liturgiam; tamen non ſemper hac voce ſacrificiũ ſignificarur: nã, vt capite ſuperiori dicebamus, collectã eleemoſynã pauperibus diſtribuẽdam S. Paulus [n] Liturgiam appellauit, & politicos Magiſtratus vocat in Epiſtola ad Romanos [o], λειτουργοὺς θεοῦ, Miniſtros Dei; & in Epiſtola ad Hebræos [p], Angeli dicuntur λειτουργικὰ πνεύματα, adminiſtratorij Spiritus; & ſeipsũ dixit Paulus [q] λειτουργὸν, Miniſtrũ Chriſti in Gentibus ſanctificãtem Euangeliũ, nẽpe, miniſterio prædicationis. Vnde S. Chryſoſtomus [r]: *Quid eſt,* inquit, *miniſtrantibus? prædicantibus.* Similiter Oecumenius [s] hoc miniſterium, ſiue liturgiam, exponit fuiſſe prædicationẽ: & ſequitur Caietanus, ex eo confirmans expoſitionẽ, quòd anteà de Prophetis, & Doctoribus illius Eccleſiæ facta ſit mentio, quorũ munus propriũ eſt, verbi diuini expoſitio, & prædicatio. Alij ſunt, qui miniſteriũ hoc de bonis operibus interpretãtur [t]. Cõmuniter autẽ Catholici Expoſitores, Hiſtorici eccleſiaſtici, & qui contra Hęreticos diſputationes ediderunt, de Miſſæ ſacrificio cõuenientiſſimè ſunt interpretati. Nam in primis ipſemet S. Lucas in Euangelij ſui capite primo [n], miniſterium Sacerdotis Zachariæ ſacrificandi in templo, Liturgiam appellauit: & à S. Paulo idem nomen Liturgiæ abſolutè prolatum; & vbi ſermo eſt de aliqua ſacra functione, vel miniſterio, ſumitur pro ſacrificio, vt in Epiſtola ad Hebræos capite ſecundo, octauo, nono, decimo, atque vndecimo. Prætereà, omnes Græci Patres Miſſam appellant nomine Liturgiæ:

i *Calu. lib. 4. Inſt. c. 18. §. 1.*
k *Luca c. 22. v. 19.*
l *1. Cor. c. 11. v. 26.*
m *ſeſſ. 22. can. 4. & ib. can. 1.*
n *2. Cor. c. 9. v. 12.*
o *Rom. c. 13. v. 6.*
p *Hebr. c. 1. v. 14.*
q *ad Rõ. c. 15. v. 16.*
r *Chryſ. hom. 27. in Acta.*
s *Oecum. in c. 13. Act.*
t *Lyran. in c. 13. Act.*
n *Luca c. 1. v. 23.*

vnde Liturgia dicitur Iacobi Apoſtoli, Liturgia S. Baſilij, Liturgia S. Ioannis Chryſoſtomi; nempe, ritus horum Patrum varij ad Miſſæ ſacrificium celebrandum. Deinde fatentur etiam ipſi inter Hæreticos eruditiores, quibus alij hac in re non contradicunt, Liturgiam propriè publicum miniſterium ſignificare, quaſi λήϊτον ἔργον, vt Suidas, & Syneſius, nec non Hæreticus Auctor Græci Theſauri, tradiderunt; propriiſſimè verò deſignare publicum miniſteriũ ſacrum, quale in primis eſt ſacrificium. Quapropter, niſi quid obſtet, & aliter perſuadeat, non eſt, cur hanc vocem à propria & præcipua eius ſignificatione ad aliam transferamus. At non ſolùm nihil obſtat; ſed potiùs multa ſunt, quæ nobis perſuadent, ab hac propria & præcipua nominis acceptione recedendum omninò non videri. Nam ideò non tantùm λειτουργούντων eſt dictum; ſed etiam additum, τῷ θεῷ, id eſt, Deo miniſtrantibus: nullo autem noſtro miniſterio indiget Deus; niſi quòd tantùm latriæ cultum ei tenemur exhibere, quod fit potiſſimùm Miſſæ ſacrificio. Neque verò ſufficit reſpondere, omne opus honeſtum, ſi ad Dei honorem fiat, Domino exhiberi, ſicut ait Apoſtolus [x]: *Qui manducat, Domino manducat; gratias enim agit Deo: & qui non manducat, Domino non manducat.* Hac enim ratione ſimiliter dicere S. Lucas debuiſſet: Miniſtrantibus illis, & ieiunantibus Domino. & non ſicut dixit: *Miniſtrantibus illis Domino, & ieiunantibus.* Aliquid igitur ſpeciale, ac proprium habuit illud Liturgiæ miniſterium, quod in aliis honeſtis operibus communiter non inuenitur: hoc igitur eſt, quod vni & ſoli Deo latriæ cultu offertur ſacrificium. Addunt aliqui ex adiuncto ieiunio cōiecturam, quòd Miſſę ſacrificio ex Eccleſiæ conſuetudine ſoleat ſemper præmitti. Et ſanè valeret magis huiuſmodi coniectura, ſi de ieiunio naturali nunc ageretur; hoc enim eſt, quod ex Eccleſiæ inſtituto, Euchariſtiæ, tum conſecrandæ, tum diſpenſandæ præmittitur. Sed hìc de tali ieiunio non agitur: hoc enim ſoluitur poſt ſumptam Euchariſtiam: vnde non dicitur: Ieiunantibus illis, & miniſtrantibus. ſed, *Miniſtrantibus illis Domino, & ieiunantibus.* Nihilominùs tamen intelligendo dictum de ieiunio eccleſiaſtico, totius, nempe, diei, ſicut verè debet intelligi; adhuc inde arguitur, per ſacrum illud miniſterium ſacrificium Miſſæ eſſe intelligendum. Nam, quemadmodum in Ordinibus conferendis, quod hìc factum eſſe conſtabit ex capite ſequenti, ſolet indici ieiunium eccleſiaſticum; ita & multò magis interponi debuit Miſſæ ſacrificium. Quod autem Caluinus, tanquam pro magno abſurdo, ſuperiùs inferebat, ex eo, quod dictum eſt: *Miniſtrantibus illis.* in numero multitudinis, ſequi, Miſſas à ſingulis illis ea die celebratas; nullum planè habet incommodum: non enim ſequitur, niſi celebratas tunc Miſſas à pluribus Sacerdotibus: ſicut, quod ibidem dicitur, ab eis manus impoſitas, non ſequitur id factum, niſi ab Epiſcopis, quibus non defuit poteſtas, Ordinis Sacramentum, quod fit impoſitione manuum, Paulo, & Barnabæ conferendi: alioqui, ſi abſque vlla exceptione omnes intelligerentur; etiam Paulus, & Barnabas imponere ſibimetipſis manus debuiſsẽt. Deinde poſſumus etiam ſine vlla exceptione concedere de omnibus dictum: *Miniſtrantibus illis.* non quaſi omnes etiam non Sacerdotes Euchariſtiam conſecraſſent; ſed, quia conſecrabant Sacerdotes, alij ſacris miniſtrabant, &

[x] Rom. c. 14. v. 6.

omnes

omnes ſimul orantes aſſiſtebant, ac proinde cum Sacerdotibus ſuo quodam modo offerebant, vt ſacrificium omnibus commune fuiſſe diceretur: nam, propterea Sacerdos oblaturus, ad populum conuerſus ex altari profert quotidie illa verba: *Orate, fratres, vt meum, atque veſtrum ſacrificium acceptabile fiat apud Deum.* Quod verò S. Chryſoſtomus dictum illud: *Miniſtrantibus illis.* de prædicatione ſit interpretatus [y], quem Oecumenius ſequitur, & Caietanus, nihil putamus nobis eſſe contrarium: fatemur enim verbum, λειτουργία, ſignificare etiam poſſe, latiori ſignificatione, diuini verbi adminiſtrationem, quam in Eccleſia Antiochena tanta multitudine ad orationem, ad Miſſæ ſacrificium, & Euchariſtiæ ſumptionem, minimè defuiſſe credẽdum eſt. Nam ſimili ratione feruor & pietas Eccleſiæ primitiuæ, quæ erat Ieroſolymis, commẽdatur à S. Luca, vbi dicitur [z]: *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Quare, cùm ſua interpretatione Chryſoſtomus primum expreſſit, hoc ſecũdum indicauit: non verò negauit, quia vtrunque, & non minùs ſecundum, quàm primum illo miniſterio debuit ſignificari. Et ſicut arguit Caietanus ex eo, quòd à S. Luca priùs illius Eccleſiæ Antiochenę Doctores, & Prophetæ ſunt recenſiti, quorum munus eſt diuini verbi expoſitio, per vocem miniſtrandi ſignificatum eſſe officiũ prædicationis: ita, ex eo, quòd inter recenſitos, non ſolùm erant Prophetæ, & Doctores, ſed etiam Sacerdotes & Epiſcopi, vt conſtabit in capite ſequenti, arguere oportet, ſacrificia non defuiſſe, nec diſtributionem Euchariſtiæ, qua, teſte S. Luca, fideles Eccleſiæ primitiuæ diebus ſingulis reficiebantur. Atque ob id fortaſſe noſter vulgatus Interpres vocem illam, λειτουργούντων, non vertit, ſacrificantibus; ſed, *Miniſtrantibus illis.* vt cum ſacrificio pia quoque alia miniſteria complecteretur.

[y] Chryſ. Oecum. Caiet. in c. 13. Act.

[z] Act. c. 2. v. 42.

His itaque ſacris miniſteriis dum vacarent fideles Antiocheni, ieiunantes, orantes, eleemoſynas erogãtes, & modò Pauli, modò Barnabæ, aliorúmque Doctorum, ac Prophetarum inteti concionibus, accidit inter Miſſæ ſacrificium, vt eſt magis veriſimile, quando Eccleſia magis eſt in ſilentio, diuinas audiri voces in aëre formatas, quaſi è cœlo venientes, quales olim in Chriſti Domini Baptiſmo auditæ ſunt, & aliàs in transfiguratione: *Et dixit illis Spiritus ſanctus*, inquit S. Lucas [a]: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos.* Eſt hoc opus ſine dubio non aliud, quàm officium muneris Apoſtolici. *Quid eſt*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus [b]: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos? In Apoſtolatum: ordinantur enim in Apoſtolatum, vt prædicent cum poteſtate.* Quamuis autem ab æternitate fuerit Paulus in Apoſtolum prędeſtinatus, iuxta illud à Chriſto Domino prædictum Ananiæ [c]: *Vas electionis eſt mihi iſte.* & deinde in hoc ipſum ab vtero ſegregatus, vt ipſe dicebat ad Galatas ſcribens [d]: *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit ab vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam.* & iterum tertiò, cùm apparuit ei in via Damaſci dicens [e]: *Ad hoc apparui tibi, vt conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum, quæ vidiſti, Gentibus, in quas nunc ego mitto te.* tamen adhuc quartò debuit in publico Eccleſiæ cœtu nunc voce Spiritus ſancti Apoſtolus gentium declarari, & promulgari: vt in primo conſtaret decretum totius ſanctiſſimæ Trinitatis; in ſecundo, propria quadam ratione,

[a] Act. c. 13. v. 2.

[b] Chryſ. hom. 27. in Act.

[c] Act. c. 9. v. 15.

[d] Gal. c. 1. v. 15.

[e] Act. c. 26. v. 16.

tione, Patris potentia ſignificaretur: in tertio Filij ſapientia; in quarto bonitas Spiritus ſancti. Cùm ergo poſtremi huius oraculi ſancti Spiritus illa ſint verba : *Segregate mihi Saulum, & Barnabam.* Licet in eis obſeruare Dei ſuauiter omnia diſponentis eximiam benignitatem, qui, cùm iam pridem ad opus conuerſionis Gentium Apoſtolum Paulum aſſumpſiſſet; nihilominùs quoque reliquit in hoc negotio partes & approbationem Eccleſiæ ſanctæ à ſe gubernatæ ac directæ. Vnde fiebat antiquitùs, vt miniſtri Eccleſiæ, & præſertim primarij, vt tunc Paſtores animarum, Epiſcopi, Sũmique Pontifices prophetica reuelatione ordinarentur. Ita de Timotheo Sacerdote & Epiſcopo à ſe ordinato S. Paulus ſignificauit, ſic ad illum ſcribens [f]: *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiam, & impoſitionem manuum presbyterij.* Et iterum alibi [g]: *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, ſecundùm præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam.* Quæ verba S. Chryſoſtomus exponens [h]: *Tunc,* inquit, *nihil fiebat humanum : Sacerdotes enim ex prophetia veniebant. Et ita quidem, vt pridem fiebat, ſic & nunc fieri etiam, quoties ab humana paſſione alieni, huiuſmodi electiones celebrauerimus, cùm nihil omninò ſæculare, nihil temporale intuentes, neque ad gratiam, neque ad odium fecimus.* Ita Chryſoſtomus: quod obſeruaſſe contra Hæreticos noſtri temporis maximè oportet: ſi enim Paulus, vt ipſe de ſe teſtatur [i], *Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem; ſed per* Iesvm *Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis*; debuit nihilominùs ex oraculo Spiritus ſancti adhuc auctoritate Eccleſiæ in miniſterio approbari, & ordinari; quonam haberi loco digni ſunt, qui neque à Deo, neque ab Eccleſia; ſed à proprio tantùm phanatico ſpiritu, vel à ſeducto ſimiliter ſpiritu politici alicuius Magiſtratus emittuntur. De quibus ait per Iſaiam Deus [k]: *Ipſi currebant, & ego non mittebam eos.*

f 1. Tim. c. 4. v. 14.
g 1. Tim. c. 1. v. 18.
h Chryſ. hom. 5. in 1. ad Tim.
i Gal. 1. v. 1
k Ierem. c. 23. v. 21.

CAPVT X.

Paulus, & Barnabas diuino monitu Epiſcopi conſecrantur.

QVoniam inter excellentias apoſtolicæ dignitatis, vbi de illis ſuperiùs ageremus [a], vnam eſſe oſtendimus, auctoritatem epiſcopalem, hanc modò Paulus cum Barnaba, qua ratione ſit adeptus, explicare debemus. Et quidem S. Lucas præter oraculum S. Spiritus illis verbis præcipientis [b]: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam.* quatuor narrat interueniſſe, ieiunium, orationem, Liturgiam, & manuum impoſitionem. Habet itaque primùm circa ieiunium Caluinus, ſicut circa Miſſæ ſacrificium ſuam difficultatem: negat illud dictum S. Lucæ [c]: *Ieiunantes, & orantes.* de ieiunio eccleſiaſtico poſſe intelligi; ſed tantùm ſignificari ait, illa hora, qui orantes erant in Eccleſia, non comediſſe. Erat autem hora ſacrificij matutina, in qua nondum eſſe pranſos fideles, qui aderant, ſignificari nobis à Sancto Luca quid oportebat? præſertim cùm non ſemel eiuſdem ieiunij faciat ibi mentionem, & ieiunium abſolutè nominatum, non qualecunque, ſed ieiunium ſignificet eccleſiaſticum. Deinde, vt melius intelligeremus tale ieiunium integræ fuiſſe diei, non mane præcedens ſacrificium, non dixit:

a lib. 2. c. vlt.
b Act. c. 13. v. 2. & 3.
c ibid. c. 13. v. 3.

dixit: Ieiunantibus, ſiue ieiunis, & miniſtrantibus Domino. ſed dixit: *Miniſtrantibus illis Domino, & ieiunantibus.* id eſt, dum ieiuniis, precibus, & ſacrificiis Deo ſupplicarent. Sicut de Anna Propheteſſa refert in Euangelio idem S. Lucas [c], quòd non diſcedebat à templo, ieiuniis, & orationibus ſeruiens Deo. Et quamuis in Eccleſia Antiochena tunc fortè non eſſet indictum ieiunium ad ſacrorum Ordinum collationem, de qua nondum facta per Spiritum ſanctum reuelatione, vt Paulus, & Barnabas ordinarentur, nihil conſtabat; tamen adeò poſteà ratum hoc habuit Eccleſia, vt Sacramentum Ordinis non niſi ieiunio indicto conferatur. Quod S. Leo I. in epiſtola ad Dioſcorum Alexandrinum teſtatur his verbis [d]: *Ex apoſtolica nouimus venire doctrina, vt ſacræ ordinationes præmiſſo ieiunio conſecrentur.* Idcircò, ſicut habetur in Romano Pontificali, & benè Auctor Micrologi obſeruauit [e], omnes ordinationes à S. Petro vſque ad Simplicium Papam in ieiunio quatuor Temporum Decembris celebratæ inueniuntur. Poſteà verò Gelaſius I. dicitur conſtituiſſe [f], vt ordinationes Clericorum, quæ anteà ſolùm in menſe Septembri fieri ſolebant, in quatuor anni Temporibus, quæ iam erant ieiunio deputata, deinceps haberentur, eodemque ritu ac more, quo Apoſtoli Paulus, & Barnabas, ieiunio præmiſſo Clerici ad Ordines eccleſiaſticos promouerentur. Neque id mirum: nam non ſolùm Paulus hic, & Barnabas cum ieiunio ſacrum Ordinem epiſcopalem acceperunt; verùm etiam ipſe poſteà Paulus iam Epiſcopus ordinatus, & Barnabas cum illo ſacros Ordines presbyteratus aliis conferentes, non niſi cum ieiunio id feciſſe narratur à S. Luca in capite ſequenti, dum ait [g]: *Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſſent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino.* Neque eſt, quod hic nobis Caluinus obiiciat, ieiunia & delectus ciborum, ſicut hodie obſeruatur à Romanis, ritus eſſe Iudaïcos, & abolitas per Chriſtum veteris legis cæremonias: iam enim pridem huic calumniæ reſpondit S. Leo Pontifex in quodam ſermone de ieiunio [h], loquens de ieiunio quatuor Temporum pro menſe Decembri, quando potiſſimùm ex antiquo inſtituto, vt ſuprà dictum eſt, ordinationes Clericorum celebrabantur. *Neque ideò*, inquit, *negligendum eſt, quia de obſeruantia veteris legis aſſumptum eſt ieiunium decimi menſis, tanquam hoc de illis ſit, quæ inter diſcretionem ciborum, & baptiſmatum differentias, & ouium, pecudúmque hoſtias eſſe deſiterunt: illa enim, quæ rerum futurarum figuras gerebant, expletis, quæ ſignificauere, finita ſunt. Ieiuniorum verò vtilitatem noui Teſtamenti gratia non remouit, & continentiam corpori atque animæ ſemper profuturam pia obſeruatione ſuſcepit.* Et in alio ſermone [i], loquens de ieiunio quatuor Temporum Septembris: *Apoſtolica*, inquit, *inſtitutio, dilectiſſimi, quæ Dominum* IESVM *ad hoc veniſſe in hunc mundum nouerat, vt legem non ſolueret, ita veteris Teſtamenti Sacramenta diſtinxit, vt quædam ex eis, ſicut erant cōdita, & euangelica eruditioni profutura decerperet, & quæ dudum fuerāt conſuetudinis Iudaicæ, fierēt obſeruantia Chriſtiana. Quòd igitur ex veteris prædicatione doctrinæ ad purificationē animarū corporúmque noſtrorū ieiunium ſeptimi menſis aſſumimus, non legalibus nos oneribus ſubiicimus; ſed* vtilitatem

c Luca c. 2. v. 37.

d S. Leo ep. 81. c. 1.

e Micrologo c. 28.

f Gelaſ. ep. 1. c. 13. & c. vlt. d. 75.

g Act. c. 14. v. 22.

h S. Leo ſer. 4. de ieiunio 10. menſis.

i S. Leo ſer. 7. de ieiunio 7. menſis.

vtilitatē continentiæ, qua Chriſti Euangelio ſeruit, amplectimur. Hinc etiam S. Ioannes Chryſoſtomus in ea homilia ſuper Acta Apoſtolorum, quæ agit de Pauli, & Barnabæ Ordinatione, ſic ait [k]: *Vides, quanta res ſit ieiunium? Magnum quoddam bonum eſt ieiunium. Quando Ordinatio erat, tunc ieiunant, & ieiunantibus illis dixit Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam.* Tum longam addit pro commendatione ac laudibus ieiunij digreſſionem. Quoniam verò ex bonitate, & ſanctitate miniſtrorum eccleſiaſticorum, magna ex parte dependet ſalus Eccleſiæ vniuerſæ, meritò ab ipſis Eccleſiæ primordiis inſtitutum eſt, vt ſacræ Ordinationes non niſi cum eccleſiaſtico ieiunio populi vniuerſi perficiantur.

k *Chryſ. hom. 27. in Acta*

Illud hìc aliquis poſſet ambigere, cùm de Ordinatione agatur non qualicunque, ſed in Epiſcopatum: conſtat autem ex apoſtolicis conſtitutionibus, Epiſcopum non alio die, quàm Dominico debere conſecrari, quomodo potuerit indictum ea die fuiſſe ieiunium. Ad hoc in primis reſpōderi poteſt, ieiunare die Dominico, non niſi poſt plures annos, ob exortas quaſdam hæreſes, à Melchiade Papa [l] fuiſſe prohibitum. Deinde, ſatis fuit præceſſiſſe ieiunium die Sabbathi, vt mane ſequenti, nondum ſacris abſolutis, perduraſſe dici poſſit. Atque hinc illud eſſe veriſſimum magis comprobatur, quod de incruento Miſſæ ſacrificio dicebamus, fuiſſe, nimirum, Altaris myſterium, per illa verba ſignificatum: *Miniſtrantibus illis Domino.* & hoc eſſe alterum, & quidem præcipuum in collatione ſacrorum Ordinum adhibitum ritum, ac cæremoniam. Vt enim omittam, in antiquis omnium Eccleſiarum Ritualibus inueniri nunquam ſine Miſſæ ſacroſancto miniſterio ſacras Ordinationes peragi conſueuiſſe; quis credat in Eccleſia Antiochena tunc florentiſſima, & feruentiſſima, vbi primùm fideles appellati ſunt Chriſtiani, die Dominico Miſſę celebrationem defuiſſe, & Euchariſtiæ diſpenſationem? quæ quotidie Ieroſolymis habebatur, vnde Prophetæ aduenerant & Doctores, & illius Antiochenæ Eccleſiæ Inſtitutores, quos credere debemus tales eis ritus impertiuiſſe, quales Ieroſolymis Apoſtoli paulò antè tradiderant, vt fideles eſſent perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Quapropter hoſtes quoque catholicæ veritatis Pellicanus, & Oecolampadius, quamuis ea verba S. Lucæ exponentes: *Miniſtrantibus illis Domino.* laborent, vt fugiant veram de ſacrificio Miſſæ interpretationem, dicentes, intelligi ſolū oportere de miniſterio verbi, eleemoſyna, & oratione; tamen veritate conuicti fatentur, nón defuiſſe tunc Panis euchariſtici, ſeu Cœnæ dominicæ diſpenſationem. At hæc parari, iuxta Domini inſtitutionem, ſine conſecratione, & incruenti ſacrificij oblatione, quidquid iſti, & alij recentiores Hæretici comminiſcantur, nequaquam poteſt. Et quòd ſacri Ordines non ſine ſacroſancto Euchariſtiæ ſacrificio & Sacramento conferrentur, docet grauiſſimis verbis S. Pauli diſcipulus, Dionyſius Areopagita in libro de eccleſiaſtica Hierarchia, cùm ait [m]: *Neque enim fas eſt ſacerdotalis muneris ſacerdotium aliquod peragi, niſi compleat diuiniſſimum iſtud Euchariſtiæ, & auguſtiſſimum Sacramentum.* Et S. Petri diſcipulus Clemens in octauo libro Diataxeon apoſtolicarum. *Nos*, inquit, *oblato, ſecundùm eius ordinationem, ſacrificio puro, & incruento, conſtituimus Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos.*

l *cap. Ieiunium. de cōſecr. d. 3.*

m *S. Dion. eccleſ. Hierarc. c. 2.*

numero ſeptem. Imò valdè credibile eſt, ipſos quoque Paulum, & Barnabam, cùm poſt Miſſarum ſolennia ad ſacrum Ordinem epiſcopalem, nō ad ſacerdotalem, quem iam debuerant obtinuiſſe, promouerentur, ſua quoque Miſſarum ſacrificia illo die celebraſſe. Nam, quantumuis Caluinus ægerrimè ferat, plures ea die Miſſas fuiſſe celebratas, qui ne vnam quidem velit admittere; tamen infert, ſi per verbum, *miniſtrantibus*, intelligatur ſacrificandi miniſterium, omnes vtique Sacerdotes offerre debuiſſe. Atque ita Metaphraſtes in ſuo de geſtis SS. Petri, & Pauli Commētario loquens de Paulo, & Barnaba, expreſsè dicit, eos orantes, ieiunantes, & ſacrum miniſterium obeuntes fuiſſe à Spiritu ſancto ſegregatos ad opus, ad quod eos idem ipſe Spiritus ſanctus aſſumpſerat.

Iam verò de poſtremo ritu, & cæremonia impoſitionis manuum ſupereſt alia difficultas, non ſolùm cum Hæreticis, qui nullum eſſe Sacramētum Ordinis impudenter aſſeuerant; ſed etiam cū Auctoribus quibuſdam Catholicis [n], qui nō putant, Paulum, & Barnabam hac modò impoſitione manuum ſacrum vllum Ordinem accepiſſe; ſed fuiſſe tātùm cæremoniam quandam deprecatoriam boni ſucceſſus in officio prædicandi, aut ſignū publicæ in eo munere approbationis: alio verò tēpore, quod non aſſignant, nec diuinare ſatis poſſunt, fuiſſe Paulum & Barnabam Epiſcopos ordinatos. Sed verius eſt, & nobis pro certo tenendum, verba illa S. Lucæ [o]: *Tunc ieiunantes, & orantes, imponentéſque eis manus.* de collatione ſacri Ordinis eſſe intelligenda. Primò, quia ſic ea S. Leo Pontifex intellexit, & expoſuit, in epiſtola ad Dioſcorum Alexandrinum, ita ſcribens [p]: *Etiam ſacra Scriptura manifeſtat, quòd cùm Apoſtoli Paulum, & Barnabā ex præcepto Spiritus ſancti ad Euangelium Gentibus mitterent prædicandum, ieiunantes, & orantes impoſuerunt eis manus: vt intelligamus, quanta & dantium, & accipientium deuotione curandum ſit, ne tanta benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.* Quamobrē ſanctus hic Pontifex mandat Dioſcoro Alexandrino, vt ordinationes ſacræ non fiant, niſi ieiuniis præcedentibus: quia ſic in ordinatione Pauli, & Barnabæ factum eſt: ita Apoſtoli inſtituerunt, & conſuetudo probat eccleſiaſtica. Et hoc eſt alterum pro hac veritate validum argumentum: omnes enim libri Rituales, vbi agunt de ſacris Ordinibus celebrandis cum ieiunio, Liturgia, ſeu Miſſæ ſacrificio, & manuum impoſitione, ad hæc reſpiciunt, circa Paulum, & Barnabā Spiritus ſancti iuſſione peracta. Tertiò, quamuis manuū impoſitio non omnis ſit conſecratoria, & ad Ordines conferendos, cùm poſſit eſſe tantùm ſimplex benedictio: vt cùm Chriſtus Dominus oblatis ſibi pueris manus impoſuit [q], vel ad ægritudines depellendas, vt eſt credentibus à Chriſto promiſſum [r]: *Super agros manus imponent, & benè habebunt.* vel ad deprecationem, aut reconciliationem, vt fit in Sacramentis Bapriſmi, & Pœnitentiæ; tamen maximè propria, &, vt dicunt, eſſentialis eſt Ordinis Sacramēto, quod propter eà χειροθεσία, id eſt, manuum impoſitio, à Græcis Patribus appellatur: qua etiam voce hìc vtitur S. Lucas, & nō niſi Sacramentum Ordinis ea ſignificare voluiſſe, adiuncta omninò conuincunt. Quorſum enim, niſi pro ſacra ordinatione tot cæremoniȩ, ieiunia, orationes, Liturgia? Vnde ſeptem quoque primi Diaconi dicuntur Actorum capite ſexto ea ratione ordinati [s]: *Hos* (inquit S. Lucas)

n *Caiet in c. 13. Act. Aloyſius de Leon in c. 1. ep. ad Gal. Suarez 3. p. tom. 3. d. 34. ſect. 1. & alij.*

o *Act. c. 13. v. 3.*

p *S. Leo epiſt 81 aliàs 79.*

q *Matt. c. 19. v. 15.*

r *Marc. c. vlt. v. 18.*

s *Act. c. 6 v. 6.*

ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes, imponentéſque eis manus. Neque verò tunc ieiuniũ defuiſſe teſtatur S. Ioannes Chryſoſtomus, & ſacrificium Euchariſtiæ præmiſſum tradit S. Clemens, quem antea retulimus. Similiter Actorum capite decimoquarto [t], cùm iam Paulus, & Barnabas eſſent Epiſcopi cõſecrati, ieiunantes & orantes dicuntur Presbyteros per ſingulas Eccleſias cõſtituiſſe, Græcè, χειροτονήσαντες, quaſi diceretur manuum impoſitione creaſſe, ſiue conſecraſſe, quod infideliter vertit Eraſmus: vbi enim vulgatus Interpres habet: *Cùm conſtituiſſent Presbyteros.* ipſe reddit: *Cùm ſuffragiis creaſſent Presbyteros.* Id malitioſe accepit Kemnitius, dicens, vocabulum, χειροτονία, ſignificare manuum erectionem, ſeu extenſionem in ſignum ſuffragij: vt ex hoc inferat, à populo, & Magiſtratu politico per publica ſuffragia, ſine alia Sacramenti Ordinis collatione, miniſtros Eccleſiæ eſſe eligendos; id, quod hoc tempore paſſim faciunt Hæretici. His videtur fauere Vatablus, niſi forte ab ipſis Hæreticis, eius ſcripta fuerint deprauata: nam verba illa S. Pauli de Timotheo in Epiſcopum conſecrato, quæ in prima epiſtola ad Timotheum ſic leguntur [u]: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterij*: *id eſt, Senatus*, ipſe interpretatur, *ſeu à ſenioribus Chriſtianis.* At id nulla ratione eſt admittendum: nunquam enim inuenimus, laïcos creandis Epiſcopis, & Presbyteris manus impoſuiſſe. Quòd ſi dicat, illam manuum impoſitionem eſſe eleuationem tantùm ad ſuffragiũ ſignificandum, vt Kemnitius excogitauit; id eſt etiam fictitium, cùm nunquam apud ſacros Auctores χειροτονία in tali ſignificatione vſurpata inueniatur.

t ibid. c. 14. v. 22.

u 1. Tim. c. 4. v. 14.

Quare per manus impoſitas à Presbyterio debemus cum Chryſoſtomo, & aliis intelligere cæremoniã trium Epiſcoporum, qui Presbyteri ſunt maiores, manus ſuas ordinando Epiſcopo imponentium. Quamuis ad ſimplicem Presbyterum in Sacerdotẽ ordinandum, & ad alios inferiores Ordines conferendos ſufficiat vnius Epiſcopi manuum impoſitio, qua ratione S. Paulus Timotheum Sacerdotem ſe ordinaſſe ſignificat illis verbis [y]: *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.* Atque hanc eſſe myſticam rationem huius cæremoniæ tradidit Pauli diſcipulus Dionyſius Areopagita [z], cùm ait ordinandis ab Epiſcopo manus ſupra caput imponi, vt diuinæ gratiæ illapſus, atque protectio ſignificetur: *Manus*, inquit Areopagita, *impoſitio docet, eos, qui ſacris Ordinibus mancipantur, ſacras omnes actiones quaſi ſub Deo efficere, vtpote quem habeant operationum ſuarum in omnibus ducem, atque rectorem.*

y 2. Tim. c. 1. v. 6.

z Dion. lib. de eccleſ. Hierarc. c. 5. p. 3.

Sed, quod præcipuam habet difficultatem in hac Pauli, & Barnabæ conſecratione, illud eſt: quia, ſi ordinari Epiſcopi debuerunt, per alios tres Epiſcopos manus eis imponentes id fieri oportebat: non conſtat autem tunc Epiſcopos fuiſſe Antiochiæ; ſed tantùm Prophetas & Doctores. Quare Magiſter Hiſtoriæ ſcholaſticæ in ea fuit ſententia, quam alij nonnulli ſecuti ſunt, non fuiſſe Paulum & Barnabam Antiochiæ ordinatos; ſed poſt ieiunium, orationes, & ſacrificia, audito oraculo ſancti Spiritus, vt ſegregarentur ad opus, ad quod fuerant diuinitùs aſſumpti, miſſos eſſe Ieroſolymam, vt ibi à S. Petro, & ab aliquot aliis Apoſtolis, impoſitis manibus ordinarentur. Hoc tamen contextus ſacræ Hiſtoriæ non admittit, cùm nec aliquid

innuat

innuat de hac profectione, neque interpoſitum velit aliquod tempus inter ieiunia, orationes, & manuum impoſitionem; eoſdémque fuiſſe, qui orabant, & manus imponebant, apertè ſignificet. Quare probabilius exiſtimauit Oecumenius, Lucium, & Manahem, cùm iam fuiſſent ab Apoſtolis Epiſcopi ordinati, manus Paulo, & Barnabæ impoſuiſſe, eóſque ſimiliter Epiſcopos ordinaſſe. Mirum tamen eſt, cur Simonem, qui primus ante hos duos inter Prophetas, & Doctores à S. Luca enumeratur, fuerit ab Oecumenio prætermiſſus, ad ternarium numerum Epiſcoporum, qui pro Epiſcopo conſecrando, iuxta primum canonem apoſtolicum requiritur, percipiendum. Fortè, quia hic Simon non erat Epiſcopus? an verò, quia alius aderat Simon, Petrus, videlicet, Princeps Apoſtolorum; quamuis à S. Luca non exprimatur? Et hoc ſanè non eſt improbabile: videtur enim circa idem tempus accidiſſe, quod ſuperiori capite Lucas [a] de Petro narrauit, illum à carcere per Angelum liberatum in alium locum migraſſe. Quamuis autem ibi non explicet S. Lucas, ad quem locum S. Petrus tunc ſe receperit; colligit tamen Baronius [b] ex Metaphraſte [c], qui poſt narratam Petri à carcere Herodiano liberationẽ, eius ab Ieroſolyma diſceſſum proſequitur, & quomodo venerit Cæſaream Stratonis, & Sidonem, deinde Tripolim, tum Laodicæam, aliáſque peragrauerit ciuitates, in quibus multis Epiſcopis ordinatis, & in earum Eccleſiarũ gubernatione relictis, peruenerit Antiochiã, vbi cathedra eius erat primaria, & Paulus ac Barnabas ibi morabantur: quos perinde nunc à S. Petro Epiſcopos cõſecratos Arator in ſacro Poemate ſic deſcripſit [d].

a *Act. c. 12. v. 17.*
b *Baron. ann. 44*
c *Metaphraſtes apud Suarez tom. 3. die 29. Iunij.*
d *Arator lib. 2. initio.*

Spiritus accenſam verbo radiante lucernam
Sub modio latere vetans, Secernite Saulum,
Dixit, in oris opus: quem mox ſacrauit euntem
Impoſita Petrus ille manu, cui ſermo Magiſtri
Omnia poſſe dedit.

Facit etiam pro hac ſententia prolatum ſuperiùs S. Leonis Papę teſtimonium [e], aſſerentis, Paulum, & Barnabã ab Apoſtolis ieiunantibus & orantibus, impoſitis manibus, ex præcepto Spiritus ſancti ordinatos fuiſſe. Si quis autem Apoſtolorum tunc temporis inueniebatur Antiochiæ, maximè Petrus ob allatas coniecturas eſſe debuiſſet. Præſertim, quia non ſolùm erat Antiochia patriarchalis, & propria Petri cathedra; ſed etiam extra omnem Herodis Agrippæ ditionem, vbi Marſus Syriæ Præſes Agrippæ parum gratus gubernabat, atque adeò totum ibi erat ab Herodis ira perfugium. Narrat præthereà S. Lucas, Herodẽ, vbi de Petri ex carcere & vinculis euaſione intellexiſſet, valdè indignatum, milites, quos vſque ad ſexdecim per quatuor quaterniones ad Petri cuſtodiam collocauerat, inquiſitione facta graui ſupplicio affici iuſſiſſe: deinde à Iudæa profectum iuiſſe Cæſaream, fuiſſéque Tyriis, & Sidoniis iratum. Huius regiæ iræ veriſimilem aliqui reddunt rationem [f] ex eo, quòd Petrus ab Angelo liberatus cùm Ieroſolymis receſſiſſet, in eas venerit Palæſthinæ maritimas regiones, Eccleſias ibi poſitas viſitauerit, Epiſcopos eis aſſignauerit, aliaque in aliis eiuſdem & adiacẽtis loci regionibus vſque Antiochiam paſtorali munere digna conſtituerit. Hæc tamen cauſa Herodianæ indignationis aliis nõ videtur adeò veriſimilis, quia, ſi Tyriis, & Sidoniis, qui non erãt ex

e *S. Leo ep. 81. ad Dioſc.*
f *Baron. ann. 44.*

ditione ipſius, idcircò iratus fuit Herodes; cur non etiam Cæſarienſibus, quos non minùs Petrus viſitauerat,& Epiſcopū, vt ait idem Metaphraſtes, eis proprium conſtituerat? Et apud illos Agrippa moratus eſt, ludorum ſolennia peregit, magnóque plauſu, tãquam aliquis Deus,à populo acclamatus fuit. Vnde ait S.Lucas [f], *Confeſtim percuſſit eum Angelus Domini, eò quòd non dediſſet honorem Deo; & conſumptus vermibus expirauit.* Ad hæc tamen reſponderi poſſet,ea cautione datum à S.Petro Eccleſiæ Cæſarienſi Epiſcopum, vt inſcius Herodes adueniens non turbaretur, ſicuti cùm idem Herodes Ieroſolymis morabatur,aderat Iacobus frater Domini Epiſcopus Ieroſolymorum; qui tamen ab hoc Rege nihil eſt paſſus, etiamſi Iacobum fratrē Ioannis gladio interfici mandauerit. Fortè etiam Petrus deſignatum Epiſcopum Cæſarienſem, Antiochiam eo tempore ſecum duxit, aut aliò interim tranſmiſit. Teſtatur enim Metaphraſtes, eum, quem Petrus Cæſareæ deſignauerat Epiſcopum, vnum fuiſſe ex iis Presbyteris, quos ſecum,eundo Antiochiam,perducebat. Quidquid autem hac de re pro variis coniecturis cenſeatur, ſi dū eſſent Paulus, & Barnabas Antiochiæ, nō aderat ibi S.Petrus, nec Epiſcopus Cæſarienſis, aliquot alij Epiſcopi ab Apoſtolis ordinati adeſſe potuerunt, à quibus Ordo epiſcopalis Paulo & Barnabæ conferretur. Neque his duobus aliū ſacrum Ordinem, niſi epiſcopalē tunc fuiſſe collatum exiſtimamus: vt ſæpiùs repetit in Actorū caput decimumtertium S.Ioannes Chryſoſtomus,& cōfirmat in caput decimumquartum Oecumenius, optimo inde ducto argumento,quòd Antiochia Paulus, & Barnabas hoc tēpore digreſſi ſtatim cœperint Presbyteros per Eccleſias conſtituere. *Vnde*, inquit Oecumenius, *notandum, quòd Paulus & Barnabas Epiſcoporum dignitatē habebāt: neque enim ſolùm Diaconos creabant; verùm etiam Presbyteros.* Neque verò quenquam moueat,quòd hoc loco S. Chryſoſtomus Paulum & Barnabam dicit in Apoſtolatum eſſe ordinatos: & S.Hieronymus in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis ait,Paulum ſimul cum Barnaba Gentium Apoſtolum ordinatum: eſt enim manifeſtum,ad Apoſtolatum ſacros Ordines nō ſtatim requiri,cùm,ſicut anteà fuſiùs declaratum eſt,omnes duodecim Apoſtoli, priuſquàm vllos ſacros Ordines obtinerent, fuerint à Chriſto Domino Apoſtoli cōſtituti & appellati. Eſt etiam clarum, quod nō ſemel Paulus de ſe teſtatur,non ab hominibus, neque per hominem, niſi per IESVM Chriſtū Apoſtoli officiū ſe accepiſſe: ergo per Apoſtolatū Chryſoſtomus, & Hieronymus ſine dubio Epiſcopatum ſignificare voluerūt. Sicut,quod in Epiſtola ad Corinthios ait S. Paulus [g]: *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos*, id eſt,Epiſcopos, ait S.Ambroſ. ſic & viciſſim pro Apoſtolatu ponitur interdū Epiſcopatus:ita in Pſalmo,quod dicitur[h]: *Et Epiſcopatum eius accipiet alter.* de Iudæ Apoſtolatu S. Petrus in Actis Apoſtolicis[i] interpretatur.Magna eſt enim inter Apoſtolos, & Epiſcopos affinitas; vnde dicuntur Epiſcopi propriè Apoſtolorū eſſe ſucceſſores; niſi quòd Epiſcopi iuriſdictio propriè adſtringitur diœceſi;Apoſtoli verò à Chriſto miſſi ſunt,vt docerent mundum vniuerſum. Alioquin, vt fuit officium Apoſtolorū, miniſtros Eccleſiæ per mundum conſtituere; ita eſt munus Epiſcopi in propria Eccleſia tales ordinare. Et ſicut proprium erat Apoſtolorum prædicare Euangelium:ita quoque idem eſt officium

f *Act. c. 12. v. 23.*

g *1. Cor. c. 12. v. 28.*

h *Pſal. 108. v. 10.*

i *Act. c. 1. v. 28.*

ficium Epiſcoporũ, quibus propterea dicitur, dum conſecrantur: *Accipe Euangeliũ,& vade,predica verbũ Dei*. Quamuis noſtrorum temporum culpa, vix ab Epiſcopis id modò præſtetur, niſi per ſuos miniſtros: cùm tamen Paulus, & Barnabas ſtatim Epiſcopi conſecrati dicantur hic à S. Luca[k], *Miſſi à Spiritu ſancto abierunt Seleuciam: & cùm veniſſent Salaminam,prædicabãt verbum Dei*. Et ita per varias ciuitates,ac mũdi regiones agere pergebant. Atque hoc eſt opus,de quo dixerat Spiritus ſanctus: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos*. Et ipſe S. Paulus ad Romanos ſcribens[l], ait: *Paulus vocatus Apoſtolus ſegregatus in Euangelium Dei*. Id, vt exequeretur cum ampliſſima poteſtate conſtituendi etiã miniſtros, & adiutores per Eccleſias orbis vniuerſi, vt eũ feciſſe poſteà referemus, epiſcopalem nunc debuit accipere dignitatem, atque adeò pleniorem gradum muneris apoſtolici.

k Act. c. 13. v. 4 & 5.

l Rom. c. 1. v. 1.

LIBER QVARTVS.

De Pauli, & Barnabæ, iam in Epiſcopos conſecratorum aliquot peregrinationibus ad Gentium conuerſionem, inſignibus quibuſdam miraculis, & reuelationibus.

CAPVT I.

De raptu S. Pauli ad tertium cœlum.

EODEM Chriſti anno quadrageſimoquarto, quo Paulus & Barnabas ad explendos omnes apoſtolicæ dignitatis gradus, obtinuerant Ordinem epiſcopalem, qui fuit Claudij Imperatoris annus ſecundus, ætatis verò Pauli quadrageſimustertius, & ab eius conuerſione decimus, putamus ei contigiſſe raptum illum planè admirabilem, de quo ſic ipſe in poſteriore ad Corinthios Epiſtola ſcriptum reliquit [a]: *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim; ſiue in corpore neſcio; ſiue extra corpus, neſcio; Deus ſcit; raptum huiuſmodi vſque ad tertium cœlum. Et ſcio, huiuſmodi hominem, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio; Deus ſcit; quoniam raptus eſt in Paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Eſt autem quorundam opinio, quam Lyranus [b] putauit eſſe communem, non hoc anno, ſed multò antè raptum hunc Pauli contigiſſe; nempe, illo triduo eius conuerſionis, in quo dicitur nihil vidiſſe, nec deguſtaſſe. Pro his eſſe videtur Damaſus Papa in Carmine, quo breuiter Pauli conuerſionem, ac geſta ſic deſcribit [c]:

Mutatus poſtquàm placuit de nomine Paulus,
Mira fides rerum, ſubitò trans ethera vectus
Noſcere promeruit, poſſent, quid præmia vitæ.
Conſcendit clari Martyr penetralia Chriſti,
Tertia lux cœli tenuit Paradiſus euntem.

Quinetiam S. Auguſtinus exponens illa verba Pſalmi ſexageſimiſeptimi: *Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.* necnon S. Hieronymus, iudicare videntur, Pauli raptum in itinere Damaſci contigiſſe. Hi tamen Patres ſolùm voluerunt ſignificare, ea Pſalmi verba benè Paulo conuenire: quia fuit de tribu Benjamini; & varios eſt paſſus mentis exceſſus per inſignes reuelationes, ac diuinas viſiones, quarum illæ duæ fuerunt præcipuæ: prima, quando è cœlo Chriſtus deſcendens illi apparuit in via Damaſcena: altera, quando raptus fuit vſque ad tertium cœlum; nec de die,

a 2. Cor. c. 12. v. 2.

b Lyr. in c. 12. ep. 2. ad Cor. ibid. Carth. Ioan. Arborem ſecuti S. Thom. ibidem lect. 1. Driedo l. 1. de Script. eccl. ſia ſticu.

c Damaſus tom. 3. Biblioth. Patrum.

die, vel anno, quo hæc accidiſſent, ipſi curarunt. Debuiſſe tamen poſt aliquot annos ab eius conuerſione raptum, de quo loquimur, contigiſſe, conuincit ratio temporum manifeſta: nam teſtatur Apoſtolus, id factū ante annos quatuordecim, quàm illam Epiſtolam ſcriberet ad Corinthios: eſt autem ſcripta ea Epiſtola primis annis imperij Neronis, quod etiam Auctores contrariæ ſententiæ fatentur, & nos oſtendemus ſuo loco ſcriptam fuiſſe Neronis imperij anno ſecundo. Eſt etiam certum, ante Neronem proximè Claudium imperaſſe annis quatuordecim, licèt non prorſus expletis, vt probati quique Hiſtorici tradiderūt, Tacitus, Suetonius, Dio, Eutropius, Oroſius, Ioſephus, Euſebius, & Clemens Alexandrinus; quos meritò ſunt ſecuti noſter Benedictus Pererius, & poſtremò Cæſar Cardinalis Baronius. Si igitur à Neronis anno ſecūdo, annos antecedentes quatuordecim numerādo, deſcendamus, planè ad annum deueniemus, in quo ſumus, nēpe, Claudij Imperatoris ſimiliter ſecundū, in quo hunc Pauli raptū contigiſſe exiſtimamus. Quòd ſi vlteriùs deſcendēdo ad primos duos Claudij annos, alios quatuor addiderimus, quibus ante ipſum Caius Caligula proximè imperauit, & ante Caligulam tres annos Tiberij poſtremos adiungamus, regnauit enim Tiberius iuxta prædictos Auctores annis vigintiduobus, in quorū decimonono Paulum eſſe ad Chriſtum conuerſum anteà demonſtrauimus, apertè concluditur idem annus, de quo nunc agimus, fuiſſe decimus à Pauli conuerſione; eius verò ætatis circiter quadrageſimustertius, & à Chriſti natiuitate, ſicut anteà poſuimus, quadrageſimusquartus. Alias prætereà non paucas adduximus anteà rationes; cur veriſimile non videatur, hæc ſtatim à cōuerſione Paulo contigiſſe, vbi de reuelationibus, quas illo triduo ſortitus eſt, ageremus[d]. Et hęc ſufficiāt dicta de tēpore.

De loco verò huius raptus arbitrātur aliqui Tarſi Paulum tunc manſiſſe[e]; vbi ferè per triennium moratus eſt, antequàm ibi à Barnaba inuentus anno ſuperiori Antiochiā eſt perductus. Hac tamen ratione nō debuiſſet Apoſtolus affirmare: *Scio hominē ante annos quatuordecim.* ſed, ante annos quindecim, aut etiam ſexdecim, annum ſaltem addendo, quem Antiochiæ integrum peregerat. Quare iuxta rectam temporum Chronologiā, aut eſſe tunc debuit Antiochiæ, aut inde non pridem cū Barnaba diſceſſiſſe, poſtquàm eſt Epiſcopus conſecratus. Obſeruatione autē ante omnia eſt digna in hac Pauli de ſe redditi teſtificatione, ſingularis eius modeſtia, & moderatio ex quadruplici capite, quæ tantò maiorem dictis eius conciliat fidem, & miram quandam erga dicentem excitare debet reuerentiam. In primis, quòd per annos quatuordecim rem tantam, adeòque ſtupēdum Dei fauorem diſſimulauit. Deinde, quòd non niſi coactus de eo tandē mentionē facere aggreſſus eſt, pro ſpirituali emolumento, & ſalute Corinthiorū; quibus Pſeudoapoſtoli famę Pauli detractores callidè inſidiabantur. Tertiò, nec audet ea de re, niſi tanquam ſub tertia perſona loqui: *Scio*, inquit, *hominem in Chriſto, & ſcio huiuſmodi hominem.* Quartò, ſuam interim huic tā ſublimi ſcientiæ interſerit inſcitiam, dicens: *Siue in corpore, neſcio; ſiue extra corpus, neſcio.* Et iterum infrà: *Neſcio, Deus ſcit.* Itaque, cùm veritate cogente, ſe ſcire de huiuſmodi raptu bis fuerit proteſtatus, quia expertus rē erat in ſeipſo; ad omnem iactantiæ ſuſpicionem remouendā ter voluit addere, aliquid ſe

circa

d Lib. 1. cap. 8.

e Perer. iſp. Proleg. in Ep. ad Rom n. 18.

circa hoc ipſum ignorare, & Dei ſcientiæ relinquere: hoc autem quid fuerit, vbi terminos huius raptus expoſuerimus, inueſtigare oportebit.

Dicit igitur, raptum huiuſmodi hominem vſque ad tertium cœlum, & raptum in Paradiſum. Videtur autem hoc dicto reſpexiſſe, quod Chriſtus Saluator, cùm eſſet in Cruce, ſanctificato latroni pollicebatur dicẽs [f]: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Quod quia non poteſt intelligi de cœleſti Paradiſo; ad hoc enim Chriſtus Dominus non aſcendit, nec ſecum Sanctos adduxit, niſi poſt diem à ſua reſurrectione quadrageſimum: ideò myſticè ibi Paradiſum eſſe accipiendum Interpretes docent; nempe, pro quiete fruitionis beatificæ ex clara Dei viſione, quam ſtatim poſt mortem bonus latro eſt aſſecutus. Simili ergo ratione multis diſputans de hoc Pauli raptu S. Thomas [g], affert quorundam intelligentiam, quam ipſe non improbat, affirmantium, per cœlum, ad quod S. Paulus dicit ſe fuiſſe eleuatum, ſignificari quendam ſublimiſſimum cõtemplationis gradum; per Paradiſum verò, quo nomine ſignificatur locus maximè delicioſus, debere intelligi ſummá delectationem ex illa contemplatione ſecutam, veluti participationem fruitionis, & gaudij beatifici. Cur autem ſublimis illa contemplatio dicatur vſque ad tertium cœlum perueniſſe; triplicem affert idem Auctor expoſitionem: prima eſt iuxta tres gradus potentiarũ cognoſcitiuarum: ſecunda, iuxta tres gradus cognoſcibilium: tertia, per tres modos, aut gradus cognitionum. Primùm itaque circa tres gradus, ſeu triplicem ordinem cognoſcitiuarum potentiarum, ait poſſe dici, primum cœlum ſignificare viſionem quandam ſupermundanam, ſed corpoream tamen; hoc eſt, modo quidem ſupernaturali, & miraculoſo prouenientem, ſed tanquam de re corporata ſenſibus externis obiectam: ſicut à Daniele refertur [h], viſam manum ſcribentis in pariete aulæ regiæ contra candelabrum, dum Rex Balthaſſar eſſet in conuiuio. Per ſecundum verò cœlum poſſe intelligi viſionem eleuatiorem, iuxta ſenſum internæ imaginationis, vt refert aliquando ſe vidiſſe Iſaïas [i] Dominum ſuper ſolium excelſum & eleuatum, & Seraphim circa illum. Per tertium cœlum putat intelligi debere viſionem adhuc eleuatiorem, videlicet, purè intellectualem, & hanc tertiam vocat mentis, S. Auguſtinus libro duodecimo ſuper Geneſim [k], ſicuti ſecundam vocat ſpiritus, & primam corporis, cùm ſic ait: *Ego viſorum, vel viſionum, præter iſta tria genera, aut corpore, aut ſpiritu, aut mente, vſque adhuc aut noſſe, aut docere non poſſum.* Atque ita concludit tertium hoc genus viſionis alienatæ, nimirum, mentis à ſenſibus corporis, poſſe dici tertium cœlum, & Paradiſum, de quo Apoſtolus loquebatur. *Quapropter*, inquit, *ſi hoc tertium viſionis genus, quod ſuperius eſt, non ſolùm omni corporali, quo per corporis ſenſus corpora ſentiuntur; verùm etiam omni illo ſpirituali, quo ſimilitudines corporum ſpiritu, non mente cernuntur, tertium cœlum appellauit Apoſtolus: in hoc videtur claritas Dei, cui videndæ corda mundantur.* Et infrà: *Cur autem*, inquit, *non credamus, quòd tanto Apoſtolo Doctori Gentium rapto vſque ad iſtam excellentiſſimam viſionem, voluerit Deus demonſtrare vitam, in qua poſt hanc vitam viuendum eſt in æternum? Et cur non dicatur iſte Paradiſus, quandoquidem excepto illo, in quo corporaliter vixit Adam inter ligna nemoroſa, atque fructuoſa, etiam Eccleſia,*

f *Matth. c. 26. v. 44.*

g S. Th. 2. 2. q. 175. art. 2. 3. 4. 5. & 6.

h *Daniel. c. 5. v. 5.*

i *Iſai. c. 6. v. 1.*

k S. *Aug. lib. 12. ſup. Gen. c. 28. & 29. tom. 3.*

Eccleſia, quæ nos congregat in charitate ſi..., Paradiſus in Canticis[l] *dicta eſt, cum fructu pomorum.* Secunda expoſitio declarat, quid intelligere poſſimus per tertium cœlum in raptu illo S. Pauli iuxta tres gradus rerum cognoſcibilium: ita vt dicatur primum cœlum, cognitio corporum cœleſtium: ſecundum cœlum, cognitio cœleſtium ſpirituum: tertium, cognitio ſummi Dei. Tertia expoſitio aſſignat tertium cœlum iuxta tres modos cognitionis, ſeu gradus contemplationis Dei: horum primus pertinet ad Angelos infimæ Hierarchiæ; ſecundus ad Angelos mediæ; tertius ad Angelos ſupremæ. Quæ quidem omnes expoſitiones eò tendunt, vt aliquo modo exprimant altitudinem illius contemplationis, aut viſionis iuxta potentiam cognoſcitiuam maximè ſpiritualem, circa obiectum eleuatiſſimum, & modo quodam cognoſcendi ſimili Angelorum ſupremorũ: quaſi tunc Paulus veluti Seraphinus Deum, & diuina perfectiſſimè contemplatus, eo ardore fuerit incenſus, quo poſteà ſemper æſtuabat, & alios inflammare conabatur.

l Cant. c. 4. v. 1.

Sed, quod hîc potiſſimùm quærimus, non eſt, circa quid, aut quomodo Pauli mens in eo raptu operaretur, de quo erit nobis agendum toto capite ſequenti: verùm, quis propriè fuerit extrinſecus terminus illius raptus verbis illis ſignificatus: *Raptus eſt vſque ad tertium cœlum. & raptus eſt in Paradiſum.* quod videntur ſuperiores expoſitiones quodammodo declinare: ſicut qui diceret, hominem ſcientiarum cupidiſſimũ, Athenas ſe contuliſſe, ſubindicaret quidem vellet, egregiam ſcientiis acquirendis operam à tali homine fuiſſe nauatam: ſed ex verborum propria, & primaria ſignificatione vellet dicere, ad illam iuiſſe ciuitatẽ. Hoc eſt igitur nunc à nobis præcipuè veſtigandum, quem notauerit Apoſtolus locum, vbi ſe dixit raptum vſque ad tertium cœlum: vt à loci ſublimitate, ac dignitate, rerum ibi perſpectarum excellentiam, de quibus poſtea erit inquirendum, coniecturis, vt poſſumus, deprehendamus.

Eſt igitur alia, vt communior & ſimplicior, ita verior & verbis Apoſtoli congruentior expoſitio, cui nec aliæ ſuperiùs allatæ contradicunt; per tertium cœlum, ſignificatũ omnium ſupremum, Dei Regiã, & Beatorum domicilium; quod ab igne, cuius naturam ſplendore, ac puritate ſuæ ſubſtantiæ imitatur, Empyreum à SS. Patribus appellatur, & in ſacra Scriptura cœlũ cœli nominatur; à voluptate autem, ac deliciis dicitur Paradiſus. Cur verò tertium cœlum à S. Paulo ſit appellatum, ea ratio redditur à S. Thoma[m], & aliis multis: quia primũ eſt cœlum aëreum; de quo non rara eſt mẽtio in Scriptura, vt cùm dicuntur volucres cœli, & nubes cœli, nempe, aëris altioris: ſecundum eſt ſydereum cœlum, in quo ſydera, tum fixa, tum errantia, per varios orbes circumuehuntur, vſque ad ſupremum prorſus immobile, Empyreum, vt diximus, appellatum. Quòd ſi mirum alicui videatur tot cœlos, nempe, ſecundùm Aſtronomos antiquiores, vt minimũ octo; ſecundùm verò Mathematicos recentiores vſque ad vndecim, vno nomine ſecũdi cœli eſſe cõprehenſos: aliqui reſpõdent, poſſe per primum cœlũ, relinquendo aëreum, intelligi ſydereum; per ſecũdum cryſtallinũ, ſiue glaciale dictũ, vel. queũ, de quo legimus in Pſalmis[n]: *Et aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt.* per tertium, Empyreum, quod magis videtur S. Thomas[o] approbare. At verò Caietanus expenens caput duodecimum

m S. Th. 1. 2. q. 175. a. 3. ad 4.

n Pſal. 148. v. 4.

o S. Th. 2. 2. q. 175. a. 3. ad 4.

Epiſtolæ ad Corinthios poſterioris, ſic ait: *Apoſtolus appellauit locũ illum ſummum, cœlum tertium, quia in ſacra Scriptura trium cœlorum mentio fit: infimum eſt cœlũ aëreum iuxta illud: Volucres cœli. medium eſt cœlum aſtratum, de quo in principio generis: Et poſuit eas in firmamento cœli. tertium ac ſummum eſt, aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, cuius pluries Scriptura meminit, quod appellamus cœlum aqueum; Philoſophi verò appellant primum mobile: Empyreum ſiquidem cœlũ à poſterioribus traditum nullibi inuenitur in Scriptura.* Hoc tamen de cœlo Empyreo dicere Caietanus profectò non debuiſſet: nã, quamuis expreſſa mentio de illo ſub hoc nomine Empyrei in ſacra Scriptura non habeatur: nihilominùs tamen aliis nominibus ſæpè ſignificatur, & admittũt Eccleſiæ Patres, quos communiter omnes Theologi ſequũtur, vt non liceat hac de re dubitare. Quidquid autẽ ſit de numero cœlorũ ſub Empyreo, ſiue vnũ ſubeſſe dicatur, ſiue duo, aut multò plures, quod Aſtronomis relinquimus diſputandũ, ſciendum eſt, vbi S. Paulus raptum ſe dicit ad tertium cœlum, non tam ſtatuere quidquam de numero cœlorũ voluiſſe, quàm Hebraïca locutione ſummum, ſiue vltimum ſignificare: veluti, cùm infrà, in eodem capite [p] dixit, ſe ter Dominum rogaſſe, noluit ſignificare, ſe tantùm ter pro illa importuniſſima tentatione auertenda ſupplicaſſe; quid enim magnum hoc eſſet? Sed perinde fuit ac dicere, ſæpiùs, & fortè vna die ſæpiſſimè oraſſe; donec eſt illi reſpõſum: *Sufficit tibi gratia mea.* Eſt enim ternarius numerus ſymbolum multitudinis, & vniuerſitatis: quia, ſicut docuit Ariſtoteles [q], continet in ſe principiũ, mediũ, & finem: vnde tum apud ſacros, tum apud profanos Auctores pro aliquo toto ac ſummo vſurpatur: hinc ter beatus, ter felix, ter maximus, & apud nobilem Poëtam [r]:

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter fruſtrà comprehenſa manus effugit imago.

Hoc eſt, id ſæpiùs cùm tentaſſet, & ſemper fruſtra, deſtitit aliquando. Sed rogabit hìc aliquis, cur, vbi dixiſſet Apoſtolus, ſe raptũ ad tertium cœlũ, hoc eſt, ſupremum & extremũ, addiderit etiam ſe raptum in Paradiſum: quod fecit aliquos dubitare, non ſolũ ex antiquioribus, ſed etiam ex recentioribus Interpretibus [s], fuerintne duo raptus inter ſe diuerſi, cùm termini ſignificentur eſſe diuerſi. Sed cùm ſatis oſtenſum habeamus, tertiũ cœlum eſſe ſummũ atque ſupremũ, vbi regnum eſt, & patria Beatorum: per Paradiſum nihil aliud debemus intelligere, niſi eiuſdem admirandæ rei quandam maiorem expreſſionem, & confirmationem: eſt enim in ſacta Scriptura frequentiſſimum, vnam eãdémque ſententiã ſemel prolatam ſtatim ſequentibus verbis, immutata locutione, ampliùs explicare; cuius rei paſſim, & præſertim in Pſalmis occurrunt exempla. Cùm igitur dixiſſet Apoſtolus, ſe raptũ ad tertium cœlum, hoc eſt, vt diximus, ad Empyreum, omnium ſupremum, quod immenſam habet amplitudinẽ: vt ſignificaret eius nobiliorem, & eminẽtiorem partem, vbi ſedes ſunt Beatorũ, addidit nomen Paradiſi; quo nomine, tum Hebraïca lingua, tum Græca, tum Latina, ſignificatur locus multæ amœnitatis & voluptatis: vt ſimul hac ratione inſinuaret, ſe non ſolùm intellectu rãptum altiſſima myſteria cognouiſſe; verùm etiã ineffabili quadam inde voluptate fuiſſe perfuſum.

Sed rei tam admirãdæ magnitudo & modus ille loquendi ab Apoſtolo repetitus: *Siue in corpore, ſiue extra corpus,*

p 2. Cor. c. 12. v. 8. & 9.

q Ariſt. lib. 1. cœli. 2.

r Virg. 2. Æneid.

s apud Salmer. tom. 14. diſp. 13.

corpus, neſcio, Deus ſcit. aliam nõnullis ingeſſit dubitationem, realitérne S. Paulus raptus fuerit vſque ad tertiũ cœlum, id eſt, Empyreum, ita vt eo loco inter Cœlites ſiſteretur: an verò tantùm in ſpiritu, nimirum, per internas animæ potentias viuaciſſimè apprehendentes, quæ in cœlis ſunt, perinde ac ſi præſentiſſimus ibi fuiſſet, nihil obſtante diſtãtia notioni. Quod ſine dubio Deus animæ Pauli præſtare per miraculum potuiſſet: ſicut S. Ioannes de ſe in Apocalypſi teſtatur [t], dicens: *Ego Ioannes fui in ſpiritu Dominica die*. tum narrat, ſe vidiſſe ciuitatem ſanctam Ieruſalem, eámque fusè deſcribit in fine Apocalypſis: & tamen nemo dicit, eum raptum fuiſſe vſque ad cœlum, aut Paradiſum; ſed ſolùm per quandam apprehenſionem eorũ, quæ ibi ſunt. Ita de Pauli raptu opinatum quendam eruditum virum Iudæum ſuo tẽpore, S. Hieronymus [u] teſtatur: quem propterea ipſe reprehendit: & idem refellitur à S. Auguſtino [x] ex eo, quia nihil Paulus dubitauit, ſed dixit ſe ſcire raptum ſuum fuiſſe vſque ad tertium cœlũ. Sciebat ergo, verum eſſe, tertium cœlum, & ipſum Paradiſum, quò rapiebatur, nõ eius tantùm imaginariam ſimilitudinem: ſicut S. Ioannes, qui propterea quærebat, & ab Angelo interrogabat, quid hoc, vel illud eſſet ſub tali imagine ſibi demonſtratum: & reſpondebatur illi, ait S. Auguſt. ciuitas eſt, vel populi ſunt, vel aliquid aliud, cũ videret illam beſtiam, ſiue mulierem, ſiue aquas, ſiue quid huiuſmodi. Et ideò dicebat Euangeliſta Ioannes, ſe tunc raptũ in ſpiritu, id eſt, mentaliter, non realiter. At non ſic de ſe loquebatur S. Paulus; ſed dicebat: *Scio hominem in Chriſto, & ſcio huiuſmodi hominẽ raptũ, quoniã raptus eſt*, &c. Idémque à proprietate vocabuli confirmatur, ἁρπαγέντα, raptum, & ἡρπάγη, raptus eſt; non autem dixit, ἐξέστη, quaſi ecſtaſi tantùm correptus, ſicut illi contigit, cùm orans in templo aliquando [y] factus in ſtupore mẽtis, Græcè ἐκστάσις, nec tamẽ loco ſuo motus eam habuit viſionẽ, quam retulimus libro ſuperiori [z]. At verò, cùm Philippus Diaconus, vbi Eunuchũ baptizaſſet, à Spiritu aſportatus, & per aliquot milliaria à Gaza in Azotum, ἥρπασε, inquit S. Lucas [a], rapuit Spiritus Domini Philippum, & ampliùs non vidit eum Eunuchus. Ipſe quoque S. Paulus referens in prima Epiſtola ad Theſſalonicenſes [b], quomodo Sanctorũ beata corpora in die extremi Iudicij reſurgentia obuiã ibũt Chriſto Redẽptori, ſine dubio localiter ſe mouendo: *Rapiemur*, inquit, *obuiam Chriſto in aëra*, ἁρπαγησόμεθα εἰς ἀέρα. Atque in hoc ſenſu fuiſſe rem hanc communiter à fidelibus Eccleſiæ primitiuæ intellectam, habemus quoque teſtimonium ethnici Auctoris, licèt impij, & Chriſtianis infeſtiſſimi Luciani, qui in ſuo quodam Dialogo [c], Tryphonẽ inducit his verbis referentem, quomodo fuerit à S. Paulo baptizatus: *Quando autem me Galilæus ille*, id eſt, Paulus, *conuenit recaluaſter, naſo aquilo; qui in tertium vſque cœlum per aerem ingreſſus, quæ optima & pulcherrima ſunt, inde didicit, per aquam nos renouauit, & in Beatorum veſtigia inſiſtere fecit.* Hæc Lucianus non ex ſua, cùm eſſet Atheus, ſed Chriſtianorũ eius ætatis trita ſententia. Et certè, ſi S. Paulus de raptu tantùm imaginario, & mentali; non autem locali fuiſſet locutus; quid erat, quòd dubitaret, an eo tempore anima ipſius eſſet à corpore ſeparata, vel ſimul rapta cum corpore? certum enim eſt, in raptu mentali ſolùm alienari animam in ſua operatione cognoſcitiua à ſenſibus carnis; nec ideò exire à corpore debere, aut ſecum corpus rapere.

[t] Apoc. c. 1. v. 10.
[u] S. Hieron. in Praef. ſuper Danielem.
[x] S. Aug. lib. 12. de Geneſ. ad lit. c. 2. 3. 4. & 28.
[y] Act. c. 22. v. 17.
[z] lib. 3. c. 6.
[a] Act. c. 8. v. 39.
[b] Theſſ. c. 4. v. 16.
[c] Lucian. in Dial. Philopat.

At erit, qui opponat, cùm Paulus dubitet, & dicat, ſe neſcire, an verè tunc in anima & corpore ad cœlum ſit raptus; cur id nos pro certo aſſeueramus? Reſpondeo tamen, quod hic habendũ pro certo exiſtimamus, eſſe, non imaginariè, ſed reipſa animam Pauli in cœlum fuiſſe raptam: an verò ſimul & corpus, quamuis dicat Apoſtolus ſe neſcire, hoc eſt, non certò ſe ſcire; tamen probabilius videtur, raptum etiam corpus: alioquin mori omninò illo raptu debuiſſet, & poſt raptum anima in corpus reuocata Paulus ſuſcitari: vnde non tam raptus, & ecſtaſis, quàm vitæ fuiſſet ereptio, & interfectio: quod Deus facere in aliis raptibus Sanctorum nunquam ſolet: nec ita decet ſuauem eius, in huiuſmodi præſertim fauoribus, prouidentiam; multáque fruſtrà interuenire miracula debuiſſent. Quòd verò dixerit, ſe neſcire, vtrùm anima tunc eſſet in corpore, vel extra corpus, id eſt, à corpore ſeparata; putat S. Athanaſius[d], non ideò dictum, quòd omninò neſciret: ſciebat enim, hominem eſſe, qui rapiebatur, non ſolam ſuam animam, ideò dicebat: *Scio hominem raptum.* non tamen ſciuiſſe, vt deberet aliis dicere: ſicut dicebat Chriſtus Dominus[e], ſe neſcire diem extremi Iudicij: quia, licèt pro ſe ſciret, non tamen ſciebat, vt nobis reuelaret: ſic etiã quæ ſciuntur ſub ſigillo Confeſſionis, quia dici non poſſunt; poſſunt verè dici, quòd neſciantur. Aliã profert S. Thomas[f] reſponſioné quorundam aſſerẽtium, ſciuiſſe Apoſtolũ, animam ſe habere tunc vnitã corpori, vt formam in eſſe compoſiti; ſed nõ quoad operationes: atque ita ſciuiſſe raptũ, ſed non modũ raptus; vtrùm, videlicet, eo tempore pateretur à ſenſibus alienationem: an etiam abſtractio cõſecuta ſit ab operibus animæ vegetatiuæ. Hoc tamen non approbat S. Thomas: quia factam eſſe abſtractioné à ſenſibus ignorare nõ potuit, ex quo ſciuit, ſe eſſe raptũ: nam ecſtaſis, & raptus abſtractionem quandã, & abalienationẽ dicit à ſenſibus: quòd autẽ fuerit abſtractio facta ab operibus animæ vegetatiuæ, hoc tanti non erat, vt debuerit Paulus ſpecialẽ de hac re facere mentionem; & propterea dicere, ſe neſcire, vtrùm anima tunc eſſet in corpore, vel extra corpus. Quare cenſet S. Thomas eſſe probabilius, Paulũ neſciuiſſe, vtrùm anima eius vere fuerit coniuncta corpori, vt forma; an verò per mortem à corpore ſeparata. Et hoc videntur Apoſtoli verba ſimpliciter intellecta magis ſignificare. Et in hoc poſt multa eã de re diſputata, magis S. Auguſt. inclinauit, dicẽs[g]: *Reſtat ergo fortaſſe, vt hoc ipſum eũ ignoraſſe intelligamus; vtrùm, quando in tertium cœlum raptus eſt, in corpore fuerit anima, quomodo eſt anima in corpore, cùm corpus viuere dicitur, ſiue vigilantis, ſiue dormientis, ſiue in ecſtaſi a ſenſibus corporis alienati: an omninò de corpore exierit, vt mortuum corpus iaceret.* Hæc tamen S. Auguſtini, & S. Thomæ ſententia cum illa S. Athanaſij videtur poſſe conciliari, ſi dicamus, ſciuiſſe aliquo modo Apoſtolum, ſe raptum eſſe cum corpore, & aliquo modo neſciuiſſe: nam de anima, quòd raperetur, ſciuit ſcientia experimentali, certa, & euidenti: de corpore verò, non item: quia nullam experiebatur eo tẽpore corporis operationem, nec aliquem eius effectum ſentiebat, totus intentus operationibus ſpiritualibus à corpore independentibus; perinde ac ſi corpus in eo raptu non haberet, & eſſet anima, quaſi vna de mentibus cœleſtibus, vel angelicis ſpiritibus ab omni corporis concretione ſeiunctis. Solemus autem, cùm duo quædam nouimus, vnum certiſſimè & euidentiſſimè, aliud

d S. Ath. ſerm. 4. contra Arianos.

e Marci c. 13. v. 32.

f S. Th. 2. 2. q. 175. a. 6.

g S. Aug. lib. 12. de Gen. ad lit. c. 5.

aliud ſubobſcurè per dubias coniecturas; primũ dicere nos ſcire, alterũ autem neſcire: quia id non poſſumus tam certò aſſeuerare, nec tenemur perſequi coniecturas; præſertim ſi expediret primum, non verò tantoperè ſecundum explicare; ſicut expediebat S. Paulo propter tria. Primùm, ne aliqua affirmando, quæ non erant æquè certa, ſe, videlicet, tam corpore, quàm anima vſque ad ſummum cœlum fuiſſe raptum; videretur nimis glorioſè de ſe loqui: vnde ibidem dicebat [h]: *Si gloriari oportet, non expedit quidem.* & infrà: *Si voluero gloriari, non ero inſipiens: parco autem.* Deinde, quia dicendo ſe neſcire, vtrùm anima eſſet in corpore, vel extra corpus, cùm de raptu corporis poſſet aliquo modo dubitare, & de raptu animæ nullo modo, excludebat aliam dubitationem ad rei veritatem, & ad modeſtiam pertinentem; videlicet, ne quis ſuſpicaretur fuiſſe illum in cœlo, ſicut erunt Sancti in anima & corpore glorioſo, & optimè ſcient talia habere ſe corpora, animæ beatitudine in illa modo perfectiſſimo redundante. Notauit hoc ad rem præſentem S Auguſtinus, dicens [i]: *Apoſtolo arrepto à carnis ſenſibus in tertium cœlum, hoc defuit ad plenam perfectámque cognitionem rerum, quæ Angelis ineſt, quòd, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, eſſe neſciebat. Hoc itaque non deerit receptis corporibus in reſurrectione mortuorum, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem.* Tertiò hac loquendi moderatione magis expreſſit exceſſum ſuæ ſublimiſſimæ contemplationis; quæ ita totam tunc animam occupauit, mentémque detinuit, vt quid cum proprio corpore ageretur, certò non potuerit affirmare.

h 2. *Cor. c.12.v.1. & 6.*

i S. *Aug. lib.12.de Gen.ad lit. cap. penult.*

CAPVT II.

Videritne S. Paulus in eo raptu diuinam eſſentiam; & quid aliud ei tunc fuerit reuelatum.

QVàm ſi erit hæc S. Pauli reuelatio, raptúſque ſublimis, hinc etiam poſſumus intelligere, quòd examinatis eius conditionibus Auctores grauiſſimi, ad eam inclinauerint opinionem, vt crederent, viſam ab Apoſtolo in tali raptu clara viſione diuinam eſſentiam. Ita docuit non ſemel S. Auguſtinus [a], quem ſecutus eſt S. Thomas [b], & alij non pauci, tum antiquiores, tum recentiores Theologi, & ſacrarũ Interpretes Scripturarum. Nec id ſanè abſque rationabilibus cõiecturis, & apparenti diuinorũ eloquiorum fundamento, cui niti potiſſimùm oportebat, ad ſtatuendã huius rei veritatẽ. Cùm enim id fieri à Deo potuiſſe negare nõ debeamus; fueritne factum ex ſacra Hiſtoria debet agnoſci; maximè autẽ ex ipſius S. Pauli teſtificatione. Sunt itaque exhibito Apoſtoli Pauli de hac re teſtimonio quatuor præcipuè conſideranda, quæ hanc opinionem, ſaltem non eſſe improbabilem, ſuadere videbuntur. Primùm, quia raptus dicitur Paulus vſque ad tertium cœlũ, id eſt, Empyreum, & omniũ ſupremum: quod non minùs apparet miraculoſum in hac vita mortali, quàm cõmunicari claram Dei viſionem. Quòd ſi Moyſi aſcendenti vſque ad montem Sina, vt ageret cum Deo, multi opinantur viſionẽ eſſentiæ diuinæ fuiſſe conceſſam; idem ratione potiori de Paulo videtur eſſe credendum; nimirũ, tantò altiùs eleuato, & quidem tempore legis gratiæ, quando maior quàm in lege veteri debuit eſſe Dei ac diuinorũ myſteriorum manifeſtatio. Atque

a S. *Aug. ep.112. c. 12. & lib.12.de Gen. ad litteram. c. 27. & 28.*

b S. *Th. 2. 2 q 175. art. 3. & 1. p. q. 12. art. 11.*

ita S. Auguſtinus etiam de Moyſe exiſtimauit: cùm de ipſo in Exodo referatur [c], à Domino ſic poſtulaſſe: *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te.* Et infrà: *Oſtende*, inquit, *mihi gloriam tuam.* Reſpondit autem illi Deus: *Ego oſtendam omne bonum tibi.* Sed, quod magis vrget S. Auguſtinus pro hac ſententia, eſt Dei teſtimonium de Moyſe in capite duodecimo libri Numerorum, dicentis [d]: *Si quis fuerit inter vos Propheta, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum: at non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt: ore enim ad os loquor ei; & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Secundò, conſiderandum eſt, quod Paulus ait, ſe raptum in Paradiſum, nõ vtique terrenum, ſed cœleſtem; neque ſolùm cœleſtem materialiter, ſed etiã, ſicut Scholaſtici loquuntur, formaliter, id eſt, per claram diuinæ eſſentiæ viſionem, vt à Chriſto dictum eſt latroni: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, id eſt, clara Dei viſione perfrueris: quod benè S. Chryſoſt. [e] obſeruauit, exponens eadem S. Pauli verba ad Corinthios. Tertiò addit S. Paulus, audiiſſe tunc ſe arcana verba, Græcè ἄρρητα, id eſt, ineffabilia; quæ non licet homini loqui: hæc autem, vt S. Thomas [f] argumentatur, alia eſſe non videntur, niſi quæ cognoſcuntur beatifica viſione, iuxta illud eiuſdẽ Apoſtoli [g]: *Oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcẽdit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illũ.* Neque refert, quòd dixerit, audiuiſſe ſe arcana verba; non autẽ quidquã vidiſſe: nam, quamuis in ſenſibus corporis aliud ſit audire, & aliud videre, tamen hæc idem ſunt in intellectu; & Hebraïca locutione ſæpè verba pro rebus accipiuntur: vnde audire verba, & videre viſionẽ nõ rarò vnũ & idẽ ſignificat in Prophetis.

c Exodi c. 33. v. 13. 18. & 19.

d Num. c. 12. v. 6.

e Chryſoſt. hom. 26. in 2. Ep. ad Corinth.

f S. Th. 2. 2. q. 175. art. 3.

g 1. Cor. c. 2. v. 9.

Quartò, quod addit S. Paulus: *Siue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio.* videtur poſitum ad euertendũ opinionis cõtrariæ fundamentum: qui enim negãt Paulo, vel Moyſi conceſſam eſſentiæ diuinæ claram viſionẽ, proptereà negant, quia adhuc erant in hac vita, nõdum per mortem anima à corpore ſeparata; in quo ſtatu non concedi viſionem Dei, ipſe Deus Moyſi ſignificauerat, dicens [h]: *Non videbit me homo, & viuet.* Et S. Ioannes [i]: *Deũ nemo vidit vnquam*, id eſt, ante mortem in hac vita, præter Chriſtum, quem ibi proptereà S. Ioannes excepit. Si ergo anima Pauli tunc fuit à mortali corpore ſeparata; benè potuit frui diuinæ eſſentiæ viſione. Quòd ſi quis inſtet, oſtenſum à nobis fuiſſe ſuperiùs, magis videri probabile, non eſſe Paulum mortuũ in illo raptu; reſponderi poſſet, ſatis eſſe, quòd perinde tunc ſe haberet, ac ſi eſſet mortuus: cùm non poſſet exercere pro eo ſtatu operationes animæ ſentientis; quaſi nullum haberet anima in illo raptu cum moribundo corpore commercium. Proptereà non eſt hæc opinio improbabilis, maximè propter S. Auguſtini, & S. Thomæ auctoritatem.

Sed tamẽ videtur contraria multò eſſe probabilior: tũ, quia ſacrarum teſtimonia Scripturarũ, quibus, vt dicebamus, præcipuè oportet attendere in veritate perueſtiganda rei, quæ ex libera ſolius Dei pendet volũtate, non conuincunt partem affirmantem, ſed magis indicant negatiuã, vt breuiter ſumus inferiùs oſtenſuri: tũ quia ipſimet SS. Doctores, Auguſtinus, & Thomas videntur interdũ valdè dubitaſſe, & cõtrariam ſententiã magis inſinuaſſe; quod etiam conſtabit inferiùs: tum denique, quòd multò plures, tum antiquiores, tum recentiores Scriptores, negantem hanc ſententiã amplectũtur; nempe, poſt Dionyſiũ [k] Areo

h Exodi c. 33. v. 20.

i Ioan. c. 1. v. 18.

k Dion. c. 4. de cœl. hierarch. & c. 1 de myſt. Theolog.

Areopagitam duo ſummi Pontifices Gregor. Magnus[l], & Euariſtus I.[m] duo alij Gregorij Nazianzenus[n], & Nicænus[o], Tertullianus[p], Origenes[q], Irenæus[r], Hieronym.[s] Hilarius[t], Bernardus[x], & alij hos ſecuti; quos nimis longum eſſet enumerare. Loquuntur autem vel de Paulo in particulari, vel ſimul de ipſo, & de Moyſe; de quo maior videbatur eſſe dubitandi ratio; vel vniuerſaliter de quocũq; homine mortali viatore adhuc, & nondũ cõprehenſore: eſt enim hac de re illud Pauli in priore Epiſtola ad Timotheũ vniuerſale pronunciatũ[y]: *Lucẽ Deus habitat inacceſſibilẽ, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Notat autẽ S. Auguſtinus[z], nõ dixiſſe Apoſtolũ; Sed nec videre poterit. quia in alia vita poterit: non autẽ poteſt in præſenti de lege ordinaria; in qua nõ fuiſſe hactenus diſpenſatũ ſignificatur, cùm dicitur: *Nullus hominũ vidit.* Hanc autem ad Timotheum Epiſtolã Paulus ſcripſit aliquot annis, poſtquàm raptus fuerat in Paradisũ; vbi, ſi vidiſſet ipſemet diuinã eſſentiã; profectò ſic ſcribere cum veritate non potuiſſet. Similiter S. Ioannes poſt raptũ S. Pauli ſcripſit ſuum Euangeliũ, in cuius primo capite proteſtatur dicens[a]: *Deũ nemo vidit vnquã: Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe narrauit.* Quod iterum repetit capite ſexto[b], cùm ait: *Non quia Patrẽ vidit quiſquã, niſi is, qui eſt à Deo, hic vidit Patrem.* Idémque confirmat in ſua Epiſtola prima, capite quarto[c]: *Deum* (inquit) *nemo vidit vnquam.* Hæc ſatis aperta diuinæ Scripturæ teſtimonia videtur S. Dionyſius Areopagita ipſius Apoſtoli Pauli diſcipulus reſpexiſſe, cùm in capite quarto libri de cœleſti Hierarchia ſic ſcripſit: *Si quis fortaſſe dixerit, ex Deo ipſo, abſque vllo medio, quibuſdam Sanctorum diuinas apparitiones cõtigiſſe; is illud à ſacratiſſimis libris ſapienter intelligat; quòd ſecretum ipſum Dei, quodcunque tandem illud eſt, nemo vnquam vidit, neque videbit.* Hęc S. Dionyſius eadem ferè, quæ dixerat Apoſtolus Paulus[d]: *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Addit Dionyſius capite primo de myſtica Theologia, loquẽs de familiariſſima conuerſatione Moyſis in monte Sina, & ſermocinatione cum Deo: *Atque ibi non ipſi congreditur Deo, neque ipſum cernit; eſt enim inuiſibilis Deus: ſed locum, vbi ſtetit.* Intelligit autem Areopagita, Deum eſſe inuiſibilem in eo ſenſu, quo dixit Apoſtolus, cuius ſe diſcipulum profitetur[e]: *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili.* Et alibi[f] vocauit Chriſtum imaginẽ Dei inuiſibilis, id eſt, qui neque naturaliter, neque etiam ſupernaturaliter de lege ordinaria in hac vita videri poteſt. Et quidem de Moyſe, de quo aliqua maior à nonnullis eſt mota dubitatio, omnem ambiguitatẽ videtur S. Ioannes ſuſtuliſſe: cùm illo capite primo ſui Euangelij Moyſem Chriſto cõparando, ſic ait[g]: *Lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per* IESVM *Chriſtum facta eſt.* Et ſtatim reddens huius rei rationem, ſubiungit: *Deum nemo vidit vnquam.* ac ſi dixiſſet: neque Moyſes vidit, neque alius ex Prophetis; niſi *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris*: ideò ipſe eſt magiſter veritatis omnium excellẽtior, & auctor gratiæ. Quare S. Auguſtinus expendens prædicta verba S. Ioãnis, tractatu tertio in Ioannem, ſic ait: *Moyſes vidit nubem, vidit ignem, vidit Angelum: omnis illa creatura typum Domini ſui gerebat, non ipſius Domini præſentiam exhibebat. Scriptura dixit, quòd Moyſes loquebatur cum Domino è contra in contra, ſicut amicus cum amico ſuo: ſed eadem Scriptura paulò pòſt ait, Moyſem petiiſſe à Deo: Si inueni gra-*

l Greg. lib. 18. Mor. cap. 37. aliàs 28.
m Euar. ep. 1. decret.
n Nazian. or. 34. quæ eſt 2. de Theologia.
o Nicæn. in vita Moyſis.
p Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 22. & lib. cõtra Praxeã, cap. 14.
q Orig. lib. 2. periar. c. 4.
r Iren. lib. 4. c. 37.
s Hier. l. 3. contra Pelag. & ep. 1. ad Damaſũ.
t Hilar. in Pſ. 118.
x Bern. ſerm. 31. & 34. Cant.
y 1. ad Tim. c. 6. v. 16.
z S. Aug. l. 3. cõtra Maxim. c. 9. 10 6.
a Ioan. c. 1. v. 18.
b Ioan. c. 6. v. 46.
c Ioan. Ep. 1. c. 4. v. 12.
d 1. Tim. c. 6. v. 16.
e 1. Tim. c. 1. v. 17.
f Coloſſ. c. 1. v. 15.
g Ioan. c. 1. v. 17. 18.

tiam

tuam in conſpectu tuo, oſtende mihi teipſum manifeſtè, vt videam te. & Deum reſpondiſſe: Non potes videre faciem meam. Loquebatur ergo cum Moyſe Angelus, portans typum Domini. Et in libro duodecimo ſuper Geneſim[h] ait idem S. Auguſtinus: *In libro Exodi dicitur, quod Moyſi locutus eſt Dominus facie ad faciem: & paulò pòſt ſubditur, dixiſſe Moyſem Deo: Oſtende mihi gloriam tuam. Sentiebat ergo Moyſes, quod videbat de Deo; & quod non videbat, videre deſiderabat, & petebat.* Hæc S. Auguſtini verba retulit quoque Doctor Angelicus[i], dũ in prima ſecundæ mouet quæſtionẽ, vtrùm Moyſes legem acceperit ab Angelo in monte Sina, an immediatè ab ipſo Deo: ſic enim reſpondet: *Dicendum, quòd, ſicut S. Auguſtinus ait, locutus eſt Dominus Moyſi facie ad faciem; & paulò pòſt ſubditur: Oſtende mihi gloriam tuam. Sentiebat ergo, quod videbat; & quod non videbat, deſiderabat: non ergo videbat ipſam Dei eſſentiam, & ita non immediatè à Deo inſtruebatur. Quod ergo dicitur, quia loquebatur ei facie ad faciem, ſecundùm opinionem populi loquitur Scriptura, qui putabat, Moyſem ore ad os loqui cum Deo, cùm per ſubiectam creaturam, id eſt, per Angelum & nubem ei loqueretur, & appareret.* Hæc S. Thomas, quę conſiderans in illius articuli Cõmentario Caietanus, monet, cautè accipiendũ, quod ibi S. Thomas ait, non vidiſſe Moyſem diuinã eſſentiã: nam contrariũ alibi cum S. Auguſtino affirmauit: non eſſe tamen iſta cõtradictoria; quia hìc negat de vna viſione, alibi verò de aliis viſionibus affirmauit. At profectò ea Caietani diſtinctione difficultas iſta nõ ſoluitur: quia ſi vnquã vidit Moyſes diuinam eſſentiam, maximè tunc vidit, cùm in monte Sina per dies quadraginta egit cum Deo, nihil comedens, neque bibens; & iterum per alios quadraginta dies ibidem cum Deo eſt commoratus: vt Deum tunc à Moyſe non eſſe viſum pluribus argumentis conuincitur: primùm eo, quo vſi ſunt SS. Auguſtinus & Thomas, quia poſt hæc omnia petiit Moyſes à Deo[k]: *Oſtende mihi faciem tuam.* & iterum infrà: *Oſtende mihi gloriam tuam.* Nõdum igitur clarè viderat eſſentiam Dei. Sed dices: Vidit fortaſſe poſteà: at neque poteſt hoc dici: quia negatiuũ à Deo reſponſum habuit in hæc verba: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet.* Et infrà: *Videbis poſteriora mea; faciem autem meam videre non poteris.* Deinde, iuxta ſenſum literalem proprium horum verborum, ſcire oportet, neque auſum fuiſſe Moyſem petere viſionem ipſius eſſentiæ diuinæ; ſed ſolùm, vt ille Angelus, qui Dei perſonã & vices gerebat in monte Sina intra nubẽ incluſus lucentiſſimus, nube ac nebula diſcuſſa permitteret ſe in facie videri. Ipſe autem reſpondit, hoc fieri nõ poſſe, propter exceſſiuũ ſplendorem, ſine manifeſto periculo vitæ hominis directè lucem illam intuentis: atque hoc eſt, quod propriè illa verba ſignificabant: *Nõ videbit me homo, & viuet.* Quapropter ſatis Moyſi futurũ, ſi videret à tergo Angelũ pertranſeuntẽ, vbi lumen erat moderatius, & oculis mortalibus magis attẽperatum. Dices: S. Paulus vidit in via Damaſci corpus Chriſti glorioſiſſimum Sole ſplendidius; nec tamen inde fuit mortuus, ſed tantùm obcæcatus: multò igitur minùs id facere debuit corpus ab Angelo conflatum, & pro modico tempore aſſumptũ. Reſpõdeo, lumen corporis Chriſti fuiſſe ad manifeſtandã gloriã illius corporis: at lumen in corpore ab Angelo aſſumpto erat ad declarandam gloriã diuinæ naturæ, quæ infinitè excedit huma

h S. Aug. l. 12. ſup. Gen. ad lit. c. 27.

i S. Th. 1. 2. q. 98. art. 3. ad 2.

k Exod. c. 33. v. 13. & 18.

humanam: Ideò mirum non eſt, ſi viſu corporeo minùs potuit ſuſtineri, & debuit aliquatenus obiecta nube tegi. Vnde aliqui dicunt [m], neque ab ipſo Angelo potuiſſe tantam vim luminis in corpore illo aſſumpto cõgregari; ſed oportuiſſe à Deo immediatè produci, cùm radios Solis ſuperaret: quod valdè eſt veriſimile, ſi de Angeli propria & naturali virtute intelligatur: potuit tamen id Angelus præſtare, vt viuum diuinæ virtutis inſtrumentum, ad illius gloriam ſymbolo rei viſibilis manifeſtandam: & hanc videre Moyſes expectabat, dicens: *Oſtende mihi gloriam tuam.* quæ potiſſimùm in Angeli facie radiabat: reſponſum autem eſt illi: *Oſtendam omne bonum tibi.* nempe, id totum, quod poteris ſine vitæ periculo ſuſtinere. Denique illud haberi pro certo debet, Angelum fuiſſe illum, qui Moyſi in monte Sina legem accipienti loquebatur: nam S. Paulus in Epiſtola ad Galatas [n] ait, Iudæis fuiſſe legem ordinatam per Angelos in manu mediatoris, nempe, Moyſis. Et S. Stephanus, dum Iudæis concionaretur, loquens ſimiliter de Moyſe [o]: *Hic eſt*, inquit, *qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cũ Angelo, qui loquebatur ei in mõte Sina, & cum Patribus noſtris, qui accepit verba vitæ dare nobis.* Meritò igitur Dionyſius Areopagita, tam capite primo de myſtica Theologia, quàm capite quarto de cœleſti Hierarchia, dixit, teſtimoniis diuinarum Scripturarum conſtare, non eſſe Moyſem immediatè cum Deo loquutum, ſed cum Angelo Dei perſonã repræſentante; neque legem immediatè à Deo, ſed ab Angelo recepiſſe. Et hoc etiam SS. Doctores Auguſtinus, & Thomas tandem admiſerunt: ſed adhuc in ea dubitatione manſerunt, an alio tempore, quodcunque illud fuerit, viſa ſit à Moyſe eſſentia diuina: ſiquidem in libro Numerorum teſtatus eſt de illo Deus, ſe non ſicut aliis Prophetis per ſomnia, & viſiones ei apparere: *Sed ore*, inquit, *ad os loquor ei; & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Re tamen vera nihil noui de Moyſe refert hoc teſtimonium; niſi quòd per viſiones communiter imaginarias, per ſomnia, per ſymbola minùs clara ſoleret Deus aliis apparere; Moyſi verò per Angelum vicarium ſuum, ſpecie corporea fulgentiſſima, multorum dierum conuerſatione, & collocutione. Vnde, quod ait noſtra vulgata interpretatio: *Palam Dominum videt.* Hebræa lectio habet: *Palam Dei ſimilitudinẽ videt, ſiue ideam.* Et Septuaginta, *Vidit*, non videt, dicunt de præterito, quaſi totum referendo ad præteritam Angeli viſionem, Dei maieſtatem & gloriam in monte Sina repræſentantem. Quæ cùm ita ſint, vt ad Paulum reuertamur: ſi Moyſi, de quo tantò maior erat ambigendi ratio, eſſentiæ diuinæ viſio concedi non debet; neque Paulo, qui de ſua viſione multò obſcuriùs loquitur, & moderatiùs. Deinde valdè mirum eſt, quomodo videndo Paulus diuinam eſſentiam, amiſerit notitiam ſui ipſius, ignorans, an animam haberet in corpore, vel extra corpus: potiùs nanque in eo ſtatu meliùs, quàm antea, id ſcire debuiſſet: cùm in ſpeculo diuinæ eſſentiæ meliùs appareant creaturę, quàm per creatas ſpecies in ſeipſis. Et quamuis non omnes ab omnibus Beatis in eo ſpeculo videantur: tamen aliquæ ſaltem res creatæ illi apparent, quæ ad ſtatum pertinent intuentis. Prætereà, illa viſio cum tali, ac tanta mentis à ſenſibus alienatione aliud eſt validum argumentum, fuiſſe ipſam ordinis inferioris, quàm ſit viſio per lumen gloriæ beatifica. Nam hoc lu-

[m] Corn. in c. 33. Exod.

[n] Galat. c. 3. v. 19.

[o] Act. c. 7. v. 35.

men,ſiue per modum habitus, vt in Beatis, ſiue per tranſitum intellectui communicetur, vt communicare intellectui Apoſtoli debuiſſet, ſi eſſentiam diuinam in eo raptu viſurus fuiſſet; adeò eſt eleuatum, vt nullo modo impediat operationem ſenſuum, ſiue internorum, ſiue externorum. Idque manifeſtum fuit in Chriſto, qui adhuc in vita mortali vidit aſſiduè diuinam eſſentiam: nec tamen vllum erat miraculum, quòd interim ſenſibus, tum internis, tum externis, vteretur ad alia obiecta percipienda: ſed ſolùm fuit miraculum ex gloria illius animæ non redundare gloriam corporis, qua item poſita manere adhuc debuit, ſicut in omnibus Beatis, vſus omniũ ſenſuum expeditiſſimus. Huius autem rei hæc eſt ratio: quia lumen illud dat intellectui operari prorſus independenter à corpore, & à corporeis phãtaſmatibus. Quamuis verò animam occupet circa obiectũ omnium eleuatiſſimum: eius tamen virtutem non exhaurit; imò neque quidquã circa alia obiecta diminuit: quia in Dei viſione non operatur per virtutem finitã naturalẽ; ſed per eam, quam vocant obedientialẽ quodammodo infinitã. Contrà verò alienatio à ſenſibus in corpore mortali cõtingit propter animę cum tali corpore coniunctionẽ, in operatione illi connaturali à phantaſmatibus depẽdẽnte: neceſſe enim eſt, vt dicunt, intelligentẽ phantaſmata ſpeculari. Neque putare debemus, ecſtaſim, aut raptũ debere ab omnibus ſenſibus efficere abalienationem; ſed ab aliquibus tantùm, & præcipuè ab externis: vt, ſicut ait in quæſtione prima libri ſecundi ad Simplicianum S. Auguſtinus, *mens internis vacet imaginibus*, id eſt, occupetur obiectis per imaginarias ſpecies inſigni aliqua mentis illuminatione propoſitis, quibus dum valdè intendit intellectus, & magno conatu ſubſeruit imaginatio, ſpiritus vitales ab exterioribus ad interiora colliguntur, & virtus cognoſcitiua vni potiſſimùm intenta, aliarum rerum perceptione deſtituitur. Atque ita ecſtaſim S. Auguſtinus definiuit, *eſſe quandam alienationem à ſenſibus corporis, vt ſpiritus hominis diuino Spiritu aſſumptus internis capiendis, atque inſpiciendis vacet imaginibus.*

Iam verò, quandoquidem eſſentiã diuinam in hoc ſuo raptu non vidit Apoſtolus, ſupereſt explicemus, vt poſſumus, quænam alia fuerint illi à Deo reuelata; ſiue per ſpecies, quas diximus imaginarias, ſiue per intelligibiles à phãtaſmatibus abſtractas; ſiue etiam fortaſſe per alias diuina virtute ſuperadditas, & infuſas, ad res merè ſpirituales meliùs percipiẽdas. Refert quidem S. Auguſtinus tractatu nonageſimooctauo in Ioannem, librum quendam olim prodiiſſe Pauli Apocalypſim, ſiue Reuelationes inſcriptum; ſed eſſe fabellis plenum: eundémque teſtatur S. Epiphanius [q] à ſe lectum cum titulo, Pauli Aſcenſus: ſed ab Hæreticis Caianis occaſione raptus Apoſtoli in cœlum eſſe confictum. Quamuis autem nihil de Paulo tunc reuelatis per omnia certum habeamus; tamen aliqua probabilia, & valdè veroſimilia dici poſſunt: & illud in primis; viſam in cœlis ab Apoſtolo ſacratiſſimam Chriſti humanitatem, eiúſque inter Beatos gloriam eminentiſſimam. Vnde S. Ioannes Chryſoſtomus [r]: *Quare*, inquit, *raptus eſt? Vt mihi videtur, ne haberetur aliis Apoſtolis minor, quoniam illi ſimul fuerant cum Chriſto.* Addamus, ſi Chriſtus ipſe de cœlo voluit deſcendere, vt oſtenderet ſe Paulo Eccleſiæ perſecutori; mirum ſanè, & propè incredibile, ſi eidem poſteà, tot Eccleſiarum eximio adiutori,

q S. Epiphan. hær. 38.

r Chryſ. hom. 26. in 2. ad Cor.

vſque in cœlum ad ſe rapto, noluerit ſuam ibi viſibilem præſentiam exhibere. Secundò, valdè veriſimile eſt, vidiſſe omnes Angelorum Choros, Ordines, & Hierarchias, multa de illorum natura, proprietatibus, donis, gratia & gloria cognouiſſe. Hinc S. Dionyſius librum ſcripſit de cœleſti Hierarchia, ex iis, quæ, vt ipſe profitetur, à S. Paulo Inſtitutore ſuo didicerat; in quo ſic Ordines deſcribit Angelorum, vt ea omnia, tanquam à teſte oculato, accepiſſe videatur. Tertiò, addit Theodoretus, viſam à Paulo pulchritudinem Paradiſi, choreas, & gaudia Beatorum, numeroſam ac modulatam hymnorum cœleſtium vocem auditam: vnde exclamare poſteà debuit [t]: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum; nobis autem reuelauit.* Quartò, videtur tunc arcana quædam Euangelij, & humanæ redemptionis abſtruſiora myſteria percepiſſe, idque ſignificare, cùm ad Galatas ſcripſit [t], Euangelium ſuum non eſſe ſecundùm hominem, neque ſe illud ab homine didiciſſe; ſed per Iesv Chriſti reuelationem. Denique addit Baronius [u], videri, iuxta ea, quæ ſcribit in ſecundo capite Epiſtolæ ad Galatas, oſtenſam illi tunc Gentium futuram conuerſionem, & præcipuè illarum prouinciarum, quibus ipſe poſteà Euangelij lucem erat illaturus: fortè etiam altiſſimum ſecretum prædeſtinationis, eius ordinem, ac rationes, diuinæ quòque reprobationis indicia, de quibus ſæpè meminit in ſuis Epiſtolis, & præſertim in ea, quam ſcripſit ad Romanos, vbi exclamat [x]: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius!* Ideoque dixit, audiuiſſe ſe in hoc ſuo raptu arcana verba, quæ non licet homini loqui: videlicet, quia partim ea reticere tenebatur; partem, etiamſi voluiſſet, exponere humano ſermone minimè potuiſſet.

[t] 1. Cor. c. 2. v. 9.

[t] ad Gal. c. 1. v. 12.

[u] Baron. an. 44.

[x] Rom. c. 11. v. 33.

CAPVT III.

Paulus Seleuciam profectus inde nauigat in Cyprum; inuitatur à Proconſule, apud quem Magum ſeductorem cæcitate caſtigat; & Proconſulem ad Chriſti fidem conuertit.

His à Deo ditatus donis & exornatus Apoſtolus, tantáque repletus rerum cœleſtium ſapientia, opus aggreditur, ad quod fuerat aſſumptus à Spiritu ſancto, & cum Barnaba ſegregatus. Atque vt intelligeremus, totum à diuino Spiritu proceſſiſſe, ſubdit S. Lucas [a]: *Et ipſi quidem*, Paulus, nimirum, & Barnabas, *miſſi à Spiritu ſancto abierunt Seleuciam.* Erat Seleucia parum ab vrbe Antiochena diſtans, versùs Septentrionem ciuitas, ſita in maris promontorio; ad quam vſque protendebatur nemus Daphnes, condita à Seleuco Nicanore Syriæ olim Rege; & Pieria dicta eſt aliquando ab eo, in quo eſt conſtituta, promontorio. Ab ipſa, quod hîc indicat S. Lucas, breuis & commodus in Cyprum Inſulã eſt traiectus. Quoniam autem propter propinquitatem hæc ciuitas ab Antiochena Eccleſia facilè poterat adiuuari, & iam fortaſſe in Euangelij progreſſu plurimùm iuuabatur, ibi diu morari non eſt viſũ neceſſarium. Annus tũc agebatur Chriſti quadrageſimusquintus, Claudij Imperatoris tertius, ætatis verò

[a] Act. c. 13. v. 4.

Pauli quadrageſimusquartus, & vndecimus ab eius conuerſione. Dignū eſt autem conſideratione, quod S. Chryſoſtomus obſeruauit [b]. Si talis ac tantus virtute nunc erat Apoſtolus, qui aſcenſu non vſque ad montem Sina, ſicut Moyſes; ſed vſque ad cœlum, vt cum Chriſto & Cœlitibus ageret, dignus haberetur: qualis tandem euaſerit poſt alias duas annorum decades, quibus ſuperuixit, poſt cumulum tot meritorum, poſt tot labores, ærumnas, vitæ pericula pro Chriſti gloria, & eius Euangelio conſtantiſſimè tolerata: quando, teſte ſua conſcientia, dicere de ſe potuit [c]: *Curſum conſummaui, bonum certamen certaui, fidem ſeruaui.* Relicta igitur maritima Seleucia, ex eius excelſo littore conſcenſa naui, breui maris tractu occidentem versùs nauigauit ad Inſulam Cyprum. Hæc inter Syriæ, Ciliciæque littora conſtituta, mari Syrio alluitur ab oriente, Pamphilio ab occaſu, Phœnicio à meridie, & Cilicio ab Aquilone, nouem aliquando regnorum ſedibus nobilitata; Macaria, hoc eſt, Beata, propter ſoli fertilitatem à quibuſdam appellata; & à nonnullis etiam dicta Ceraſtis, quòd promontoriis, quaſi quibuſdam infeſtis exaſperata cornibus, aſſurgat; ſed propter Apoſtoli Barnabæ natales, & aliorum ſanctorum, atque in omni virtutum genere inſignium virorum, qui ibi floruerunt, multò reddita eſt dignior celebrari. Ad hanc Inſulam vbi Paulus, & Barnabas peruenifſent; primam, quam ingreſſi ſunt ciuitatem, fuit Salamina, ſita in parte Inſulæ amœniſſima littoris orientalis, Syriam reſpiciens. Hìc fertur Barnabas eſſe natus, & ibidem poſteà martyrio eſt coronatus. Tempore autem S. Hieronymi, ſicut ipſe teſtatur [d], Conſtantia à Conſtantino Auguſto dicebatur: noſtra verò ætate fortè ab aliquo Auguſto, neſcio qua, ſiue compoſitione, ſiue corruptione vocabuli, dicitur Famaguſta. In hac primùm ciuitate prædicare Dei verbum Paulus, & Barnabas inceperunt: habebant autem ſecum, vt ait S. Lucas [e], in miniſterio Ioannem, qui cognominatus eſt Marcus: non illum Euangeliſtam; ſed, vt alibi notauimus, Barnabæ conſobrinum, ſiue in prædicatione adiutorem, ſiue, quod veroſimilius eſt, & magis verba S. Lucæ ſignificant, ad hoc, vt dum illi eſſent Euangelij prædicatione occupati, ipſe tanquam officio, ſi non ordine, Diaconus pauperum curam gereret, & vitæ neceſſaria ſubminiſtraret. Concionabantur autem in Synagogis Iudæorum: nam, etiamſi potiſſimùm ad Gentes inſtruendas deſtinarentur; tamen, vt S. Chryſoſtomus [f] adnotauit, expediebat, inciperent à Iudæis, ne ipſi ſpreti viderentur, & ex hoc euaderent obſtinatiores. Deinde, quia, ſicut ignis aridam primùm ambire ſolet materiam, poſteà inuadit etiam ligna viridiora: ita Iudæi per antiquam legis doctrinam, & oracula Prophetarum de aduentu Meſſiæ aliquatenus eruditi, veluti Catechiſmo aliquo ad legem euangelicam ſuſcipiendam eſſe debebant præparati, & magis quàm Gentiles diſpoſiti; quamuis proprio vitio duriores, Gentiles verò faciliores ad Chriſti ſalutiferam doctrinam admittendam inueniebantur. Hìc non longo tempore demorati, cùm totam Inſulam, vt ait S. Lucas, perambulaſſent, venerunt vſque Paphum. Hæc duplex eſt: altera ſita in littore occidentali, vt ad eam venientibus Salamina, quæ iacet in littore orientali, totam oporteat Inſulam perambulare: ideò ad hanc primùm veniſſe Paulum & Barnabam exiſtimamus, cùm dicat S. Lucas, eos totã Inſulã perambulando vſque Paphum perue

b Chryſ. hom. 26. in Ep. 2. ad Cor.

c 1. ad Tim. c. 4. v. 7.

d S. Hier. ep. 17 ad Euſtoch.

e Act. c. 13. v. 5.

f Chryſ. hom. 28. in Acta.

peruenisse. Sed est altera Paphus, vetus appellata, distans à noua stadiis nō amplius quàm decē, & hęc erat Insulæ metropolis, vt S. Chryſoſtomus obſeruauit [g]. In ea manebat proconſularis Cypri Gubernator, qui audita fama horum Apoſtolorum, eos ad ſe accerſitos voluit habere in ſua ciuitate. Viſebatur in hac ciuitate magnificum templum nefandæ Veneri conſecratum, quod eam celebrem reddidit apud Gentiles Poëtas, vt ob id non ſolùm Cypria à tota Inſula illi dedicata; ſed potiſſimùm ab hac vrbe primaria impuris amoribus maximè addicta, Dea Paphia ſit appellata. Vnde ſumpſit argumētum Arator Chriſtianus, & pius Poëta, diuinam prouidentiam commendandi; quòd hoc tempore ad talem ciuitatem Paulum pudicitiæ propugnatorem, & omnis honeſtatis magiſtrum deſtinauerit, eius ad Euangelium in hac Inſula prædicandum oraculo S. Spiritus ſuſceptam peregrinationem, his verbis deſcribens:

g *Chryſ. hom. 18. in Acta.*

Cyprum, Salaminàque linquens,
Pergit adire Paphum, quæ fertur amoribus olim
Dedita, ſacrilegæ manſiſſe libidinis aurum,
Aligeróſque vagos ſtudio coluiſſe procaci.
Hinc operum procedit apex; quia gratia maior.
Ad delicta venit; culpas huic poſſe remitti
Exemplum iam Paulus erat: quàm ſplendida laudum
Materia eſt adiecta viro? Primordia caſta
In luxus regione ſerit, fructúſque pudicos
Multiplicat laſciuus ager. Cui neſcia poſthac,
Difficiliſque foret, cùm ſic videatur honeſtas
De turpi cœpiſſe loco?

Sed negotium tantæ pietatis videtur Diabolus anteuertere voluiſſe: Magus enim quidam vltrò ſe ciuitati, & palatio Proconſulis non vocatus ingeſſerat, vt ſolent huiuſmodi peſtes aulas potiſſimùm ambire Magnatum, & principum virorum: *Miraculum autem eſt in Proconſule*, inquit, Chryſoſtomus [i], quòd præoccupatus illius Magia, voluit audire Apoſtolos. Rationem tamen poſuit S. Lucas, dicens: *Quia erat vir prudens, & deſiderabat audire verbum Dei.* Ac ſi dixiſſet: quamuis eſſet religione Gentilis, & nondum fidei Chriſtianæ lumine illuſtratus; tamen pro ſua naturali ſagacitate, & rerum humanarum experientia, ſuſpectum habuit illum præſtigiatorem. Studio igitur inueſtigandæ veritatis, & vt exploraret, an ille, ſicut videbatur, eſſet impoſtor, Apoſtolos ad ſe accerſiuit, de quibus præclara multa audiebat, & ſperabat meliora. Præſertim, cùm Barnabas eſſet Cyprius, natus Salaminæ, genere nobilis, & opibus olim clarus, atque adeò incolis illis Gentilibus haud ignotus, & fortaſſe nec ipſi Proconſuli. Quare, ſicut Ioannes Apoſtolus aliquando [k], quia notus erat Pontifici, Petrum in palatium facilè introduxit: ita & modò Barnabas Paulum: quod hoc loco videtur innuere S. Lucas, dum Barnabam Paulo præponit dicens: *Hic*, nempe, Sergius Paulus Proconſul, *accerſitis Barnaba, & Paulo, cupiebat audire verbum Dei.* Porrò hunc Sergium Paulum Roma miſſum ad proconſularem eam prouinciam adminiſtrandam, ſuſpicantur aliqui ex familia fuiſſe Lucij Sergij Catilinæ; qui etiamſi multis à M. Tullio, nec immeritò, ſit notatus flagitiis; genere tamen fuit perilluſtri; quòd viros protulit laudatiſſimæ fortitudinis [l]; & illius

i *Chryſ. hom. 18. in Acta.*

k *Ioan. c. 18. v. 16.*

l *Vide Plin. l. 7. c. 28.*

illius auctor ponitur Æneæ comes Sergeſtus à Virgilio,cùm ait [m]:

m *Virg. l. 5. Æneid.*

Sergeſtúſque, Domus tenet à quo Sergia nomen.

Excipiebat itaque Sergius Paulus verba euangelicæ prædicationis auidè, & attentè; iámque ad Chriſtianam fidem non interno tantùm animi ſenſu, ſed etiam externa ſignificatione propendebat. *Reſiſtebat autem,* ait S. Lucas [n], *Elymas Magus, ſic enim interpretatur nomen eius, quærens auertere Proconſulem à fide. Tunc Saulus, qui & Paulus, repletus Spiritu ſancto, intuens in eum dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas? Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus non videns Solem vſque ad tempus. Et confeſtim cecidit in eum caligo, & tenebræ; circumiens quærebat, qui ei manum daret.* Circa hæc verba ſacri contextus occurrit ante omnia prænotandum, fruſtrà aliquos Interpretes laborare in rationibus inueſtigandis, cur dicat S. Lucas, Elymas interpretari nomen illius Magi, qui dicebatur Barieu, id eſt, filius Iouis, ſeu filius Iehoua; vel, vt meliùs legimus in editione vulgata, Barjeſus, id eſt, filius Saluatoris. Neque enim etymologia vlla nominis Elymas, quamuis multæ ab Interpretibus fuerint excogitatæ, inuenitur aptè reſpondere etymologiæ nominis Hebraïci Barjeſus. Vt quòd Elymas ſignificet nigrum, pannoſum, cæcum, vel tranſgredi facientem. Nam, præterquàm quòd accerſita magis hæc videntur ad mores hominis peruerſos ſignificandos, quàm ad vim nominis Elymas exprimendam: etiamſi eſſent hæ propriæ vocis huius ſignificationes; alterius tamen nominis Barjeſus proprietatem minimè interpretarentur. Solùm igitur videtur S. Lucas exponere voluiſſe,

n *Act. c. 13. v. 8. 10. 11.*

vtrunque Mago nomen, tum Hebraïcum, tum Græcum eſſe attributum: ita vt qui Hebraïcè Barjeſus vocabatur, Græcè appellandus Elymas fuiſſet. Ita quoque inferiùs in eodem contextu, vt Apoſtolum Mago oppoſitum ſacer Hiſtoricus nominaret; quia etiam ipſe Paulus, vt alibi oſtendimus erat binomius: *Saulus, qui & Paulus,* inquit. Illud autem facilè fieri potuit, vt quoniam de vtroque tanquam ſpecioſo nomine ſuperbus ille Magus nimiùm ſibi placebat; quòd, nimirum, Barieu, quaſi magni Dei filius, aut Saluatoris, & Elymas, id eſt, menſura Dei dicebatur, ſicut Simon alter olim Magus, contra quem egit S. Petrus, dicebat [o], *ſe eſſe aliquid magnum, & Dei virtutem, quæ vocatur magna;* ideò fortaſſe Paulus Elymam ita compellauerit: *Fili Diaboli, inimice omnis iuſtitiæ.* tantùm aberat, vt Dei Filius, aut Dei menſura dignus eſſet nominari. Et ſanè Diaboli filius meritò eſt appellatus ea ratione, qua obſtinatiſſimis Iudæis Chriſtus dicebat [p]: *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* & iterum: *Vos, quæ vidiſtis apud patrẽ veſtrum, facitis.* Meritò etiã hic Magus inimicus omnis iuſtitiæ dictus eſt, propter artẽ iniquiſſimam, & nocentiſſimam, omnibus damnatam legibus, diuinis, humanis, eccleſiaſticis, & ciuilibus; qua non Deo tantùm grauiſſima infertur iniuria; ſed & Sanctis, & Eccleſiæ, & humano generi, & rebus non tantùm animatis, ſed etiam inanimatis. Ex ira igitur iuſtiſſima, non ex impetu conuiciandi, aut ex alia inordinata animi perturbatione Apoſtolica huiuſmodi reprehenſio procedebat. Id vt omninò certum haberemus, verba illa S. Lucas appoſuit [q]: *Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu ſancto, intuens in eum dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia,*

o *Act. c. 8. v. 9.*

p *Ioan. c. 8. v. 44.*

q *Act. c. 13. v. 9.*

fallacia, fili Diaboli, &c. Sed & miraculum ſtatim ſubſecutæ cæcitatis, nō niſi zelum diuinę gloriæ in Paulo extitiſſe manifeſtē declarauit. Imò verò, licet in ea iuſtiſſima pœna Pauli obſeruare moderationem, atque clementiam, dum cæcitate oculorum illum ferit, qua ipſe ſimiliter à Chriſto percuſſus cùm fuiſſet prope Damaſcum, à mentis cæcitate ſanatus fuit: vt eadem ratione Magus à ſua culpa reſipiſceret; quam propterea verbis valdè ſignificantibus illi expreſſit, & ſecuturam, niſi reſipiſceret, pœnam denunciauit. Deinde non ſuo illā nomine; ſed Dei iuſto iudicio inflictam proteſtatus eſt: *Ecce*, inquit, *manus Domini ſuper te, & eris cæcus.* Tertiò, neque perpetuam, ſed ad tempus futuram pronunciat eam cęcitatem, dicens: *Eris cæcus, & non videns Solem vſque ad tēpus. Nō enim* (inquit Chryſoſtomus [r]) *punientis erat verbum, ſed admonentis. Nam, ſi punientis fuiſſet verbum, omnino illum feciſſet cæcū: nunc autem non hoc agit; ſed ad tempus, vt Proconſulem lucrifaciat.* Ita Chryſoſtomus: futurum enim erat, vt niſi Mago ſatis hoc miraculum fuiſſet ad eius reſipiſcentiā; ſaltē Proconſuli, cuius conuerſio ad multorum exemplū ac ſalutem proficiebat, ſufficeret. Atque ita planè docuit euētus: Mago etenim in ſua obſtinatione perdurante, Procōſul tanto miraculo perſuaſus Chriſti fidem, ac Baptiſmum à Paulo ſuſcepit. Nec dubitare debemus, plures alios cum illo ex ipſius familia, & ciuitate, totâque fortè inſula exemplo & adhortatione illius idem præſtitiſſe. Tantus enim euaſit hic Proconſul Paulus Sergius Chriſtianæ pietatis excultor, vt de illo teſtetur Eccleſia Tarraconēſis in Hiſpania, & Narbonenſis in Gallia, fuiſſe ab Apoſtolo Narbone poſteà Epiſcopum conſtitutum, & inter Sanctos relatū. Vnde in Romano Martyrologio ſub die vigeſimaſecunda menſis Martij de illo ſic legimus: *Narbone in Gallia Natalis S. Pauli, Epiſcopi, Apoſtolorum diſcipuli, quem tradunt fuiſſe Sergium Paulum Proconſulem, qui a Paulo Apoſtolo baptizatus, & cùm in Hiſpaniā pergeret apud Narbonam relictus, ibidem epiſcopali dignitate donatus eſt: vbi prædicationis officio no ſegniter expleto, clarus migrauit in cœlum.* Meminit eiuſdem etiam Prudentius cū ait [s]: *Surget & Paulo ſpecioſa Narbo.* Elymas intereà Magus non ſolum ad ſaniorem mentem non rediit, viſu oculorum ex Apoſtoli Pauli benignitate recuperato: ſed in malum quotidie deterior proficiens, vt teſtatur S. Dionyſius Areopagita [t], referens partem ipſius diſputationis, dogmata euangelicæ veritatis acriter impugnabat, & ſanam Apoſtoli Pauli doctrinam eius quoque epiſtolis traditam redarguebat, libro etiam, vt aliqui referunt [u], contra nos edito. Ita ſolent aliquorū deprauatæ mentes, ac reprobæ, vnde alij corriguntur, & euadunt meliores, in 'e magis peruerti, & reddi nequiores. Id hoc loco licet obſeruare in Caluino, qui exponens in ſuis ſacrilegis Commentariis ſuper Acta Apoſtolorum [x] huius Magi cæcitatem, cæcior ipſe ſic ait: *Cùm hodie multi ex Papiſtis Magum iſtum impietate ſuperent; mirum videri poteſt, cur illis impunè cedat audacia, in qua tam inſolenter ſe iactant. An manus Dei imbecillior eſſe cœpit? an illum tangit minor gloriæ ſuæ cura? an viuificandi Euangelij curam remiſit?* Sed reſpondemus negando, cœpiſſe Dei manum eſſe imbecilliorem, aut minori gloriæ ſuæ cura modò tangi: quamuis ſæpè diſſimulet peccata hominum propter pœnitentiam, vt Salomon affirmauit [z]. non tamen

r Chryſ. hom. 28. in Acta.

s Prudēt. in hym. 4. Periſtepo.

t Dionyſ. lib. de diu. nom. c. 8.

u Baron. an. 46. Serar. in Paulo.

x Caln. in c. 13. Act.

z Sap. c. 11. v. 24.

tamen non omnia diſſimulat ſemper. Vnde circa hoc tempus, quo Magum hunc diuina vindicta corripuit, Herodi Agrippæ grauior ira Dei ſuperuenit: quam fusè deſcripſit Ioſephus[a], & S. Lucas breuiùs, dicens[b]: poſtquàm Petrum in carcerem conieciſſet, & Iacobum fratrem Domini gladio interfeciſſet, vermibus conſumptum expiraſſe. Hoc expendens in ſuo Commentario Caluinus[c], ait: *Nomen, quo vſus eſt Lucas, σκωληκόβρωτος, ſignificat à vermibus fuiſſe exeſum: multi coniiciunt morbum fuiſſe pedicularem: nam pœnæ genus eligere voluit Dominus, quo ſuperbi hominis ferociam extrema ignominia notaret.* Hæc ait Caluinus, quaſi ſuæ propriæ mortis genus, & cauſam deſcribens: nam referunt, qui morti ipſius interfuerunt[d], illum morbo pediculari eſſe abſumptum blaſphemantem; & diei atque horæ maledicentem, in qua libros ſcribere aliquando incepiſſet. Sed ad alia tranſeamus.

a lib. 19. Antiq. c. 7.

b Act. c. 12. v. 23.

c Calu. in c. 12. Act. v. 23.

d apud Hieron. Bolſec. in vita Calu. & Staplet. in Ant. Act. c. 12.

CAPVT IV.

Cypro relicta venit Pergen Pamphiliæ, & inde Antiochiam Piſidiæ, vbi magno cum fructu concionatur.

IN hac Apoſtolorum Pauli, & Barnabæ ſuſcepta pro Euangelio peregrinatione, annus prętererat Chriſti Domini quadrageſimusquintus cum ſexto, & ſeptimus inchoabatur; Claudij verò Imperatoris aderat quintus: cùm exiſtimantes, iam ſatis in ea Inſula pro ſpargenda fidei ſemente laboratum fuiſſe, progredi vlteriùs cogitarunt. *Vide*, inquit Chryſoſtomus[a], *illos non diu moram trahentes, vtpote (conſule iam credulo facto, neque emollitos adulatione, & honore; ſed ſtatim operi incumbentes, & in diuerſam regionem feſtinantes.* Itaque Papho cùm ſoluiſſent, nauigarunt Pergen: hæc eſt ciuitas prouinciæ Pamphiliæ in Aſia minori. Indicat autem S. Lucas, præter Ioannem Barnabæ conſobtinum, quoſdã alios, fortè ex familia Proconſulis, in Pauli comitatu fuiſſe, dum ſic ait: *Et cùm Papho nauigaſſet Paulus, & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphiliæ: Ioannes autem diſcedens ab eis reuerſus eſt Ieroſolymam.* Cauſa huius diſceſſionis non exprimitur. Fieri poteſt, vt illum tæderet itineris longitudinis, aut terrerent pericula, vel per diem ſubeundi labores in eo, de quo ſuperiùs diximus miniſterio, aut denique cùm à multo tempore parentẽ ſuam Mariam viduam prædiuitem Ieroſolymis reliquiſſet, humano aliquo affectu eò reuocabatur: vnde factum eſt, vt redeuntem poſteà Paulus nollet admittere, vt infrà ſuo loco referemus; quoniam temerè nunc ab eis ſe ſubduxit. Pergæ longam morã eſſe faciendam Paulus non iudicauit; ſed Antiochiam, tanquam ad metropolim, potiùs feſtinandum. Non eſt hæc Antiochia Syriæ, vbi Petrus ſedem conſtituerat patriarchalem; & vnde Paulus & Barnabas Epiſcopi conſecrati primùm digreſſi ſunt: ſed alia, quæ, vt ab illa diſtingueretur, Antiochia dicta eſt Piſidiæ, videlicet, Prouinciæ in Aſia minori, finitima Pamphiliæ, Lycaoniæ, & Iſauriæ. Hìc ergo cùm Apoſtoli, Paulus, & Barnabas, ſubſtitiſſent; die quadam Sabbathi Synagogam ingreſſi ſunt, vbi conuentus eſſe ſolebat Iudæorum; tum, vt ſe veri Dei cultores, & pietatis ſtudioſos profiterentur; tum, vt ex lectione Prophetarum, aut alia ſacra Scriptura veteris Teſtamenti, quæ tunc temporis vno legente aliis audientibus

a hom. 28. in Acta.

b Act. c. 13. v. 13.

dientibus proponebatur, opportunã arriperent occaſionem de aduentu Meſſiæ in illo frequenti conuentu verba faciendi, & nouæ legis euangelicæ veritates inſinuandi: quippe quæ in ſacris paginis cæteris Teſtamenti, quaſi in corticibus continentur. Sedentibus itaque cum aliis Paulo, & Barnaba [c], *poſt lectionem legis, & Prophetarum*, inquit S. Lucas, *miſerunt Principes Synagogæ ad eos, dicentes: Viri Fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad plebem, dicite.* Eſt autem veriſimile, Archiſynagogum, vel alios, qui conuentui præerant, ex Apoſtolorum habitu, moribus, oris dignitate, vel etiam ex honeſto comitatu eorum, qui, ſicut anteà dicebamus, ex Proconſulis Cypri familia fortè ſequebantur, intellexiſſe, viros eſſe auctoritatis non contemnendæ, religioſos ac pios, atque adeò præ omnibus dignos, qui ad verba eo loco ac tempore de more facienda inuitarentur. Similis conſuetudo inuitandi Epiſcopos peregrinos ad concionandum, cùm ad alterius Epiſcopi ciuitatem veniſſent, inducta fuit, & diu retenta eſt in Eccleſia; imò etiã quodam canone quarti Concilij Carthaginenſis [d], confirmata his verbis: *Epiſcopi, vel Presbyteri, ſi cauſa viſitandæ Eccleſiæ ad alterius Eccleſiã venerint, in gradu ſuo ſuſcipiantur; & tam ad verbum faciendum, quam ad oblationem conſecrandam inuitentur. Eſt enim*, inquit S. Clemens [e], in quadam Conſtitutione de hac re, *hortatio & monitio hoſpitum grata, & mirum in modum vtiliſſima: ſiquidem nemo Propheta, ait Dominus* [f], *acceptus in patria ſua.* Quare meritò conqueſtus eſt aliquando S. Gregorius Nicænus [g], quòd cùm veniſſet Cæſaream ab Helladio illius ciuitatis Epiſcopo, ad verbum Dei populo proponendum non fuerit inuitatus. Paulus igitur inuitationem

c *Act. c. 13. v. 15.*

d *Concil. Carth. 4. cap. 3. & habetur in c. Epiſcopi. 7. q. 1.*

e *S. Clemens lib. 2. Conſt. cap. 58 aliàs 62.*

f *Lucæ cap. 4. v. 24.*

g *Nican. ad Amphiloch.*

libenter accepit: tum aſſurgens, ac ſtans, commotæ multitudini in expectatione peregrinæ concionis, ſublata manu ſilentium indixit. Deinde ſuam orſus eſt adhortationem in quatuor partes diſtributam. Primùm ingentia Dei erga populum Iudaïcum beneficia in medium adduxit, vt eos ita ſibi redderet beneuolos, attentos, & Deo ſuper omnia non ingratos. Secundò, beneficium addidit omnium beneficiorum maximum, Chriſtum, videlicet, toties promiſſum, tam diu expectatum, ac tandem aliquando nunc miſſum, verum Meſſiam, & humani generis Redemptorem. Tertiò, demonſtrauit idipſum cõuincens oraculis Prophetarum, & diuinarũ Scripturarum teſtimoniis. Quartò demum, illos efficaciter eſt hortatus, ne oblatam gratiam reſpuentes, illius ſe culpa ſua prorſus indignos conſtituerent. Itaque in proœmio ſuæ præclaræ concionis, cuius non tam verba ſingula reddemus, quę apud S. Lucã [h] legi poſſunt, quàm ſententiam perſtringemus, ita fere illos allocutus eſt

h *Act. c. 13. à v. 16.*

O viri de illuſtri genere Iſraël, & quotquot hìc adeſtis pij, Deique timore præditi, nemo veſtrùm eſt, qui neſciat, eximiam, & ſingularem fuiſſe Dei Optimi Maximi erga maiores noſtros, præſertim Patriarchas, beneuolentiam: quam tunc potiſſimùm ipſe nobis manifeſtauit, cùm genus noſtrum in terra Ægypti adeò multiplicauit; reddidit Pharaoni tam admirabile; tot inde prodigiis eduxit, ac liberauit tandem ab illius Regis tyrannide vniuerſos; pauit per annos quadraginta cibo cœleſti mannæ in deſerto; mores eorum deprauatos patienter ſuſtinuit; amouit omnia obſtacula, vt ad promiſſas fertiliſſimas regiones Palæſtinæ peruenirent, depreſſis, & inde propter ipſos eiectis ſeptẽ populis infenſiſſimis; diuiſa eſt

illis terra in poſſeſſiones; dati Iudices vſque ad Samuelem; quouſque Iudicibus nō contenti Regem à Deo poſtularunt, & dedit illis Deus Saülem: & quoniam neque cum iſto bene habuiſſe videbantur, datus eſt illis incōparabilis Rex Dauid, de quo Deus ipſe tale reddidit teſtimonium: *Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundùm cor meum; qui faciet omnes voluntates meas.* Hoc teſtimonio, quo primam ſuæ concionis partem Paulus abſoluerat, non parum excitati ſunt, & recreati pij, ac ſapientiores Iudæi: hoc tamen loco circa ſua Commentaria malè torquetur Caluinus: cùm enim ipſe, ſicut alij huius temporis Hæretici in eo grauiſſimo errore perſiſtant, vt dicant, iuſtum in hac vita propriè & intrinſecè inueniri nullū; ſed omnia opera noſtra, etiam quæ cenſentur bona, eſſe peccata; & tantummodo iuſtos dici homines per extrinſecam imputationem iuſtitiæ Chriſti; miratur, quomodo de Dauide hæc dicantur, præſertim, quia grauiter adulterio, & deinde homicidio peccauit. Affert autem poſt anguſtias ſuas vaniſſimam reſponſionem, dicens, Dauidi, propter Chriſtum ex ipſo naſciturum, peccata à Deo non fuiſſe imputata; ſed iuſtitiam Chriſti. At non ita reſpondet Eccleſiæ Doctor S. Auguſtinus in libro de octo quæſtionibus ad Dulcitiū, hanc examinans quinto loco: ſic enim ait: *Cùm Dauidem praſciret Deus peccaturum, & peccata ſua pia humilitate, & ſyncera pœnitentia deleturum: cur non diceret: Inueni Dauid ſecundùm cor meum. cui non erat imputaturus peccatum tam multa bona facienti, & cum tanta pietate viuenti, & ipſa pietate pro peccatis ſuis ſacrificium offerenti?* Et ſanè ſi nihil boni in operibus Dauidis reperiebatur, quomodo à Deo, qui non poteſt, nec mentiri, nec falli, dici potuit vir ſecundùm cor eius, & faciens omnes voluntates illius? quomodo vnus dici poterit alio iuſtior, & non æquè omnes imputatione tantùm vnius, eiuſdémque iuſtitiæ Chriſti? Quod audacter admiſit Lutherus in quodam ſermone de B. Virgine, dicens, ex hoc omnes fideles eſſe æquè ſanctos ac B. Virginem; mirum, cur etiam non dixit, ac ipſum Chriſtum; aliam non agnoſcens in iuſtis niſi imputatam illis iuſtitiam Chriſti. Et quomodo, ſi tantùm extrinſecè imputata nobis iuſtitia Chriſti iuſtos nos habet conſtituere, non etiam noſtra peccata Chriſto extrinſecè imputata (neque enim aliter imputari potuerunt, iuxta illud Iſaiæ [i]: *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.*) potuerunt verè denominare Chriſtum iniuſtum & peccatorem? Quod tamen affirmare Lutherus non exhorruit, in Commentariis Epiſtolæ ad Galatas ſcribens [k]: quia Chriſtus omnium noſtrûm in ſe peccata ſuſcepit, poſſe illum dici homicidam, furem, latronem, & maximum omnium peccatorum. Sed ad blaſphemias tam horrendas claudentes aures, quid in ſecunda parte ſuæ concionis Paulus dixerit, magis audiamus. Promiſerat, ait, Regi ſanctiſſimo Dauidi benigniſſimus Deus, ex eius proſapia daturum ſe Meſſiam humani generis Saluatorem: & ecce hūc habuimus his diebus Dominum IESVM, cui teſtimonium omni exceptione maius perhibuit Ioannes Baptiſta, tantæ apud nos vir auctoritatis: vt niſi ipſe tenuiſſet, hunc, & non alium eſſe expectatum Meſſiam putaſſemus. Sed, quem me eſſe arbitramini? dicebat: non ſum ego Chriſtus: ecce venit poſt me, cuius non ſum dignus calceamenta pedum ſoluere. Viri Fratres, & filij generis Abraham, omnéſque timentes Deū, vobis hic à Deo

i *Iſai. c. 53. v. 6.*

k *Luth. in cap. 3. epiſt. ad Galatas.*

Deo miſſus Saluator aduenit: etiamſi decepti Principes, & habitatores Ieruſalem; nec Prophetarum prædictiones, quæ per omne Sabbathum leguntur, in vero ſenſu intelligentes, prophetias iniquiſſimo iudicio impleuerunt: & nullam in eo cauſam mortis inuenientes, nihilominùs impulerunt, & coëgerunt Pilatum, qui agnita, probatáque multis argumẽtis eius innocentia, dimittere illum voluiſſet, vt inſontem ſupplicio crucis afficeret, & cùm omnia, quæ per Prophetas de illius nece fuerant prænunciata, expleta fuiſſent; depoſitum ſacrum corpus è cruce in monumento nouo, obſignato, & cuſtodibus munito collocatum fuit: vnde tertia die rediuiuus ſurrexit, & prorſus immortalis, apparens ſæpiùs per dies quadraginta, & quamplurimis, qui vſque ad hanc diem profiteri ſe teſtes oculatos, & tantum miraculi prædicare populis non deſiſtũt. Et ſicut illos ad alias mundi regiones; ita nos Deus deſtinauit ad vos, Fratres; vt factam Patribus noſtris diuinam repromiſſionem, nunc adimpletam vobis filiis Prophetarũ nunciemus: de qua, tum ſæpè, tum maximè in ſecundo Pſalmo Dauidico loquebatur Deus, cùm

l Pſal. 2. v. 7. de Chriſto Meſſia ſic diceret [l]: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* hodie, nimirum, in die æternitatis genui te Deum ego Deus: & hodie in die natalis tui ſecundùm carnem feci, vt eſſes homo Deus: & rurſus, hodie in die reſurrectionis tuæ feci, vt redires ad vitam immortalem, & glorioſam: vnde magis mũdo declararetur, quia filius meus es tu, cui hæc omnia ſecundum fideles, & impermutabiles Dauidi, aliiſque Prophetis factas promiſſiones debebantur. Hinc in alio

m Pſ. 15. v. 10. Pſalmo dicitur [m]: *Quoniam nõ derelinques animam meam in Inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*

Quæ de ſolo Domino noſtro IESV Chriſto vera eſſe potuiſſe, manifeſtiſſimis argumentis, miraculis euidẽtiſſimis, & teſtibus omni fide digniſſimis conuincuntur. Hæc vbi Paulus magno ardore animi protuliſſet, ad extremum vehementer illos adhortatus eſt, vt Chriſti veriſſimam, & ſanctiſſimam fidem omnium bonorum radicem, & fundamentum iuſtificationis tandem admitterent; animauit ad ſpem veniæ impetrandæ per merita eiuſdem Chriſti Redemptoris [n]: *Quia*, inquit, *per hunc vobis remiſſio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari.* Denique incuſſit timorem, ne Deum, quem hactenus tam beneficum, tam ſuauem, tam mitem erant experti, eò magis indignatum ſentirent, ac tanti deſpectus vindicem ſeueriſſimum. Grata fuit pleriſque auditoribus hæc Pauli concio: vnde cùm ipſe à Synagoga egrederetur, non ſolùm gratiæ multæ ſunt ei peractæ; ſed præterea valdè rogatus fuit, vt ſequenti Sabbatho dignaretur iterum illis verba facere de eodem argumento, & in eodem loco. Comitabatur quoque Paulum & Barnabam inde recedentes, non ſolùm Iudæorum, ſed etiam proſelytùm ac Gentilium multitudo; ſatis illo pio obſequio ſignificantes, ſe à Chriſtiana fide non eſſe animo alienos. Vnde viciſſim Apoſtoli eos adhortari per viam non deſiſtebant, *vt in gratia Dei permanerent*, inquit S. Lucas [o]; ſiue, vt habent Græca exemplaria, ἐπιμένειν χάριτι τοῦ θεοῦ, adhærere gratiæ Dei: quaſi nondum planè gratiam iuſtificationis adepti; ſed ad eam ſenſim ſe diſponentes, Catechiſmum adhuc, & poſteà Baptiſmum ſuſcepturi.

n Act. 13. v. 38.

o ibid. c. 13. v. 43.

CAPVT V.

Iterum Paulus magna expectatione Antiochiæ concionaturus, excitato à Iudæis obſtinatioribus tumultu, migrat Iconium.

SEquenti verò Sabbatho, ait S. Lucas [a], *penè vniuerſa ciuitas conuenit audire verbū Dei.* Cùm Antiochena ciuitas magna ex parte conſtaret ex Gentibus, mirum alicui fortaſſe videbitur, ob vnicā Pauli concionem apud Iudæos habitam in Synagoga, modò ad illum iterum audiendum fere vniuerſam conueniſſe ciuitatem. Scire igitur oportet, ſolitos venire ad Synagogas Iudæorum, non ipſos tantùm Iudæos, & proſelytos Iudæorum, id eſt, qui ex ritu Gentilium ad Iudaïcam legem admiſſa circuncīſione tranſiuiſſent; verùm etiam merè Gentiles: nullus enim, quominùs audire verbum Dei poſſet, ab eorum Synagoga prohibebatur: vnde Tertullianus in ſuo contra Gentes Apologetico [b], prouocans Gentiles ad veteris Teſtamenti, & oraculorum diuinorum intelligentiam: *Irrumpite,* inquit, *Iudæorum Synagogas, audite prophetias, quæ ibi legūtur.* Hinc aliqui arbitrantur, eos, quos ſuprà retulimus, egredientem Paulum de Synagoga poſt concionem rogaſſe, vt iterum ea de re verba facere dignaretur, non fuiſſe Iudæos, ſed Gentiles: nam, quod legimus in noſtra vulgata interpretatione: *Exeuntibus autem illis rogabant, vt ſequenti Sabbatho loquerentur ſibi verba hæc.* Græca exemplaria ad maiorem expreſſionem adiuncta voce ſic habēt: *Exeuntibus autem illis de Synagoga, rogabant τὰ ἔθνη*, id eſt, Ethnici, ſiue Gentiles, *vt ſequenti Sabbatho loquerentur ſibi.* Imò ſunt, qui verba illa: *Sequenti Sabbatho.* Græcè, εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον, interpretentur: *Interim vſque ad ſequens Sabbathū.* quaſi Gentiles à Paulo poſtulauerint, vt, quandoquidem Iudæis ipſo die Sabbathi feſtiuo pro illis concionatus fuerat, neque vſque in ſequens Sabbathum ad Synagogam erat conueniendum, illo interiecto per hebdomadā ſex dierum tempore feriarū, in aliquo alio certo loco extra Synagogam pro ipſis concionaretur. Et quoniam, ſi ſenſus illorum verborū eſſet: *Interim vſque ad Sabbathum.* potiùs Græcè dictum fuiſſet, μεταξὺ εἰς τὸ σάββατον, quàm εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον, vt modò habent Græca omnia exemplaria, & ſignificat propriè; in id, quod eſt deinceps Sabbathum; ſiue, vt expeditè vulgatus noſter Interpres reddidit, ſequenti Sabbathò; neque illa notabilis vocum tranſpoſitio vllibi legitur: ideò quidam nouus Auctor [c] ſecutus Eraſmum, emendandum quidem, ſed parciùs Græcam lectionem ita putauit: εἰς τὸ μεταξὺ σαββάτων, vt ſignificetur tempus interiectum Sabbathorum; nempe, quod inter vnum, & alterum diem feſtiuum interponitur: quod tēpus Plutarchus, aliique Græci vocant, ἐργασίμους ἡμέρας, id eſt, operi deſtinatos, ſiue feriales dies. At neque emendatio hæc neceſſaria eſt, neque admodum veriſimilis. Primò, quia in nullo inuenitur exemplari, ſed eſt prorſus noua. Secundò, quia nullus Patrum, aut Interpretum Græcorum eam agnoſcit: quin potiùs Oecumenius, qui ſolet eſſe fidus compilator Chryſoſtomi, μεταξὺ σάββατον, exponit, ἀντὶ τῦ ἐρχόμενον, id eſt, pro futuro Sabbatho. Tertiò antiqua lectio Syriaca reddit: *In alio Sabbatho ſubſequenti.* Quartò, ſi mediū illud tēpus inter duo Sabbatha ſignificare Lucas voluiſſet, potiùs ἐν τῷ μεταξὺ dicere

a *ibid. c. 13. v. 44.*

b *Tert. in Apolog. c. 18.*

c *Ioſeph. Scaliger lib. de emēdat. temporū. pagin. 259. & 261. Eraſmus in verſ. Chryſoſt. hom. 30. in Acta habet: Interim vſque ad Sabbathum.*

dicere debuiſſet: ſic enim Demoſthenes, & alij Græci ſermonis periti loqui ſolẽt; qualis fuit ſine dubio S.Luc. de quo proptereà S. Hieron. in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis [d], ſic teſtatur: *Euangeliſtam Lucã tradunt veteres Eccleſiæ tractatores magis Græcas literas ſciuiſſe, quàm Hebræas: vnde & ſermo eius in Euangelio, quã in Actibus apoſtolicis cõptior eſt, & ſecularẽ redolet eloquentiam.* Quintò denique, ipſe S. Lucas videtur omnẽ huius rei dubitationem ſuſtuliſſe, cùm illa verba, quæ initio huius capitis produximus, adiunxit, dicens: *Sequenti verò Sabbatho penè vniuerſa ciuitas conuenit audire verbum Dei.* ſatis apertè ſignificans, hoc illud eſſe Sabbathum, in quo Paulus verba iterum in Synagoga façere à Gentilibus rogabatur, aut à Iudæis; ſiue, quod faciliùs crediderim, ab vtriſque. Nam, etiamſi promptiores Gentiles, quàm Iudæi ſe exhiberent ad Euangelium audiendũ, & recipiendum: tamen conſtat ex prima Pauli concione, multos Iudæorum ad fidem euangelicam eſſe conuerſos, vt S.Lucas ſignificauit, dicens [e]: *Cúmque dimiſſa eſſet Synagoga, ſecuti ſunt multi Iudæorum Paulum, & Barnabam, qui loquentes ſuadebant eis, vt permanerent in gratia Dei.* Prætereà, ſicut vbi primùm Paulus eſt concionatus in Synagoga, id non niſi à Iudæis inuitatus, ad quos ea cura pertinebat, aggreſſus eſt: ita & multò minùs idem ſecundò facere in eorum Synagoga, niſi Iudęis ipſis inuitantibus, attentaſſet. Quæ fortaſſis ratio fuit, vt neque noſter Latinus, neque Syriacus Interpres illud, τὰ ἔθνη, in ſuis verſionibus expreſsè reddiderint; ſed tantùm quòd ab exeũtibus à Synagoga Paulus iterum verba facere pro ſequenti Sabbatho rogaretur: ſiue Iudæi fuerint, ſiue Ethnici, aut promiſcua ex his multitudo, à qua rogabatur. Sed neque dubitare debemus, ſex illis inter vtrunque Sabbathum interpoſitis diebus, licet habitus non fuerit conuentus pro lectione Prophetarum in Synagoga, ceſſaſſe Paulum, & Barnabam, collocutionibus priuatis Antiochenos exhortari, & in fidei Chriſtianæ myſteriis plurimos quotidie erudire: vnde factum eſt, vt, cùm illo ſequenti Sabbatho ad publicam concionem deſtinato Paulus ingreſſus fuiſſet Synagogam, *penè vniuerſa ciuitas conuenerit audire verbum Dei,* (inquit S. Lucas [f].) *Videntes autem turbas Iudæi repleti ſunt Zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur blaſphemantes.* Quid verò in hac ſecunda concione dixerit Paulus, à Luca non refertur: ob id, videlicet, quia tanta confluxerat populi, præſertim Gentilis, multitudo, vt Iudæi magno inuidentiæ zelo inflammati, Paulum ordiri ſuam concionem, aut non permiſerint; aut in ipſo exordio implentes omnia clamoribus prorſus diſturbarint. Videbatur enim illis minimè ferendum, tantam Gentilium multitudinem tranſire ad legem euangelicam; & quod erat illis intolerabilius, antequàm fierent proſelyti, hoc eſt, priuſquàm ad Moyſis legem & ritus Iudaïcos admitterentur. Atque hinc Iudæi blaſphemandi ſumebant occaſionem; tum contra Chriſtum, quaſi non poſſet eſſe verus Meſſias, qui nouam legem veteri, vt ipſis videbatur, non cohærentem tradidiſſet; tum contra Apoſtolos, tanquam eſſent ſeductores, qui Gentes promiſcuè, & in maiori numero quàm Iudæos ad nouum vitæ inſtitutum ſic admitterent; & promiſſiones à Deo factas Iſraelitis per antiquos Prophetas ad Gentes incircunciſas, & idololatras eis nimiùm fauendo malè detorquerent. *Tunc*, inquit Lucas,

[d] S. Hieronym. lib. de Script. eccleſ. in c.6. Iſai. & epiſt. 145.

[e] Act. c. 13. v. 43.

[f] Act. c. 13. v. 45.

g *Act. c. 13. v. 46.* Lucas[g], *Paulus, & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.* Non dicuntur autem hi obſtinati, ac perfidi Iudæorum, indignos æterna vita ſe iudicaſſe; quaſi humiliter de ſeipſis in Dei gratia, & vita æterna promerenda ſentirent: hoc enim non eſſet illis vitio tribuendum; ſed virtuti, dummodo non ita quis attendat propriæ indignitati, vt Dei non magis reſpiciat liberalitatem, atque adeò de illius deſperet miſericordia: ſicut

h *Gen. c. 4. v. 13.* Caïn, qui dicebat[h]: *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Sed, quia Iudæi ſuperbè indignati, Gentes ſibi æquari, aut etiam anteferri in æternæ vitæ per legem euangelicam aſſecutione; & illos, & hanc aſpernabantur; iudicantes, talem legem, & nouam doctrinam ad tanti boni adeptionem non conferre, vanas res eſſe, & eorum acceptione indignas: ideò ſuo ſe iudicio condemnabant, & indignos eadem æterna vita per hæc media conſtituebant. Interim non negabant Apoſtoli, primam nouæ legis promulgationem, & Euangelij denunciationem ad ipſos Iudæos pertinuiſſe, non ſolum iuxta diuinas promiſſiones & oracula Prophetarum; ſed etiam ſecundùm Chriſti manda-

i *Matth. c. 10. v. 5.* tum Apoſtolis impoſitum[i], vt prædicaturi Euangelium priùs irent ad oues, quæ perierunt, domus Iſrael. At eorum culpa factum eſt, vt propter obſtinationem desererentur; & noua lux Euangelij, inuento apud illos obſtaculo, ad Gentes magis illuminandas reflecteretur. Atque id Paulus, &

k *Iſai. c. 49. v. 6.* Barnabas teſtimonio Iſaïæ[k] probauerunt, dicentes: *Sic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem Gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ.* Quod etiamſi de Chriſto iuſtitiæ Sole potiſſimùm fuerit prophetatum; tamen iure ſibi Apoſtoli adſcripſerunt, tanquam capitis Chriſti mébra myſtica, & ad mundi conuerſionem electa præcipua inſtrumenta; quibus proinde ipſe Dominus dixit[l]: *Vox eſtis lux mundi.* & in cœlum aſcenſurus mandauit[m]: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Poſteà apparens ipſi Paulo in particulari dixit[n]: *Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te.* Hoc igitur eſt, quod Paulus, & Barnabas aſſerebant[o]: *Sic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucẽ Gẽtium.* Quamuis ſola Iſaïæ verba non tam præceptionem rei faciendæ, quam prædictionem rei futuræ tanquam propheria continerent. Addit S. Lucas[p]: *Audientes autem Gentes gauiſæ ſunt,* non propter malum alienum, ſed proprium bonum: *& glorificabant verbum Domini: & crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Quæ poſtrema S. Lucæ verba mirum eſt quàm varios habeant explicatus.

l *Matth. c. 5. v. 14.*
m *Marci c. 16. v. 15.*
n *Act. c. 22. v. 21.*
o *ibid. c. 13. v. 47.*
p *Act. c. 13. v. 48.*

In primis autem cauenda hic eſt venenoſa Caluini doctrina, ſic ea verba interpretantis[q]; credidiſſe, Paulo cócionante, quotquot erant præordinati ad vitam æternam: quia credere, id eſt, ſola fides, ſine aliis bonis operibus, vt ipſe ait, non ſolum ſufficit ad iuſtificationem; ſed etiam eſt arrha, obſignatio, ſigillum, ac ſignum prædeſtinationis certiſſimum: ita vt omnes credentes ſint prædeſtinati; nec poſſit credere, qui prædeſtinatus non ſit. Quod eſt hæreſum huius temporis præcipuum, & pernicioſiſſimum fundamentum, manifeſtis diuinæ Scripturæ teſtimoniis apertè contrarium: vt eſt illud ipſius S. Pauli ad Romanos[r]: *Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time.* & ad Timotheum[s]: *Habens fidem, & bonam conſcientiam,* quam

q *Calu. in c. 13. Act.*
r *Rom. c. 11. v. 20.*
s *1. Tim. c. 1. v. 19.*

quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt. ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander. Et quod de his duobus ab Apoſtolo dictum eſt, ſimiliter dici potuit de aliis quamplurimis abſque numero, qui vel Chriſtum in tormentis negauerunt, vel propter aliam animi perturbationem à fide Catholica defecerunt, vt ipſe Caluinus, & Lutherus, alios multos ab eadem fide peruertentes. Sed neque ſi maneat Catholica fides, & in ea quis moriatur, ſine bonis operibus ſaluus erit: nam, vt expreſsè docet in ſua Catholica S. Iacobus [u]: *Quid proderit, Fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere; opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſaluare eum?* Sed Caluinum relinquamus. Alij Catholici Doctores exponunt dictum; credidiſſe Paulo concionanti quotquot erant præordinati ad vitam æternam: quia præordinatiò, ſiue prædeſtinatio diuina ad vitam æternam eſt efficax Dei voluntas dandi illam per conuenientia media; inter quæ primum obtinet locum vocatio ad fidẽ, iuxta illud eiuſdem Pauli teſtimonium [x]: *Quos Deus prædeſtinauit, hos & vocauit, & iuſtificauit*, &c. Sed, quamuis certum ſit, omnes prædeſtinatos aliquando credituros; non tamen quotquot ſunt credentes, & fidem recipiẽtes, omnes ſunt prædeſtinati. Nec dixit S. Lucas: Omnes præordinati ad vitam æternam crediderunt. ſed dixit: *Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Putare autem, S. Lucam ex reuelatione ſpeciali de illis, qui tunc fidem admiſerunt, pronunciare voluiſſe, quòd omnes eſſent è numero prædeſtinatorum, parum eſt veriſimile; tum, quia Hiſtorici munere fungebatur, non Prophetæ futura præuidentis; tum, quòd multi erant, qui tunc crediderunt, & multas paſſuri tentationes, ex quibus facilè aliquis peruerti poterat, & à via ſalutis declinaſſe credibile eſt: quia multi ſunt vocati; pauci verò electi. Quare alij exponunt dictum ex pia coniectura, & affectu charitatis benè de illis ſperantis, quòd, ſicut benè cœperant; ita eſſent in gratia perſeueraturi: vt ſimiliter de Philippenſibus dicebat ad eos ſcribens S. Paulus [y]: *Confido hoc ipſum: quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti* IESV: *ſicut eſt mihi iuſtum hoc ſentire de omnibus vobis; eo quod habeam vos in corde.* At non loquitur hîc S. Lucas, vt loquebatur S. Paulus, cum illis credentibus, animando illos bona de ipſis præconcepta opinione: ſed S. Lucas rem nobis abſolutè, vt ſe tunc habebat, exponit. Itaque aliam expoſitionem quidam excogitauerunt [z], conſiderantes in Græco textu non dici propriè, præordinati, προτεταγμένοι, ſed, τεταγμένοι, hoc eſt, ordinati: ideò non eſſe dictum referendum ad æternã Dei prędeſtinationem; ſed ad ipſorum tantùm credentium per acceptam gratiã diſpoſitionem; qua in via ſalutis ęternæ, admiſſa vocatione, quaſi in acie milites ordinati, ſe conſtituerunt, & non ſicut alij peruicaces Iudęi gratiam repellentes, & indignos æternæ vitæ ſe iudicantes. At neque hic ſenſus per omnia ſacræ Hiſtoriæ videtur conuenire; vbi non dicitur, illos credendo ſe ordinaſſe in vitam æternam; ſed crediderunt ordinati, in præterito: ideò rectè vertit vulgatus Interpres: *Quotquot erant præordinati*, id eſt, *præfiniti à Deo*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus [a]. Quare meliùs alij per vitam æternam intelligunt, non ipſam beatitudinem in re, ſed in ſpe; ſicut, cùm dicuntur in Euangelio: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum; beati mites; beati miſeri*

u Iacobi ep. cap. 2. v. 14.

x Rom. c. 8. v. 30.

y Philip. c. 1. v. 6.

z Apud Lorin. c. 13. Act. v. 48.

a Chryſoſt. hom. 30. in Acta.

miſericordes : non vtique ſignificatur, quotquot aliquando tales exercuerũt illius beatitudinis honeſtas operationes, in re beatos extitiſſe ; ſed in ſpe & expectatione futuræ beatitudinis, ſi perſeuerauerint, aſſequendæ : ſicut
b Rom. c. 5. v. 2. dicebat Apoſtolus [b] : *Habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Vnde nec prædeſtinationem hic accipere debemus pro completa & abſoluta prædeſtinatione ; ſed pro incompleta, & pendente adhuc ab aliqua conditione, videlicet, gratiæ vſque ad finem perſeueraturæ. Hac ratione ſimiliter S. Petrus initio ſuæ primæ Epiſtolæ fidelibus ſcribit : *Electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ.* non quaſi velit ſignificare, omnes illos abſolutè fuiſſe electos & prædeſtinatos ; quis enim hoc dixerit, aut de tanta multitudine crediderit ? ſed propter electionem, & vocationem ad fidem, quæ erat quædam partialis & incompleta prędeſtinatio, ſpem continens vitæ æternæ : ſic enim ipſe quoque Chriſtus Dominus in
c Ioan. c. 17. v. 2. re ſimili dicebat [c]: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti* IESVM *Chriſtum.* Hoc eſt itaque, quod ſignificare nobis voluit S. Lucas, cùm dixit, credidiſſe ex Antiochenis, quotquot erant præordinati ad vitam æternam ; quibus non pauci, qui erant ex Piſidia, & venerunt Antiochiam, ſe adiunxerunt : *Diſſeminabatur autem verbum Domini per vniuerſam regionem*, ait ſacer Hiſtoricus.

Sed, quantò Gentiles promptiores, & frequentiores ad Euangelium accedebant, tantò Iudæi moroſiores, & magis inuidi reddebantur : quare non ſolùm viros ciuitatis primarios in Apoſtolos concitarunt ; ſed etiam mulieres, quas vocat S. Lucas honeſtas, & religioſas [d], *ευσχήμονας*, & *σεβομένας*: d Act. c. 13. v. 50.
quaſi diceret, quoad externum habitum & cultum honorabiles ; quoad cultum verò internum deuotas ; ſiue, quia Iudaïcæ religionis eſſent obſeruantiores ; ſiue fortè Gentiles ſua idola impensè colentes, vt potiùs dici debuerint ſuperſtitioſæ ; ſiue, quod etiam eredi poteſt, Apoſtolis anteà fauentes, & fortaſſe illis neceſſaria ſubminiſtrantes. Sed vt ſunt mulieres inconſtantes, & facilè peruertuntur, ſinentes mala ſibi perſuaderi de Chriſti Apoſtolis, & Chriſtiana religione, talem excitarunt in illos perſecutionem, vt impetu facto Iudæorum tumultuantium, non ſolùm abire Apoſtolos à ciuitate, ſed etiam longè recedere ab eorum finibus compulerint. Illi autem excuſſo in eos puluere diſceſſerunt, iuxta Domini mandatum in Euangelio Apoſtolis ita præſcribentis [e] : *Quicunque non receperint vos, neque audierint ſermones veſtros ; exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris in teſtimonium illis.* e Matth. c. 10. v. 14.
nempe, vt ſignificarent, fruſtrà propter illos tantum itineris fuiſſe ſuſceptum ; neque pro vllo lucro temporali ſe ad eos contuliſſe ; nolle cum iis, qui ſic reſpuerent dona cœleſtia, ne puluerem quidem terræ habere communem. Itaque Antiochiam & Piſidiam relinquentes, venerunt Iconium, ciuitatem Lycaoniæ, vbi quæ illis contigerunt, quia magis ad ſequentem annum pertinent, in capite ſubſequenti commodiùs explicabimus.

***

CAPVT VI.

Iconij multos ad Chriſti fidem conuertit, & inter alios Theclam, virginem nobiliſsimam, protomartyrem feminarum.

ICONIVM, quò ſe modò Paulus & Barnabas receperunt, non eſt, vt aliqui arbitrantur [a], oppidum in Cilicia, ſed in Lycaonia ad Taurum montem, quem vocat Plinius [b], celeberrimum. Nam, etiamſi aliud eiuſdem nominis oppidum ſit in Cilicia, imò etiam aliud tertium in Cappadocia, & quartum in Aſia Pontica propè Trogetem lacum: tamen hoc, de quo hic agitur, finitimum eſt Piſidiæ: vnde non pridem Paulus erat profectus: Piſidiæ verò adiuncta eſt Lycaonia, non autem Cilicia. Hîc Apoſtoli quid egerint, paucis S. Lucas eſt proſecutus dicens [c]: *Factum eſt autem Iconij, vt ſimul introïrent in Synagogam Iudæorum & loquerentur, ita vt crederet Iudæorum & Græcorum copioſa multitudo.* Addit, propterea ibi Apoſtolos diu commoratos, fiducialiter agentes in Domino, & teſtimonium perhibente verbo gratiæ ſuæ. Ex quibus licet facere coniecturam, quidquid ſupererat temporis ex anno Chriſti quadrageſimoſeptimo, Claudij verò Imperatoris quinto, & aliquid ampliùs hîc pro animarum meſſe tã copioſa fuiſſe conſumptum. Nec habere minùs certum debemus, ſi addamus ea, quæ Paulus ipſe commemorat in ſecunda ad Timotheum epiſtola, dum ait [d]: *Qualia facta ſunt mihi Antiochiæ, Iconij, & Lyſtris: quales perſecutiones ſuſtinui, & ex omnibus liberauit me Dominus.* multa, quæ hîc Paulo acciderunt à Luca eſſe prætermiſſa: *Multa*, inquit S. Hieronymus [e], *quæ Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, Lucas Hiſtoriographi licentia prætermiſit.* Atque huius ſunt generis, quæ hic ſuſtinuit Apoſtolus, maximè propter Theclam, virginem nobiliſſimam, inter alios quamplures ad Chriſtianam religionẽ inductam, & poſteà Martyrem inſignem, ac perpetuis antiquorum Scriptorum monumentis commendatam. Sed hic obſeruare ante omnia oportet, Acta quædam, ſeu Periodos, id eſt, circuitus Pauli, & Theclæ inſcriptos ab Aſiano quodam Presbytero, teſte Tertulliano [f], fuiſſe conficta; quæ meritò à Gelaſio Papa [g] inter ſcripta apocrypha reiiciuntur. Quare S. Hieronymus in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis, vbi ad Lucam perueniſſet, ita ſcripſit: *Igitur Periodos Pauli, & Theclæ, & totam baptizati leonis fabulam inter apocryphas Scripturas computamus: quale enim eſt, vt Lucas, indiuiduus comes Apoſtoli, inter cæteras eius res, hoc ſolum ignorauerit? Sed & Tertullianus vicinus illorum temporum refert, Presbyterum quendam in Aſia, amatorem Apoſtoli Pauli, conuictum a Ioanne; quòd Auctor eſſet libri, & confeſſum ſe hoc Pauli amore feciſſe.* Hæc S. Hieronymus. Vnde factum eſt, vt incautè à nonnullis, quidquid de Thecla ſcriptum vſpiam inuenitur, in dubiũ tanquam totum eſſet apocryphum reuocetur. Attamen, ſi quis diligenter aduertat, ſyncera multa & certa poterit a dubiis, aut manifeſtè falſis aliqua ratione ſecernere, quod præſtare inferiùs conabimur. Neque mouere quenquam debet, quod à S. Hieronymo dictum paulò antè retulimus, Lucam, Pauli comitem indiuiduum, hæc de Thecla ignorare non potuiſſe: ſolùm enim voluit argumentatione quadã vtrunque probabili ſuadere, totam baptizati leonis fabulam, & alia huiuſmodi de Thecla cõficta, cùm apud

a *Caiet. in c. 14 Act. Eraſmus ibid. & alij in Vita S. Theclæ.*
b *Plin. l. 5. c. 27.*
c *Act. c. 14. v. 1. & 4.*
d *2. Tim. cap. 3. v. 11.*
e *Hier. in c. 2. ep. ad Gal.*
f *Tertul. lib. de Baptiſ. c. 18.*
g *Gelaſ. in Conc. Rom. in decr. de libris apocryphis.*

Lucam non legantur, nec ſatis in ſe appareant veroſimilia, prorſus eſſe reiicienda: alioquin, ſi plùs probare hoc argumento Hieronymus intendiſſet: primùm ſibimetipſi contrarium ſe oſtendiſſet; quippe qui fatetur, vt anteà ex verbis eius attulimus, Lucam in Actis apoſtolicis multa Hiſtoriographi licentia prætermiſiſſe. Cōſtat prætereà nōdum hoc tēpore, ſed poſt quinque annos, vt infrà ſuo loco declarabitur, Paulo Lucam ſe comitem adiunxiſſe: vnde mirum non eſt, ſi, quod facere conſueuit, ea quibus ipſe non interfuit, ſtrictim attingat, & obuoluta ſilentio non pauca tranſiliat. Deinde, non vno in loco meminit S.Hieronymus [h], eximiæ B. Theclæ virtutis, deuotionis eius in Paulum, & in martyrio conſtantiæ: adeò vt Melaniam illam ſeniorem ſanctitate celebrem, Theclæ nomine loco præconij aliquando decorauerit. Sed & Romanum Martyrologium, cui Bedæ, & Adonis Martyrologia adſtipulantur, ſub die vigeſimatertia Septembris de hac S. Virgine ſic habet: *Iconij in Lycaonia S.Theclæ, Virginis, & Martyris, quæ à S.Paulo Apoſtolo ad fidem perducta, ſub Nerone Imperatore in confeſſione Chriſti ignes, ac beſtias deuicit, & poſt plura ad doctrinam multorum ſuperata certamina, Seleuciam veniens, ibi requieuit in pace: quam fuſius SS.Patres ſummis laudibus celebrarunt.* Hæc eadem in Lectionibus Romani Breuiarij pro die illius natali ſacro, pluribus enarrantur. Acta prætereà ipſius, quamuis ſine Auctoris nomine habeantur; alia tamen eſſe diuerſa ab ea, quæ à Presbytero Aſiatico fuēre conficta, & auctoritatis non contemnendæ, inde colligimus: quia ferè nihil continent, quod apud aliquem antiquiorum Patrum ſcriptum non inueniatur. Nihil verò in illis legitur de docendi munere, aut de miniſterio baptizandi à S.Thecla indebitè vſurpato; nihil de baptizati leonis fabula; quæ in exemplum Hæretici quidam adducebant, teſte Tertulliano, vt mulierum licentiam in docendo & baptizando defenderent. Quare, vt ſyncera tantùm, & quæ ad præſentem hiſtoriam proſequendam faciunt, fide digna referamus; quod in Actis illis dicitur de Oneſiphoro, in cuius domo Paulus & Barnabas Iconij longo tempore hoſpitium habuerunt; putatur hic eſſe Pauli hoſpes ille, Timotheo ſummoperè commendatus, dum ei Apoſtolus de illo ſic ſcribit [k]: *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui: quia ſæpè me refrigerauit.* aliáque plura in eius commendationem adiungit; ſignificans, ab illo ſe pluribus in locis temporalia ſubſidia recepiſſe; quamuis Iconij non faciat mentionē. Agitur quoque in illis Actis de Tryphena, nobili matrona, quæ dicitur Theclæ multùm fauiſſe: & hæc illa putatur eſſe Tryphena, quam idem Apoſtolus ad Romanos ſcribens [l], mādauit ſuo nomine ſalutari, tanquā Romæ tunc degētem cum aliis multis ex huius Apoſtoli diſcipulis, qui ad eam vrbē ex Oriente migrauerāt, vt fecerūt etiā inter alios Oneſiphorus, Priſca, & Aquila ibidem ſalutati.

h Hier. epiſt. ad Ocean. & ep. ad Euſtoch. 22. & in Chron.

k 2. Tim. c. 1. v. 16.

l Rom. c. 16. v. 12.

Dū itaque Iconij Paulus concionaretur, à Thecla virgine annorū octodecim in ea ciuitate nobilibus orta parētibus fuit auditus: vnde ad Chriſti fidem ſuſcipiendā, & illibatū pudicitiæ florem Deo ſeruandum, & ſacrandum ardentiſſimo pietatis ſtudio fuit inducta. Id Acta illa cùm referant, etiam in Romani Breuiarij Lectionibus [m] tranſcripta leguntur, & à S.Gregorio Niceno [n], exponēte illa Canticorum verba: *Labia eius lilia ſtillantia myrrham primam.* afferuntur. *Talē enim,* inquit, *myrrhā olim Paulus*

m Lect. Breuiar. Rom. die 23. Sept.

n Nican. hom. 14. in Cant. c. 5. v. 13.

effunde

effundebat ex ore ſuo, mixtam cum puro pudicitiæ lilio, in ſanctæ Virginis aures: ea verò erat Thecla, quæ præclarè animo ſuo defluentibus de lilio guttis intra ſe receptis, hominem externum morte opprimit, omni cogitatione, cupiditatique carnali extincta. Refert autem Baſilius Seleuciæ Epiſcopus in vita S. Theclæ Græcè ante mille annos ſcripta, & non pridem Latinitate donata ex vetuſto Græco manuſcripto; Theclæ matrem vocatam Theocleam, viduam fuiſſe ditiſſimam, & nobiliſſimam, domũ habentem coniunctam domui Oneſiphori, vbi Paulus hoſpitabatur, & magno populi concurſu, tam mulierum, quàm virorum, atria, & angiportus illius amplæ domus complentium, verba de rebus cœleſtibus faciebat: neque tamen fuiſſe permiſſam à parente Theclam ad eam domum venire; ſed ex quadam propriæ domus feneſtra ſolitam attentè & aſſiduè Paulum audire: vnde factum eſt, vt cùm Apoſtolus aliquando de præſtantia virginitatis exemplo Chriſti, & eius ſanctiſſimæ Genitricis multa dixiſſet; Thecla omnem nuptiarum cogitationem prorſus abiecerit; quantumuis à matre omni conatu, ſummíſque precibus, & grauibus etiam minis adiunctis vrgeretur, vt Thamyrum ſponſum admitteret, iuuenem paris nobilitatis, & illius ciuitatis primarium. Et quamuis Baronius [o], in ſuis ad tomum Annalium decimum quibuſdam additionibus, in dubium reuocet, vtrùm Baſilius, Auctor huius vitæ S. Theclæ, quæ non pridem, vt diximus, Latinitati donata, videri à Baronio non potuit, ſit ille Baſilius celebris Seleuciæ Epiſcopus: tamen eadem ferè omnia leguntur apud Metaphraſtem in ſimili Vita S. Theclæ, nuper e Græco ſimiliter Latinitati donata à Rolando Vinchelio Belga, qui ſimul Latinam reddidit aliam vitam ſub nomine Baſilij Seleuciæ Epiſcopi: nec diſſentiunt, quæ indicat S. Auguſtinus, dum contra Fauſtum Manichæum diſputans pro ſancta virginitate, ſic ait [p]: *Iam tunc ò Apoſtolo, ne Dæmoniorũ doctrinam intuliſſe tunc Iconium videatur: cum Theclam oppignoratã iam thalamo, in amorem ſermo ne ſuo perpetuæ virginitatis accendit.* In eandem quoque ſententiam pro virginitate diſſerens ſanctus Epiphanius [q], ſic habet: *Thecla incidit in Paulum ſanctum, & à nuptiis exoluitur; cùm ſponſum haberet formoſiſſimum, primarium vrbis, valdè diuitem, generoſiſſimum, ac illuſtriſſimum in vita: contemnit terrena Sancta illa, vt cœleſtium compos fiat.* Legimus præterea in Actis S. Theclæ memoratis, Paulum propter diſſuaſas huic virgini carnales nuptias, iuſſum à Proconſule, cui nomen erat Ceſtillius, in vincula coniici: interim Theclam ſuas gemmas, & mundum muliebrem diſtraxiſſe; tum pecunia per famulos miſſa cuſtodibus carceris, aditum ſibi ad Paulum inuiſendum aperuiſſe. Et hoc totum legimus apud Baſilium dictum Seleuciæ Epiſcopum, & ſimiliter apud Metaphraſtem. Significauit etiam ſanctus Chryſoſtomus idipſum in quadam homilia ſuper Acta Apoſtolorum [r], cùm dixit: *Audi de B. Thecla: illa, vt Paulum videret, aurum ſuum dedit: tu autem, vt Chriſtum videas, neque obolum das: & admiraris quidem, quid illa fecerit; non autem imitaris.* Et in alia homilia ad populum Antiochenum [s]: *Quære,* inquit, *Paulum tanquã Thecla, vt audias per ipſum, quæ tibi dicuntur.* Pergit in eadem hiſtoria Baſilius multis exponere Theocleæ parẽtis contra filiam indignationem, iram ſponſi Thamyri, accuſationem apud Proconſulem,

[o] *Baron. tom. 10. in addit. ad fin.*

[p] *S. Aug. l. 30 contra Fauſtũ, c. 4.*

[q] *S. Epiphan. in Panarie, har. 79.*

[r] *Chryſ. hom. 25. in Acta.*

[s] *idem hom. 22. ad pop. Antioch.*

cum quo impia mater, & furore ſponſus exagitatus egerunt; vt in aliarum virginum exemplum, viua in foro crem aretur: ſed pluuia diuina virtute ſuperueniente rogus fuit extinctus. Poſteà tradita eſt leonibus, vrſis, & aliis beſtiis deuoranda, tauris ferociſſimis diſcerpenda: nec inde quidquam paſſa eſt nocumenti; quin potiùs feræ belluæ miteſcentes, illique blandientes, & cum totius admiratione theatri procumbentes, eam colebant ac venerabantur. Tandem pro tertia claſſe horribilium tormentorum, narratur in foueam demiſſa, repletam ſerpentibus venena vndequaque vibrãtibus, atque inde etiam illæſam ingẽti miraculo euaſiſſe. Hæc autem ferè omnia apud ſanctos Patres occaſione varia, eſſe relata inueniuntur. Nam S. Gregorius Nazianz. in præceptis, quæ ad virginem vincta oratione deſcripſit, ita loquitur [t]:

t Naz. in præceptis ad virginem.

Quis Theclam necis eripuit, vitaq́; periclis?
Quis validos vngues vinxit, rabiémque ferarum?
Virginitas. O res omni mirabilis æuo!
Virginitas fuluos potuit ſopire leones:
Dente nec impuro generoſos Virginis artus
Auſi ſint premere, & rigido diſcerpere morſu.

Idem non minùs eleganti oratione S. Ambroſius in ſecundo libro de virginitate deſcripſit his verbis: *Thecla copulam fugiens nuptiarum, & ſponſi furore damnata, naturam etiã beſtiarum virginitatis veneratione mutauit: nanque damnata ad feras, cùm aſpectum quoque declinaret virorum, ac vitalia ſæuo offerret leoni; fecit, vt qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes beſtiam cubitare humi, muto teſtificante ſono, quòd ſacrum virginis corpus violare non poſſet. Ergo adorabat prædam ſuam beſtia; & propria oblita natura, naturam induerat, quam homines amiſerant.* Idem S. Ambroſius repetit in quadam epiſtola ad Simplicianum, & in alia epiſtola ad Eccleſiam Vercellenſem. Breuiùs S. Cyprianus in oratione pro Martyribus, ita Deum precatur: *Aſſiſte nobis ſicut Paulo in vinculis, & Theclæ in ignibus.* & oratione in die paſſionis: *Libera me*, inquit, *de medio huius ſæculi, ſicut liberaſti Theclam de medio amphitheatro.* Vnde videtur Eccleſia deſumpſiſſe, quod in agone mortis laborantibus pro animæ commendatione illis verbis recitatur: *Libera, Domine, animam ſerui tui, ſicut beatiſſimam Theclam Virginem & Martyrem tuam de tribus atrociſſimis tormentis liberaſti.* Addit in eadem hiſtoria Baſilius, certanti S. Theclæ Paulũ apparuiſſe, ſiue Chriſtum, aut Angelum in figura Pauli, vt alij referunt, & ſanctæ Virgini multam cõſtantiam, & inuictam fortitudinem diuinitùs impetraſſe. Et id quoque aliorum antiquorũ teſtimonio comprobari aduertit Baronius [u] in Annotationibus ſuis ad Romanũ Martyrologium, & in Annalibus, vbi etiam ex certa relatione affirmat extare in regia Bibliotheca S. Laurentij, in Eſcuriaco Catholici Regis Hiſpaniarum, Vitam S. Theclæ à S. Athanaſio Græcè deſcriptam, nondum ab vllo Latinitate donatam: quam ſi videre potuiſſemus, magis in promptu fortaſſis haberemus quibuſdam dubitationibus circa hanc hiſtoriam reſpondere; quæ tamen non videntur hoc loco diſſimulandæ.

u Baron. in Martyr. die 23. Sept. & tom. 1. an. 47.

Prima verò dubitatio eſt, quod in ea hiſtoria legimus de Tryphena nobili matrona, ad Chriſti fidem à ſancta Thecla inducta, cuius filia Falconilla ſine Baptiſmo, & in ſuperſtitione Gentilium anteà mortua, Beatæ Theclæ orationibus fuerit ab

Inferis, quod eſt difficile creditu, liberata. Non tamen id caret aliquo S. Ioannis Damaſceni teſtimonio [x]; dum in oratione quadam pro defunctis ita reſpondet: *Quidnam autem eſt, quamobrem graue ac moleſtum hoc aliquibus videatur? An non ea,* (Theclam intelligit,) *quæ martyrio prima defuncta eſt, Falconillæ vita functæ ſalutem attulit? At dices fortaſſe, hanc meritò, quia princeps Martyr erat, hoc conſecutam eſſe, æquùmque fuiſſe preces ipſius audiri. Rectè, inquam, ais.* Hæc Damaſcenus. Et eſt ſimile, quod refertur de B. Agnete à S. Ambroſio [y], eam orationibus ſuis ſuſcitaſſe filium Præfecti necatum à Dæmone propter culpam impudicitiæ. Quare Theologi antiquiores, S. Thomas, Richardus, Durandus, & alij in quartum librum ſententiarum [a], reſpondent: quòd aliqui dicantur ab Inferorum pœnis aliquando liberati, ſi veræ ſunt hiſtoriæ, ſic eſſe intelligendum, vt Deus præuiſis orationibus Sanctorum, non deſtinauerit abſoluto decreto illas animas æternis damnare cruciatibus; ſed ſuſpenſa ſententia voluiſſe, vt ſolùm ad certum aliquod tempus punirentur. Quia tamen nõ immeritò ab aliquibus dubitatur, an oratio illa pro defunctis ſit Damaſceni: cùm in ea quoque legatur, Traianum Imperatorem orationibus S. Gregorij ab Inferno liberatum, quod erudiſſimi Cardinales [b], Baronius, & Bellarminus, firmis argumentationibus confutarunt: ideò aliter reſpondemus, de Falconillæ ſalute, non benè rem ab Hiſtorico intellectam, aut non bona fide reliquæ hiſtoriæ inſertam. Et tandem, quidquid ea de re ſit, non oportere hoc additamentum probatiſſimis de cætero veritatibus vllum inferre præiudicium.

x In or. pro defunctis.

y S. Ambroſ. ſer. 90.

a in 4. d. 45.

b Baron. in Annal. to. 1. Bellar. l. 2. de Purgat. cap. 8.

Sed eſt alia non minoris momenti dubitatio: quia verba, quæ anteà retulimus ex Romano Martyrologio, S. Theclam referunt ſub Nerone Imperatore martyriũ eſſe paſſam: hęc autẽ, quæ modò Iconij, pręſente Paulo, cõtigerunt, ad annum ſpectant Claudij Imperatoris quintum, cui Nero poſt decennium ſucceſſit. Hæc tamẽ difficultas faciliùs ſoluitur: nam huius S. Virginis martyrium Iconij, dum ibi S. Paulus moraretur, incepit; ſed Antiochiæ poſt aliquot annos renouatũ eſt; vbi expoſita creditur beſtiis in Amphitheatro. Itaque non propterea ponitur ſub Nerone fuiſſe martyrium; quaſi non etiam alio tempore varia pro Chriſto ſuſtinuerit: ſed, quia illo potiſſimùm tẽpore ſub Nerone grauiora, & extrema fortaſſe tormenta tolerauit. Atque hinc tertia oritur adhuc maioris momẽti dubitatio: quia in Romano Martyrologio ſignificatur B. Thecla euaſiſſe omnia tormenta variis locis, atque temporibus tolerata; & tandẽ mortua naturali interitu, non violento, cùm dicitur: *Poſt varia ſuperata certamina Seleuciã veniens ibi requieuit in pace.* Et adhuc clariùs in Lectione Romani Breuiarij dicitur: *Ab omnibus tormentis* IESV *Chriſti gratia liberata, iterum in patriã rediens, in montẽ ſola ſeceſſit; vbi multis virtutibus, & miraculis inſignis nonagenaria migrauit ad Dominum, & Seleuciæ ſepulta eſt.* Quomodo ergo propriè Martyr, & Protomartyr dici poteſt? Reſpondet Auctor Compendij Annalium Baronij [c]: propterea hoc, quod aſſeritur, de ſeceſſu in montẽ, & morte naturali B. Theclę, omnium minimè ſibi arridere, iuxta quandam appendicem eiuſdem Baronij tomo decimo Annalium in fine adiectam. Salua tamen hiſtoriæ veritate in hac etiam parte, quam ponunt (præter Martyrologium, & Romanum Breuiarium) cõmuniter Acta

c Spond. anno 47. Baron in append. ad finem tom. 10. pro anno 47.

Theclæ, Baſilius Epiſcopus, & Metaphraſtes; reſponderi poteſt, ad martyriū non requiri, vt in tormentis homo moriatur; ſed ſatis eſſe, ſi talia patiatur pro Chriſto, vt naturaliter viuere ampliùs non potuerit; licèt per miraculum, quod Theclæ non ſemel contigit, liberetur: neque enim mors eſt Martyri meritoria in facto eſſe, vt quidā Theologi putauerūt, ſed in fieri, vt benè docuit S. Thomas [d], loquens de morte Regis Martyrum Chriſti Domini: quia, cùm ſeparatur anima à corpore, potiùs extrahitur à ſtatu merēdi: meretur igitur gratiā Martyr, & martyrij aureolā in antecedēti duratione, cùm imminentē mortē libera volūtate ſic admittit, vt iā naturaliter viuere, niſi fortè ex miraculo, nō poſſit. Hac ratione S. Ioannes Euāgeliſta inter Martyres numeratur, iuxta illud ei à Domino prædictum [e]: *Calicem quidem meum bibetis.* cùm tamen naturali, nō violēta morte obierit: imò aliqui dubitant, an adhuc ſit mortuus. Sic etiā Beatiſſima Virgo Martyr, & Regina Martyrum, & pluſquam Martyr interdum à Patribus appellatur; & alij quidam in Eccleſia, vt Martyres celebrantur; qui tamen vitam martyrio non amiſerunt. Sed iam ad Pauli res Iconij geſtas reuertamur.

d S. Th. 3. p. q. 50. art. 6. ad 2.

e Matth. c. 20. v. 23.

CAPVT VII.

Iconio propter perſecutiones diſcedens venit Lyſtram; vbi miracula operatur, ob quæ à Iouis Sacerdote diuini honores illi offeruntur, quos ipſe cum Barnaba conſtantiſsimè recuſat.

QVamuis ob eas, quas anteà retulimus, rationes, nihil aperte S. Lucas de geſtis Iconij circa Beatā Theclam commemorauerit: ea tamē ſic ibi contigiſſe, vt narrauimus, multis coniecturis ex ipſa Lucæ hiſtoria licet aliquatenus deprehendere. Primùm autem ex eo, quod Actorum capite decimoquarto legimus [a], credidiſſe propter Apoſtoli Pauli prædicationem Iconij Græcorum, id eſt, Gentilium copioſam multitudinem: erat autem Thecla, vt eius teſtatur hiſtoria, ex matre Gentili, atque adeò ipſa quoque anteà Gentilis. Deinde, quia multo tempore Paulum Iconij eſſe commoratum idem Lucas teſtatur: neque enim tam multa, quę circa hanc Virginem & Martyrem ibi cōtigerūt, Paulo præſente, abſolui breui tempore potuiſſent. Tertiò: nam multa interueniſſe miracula, dū hæc agerentur, iam diximus: & hoc etiam in ſacra Lucæ hiſtoria indicatur illis verbis: *Teſtimoniū Domino perhibente verbo gratiæ ſuæ, dante ſigna & prodigia fieri per manus eorum.* Quartò etiam additur, eos, qui ex Iudæis increduli perſtiterunt, ſuſcitaſſe, atque ad iracundiam concitaſſe animas Gentium aduersùs fratres: ex quibus redditur veriſimile, huiuſmodi Iudæos obſtinatiores non ceſſaſſe pro ſua parte irritare Thamyrum Virginis ſponſum, & Theocleam parentem, ambas Gentiles, & primarias illius ciuitatis perſonas, aduersùs Apoſtolos: neque id mirum: nam idem Iudæos feciſſe refertur, capite ſuperiori [b]; nimirum, obſtinatiſſimos eorum in Paulum & Barnabam Antiochiæ commorantem incitaſſe viros primarios, & mulieres nobiliores, atque ita ſeditionem & magnam perſecutionem commouiſſe. Quintò, cùm dicitur [c], multo tempore Iconij Apoſtolos permanſiſſe fiducialiter agentes in Domino, videtur hoc illud eſſe, quod ex Baſilio, Metaphraſte, atq; aliis capite ſuperiori narrabamus; nō defuiſ-

a Act. 14. v. 1. 2. 3. 4. 5.

b Act. c. 13. v. 50.

c ibid. cap. 14. v. 3.

ſe

ſe diuinam prouidentiam aliquot excitare primarios Iconienſes ad pietatem,& ſingularem beneficentiam erga Paulum & Barnabam; præſertim verò Oneſiphorum cum tota ſua familia;in cuius peramplа domo,quandocunque vellet,Paulus, conuenientibus,tum Gentilibus,tum Iudæis,liberè concionaretur.Cùm autem eſſet ciuitas in duas diuiſa factiones, nempe,fauentium quorũdam, & aliorum aduerſantium, ac nimis acerbè contradicentium euangelicæ prędicationi;hæc tandem aduerſa pars,creſcente perfidia Iudæorum, ita præualuit, vt poſt varias contumelias,quaſi contra blaſphemos impetu facto, ad lapides conuerſa coëgerint Paulum & Barnabam exire de ciuitate. *Diuiſa eſt*(inquit S.Lucas [d]) *multitudo ciuitatis: & quidam quidem erant cum Iudæis, quidam verò cum Apoſtolis: cùm autem factus eſſet impetus Gentilium & Iudæorum cum Principibus ſuis, vt contumeliis afficerent & lapidarent eos, intelligentes confugerunt in ciuitates Lycaoniæ.* Hæc S.Lucas.

d ibid. c. 14.v.4. & 5.

Porrò ciuitas, ad quam tunc primùm Apoſtoli ſe receperunt, Lyſtra fuit Iconio non procul, cùm vtraque eſſet in eadem prouincia Lycaoniæ. Lyſtris ergo cùm Apoſtoli per dies aliquot morarentur,& ad euangelicã fidem aſſidua omnes prędicatione inuitarent; Paulo ſemel, audientibus multis, verba faciente, aderat inter alios quidam eò deportatus infirmus, qui per totam vitam ſuam nunquam ambulauerat; erat enim prorſus impotens pedibus à natiuitate. In hunc Paulus vbi oculos conieciſſet, & intentos aliquãdiu tenuiſſet, non tam ex infirmi vultu, & prodente ſe per externa ſigna corporis, interna animi deuotione, quàm ex prophetico ſpiritu intellexit, illum certam ſpem obtinendæ perfectæ valetudinis fideli corde concepiſſe. Quare magna voce dixit illi Paulus:*Tibi dico in nomine Domini* IESV *Chriſti, ſurge ſuper pedes tuos rectus.* Quibus ille auditis, repentè ſanus in medium exiliuit; & quaſi nihil vnquam mali paſſus eſſet, omnibus aſpicientibus,& admirantibus expeditiſſimè ambulabat. Tunc attonita miraculi nouitate Gentilis illa multitudo cœpit exclamare Lycaonico idiomate:*Dÿ ſimiles facti hominibus ad nos deſcenderunt. Et vocabant* (inquit S.Lucas [e]) *Barnabam,Iouem;Paulum verò Mercurium, quoniam ipſe erat dux verbi.* Hanc ſacer Hiſtoricus appoſuit rationem, cur nomen Mercurij,qui Deus eloquentiæ, & nuncius, ac interpres Deorũ à Gentilibus habebatur,Paulo illi Ethnici tribuebãt. Cur autem Barnabæ potiùs, quàm Paulo, darent nomen Iouis, non exprimitur:eóque magis mirandũ;quia miraculum non ediderat Barnabas, ſed Apoſtolus Paulus. *Mihi videtur* (inquit Chryſoſtomus [f]) *etiam ab aſpectu venerabilis fuiſſe Barnabas.* Addere nos poſſumus fuiſſe Paulum ſtatura paruum; Barnabam autem non modò corpore, ſed etiam ætate grandiorem, approbantem ea, quæ Paulus dicebat, & faciebat,aſſiſtentem illi, & quaſi nuncio, & interpreti ſuo annuentem.Tanta præterea erat Pauli modeſtia, & erga Barnabam obſeruantia; vt, quæcunque ipſe laude digna, etiam miracula operabatur, non tam ſuæ, quàm Barnarbæ virtuti ac meritis adſcribere ſtuderet. Adfuit Gentilium acclamationibus Sacerdos Iouis,cuius tẽplum & ſimulacrum viſebatur ante ciuitatẽ;& vt eſt ad quamlibet ſuperſtitionẽ idololatria facilis ac procliuis, ſacrificare tanquam nouis Dijs, Paulo, & Barnabæ, ſeriò cogitauit. Itaque adductis ante ianuam domus,

e Act. c. 14.v.11.

f Chryſoſt hom. 30. in Act.

domus, vbi Apoſtoli nihil minùs, quã talia obſequia expectantes ſe recepe-rant, aliquot victimis & florum coronis, quarum erat vſus in ſacrificiis Ethnicorum, cùm magna Gentilium multitudo eò confluxiſſet, immolare Sacerdos incipiebat. Erant victimæ tauri, vt refert S. Lucas: cùm tamẽ, neque Ioui, neque Mercurio tauros mactare pro ſacrificiis iura Gentilium
g *Macr. l. 3 c. 10.* ſacrorum, Macrobio [g] teſte, permitterent; neque aliis, niſi tantùm Neptuno, Marti, & Apollini. Quòd ſi
h *Virgil. 3. Æn.* Virgilius [h] Æneam induxit Ioui Deorum Regi taurum ſacrificantem, cùm ait:

Superóque nitentem
Cœlicolûm Regi mactabam in littore taurum.

proptereà non deſunt, qui Poëtam accuſent, tanquã illius pontificij iuris ignarum; quem tamen alij eruditè conantur excuſare: quòd ſacrificium inſolenter ab Ænea tunc eſſe celebratum arte poëtica inducatur, vnde portentum ibidem poſteà deſcriptum ſit ſecutum. Sed in tanta licentia, & abſurditate huius Lycaonici ſacrificuli non eſt, cur hoc loco excuſationem vllam quæramus. Vbi hæc Apoſtoli cognouiſſent, ægerrimè ferentes, & plurimùm indignati, quomodo ſe geſſerint, refert S. Lucas his ver-
i *Act. c. 14. v. 13.* bis [i]: *Quod vbi audierunt Apoſtoli, Barnabas, & Paulus, conſciſſis tunicis ſuis exilierunt in turbas clamantes, & dicentes: Viri, quid hæc facitis? & nos mortales ſumus ſimiles vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sũt.* Vigebat apud Iudæos illa conſuetudo, & cæremonia, vt in ſignum iuſti doloris, & indignationis, aut deteſtationis vehementis propria ſibi veſtimenta diſcinderent, præſertim ob auditas blaſphemias, aut prolata grauia maledicta; cuius rei, tum in veteri, tum in nouo Teſtamento, plura occurrunt exempla. Hi ergo duo Apoſtoli, qui veſtimenta ſibi non ſcinderant, dum tanquam execrabiles, & morte digni, non ſolùm maledicerentur, & blaſphemiis impeterentur; ſed etiam lapidarentur: dum veluti Dij quidam immortales, aut immortalitate digni, honoribus diuinis colerentur, in ſignum ſummæ deteſtationis propria veſtimenta ſcindebant: vt apertè omnibus declararent, eſſe ſe vtraque fortuna valdè ſuperiores, nihil prorſus deiecto animo in aduerſis, nec elato quidquã in proſperis. *Et fuit hæc tentatio* (inquit Chryſoſto-
mus [k]) *non parua ab immodica obſeruandi nimietate proueniens. Verùm & hinc Apoſtolorum virtus oſtenditur; & vide, quomodo omnia vbique tribuunt Deo. Hos & nos imitemur, ne ſublime ſapiamus, ne inflemur, cùm ſimus homines, terra, & cinis, fumus, & vmbra.* & alia multa præclarè in hanc ſententiã Chryſoſtomus. Sed exemplum omninò contrarium circa hæc tempora contigit in Herode Agrippa, qui die feſtino, dum Cæſareæ indutus veſte regia ſuperbè concionaretur, *& po-* k *Chryſ. hom. 30. in Acta.*
pulus (vt ait S. Lucas [l], *acclamares: Dei voces, & non hominis. Confeſtim percuſſit eum Angelus Domini, eò quod non dediſſet honorem Deo.* Quàm autem efficax ſit remedium ad huiuſmodi ſuperbiam ab humano corde abigẽdam, id benè perperſum, quod Apoſtoli modò clamantes profe- l *Act. c. 12. v. 21.*
runt, cùm dicunt. *Et nos mortales ſumus homines ſimiles vobis paſſibiles.* benè idem Agrippa, ſed nimis ſerò intellexit: cùm inteſtinis torminibus, & ſcatentibus e moribundo corpore vermibus cruciatus, vt refert Ioſephus [m], *conuerſis in amicos oculis: En,* m *Ioſeph lib. 19. Antiq. c. 17.*
inquit, ego veſtra appellatione Deus vitam relinquere iubeor, fatali neceſſitate

coarguente

coarguente veſtrum medicinam; & quem immortalem ſalutaſtis, in mortem rapior. Similiter impius Antiochus vim huius antidoti contra ſuam inſolentiſſimam arrogantiam ſerò in ſe expertus eſt: ſic enim de illo dicitur in libro ſecundo Machabæorum [n]: *Qui paulò antè ſydera cœli contingere ſe arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. Hinc igitur cœpit ex graui ſuperbia deductus ad agnitionem ſui venire, diuina admonitus plaga: & cùm nec ipſe iam fœtorem ſuum ferre poſſet, ita ait: Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.*

n Mach. c. 9. v. 10.

Quapropter non poſſumus hìc impiam Caluini maledicentiam diſſimulare, qui vbique captans occaſionem cõtra Catholicam Eccleſiam garriendi, ex huius idololatræ Sacerdotis temerario conſilio litare victimas Apoſtolis, Paulo, & Barnabæ, cogitantis, primùm inuehitur in cultum & venerationem Sanctorum: deinde, nec ipſis, Paulo, & Barnabæ, Apoſtolis parcit; ac ſi remiſsè, vel, ſicut ipſe loquitur, frigidè, talem ſibi delatum honorem recuſaſſent, cùm dixerunt: *Viri, quid hæc facitis? & nos mortales ſumus ſimiles vobis homines. Hæc*, inquit Caluinus [o], *frigida videtur eſſe oratio, quæ ab Apoſtolis affertur: inde enim colligere promptum foret, non eſſe illicitum eorum cultum, quos humanis miſeriis mors exemit. Hoc modo intactæ ſtarent Gentilium omnium ſuperſtitiones, quæ in Deorum numerum non ſolebant, niſi mortuos referre. Eodem etiam colore ſuam idololatriam Papiſtæ fucarunt, qui mortuorum oſſa, lignum, & lapides potius adorant, quàm viuos & ſpiritales homines.* Ita Caluinus fortè ſeipſum viuum & ſpiritalem hominem ſupra Sanctos volens innuere adorandum: ſed toto aberrat cœlo, & paucis iſtis verbis, vt alia omittamus, peccat multipliciter. Nam in primis, cùm ageretur modo à Lycaonicis de ſacrificio, & de cultu latriæ, qui ſoli Deo Creatori omnium debet offerri; quomodo meliùs Apoſtoli demonſtrare potuiſſent ſibi nulla ratione cultum huiuſmodi eſſe tribuendum, quàm proteſtando, ſe eſſe mortales, paſſibiles, & aliis mortalibus non abſimiles; ac proinde ſoli Deo tales honores eſſe deferendos? Iuxta quod idem Apoſtolus ait ad Timotheum ſcribens [p]: *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili, ſoli Deo honor, & gloria.* Itaque non fuit frigida Apoſtolorum oratio, ſed ardentiſſima & cõuincentiſſima ratio. Secundò, quod Caluinus adiecit, fore promptum inde colligere, non eſſe illicitum eorum cultum, quos humanis miſeriis mors exemit: ſi de cultu intelligatur, quo in Eccleſia Chriſti militante honorantur Sancti in cœlo cum Chriſto triũphantes, qui non eſt cultus latriæ, ſed multò inferioris ordinis, nempe, dubiæ; planè ita eſt: at non de hoc agebatur cultu; ſed latriæ idololatræ Sacerdotis: nihil igitur fuit, cur Apoſtoli alium cultum, quàm illum à ſe repellerent; nullo verò modo, vt Sanctorum cum Chriſto regnantium delatos honores improbarent. *Nam quiſquis honorat Martyres*, (inquit S. Ambroſius [q]) *honorat & Chriſtum; qui ſpernit Sanctos, ſpernit & Dominum.* Et in alio ſermone de SS. Martyribus, Nazario, & Celſo: *Quod ſi* (inquit) *dicas mihi: Quid honoras in carne iam reſoluta? Et vbi eſt illud, chariſſimi: Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius? & iterum: Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui, Deus. Honoro ergo in carne Martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices, honoro viuentis memoriam perennitate virtutis: honoro per confeſſionem Domini ſacratos cineres: honoro*

o Calu. in Com. Act. c. 14.

p 1. Tim. 1. v. 17.

q S. Ambroſ. ſer. 6 & 92. de SS. Nazario & Celſo.

in cineribus ſemina æternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum meum oſtendit diligere; quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem corpus illud fideles non honorent, quod reuerentur & Dæmones? quod & afflixerunt in ſupplicio; ſed glorificant in ſepulcro? Honoro itaque corpus, quod Chriſtus honorauit in gladio, quod cum Chriſto regnabit in cœlo. Hæc S. Ambroſius. Tertium Caluini additamentum adhuc magis eius ſiue malitiam, ſiue inſcitiam, ſiue potiùs vtrunque manifeſtat: malitiam in eo, quòd Gentilium ſuperſtitiones cum pio Sanctorum cultu confundens, quia Paulus, & Barnabas modo illo ſuo loquendi cultum Sanctorum nulla ratione improbarunt: *Hoc modo*(inquit Caluinus) *intacta ſtabunt Gentilium omnium ſuperſtitiones.* Inſcitiam verò non minùs declarat, dicens, non conſueuiſſe Gentiles in Deorum numerum niſi mortuos referre: nam, præterquam quòd voce huius Lycaonicæ multitudinis apertè refellitur, & facto idololatræ Sacerdotis, qui nondum mortuos Apoſtolos computare inter Deos gentilitios voluerunt, conſtat ab Ethnicis cultos eſſe homines adhuc viuentes, imò Solem, Lunam, ac ſtellas, diuerſi quoque generis animantia quadrupedia, & volatilia. Vnde Apoſtolus ad Romanos [r]: *Mutauerunt* (inquit de Gentilibus ſcribens) *gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.* Sed intolerabilius adhuc eſt quartum Caluini pronunciatum, quo Sanctorum cultum, & venerationem toti Eccleſiæ Chriſti communem traditione apoſtolica receptam, tot œcumenicis Conciliis approbatam, tot denique ſignis ac miraculis diuinæ virtutis confirmatam, audet appellare fucatam Papiſtarum idololatriam: cùm tamen nihil minùs ſint Sancti, quàm idola; & cultus, quo illos veneramur, longè diſtet à latria; nec ſit vllus fidelium tam ſimplex, aut rudis, qui, dum Sanctos colit, adorare ſe Numina, vel Deos ſuſpicetur; ſed tantùm Dei ſeruos, & amicos, cultu quidem religioſo, & altiore, quàm ſit merè ciuilis, quo ſe inuicem in hac vita mortales reuerentur; quia Sancti in cœlis altioris ſunt conditionis: non tamen cultu latriæ Deo tantùm deferendo. Sed calumnia hæc in nos non eſt noua, quaſi idololatræ ſimus, quia colimus Sanctos: verùm illata nobis ſæpiùs à Iudæis, ab Ethnicis, & à veteribus Hæreticis; qui profectò id non feciſſent, niſi vidiſſent ab antiquis Eccleſiæ temporibus à Chriſti fidelibus cultu religioſo, & non merè ciuili Sanctos ſemper fuiſſe adoratos. Ita Iudæi apud Euſebium libro quarto Hiſtoriæ eccleſiaſticæ [s]: Ethnici apud eundem libro octauo [t]: Iulianus Apoſtata apud Cyrillum libro ſexto, & decimo in Iulianum: Porphyrius, Eunomius & Vigilantius apud S. Hieronymum in libro contra Vigilantium: Manichæi apud S. Auguſtinum libro vigeſimo contra Fauſtum Manichæum [u]. Itaque, dum nos antiquæ Eccleſiæ ſeruamus ſanctiſſimum inſtitutum; recentiores Hæretici veterum ſectantur impietatem, non Hæreticorum tantùm, ſed etiam Ethnicorum, & Iudæorum. Quod poſtremò Caluinus adiunxit, Papiſtas oſſa mortuorum adorare, lignum, ac lapides potiùs, quàm homines viuos & ſpiritales; ſplendidum eſt mendacium, calumnia quoque ſimul ac blaſphemia ſæpè ab ipſo repetita. Eſt, inquam, mendacium: quia Sanctorum Reliquias, ſiue ſacras eorum, aut pictas, aut ſculptas

r Rom. c. 1. v. 23.

s Euſeb. lib. 4. c. 15.

t Idē lib. 8 c. 6.

u S. Aug. lib. 20. contra Fauſt. c. 21.

ſculptas Imagines, quas hic Hæreticus per contemptum, oſſa, ligna, & lapides appellauit, cùm non adoremus niſi propter Sanctos, quorum Reliquiæ ſunt, vel Imagines; vtique non illas potiùs, quàm Sanctos; ſed hos magis adoramus, iuxta tritum axioma: Propter quod vnunquodque tale, & illud magis. Quapropter ſacra Synodus Tridentina rationem tradens, cur ſacris Imaginibus adoratio exhibeatur [y]: *Non quòd*, inquit, *credatur ineſſe aliqua in iis virtus, propter quam ſint colendæ; ſed, quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa: ita vt per Imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos.* Porrò Imagines Sanctorum idola nominare; & nos, propterea quòd eas veneramur, idololatras appellare; digna vox eſt eccleſiaſtico anathemate: ideò ſic legimus in ſeptima Synodo generali [x]. *Qui venerandas Imagines idola appellat, anathema.* Neque cenſuram meretur leniorem ſimili calumnia traducere cultum ſacrarum Reliquiarum; qui ab idololatria tantùm abeſt, vt eò religioſiùs adhibeatur, quò plura Sancti præſtiterunt, & in ſuis corporibus Martyres ſuſtinuerunt ad idololatriam ab orbe vniuerſo exterminandam. Vnde refert in ſua Hiſtoria Ruffinus [a], cùm aliquando S. Babylæ Martyris Reliquiæ à fidelibus transferrentur, eos magna voce verba illa ex Pſalmis Dauidis cantantes pronunciaſſe [b]: *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, & qui glorjantur in ſimulacris ſuis.*

y Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 2.

x 7. Syn. Act. 7.

a Ruff. lib. 1. c. 35.

b Pſ. 96. v. 7.

Atque hoc ipſum agebant Apoſtoli, Paulus, & Barnabas, vt ad eos tandem reuertamur, dum illis, qui conuenerant pro offerendo ſibi velvti nouis Diis ſuperſtitioſo ſacrificio, reclamantes dicebant [c]: *Viri, quid hoc facitis? & nos mortales ſumus ſimiles vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt: qui in præteritis generationibus dimiſit omnes Gentes ingredi vias ſuas: & quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda noſtra.* Hæc eſt apoſtolicæ concionis ſumma his ipſis verbis à S. Luca relata: quæ, quoniam Gentilibus habebatur, non expediebat auctoritatibus diuinarum Scripturarum, quas Ethnici non agnoſcunt, inſtrueretur: ſicut habitæ Iudæi conciones, quæ, vt ſuprà vidimus, ferè totæ conſtabant veteribus oraculis, & teſtimoniis Prophetarum. Quia verò dicere aliquis potuiſſet: Igitur fuerunt ſine vllo veri Dei teſtimonio Gentiles per tot ſæcula derelicti: hoc autem minùs decere videtur diuinam prouidentiam: ideò reſpondent Apoſtoli huic tacitæ obiectioni, cùm dicunt: *Et quidem non ſine teſtimonio Deus ſemetipſum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuiam, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda noſtra.* quia, nimirum, tot eius quotidiana beneficia, tam varia, tam ordinata, ſic ſtata, ſic frequentia, ſic patentia, nec ab alio, quàm ab ipſo bonorum omnium fonte prouenientia, inuitare ad eius veram notionem Gentiles, & quoſcunque barbaros potuiſſent, atque etiam debuiſſent. Nam, vt de hoc argumento idem Apoſtolus ad Romanos ſcripſit [d]: *Inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles. Et hæc dicentes, Paulus, & Barnabas,* ait S. Lucas [e], *vix ſedauerũt turbas, ne ſibi immolarẽt.*

c Act. c. 14. v. 14. 15. 16.

d Rom. c. 1. v. 20.

e Act. c. 14. v. 17.

DD 2 Inter

Inter has turbas, quid Iouis Sacerdos egerit, ampliùs non explicatur: fortaſſe audiens pro ſermonis exordio, ſuos Deos vanos appellari, atque contemni, iam abſceſſerat indignatus, nec finem concionis expectauit: turbis adhuc, propter reſtituram ipſis videntibus claudo valetudinem, miraculo attonitis; ideò in obſequio, & cultu Apoſtolis importunè deferendo magis perſeuerantibus, vſque ad ea, quæ contigiſſe poſtea ſequenti capite narrabuntur.

CAPVT VIII.

Lyſtris Paulus lapidibus propemodum necatur: ſed ereptus, & diuino miraculo ſtatim curatus, inde migrat in Derben.

QVanta ſit humani fauoris mutabilitas, & inconſtantia, vt ſæpè alias, ita nunc maximè apud Lyſtrenſes declaratum eſt: vbi enim ante paucas horas Apoſtoli, Paulus, & Barnabas, cenſebantur, & voce populi proclamabantur quaſi Dij quidã, & Numina è cœlo delapſa, diuinis honoribus, coronis, ac ſacrificiis adoranda; ecce ſtatim, reflante vento, vt execrabiles, & vita prorſus indigni barbara immanitate lapidantur, ac ferè interficiuntur; niſi Dei ſingularis prouidentia præſtò fuiſſet.

a *Act. c. 14. v. 18.* Rem ita S. Lucas exponit [a]: *Superuenerunt quidam ab Antiochia, & Iconio Iudei, & perſuaſis turbis, lapidantéſque Paulum traxerunt extra ciuitatem, exiſtimantes eum mortuum eſſe.* Meminit etiam huius rei Paulus ipſe, cùm in Epiſtola ſecunda ad Corinthios, enumerans, quanta pro Euangelio

b *2 Cor c. 11. v. 24.* paſſus ſit, inter alia ſic ait [b]: *A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum.* Quamuis autem Iconij dum eſſet [c], iterum Iudæi ad lapides confugerint, atque impetu facto exire Apoſtolos de ciuitate illa, ſicut anteà retulimus, coëgerint: quia tamen vel tunc ictus lapidum eos non attigerunt, vel non ita grauiter læſerunt; Paulus nullam illius, ſed tantùm huius Lyſtrenſis lapidationis habuit rationem, quando inde mortiferè fuit ſauciatus; ideò dixit: *Semel lapidatus ſum.* Nempe, quia ſolùm grauiora, quæ pro Chriſto paſſus fuerat, veluti Apoſtolatus ſui decora, & inſignia illuſtriora, enumeranda ſuſcepit. Cur autem in Pauli potiſſimùm caput ea mala verterentur, non verò tantoperè contra Barnabam agitarentur; plures afferri poſſunt rationes. Prima, quia iam de illo prædixerat Chriſtus Dominus [d]: *Ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Secunda ponitur à S Luca [e]: quia Paulus dux erat verbi; atque ita perfidorum corda vehementiùs irritabat, & grauiùs ardentiſſima ſua oratione feriebat. Tertiam addit S. Chryſoſtomus rationem ſumptam ex ipſo Paulo ſic dicente [f]: *Ne quis exiſtimet ſupra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me: & ne multitudo reuelationum extollat me.* Itaque proderat Paulo ad humilitatem, patientiam, fortitudinem, ſicut ipſe dicebat [h]: *Cùm enim infirmor, tunc fortior ſum.* Et Chriſtus illi: *Sufficit tibi, Paule, gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Proderat infidelibus, qui decepti, dum Apoſtolus ſtupenda miracula operabatur, quaſi vnum ex Diis, & non mortalem hominem eum ſuſpiciebant. Proderat denique fidelibus, tantam eius demiſſionem, poſt edita miracula, & in aduerſis talem animi conſtantiam, non minùs, quàm ipſa miracula demirantibus: hoc enim plùs erat,

c *Act. c. 14. v. 5.*
d *ibid. c. 9. v. 16.*
e *ibid. c. 14. v. 11.*
f *2. Cor. c. 12. v. 6.*
h *2. Cor. c. 12. v. 9. & 10.*

i *Chryſ. hom. 31. in Acta.* erat, ait Chryſoſtomus [i], quàm claudo ſanitatem reſtituiſſe, aliáque ſigna & prodigia edidiſſe. Qui verò fuerint illi inhumani atque impij, Iudæíne, an Gentiles, contra Paulum lapidibus inſurgentes; quando id auſi; vtrùm illa ipſa die & hora, qua diuinos honores Apoſtoli reſpuerunt; in quo loco, intráne, an potiùs extra Lyſtrēſem ciuitatem, tantam Paulus ſuſtinuerit pro Chriſto contumeliam, vt quaſi blaſphemus lapidibus penè obrueretur; quia non ſatis conſtare ex contextu ſacræ Hiſtoriæ videtur, explanare magis debemus.

Et in primis, quod à S. Luca de lapidantibus dictum eſt [l]: *Superuenerunt quidam ab Antiochia, & Iconio Iudæi, perſuaſiſque turbis, lapidantéſque Paulum traxerunt extra ciuitatem.* videtur ſignificare à turbis illis perſuaſione Iudæorum factam eſſe lapidationem, & ita rem hanc aliqui Interpretum expoſuerunt; magis tamen apparet veriſimile, & modo loquendi Hiſtoriæ congruentius, à Iudæis illis Antiochenis, & Iconienſibus id ſolùm permittentibus turbis eſſe perpetratum: non enim ait S. Lucas, turbas lapidaſſe; ſed qui ſupéruenerant Antiochia, & Iconio Iudæi perſuaſiſſe turbis. At, quid illis perſuaſerunt, dicet hìc aliquis, niſi vt lapidibus contra ſeductores armarentur? Non hoc fuit: erat enim lapidandi facinoroſos conſuetudo, non Gentilium, ſed propria Iudæorum; qui, quod modò perſuadere turbis Gentilium ſtuduerunt, aliud non fuit, niſi vt eos permitterent legem Moyſis contra ſeductores illos obſeruare; qua mandatur [m], vt blaſphemi lapidibus opprimantur, ſiue ciues ſint, ſiue peregrini: eſſe homines illos Iudæos, ac proinde legi Moyſis ſubiectos, quamuis transfugas, impoſtores, & propriæ legis deſertores, imò euerſores omnis religionis, neque legem Iudæorum probantes, neque cultum Gentilium admittentes; ſed eorum Deos tanquam fabuloſos deſpicientes; eſſe Magos, & præſtigiatores, qui non pridem, Iconij dum morarentur, arte ſua magica edentes aliqua portentoſa, multos deceperunt; vnde orto graui tumultu in ciuitate ad necem expetebantur, lapidibus obterendi, niſi fuga maturè ſibi conſuluiſſent: quare oportere morbo eidem eandem adhibere medicinam, procul amandandam peſtem illam à ciuitate, ne plures inde inficiantur. His dictis, multitudini Gentilium vtcunque perſuaſerunt Apoſtolorum non ſuſcipere defenſionem: cùm alioqui Gentiles plerique, vita Pauli, & Barnabæ ingenuitate, modeſtia in honoribus reſpuendis, virtute in miraculis, in verbis efficacitate, & in moribus ſanctitate, valdè benè affecti erga illos inuenirentur. Imò plures ex Gentilibus ad Chriſti fidem eſſe conuerſos indicat S. Lucas, dum meminit diſcipulorum, qui erant Lyſtris, Paulum pro ſua parte defendentium ab impetu, & furore Iudæorum. Atque hoc erat, quod odium, ac maleuolentiam obſtinatorum in Apoſtolos concitabat; quia videbant perfidi Iudæi, vbique Gentiles ad Euangelium ſuſcipiendum accurrere, & nullam Apoſtolos pertranſire ciuitatem, ex qua multitudo Gentilium ad Chriſti fidem ſe valdè faciles non præberent: vnde cæco ſuæ perfidiæ zelo, & inuidentiæ liuore tabeſcebant: *Reuerà*, inquit Chryſoſtomus [n], *filij Diaboli, qui non ſolùm in ſuis ciuitatibus, ſed etiam extra illas hæc faciebant: tantóque ſtudio anhelabant tollere prædicationem, quanto Apoſtoli erigere moliebantur.* Vt, nimirum, quod Chriſtus Dominus futurū Iudæis prædixerat, adimpleretur [o]: 34.

l *Act. c. 14. v. 18.*

m *Leuit. c. 14. v. 16.*

n *Chryſ. hom. 31. in Acta.*

o *Matth. c. 23. v. 34.*

Ecce mitto ad vos Prophetas,& ſapiẽtes; & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatẽ. Quod etiam Paulus, dum anteà eſſet Eccleſiæ perſecutor, ſe feciſſe teſtatur, dicens p: *Et ampliùs inſaniẽs in eos perſequebar illos vſque ad exteras ciuitates.* Venerant autẽ viri illi Iudæi, qui tãta feritate Paulo reſtiterunt; partim ex Iconio, vbi Apoſtoli diu cõmorati multos, & inter eos S. Theclam ad fidem Chriſti perduxerant; partim ab Antiochia, non Syriæ, ſed Piſidiæ, vbi ſimiliter Paulus, & Barnabas multos ad euangelicã fidem traxerunt; ſed nõ ſine magnis difficultatibus, contradicentibus iis, quæ à Paulo dicebantur, Iudæis, ſicut anteà retulimus, & blaſphemantibus, ac primarios ciuitatis, tũ viros, tũ mulieres, aduersùs Apoſtolos concitantibus. Ex horum fortaſſe numero erãt hi modò ſeditioſi, qui ab Antiochia ſuperuenerunt, vt tantũ negotij Paulo nunc faceſſerent.

p *Act. c. 26. v. 11.*

Quando autẽ primùm aduenerint, alia eſt quæſtio; vtrùm, videlicet, eo puncto tẽporis, quo Apoſtolis à turba confluente diuini honores deferebãtur, & à Sacerdote Iouis ſacrificia parabãtur; an potiùs, vt habet Hiſtoria ſcholaſtica q, poſt aliquod tẽpus: quia nõ videtur admodum veriſimile, à remotis ciuitatibus eo die, & illa prorſus hora, nihil ſcientes fortuitò in eam rem incidiſſe; quin potiùs cõſultò, & priùs intellecto felici ſucceſſu euangelicæ prædicationis, ſtimulis inuidentiæ cõcitatos eò ſe contuliſſe. Quare cẽſent cõmuniter Interpretes, poſt aliquot dies audita Antiochię & Iconij Chriſtianæ fidei apud Lyſtrenſes propagatione, hos turbulentos Iudæos Lyſtram accurriſſe; vt, quod aliàs fecerunt, Chriſtianæ fidei, quantùm poſſent, bonos ſucceſſus diſturbarent. Vnde obſeruant aliqui, poſt narratã à S. Luca Pauli concionẽ ſic haberi in textu Græco: διατριβόντων δὲ αὐτῶν, καὶ διδασκόντων, hoc eſt, demorantibus autem ipſis, & docentibus, nẽpe, aliquot diebus tranſactis, ſuperueniſſe Antiochia & Iconio Iudæos iſtos turbatores. Sed nihil de hac mora, vel temporis interuallo ſignificatur in editione vulgata, nihil in editione Syriaca, neque à Græcis Interpretibus indicatur: vnde videtur ex aliqua nota marginali Græci alicuius, qui rem aliter non potuit intelligere, in contextum poſteà irrepſiſſe; cùm tamen haud obſcurè ſignificet S. Lucas eaſdem fuiſſe Gentilium turbas, apud quas Paulus cõcionabatur, & quibus Iudæi perſuadere ſtuduerunt, vt permitterent Paulum lapidari; neque ab his Iudæis alio tempore congregari, ſicut ad Paulum audiendum in magno numero confluxerant, facilè potuiſſent. Sic igitur veriùs crediderim, rem totam eſſe intelligendam, vt Lyſtris Apoſtoli manentes per aliquod tempus, plures ex Gentilibus ad Euangelium induxerint, & Chriſti Eccleſiæ aggregauerint: tũ illa ipſa die atque hora, in qua Paulus claudo reſtituit ſanitatem, & adfuit populi multitudo cum Iouis Sacerdote, tanquam nouis Diis ſacrificaturo, Iudæos illos Antiochenos, & Iconienſes ſuperueniſſe: non quaſi tunc primùm Antiochia, & Iconio Lyſtram perueniſſent: ſed, quia iam erant in ciuitate Lyſtræ ante aliquot dies; ſiue, quia propter ſua negotia eò ſe contulerant; ſiue, quod facilè credi poteſt, vt prædicationi Apoſtolorum, & promulgationi Euangelij aduerſarentur. Quare expectabant hi perfidi occaſionem, cùm audita populi acclamatione, & viſo concurſu rantæ multitudinis in medium prodeuntes veluti furiis agitati de nece Apoſtolis ſtatim inferenda

q *Hiſt. ſcholaſt. cap. 77. A. T.*

ſuis

ſuis propriis manibus, ſi non poſſent alienis, agere inceperunt: vt quos nequiuerat Dæmon nimia Gentilium beneuolentia, & adulatione ſacrilega in ſuperbiam eleuare, ac præcipitare; modò nulla ferè mora interpoſita tentaret nimiùm depreſſos Iudæorum ſatanica maleuolentia diſperdere. *O inſaniam Iudaicam*, inquit Chryſoſtomus [r], *auſi ſunt ingredi ad populum, qui tantum honorem Apoſtolis deferebant, & lapidare Paulum.* Et hæc de tempore.

r Chryſ hom. 31. in Acta.

Superest tertia quæſtio de loco, fueritne, intra, an extra ciuitatem facta hæc lapidatio. Videtur autem S. Lucas ſignificare id accidiſſe intra ciuitatem: nam ait [t]: *Lapidantes Paulum traxerunt extra ciuitatem, exiſtimantes eum mortuum eſſe.* Quaſi dicere voluiſſet, ſic cæſum eſſe lapidibus intra ciuitatem: vt cùm occiſus iam putaretur, fuerit extrà pertractus ab iiſdem Iudæis lapidantibus, quaſi vile cadauer ad campeſtrem ſepulturam. Lege tamen veteri per Moyſem mandabatur [u], vt rei lapidarentur extra ciuitatem, vel ſi inuenti fuiſſent in caſtris, educerentur lapidandi extra caſtra, ne, videlicet, noxio ſanguine blaſphemorũ caſtra, vel ciuitas pollueretur. Quare Stephanum eiectum extra portam Ieruſalem, quæ porta Ephraïm dicebatur, ad ripam torrentis Cedron Iudæi lapidarunt. Fieri tamen poteſt, & verbis S. Lucæ magis eſt conſentaneum, præſertim Græcis, & interpretationi Syriacæ, quia res cæco furore, non legitimo vllo iure agebatur, inceptam eſſe lapidationem intra ciuitatem; vt portas Paulum exire compellerent; tum expulſum extrà interficerent: ſed, cùm, antequàm eſſet egreſſus, grauiter vulneratus, humi veluti mortuus procubuiſſet, extrà protractus fuit: vt ea crudelitate ſignificarent, vbi occidi,

t Act. c. 14. v. 8.

u Lucæ c. 24. v. 14. & 23. Deuter. c. 17. v. 15.

& ſepeliri iuxta Moſaïcam legem iniquiſſimè ab eis interpretatam debuiſſet. Quid autem inde ſecutum ſit, exponere pergit S. Lucas his verbis [y]: *Circumdantibus autem eum diſcipulis ſurgens intrauit ciuitatem, & poſtera die profectus eſt cum Barnaba in Derben.* Habebat igitur Paulus plures, qui Chriſto nomen dederant ex ea ciuitate, diſcipulos: hi Paulum humi iacentem ſemimortuum conſerta corona corporum ſuorum circundederunt, nec ſine proprio in tali tumultu, ac populi furore periculo; ſiue, vt eum occultarent; ſiue, ne aduerteretur, vtrùm adhuc viueret; ſiue, vt plorarent extinctum; ſiue etiã, vt funus demortui procurarent. Illud habere pro certo poſſumus, ſine magno miraculo non contigiſſe; vt homo lapidibus penè obrutus, & attritus, manante vbertim ex vulneribus ſanguine, vt credere par eſt, atque ita propter inflictas mortiferas plagas viribus deſtitutus, quòd ſpiritu deficiente ab ipſis lapidãtibus pro mortuo relinquebatur; tamen repentè per ſeipsũ à terra ſurrexerit, & intrare ciuitatẽ potuerit: neque id ſolũ, ſed iter ſequenti die ſuſcipere benè longũ, ad aliã valdè remotam ciuitatem, nẽpe, Derben, & quidem non curru, vel iumento vectus; ſed pedes, vt ſua ſemper itinera cõficiebat. Poterat igitur iure optimo verba illa de ſe dicere, quę poſtea ſcripſit ad Corinthios [z]: *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: deiicimur, ſed non perimus. Vide*, inquit Chryſoſtomus [a], *alacritatem: vide deſiderium feruens, & ſuccenſum: iterum in illam ciuitatem Lyſtra ingreſſus eſt: vt monſtraretur non eſſe propterea extinguendum eorum deſiderium. Hæc non minùs claros reddebant Apoſtolos, quàm ſigna, magiſque gaudere f[illegible]*

y Act. c. 14. v. 19.

z 2. Cor. c. 4. v. 8.

a Chryſ. hom. 31. in Acta.

Præ[illegible]nè

Præclarè quoque S. Gregorius Apoſtolo Paulo illud accommodat expoſitione morali, quod à Iob in equi
b *Iob c. 39. v. 21. 22. 23.* generoſi deſcriptione ſic dicitur [b]: *Terram vngula fodit, exultat audacter, contemnit pauorem, nec cedit gladio, ſuper ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta, & clypeus: ferueus, & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem. Perpendamus*, inquit S. Gregorius [c], *quæ*
c *lib. 31. Mor. c. 15.* *hunc poſſent equum minæ compeſcere: quomodo eum ab intentione ſua non valet mors ipſa prohibere. Ecce lapidibus obruitur, nec tamen à veritatis ſermone remouetur: occidi poteſt, ſuperari non poteſt. Velut extinctus extra vrbem proiicitur; ſed intra vrbem die alio illæſus Prædicator inuenitur. O quàm fortis huic viro ineſt infirmitas! ô quàm victrix pœna! ô quàm dominatrix patientia. Ad arguendum repulſione prouocatur: ad prædicandam ſalutem plagis erigitur: ad propellendam laboris laſſitudinem pœna refouetur. Quæ ergo hunc aduerſitas ſuperet, quem pœna fouet? Sed equus Dei eſt, & ſagittas deſpicit; quia malitiæ conſilia contemnit: vibratam haſtam ſuperat; quia & contra aperta perſecutionis vulnera pectus firmat. Oppoſitum clypeum rumpit; quia diſputationem reſiſtentium ratiocinando ſubigit. Terram ſorbet; quia peccatores in ſuo corpore exhortando conuertit. Clangorem buccinæ ſonare non reputat; quia vocem quamlibet terribilis prohibitionis calcat.* Hæc & plura S. Gregorius in eandem ſententiam: nos iter Pauli proſequamur.

* * *

CAPVT IX.

Derbe Paulus, & Barnabas reuertuntur Lyſtram, Iconium, & Antiochiam Piſidiæ: inde veniunt Pergen, deſcendunt in Attaliam, vbi conſcenſa naui repetunt Antiochiam Syriæ.

CVm Derben ciuitatem Paulus ſaluus, & incolumis perueniſſet, Barnaba eum comitante; quid ambo ibi peregerint paucis S. Lucas expoſuit, dicens [a], eos euangelizaſſe illi a *Act. c. 14. v. 20.*
ciuitati, & multos docuiſſe. Nimirum, vt ſolebant, pro concione ante omnia expoſuerunt, Chriſtum eſſe verum Dei Filium, ſecundam auguſtiſſimæ Trinitatis perſonam, Deum verum, & verum hominem, pro humani generis redemptione, ſecùdùm propherias, in Cruce mortuum, tertia die reſurrexiſſe, & in cœlum triumpho mirabili aſcendiſſe. Hæc omnibus credenda proponebant, tum diuina præcepta, & ſimiliter ſanctæ à Chriſto Domino inſtitutę Catholicæ Eccleſiæ mandata omnia diligenter obſeruanda: quæ ſumma eſt totius Euangelij, & apoſtolicæ compendium prædicationis. Nec ibi diu morati multos Eccleſiæ Chriſti aggregauerunt; inter quos puratur fuiſſe Loïs auia, & Eunice mater Epiſcopi ac Martyris S. Timothei, ad quem duas Apoſtolus Paulus notiſſimas dedit epiſtolas; in quarum ſecunda ſic inducit huius rei mentionem [b]: b *2. Tim. c. 1. v. 3.*
Sine intermiſſione habeo tui memoriam in orationibus meis, deſiderans te videre, memor lacrymarum tuarum; vt gaudio implear, recordationem accipiens eius fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua

Eunice,

Eunice;certus ſum autem, quòd & in te. Sanctam ergo hanc familiam, quam Derbenſem aliqui faciunt,alij plures Lyſtrenſem, ad Chriſti fidem Pauli prædicatione fuiſſe inductã teſtatur in Vita S. Timothei Metaphraſtes [c]. Fieri autem poteſt,vt Lyſtris oriundi, ſicut ait S.Chryſoſtom.tamen Derbe diu habitarent:cùm præſertim eſſent in eadem Lycaoniæ prouincia ciuitates. Sicut autem verba indicant ſancti Pauli, Loïs, & Eunice primùm ad Chriſtianam fidem acceſſerunt, dum eas regiones hi duo Apoſtoli pertranſirent: Timotheus verò tunc adoleſcens piæ matris, & auiæ educatione tam benè de fidei myſteriis fuit inſtructus,déque Chriſtiana perfectione, vt cùm poſt aliquot annos eò Paulus rediiſſet, quod ſuo loco poſteà referemus, illum ſecum voluerit habere comitẽ peregrinationis ſuæ: eúmque propter egregias animi dotes adhuc iuuenẽ Epheſi primum Epiſcopum cõſtituit;poſteà etiam Archiepiſcopum; mandans illi, vt alios Epiſcopos ordinet,& per varias vrbes conſtituat, eum ſæpè multúmque commendans, ob eximias & ſingulares virtutes, quas non non tam ex verbis, quàm ex geſtis & exemplis Pauli, dum in illis ageret regionibus,& tanquam diſcipulus diligentiſſimus per omnia ſanctè æmulabatur. Vnde ſic ad eum Apoſtolus in ſecunda Epiſtola aliquando ſcripſit [d]: *Tu autem aſſecutus es meam doctrinam,inſtitutionem, propoſitum,fidẽ, longanimitatem, dilectionem, patientiam, perſecutiones, paſſiones; qualia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconij, & Lyſtris,quales paſſiones ſuſtinui, & ex omnibus eripuit me Dominus.*

c Sur. tom. 1. 22. Ian. S. Chryſ. hom. 8 in 2. Ep. ad Timoth.

d 2. Tim. c. 3. v. 10.

Hac itaque infatigabili, & inſuperabili charitate Paulus nihil veritus, qualia, & quanta non pridem Lyſtris ſuſtinuerat, eò nunc reuertitur, & ſimul Barnabas, *Confirmantes*, inquit S.Lucas [e], *animas diſcipulorum, exhortantéſque, vt permanerent in fide: & quoniã per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Benè autem dictum eſt, animas diſcipulorum confirmare debuiſſe: cùm illos omnes exanimatos Lyſtris reliquiſſet ob diram in ſe eorum magiſtrum excitatam perſecutionem, cuius penè funus inter ſæuiſſimos ictus lapidum in porta Lyſtrenſi paulò antè conſpexerant. Et quamuis de ſua incolumitate, ſingulari Dei beneficio ſibi reſtituta, ingreſſus ſtatim ciuitatem,& vna nocte apud ipſos hoſpitatus, certos illos reddidiſſet: quia tamen die ſequenti ſubitò inde diſcedere, & furori Iudæorum tunc cedere coactus fuit; quamprimùm ad eos animandos eò reuerſus eſt, iterum rogans,& obteſtans per inæſtimabilem Chriſti Saluatoris dilectionem, ne in huiuſmodi aduerſis deficerent, ſimilibus verbis eos alloquens, quibus olim Epheſios, ac dicens [f]: *Ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis; quæ eſt gloria mea.* [g] *Quoniam per multas tribulationes oportet intrare in regnũ Dei. Et omnes,qui piè volunt viuere in Chriſto* I E S V, *perſecutiones patientur.* Sic enim ait Apoſtolus [h], Timotheo reuocans in memoriam, quanta nunc Lyſtris pro Euangelio ſuſtinuerit. *Impoſſibile enim eſt*, inquit Chryſoſtomus [i], *vt,qui malis bellum indixit,preſſuris careat: nefas eſt,pugilem Dei vacare deliciis: non licet epulari luctantẽ; luctamen enim ſunt preſentia omnia, certamen,bellum,preſſura,anguſtia,ſtudium:aliud eſt quietis tempus,hoc ærumnis deputatum eſt,atque ſudoribus. Nullus,vbi ad certamen ſe exuit, vnctúſque eſt,requiem quærit:ſi enim requiem quæris, cur te exuiſti? cur libidinibus, naturæ, & mundo, & Dæmonibus bellum indixiſti?* Huiuſcemodi ſermonibus

e Act. c. 14. v. 21.

f Epheſ. c. 3. v. 13.

g Act. c. 14. v. 21.

h 2. Tim. c. 3. v. 11.

i Chryſ. in cap. 3. Ep. 2. ad Tim.

cùm diſcipulos ſuos Paulus confirmaſſet, Lyſtra recedens venit Iconiũ: vbi, quia longiori tempore, & fortè vltra annum, vt anteà diximus, commoratus eſt, imbuẽs Chriſtianis inſtitutis quamplurimos; ac proinde magis expediebat hoc ſecundo tranſitu eos reuiſiſſe, vt omnes conſolaretur, & in fide, pietate, conſtantia confirmaret; præſertim hoſpitalem Oneſiphori domum, & ſanctiſſimã Theclã; de qua referunt Acta ipſius, voluiſſe illam modò cum Apoſtolo diſcedere, ſed eũ id prorſus recuſaſſe. Quãuis enim aliquando alij Apoſtoli permiſerint, pias mulieres honeſto comitatu ſe ſubſequi, & victui neceſſaria miniſtrare; vt poſſent ipſi magis abſque ſollicitudine tẽporaliũ, vacare prædicationi, & ſpiritualibus miniſteriis: tamen hoc ſe non admiſiſſe Paulus apertè proteſtatur, cùm ad Corinthios ita ſcribit [l]: *Nunquid non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi, & mulierem ſororem circunducendi, ſicut cæteri Apoſtoli? aut ego ſolus, & Barnabas non habemus poteſtatem hoc operandi? Sed*, ait inferiùs, *non vſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne offendiculum demus Euangelio Chriſti.* Alij tamen tradunt, non modò cùm Iconium tranſiret Apoſtolus; ſed cùm inde profectus Antiochiam Piſidiæ perueniſſet; tunc Theclam cum aliquot ancillis, & famulis eò ſuperueniſſe, mutato habitu, & attonſa muliebri coma; fuiſſẽque ſtatim ab Apoſtolo in patriam Iconium remiſſam. Sed S. Hieronymus in quadam ad Oceanum epiſtolam [m], & Baſilius Seleuciæ in Hiſtoria dicunt, non fuiſſe Antiochiam Piſidiæ, ex qua Paulus Theclam à ſe remouit; ſed Antiochiam Syriæ, vbi Virgo Chriſti feris expoſita fuit in theatro, & magno miraculo liberata. *Thecla*, inquit S. Hieron. *poſt tentationem paſſionis Antiochiæ à Paulo prohibetur pariter pergere. nemo cum vxore pergit ad bellum*, &c. Ex quibus intelligimus id, quod antea dicebamus, eſſe veriſſimum; in Hiſtoria S. Theclæ, etiamſi aliqua legantur ambigua, & à S. Hieronymo improbata; non proptereà tamen, eodẽ Hieronymo teſte, omnia in dubium reuocanda. Quod verò aliqui hanc ipſam ad Oceanum epiſtolam negauerint eſſe S. Hieronymi; propterea fortaſſe, quia in ea legatur exemplum quoddam ex Vita S. Martini acceptum, meritò miratur Cardinalis Baronius [n]: cùm poſt annos vigintitres ab obitu S. Martini, S. Hieronymus ſuperuixerit, & res geſtæ S. Martini, Auctore Seuero Sulpitio iampridem editæ haberetur. Illud autem omninò improbandum, quod legitur in Hugonis Cõmentariis, verba illa ſecundæ Epiſtolæ ad Corinthios exponentis [o]: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ.* de tẽtatione S. Pauli orta ex familiaritate ſpecioſæ Virginis S. Theclæ, quam ſecum circunducebat: nullã enim circunductã ab Apoſtolo mulierem iam oſtendimus, etiam ex ipſius teſtimonio in Epiſtola ad Corinthios priori; cuius contrarium neutiquam haberetur in Epiſtola ad eoſdẽ Corinthios poſteriori. Deinde, quis credat Apoſtolum, vbi dixit: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ* per Angelũ Satanæ Beatã hanc Virginẽ intelligere voluiſſe? Prætereà, cur Paulus ter Dominũ rogaſſet, vt diſcederet a ſe, cùm nullo negotio eam à ſe remouere potuiſſet? Imò verò dimittere ſub peccati reatu omninò debuiſſet, ſi tantæ illi tentationis fuiſſet occaſio. Sed magis adhuc illud eſt intolerabile, quod hinc malè intulit mẽdax & impudẽs Lutherus in ſuo Cõpotationũ libro [p], docere Catholicos, Paulum impura in Theclã cupiditate acceſum fuiſſe;

&

l 1. Cor. c. 9. v. 4. & 11.

m S. Hieron. epiſt. 51. ad Oceanũ.

n Baron. an. 47. & in Notis Martyrol. die 23. Sept.

o Hugo Card. in 2. ep. ad Cor. c. 12. v. 7.

p Luth. in Sympoſiac. c. 26.

& hunc eſſe carnis ſtimulum, quem ſibi datum lamentabatur. Quaſi verò quod vni Catholicorum inconſideratè excidit aliquando, & fuit ab omnibus aliis improbatum, hoc pro doctrina prorſus Catholica ſit habendū.

Sed, his omiſſis, quid prætereà Paulus, & Barnabas egerint, cùm Antiochiam perueniſſent, à S. Luca intelligamus: *Et cum*, inquit [q], *constituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſſent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderant.* Hierarchiam, videlicet, eccleſiaſticam nouis illis Eccleſiis ita ſenſim ſtatuebant Apoſtoli, & Epiſcopi, Paulus, & Barnabas, alios ordinantes eccleſiaſticos Miniſtros, ſacrificia celebrātes, ieiunia & orationes indicētes, omnes exhortantes permanere in fide, perſecutionibus inſtantibus non cedere: cùm tamen huius temporis Nouatoribus, & fidei Catholicæ deſertoribus fidem ſemel habuiſſe ſufficiat, ampliùs amitti non poſſe; hanc eſſe velint ſignum prædeſtinationis certiſſimum, nullos dari ſacros Ordines, æquè omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes; Presbyteros nō alios agnoſcendos, quàm verbi buccinatores; ſacrificium Eccleſiam Chriſti nō habere, ieiunia Iudaïcas eſſe cæremonias pridem per Euangelium abrogatos. Hæc planè omnia prolatis à nobis ſuperiùs ſacræ Lucæ Hiſtoriæ verbis facili negotio refellūtur. Nam, quod in primis dicitur: cùm cōſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, Græcè, χειροτονήσαντες, non eſt, quòd Beza, & alij Hęretici Eraſmi interpretationē ſecuti exponant: *Cùm ſuffragiis creaſſent Presbyteros.* dum timent, ne ſi per ſuffragia populi, ſiue ſæcularis Magiſtratus, vt apud ipſos fit, Miniſtri Eccleſiæ non creentur; nihil in eorū Eccleſiis conſtitutū habeatur: nā profectò ita eſt, omnia habēt ipſi confuſa, omnia promiſcua, & incerta. *Nuſquam*, inquit Tertullianus [r] loquens de Hæreticis, *faciliùs proficitur, quam in caſtris rebellium; vbi ipſum eſſe illic promereri eſt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector; hodie Presbyter, qui cras laicus.* Hæc Tertullianus.

At inquit Martinus Lutherus in libro de captiuitate Babylonica [s], Eccleſiā Chriſti ignorare Sacramentū Ordinis, & eſſe recens inuentū ab Eccleſia Papę; eſſe machinā pulcherrimam, ad ſtabiliēda portenta papiſtica, nullam haberi de illo in Patribus mētionem. Caluinus [u] addit, eſſe inuentū nouitiū antiquis prorſus inauditum. Audiant igitur vnum tātùm Auguſtinū, quem ipſe Caluinus ſæpè laudat, & accuratum Doctorum vocat: ſic enim ait ſanctus hic Doctor libro ſecundo cōtra Parmenianum [t]. *Ipſi explicent Hæretici, quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum Ordinis poſſit amitti: ſi enim vtrunque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat; cur illud amittitur, & illud non amittitur? Neutri Sacramento iniuria facienda eſt: vtrunque Sacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrunque homini datur; illud cùm baptizatur, iſtud cùm ordinatur.* Et ferè decies ibidem affirmat S. Auguſtin. Ordines ſacros eſſe Sacramentū, ſicut eſt Baptiſmus; & neminē aiť de hoc poſſe dubitare. Quòd ſi hærent Hæretici in etymologia vocis χειροτονίας, hæc non tam erectionem digitorum in ſignum lati ſuffragij ſignificat, quàm extenſionē manuum ad ſacros Ordines conferendos requiſitam: ſi verò vſum ſpectemus, & acceptionem vocis, fatentur etiam eruditiores inter ipſos aduerſarios, magis accipi ſolere apud Eccleſiaſticos pro Ordinatione: *χειροτονίαν enim*, inquit S. Hieron. [y] *plerique noſtrorū tranſtulerūt Ordinationem* Iſaia.

[q] Act. c. 14. v. 22.

[r] Tertul. lib. de præſcr. Hæreticorum.

[s] Luther. de capt. Babyl. c. de Ordine.

[u] Calu. l. 4. Inſt. c. 19. §. 24.

[t] S. Aug. l. 2. cōtra Parmen. c. 13.

[y] S. Hier. in c. 58.

Clericorum, quæ non ſolùm ad imprecationem vocis, ſed ad impoſitionem impletur manus. Si verò demum hoc loco rem hanc iuxta ſucceſſum conſideremus: apparebũt aduerſarij ſuis ſuffragiis planè ridiculi, ſibíque non minùs quàm nobis aduerſari. Cùm enim dicat S. Lucas, Paulum, & Barnabam tantùm, non verò alios fuiſſe χειροτονήσαντας; conſequens erit, iuxta horum interpretationem, non populum, aut Magiſtratus, ſed ipſos tantùm Apoſtolos ſuffragia tuliſſe; nempe, ſolent Paulum & Barnabam, ſublata manu, & digitis erectis in ſignum lati ſuffragij; quod eſſe ridiculum nemo non videt. Eſt igitur verbum omninò intelligendũ de impoſitione manuum epiſcopaliũ ad conferendos ſacros Ordines cũ gratia Sacramenti: ſicut idem Apoſtolus Paulus teſtatur

z 1. Tim. c. 1. v. 6. in ſimili ad Timotheum ſcribens [z]: *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum*

a 1 Tim. c. 4. v. 14. *mearũ.* Et iterum alibi[a]: *Noli negligere gratiã, quæ data eſt tibi per impoſitionẽ manuum Presbyterij*; id eſt, cœtus maiorũ Presbyterorum, qui ſunt Epiſcopi; quorum vnus non ſufficit ad Epiſcopũ conſecrandũ, qualis debuit eſſe Timotheus; ſed duo, vel tres requirebãtur, iuxta primũ canonem Apoſto-

b Can. 1. apoſtol. tom. 1. Concil. licũ, in quo dicitur [b]: *Epiſcopus à duobus, vel tribus Epiſcopis* χειροτονείσθω, id eſt, impoſitione manuũ ordinetur. Eſt autẽ ea manuum impoſitio materia quodãmodo Sacramenti: forma verò ſunt verba, quibus confert Epiſcopus talis Ordinis poteſtatẽ, & gratiam, vt effectũ Sacramenti, ad illud officium benè exercendũ requiſitum. Sicut Baptiſmus ideò eſt Sacramẽtũ, quia habet pro materia externã corporis ablutionẽ; pro forma verba: *Ego te baptizo*, &c. & veluti inſtrumentũ diuinitùs cõfert, iuxta Chriſti inſtitutionẽ, gratiam propriam talis Sacramenti.

Adhuc tamen quæri poteſt hoc loco, vbi dicuntur Paulus, & Barnabas, per ſingulas Eccleſias cõſtituiſſe Presbyteros, intelligeréne debeamus Parochos, nomine Presbyteri ſignificatos, ſiue ſimplices Sacerdotes; an potiùs Epiſcopos, qui etiã nomine Presbyteri eo tempore cenſebantur: ſicut nomen Epiſcopi commune tunc fuit etiã inferioribus Sacerdotibus: quamuis hoc tempore diſtinctionis gratia nomen Epiſcopi ſummis tantùm Sacerdotibus; nomen verò Presbyteri minoribus tribuatur. Putant aliqui [c], ordinatos hìc à Paulo, & Barnaba, Epiſcopos fuiſſe: poteſt autem afferri pro hac ſententia optima coniectura: quia, cùm eſſent Apoſtoli longè diſceſſuri, veriſimile non eſt, ſine Epiſcopis relinquere voluiſſe tot diuerſarũ ciuitatũ Eccleſias, imò plurium prouinciarũ ampliſſimas regiones. In ſola enim prouincia Piſidiæ, cuius metropolis erat Antiochia dicta Piſidiæ, quamuis adeò magna regio non eſſet; duodecim tamen vrbes inueniebantur, ad quas omnes fides & religio Chriſtiana eo tempore in dies propagabatur. Alij malunt per ordinatos hìc Presbyteros, ſolos Parochos, aut ſimplices Sacerdotes intelligere: his enim cura propinquior incumbit animarum, & ſaltem ſingulis Eccleſiæ ſingulæ opus habent. Verius tamen exiſtimamus, vtroſque, tum minores, tum maiores Sacerdotes, & Epiſcopos, nomine Presbyterorũ eſſe ſignificatos: quia neq; ſine Parochis, & bono numero inferiorum Sacerdotum, neque ſine aliquot Epiſcopis tot ciuitates ac prouinciẹ Chriſtianæ eſſe potuiſſent. Cõuenientiſſimè igitur antiquus & vulgatus Interpres, quod S. Lucas dixit, χειροτονήσαντες, ipſe vertit: *cùm conſtituiſſent*: nam, etiamſi nõ malè reddi potuiſſet, cùm ordinaſſent, vel impoſitione manuũ

c Gloſſa, & Carthuſ. in cap. 14. Act.

cteaſſent,

creaſſent, ſiue conſecraſſent: tamen indicare ſimul voluit, ſic ordinatos Epiſcopos, alióſque Sacerdotes, vt vnicuique propria Eccleſia, parœcia, vel territorium fuerit aſſignatum, atque ita fidelibus per ſingulas Eccleſias fuerint Presbyteri conſtituti. Sunt & alij, qui nomine Presbyteri etiam Diaconos eſſe intelligendos arbitrentur: ſed, etiamſi fuiſſe inter tot ordinatos per varias Eccleſias nónullos quoque Diaconos facilè credi poſſit: tamen ſignificatos eos nomine Presbyterorũ, ſicut neque alios Clericos Ordinis inferioris, vſu nominis cóſiderato, minùs apparet veriſimile. Neque id ſibi S. Lucas aſſumpſerat; vt, quæcunque Paulus, & Barnabas, regiones varias peragrando confecerunt, exprimeret, aut minutiùs explicaret. Quę verò hîc de ieiunio, & orationibus, ac verbi diuini prędicatione Actorum indicat Hiſtoria, tanquã in collatione Ordinum vnà cum Liturgia, ſeu Miſſæ ſacrificio adhiberi conſueta, ſatis alibi proſecuti ſumus, vbi de ſacra ordinatione Pauli, & Barnabæ, in Epiſcopos ageremus [d].

d *Suprà lib. 3. c. 20.*

Eodẽ Apoſtoli pergentes itinere, quo venerant anteà, cùm Antiochia diſceſſiſſent, & à tota prouincia Piſidię egredientes, finitimã illi Pamphiliam ingreſſi ſunt, Aſiæ quoque minoris regionem, quæ ab ortu habet Ciliciam, ab occaſu Phrygiã, à meridie mediterraneum mare; quod proptereà in eo tractu mare Pamphiliũ appellatur, & à Septentrione contiguã habet, quam diximus, Piſidiam, Galatiam quoque, & Cappadociã. A Septentrione igitur versùs Ortũ progredientes per Pamphiliam, ad oppidũ Pergen venerunt; quod etiã intrauerãt anteà, cùm ab Inſula Cypro veniſſent in Pamphiliã; ſed ibi tunc eos non hæſiſſe S. Lucas indicauit [e]; nunc autem in reditu verba ad populũ ait illos feciſſe [f]: *Loquebantur* (inquit) *verbum Domini in Perge*; non tamen explicat, quo fructu. Erat Pergæ templũ celebre Dianæ, quæ proptereà Pergæa & Pergaſia dicebatur: quare credibile eſt, aliquos Gentiliũ ex illa cæca ſuperſtitione ad lucem euãgelicæ veritatis acceſſiſſe: neque enim ſine ſpe alicuius emolumẽti ſpiritualis eò iterũ Apoſtoli reduſſent, neque verba de rebus diuinis ad populũ habuiſſent, niſi, qui ea libenter exciperent, nacti eſſent. Perge poſt hæc recedentes deſcenderunt, vt ait S. Lucas [g], in Attaliam, & inde nauigarunt Antiochiã. Erat Attalia, ciuitas maritima in Pamphiliæ finibus conſtituta, vt S. Hieronymus [h] adnotauit; & quia vicinum habuit fluuium Cataractum in mari ſe exonerantem, fortaſſe per hoc flumen aggredi ſuam nauigationem voluerunt, Cyprum Inſulam ad dextram versùs meridiem relinquẽtes; tum ad itineris longitudinẽ euitandam; tum, quia non procul ab ea Inſula diſtabat Antiochia Syriæ, vbi erat Eccleſia Chriſti, prima Petri patriarchalis florentiſſima, & numeroſiſſima, viris abũdans apoſtolicis, Prophetis, atque Doctoribus; à quibus benè potuit non vni tantùm Inſulæ Cypri, ſed etiam multis latè circumiacentibus regionibus proſpici, & de Epiſcopis, Sacerdotibus, aliiſque idoneis Eccleſiarum miniſtris opportunè prouideri. Ad hanc igitur Antiochenam ciuitatem, poſt longã multi temporis peregrinationem Paulus, & Barnabas nauigio prætervecti, ſe iam tertiò retulerunt, tanquam ad euãgelicæ fidei, & totius Chriſtianæ religionis ſeminarium, arcémque primariam, ad quam ante ſeptennium primùm è Tarſo Ciliciæ Paulus à Barnaba fuerat adductus, & inde poſt annum ambo profecti Ieroſolymam, vt ibi afflictos fideles collectis ab Antio-

e *Act. c. 13. v. 13.*

f *ibid. c. 14. v. 24.*

g *ibid. c. 14 v. 24. & 25.*

h *S. Hier. lib. de locis Hebr. in Act.*

chenis eleemoſynis adiuuarent: quo facto iterum Antiochiam ſunt reuerſi; vbi non multò pòſt oraculo diuino ſegregati in opus, ad quod electi fuerant a Spiritu ſancto, inde ſunt profecti, ac diu versùs orientem peregrinati, multis per varias regiones Eccleſiis conſtitutis; tandem, vnde venerant, nunc tertiò reuertuntur. *Et nauigauerunt* (inquit S. Lucas [i]) *Antiochiam, vnde erant traditi gratiæ Dei in opus, quod compleuerunt.* Quid autem egerint, vbi Antiochiam modò perueniſſent, S. Lucas exponit his verbis: *Cùm autem veniſſent, & congregaſſent Eccleſiam, retulerunt, quanta feciſſet Deus cum illis, & quia aperuiſſet Gentibus oſtium fidei.* Erant ſanè multa, quę referre in laudem & gloriam ſummę Dei bonitatis debuerunt, ad communem Eccleſiæ Chriſti ædificationem, ad ſpem promouendæ pietatis, & quotidie magis augendæ, ad gratias Deo pro tot beneficiis, ſine ceſſatione reddendas. Narrabant, non quæ ipſi feciſſent; ſed quanta Deus feciſſet cum illis, tanquam per ſua inſtrumẽta; à quantis eſſent periculis diuina gratia, nec ſine magnis ſæpè miraculis liberati; & quia Deus aperuiſſet Gentibus oſtiũ fidei, dum, videlicet, ad prædicationem Euangelij audiendam Gentiles frequentes, & auidi accurrebant; faciles ad fidem recipiendam ſe præbebant; ad Baptiſmum percepto Catechiſmo prompti & alacres vbique per oppida & ciuitates eorum multitudo adueniebat. Addit S. Lucas [k]: *Morati ſunt autem tempus non modicum cum diſcipulis.* Circa quæ verba ſcripſit in ſuo Commentario Caietanus: *Collige, prudens lector, tria tempora, videlicet, tempus tantæ peregrinationis, & multum tempus, quo morati ſunt Iconij audacter agentes, & tempus non modicum, quo morati ſunt Antiochiæ poſt reuerſionem, ne fallaris in ſupputatione annorum.* Et rectè quidem de his tribus temporibus monuit Caietanus: vnde, quamuis non omninò poſſimus ſingulis quibuſque annis ſingularum rerum proprios aſſignare ſucceſſus; tamen cùm anteà ſtatuerimus [l], annum, quo Antiochia Paulus, & Barnabas ordinati Epiſcopi diſceſſerunt, fuiſſe à natiuitate Domini quadrageſimumquartum, & Claudij Imperatoris ſecundum: antequàm verò ad aliam Antiochiam Piſidiæ peruenirent, tranſiuiſſe in ea peregrinatione annum Domini quadrageſimumquintum, & ſextum; ſeptimum autem fuiſſe inchoatum, qui Claudij Imperatoris erat quintus: præterea Iconij, vbi, teſte S. Luca, diu morati ſunt, eos manſiſſe vſque ad annum Chriſti quadrageſimumoctauum, & Claudij Imperatoris ſextum; hinc facimus probabiliſſimam coniecturam, reliquum tempus, quo Apoſtoli vlteriores regiones peragrarunt; tum redeuntes, per varias ciuitates fundarunt Eccleſias, fundatas confirmarunt, Epiſcopos & Sacerdotes illis conſtituerunt, & Antiochenę tandem Eccleſiæ reſtituti nõ modicum ibi tempus, vt ait S. Lucas, morati ſunt; ad vnum atque alterum annum peruenire debuiſſe, nempe, ad Chriſti annum quinquageſimum, Claudij verò Imperatoris octauum, qui fuit à Pauli conuerſione decimusſextus; vt ex iis, quæ ſequenti libro magis erunt examinanda, conſtabit manifeſtiùs.

i *Act. c. 14. v. 25. & 26.*

k *ibid. c. 14 v. vlt. vbi Caiet.*

l *Suprà lib. 4. c. 1. c. 4. c. 6.*

LIBER QVINTVS.

Paulus, & Barnabas ad primum Concilium Ieroſolymitanum proficiſcuntur: decernuntur variæ controuerſiæ, nouæ ad Euangelium propagandum miſſiones inſtituuntur.

CAPVT I.

Quo tempore, quáve occaſione iam tertio Paulus eat Ieroſolymam.

PRIMVM, iuiſſe Paulum Ieroſolymam, cùm ex Arabia rediſſet, anno tertio à ſua conuerſione, iam antea expoſuimus ſuo loco, producto etiam ipſius Apoſtoli aperto teſtimonio ad Galatas ita ſcribentis [a]: *Aby in Arabiam, deinde poſt tres annos veni Ieroſolymam videre Petrum.* Iterum poſt aliquot annos eandem vrbem repetiiſſe oſtendimus ex S. Luca [b]: nam collectas eleemoſynas eo ferre cum Barnaba debuit pro tempore famis vniuerſalis, quæ accidit anno Claudij Imperatoris ſecundo. Iam verò de hac tertia in Ieruſalem profectione, de qua nunc acturi ſumus, ſic ipſe Apoſtolus in eadem ad Galatas Epiſtola ſcriptum reliquit [c]: *Deinde poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Ieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto Tito. Aſcendi autem ſecundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus.* Eſt autem hìc præcipua difficultas, à quo tempore prædicti anni quatuordecim ſint enumerandi, vtrùm à Pauli conuerſione, quod volunt plerique recentiores, qui Commentaria in Epiſtolam ad Galatas, vel in Acta Apoſtolorum ſcripſerunt; an potius à triennio poſt eius conuerſionem, & reditum ex Arabia, vt magis indicat Epiſtolæ ad Galatas contextus, & in eorum verborum Commentario S. Hieronymus adnotauit; & poſteà ibidem S. Anſelmus [d]. Cùm enim Apoſtolus expoſita ſua cõuerſione dicat, ſe poſt tres annos iuiſſe Ieroſolymam videre Petrum: *Et deinde*, inquit, *poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Ieroſolymam cum Barnaba.* nimis coacta eſt interpretatio, illud, *deinde*, referre ad tempus conuerſionis, ante tres annos, quàm iuerit primùm Ieroſolymam, præſertim cùm addat: *Iterum aſcendi Ieroſolymam.* ac ſi apertè dixiſſet: Poſt tres annos à mea conuerſione iui primùm Ieroſolymam, & iterum deinde poſt tres illos annos, elapſis aliis annis quatuordecim, iui cum Barnaba tertiò ad eandem ciuitatem. Quare illi tres anni non ſunt includendi intra alios quatuordecim ſequentes, ſed ſuperaddendi, vt fiant ſeptendecim. Et quia Pauli conuerſio, vt ſuo loco

declara

a Gal. c. 1. v. 18.
b Act. c. 12. v. 25.
c Gal. c. 2. v. 1.
d S. Anſel. in c. 2 Ep. ad Gal.

declarauimus [e], in annum incidit Chriſti trigeſimumquintum vno menſe inchoatum, iam ab hoc numerando annos addamus ſeptendecim, perueniemus ad annum Chriſti quinquageſimumprimũ, circa quod tempus, anno nono Imperij Claudij decurrente, habitum eſſe primum hoc Ieroſolymitanum Concilium, atque ad illud Paulum cum Barnaba hoc eodem tempore profectum, communior eſt opinio, quam cum Cardinalibus, Baronio, & Bellarmino, ferè omnes recentiores ſequuntur. Quamuis eorum plerique circa annum conuerſionis S. Pauli eundem Baronium in prima Annalium editione ſequuti, poſuerunt S. Paulum eſſe conuerſum, non priùs quàm anno Chriſti trigeſimoſexto, vnde annos quatuordecim ſubſequentes, poſt quos ait S. Paulus, ſe cum Barnaba iterum Ieroſolymam aduenisſe, putarunt numerandos ab ipſo tempore conuerſionis, non verò à tempore poſt triennium primæ eius Ieroſolymitanæ profectionis, ne parum temporis remaneret ad geſta Pauli ſubſequentia, pro quibus anni plures iuxta ſacram Actorum hiſtoriam deſiderantur. Sed, cùm agentes de tempore conuerſionis S. Pauli, efficacibus argumentis oſtenderimus, eam incidiſſe in annum Chriſti trigeſimumquintum, non verò trigeſimumſextum, non eſt, cur à S. Hieronymi ſententia recedamus, aſſerentis, inter primam Pauli vocationem, & ad primũ Concilium Ieroſolymitanum profectionem, annos ſeptendecim interceſſiſſe. Imò addit S. Hieronymus, hanc eſſe ipſius Apoſtoli aſſertionem dicentis, ſe poſt tres annos à ſua vocatione veniſſe Ieroſolymam, vt ibi Petrum videret: deinde poſt annos quatuordecim iterum Ieroſolymam cum Barnaba aſcendiſſe. Quare idipſum poſteà accuratiſſimus Annalium Scriptor [f], mutata opinione, in aliis ſuorum Annalium editionibus benè obſeruauit, & qui eius edidit compendium variis adiectis pro hac ſententia rationibus eam, vt longè probabiliorem, eſt ſecutus. Fuit itaque hic annus, quo Paulus modò Ieruſalem venit ad Synodum à primo aduentu in eandem vrbem, vt Petrum videret, decimusquartus, à conuerſione decimusſeptimus, à Domini in cœlum aſcenſione decimusoctauus, à Chriſti natiuitate quinquageſimusprimus, ætatis Pauli propè quinquageſimus, Claudij verò Imperatoris nonus.

Sed, nec illud eſt hoc loco diſſimulandum, nonnullos Auctores in dubium reuocare, fueritne Pauli profectio hæc in Ieruſalem, de qua ſcripſit ad Galatas, illa eadem, quam exponit S. Lucas, cùm ait [g]: *Statuerunt, vt aſcenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alij ex aliis, ad Apoſtolos, & Presbyteros in Ieruſalem, ſuper hac quæſtione.* Et quidem fuiſſe diuerſas, inde atqui poſſet: quia S. Lucas ait, eos iuiſſe propter ortas quaſdam circa obſeruantias legalium quæſtiones: at S. Paulus ait ſe iuiſſe, vt conferret cum Apoſtolis Euangelium, quod prædicabat in Gentibus: Lucas ait iuiſſe tanquam Legatos miſſos ab Eccleſia Antiochena: Paulus verò ſe iuiſſe ſecundùm reuelationem inſpiratione diuina: Lucas, quòd iuerint ad publicam Synodum: Paulus autem inquit; *Contuli cum illis Euangelium ſeorſim*, id eſt, priuatim, non publicè. Lucas tantùm Barnabæ, nullam verò Titi facit mentionem; at Paulus inquit: *Aſcendi Ieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito.* Sunt igitur diuerſæ profectiones, vt propter has rationes videtur

[e] lib. 1. c. 1.

[f] Baron. tom. 10. in addit. Annalium. Spondanus anno 35 & 51. vltima editionis.

[g] Act. c. 15. v. 2.

b *Chryſ. in cap. 2. Epiſt. ad Galat.*

i *S. Hier. in cap. 2. Epiſt. ad Galat.*

videtur S. Chryſoſtomus [b] indicaſſe. Meminit quoque S. Hieronymus [i] huius dubitationis; ſed eam non eſſe magni momenti exiſtimauit: ſiquidem tempus, locus, perſonæ, cauſa ſuſcepti itineris, ac negotia planè in vnam eandémque profectionem apparent per omnia conuenire. Nam, quod ait S Lucas, iuiſſe Paulũ & Barnabam propter ortas quaſdam circa obſeruantias legaliũ quæſtiones, minimè contrariũ eſt ei, quod S. Paulus affirmauit,ſe iuiſſe, vt conferret cum Apoſtolis ſuum Euangelium,quod in Gentibus prædicabat; ſed eſt vnius, eiuſdémque cauſæ profectionis quædã maior explicatio,nempe, quia docens legis Moſaïcæ obſeruantias non eſſe ampliùs tempore legis euãgelicæ neceſſarias,accuſabatur à quibuſdã in Eccleſia Antiochena, tanquam aliud prædicans Euangelium, quam quod tradebatur in Eccleſia Ieroſolymitana à SS.Petro,Iacobo,& aliis Senioribus,ibi tales antiquę legis obſeruationes, & Moſaïcas cæremonias admittentibus. Similiter,quod ait S Lucas, iuiſſe Paulũ,& Barnabam,tanquã Legatos miſſos ab Eccleſia Antiochena, vt à Synodo apoſtolica tales quæſtiones decernerẽtur,& quid vnaquaque de re agendũ eſſet,ac ſentiendum decreto ſynodico ſtatueretur, hoc non aduerſatur ei,quod S.Paulus affirmauit,ſe iuiſſe ſecundum reuelationẽ,& motũ diuinæ inſpirationis: ſæpe,quia inſpirauerat illi, & reuelauerat Spiritus ſanctus, à quo potiſſimùm legitima Eccleſiæ Concilia congregãtur, vt iret, & Eccleſiæ Antiochenæ deſiderio ſatisfaceret,de quo alioquin poterat dubitare,cùm motæ fuiſſent illę quæſtiones à Fratribus inquietis, & mala fide, malóque animo (vt magis infrà conſtabit) defenderẽtur:nec interim poſſet Paulus de ſua, ſiue doctrina,ſiue Euangelio dubitare, quod non ab homine,ſed à Chriſto Domino didiciſſet, per tot annos prædicaſſet, & miraculis multis, & magnis confirmaſſet. Deinde, quod S.Lucas ſignificauit,iuiſſe Paulũ,& Barnabam ad publicã Synodũ; Paulus verò ipſe dicat, ſeorſim ſe cũ Apoſtolis Euangelium ſuum contuliſſe;ita conciliãtur,vt, quamuis ad publicã Synodum deferendæ fuerint publicæ agitandæ quæſtiones:tamen de Pauli probatiſſimo Euangelio non debuit in cõmuni conuentu fieri diſputatio; ſed ſatis fuit à primariis Apoſtolis ſine vlla difficultate approbari,ſeu potiùs tanquam à Chriſto Domino iam pridem approbatum agnoſci, & denunciari. Denique, quod S Paulus dixerit, ſe cum Barnaba,& aſſumpto ſecũ Tito Ieroſolymam aſcendiſſe; Lucas verò nullam Titi fecerit mentionem, id negari poteſt:quamuis enim Lucas non ita expreſsè, ſicut Paulus, Titum nominauerit;tamen cum dixerit, aſcendiſſe cum Paulo & Barnaba quoſdam alios ex aliis, ſic enim habet Latina tranſlatio, licèt Græcè, ἐξ αὐτῶν, ex ipſis, reddi poſſet, ſatis ſignificauit quoſdam alios ex ipſis iuiſſe, nempe, Titũ,qui non erat contrarię factionis, ſed cũ Paulo de cõtrouerſiis Moſaicæ legis ſentiebat. Nam, quod aliqui interpretantur, illos quoſdam alios, qui cum Paulo, & Barnaba iuerunt, fuiſſe aduerſantes, & Moſaïcas cæremonias defendentes,minus eſt veriſimile, quaſi debuerint ſecum ducere ſuos accuſatores, qui potius ſeorſim, niſi tamen fuerunt, omninò debuiſſent. Sed, etiamſi nullam Titi mentionem Lucas feciſſet, non ideò aliam eſſe hanc profectionem ſignificaſſet, cùm narret alia tam multa, quæ referri ad alia tempora non poſſunt. Nam, ſi ponantur profectiones fuiſſe diuerſæ, vtra prior fuerit, interrogabimus, an illa à ſancto

Paulo commemorata; & ita, quam narrat S. Lucas, minimè fuiſſet neceſſaria, approbato iam a Petro, Iacobo, & Ioanne, Pauli (ſicut ipſe refert) Euangelio, & compoſita controuerſia de non neceſſaria in lege euangelica, circuncisione Quare non debuiſſet Eccleſia Antiochena iterum mittere Paulum, & Barnabam in Ieruſalem ad eoſdem Apoſtolos propter quoſdam inquietos Iudaïzãtes, *Qui*, vt ait S. Lucas, *turbabant fratres, dicendo: Niſi circuncidamini ſecundùm legem Moyſi, non poteſtis ſaluari.* Quòd ſi prior fuiſſe dicatur profectio à Luca narrata, vt magis aliqui velle videntur, hoc ex ipſo S. Luca refellitur manifeſtius, dum ita narrat, Paulum, & Barnabam iuiſſe Ieroſolymam ad Petrũ, & alios Apoſtolos pro ſimilibus controuerſiis, vt Synodo abſoluta ſimul redierint Antiochiam, atque inde ſic vnus ab alio ſeparatus eſt, abeuntes ad Euangelium per diuerſas regiones prædicandum, vt nunquam ampliùs in tota reliqua vita legantur conueniſſe, nec ſe vidiſſe, nedum Ieroſolymam iterum ſimul iuiſſe. Cùm igitur argumenta pro contraria ſententia ſint parui momenti, pro noſtra verò ſint adeò conuincentia, hæc ſine ambiguitate eſt admittenda, quàm fusè tradit S. Irenæus[i], Venerabilis Beda[k], Magiſter Hiſtoriæ ſcholaſticæ[l], aliique, tum antiquiores, tum recentiores Interpretes.

i S. Iren. l 3 c. 13
k Beda in c. 15. Act.
l Magiſt. Hiſt. c. 11. in Acta Sequitur Suarez lib. 9. de leg c 10.

Potius igitur collatis Pauli & Lucæ de vna eadémque profectione narrationibus, quinam fuerint harum diſſenſionum Auctores inueſtigemus. *Quidam*, inquit S. Lucas[m], *deſcendentes de Iudæa docebant fratres: quia niſi circuncidamini ſecũdùm legem Moyſi, non poteſtis ſaluari.* Præcipuum harum ſeditionum concitatorem, ait S. Epiphanius[n], fuiſſe Cerinthum Hæreſiarcham, qui primùm in Aſia cœpit docere, circuncisionem, etiam in lege euãgelica, eſſe neceſſariam cum obſeruatione totius Moſaicæ legis, vt etiam refert in libro de hæreſibus S. Auguſtinus[o]. quare dicebat, nõ prius debere Gentiles ad Euangelium admitti, quàm fierent Iudæi. Antequam autem inciperet Cerinthus hac de re cum Paulo altercari defendente, id in lege euãgelica non eſſe neceſſarium; auſus eſt cum aliis Iudaïzantibus hic idem Hæreticus accuſare S. Petrum erroris, quòd iuſſet ad Cornelium Centurionem, virum Gentilem, & incircuncisum baptizandum, ſicut refert S. Lucas, vbi ait[p]. *Cum autem aſcendiſſet Petrus Ieroſolymam, diſceptabant aduersùs eum, qui erant ex circunciſione, dicentes: Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* Deinde turbauit Cerinthus eodem errore Fratres, qui erant Antiochiæ: *Tum ſocij ipſius*, ait S. Epiphanius, *excitauerunt in ipſis Ieroſolymis ſeditionem, quando Paulus rediit cum Tito, & hic dixit, quòd viros præputiatos ſecum adduxiſſet.* Vnde intelligimus, cur agens S. Paulus de ſua cum Barnaba profectione huius temporis Ieroſolymam, de Tito ſecum ducto expreſſam fecerit mentionem, dicens[q]: *Sed neque Titus, qui mecum erat, cum eſſet Gentilis, compulſus eſt circuncidi ſed propter ſubintroductos falſos Fratres, qui ſubintrauerũt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto* IESV, *vt nos in ſeruitutem redigerent quibus neque ad horam ceſſimus ſubiectione, vt veritas Euãgelij permaneat apud vos.* Quamuis autem illi ſeditioſi non videantur plùs à Gentibus ad Chriſti fidem accedentibus exquiſiuiſſe, quàm vt circunciderentur, dum ſicut narrat S. Lucas, dictitarent[r]: *Quia, niſi circuncidamini ſecundùm morem Moyſis,* non

m Act. c. 15 v. 1.
n S. Epiphan hæreſ 28.
o S. Auguſt. de hæreſib. hær. 8.
p Act. c. 11. v. 2. & 3.
q Gal. c. 2. v. 3. 4. 5.
r Act. c. 15. v. 1. Gal c. 5. v 3.

non poteſtis ſaluari; tamen intendebant eos obligare ad reliquas etiam Moſaïcæ legis obſeruantias, vt ad iuncta illa verba: *Secundùm morem Moyſis.* videntur innuere, & clariùs à S. Paulo ſic ad Galatas ſcribente explicatur. *Teſtificor autem rurſus omni homini circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.* Quia, nimirum, per circuncisionem, veluti per antiquæ legis Sacramentum, in militiam Iudaïcæ religionis ſe vult adſcribi. Eſt autem cum SS. Chryſoſtomo [s], Ambroſio, Hieronymo [t], & Auguſtino [u], ſingularis Apoſtoli Pauli modeſtia hic obſeruanda, & eius generoſi animi tanta ſubmiſſio, qui poſt Euangelium ſuũ non ab homine, ſed à Chriſto ſibi reuelatum, & ſeptendecim annis tãto ſucceſſu prædicatum, tot miraculis confirmatum; pro pace tamẽ Eccleſiæ Antiochenæ adeò longam ſuſcepit vſque Ieroſolymam peregrinationẽ, vt Apoſtolis, qui ibi erant, examinandam ſuam doctrinam, & Euangelium proponeret: *Ne*, inquit, *in vacuum currerem, aut cucurriſſem. Quid ais, Paule*, inquit Chryſoſtom. *qui initio nolebas conferre, neque per annos tres, peractis quatuordecim annis tum demum confers, ne fortè in vacuum curreres? At, quantò præſtiterat iſtud protinus ab initio feciſſe, quàm poſt tot annos? cur autem currebas, ſi non perſuaſum habebas, ſe non in vanum currere? Et quis tam excors eſt, vt tot annis prædicet ignorans, an rectè prædicet? Quid, quòd ipſe de te alibi dicis* [y]: *Ego ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugilem ago, non vt aërem verberans? Quod ſi curris, non in incertum: quomodo dicis, ne fortè in vanum currerem?* Tum addit Chryſoſtomus huius ambiguitatis explicationem: quia, nimirum, aliis, non ſibi quærebat Apoſtolu hac in re propter Chriſtum ſatisfacere, etiamſi illi eſſet indubitatum, & Deo inſpirante iam ſciret, quid Apoſtol , vbi ipſe ad eos Ieroſolymã perueniſſet, poſt multas diſceptationes eſſent decreturi. *Abſente Paulo*, inquit S. Hieronymus [z], *aliqui Iudæorum Ieroſolymis iactauerãt, fruſtra eum currere, aut cucurriſſe, qui putaret legem veterem non ſequendam. Non quòd Paulus timuerit, ne poſt decem & ſeptem annos falſum in Gentibus Euangelium prædicaſſet, ſed, vt oſtenderet præceſſoribus ſuis, nõ ſe in vacuum currere, aut cucurriſſe, ſicut putauerant ignorantes.* Notandum prætereà nobis proponit S. Ambroſius [a] Pauli Apoſtoli prudẽtiam in eo, quòd Barnabam ſecũ duxerit natione Iudæum, & Titum origine Gẽtilem, vt ſe non tantũ Iudæis, nec ſolis Gentilibus, ſed vtriſque fauere, & in Chriſto adhærere viuis exemplis omnibus manifeſtaret. Et ſi quod ſcandalum de eo malè acceptum habebatur, his teſtibus declarans illis ſenſum ſuum & propoſitum vniuerſæ prædicationis, omninò à ſe remoueret.

s Chryſ. in cap. 2. Epiſt. ad Galat. Ambroſ. ibid.

t Hier. ibid. & ep. 11. ad Aug. inter epiſt. S. Aug.

u S. Aug. lib. 18. contra Fauſtũ, c. 4.

y 1. Cor. cap. 9. v. 26.

z S. Hier. in cap. 2. ad Gal.

a Ambr. in cap. 2. Epiſt. ad Gal.

CAPVT II.

Paulus Antiochia, Petrus Roma, circa idem tempus diſcedentes, pro Synodo Ieroſolymis conueniunt.

PAulus cum Barnaba & Tito proficiſcens Antiochia, iter ſuum qua ratione peregerit paucis S. Lucas expoſuit dicens [b]: *Illi ergo deducti ab Eccleſia pertranſibant Phœnicem, & Samariam, narrantes conuerſionem Gentium, & faciebant gaudium magnum omnibus Fratribus.* Deducti dicuntur ab Eccleſia Antiochena, non, vt aliqui interpretantur, datis toto itinere ducibus viarum, ſiue comitibus, quod minùs videtur fuiſſe neceſſarium; ſed

b Act. c. 15. v. 3.

honoris gratia, & officio Chriſtianæ charitatis aliquot fidelium eos comitabantur extra ciuitatem: fortè etiam viatico ſuppeditato, quantùm ſufficere pro impenſis itineris videbatur. Longe intereà digreſſi, & à Syria verſus meridiem recedentes, venerunt in Phœniciam, quæ regio ferè tota maritima eſt, & ita Syriæ adiuncta, vt illius quædam pars ab aliquibus Coſmographis computetur: & propterea incolas dicunt appellatos eſſe Syrophœnices. Vrbes habet præcipuas, Tyrum, atque Sidonem, quæ, etiamſi eſſent eo tempore Gentiles, & idololatriæ, aliiſque vitiis plurimùm deditæ, ob quæ ſæpiùs ab
c *Iſai. c. 23. v. 1. 2. 3.* Iſaïa [c], Ezechiele [d], aliiſque Prophetis [e] reprehenduntur: tamen acturas
d *Ezech. c. 26. v. 2. 3. 4.* eas faciliùs pœnitentiam prædixerat Chriſtus Dominus, quàm alias ciuitates, in quibus ipſe frequenter cum
e *Amos c. 1. v. 9.* ſuis diſcipulis Euangelium prædicabat, & miracula operabatur. *Quia, ſi in Tyro, & Sidone*, dicebat Iudæis, *factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Quapropter, cùm Eccleſia Ieroſolymitana poſt Chriſti Domini paſſionem, tempore martyrij S. Stephani diſperſa, per varias regiones vagaretur, refert S. Lucas, aliquos diſcipulorum vſque in Phœniciam veniſſe, & ibi Euangelium multo cum fructu prædicaſſe. Ea igitur primùm occaſione, tum annis ſubſequentibus ob vicinitatem florẽtiſſimæ Eccleſiæ Antiochenæ plurimi ad Chriſtianam religionem acceſſerunt, quos modò Paulus, & Barnabas, inde tranſeuntes plurimùm ſolabantur, & animabant, referentes, quanta Deus operaretur ad Gentium cõuerſionem in remotioribus etiam prouinciis, quas ipſi, Deo protegente, peragrauerant, liberati à grauibus periculis, & multis adiuti miraculis.

A Phœnicia deuenerunt in Samariam, vbi magnum quoque fidelium numerum inuenerunt, qui ſimiliter à tempore martyrij ſancti Stephani, diſperſis per eam regionem fidelibus, Euangelium receperant; & quia ipſi quoque origine erant Gentiles, nempe, à Chaldæis & Aſſyriis deſcendentes, audita tot Gentilium populorum conuerſione, miraculis adeò manifeſtis per Apoſtolos, Paulum, & Barnabam, vbique confirmata, plurimùm lætabantur, & immenſæ Dei bonitati gratias pro tali benignitate cumulatiſſimas perſoluebant. Inde non multò pòſt diſcedentes, cùm itinere non longo paucorum dierum proceſſiſſent, tandem aliquando Ieruſalem aſpexerunt [h]. *Cùm autem veniſſent Ieroſolymam*, ait ſanctus Lucas, *ſuſcepti* h *Act. c. 15. v. 4.*
ſunt ab Eccleſia, & ab Apoſtolis, & Senioribus, annunciantes, quanta Deus feciſſet cum illis. Et cùm cognouiſſent, ait hac ipſa de re ſcribens ad Galatas ſanctus Paulus, *gratiam Dei, quæ data eſt mihi, & Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi, & Barnabæ, ſocietatis.* Increbuerat enim valdè fama operum, & virtutum heroïcarum S. Pauli. Barnabas quoque valdè clarus habebatur, & erat omnibus charus, neque tãtùm de Antiochena Eccleſia, ſed etiam de pluribus aliis, maximè verò de Ieroſolymitana optimè meritus. Quare, vbi primùm de aduentu amborũ fuit auditum, Iacobus, Ieroſolymorum Epiſcopus, & Ioannes Euangeliſta humaniſſima charitate obuiam progreſſi eos exceperũt: ſed maximè omnium Petrus, qui non pridem, ſiue inſtinctu, ſiue reuelatione diuina Roma Ieroſolymam aduenerat: id autem, qua ratione factum ſit, hoc loco ſequitur explicandum.

Conſtat

Conſtat ex Actorum apoſtolicorum ſacra Hiſtoria, à nulla gente Apoſtolos fidem Chriſti prædicantes vehementiùs fuiſſe impugnatos, quàm à Iudæis. Id inter omnes expertus eſt Paulus: ſed neque Petrus expers moleſtiarum fuit, qui proptereà hoc tempore Roma diſcedere coactus eſt: creſcente enim in vrbe fidelium numero, præſertim eorum, qui ab idololatria, & ſuperſtitione Gentilium ad legem euangelicam accedebant, Iudæi zelo præpoſtero Moſaïcæ legis acriter aduerſabantur, illud ſaltem obtinere volentes, quod etiam Antiochiæ, & Ieroſolymis agitabant, vt, ſi lex euangelica eſſet recipienda, cui tamen ipſorum pleríque pertinaciter obſiſtebant; ea non ſine circuncisione, & aliis antiquæ legis obſeruationibus admitteretur. Creſcentibus autem in dies altercationibus, quia verti res in tumultum videbatur, Claudius Imperator hoc anno, qui fuit imperij ſui nonus, & Chriſti Saluatoris, vt anteà dictum eſt, quinquageſimusprimus, à conuerſione verò Pauli decimusſeptimus, edictum promulgauit, vt Iudæi & Chriſtiani promiſcuè, neque enim inter horum inſtituta, religionéſque diſcrimen agnoſcebat, omnes quamprimùm ab vrbe diſcederent. Quare S. Petrus, qui primas in hoc negotio pro Euangelij, tum defenſione, tum propagatione, gerebat partes, & qui potiſſimùm à Iudaizantibus oppugnabatur, Roma, diſcedere cum omnibus aliis compulſus fuit, niſi fortè, quod non conſtat, iam inde receſſerat, vt Ieroſolymam, Deo impellẽte, veniret. Quod autem S. Leo in ſermone quodam aſſeruit [i], Apoſtolum Petrum, neque Claudio ceſſiſſe, neque Neroni; non ſic eſt accipiendum, quaſi edicto Cæſaris iubentis Roma diſcedere Iudæos, non putauerit obſequendum: ſed, quia, dum Romæ permanſit, quantumuis illi grauia minitarentur; tamen Euangelium intrepidè prædicare non deſiſtebat. Promulgatum verò huiuſmodi edictum, & executioni mandatum hoc tempore, teſtatur in ſua hiſtoria Paulus Oroſius S. Auguſtini diſcipulus, quam hiſtoriam ipſo S. Auguſtino mandante fideliter conſcripſerat, eique placuit dedicare. Quare in libro ſeptimo addita etiam Ioſephi, & Suetonij ea de re auctoritate, ſic habet [k]: *Anno eiuſdem Imperatoris nono expulſos per Claudium vrbe Iudæos, Ioſephus refert: ſed me magis Suetonius mouet, qui ait hoc modo* [l]: *Claudius Iudæos impulſore Chriſto aſſiduè tumultuantes Roma expulit. Quod, vtrùm contra Chriſtum tumultuantes Iudæos coërceri, & comprimi iuſſerit, an etiam Chriſtianos ſimul, velut cognatæ religionis homines, voluerit expelli, nequaquam diſcernitur.* Hæc Oroſius, cuius triplex teſtimonium, nempe, Ioſephi, quem adducit, Suetonij, ac ſuum, tria exigit à nobis hìc obſeruanda. Primum eſt circa Ioſephi teſtimonium, quod videtur in hac re Oroſius non magni facere: quia, cùm eſſet Ioſephus homo Iudæus, non fuit quidquam de Chriſtianorum eiectione ſollicitus, ſed tantummodò Iudæorum, vt hoc ſolùm putauerit Hiſtoria ſua dignum. Fieri tamen poteſt, vt ad edicti Cæſarei verba Ioſephus reſpexerit, in quo mentio tantùm haberetur expulſionis Iudæorum, intelligendo ſub eodem nomine etiam Chriſtianos, quos Ethnicus Imperator non diſtinguebat. Præterea, quia turbationum, & mali totius origo erant ipſi Iudæi Chriſtianis inuidentes, & iis maximè, qui à ſuperſtitione Gentilium in magno numero ad Chriſti fidem

i S. Leo ſerm. de natali Apoſtolorum.

k Oroſius lib. 7 c. 6.

l Sueton. in Claudio.

fidem conuertebantur. Refert etiam Magiſter Hiſtoriæ ſcholaſticæ [m], (qui, vnde hoc acceperit, non apparet, licèt idem ab eo plures alij retulerint [n],) ita ſe Iudæos in familiaritatem Agrippinæ vxoris Claudij Imperatoris inſinuaſſe, vt eam ad religionem,& ritus Iudaïcos inclinauerint. Quamobrem indignatū Claudium omnes Iudæos Roma expellendos curaſſe. Et quidem Agrippinā Iudæis multùm fauiſſe teſtatur Ioſephus [o] in libro Antiquitatum vigeſimo:& hoc ipſo anno imperij ſui nono Claudium accepiſſe ſibi Agrippinam in vxorem refert Cornelius Tacitus [p]. Sed, quod attinet ad ſecundum Suetonij teſtimonium, cui magis Oroſius acquieſcit, obſcura ſunt illius verba, cùm ſic ait: *Claudius Iudæos, impulſore Chreſto, aſſiduè tumultuantes Roma expulit.* Neque enim Iudæi ad huiuſmodi tumultus à Chriſto impellebantur;ſed potiùs ipſi contra Chriſtum,& Chriſtianos tumultuabantur: niſi quòd Suetonius, cùm eſſet Gentilis, & rerum noſtrarum imperitus, vnde more Gentilium Chreſtum dixit,nō Chriſtum, videtur Chriſtianos cum Iudæis confudiſſe: & quoniam occaſione inſtitutæ à Chriſto religionis, excitatæ fuerant illæ contentiones,ideò Suetonius hæc fieri,Chriſto impulſore, affirmauit: præſertim, quia,licèt à Pontio Pilato crucis ſupplicio affectus Chriſtus eſſe diceretur, tamen poſt mortem ſurrexiſſe ferebatur, & adhuc viuere prædicabatur. Addit poſt relatum Ioſephi, & Suetonij teſtimonium Oroſius pro tertio teſtimonium ſuum, dicens, inde non ſatis poſſe diſcerni, vtrùm Claudius Imperator Iudæos tumultuantes,an etiam Chriſtianos, veluti cognatæ religionis homines,voluerit coërceri, & ab vrbe expelli. Quod eſt intelligendum, ſi verba tantùm horum Hiſtoricorum attendamus: nam ſacra Lucæ Hiſtoria nullam nobis hac de re ſinit habere dubitationem: dum enim agit S. Lucas de Pauli aduentu Corinthum, narrat [q], inuentum ibi à Paulo quendam Iudæum, genere Aquilam, Pōticum, ſed fidei profeſſione Chriſtianum, qui cum vxore ſua Priſcilla nuper venerat ex Italia, *eo quod*, inquit Lucas, *præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Iudæos à Roma.* Negare igitur non poſſumus, edicto Claudij non Hebræos tantùm,ſed etiā Chriſtianos ex Hebraïſmo ſaltem cōuerſos ab vrbe fuiſſe expulſos. Accidit autem hic Pauli aduentus Corinthū, vt poſtcà ſuo loco fuſiùs oſtēdemus, anno inſequenti,qui fuit Imperatoris Claudij annus decimus. Cùm enim edictum eiectionis Iudæorum fuerit promulgatū anno ſuperiori,nec inter hoc tempus,& inter Pauli aduentum Corinthum duo anni interceſſerint, & cùm ipſe primùm eò perueniſſet, Aquilam Ponticum non pridem Roma profectum propter Claudij edictum ibi inueniſſet; manifeſtè apparet, circa hoc tempus expulſionem Iudæorum,& Chriſtianorum eſſe debuiſſe. Hac enim ratione cum Actorum Hiſtoria conſentiunt non ſolùm Ioſephus, Suetonius, & Oroſius [r]; ſed etiā Beda [s], Ado [t], Marianus Scotus [u],& hos ſecutus cum aliis multis Cardinalis Baronius [x], benè hinc refellens Hiſtoricum recentiorē Onuphrium [y] Panuinum,qui ſingularem contra omnes opinionem ſecutus, anno ſexto Claudij ponit expulſionem ex vrbe factam Iudæorum, quo tempore nondum Paulum veniſſe Corinthum, nec Aquilam, & Priſcillam Roma diſceſſiſſe, iuxta ſacram Actorum Hiſtoriam clarè deprehendimus. Idipſum à tempore celebrati

m *Magiſt. Hiſt. Act. cap.* 93.

n *Lyranus, Carthuſianus, Gagneus in c.* 18. *Act.*

o *Ioſeph. lib.* 20. *Antiq. cap.* 5.

p *Tacitus lib.* 12. *Annal.*

q *Act. c.* 18. *v.* 2.

r *locis anteà citatis.*

s *Beda lib. de ſex mundi ætatibus.*

t *Ado in Chron.*

u *Marian. lib.* 2.

x *Baron. an.* 51.

y *Onuphrius in Faſtis.*

celebrati ab Apoſtolis primi Concilij Ieroſolymitani bene confirmatur, quod hoc ipſo anno primo ſupra quinquageſimum humanæ ſalutis, & Claudij Imperatoris nono fuiſſe congregatum, opinio eſt communis. Ad illud autem in primis Petrum conueniſſe, nulla eſt dubitatio. Igitur eò quòd Roma cum cæteris Iudæis hoc tempore fuerit expulſus; niſi forte, quemadmodum Paulus diuina inſpiratione permotus ad Synodum Ieroſolymitanam profectus eſt, quamuis etiam venerit propter excitatas in Antiochena Eccleſia diſſenſiones, ita quoque Petrus adductus primùm inſtigatione diuina, deinde propter cómotas in vrbe turbas, & perſecutiones, Deo ſemper bonum aliquod ex malo eliciente, Ieroſolymam opportuniſſime ad Synodum modò celebrandam ſuperuenerit.

CAPVT III.

Quinam ex Apoſtolis, & ex aliis, interfuerint primo Concilio Ieroſolymitano.

ADfuiſſe tunc temporis ex Apoſtolis Petrum, Paulum, Barnabam, & Iacobum, Epiſcopum Ieroſolymorum, omneſque Concilio interfuiſſe, nullus relinquitur ambigendi locus: vnde hi omnes à S. Luca referuntur ſuam ſententiam circa propoſitas controuerſias in congregata Synodo expoſuiſſe. Sed de S. Ioanne Euangeliſta quæri poteſt, cùm a Luca non nominetur, & fuiſſe circa hęc tépora in Aſia exiſtimetur, vnde habeamus, ipſum Ieroſolymis nunc interueniſſe. Certum tamen nobis eſſe debet, vndecunque aduenerit, hoc tempore non abfuiſſe: nam S. Paulus in Epiſtola ad Galatas [a], Ioannem Euangeliſtam cum Petro, & Iacobo, nominat, & vt vnum ex primariis, columnã vocat: *Qui videbantur*, inquit, *columnæ eſſe*, id eſt, columina noſtrę religionis, *Petrus, Iacobus, & Ioannes, dextras dederunt mihi, & Barnabæ, ſocietatis*; hoc eſt, in ſymbolum concordiæ ſocialis dextras porrexerunt: vt ſic data, acceptáque inuicem fide, ſummum noſtrum conſenſum in doctrina, & dogmatibus alioqui cótrouerſis, oſtenderemus. Quòd ſi iam hoc tépore in Aſiam S. Ioannes erat profectus, non fuit difficile occaſione Cõcilij rediiſſe. Sed nondum Ieroſolymam ex toto deſeruiſſe faciliùs credi poteſt; ibique per hoc tempus habitaſſe vſque ad obitum Dei Genitricis, cuius curam ipſe gerebat à Chriſto Domino ſibi demandatam: poſt eius verò in cœlum Aſſumptionem, quam aliquot abhinc annis factam poſteà oſtendemus, tunc in Aſiam iuiſſe: nam eam prouinciam pro ſua parte acceperat, cùm duodecim Apoſtoli orbis terrarum regiones Chriſti fide imbuendas ſibi diſtribuiſſent. Sed de aliis Apoſtolis, qui diſperſi iam erant per varias mundi regiones, an, & qua ratione interfuerint huic Synodo, maior eſt difficultas, & ratio ferè pro vtraque parte multiplex dubitandi. Quòd enim omnes adeſſent, videtur fuiſſe conuenientiſſimum, cum Concilium deberet eſſe vniuerſale, primum in Eccleſia Dei celebratum, & de grauiſſimis circa veterem, & nouam legem controuerſiis: aderant Pſeudoapoſtoli pro lege Moyſi retinenda diſputantes, & partem aduerſam, quam S. Paulus, & Barnabas illic. nuc defendebant, omnibus machinis impugnabant. Neque Deo fuit difficile, ſicut Petrum, Paulum, & Ioannem, ita reliquos Apoſtolos inſtinctu, eu reuelatione aliqua cœleſti opportune admonitos pro tali tépore cõuocare. Si enim, vt quidam argumentantur [b],

[a] Gal. 2. v. 9.

[b] Baron. an. 51.

filij Iſraël non niſi ad imperium Dei proficiſcebantur [c], & ad imperium itidem ipſius tabernaculum figebant, & refigebant, quomodo non magis, quos diuinus Spiritus impleuerat, Spiritu eodem gubernante, iter agere, loco ſiſtere, ire, atque redire conſueuiſſe pro bono præſertim Eccleſiæ vniuerſali non exiſtimabimus? Quare in hanc ſententiam aliqui prophetiam illam Iſaïæ expoſuerunt [d]: *Illuc congregati ſunt milui alter ad alterum*; ſiue, vt alij legunt, *Illuc ceruæ occurrerunt, viderunt facies ſuas ad inuicem.* Quod Cyrillus Alexandrinus [e] de Apoſtolis intellexit in Ieruſalem ſæpè conuenientibus ad accipienda, & danda conſilia pro bono Eccleſiæ ſtatu, & gubernatione. Vnde ſequitur Iſaïas: *Requirite diligẽter in libro Domini, & legite: vnũ ex eis non defuit, alter alterum non quæſiuit: quia, quod ex ore meo procedit, ille mandauit, & Spiritus eius ipſe congregauit ea.* Sed hæc de malis congregandis, & ſuperuenturis in deſtructionem Idumææ propriè ſunt prædicta; per allegoriam verò venturis Apoſtolis ad euerſionem perfidiæ Iudaïcæ, vtcunque accommodantur. Magis facit ad præſens inſtitutum nomen ipſum commune Apoſtolorum ſæpius à S. Luca in re præſenti vſurpatum. Vt cùm ait [f], ſtatutum in Eccleſia Antiochena, vt ad Apoſtolos mitteretur in Ieruſalem ſuper hac quæſtione; tum ſubdit, conueniſſe Apoſtolos videre de verbo hoc: deinde litteræ dicuntur miſſæ nomine Apoſtolorum [g]: præterea Concilio abſoluto dicitur Paulus pertranſiuiſſe varias ciuitates, tradens illis, quę erant decreta ab Apoſtolis [h]: igitur ab omnibus, ſiue à maiori eorum parte. Quare Clemens Romanus [i] in ſexto libro Conſtitutionum apoſtolicarum expreſſe affirmat, omnes duodecim Apoſtolos ad hanc Synodum conueniſſe: ſic enim S. Petrum hac de re loquentem inducit: *Sed, quia tunc hæreſis magnas vires ad decipiendum videbatur habere, totáque Eccleſia in periculo verſabatur; nos duodecim cùm conueniſſemus Ieroſolymæ cũ Iacobo fratre Domini, deliberabamus, quid faciendum eſſet.* Abdias quoque Babylonicus agens de hoc ipſo Concilio in libro ſexto Hiſtoriæ apoſtolicæ, ait conueniſſe Apoſtolos duodecim in Ieruſalem ad diem Feſtum Paſchæ, præſidente Iacobo, & populo audiente. Quæ tamen teſtimonia, quò ſunt clariora, eò maiorem præbent hac de re dubitandi occaſionem: nam, quod Abdias affirmauit, Iacobum ibi fuiſſe præſidentem, quaſi caput eſſet totius Concilij, admitti nullo modo poteſt: quamuis enim eſſet Epiſcopus Ieroſolymitanus; tamen Petrus aderat Paſtor Eccleſiæ vniuerſalis, qui propterea, vt refert S. Lucas, primus omnium eſt locutus. Sed & Hiſtoria illa, quæ Abdiæ tribuitur, admiſta pluribus aliis rebus fabuloſis, à viris doctis meritò improbatur, nec illius Abdiæ, qui fuit tempore Apoſtolorum, eſſe cenſetur. Clementis Romani allatum teſtimonium ſimiliter non caret mendi ſuſpicione: nam, etiamſi ab aliquibus defendatur [k], mirum tamen eſt, Iacobum fratrem Domini a numero duodecim Apoſtolorum ibi eſſe exemptum. Deinde, quomodo Iacobo dempto ex numero Apoſtolorum, reliqui ponuntur eſſe duodecim? quin etiam neque vndecim manſiſſent, ſed ad ſummum decem: certum enim eſt ex Actorum ſacra Hiſtoria [l], alterum Iacobum Ioannis fratrem, iam pridem ab Herode gladio fuiſſe interemptum. Quòd ſi tres fuiſſe Iacobos in Euangelio nominatos concederimus, vt ... ris quibuſ

c Num. c. 9. v. 18.
d Lorin. in c. 15. Act. n. 2. Iſai c. 34. v. 5.
e Cyrill. in c. 34. Iſai. n. 16.
f Act. c. 15. v. 23
g ibid. c. 15. v. 23.
h ibid. c. 16. v. 4.
i Clemens l. 6. Conſt. apoſtol. cap. 12.
k à Franc. Turr. in c. 2. dict. lib. 6.
l Act. c. 12. v. 2.

quibuſdam eruditis viſum eſt, atque hunc Iacobum Ieroſolymorum Epiſcopum ex illis vnum fuiſſe, & extra numerum duodecim Apoſtolorum, remanebunt quidem duo Iacobi pro numero duodenario Apoſtolorum; ſed, quia alter è duobus, nempe, Iacobus, frater Ioannis, iam hoc tempore, vt diximus, martyrio ex hac vita deceſſerat; vndecim tantùm ex Apoſtolis huic Synodo intereſſe potuiſſent. Si verò pro duodecimo Apoſtolo S. Paulus dicatur à Clemente Romano numeratus, cur non etiam Barnabas? Vnde potiùs tredecim extitiſſent. Quare nihil certi ſtatuere poſſumus, an ex Apoſtolis, quotquot erant ſuperſtites, huic modò Concilio interfuerint, niſi tantùm adfuiſſe à S. Luca in Actis [m], & à S. Paulo in Epiſtola ad Galatas nominatos, videlicet, Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, & Barnabam. Imò verò, cùm dicat in ea Epiſtola S. Paulus, dextras ſocietatis ſibi, & Barnabæ tunc dediſſe Petrum, Iacobum, & Ioannem, nec præter hos alium quenquam nominet Apoſtolorum, à quibus, ſi interfuiſſent, vtique idem pacis ſymbolum accepiſſent: nam nullum erat ſchiſma inter Apoſtolos, vt quod prędicti feciſſent, alij facere detrectarent: facilè adducimur, vt credamus (ait Baronius [n]) prædictos tantùm nominatos Apoſtolos huic ſacro Conuentui interfuiſſe. Iam verò præter Apoſtolos, quinam alij putentur conueniſſe, S. Lucas verbis illis ſignificauit [o]: *Conuenerúntque Apoſtoli, & Seniores, videre de verbo hoc.* Per Seniores autem, Græcè, *πρεσβύτεροι*, quod nomen non tam eſt ætatis, quàm dignitatis, non Iudaïcæ, ſed Chriſtianæ, & eccleſiaſticæ, ſignificari ſolere in Actis apoſtolicis, & in Epiſtolis S. Pauli, tum Epiſcopos, tum alios Sacerdotes, alibi declarauimus [p]. Quare, ſi qui erant Epiſcopi Ieroſolymis præter Apoſtolos, eos adfuiſſe non eſt dubitandum: alios quoque remotiores, qui à Petro vocati, vel diuino inſtinctu adducti conuenire potuerunt: Sacerdotes præterea non paucos, & præſertim Ieroſolymis habitantes. Quin etiam vulgatus Interpres eodem vocabulo videtur ſignificare voluiſſe præter Apoſtolos, Epiſcopos, & ſimplices Sacerdotes, alios etiam alicuius auctoritatis fideles interueniſſe, cùm nomen hoc, *πρεσβύτεροι*, non ſicut aliàs vertit, Presbyteri; ſed dixit, Seniores. Et idipſum confirmare S. Lucas videtur inferiùs, vbi ait pro concluſione Concilij [q]: *Placuit Apoſtolis, & Senioribus, cum omni Eccleſia.* Vnde ſumpſerunt occaſionem Magdeburgenſes Centuriatores [r], & alij noſtræ tempeſtatis Hæretici affirmandi, oportere in Conciliis, præſertim œcumenicis, ex omni genere hominum intereſſe, qui eruditi ſunt, omnéſque debere eſſe Iudices, & ius habere ſuffragij deciſiui. Sed benè ex hoc ipſo Lucæ teſtimonio, vnde malè ipſi arguunt, refelluntur. Quia nulli alij dicuntur in hoc Concilio ſuam ſententiam definitiuam protuliſſe, niſi Apoſtoli, Petrus, Paulus, Barnabas, & Iacobus. Et quidem primus Apoſtolus Petrus aperuit mentem ſuam [s], cuius audita ſententia mox ſubditur: *Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Paulum, & Barnabam, &c. Et poſtquàm tacuerunt,* nimirum, Paulus, & Barnabas, *reſpondit Iacobus.* Et finita Iacobi oratione ſubiungitur: *Tunc placuit Apoſtolis, & Senioribus cum omni Eccleſia.* Igitur aperte Centuriatores Hæretici mentiuntur [u], cùm omnes in eo Concilio, quotquot aderant, ſententiam ſuam dixiſſe aſſeuerant, & ſuffragium ſuum definitiuum omnes tuliſſe: &,

m *Ibid. c. 14. v. 7. &c. Galat. c. 2. n. 9.*

n *Baron. an. 51.*

o *Act. c. 15. v. 6.*

p *lib. 4. vlt.*

q *Act. c. 15. v. 22.*

r *apud Bellar. lib. 1. de Concil. c. 15.*

s *Act. c. 15. v. 7. 12. 13. & 22.*

u *Centur. 1. lib. 2. c. 9.*

quod grauius mendacium eſt, addunt, omnium iudicio tunc eſſe definitum, hominem ſola fide, ſine operibus iuſtificari. Sed de hoc addito figmento abſurdiori poſteà ſequenti capite videbimus. Interim concedimus, omnes, qui aderant, fideles, conſenſum ſuum præſtare debuiſſe, ſaltem modeſto ſilentio, decretis Concilij aſſentiendo, non ad fidem Concilio dandam; ſed ad propriam manifeſtandam: vnde dicitur: *Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant.* Præhtereà concedimus, viris doctis, & eruditis licere illa diſcutere, quæ ſunt controuerſa, & ita in Conciliis fieri ſolere: vnde dicitur: *Cùm autem magna conquiſitio fieret.* Et inter alios dicuntur ſurrexiſſe ad diſputandum quidam, qui erant de hæreſi Phariſæorum: ſed negamus, alios, præter Apoſtolos, & Epiſcopos, tanquam Iudices adfuiſſe, vel ſuffragij ius definitiuum obtinuiſſe. Atque ita ſemper ab antiquis Eccleſiæ temporibus in Conciliis legitimè congregatis obſeruatum eſt, vt propterea in Concilio Chalcedonenſi actione prima, cùm quidam vir primarius, qui tamen non erat Epiſcopus, ad ſubſcribendum inuitaretur, ipſe ſapienter reſpōderit, non eſſe ſuum ſubſcribere, ſed Epiſcoporum. Et cùm multi, qui non erant Epiſcopi, neque Sacerdotes, vel Eccleſiaſtici, ſed laici, fuiſſent intromiſſi, Patres aliquoties clamauerunt: *Mitte foras ſuperfluos: Concilium Epiſcoporum eſt.* His ita conuenientibus, & in vnum locum congregatis, quid ſecutum fuerit, ſequenti capite exponemus.

* * *

CAPVT IV.

Petrus primus in Concilio ſententiam dicit: Iacobus autem concludens aliorum dicta poſtremus.

INitium diſquiſitionibus datum eſt ab iis, qui circuncißionem & Iudaïcas cæremonias defendebant: ſed, vtrùm hi Antiochia venerint, vt aliqui opinantur, an ab Antiochenis illis, qui cum Paulo Antiochiæ altercabantur fuerint immiſſi, ſiue per literas concitati, non ſatis ex Hiſtoria S. Lucæ definiri poteſt. Fortè etiam à ſeipſis eodem peruerſo excitati zelo, qui Ieroſolymis erant legi Moſaïcæ nimis addicti, in eandem cum Antiochenis illis opinionem inciderunt: ſic enim ait S. Lucas [a]: *Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt dicentes: Quia oportet circuncidi eos, præcipere quoque ſeruare legem Moyſi.* Hæreſis, error eorum appellatur, non quaſi tunc eſſet contra catholicam fidem, re nondum ſatis in Eccleſia declarata, aut à Concilio definita; ſed, quia illius propugnatores, licèt Chriſto nomen dediſſent, & euangelicam legem admiſiſſent, priuato tamen iudicio decepti, falſæ huic opinioni mordicùs adhærebant; præſertim, qui Phariſæi anteà vixiſſent, ac proinde ambitioſiores, & legis Moſaïcæ tenaciores, quam legem ipſi immutabilem & ęternam eſſe voluiſſent. Vrgebātur etiam inuidentia boni ſucceſſus tot Gentilium ad Chriſti fidem tanta alacritate & frequentia venientium, de quibus multa præclara Paulus, & Barnabas nunciabant, & iterum poſtea in Synodo omnibus audientibus, ac Petro mandante, cum magna Gentium commendatione retulerunt.

[a] *Act. c. 15. v. 5.*

b Act. c. 15. v. 7. tulerunt. *Cùm igitur* (inquit S. Lucas[b]) *magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri Fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meũ Gentes audire verbum Euangelij, & credere.* Hoc fuit orationis exordiũ, circa quod quinque occurrunt obſeruatione digna. Primùm agitata diu controuerſia, &, vt S. Lucas ait, magna facta conquiſitione, ante alios Apoſtolorũ Principem ad litem dirimendã ſurrexiſſe, eò quòd ſederet primo loco. Deinde, quia ab ipſo, vt credere debemus, Concilium fuerat conuocatum, cùm ita ſemper in Dei Eccleſia, & ſucceſſoribus Petri obſeruatum ſit. Tertiò, vt ſuam aperiendo ſententiam, veritatis ſtatueret fundamentum, & quaſi prima definiendæ rei poneret lineamenta, à quibus alij ſuos addendo colores non recederent. Quartò, quia Petri potiſſimùm audire ſententiam S. Paulus aduenerat, & quidem maiori ratione, quàm ante annos quatuordecim, quando, vt ipſe ſcribit ad Galatas[c], venit Ieroſolymam videre Petrum: non quaſi quid ille circa præſentes controuerſias eſſet reſponſurus, ambigeret; ſed vt auctoritate ſupremi Iudicis eccleſiaſtici, & Paſtoris vniuerſalis in quæſtione tanti momenti ſilentium litigioſis imponeret. *Paulus præco veritatis*, ait Theodoretus in epiſtola ad Leonem Pontificem, *tuba S. Spiritus ad magnum Petrum accurrit, vt iis, qui Antiochiæ de inſtitutis legis contendebant, ab ipſo afferret ſolutionem.* Quintò, Petri modeſtia eſt obſeruanda, excelſi quoque animi moderatio, & cum charitate coniuncta paſtoralis auctoritas, qualem ipſe inferioribus Eccleſiæ Paſtoribus poſtea in ſua epiſtola præſcripſit, dicens[d]: *Non vt dominantes in Clero: ſed vt forma facti gregis ex animo.* Itaque, vt primus loquatur, aſſurgit primus, ſollicitudinem præ ſe ferens aperiendæ veritatis, & vt commodiùs ab omnibus poſſet audiri. Fratres appellat adſtantes, eo nomine, quo poſteà Summi Pontifices Petri ſucceſſores, creſcente Eccleſiæ maieſtate, pro collegis tantùm Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis, atque Primatibus retinuerunt; alios verò, quamuis Reges, & Imperatores, appellare filios, non autem Fratres conſueuerunt. Reddit deinde Petrus rationem, cur loquatur primus, & ſtatuat ſententiam ſuam in ea controuerſia, tanquam fundamentum totius poſteà definiendæ veritatis: *Vos ſcitis*, ait[e], *quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere. Aderant enim fortaſſe* (inquit Chryſoſtomus[f]) *ex iis, qui vocauerant illum ad Cornelium olim, & ingreſſi fuerant cũ illo: & propterea adducit illos teſtes.* Quin etiam videtur his verbis S. Petrus, nõ ſolùm ſignificare voluiſſe diuinam illam viſionem[g], qua fuit admonitus, vt iret ad Corneliũ Centurionem, & ad alios ex eadẽ familia in fide inſtituendos; verùm etiam cum accepto Spiritu ſancto in die Pentecoſtes cœpit concionari numeroſiſſimæ multitudini collectæ Ieroſolymis ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, vt refert S. Lucas[h], ſiue, vt Eccleſiæ hymnus habet: *Ex omni gente cognitis, Græcis, Iudæis, Barbaris.* ex quibus cùm aliquot millia legem admiſerint euangelicã, valdè veriſimile eſt, non ſolũ, quod alibi diximus[i], multos ex illis fuiſſe Gẽtiles, quippe qui faciliùs, quàm Iudæi, conuertebantur; ſed etiam aliquot ex his ad Chriſtianam religionem eo tempore conuerſis modò huic Synodo interfuiſſe, quibus in teſtimonium adductis benè poterat Petrus Apoſtolus dicere: *Vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus*

c Gal. c. 1. v. 18.

d 1. ep. 1. c. 5. v. 3.

e Act. c. 15. v. 7.

f Chryſ. hom. 32. in Acta.

g Act. c. 10. v. 19.

h Act. c. 2. v. 5.

i lib 3 cap. 5.

Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere. Suſcepiſſe autem hos Gentiles euangelicam fidem, & nouæ legis Sacraméta ſine circuncitione, vel aliis Moſaïcis cæremoniis, approbauit Deus, ſibíque pergratũ eſſe miraculis ipſe frequentibus declarauit, mittens huiuſmodi credentibus donum Spiritus ſancti viſibiliter. Vnde ſubdit S. Pe-
k *Act. c. 15. v. 8. & 9.* trus [k]: *Et qui nouit corda, Deus, teſtimonium perhibuit, dans illi Spiritum ſanctum, ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum.* Quaſi dicere Petrus voluiſſet: Non debemus nos, quia Iudęi ſumus, Gentiles quoſcunque tanquam immũdos exiſtimare; nam, quod multis aliàs ſæpè narraui, cùm ad Cornelium ire aliquando detrectarem, eò quòd eſſet homo Gentilis, audiui oraculo
l *ibid. c. 10. v. 15.* diuino mihi dictum [l]: *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Purificari autem corda Gentilium per fidē, ſicut etiam aliorum credentium, ideò dixit S. Petrus, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix iuſtificationis, vt loquitur Con-
m *Trid. ſeſſ. 6. can. 8.* cilium Tridentinum [m], à qua proinde radice nequaquam ſeiungi debet firmus truncus charitatis, rami virtutum, & fructus ſanctarum operationum. Quia, inquit ad Galatas S. Pau-
n *Gal. c. 5. v. 6.* lus [n], *fides per dilectionem operatur.* Ideò ſcribit ad Theſſalonicenſes [o],
o *Theſſ. c. 1. v. 11.* orare ſe, vt Deus in illis impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute.

Quare non eſt, quòd Sectarij huius temporis de ſua fide quaſi ſola purificante, & iuſtificante, ſine bonis operibus hoc loco glorientur: nam, præterquàm quòd etiam rectam fidem ipſi per hæreſim perdiderunt, quando adhuc eam bene retinerent, ſine bonis operibus mortua eſſet, ſicut ait, & ter repetit in eadem Epiſtola S. Iacobus [p]. Imò addit, huiuſmodi fidem ſimilem eſſe fidei Dæmoniorum, dicens: *Tu credis, & benè facis, etiam Dæmones credunt, & contremiſcunt.* p *Ep. Iacobi c. 2. v. 17. 20. & 26.*
Quin etiam dici meritò poteſt hæc fides Hæreticorũ peior quodammodo, quàm ſit fides Dęmoniorum: nam Dæmonum fidęs non habet tales errores in intellectu, quales inuoluit perfidia Hæreticorum, qui propterea inani ſua fiducia, & falſa credulitate non ſolùm nihil purificantur in conſcientia; ſed ea maximè inquinantur: vt, etiamſi omnia bona opera obtinerent, hac ſola hæretica fide rei conſtituerentur æternæ damnationis. Quid igitur ſperare de ſua ſalute poſſunt ſine bonis operibus, cum tali fide, ſiue potiùs hæretica perfidia?

Hæc ſanctus Petrus vbi dixiſſet de vera Chriſti fide per charitatem operante, & ad euangelicæ legis obſeruantiam inducente, ſine vlteriori obligatione circuncitionis, & aliarum cæremoniarum Moſaïcæ legis, rem magis exponens ſic adiecit [q]: *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam* I E S V *Chriſti credimus ſaluari, ſicut & illi.* q *Act. c. 15. v. 10. & 11.*
Atque ita ſuam clauſit Petrus Apoſtolus orationem, tria in hac vltima clauſula ſignificando. Primum, abrogatam eſſe Moſaïcam legem per euangelicam; quod multis poſteà oſtendit ſanctus Paulus ad Romanos ſcribens: vnde concludendo ſic ait [r]: *Non ergo ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* & infrà [s]: *Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ.* & iterum infrà [t]: *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto* I E S V *liberauit me à lege peccati, & mortis.* Quare in
r *Rom. c. 6. v. 14.*
s *ibid. c. 7. v. 6.*
t *ibid. c. 8. v. 2.*

in Epiſtola, quam Galatis ſcripſit ad perſuadendam hanc eandem veritatem, ait ſe nullo modo permittere voluiſſe, vt Titus, quem ſecum adduxerat ad Concilium, circuncidere-tur [u]: *Sed propter introductos* (inquit) *falſos Fratres, qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto* I E S V, *vt nos in ſeruitutem redigerent. Quibus neque ad horam ceſſimus ſubiectione, vt veritas Euangelij permaneat.* Addit prætereà S. Petrus huius abrogationis conuenientem rationem: quia iugum Moſaïcæ legis erat grauiſſimum, vt importabile quodammodo videretur, vnde vocatur à S. Auguſtino [y], ſarcina innumerabilium obſeruationum; & quidam Rabbi Moyſes [z] ponit affirmatiua illius legis præcepta eſſe ducenta & octodecim, iuxta numerum membrorum humani corporis; negatiua trecenta ſexagintaquinque, iuxta numerum dierum anni. Cùm tamen de lege euangelica Chriſtus dicat [a]: *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* & S. Ioannes [b]: *Mandata* (inquit) *eius grauia non ſunt.* contenta enim eſt lex noua, vt S. Thomas obſeruauit [c], præceptis tantùm moralibus legis naturalis, fidei articulis, & gratiæ Sacramentis: &, quod alij adnotarunt [d], loquendo de iure diuino poſitiuo, nullum habet euãgelica lex præceptum negatiuum, ſiquidem præcepta Sacramentorum omnia propriè ſunt affirmatiua. Addit pro tertio S. Petrus, ſperandum per gratiam Domini noſtri I E S V Chriſti, obſeruatores euangelicæ legis, quæ lex gratiæ meritò appellatur, ſalutem non minùs, quàm ſanctos Patriarchas, & iuſtos antiquæ legis eſſe conſecuturos.

u *Gal. c. 2. v. 4.*

y *S. Aug. ſerm. 9. de verbis Domini.*

z *Rabbi Moyſes lib. 3. Doctoris dub. c. 6.*

a *Matth. c. 11. v. 30.*

b *Ioan. ep. 1. c. 5. v. 3.*

c *S. Th. quodlib. 4. a. 13.*

d *Victoria in relect. de Matrim. 2. p. n. 4. Suarez lib. 10. de leg. c. 3. §. 20.*

His à S. Petro dictis, *Tacuit* (inquit S. Lucas) *omnis multitudo, & audiebat Paulum, & Barnabam, narrantes, quãta Deus feciſſet ſigna & prodigia per eos.* Quo ſilentio conſenſus vniuerſæ multitudinis, & quantæ Petrus apud omnes eſſet auctoritatis non obſcurè ſignificabatur: vnde breui hac ipſius oratione ita ſeditioſorum & tumultuantium altercatio conquieuit, vt nullus poſteà quidquam obiicere in contrarium auſus ſit. Poſt hęc, Paulũ, & Barnabam à Petro inuitatos fuiſſe ad loquendum, valdè eſt veriſimile: nam alioquin, ante Iacobum, Ieroſolymorum Epiſcopum, haud fuiſſent locuti. Sed voluit Petrus id, quod ipſe de non adigendis Gentilibus ad Moſaïcas obſeruantias præmonuerat, teſtes oculati confirmarent ſignis & miraculis enarratis, quibus Deus Gentium conuerſionem ſine his cæremoniis approbauerat. Quapropter abſoluta Petri concione, cùm vniuerſa multitudo conticuiſſet, *Audiebant* (inquit S. Lucas [f]) *Barnabam, & Paulum narrantes, quanta Deus feciſſet ſigna & prodigia in Gentibus per eos.*

His auditis, ſuam ſententiam S. Iacobus poſtremus expoſuit, ea, quæ S. Petrus, & alij Apoſtoli dixerant, valdè approbans, atque confirmans. Et quia nitebatur Petri Apoſtoli ratiocinatio reuelatione ſibi facta de Cornelij, & aliarum Gentium conuerſione; Paulus verò, & Barnabas eandem conuerſionem approbatã diuinis miraculis oſtendebant; S. Iacobus arguit, quod reliquum erat, ab oraculis Prophetarum. Adducit itaque teſtimonium Amos de Gentium conuerſione prophetantis ſub figura deſtructi tabernaculi, & in meliori forma iterum conſtruendi, coaleſcentibus in vnũ myſticũ Eccleſiæ Chriſti ædificium populis Gentilibus cũ Iudæis. Ergo inquit S. Iacobus [g]: *Viri Fratres, audite me. Simon narrauit, quemadmodum primùm Deus viſitauit ſumere ex Gentibus populum nomini ſuo:*

f *Act. c. 15. v. 12.*

g *Act. c. 15. v. 14.*

GG 3 &

& huic concordant verba Propheta-
b Amos *rum,ſicut ſcriptum eſt* [h]*: Poſt hæc reuer-*
c.9.v.11. *tar, & reædificabo tabernaculum Dauid, quod decidit, & diruta eius reædificabo, & erigam illud: vt requirant cæteri hominum Dominum, & omnes Gentes, ſuper quas inuocatum eſt nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. Notum eſt à ſæculo Dominus opus ſuum.* Hæc in ſuam ſententiam retulit, & interpretatus eſt S. Iacobus, approbantibus Petro, & Paulo, cum toto Concilio Ieroſolymitano ex Amos prophetia, quam exponens S. Hiero-
i S. Hieron. in c. 9. Amos. nymus ſic ait[i]: *Vbi Apoſtolorum Petri, & Iacobi præcedit auctoritas, quos columnas Eccleſiæ Vas electionis vocat* [k],
k Gal. c. 2.v.9. *ibi omnis variæ explanationis tollenda ſuſpicio eſt, & quod à tantis viris exponitur, ſequendum.* Concludit poſteà S.
l Act. c. Iacobus ſuam ſentētiam his verbis [l]:
15.v.19. *Propter quod ego iudico non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum; ſed ſcribere ad eos, vt abſtineant ſe à contaminationibus ſimulacrorum, & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine. Moyſes enim à temporibus antiquis habet in ſingulis ciuitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne Sabbathum legitur.* Voluit autem extremis hiſce verbis S. Iacobus reddere rationem, cur aliquid Gentilibus eſſet iniungendum commune Iudæis: ne, videlicet, lex Moyſis, quæ adhuc in Synagogis Iudæorum per omnia Sabbatha ſolemni ritu legebatur, contemni prorſus videretur, atque ita Iudæos ſibi cōciliare, & beneuolos conſeruare, quorū ipſe, cùm eſſet Ieroſolymorū Epiſcopus, maximā debuit habere rationē.

Neque tamen exiſtimare debemus, quia cenſuit S. Iacobus, non eſſe de cætero Gentiles inquietandos ad Euangelium accedentes, nec aliud onus illis imponendum, niſi vt ab illis quatuor abſtinerent, nempe, à fornicatione, idolothytis, ſanguine, & ſuffocato, propterea in reliquis delinquendi laxatā eis eſſe licentiam: ſed, quia, vt notauit Origenes [m], cætera m Orig.
crimina tanquam per ſe notiora, & lib. 9. in
humanis legibus prohibita, pœnis Ep. ad
quoque inflictis repreſſa non indige- Rom. c.
bāt huiuſmodi cautione. At fornica- 13.
tio, quāuis lege diuina Iudæis prohibita per Moyſem haberetur; tamen apud Gētiles pro peccato nō habebatur. Comedere quoque carnes idolis ſacrificatas, quas vocat S. Iacobus cōtaminationes ſimulacrorū, valdè Iudæos offendebat. Quare, etiamſi tanquam res per ſe indifferentes hæc accipi ſine culpa ſuperſtitionis potuiſſent, præſertim in defectu aliorum ciborum; tamen quia Iudæi non pridem conuerſi ſcandalum inde patiebantur, prohibendum eſſe pro tempore Apoſtoli iudicarunt, ſaltē in iis regionibus, vbi Gētiles Baptiſmo ſuſcepto, non ſolùm inter idololatras Chriſtianam religionem profitebantur, verùm etiam intra multitudinem Iudæorum, hinc arguentium tales nondum ſatis ab idolorum cultu receſſiſſe, aut ad eandem ſuperſtitionē inueterata conſuetudine reuocatos. Hæc autem ſcandala in Syria potiſſimùm, & Cilicia timebantur; ideò ad has maximè prouincias epiſtola de hac materia decretalis à Concilio miſſa eſt, Paulo, & Barnaba deferentibus. Et quidem decretum prohibens vniuerſaliter comedere idolothyta, ius nouum poſitiuū debuit continere: vt verò cauebat his veſci cum ſcandalo, aut ſuperſtitione, non erat niſi declaratio quædam, ſeu maior expreſſio iuris naturalis: in quam ſententiam ſic ad Corinthios poſteà ſcripſit Apoſtolus [n]: n 1 Co-
Quæ immolant Gentes, Dæmoniis im- rinth.c.
molant, & non Deo. Nolo autem vos ſo- 10 v.20.
cios fieri Dæmoniorum. Non poteſtis

calicem

calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum. Tertium, quod cenſuit S. Iacobus nouis ex Gentibus Chriſtianis eſſe iniungendum, fuit, ne ſanguine vllius animantis veſcerentur: ab hoc enim Hebræi valdè abhorrebant propter Dei mandatum antiquiſſimum adhuc à diebus Noë traditum poſt diluuium, quando primùm facta eſt hominibus poteſtas [o], vt carnibus mundorum animantium veſcerentur; non tamen eorum ſanguine vllo modo. Quod præceptum aliquoties poſteà ſub Moyſe in Leuitico legitur renouatum, addito etiam delinquentibus ſupplicio capitali, cùm dicitur [p]: *Sanguinem omnis animalis non ſumetis in cibo, tam de auibus, quàm de pecoribus: omnis anima, quæ ederit ſanguinem, peribit de populis ſuis.* Et iterum poſteà [q]: *Homo quilibet de domo Iſrael, & de aduenis, qui peregrinantur inter vos, ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo.* Et adhuc inferiùs [r]: *Dixi filiis Iſrael*, ait Dominus: *Sanguinem vniuerſæ carnis non comedetis, quia anima carnis in ſanguine eſt; & quicunque comederit illum, interibit.* Quibus verbis congruæ rationes huius prohibitionis inſinuantur, cùm dicitur: *Quia anima carnis in ſanguine eſt*; nempe, quia vita animalis calido & humido potiſſimùm continetur, vnde ſanguis eſt vltimum vitæ alimentum, & maximè neceſſarium illius fomentum. Igitur ad crudelitatem deteſtãdam in effuſione ſanguinis, & ad homicidium auerſandum, iuſſit Deus à ſanguine cuiuſuis animantis abſtinere. Deinde etiam ad fugiendam idololatriam: ſolebant enim idololatræ circa victimas congregari, & eorũ ſanguinem in cultum ſuorũ Deorũ ebibere. Addit tertiã huius rei rationẽ diſputans de hac prohibitione veteris legis S. Thomas [s]; nẽpe, vt ſanguis ſoli Deo ſeruaretur tanquã vitę auctori, & cõſeruatori; ideò volebat in ſacrificiis effundi, & ita ſibi offerri. Pręterea quoque ob reuerentiam Sanguinis Chriſti effundendi, & in pretium noſtræ redemptionis Deo offerendi. Addunt alij: quia ſanguis animaliũ obeſſe valetudini exiſtimatur: quod tamen eſt parui momenti; & Græci, qui hoc tempore adhuc ab eſu ſanguinis dicuntur abſtinere, ſi id faciant ex eo, quòd abhorreant naturaliter à tali cibo, vtcunque poterũt excuſari; ſed, ſi putẽt, antiqua ſe lege Iudæorum obligari, non carent errore, & ſuperſtitione: iam enim huius retinendæ obſeruãtiæ rationes, quas pro primis Eccleſiæ temporibus Apoſtoli conſiderabant, omninò ceſſauerũt.

Similes ob cauſas quartum præceptum cenſuit S. Iacobus imponendum Gentilibus ad Eccleſiam eo tempore aggregatis, vt abſtinerent prorſus à ſuffocatis; hoc eſt, à carnibus animaliũ, quorum anteà ſanguis non fuiſſet effuſus: Iudæis enim edere morticina, aut occiſas beſtias ab aliis beſtiis, aut laqueo ſtrangulatas, à Deo per Moyſem fuerat interdictum [u]. *Quia* (inquit S. Thomas [y]) *in tali morte animalia multum affliguntur: & voluit Deus illos à crudelitate prohibere, etiam circa bruta animalia, vt per hoc magis recederent à crudelitate hominis, habentes exercitium pietatis etiam erga beſtias.* Aliam addit Origenes rationem [z]: *Nam ſuffocata* (inquit) *fuerunt ſanguine non expreſſo de mortuo, quem, quia Dæmonũ eſſe cibum, vigebat opinio inter Gentiles, adeò vt ex eius nidore paſci Dæmonia crederentur; propterea fuère prohibita, ne illorum cibo Iudæi nutrirentur,*

[o] Gen. c. 9. v. 4.
[p] Leuit. cap. 7. v. 26.
[q] ibid. c. 17. v. 10.
[r] ibid. c. 17. v. 17.
[s] 1. 2. q. 102. a. 3. ad 8. & a. 6. ad 1.
[u] Leuit. c. 17. v. 15.
[y] S. Th. 1. 2. q. 102. a. 6. ad 1.
[z] Orig. lib. 8. contra Celſum.

quaſi huiuſmodi Spiritus cum illis colerentur, dum veſcerentur ſuffocatis. Quãuis autem illa Gentilium ſuperſtitio de cibo Dæmonum, opinioni vaniſſimæ niteretur; tamen cauenda eo tempore ſuffocata, veluti quædam ſymbola idololatriæ, Apoſtoli optimo conſilio decreuerunt. Qua de re diſſerentem S. Auguſtinum contra Fauſtum Manichæũ præſtat audire [a]: *Nam* (inquit) *elegiſſe Apoſtoli mihi videntur pro tempore rem facilem, & nequaquam obſeruãtibus oneroſam, in qua cum Iſraelitis etiam Gentes, propter angularem illum lapidem duos parietes in ſe condentem, aliquid communiter obſeruarent: ſimul & admonerentur, in ipſa arca Noë, quando Deus hoc iuſſit, Eccleſiam omnium Gentium à Deo fuiſſe præfiguratam, cuius facti prophetia, iam Gentibus ad fidem accedentibus, incipiebat impleri. Tranſacto verò illo tempore, quo illi duo parietes vnus ex circumciſione, alter ex præputio venientes, quamuis in angulari lapide concordarent, tamen ſuis quibuſdam proprietatibus diſtinctiùs eminebant; & vbi Eccleſia Gentium talis effecta eſt, vt in ea nullus Iſraëlita carnis appareat, quis iam hoc Chriſtianus obſeruet, vt turdos, vel minutiores auiculas non attingat, niſi quarum ſanguis effuſus eſt? aut leporem non edat, ſi manu à ceruice percuſſus, nullo cruento vulnere occiſus eſt? Et qui, fortè pauci, tangere iſta formidant, à cæteris irridentur.* Hęc S. Auguſtinus, ſignificans adhuc ſuo tempore veſtigia quædam huius obſeruationis apud aliquos extitiſſe: quin etiam antiqua nonnulla Concilia, non quidem œcumenica, ſed prouincialia [b], prohibitiones illas de ſanguine, & ſuffocatis non edendis, innouarunt; eas tamen poſteà vniuerſa Eccleſia occidentalis meritò antiquauit, ceſſantibus omnibus rationibus, ob quas fuerant olim ab Apoſtolis impoſitæ; nempe, ad Iudæos tunc vniendos cum Gentibus in Eccleſia Chriſti, & ad euitandam omnem ſuſpicionem rituum idololatriæ. Sed iam ſublata eſt idololatria, & ſcandalum Iudæorum, veritas quoque doctrinæ euangelicæ inclaruit, in qua dicitur [c]: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* & [d], *omnis creatura Dei bona eſt, nihilque reiiciendum, quod cum gratiarũ actione percipitur.* Quin etiam ipſi Rabbini Iudæorum [e], verba illa Pſalmi explicantes [f]: *Dominus ſoluit compeditos.* futurum dicunt in aduentu Meſſiæ, vt nullum animal immundum habeatur, & de omni ciborum genere liceat manducare.

a S. Aug. l. 32. cõtra Fauſtũ, c. 13.

b Concil. Arelat. 2. c. 20. Vuormas cap. 65. Leo Imp. conſt. 58.

c Matth. c. 15. v. 11.

d 1. Tim. c. 4. v. 4.

e Rabbini in Midras Tocillim.

f Pſ. 145. v. 8.

CAPVT V.

Mittuntur per Paulum, & Barnabam, ad Eccleſias literæ ſynodales, quas hoſtes Catholicæ Eccleſiæ Heretici peruerſiſsimè interpretantur.

POſteaquàm S. Iacobus ſuam expoſuit ſententiam, Petri ſẽtẽtiæ conſentaneã, & quęcunque ab Apoſtolis, Paulo, & Barnaba, fuêre propoſita Synodus approbauit, quid à toto Cõcilio ſtatutũ ſit refert S Lucas his verbis [a]: *Tunc placuit Apoſtolis, & Senioribus, cũ omni Eccleſia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiã cũ Paulo, & Barnaba, Iuda, qui cognominatus eſt Barſabas, & Silã viros primos in Fratribus, ſcribentes per manus eorũ.* Optimum ſanè conſilium ad omnem doli ſuſpicionem procul abigendam, quæ ſuboriri Iudaïzantibus Antiochenis potuiſſet, ſi ea contra ipſos Ieroſolymis nunc decreta, ore tantùm à Paulo & Barnaba relata fuiſſent: quippe qui non pridem Antiochia diſceſſerant præiudicata opinione, contra illos

a Act. c. 15. v. 22.

illos decretum Ieroſolymis procuraturi. Additi quoque ſunt alij duo ſocij fideliſſimi,& multę apud illos primos Chriſtianos auctoritatis, Iudas, & Silas. Videtur autem Iudas is fuiſſe,qui,ſicut alibi retulimus [b], primus in ſua domo Paulum Chriſti viſione obcæcatum Damaſci exceperat, ad quem miſſus eſt Ananias, dicente illi Domino [c]: *Anania,vade, quære in domo Iuda Saulum.* Silas verò multarum poſteà peregrinationum comes Paulo fuit, & cum ipſo aliquando in eodem carcere incluſus, atque inde (quod ſuo loco referemus) diuinitùs liberatus;eundemque fuiſſe S.Hieronymus arbitratur cum Siluano, qui ponitur in inſcriptione duarum ad Theſſalonicenſes Epiſtolarum. *Sciendum*,inquit S.Hieronymus ad Damaſum ſcribens [d], *Silam, Collegam Pauli, lingua Hebrea Apoſtolum dici, qui cum eo nonnullas epiſtolas ſcribit, & vitiosè Siluanus pro Sila legitur,cùm Siluanum in Apoſtolorum Actis non legamus.* Hæc S.Hieronymus. Sed neque de nominis variata inflexione mirari debemus: nam ex Hebræo nomine Silas, Græci,& Latini,vt aliàs ſolent, formarunt ſibi notius vocabulum, Siluanus, tàquam magis Latinum,ac Romanum. Quare fallitur Dorotheus in Synopſi hos duos inter ſe diſtinguens, & Silam Corinthiorum, Siluanum autem Theſſalonicenſium ponens Epiſcopum: quod etiam in ſuo Menologio indicant Græci [e], & ex his decepti aliqui Latini [f]. Sed nos ita legimus in Romano Martyrologio [g]: *In Macedonia B.Sila, qui cùm eſſet de primis Fratribus,& ab Apoſtolis ad Eccleſias Gentium vna cum Paulo, & Barnaba deſtinatus, prædicationis officium gratia Dei plenus inſtanter conſummauit,atque in paſſionibus ſuis Deũ clarificans poſtmodum requieuit.* His igitur duobus comitibus, Paulo, & Barnabæ à Concilio adiunctis,epiſtola decretalis Antiochiam deferenda, & aliis communicanda prouinciis tradita eſt,in hæc verba: *Apoſtoli, & Seniores Fratres, his, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ Fratribus ex Gentibus, Salutem. Quoniam audiuimus,quia quidam ex vobis exeuntes turbauerunt vos verbis, euertentes animas veſtras,quibus non mandauimus:placuit nobis collectis in vnum, eligere viros,& mittere ad vos, cum chariſſimis noſtris, Barnaba, & Paulo,hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri* IESV *Chriſti. Miſimus ergo Iudam, & Silam, qui & ipſi vobis verbis referunt eadem. Viſum eſt enim Spiritui ſancto,& nobis,nihil vltrà imponere vobis oneris,quàm hæc neceſſaria. Vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorũ,& ſanguine,& ſuffocato,& fornicatione. A quibus cuſtodientes vos,benè agetis. Valete. Vide*(inquit Chryſoſtomus [h]) *breuem epiſtolam nihil abundàns habere;neque epicheremata, neque ſyllogiſmos; ſed imperium:erat enim legiſlatio Spiritus.*

Quanta verò abſurditate Sectatij noſtri temporis hęc decreta interpretentur,quãtumuis in primo Eccleſiæ Concilio ab ipſo Apoſtolorum Principe, & aliis Apoſtolis adhuc viuentibus dictante Spiritu ſancto confecta,nec diſſimulari hoc loco poſſunt, nec ſine horrore audiri. Auſus eſt in quadam concione Lutherus aſſerere, erraſſe Apoſtolos,eò quòd ſenſerint, legem Dei, & opera eſſe neceſſaria ad ſalutem. Itaque ſanctum illud in frõte harum epiſtolarum pronunciatum: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Luthero mendacium eſt, atque deceptio. Et quaſi parua hæc eſſet blaſphemia, addit in ſuo de capriuitate Babylonica infami libello, alia ſimiliter Concilia, præſertim Conſtantienſe, ſæpiùs erraſſe. Magis adhuc

b lib. 1. c. 3.
c Act. c. 9. v. 11.
d S Hier. ep. 143. ad Damaſum.
e Menolog. 1. Calendas Auguſti.
f Petrus de Nat. lib. 6. c. 94. Feuardent. in 1. Ep. Petri c. 5.
g Martyr die 13. Iulij.
h hom. 33. in Acta.

huc veteratoriè Caluinus in ſuo ſuper Acta Apoſtolorum Commentario[i], intentionem ait Apoſtolorum non fuiſſe obligare tali decreto quẽquam in conſcientia, imò neque id facere illos potuiſſe, propterea quòd poteſtas legiſlatiua obligans in conſcientia nõ ſit niſi in Deo. Qua in hęreſi cũ Luthero cõſentit, & adducunt pro illa Iſaïæ teſtimoniũ, dicẽtis[k]: *Dominus Iudex noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter.* Quaſi verò, quia Deus eſt Rex Regũ, & Legiſlator ſupremus, alij non poſſint eſſe ſub illo Reges, Legiſlatores, ac Iudices inferiores. Et tamẽ ipſe de ſe propterea dicit in ſacris Prouerbiis[l]: *Per me Reges regnant, & legũ conditores iuſta decernunt: per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.* Quòd autem huiuſmodi leges, præſertim eccleſiaſticę, & apoſtolicæ ſubditorum obligent conſcientias, clariſſimè docuit in Euangelio non ſemel Chriſtus Dominus: ſic enim ibi Apoſtolos & eorũ ſucceſſores alloquitur[m]: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* & iterũ alibi[n]: *Si Eccleſiam nõ audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Quare S. Paulus, cũ peracto præſenti Concilio Ieroſolymis, diſceſſiſſet, & varias ciuitates cum Sila pertranſiret, *fidelibus*, ait S. Lucas[o], *tradebat cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & Senioribus, qui erant Ieroſolymis.* Et ſcribens idem Apoſtolus hac de re ad Theſſalonicenſes[p]: *Sitis* (inquit) *quæ præcepta dederim vobis, per Dominum* IESVM. *Itaque, qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum.* Et tamen adhuc eò dementiæ Caluinus, & Lutherus progreſſi ſunt, vt non ſolùm liberos faciant Chriſtianos ab omni obligatione legum humanarum; ſed etiam diuinarum, ac Decalogi totius, quem dicunt fuiſſe ſolum à Deo latum pro Iudæis. Illud intereà pro colore aliquo tam tetri erroris adducentes, quod ſcribens ad Galatas ait Apoſtolus[q]: *Non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ: qua libertate Chriſtus nos liberauit.* Et ad idem etiam detorquent verba S. Petri in hoc Concilio dicentis[r]: *Quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum?* & S. Iacobi, cùm ait: *Ego iudico non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum.* & Concilij totius ita decernentis: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris.* Nec aduertunt cęci, & duces cęcorum, Petrum, Paulum, Iacobum, totúmque Concilium, imò etiam inquietos illos Phariſęos, & Corinthianos, nullam prorſus mouiſſe dubitationem de obſeruantia legis naturalis, moralium præceptorum, ſiue Decalogi; ſed tantũ de circunciſione, & Moſaïcis cæremoniis, quas Deus vni tantùm populo Hebræorum, & ad certum tempus impoſuerat; hoc eſt, vſque ad legem euangelicam, ad figurandum in pleriſque venturum Meſſiam. Propterea Concilium declarauit, non obligari ampliùs homines talibus cæremoniis, præſertim Gentiles, qui nũquam ſub lege Moyſis vixiſſent, ideò ſatis fore pro illis legem euangelicam, cùm etiã ſufficiat pro Iudæis. Includi autem in lege euangelica præcepta Decalogi, apertiſſimum eſt: nam propterea Chriſtus Dominus in primo ſuo ſermone, quem habuit, Apoſtolis præſentibus, & multitudine frequentiſſima ſuper montem, dicebat[s]: *Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, & Prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere.* tum, quanta perfectione ſeruari deberent præcepta de cauendo homicidio, fornicatione, periurio, furto, odio inimicorum exactiſſime declarauit. Deinde quærenti viro Principi, qui hæc forte

i Calu. in c. 15. Act.
k Iſai. c. 33. v. 22.
l Prou. c. 8. v. 16.
m Luce c. 10. v. 16.
n Matth. c. 18. v. 17.
o Act. c. 17. v. 4.
p 1. Theſ. c. 5. v. 2.
q Galat. c. 4. v. 31.
r Act. c. 15. v. 10. & 19.
s Matth. c. 5. v. 17.

u Matth. c. 19. v. 16. Marci c. 10. v. 17. Lucæ c. 18. v. 16.

fortè non audiuerat [u]: *Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* reſpondit Chriſtus: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Et iterũ interroganti, quæ eſſent hæc mandata, Chriſtus Dominus ait: *Non homicidium facies: non adulterabis: non facies furtum: non falſum teſtimonium dices: honora patrem tuum*, &c. *Et quis eſt ita impius*, inquit S. Auguſtinus [t], *vt dicat, ſe propterea legem non ſeruare, quòd Chriſtianus ſit, non ſub lege, ſed ſub gratia?* Et tamen ita impius eſt Lutherus, vt in ſuo libro de libertate Chriſtiana ſic dicat: *Chriſtiano, neque opera, neque lex neceſſaria eſt: quia per fidem liber eſt ab omni lege.* At non ſic Apoſtolus Paulus, qui tertio capite Epiſtolæ ad Romanos, cùm multa in commendationem fidei Chriſtianæ dixiſſet, ita concludit: *Legem ergo deſtruimus per fidem? abſit: ſed legem ſtatuimus.* Vt meritò S. Auguſtinus in libro de fide, & operibus [y], affirmauerit, extremum Iudicium vniuerſale ad hunc errorem præ cæteris condemnandum eſſe futurum. *Nam, ſi*, inquit, *mandatis non ſeruatis ad vitam veniri poteſt per ſolam fidem, quæ ſine operibus mortua eſt; quomodo verum erit, quod eis, quos ad ſiniſtram poſiturus eſt, dicet: Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius? nec increpat, quia non crediderunt; ſed, quia bona opera non fecerunt. Nam profectò, ne ſibi quiſquam de fide, quæ ſine operibus mortua eſt, promittat æternam vitam; propterea omnes Gentes congregaturum ſe dixit.* Hæc S. Auguſtinus.

t S. Aug. lib. 3. cõtra ep. Pelag. c. 4.

y S. Aug. lib. de fide, & operib. c. 15.

Sed neque ſatis habuit Caluinus de præſenti apoſtolico decreto tanta prauitate, ac impietate cum Luthero ſentire; conatus eſt etiam Petri ſupremam auctoritatem in Concilio, atque adeò in tota Chriſti Eccleſia labefactare, Iacobum Apoſtolum ei anteponendo, non vt illi tanquam Epiſcopo Ieroſolymorum quidquam deferret; ſed, vt quantùm poſſet, Petro Chriſti vicario, eiúſque ſucceſſoribus detraheret. Itaque negat Caluinus [z], S. Petrum in hac Synodo Ieroſolymis tenuiſſe primum locum, eò quòd primas inter omnes habuiſſe partes Iacobus videatur, cùm poſtremus ſuam ſententiam dixerit: Validum, ſcilicet, argumentũ, quod ipſemet infirmauit, dum confirmare nitebatur, in ſuis ſuper Acta Apoſtolorum Commentariis, ita ſcribens [a]: *Epiſcopus Ieroſolymis fuerit Iacobus, néc ne, in medio relinquimus, neque ad rẽ magnoperè facit; niſi quòd hinc clarè refellitur Papæ impudentia, quòd ex Iacobi potiùs, quã Petri auctoritate Cõcilij decretum ſumitur.* At profectò mẽdacium, & calumniam ſuam minùs inueriſimilem Caluinus reddidiſſet, ſi Iacobum, Epiſcopum Ieroſolymorum extitiſſe, vt omninò concedere debuit, fateri voluiſſet: ſed callidus eo mendacio viam ſibi ſternere ad aliud mendacium cogitabat. Itaque, cùm apud antiquos facile eſſet inuenire, Iacobum Apoſtolum fuiſſe à Petro conſtitutum Epiſcopum Ieroſolymorum; nam, vt alios omittam, ſic ait Chryſoſtomus [b]: *Si quis à me percontetur, quomodo Iacobus Sedem Ieroſolymitanam accepit? reſponderem ego, Hunc totius Orbis Magiſtrum præpoſuiſſe Petrum.* His poſthabitis, notauit Caluinus alicubi in Euſebij eccleſiaſtica hiſtoria pro eo, quod alibi rectè legitur, tam Latinè, quàm Græcè, Iacobum fuiſſe Epiſcopum Ieroſolymorum, legi, deprauato, ſcilicet, contextu, Epiſcopum Apoſtolorum; & inde putauit ſe triumphare. *Nam* (inquit [c]) *certè Euſebius initio ſecundi libri, Iacobum, quiſquis ille tandem fuerit, Apoſtolorum*

z Calu. lib. 4. Inſt. c. 6. § 7.

a idem in c. 15. Act.

b Chryſ. hom. 87. in Ioann.

c Calu. ad c. 15. Act.

Epiſcopum vocare non dubitat. Eant nunc Romanenſes, & Papam ſuum vniuerſæ Eccleſiæ Caput eſſe iactent, quia Petri ſucceſſor eſt, qui alterum ſibi præeſſe paſſus eſt, ſi Euſebio credimus. Sed verba propria Euſebij in ſecundo libro Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſunt hæc: *Iacobum, quem veteres, propter ſingularem virtutem, qua præter cæteros præſtabat, Iuſti cognomine donauerunt, primum Sedem epiſcopalē Eccleſiæ, quæ eſt Ieroſolymis, obtinuiſſe memoriæ traditur.* Et infrà addit teſtimonium S. Clementis in hæc verba: *Clemens porrò in ſexto libro hypotypoſeon de eo ſcribens ſic refert: Petrum, Iacobum, & Ioannem, poſt Saluatoris in cœlum aſcenſum, cùm eſſent à Domino ſummum dignitatis gradum adepti, non de gloria & honore contendiſſe inter ſe, ſed vno conſenſu Iacobum Iuſtum Ieroſolymorum Epiſcopum deſignaſſe.* Hucvſque Euſebius ex Clemente, cui cōſentit Anacletus Papa, qui in epiſtola ad Epiſcopos Italiæ teſtatur [d], à S. Petro formam eſſe traditam, & hucvſque ſemper in Eccleſia obſeruatam, vt electus Epiſcopus ab aliis tribus Epiſcopis conſecretur. Addit Euſebius libro ſeptimo, capite decimoquarto, Iacobi cathedram ligneam epiſcopalem vſque ad ſuum tempus Ieroſolymis conſeruatam, & ab Epiſcopis, qui illic ordine ſucceſſerunt, magna in veneratione habitam: & iterum expreſſis verbis affirmat, illum fuiſſe Epiſcopum Ieroſolymorum; non autem, vt Caluinus affingit, Epiſcopum Apoſtolorum: quis enim vnquam ita locutus eſt? aut quid hæc locutio ſibi vellet? cùm Eccleſiis, non verò Apoſtolis præficiantur Epiſcopi. Quare cogimur credere, hunc Hæreticum, non tam ex imperitia, quàm ex nequitia deprauatum Euſebij textum in ſuam ſententiam protuliſſe, ſiue à ſe deprauationem illam fingendo, ſiue fictam ab aliis diſſimulando; quamuis ex collatis pluribus aliis locis, aliorúmque teſtimoniis benè aduertiſſet, aut niſi planè voluit eſſe cæcus, aduertere manifeſtum errorem potuiſſet.

d Epiſt. 1. quæ habetur tom. 1. Concil.

Iam verò, vt ad ſynodalem Apoſtolorum epiſtolam redeamus, quatuor potiſſimùm circa ipſam ſunt obſeruanda. Primùm, non eſſe improbabile, à S. Iacobo, nomine totius Concilij, eam epiſtolam fuiſſe conſcriptam; tum, quia in eius principio ſalutationem continet ei ſimilem, quam legimus in Epiſtola catholica eiuſdem S. Iacobi, Minoris, niſi quod aliqui contendunt eſſe Maioris, ex Lucio Dextro; tum, quòd poſtremus in Concilio ſententiam dicens, omnia decernenda circa præſentes controuerſias, toto approbante Concilio, ipſe complexus eſt; tum denique, quia S. Petrus hunc illi honorem fortaſſe cenſuit deferendum, eò quòd in ſua propria Ieroſolymitana Eccleſia verſaretur, benè Iudæorum mores, & inſtituta cognoſceret, & ipſius Petri auctoritatem in primis tunc defendendam ſuſcepiſſet; cuius tamen vt ſupremi Paſtoris non erat, cur magis diſtincta mentio haberetur, ſicut poſteà fieri in aliis Conciliis neceſſarium fuit, variis titulis, & honorificis appellationibus, propter inſolentiam, & rebellionem Principum, contumaciam Hæreticorum, & ſchiſmata Epiſcoporum. Indicat etiam quodammodo S. Iacobus, ſcriptam ſua manu eam epiſtolam, cùm Actorum capite vigeſimoprimo, ſic ait: *De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos ſcripſimus indicantes, vt abſtineant ab idolis immolatis, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.*

Secundò, circa eandem epiſtolam eſt obſeruandum, quatuor numerari, à quibus maximè cauere Gentiles ad Euangelium accedentes iubebantur;

à fornicatione, ab idolothytis, à ſanguine,& ſuffocato: hoc tamen quartum omittitur à quibuſdam ex Patribus antiquioribus [e] (e S. Iren. lib. 3. c. 12. S. Cypr. lib. 3. ad Quir. Tertull. lib. de pudic. c. 12.), quaſi ſatis in tertio contineretur:quia, ſi ſanguinis eſus omninò prohibebatur, non ſolùm vetari videbatur effuſus à corpore animantis; ſed etiam venis incluſus, & perfuſus corporibus ſuffocatis. Vnde Auctor Commentariorum, qui Ambroſio tribuuntur, in epiſtolam ad Galatas affirmauit [f] (f Ambr. in c. 2. Ep. ad Gal.), illud quarti præcepti additamentum videri Græcorum Sophiſtarum, Dei verbum adulterantium. Sed non ſunt ea Commentaria S. Ambroſij;nec dubitare debemus, quatuor enumerata præcepta in decreto Apoſtolorum fuiſſe diſtincta:non ſolùm, quia ſemper Greci Patres ita legiſſe inueniuntur;ſed etiam, quia idem habet antiqua & vulgata lectio Latinorum, Canones quoque apoſtolici [g] (g Can. 61. tom. 1. Concil.), necnon Concilia, Gangtenſe [h] (h Gangrenſe Concil. can. 2.), Vvormarienſe [i] (i Vvorm. can. 65.), & ſecundum Concilium Aurelianenſe [k] (k Aurel. 2. can. 20.). Legitur præterea in exemplaribus quibuſdam quarto præcepto quintum his verbis adiunctum: *Et quæcunque vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis.* Sed hæc in paucis leguntur codicibus Græcis, & in paucioribus Latinis, vt meritò reiecta fuerint ab editione vulgata. Teſtatur præterea in Epiſtola ad Galatas S. Paulus [l] (l Gal. c. 2. v. 7.), Apoſtolos conſiderantes, quanta Deus per ipſum, & Barnabam in conuerſione Gentium perfeciſſet, ad id eos ſpecialiter deputaſſe; Petrum autem, Iacobum, & Ioannem, Hebræorum ſaluti potiſſimùm incumbere voluiſſe. Qua tamen in re non iuriſdictiones ſibi, vel populos diuiſerunt; ſed operas, & procurationem;ſiue, quod ait S. Hieronymus [m] (m S. Hieron. in c. 2. Ep. ad Gal.), vt qui defendebant legem, haberent quos ſine errore ſequerentur, qui legi gratiam præferebant, eis non deeſſet Doctor, & præuius. In communi verò idipſum omnes propoſitum habuerunt, vt Chriſto ex cunctis Gentibus Eccleſiam congregarent. Poſtremò commendatam ſibi, & Barnabæ curam pauperum Apoſtolus teſtatur. *Nam dextras, inquit, mihi, & Barnabæ, dederunt ſocietatis: vt nos in Gentes, ipſi autem in circumciſionem: tantùm vt pauperum memores eſſemus, quod etiam ſollicitus fui hoc ipſum facere.* Hæc S. Paulus ſuam ad Galatas deſcribens ab hac Synodo Ieroſolymitana profectionem, vt Antiochiam, vnde venerat, reuerteretur.

CAPVT VI.

Paulus, & Barnabas, cum Iuda, & Sila redeunt Antiochiam: eò Petrus ſuperueniens, à Paulo, de ſcandalo Gentilium, peramanter admonetur.

POſt Pauli à Ieroſolymis diſceſſum, cum Barnaba, & adiunctis à Concilio comitibus, Iuda & Sila, quid actum præterea fuerit ab Apoſtolis, & Senioribus ibi congregatis, Lucas non refert: ſed Clemens Romanus in ſexto libro Conſtitutionum apoſtolicarum attexit his verbis [a] (a Clem. lib. 6. Conſt. apoſt. c. 12.): *Atque epiſtolam quidem miſimus: nos vero per aliquot dies manſimus Ieroſolymis, ſicut deliberantes, quæ ad communem vtilitatem, & ad corrigendas res pertinebant.* Hæc S. Clemens, primus huius nominis in Romana Sede Petri ſucceſſor, ex verbis ipſius Petri Acta in eo Concilio, & poſt Concilium referentis. Vnde aliqui valdè probabilem fecerunt coniecturam, his ipſis diebus Canones illos fuiſſe conditos, qui apoſtolici nominantur, & in primo Conciliorum to-

mo ante alios ponuntur. Hinc etiam natam illam conſuetudinem volunt, vt in orthodoxis Eccleſiæ Conciliis, poſt definitas veritates,quæ ab Hęreticis, vel aliis diſſidentibus in dubiū reuocabantur,aliqui Canones ad morum reformationem,& pro recta Eccleſiæ diſciplina adiungerētur. Quāuis,quod ſpectat ad numerum Canonum apoſtolicorum, quia inter illos aliqui fuerunt inſerti ſuppoſiritij, ab inueſtigatoribus eccleſiaſticæ Hiſtoriæ [b] ambigitur, & diſputatur. Intereà Paulus,& Barnabas, cum ſociis Antiochiam perueniunt. *Et congregata multitudine* (inquit S. Lucas [c]) *tradiderunt epiſtolam,quam cùm legiſſent,gauiſi ſunt ſuper conſolatione. Iudas autem, & Silas, & ipſi cùm eſſent Propheta, verbo plurimo conſolati ſunt Fratres, & confirmauerunt.* Sumit ex his verbis,more ſuo, Caluinus [d] importuniſſimam occaſionem debacchandi,& Eccleſiam Catholicam accuſandi:quia in tyrannide, vt ipſe loquitur, Romani Papatus toties decreta morum,& fidei promulgantur, eáque populus,velit,nolit, debet admittere, nullo relicto iudicio doctis viris,ſicut ait hic eſſe factū,vt expendant,an conſentiant cū diuinis Scripturis. *Quia enim*(inquit impudens Caluinus) *Papa, & cornuti Epiſcopi populum non ſperabant vnquam fore ſatis morigerum,donec in craſſam inſcitiam redactus eſſet, hoc finxerunt optimum fidei compendium.* At vndenam habet Hęreticus ita lectā epiſtolam apoſtolicam Eccleſiæ Antiochenæ, vt ibi permiſſum ſit populo iterum examinare,an quę decreta fuerant in Concilio Ieroſolymitano,ſacris Scripturis conſentanea inuenirentur? Certè nihil tale habetur ex ſacra Hiſtoria;ſed contrarium potiùs manifeſtè deprehenditur ex eo,quod dicitur epiſtola omnibus audientibus recitata, repletos eos fuiſſe conſolatione. Quia,nimirum, eā obtinuerant,quā valdè expetebant, vltimam controuerſiarum determinationem, ſilentium litigioſis erat impoſitum,& veritas tanquam ex oraculo S. Spiritus iam omnibus clarè conſtabat, in dubium ampliùs non reuocanda.Quòd ſi vnicuique licuiſſet, prætextu melioris intelligentiæ Scripturarum, ſemel in Concilio definita, iterum in dubitationem vocare; quis vnquam finis controuerſiarum eiſe potuiſſet? Quod autem nobis toties Caluinus obiectat, oportere humana ſtatuta diuinis Scripturis non eſſe contraria, quis hoc negat? At non eſt id, quod quæritur in præſentia; ſed, quis habendus ſit pro legitimo Iudice talium controuerſiarum, & cui potiùs acquieſcendum deducenti aliquid ex diuinis Scripturis, vtrùm cuicunque de populo arroganti ſibi, quod Caluinus facit, & communiter omnes Hæretici,propriam Scripturarum intelligentiam;an iis,quibus ait S.Paulus [e]: *Attendite vobis,& vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Propterea epiſtolam ſynodaiem Apoſtoli, & alij Epiſcopi congregati nunc in Concilio Ieroſolymitano verbis illis inſignire voluerunt: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Idémque affirmare potuiſſent omnia alia Concilia legitimè congregata, & à Petri ſucceſſoribus approbata: niſi quòd, immutata parum locutione, fortaſſe ad huius primi Concilij reuerentiam, ſolent dicere: *In Spiritu ſancto legitimè congregata hac ſacra Synodus decernit*, &c. iuxta, nimirum, Chriſti Domini repetitas illas in Euangelio promiſſiones [f]: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis Spiritum veritatis, vt maneat*

b Baron. annal. tom. 1 an. 51. & tom. 1. an. 102.

c Act. c. 15. v. 30.

d Caluin. in c. 15. Act.

e Act. c. 20. v. 28.

f Ioan. c. 14. v. 16.

maneat vobiſcum in æternum. Et paulò pòſt [g Ioan. c. 18. v. 13.] 8: *Cũ venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* & S. Petro [h Lucæ c. 22. v. 32.] h: *Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* Quod de omnibus Petri ſucceſſoribus, ſecundùm orthodoxam doctrinam Patrum, ſimiliter eſt intelligendum. Et ideò Lucius Papa ante annos mille & trecentos, in epiſtola, quam ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ ſcripſit, teſtatur ob huiuſmodi Chriſti promiſſionem nunquam Eccleſiam Dei à Petri Sede gubernatam erraſſe à tramite apoſtolicæ traditionis. Et in eandem ſententiam loquens S. Gregorius [i S.Greg. ep. 24. lib. 1.] i de quatuor primis Conciliis œcumenicis, Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, & Chalcedonenſi aſſerit, ita ſe illis credere, ſicut quatuor Euãgeliis. Similiter quoque S. Auguſtinus [k S. Aug. ep. 118.] k: *Contra hæc,* inquit, *diſputare inſolētiſſima inſania eſt.* Neque propterea negandum exiſtimamus, auctoritatem ſacrorum Conciliorum, etiãſi parem in aliquibus auctoritati ſacrarum Scripturarum; tamen in pluribus eſſe inferiorem, & in quatuor præcipuè: primùm, quia nõ ſolùm dogmata, ſed etiam hiſtoriæ, & verba ſingula diuinarũ Scripturarũ ad catholicã fidem debent pertinere: vt propterea dixerit in Euangelio Chriſtus Dominus [l Matth. c. 15. v. 18.] l: *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* At verò in Conciliis multa inueniuntur ad fidem minimè pertinentia, vt præmiſſæ Decretis & Canonibus diſputationes, fuſiores eorum expoſitiones, & redditæ ad aliquid concludendum rationes: ſolùm enim ipſi Canones, Decreta, & quæ de fide credenda proponuntur, infallibilem habent certitudinem. Hinc aliqua expreſsè ſub opinione relinquuntur, vel tanquam probabilia, non autem certa eſſe decernuntur. Secundò, non egent diuinæ Scripturæ approbatione Pontificis, vt certam obtineant veritatem; ſed tantùm, vt proponantur, & innoteſcat, diuinas eſſe Scripturas: in quem ſenſum S. Auguſtinus affirmauit [m S. Auguſt. lib. contra epiſt. Manich. c. 5.] m, ſe nec Euangelium admiſſurum, niſi pro Dei Euangelio ab Eccleſia proponeretur. At Concilia ſine Summi Pontificis approbatione, & auctoritate non faciunt certam & infallibilem fidem. Tertiò, habent ſe diuinæ Scripturæ ad Canones, & Decreta Conciliorum, tanquam principia ad concluſiones. Vnde, quamuis Auctores ſacrorũ librorum per ſimplices myſteriorum fidei notiones à Deo immediatè fuerint illuminati: Patres tamen in Conciliis per diſcurſus & ratiocinationes, varias inde concluſiones deducendo, ſua Decreta, & Sanctiones formauerunt. Quartò, magna præterea inter auctoritatem Scripturarum, & Conciliorum eſt differentia: nã ſacra Scriptura, tã in iis, quæ docet in particulari de ſingulis, quã quæ tradit pro omnibus in cõmuni, ſiue rebus, ſiue perſonis, tã de fide credendis, quã in moribus obſeruãdis, infallibilis eſt directionis, ac veritatis: at Concilia, Sũmique Põtifices ſolũ auctoritatẽ obtinẽt infallibilem circa ea, quę proponũt credẽda, vel faciẽda Eccleſię vniuerſæ, non vni tãtũ perſonæ, ſiue populo, aut nationi.

Quæ cùm ita ſint, minùs videri mirum nobis oportebit, ſi, quod mox erit exponendum, aliqua in actione S. Petrus exhibuerit ſe Paulo quodammodo corrigibilem. Rem in Actibus apoſtolicis à Luca prætermiſsã narrat ipſe S. Paulus in Epiſtola, quam poſteà ſcripſit ad Galatas [n Gal. c. 2. v. 11. 13. &c.] n, & hoc planè tempore ſignificat accidiſſe, cũ ait, ſe poſt annos quatuordecim, ab eo tempore, quo poſt ſuam conuerſionem ad Petrum, honoris gratia, viſitandum Ieroſolymam

ſe

ſe contulerat, iterum eò veniſſe ſimul cum Barnaba, & Tito, quando, videlicet, primum Concilium Ieroſolymitanum, vt ſatis oſtendimus, eſt celebratum. Ab hoc igitur Concilio vbi Paulus Antiochiam rediiſſet, Petrus etiam haud multò pòſt, relicta Ieroſolyma eò ſuperuenit. *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam*, inquit in illa Epiſtola S. Paulus, *in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat: priùs enim quàm venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat: cùm autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circuncisione erant.* Circa quæ in primis eſt obſeruanda Petri paſtoralis ſollicitudo, quam gerebat de Eccleſia Antiochena eo tempore numeroſiſſima, & florentiſſima, & quæ, ſicut alibi retulimus, ſeminarium quoddam Chriſtianorum, ac veluti arx primaria noſtræ tunc religionis eſſe videbatur. Quare non ſatis habuit, coacto Ieroſolymis Concilio, perturbatores illius Eccleſiæ ſeriò ſui officij admonere, & rationes circa ea, quæ controuertebantur, in poſterum tenendas inuiolabili decreto firmare; ſed prætereà voluit ipſemet venire, quæ agerentur præſens inſpicere, cum Gentibus ad fidem conuerſis familiariter agere, & de eorum cibis indifferenter edere, ſolùm ea, quæ decreto Concilij vetabantur, exemplo ſuo docēs eſſe reiicienda. Interim quidam miſſi Ieroſolyma à S. Iacobo, illius ciuitatis Epiſcopo, venerunt Antiochiam, qui ex Iudaiſmo religionem ſuſceperāt Chriſtianam: hos veritus Petrus, ne ſcandalizaret, ſi eum vidiſſent ſuillam, & alios cibos Iudæis vetitos indifferenter cum Gentilibus comedentem, cœpit à conuictu Gentilium ſe ſubtrahere. Nam, etiamſi huiuſmodi ceremonias antiquæ legis obſeruare, qui legem euangelicam ſuſcepiſſent, minimè teneri iam fuerat in Concilio declaratum; tamen nondum ita erant abolitæ, & prorſus antiquatæ, vt ſi quis adhuc eas vellet obſeruare, deliquiſſe putaretur. Tantùm autem in hac re Petri valuit exemplum, & auctoritas, vt ad idem faciendum Barnabam induxerit, & complures alios ex Iudæis; qui, etiamſi fortaſſe legem Moſaïcam non intenderent obſeruare, benè perſuaſi ampliùs ſe ad illam nō obligari; tamen ita ſe gerebant, quaſi obligarentur: ſaltem poterant Gentiles, ab eorum facto arguere, illos opinari, legem veterem adhuc obligare conſcientias, & ad ſalutem eſſe neceſſariam, quamuis id Petrus, & Barnabas non intenderent; imò fortaſſe nec aduerterent, ſolùm attendentes, ne Iudæi ſcandalum paterentur ex eo, quòd lex vetus, & illius ceremoniæ à Deo pridem ordinatæ contēni propter Euāgelium viderentur. Erat enim Petrus patronus maximē Iudæorum, & Paulus Gentilium, vt in Concilio pro vtriuſque populi conſolatione ambo inter ſe conuenerāt, & receperant ſe eſſe facturos. Itaque, dum Petrus zelat pro Iudęis, nimiùm veritus eos ſcandalizare, Paulus amicabili contētione ſollicitus pro Gentilibus, ne magis ipſi ſcandalizarentur, Petro, aliis audiētibus, ita dixit [o]: *Si tu, cùm Iudæus ſis, gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo Gentes cogis Iudaizare?* Quaſi diceret: Si tu, ô Petre, communi cibo & menſa hucuſque indifferenter cum Gentilibus conuixiſti, quamuis genere ſis Iudæus, benè ſciens abolitas eſſe antiquæ legis cæremonias, & per Chriſtum iam mortuas, licèt nondum mortiferas, ſiue pernicioſas, quouſque ſufficienter euangelica lex promulgetur; quare nunc mutata ſententia videris propter Iudæos à Gentilibus abhorrere, & dum eorum fugis cōuictum,

[o] *Galat. c. 2. v. 14.*

vt Iudaïcè viuas, cogis exemplo tuo Gentiles Iudaïzare? Quam admonitionem à Pauli pia charitate, & ardentiori zelo profectam, Petrus admirabiliori manſuetudine, & humilitate ſuſcepit. *Nam Petrus*, inquit S. Auguſtinus [p], *quod à Paulo fiebat vtiliter libertate charitatis; ſancta, & benigna pietate humilitatis accepit: atque ita rarius & ſanctius exemplum poſteris præbuit, quò non dedignarentur, ſicubi fortè recti tramitem reliquiſſent, etiam à poſterioribus corrigi; quàm Paulus, quò confidenter auderent etiam minores maioribus pro defendenda euāgelica veritate, ſalua fraterna charitate, reſiſtere.* Hanc eandem Petri manſuetudinem extollens S. Gregorius [q]: *Quæ*, inquit, *illa manſuetudo tanta eſſe potuit? quæ quies animi? quæ ſoliditas, atque imperturbatio cogitationis? Ecce à minore ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam reuocat, quòd primus ad Apoſtolatum vocatus ſit; non quòd claues regni cœleſtis acceperit; nō quòd peccata quæcunque in terra ſoluerit, eſſent ſoluta & in cœlo; non quòd in mare pedibus ambulauerit; non quòd paralyticos in* IESV *nomine iubendo erexerat; non quòd agros corporis ſui vmbra ſanauerat; non quòd mentientes verbo occiderat; non quòd mortuos oratione ſuſcitabat. Ne igitur increpationis verba dedignaretur audire, omnia dona, quæ acceperat, quaſi à memoria repulit, vt vnum fortiter humilitatis donum teneret. Quatenus, qui primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet primus etiam in humilitate.* Hucvſque S. Gregorius. Cæterū videtur creditu difficile, Petrum tantæ auctoritatis ac ſanctitatis culpa aliqua, præſertim graui, hac in parte deliquiſſe, vt meritò debuerit à Paulo reprehendi. Quòd ſi nullam extitiſſe Petri culpam veriſimiliùs aſſeratur, quomodo Paulus auſus eū reprehendere, ab omni temeritatis nota liberabitur? Antiqua fuit huius rei controuerſia, & perdifficilis explicatu, quam commodiùs toto ſequenti capite examinabimus.

p S. Aug. ep. 19 ad S. Hier.

q S. Gregor. hom. 18. in Ezech.

CAPVT VII.

Fueritne Apoſtolorum, Petri, & Pauli, vera diſſenſio, an ſimulata; & de S. Hieronymi, & S. Auguſtini ea de re diuerſa ſententia.

IVlianus Apoſtata, ſicut teſtatur S. Cyrillus libro nono in Iulianum [a], accuſare S. Petrum non eſt veritus hypocriſis, & verſutæ calliditatis, eò quòd nunc ritus, moréſque Gentilium ſequeretur; nunc autem Iudæorum: *Cauillatur*, inquit de Apoſtata Cyrillus, *eximium inter SS. Apoſtolos Petrum, quem & hypocritam eſſe dicit, & per Paulum reprehenſum; eò quod interdum Græcorum moribus viuere ſtuduerit, interdum etiam Iudæorum, ignorans omninò artificioſiſſimam in illis diſpenſationem.* At verò alter Chriſtianæ religionis aduerſarius Porphyrius, ſicut de illo retulit S. Hieronymus [b], S. Paulum arguebat procacitatis, & petulantiæ, quòd Petrum primariū inter Apoſtolos ipſe poſtremus ad Apoſtolatum vocatus, auſus eſt reprehendere, & in faciem arguere, ac ratione conſtringere, quòd malè fecerit, id eſt, in eo errore fuerit, in quo & ipſe fuit, qui alium arguebat delinquentem. Sed ante hos Marcion Hæreſiarcha, neque Paulo pepercit, neque Petro; vtrunque accuſans propter ortam inter ipſos diſſenſionem ignorantiæ rituum Chriſtianæ religionis, & iudiciorum diſcrepantiæ, quaſi aliter Petrus, aliter Paulus formā euangelicæ

a S. Cyr. lib. 9. in Iul. circa finem.

b S. Hieron. epiſt. 89. & inter ep. S. Aug. 11.

diſciplinæ interpretarentur. Sed huius Hæretici procaciam, & nimis impiam temeritatem, quam noſtri temporis Hæretici imitantur, dum ex hoc facto malè inferunt, Petrum, & Paulum homines tandem fuiſſe, ſuis quoque perturbationibus animi agitatos, benè iam pridem confutauit Tertullianus in libro de præſcriptionibus aduersùs Hæreticos [c], & rurſus libro quarto [d] contra prædictum Marcionem. Sed, quod maiorem nobis ingerit difficultatem in tantorum Apoſtolorum pro ſalute Iudæorum, ac Gentium pio diſſidio, eſt duorum inſignium Eccleſiæ Doctorum, Hieronymi, & Auguſtini, diu, multúmque miſſis vltrò, citróque literis agitata controuerſia. Dum S. Hieronymus vindicare ab omni prorſus culpa S. Petrum non minori eruditione, quàm pietate contendit: at verò S. Auguſtinus, Pauli Apoſtoli narrationem, hoc eſt, ipſam diuinam Scripturam oportere omni carere mendacio argumentis conuincit efficaciſſimis: & cùm in ea legamus, non ſolùm à Paulo Petrum eſſe reprehenſum, ſed etiam fuiſſe reprehenſibilem; potiùs admittendum, Petrum aliquo modo in facto, quàm Paulum in dicto & verbo ſcripto vlla ratione deliquiſſe. Quare vtrique ſancto Doctori debemus plurimùm, & pro zelo pietatis, & pro ſtudio veritatis, in quibus exponere nunc debemus, quantùm quiſque pro ſua parte fuerit aſſecutus.

c *Tertul. lib. præſcript. c.* 23.
d *lib.* 4. *contra Marc. c.* 3.

In primis autem S. Hieronymus ſcribens ſuper Epiſtolam ad Galatas ſua maiora Commentaria, profert quorundam opinionem, qui ſibi perſuadere non potuerunt, hunc Cepham à Paulo reprehenſum fuiſſe Petrum, Principem Apoſtolorum; ſed alium quendam fuiſſe dixerunt ex Septuaginta diſcipulis. Huius opinionis fuit apud Euſebium [e] Clemens Alexandrinus, & Dorotheus in Synopſi: *Sunt*, inquit S. Hieronymus [f], *qui Cepham, cui hic in faciem Paulus reſtitiſſe ſe ſcribit, non putent Apoſtolum Petrum; ſed alium de Septuaginta diſcipulis iſto vocabulo nuncupatum.* Argumenta pro hac opinione, ſiue potiùs errore, ſumpſerunt ex eo, quòd minùs credibile videatur, Petrum à conuictu Gentiū ſe ſubtrahere voluiſſe, qui cœleſti viſione [g], cùm ad Cornelium à Spiritu ſancto mitteretur, fuerat inſtructus, ne Gentes, quas Deus vocabat ad iuſtitiam & ſanctitatem, immundas exiſtimaret. Deinde, quia S. Lucas in Actis apoſtolicis nullam prorſus diſſenſionis huius fecit mentionem, nec vnquam dicit, Petrum Antiochiæ fuiſſe cum Paulo. Tertiò: nam hoc eſſet occaſionem dare Porphyrio blaſphemandi, ſi aut Petrus erraſſe, aut Paulus procaciter Apoſtolorum Principem confutaſſe credatur. Optimè autem tres iſtas diſſoluit S. Hieronymus oppoſitiones, dicens: *His primum reſpondendum eſt, alterius neſcio cuius Cephæ neſcire nos nomen; niſi eius, qui & in Euangelio, & in aliis Pauli Epiſtolis, & in hac quoque ipſa, modò Cephas, modò Petrus ſcribitur. Non, quod aliud ſignificet Petrus, aliud Cephas: ſed, quòd quam nos Latinè, & Græcè petram vocamus, hanc Hebræi, & Syri propter linguæ inter ſe affinitatem Cepham nuncupent. Deinde totum argumentum huius ad Galatas Epiſtolæ, quod obliquè de Petro, Iacobo, & Ioanne dicitur, huic intelligentiæ repugnat. Nec mirum, ſi Lucas hanc rem tacuerit, cùm & alia multa, quæ Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, Hiſtoriographi licentia prætermiſerit.* Id autem exemplis aliquot S. Hieronymus ibidem oſtendit, atque ita concludit: *Ad extremū, ſi propter Porphyrij blaſphemiam alius*

e *Euſeb. lib.* 1. *hiſt. c.* 12.
f *S. Hier. in c.* 2. *ep. ad Gal.*
g *Act. c.* 10. *v.* 15.

alius nobis fingendus eſt Cephas, ne Petrus putetur erraſſe, infinita de Scripturis erunt radenda diuinis, quæ ille, quia non intelligit, criminatur. Eundem errorem breuiter, & efficaciter S. Gregorius confutauit in quadam homilia ſuper Ezechielem [h], ſic ſcribens: *Sunt verò nonnulli, qui non Petrum, Apoſtolorum Principem ſed quendam alium eo nomine, qui à Paulo eſt reprehenſus, accipiunt. Qui, ſi Pauli ſtudioſius verba legiſſent, iſta non dicerent. Dicturus etenim Paulus: Cùm veniſſet Petrus Antiochiam, ei in faciem reſtiti. vt, de quo Petro loqueretur, oſtenderet, in ipſo ſuæ narrationis initio præmiſit, dicens* [i]: *Creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut Petro circuncisionis. Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circuncisionis, operatus eſt mihi inter Gentes. Patet ergo, de quo Petro Paulus loquitur, quem & Apoſtolum nominat, & præfuiſſe Euangelio circunciſionis narrat.* Addere nos poſſumus, hunc Cepham ibidem appellatum à S. Paulo columnam Eccleſiæ, & dextram ſibi dediſſe ait ſocietatis, ſimul cum Iacobo, & Ioanne: erat igitur Apoſtolus, atque adeò Princeps Apoſtolorum, qui etiamſi Cephas dicatur in lectione vulgata, Græco tamen idiomate, quo Paulus ſcripſit ad Galatas, non niſi Petrus appellatur. Hac igitur exploſa falſa opinione, & vana fuga difficultatis, quam tamen aliqui recentiores admittere verentur, ſuam S. Hieronymus ſententiam ita ſtatuit.

h S. Greg. hom. 18. in Ezech.

i Galat. c. 2. v. 7.

Petrũ, aſſerit ſanctus hic Doctor, non ex animo à conuictu Gentilium ſe ſubduxiſſe, neque Iudaïcas cæremonias ex corde affectaſſe, ſed ſimulatè, & ex pacto, habita cum Paulo cõuentione, vt illi daret occaſionem fingendæ reprehẽſionis. Quare Pauli quoque reprehenſionẽ fuiſſe ſimulatã, nulla prorſus Petri culpa in facto exiſtente: vt hoc veluti ſtratagemate Iudæis aliquo modo ſatisfieret à S. Petro, qui eorum præcipuè fautor & patronus habebatur, & Gentiles per Pauli eorum Apoſtoli libertatem, de euangelica ipſorũ libertate inſtruerẽtur, vt Petro humiliter, & patienter admittente monitionẽ Pauli alacriores in bono redderentur. Affert pro hac ſententia S. Hieron. [k] teſtimonia Origenis, Didymi, Apollinaris Laodiceni, Euſebij Emiſſeni, Theodori Heracleotæ, Alexandri antiqui Epiſtolarũ Pauli Commentatoris, & Ioannis Chryſoſt. quos alij fere Græci ſecuti ſunt, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius in ſuis ſuper Epiſtolam ad Galatas Commentariis, & in decimaſeptima collatione Ioannes Caſſianus [l], vbi multa cõgerit ad probandũ, licere interdũ, nõ ſolùm factis veritatẽ diſſimulare, ſed etiã dictis, mẽtiẽdo propter aliquod bonũ aſſequendũ, aut ingẽs malũ auertendũ: & inter alia ponit exemplum hoc apoſtolicæ diſſimulationis in vſu cæremoniarum Iudaïcarũ. Videtur autẽ hęc à Platone primùm ſumpta doctrina, qui libro tertio de republica: *Deo quidẽ*, inquit, *indecens, & inutile eſt mendaciũ: hominibus verò quãdoque vtile, & neceſſariũ.* Nempe, vt eo tanquã medicamento vtamur tantũ ad magna bona procurãda, & grauia mala deuitãda. Arguit ſecũdo loco S. Hieron. exemplis quibuſdã veteris Teſtamẽti: *Nã*, inquit, *vtilem eſſe quandoque ſimulationem, & in tempore aſſumendam, Iehu Regis Iſrael nos docet exemplum* [m], *qui cùm nõ potuiſſet interficere Sacerdotes Baal, niſi ſe finxiſſet velle idolum colere, dixit: Congrega mihi omnes Sacerdotes Baal: ſi enim Achab ſeruiuit Baal in paucis, ego ſeruiam in multis. Et Dauid quando mutauit faciem ſuam coram Achimelec, & dimiſit eum, & abiit.* Addit ſanctus Hieronymus, id mirum non eſſe in hominibus etiam

k S. Hier. ep. 89. & inter Ep. Aug. 11.

l Caſſianus coll. 17. c. 20.

m lib. 4. Reg. cap. 10. v. 18.

iuſtis, aliqua pro tempore ſimulantibus ob ſuam, vel aliorum ſalutem, cùm & ipſe noſter Saluator non habens peccatum, neque carnem peccati; ſimulationem tamen peccatricis carnis aſſumpſerit, vt condemnaret in carne peccatum. Arguit tertiò ex proprietate verborum Apoſtolicæ narrationis: ait enim ad Galatas Paulus rem deſcribens, ſimulationi Petri conſenſiſſe cæteros Iudæos, ita vt Barnabas duceretur ab eis in eandem ſimulationem: ergo ſimulatè, & non niſi cum aliqua fictione agebatur. Deinde, quia Paulus dixit, ſe Petro reſtitiſſe in faciem, Græcè, κτ̀ πρόσωπον, *Id eſt*, inquit Chryſoſtomus [o], *ſecundùm faciem, & quaſi dixiſſet, in ſpeciem, ſicut alibi dixit idem Apoſtolus* [p], *quoſdam in facie gloriari, & non in corde: etenim, ſi verè fuiſſet inter Petrum, & Paulum contentio, nequaquam præſentibus diſcipulis ſe inuicem increpaſſent; graui enim illis fuiſſet offendiculo: nunc autem vtilis erat palàm, & in ſpeciem adhibita diſſenſio.* Hæc S. Chryſoſtomus, qui etiam illud expendit à S. Hieronymo poſteà in ſuam ſententiam adductum, quod habet noſtra lectio vulgata: *Quia reprehenſibilis erat.* Non legi Græcè, καταγνωστὸς, id eſt, reprehenſibilis, ſeu reprehenſione dignus; ſed, κατεγνωσμένος ἦν, hoc eſt, reprehenſus erat: *Et non dixit*, inquit Chryſoſtomus, *reprehenſus à me; ſed ſimpliciter reprehenſus: haud dubium quin ab aliis; nam id aliunde ſubaudiendum eſt. Quòd ſi ipſe reprehendiſſet illum, haudquaquam veritus fuiſſet hoc dicere.* Ita Chryſoſtomus, cui alij Græci conſentiunt.

o Chryſ. in cap. 2. Epiſt. ad Gal.

p 2. Cor. c. 5. v. 12.

Quartò, illa potiſſimùm ratio videtur ſanctum Hieronymum permouiſſe: quia non apparet veriſimile, Paulum reprehendere in Petro voluiſſe, quod ipſe toties fecerat, vt ſe Iudæis circa Iudaïcas cæremonias accommodaret: nam propter ipſos Timotheum circuncidit, caput ſibi totondit in Cenchreis, & cùm aliquando veniſſet Ieroſolymam [q], monitus à Iacobo de ſcandalo Iudæorum dicentium, illum docere diſceſſionem à Moyſe, varias exercuit iuxta conſilium Iacobi cæremonias, & obſeruationes Iudaïcas, non ex animo, ſed prudenti quadam ſimulatione, vt Iudæis quaſi Iudæus appareret. Vnde ipſe dicebat [r], *Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt plures lucrifacerem.* Quòd ſi non erat in Paulo Gentium Apoſtolo talis diſſimulatio reprehenſibilis, ſed magis commendabilis, quomodo in Petro Iudæorum protectore, ac patrono debuit à Paulo reprehendi? *Denique* (inquit ſanctus Hieronymus) *cùm aliquoties adoleſcentulus Romæ controuerſias declamarem, & ad vera certamina fictis me litibus exercerem, currebam ad tribunalia Iudicum, & diſertiſſimos Oratorum videbam tanta inter ſe acerbitate contendere, vt omiſſis ſæpè negotiis, in proprias contumelias verterentur, & ioculari ſe inuicem dente morderent. Si hoc illi faciunt, vt apud reos nullam ſuſpicionem præuaricationis incurrant, & fallunt populum circunſtantem, quid putamus tantas Eccleſiæ columnas, Petrum, & Paulum, tanta vaſa ſapientiæ, inter diſſidentes Iudæos, atque Gentiles facere debuiſſe? niſi vt eorum ſimulata contentio, pax credentium fieret, & Eccleſiæ fides ſancto eorum iurgio concordaret.* Hæc S. Hieronymus.

q Act. c. 21. v. 17.

r 1. Cor. 9 v. 20.

Contrà verò S. Auguſtinus, cùm in Commentariis S. Hieronymi ſuper Epiſtolam ad Galatas, hæc legiſſet; ita ad eum ſcripſit [s]: *Legi quædam ſcripta, quæ tua dicerentur, in Epiſtolas Apoſtoli Pauli, quarum vnam ad Galatas cùm enodare velles, venit in manus*

s S. Aug. ep. 8. ad S. Hier.

locus

locus ille, quo Apoſtolus Petrus à perniciosa ſimulatione reuocatur. Ibi patrocinium mendacij ſuſceptũ eſſe, vel abs te tali viro, vel a quopiã, ſi alius illa ſcripſit, fateor, non mediocriter doleo, donec refellantur, ſi fortè refelli poſſunt, ea, quæ me mouent. Mihi enim videtur exitioſiſſimè credi, aliquod in libris ſanctis eſſe mendacium, id eſt, illos homines, per quos illa Scriptura miniſtrata eſt, atque conſcripta, aliquid in libris ſuis fuiſſe mentitos. Alia quippe quæſtio eſt, ſitne aliquando mentiri viri boni; & alia quæſtio eſt, vtrùm Scriptorem ſanctarum Scripturarum mentiri oportuerit: imò verò non alia, ſed nulla quæſtio eſt. Hoc eſt igitur præcipuum S. Auguſtini pro ſua firmanda ſententia fundamentum, nullo modo mendacium eſſe admittendum in diuina Scriptura, quia ſic mentiretur ipſe Deus; quod fieri non poſſe, etiam Plato aſſeruit, quamuis cum hominibus, in mendaciis bono fine interdum proferendis, fuerit, vt ſuprà retulimus, indulgentior. Quod autem hic aliqui dicunt, S. Auguſtinum in præſenti controuerſia non videri mentem S. Hieronymi ſatis aſſecutum, nec eius exploratam omninò habuiſſe ſententiam, minùs eſt veriſimile. Quamuis nunquam S. Hieronymus in Deo, vel in ſacris Scripturis mendacium poſſe inueniri exiſtimauerit, imò neque putauerit, quidquid illi ab aliquibus immeritò tribuatur, licere hominibus vlla ratione mentiri; vnde alibi [t] reprehendit Origenem [u], quòd Platonis de humano mendacio doctrinam ſecutus ſit; tamen ad hoc abſurdum eum deducere S. Auguſtinus ratiocinando nitebatur, vt illum à concedenda in Petro, & Paulo ſimulatione reuocaret. Nam, ſi Petrus ſimulatè cæremonias Iudaïcas obſeruabat, & non ex animo, ſiue ex intentione, & ſi à Paulo de hac re ſimulatè reprehendebatur, non quaſi verè dignus eſſet illa reprehenſione: igitur infert S. Auguſtinus, mentiebatur Paulus ad Galatas ſcribens, ſe Petro in faciem reſtitiſſe, quia erat reprehenſibilis: imò, quod abſit, mentitur diuina Scriptura, & illius inſpirator Deus. Quod cùm ſciret S. Auguſtinus, nunquam à S. Hieronymo concedendum, rectè concludebat, neque ab ipſo eſſe admittendas illas ſimulationes; præſertim cùm hæ quoque ſpeciem aliquam mendacij in opere præ ſe ferrent. Ad id verò, quod S. Hieronymus dicebat, ſe magnorum virorum ſecutum eſſe interpretationem, reſpondet S. Auguſtinus epiſtola ſua decimanona, quæ eſt ad S. Hieronymum, ſic dicens: *Cùm ſint Auctores à te producti fermè ſex, vel ſeptem, horum quatuor auctoritatem tu quoque infringis. Nam Laodicenum dicis de Eccleſia nuper egreſſum, Alexandrum vocas veterem Hæreticum, Origenem verò, ac Didymum reprehenſos à te lego in recentioribus Opuſculis tuis, & non mediocriter, nec de mediocribus quæſtionibus. Tres igitur reſtant, Euſebius Emiſſenus, Theodorus Heracleotes, & quem paulò pòſt commemoras, Ioannem Chryſoſtomum.* His tribus (ait S. Auguſtinus) ſe opponere alios tres, S. Cyprianum [x] in epiſtola ad Quintum, vbi veram, non ſimulatam fuiſſe Pauli reprehenſionem docet; & S. Ambroſium, qui in Commentario Epiſtolæ ad Galatas [y] idem aſſeruit manifeſtè. *Tertius* (inquit S. Auguſtinus) *ipſe mihi pro omnibus, imò ſupra omnes Apoſtolus Paulus occurrit. Ad ipſum confugio; ad ipſum omnes, qui aliud ſentiunt, literalibus ſuis tractatibus prouoco, ipſum interrogans interpello, & requiro in eo, quod ſcriptum eſt ad Galatas, vidiſſe ſe Petrum non rectè ingredientem ad veritatem Euãgelij, eique*

[t] *S. Hieron. lib. 1. in Ruffin. & ep. 65.*
[u] *Orig. lib. 6. & 10. Strom.*
[x] *S. Cypr. ep. 71. ad Quintũ.*
[y] *S. Ambroſ. in c. 2. Ep. ad Gal. ſed an eius ſint hæc Commẽtaria, quæ extant, dubitatur.*

in faciem propterea reſtitiſſe: vtrùm verum ſcripſerit, an forte neſcio qua diſpenſatiua falſitate mentitus ſit? Et audio illum paulo ſuperiùs in eiuſdem narrationis exordio, religioſa voce mihi clamantem: Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. Dent veniam quilibet aliud opinantes: ego magis credo tanto Apoſtolo in ſuis, & pro ſuis literis iuranti, quam cuiquam doctiſſimo de alienis literis diſputanti. Hæc S. Auguſtinus.

Ad ſecundum S.Hieron. argumẽtũ facilius erit reſpondere, dicendo, illã Iehu Regis Iſraël ſimulationem, & mendacia nõ eſſe imitanda, neque à culpa excuſanda, etiamſi bonum zelum habuiſſe Rex ille videatur in deſtruendo idolo, & in cultu Baal impediendo; quamuis non propterea ab idololatria Ieroboam omninò receſſerit. Illa verò Dauidis ſimulatio, vt ſuam vitam tueretur, fuit quoddã quaſi bellicũ ſtratagema. At Chriſtus Dominus, neque factis, neque verbis vnquã peccatorem ſe eſſe ſimulauit, niſi quatenus conditionem accepit noſtræ carnis in ſe nullo modo peccatricis, licèt ſimilem carni aliorum hominum peccata admittentium.

Ad tertiũ argumentũ concedit S. Auguſtinus illã Petri ſubductionem fuiſſe ſimulationẽ, imò hypocriſim, vt Græcè legitur: quia Petrus fingebat, ſe legis veteris obſeruatorẽ, cùm tamẽ eã ſeruare nõ intendiſſet, quaſi neceſſariã eam obſeruantiam exiſtimaſſet: ſciebat enim eſſe abolitã; ſed tantùm, vt ſe Iudæis accõmodaret: at verò Pauli reprehenſionẽ ait veram fuiſſe, non ſimulatam; quia nõ bonã, nec veram reddidiſſet Paulus ſuæ reprehenſionis rationẽ, dicẽs, vidiſſe ſe, quòd non rectè Petrus ambularet ad veritatẽ Euangelij: verbum autem videndi, fictionẽ non admittit. Neque veriſimile eſt, Paulum fuiſſe deceptũ in eo, quod aſſerit, ſe vidiſſe. Deinde, quia addit, Petrum ex hoc fuiſſe reprehenſibilem: nec refert, ſi legant Græci, fuiſſe reprehẽſum, & interpretentur, fuiſſe ab aliis, non à Paulo reprehenſum: nam prætetquàm quòd videtur eſſe Hebraïſmus, quo frequẽter participia paſſiua actũ ſignificãtia ponuntur pro verbalibus potentiam ſignificantibus, quibus carẽt Hebræi, vt cùm laudabilem, vel amabilẽ, laudatũ, vel amatum dicunt; profectò, ſi reprehẽſus ab aliis ita Petrus fuiſſet, vt non eſſet vllo modo reprehenſibilis, ineptam ſuæ reprehenſionis cauſam Paulus reddidiſſet. Quare nec illud admittitur à Sanctis, Auguſtino, Ambroſio, Gregorio, Cypriano, & aliis Interpretibus [a], reſtitiſſe Paulum in faciem Petro, id eſt, in ſpecie, ſiue fictè, & per ſimulationem: nam hoc eſſet planè contra illius Epiſtolæ inſt utum, & ipſius Pauli intentionem, qui volebat ibi perſuadere, ne Galatæ permitterent ſe vltrà ſeduci à Pſeudoapoſtolis aſſerentibus, legem veterem, & Moſaïcas cæremonias ſimul cum euangelica lege obſeruandas: cùm tamen contrarium eſſet definitum in Concilio Ieroſolymis, quò ipſe propterea cum Barnaba ſe contulerat; atque inde non pridem reuerſus Antiochiã ait ſe . etro in faciem reſtitiſſe, ne nimis in h c parte Iudaïzãtibus indulgeret. Quare, ſi reſiſtentia illa fuiſſet ſimulata, inualida redderetur, quin etiã vana huiuſmodi argumentatio. Ideò magis exponens, quomodo in faciem tunc Petro reſtiterit, ſubdit [b]: *Dixi Cephæ coram omnibus.* Idem igitur eſt, in faciem reſtitiſſe, ac publicè coram omnibus, & ſine tergiuerſatione, iuxta illud eiuſdem Apoſtoli ad Timotheum [c]: *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* Vbi apertè loquitur de iis, qui

cum

a *Locis ſup. citatis, & in c. 2. Ep. ad Gal.*

b *Galat. c. 2. v.* 14.

c *Ioan. c. 5. v. 20.*

cum aliorum ſcandalo publicè aliquid committebant. Vtrùm autem Petrus pro ſua parte culpabiliter aliquid commiſerit, infrà expendemus.

Pro quarti argumenti ſolutione, in quo maximè S. Hieronymus nitebatur, eius fundamẽtum S. Auguſtinus ſic examinat. Dicebat S. Hieronymus, duo tempora diſtinguenda obſeruantiæ legis Moſaïcæ: vnum ante Chriſti mortem, in quo illæ cæremoniæ, vt circunciſio, & ſimilia, nõ eſſent mortifera, nec mortua; hoc eſt, non ſolùm non nocebant, verùm etiam proderant ad ſalutem: aliud tempus fuit ab inſtanti dominicæ Paſſionis, & Chriſti morte, ex quo & mortuæ eſſe cœperunt, & mortiferæ; hoc eſt, ita virtutem amiſerant, & obligationẽ, vt peccatum eſſet illas data opera & ſeriò velle obſeruare, quamuis aliqua ſimulatione ad alium honeſtum finem licuiſſet, vt ſi quis cibos in lege Moyſis vetitos nollet guſtare propter nauſeam, vel ad ſanitatẽ: & ſimili ratione vſurpatas interdũ ab Apoſtolis cum euangelica lege Iudaïcas cæremonias. At verò S. Auguſtinus non eſſe ſatis exiſtimauit, duo tantùm illa tempora diſtinxiſſe; ſed tertium tempus medium eſſe addendũ; ita vt, primum quidẽ durauerit vſque ad Chriſti mortem, in quo illius antiquę legis Sacramenta, cæremoniæ, & obſeruationes, nec eſſent mortiferę, nec mortuæ: alterum verò poſt Euangelium ſufficienter promulgatum, in quo legalia non ſolùm mortua, ſed etiam mortifera eſſe cœperint, vt benè S. Hieronymus aſſerebat: ſed tertium tempus medium eſſe addendũ, nempe, à Chriſti Domini paſſione ac morte, ſiue potiùs à die Pentecoſtes deinceps per aliquot annos, quando cœpit lex euangelica obligare, & tũc cœperũt illæ cęremonię vim perdere obligandi, atque ita eſſe mortuæ, nõdum tamẽ mortiferæ, ita vt ſi quis ex Iudæis ad Euangelium conuerſis, vel alius eas obſeruare voluiſſet, nõ peccaret, dummodo nõ exiſtimaret, illas ad ſalutẽ adhuc eſſe neceſſarias, quaſi lex euangelica ſine Moſaïca non ſufficeret ad iuſtificationem. Et hãc ſententiam cõmuniter antiqui, & recentiores Theologi ſecuti sũt, cuius optimam reddit S. Auguſtinus rationem: vt, nimirum, vetus illa lex, quæ à Deo fuerat poſita vſque ad tẽpus nouæ legis euangelicæ, ſecundũ Ieremiæ prophetiã [d]: *Ecce dies veniũt, dicit Dominus, & feriã domui Iſraël, & domui Iudæ fœdus nouum, non ſecundùm pactum, quod pepigi cũ patribus eorũ.* per introductionem alterius euangelicæ legis, mortua, cum aliquo honore ſepeliretur. Expediebat enim fieri differentiam inter profanos idololatriæ ritus, quos Gentiles, euangelicam legem ſuſcipientes, ſtatim prorſus relinquere tenebantur, tanquam impios, & abominabiles; vt legem illam veterem, olim ſanctam, à Deo ipſo inſtitutam, & ſanctè ab antiquis Patribus obſeruatam, à qua proinde Iudæi, quò magis pij, eò minùs abhorrere ſubitò potuiſſent. Vnde illam ipſemet Chriſtus Dominus, etiamſi non obligaretur, tamen in pluribus obſeruauit, vt in circunciſione, purificatione, ſacrificio agni paſchalis, & aliis. Quanto verò tempore funus illius veteris legis durauerit, ita vt vſus illarum cæremoniarum, & obſeruantia, tanquam lege illa iam mortua, & ad ſepulcrum honeſtè deducenda, permitteretur, S. Auguſtinus non explicauit. Communiter autem duraſſe exiſtimatur à Chriſti Domini paſſione vſque ad excidium Ieroſolymitanum, annis, videlicet, quadraginta, quando Iudæorum reſpublica eſt euerſa, templum ſolo æquatum, ſummum eorum Sacer

[d] Ierem. c. 31. v. 31.

Sacerdotium, & Magiſtratus defecerunt. Imò valdè credibile eſt, cùm ante hoc tempus Euangelium ſufficienter fuiſſe promulgatum videatur, Apoſtolos, Petrum, & Paulum ante ipſorum martyrium fidelibus declaraſſe, obſeruare in poſterum legalia, non ſolùm non eſſe neceſſarium; ſed iam incipere eſſe perniciosum, vt in libro nono de legibus Franciſcus Suarius [e] adnotauit.

e *Suarez lib. 9 de leg. c. 18. n. 2.*

Ex hac doctrina facilè ſoluitur præcipuum S. Hieronymi argumentum ab exemplo ductum Pauli Apoſtoli, cæremonias Iudaïcas admittentis, vt cùm Timotheum voluit circuncidi, & fieri ipſemet, ſecundùm conſilium S. Iacobi, tanquam Iudæus cum Iudæis, vt Iudæos lucrifaceret: non enim id fictè, vel per ſimulationem faciebat; ſed verè, & ſyncerè pro compaſſionis affectu: quia, etiãſi ad ea non teneretur; neque tamen prohibebatur. Quinimò, ſi fuiſſent illæ cæremoniæ non ſolùm mortuæ, verùm etiam ab eo tempore mortiferæ, vt S. Hieronymus obtendebat; neque per ſimulationem eas obſeruare ſine graui culpa licuiſſet: ſicut, inquit, S. Auguſtinus, idola colere, quamuis per ſimulationem, etiam ad Gentiles ad veri Dei cultum alliciendos, ſacrilegio non careret.

Sed, dum Apoſtolum Paulum ab omni culpa cum S. Auguſtino vindicamus, videndum ſupereſt, an & Principem Apoſtolorum, Petrum, cum S. Hieronymo, excuſare poſſimus. Et quidem non peccaſſe grauiter Petrum in eo facto, debet eſſe certiſſimum, non ſolùm ex illo communi principio, quòd omnes Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctum ita fuerint in gratia confirmati, vt non potuerint poſteà peccare mortaliter; verùm etiam, quia neque ex materia, de qua agebatur, neque ex tota Pauli narratione, aut aliunde colligitur, adeò graue fuiſſe peccatum. An autem fuerit culpa aliqua, ſaltem venialis, dubitari poteſt: eam enim S. Auguſtinus non inficiatur, quem plures alij Theologi ſunt ſecuti. Sed accuratiores [f], dum illam diligenter examinant, vix culpam dici poſſe concludunt, niſi defectum, vt vocant, materialem. Nam actio ipſa ſeparandi ſe à Gentilibus, vt à cibis eorum abſtineret in antiqua lege olim vetitis, erat ſecundùm ſe honeſta: quamuis enim id facere S. Petrus non teneretur; tamẽ adhuc eo tempore illa obſeruantia permittebatur, vt ex S. Auguſtini doctrina receptiſſima fuit oſtenſum. Deinde intentio Apoſtoli Petri erat optima, nempe, declinare imminens ſcandalum Iudæorum: vt etiam Paulus expoſuit, dicens [g]: *Subtrahebat ſe, timens eos, qui ex circunciſione erant*; id eſt, timens eis, vt Græca verba ſignificant, ſicut in eadem Epiſtola inferiùs Galatis dixit [h]: *Timeo vos, ne fruſtrà laborauerim in vobis.* Vnde S. Chryſoſtomus [i]: *Non hoc* (inquit) *Petrus metuens, ne veniret in diſcrimen: nam, qui in initio non metuerat, multò minus tunc metuiſſet. Verùm illud metuebat, ne deficerent, quandoquidem & ipſe Paulus, ita loquitur Galatis: Timeo vos, id eſt, timeo de vobis, ne fruſtrà laborauerim.* Itaque metus non erat mundanus, vel ſeruilis; ſed pietatis cuiuſdã, & paternæ charitatis. Quòd ſi quis dicat, etiam ſcandalum Gentilium timere pro alia parte debuiſſe; reſponderi poteſt, in tam ancipiti difficultate viſum illi fuiſſe conſultius Iudaïco potiſſimùm ſcandalo prouidere; tum, quia illorum Petrus ſuſceperat patrocinium, ſicut Paulus Gentilium; tum, quia ſatis ſe Gentilibus anteà declarauerat, comedendo aliquo

f *Suarez lib. 9. de leg. c. 20. Vaſquez 1. 2. d. 182. c. 7. Baron. an. 51.*

g *Galat. c. 2. v. 12.*

h *Galat. c. 4 v. 11.*

i *Chryſoſt. in c. 2. ad Galatas.*

aliquoties cum illis, & ad eos per Paulum priùs literas deſtinauerat, decernentes nomine totius Concilij Ieroſolymitani, Gentiles non teneri legalia Iudæorum obſeruare; tum denique, quòd aliquantò erat difficiliùs eximere Gentiles, qui Ieroſolymis ad Euangelium accedebāt, ab omni obſeruātia Iudaïcarum cæremoniarum, propter Iudæos ibi manentes in magno numero, & obſeruantiores. Quapropter, ſi venientes tunc Antiochia Iudæi, qui à S. Iacobo Ieroſolyma fuerant miſſi, vt viſa Antiochenæ Eccleſiæ florentiſſima obſeruantia, magis ædificarentur, aduertiſſent Principem Apoſtolorum gentiliter viuere, atque adeò non ſolùm indulgere, vt obſeruantiæ Iudaïcæ a Gentilibus deſpicerentur; verùm etiam exemplo ſuo, cùm eſſet Iudæus, ab ipſis Iudæis negligerentur, valdè perturbati fuiſſent. Sed hinc aliquid contra omnem ipſius intentionem eſt ſecutum, vt viſo Paſtoris exemplo, Gentiles quoque ad Iudaïcas obſeruātias quaſi obligati inuitarentur. Et hoc eſt, quod Petro dicebat Paulus: *Tu Gentiles cogis Iudaïzare.* exemplo, videlicet, accepto à te, cùm tantæ ſis apud omnes auctoritatis. Quare ſcādalum hoc fuit acceptum, non datum, & paſſiuum, (inquit S. Thomas [k]) non actiuum, quale inuenitur aliquando etiam in viris perfectis, qui non omnia poſſunt ita ſemper circunſpectè operari, vt inde alij nonnunquam eam, quam non deberent, occaſionem accipiant delinquendi. Et hoc ſufficit, vt Petrus dicatur fuiſſe reprehenſibilis, non propter culpam operantis, aut defectum ipſius operationis in ſe conſideratæ; ſed propter ſecutum malum per accidens ex illa operatione, tanquam euentu fortuito, & contra intentionem operantis. Qua ratione, tam Apoſtoli, Petrus cum Paulo, quàm Doctores Eccleſię, Hieronymus cum Auguſtino, facilè conciliabuntur. Si enim propriè, ſiue formaliter, vt loquuntur, nulla Petri extitit culpa; quid mirum à S. Hieronymo eam non agnoſci? Si autem Petrum in aliquo materialiter ſaltem oportuit defeciſſe, vt veritas maneat diuinæ Scripturæ, neque mirum videri debet ſtudium huius tuendæ partis, & contentio tam vehemens S. Auguſtini, vt canonica Pauli Scriptura, quæ Petrum ponit in aliquo fuiſſe reprehenſibilem, à veritate deficere non inueniatur. Quare addit S. Auguſtinus epiſtola ducenteſimaſexageſima, quæ eſt ad Oceanum [l], S. Hieronymum tandem in eandem cum ipſo de hac re ſententiam conueniſſe [m]. Imò crediderim, Chryſoſtomum quoque, quem potiſſimùm Hieronymus eſt ſecutus, non intellexiſſe, inter Petrum, & Paulum, pactum fuiſſe explicitum, ſeu expreſſam conuentionem, vt alter eorum culpam ſimularet, alter verò fingeret reprehenſionem; ſed ita ſe geſſiſſe S. Petrum in Iudaïcis cæremoniis pro bono Iudæorum obſeruandis, vt gratam habuerit pro Gentilium bono Pauli admonitionem, & eam Paulum, cognita Petri ſanctitate, tantò confidentiùs adhibuiſſe, quantò minùs dubitabat illi charam eſſe futurā. Et propterea Chryſoſtomus eam ſimulationem ſæpiùs diſpenſationem appellauit: *Et duo*, inquit [n], *per diſpenſationem agebat Petrus: alterum, ne offenderet eos, qui erant ex circunciſione: alterum, vt Paulo iuſtam præberet occaſionem increpandi. Vnde & Paulus obiurgat, & Petrus ſuſtinet, vt dum magiſter obiurgatus obticeſcit, faciliùs diſcipuli mutarent ſententiam.* Quare tantùm abeſt, vt hìc auctoritatem Petri, qui reprehendebatur, aut prudentiam Pauli Superiorem ſuum

k S. Th. 2. 2. q. 43. ar. 6. ad 2.

l S. Aug. ep. 160. noua edit.

m S. Hieron. in dial. cōtra Pelag. l. 1. c. 8. & lib. 1 cōtra Ruff. c. 1.

n Chryſ. in cap. 2. epiſt. ad Gal.

ſuum reprehendentis defeciſſe in aliquo putandum ſit, vt potiùs vtraque non parū ea occaſione declarata fuerit, & illuſtrata. Et primùm quidem Petri auctoritas, tanquam ſummi & vniuerſalis Eccleſiæ Paſtoris in eo demonſtrata eſt, quòd, etiamſi à Iacobo, Ieroſolymorum Epiſcopo, totóque Concilio, ipſo approbante, fuerat definitum, onus antiquæ legis non eſſe ſuſcipientibus legem euangelicam neceſſariò ſubeundum; tamen viſo tanti Paſtoris exemplo, omnes non ſolùm Iudæi, & Barnabas cum illis; ſed etiam Gentiles adigerentur, &, vt ait S. Paulus, cogerentur cum illo Iudaïzare. Tunc verò innotuit vniuerſis magna Pauli ſapientia, zelus, atque prudentia, in adhibendo huic malo ſtatim remedio efficaciſſimo, quale non fuiſſet, ſi ſolus Petrus, vel ſi ſolus Paulus Iudæis infirmioribus ſeorſim contradixiſſet. Nec tantæ virtutis exemplum Eccleſiæ Rectoribus Petrus reliquiſ-
o S. Cyp. ep. 71. ad Quint. ſet: *Quem*, inquit S. Cyprianus [o], *primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, nec vindicauit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit; vt diceret, ſe primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & poſteris ſibi potiùs oportere: nec deſpexit Paulum, quod Eccleſiæ priùs perſecutor fuiſſet; ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè conſenſit. Documentum nobis, & concordiæ, & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter noſtra amemus: ſed, quæ à fratribus aliquando, & collegis noſtris vtiliter, & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera & legi-*
p S. Gregor. hom 18. in Ezech. *tima, ipſa potiùs noſtra ducamus.* Hæc S. Cyprianus: & S. Gregorius [p] illud quoque adnotauit ex Epiſtola Petri
q Petri ep. 2. c. 3 v. 15. Apoſtoli ſecunda [q], valdè illum in ea commendare ſcriptas à S. Paulo Epiſtolas, quem vocat fratrem ſuum chariſſimum, & in Epiſtolis conſcribendis, ſecundùm datam ſibi à Deo ſapientiam, prudentiſſimum: *Ecce*, inquit S. Gregorius, *Paulus in Epiſtolis ſuis ſcripſit Petrum reprehenſibilem; & ecce Petrus in Epiſtolis ſuis aſſerit, Paulum in his, quæ ſcripſerat, admirandum. Penſate ergo, in quo mentis vertice ſteterit, qui illas Epiſtolas laudauit, in quibus ſcriptum ſe vituperabilem inuenit.* Et hæc de Petri, & Pauli, non tam diſſenſione, quàm in ſenſu diuerſo pro charitate & veritate mira conſenſione, dicta ſufficiant.

CAPVT VIII.

Paulus, & Barnabas inuicem ſeparantur ad Eccleſias diuerſas viſitandas.

QVando Antiochia Petrus diſceſſerit, etiamſi explicatum in ſacra Hiſtoria non habeamus, tamen non diu illum ibi hæſiſſe veroſimilius eſt, Paulo interim cum Barnaba ibidem remanente, ad illius Eccleſiæ culturam, quæ, vt in ethnica ciuitate ampliſſima, & colentium idola refertiſſima, quotidie ad fidem Gentilibus accedentibus, maxima incrementa ſuſcipiebat, præſertim Apoſtolo Gentium tanta omnes charitate complectente. Quare multò plures addere operarios culturæ tot animarum ſufficientes, neceſſarium exiſtimauit Apoſtolus, intereà cogitans ad nouos labores aliò ſe transferre. Hæc à S. Luca referuntur his verbis [a]: *Paulus autem, & Barnabas demorabantur Antiochiæ docentes, & euangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini. Poſt aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus: Reuertentes viſitemus fratres, per vniuerſas*
a Act. c. 15. v. 35.

uerſas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo ſe habeant. Hinc apparet, igneam Pauli charitatem vno contineri loco diu non potuiſſe; ſed inſtar omnia incendentis flammæ, latè hac illac vagabatur, & ad eandem materiam acriùs incendendam iterum deuoluebatur: *Vidiſtine, quæſo,* (inquit Chryſoſtomus [b]) *animam omnia terrena ſuperantem? omnem enim prorſus hominem Deo exhibere cupiebat, & omnes, quantùm ad ipſum ſpectat, exhibuit: quaſi enim vniuerſum mundum genuiſſet, ſic perturbabatur, ſic diſcurrebat, ſic omnes in Dei regnum feſtinabat inducere, docendo, pollicendo, meditando, tum orando pro ipſis, tum etiam ipſis ſupplicando, & terrendo, aliquando epiſtolis, aliquando præſentia, nunc ſermone, nunc rebus, per diſcipulos, per ſemetipſum, conabatur erigere laborantes, ſtantes verò firmare, humi iacentes attollere, ſanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare, inimicis terribiliter inſonare, hoſtes minaciter intueri, more optimi cuiuſdam Ducis, ac Medici artis ſuæ inſtrumenta geſtantis, protector ipſe bellantium, ipſe ſedulus ægrotorum miniſter, & vnus omnium officiorum perſonas, & exercitium vbique cuſtodiens.* Hactenus Chryſoſtomus. Atque hinc illa manauit laudatiſſima, & Eccleſiæ Paſtoribus commendatiſſima conſuetudo, Eccleſias ſibi commiſſas identidem viſitandi: *Viſitemus*, ait ad Barnabam Paulus, *Fratres noſtros, quibus verbum Domini per varias regiones prædicauimus, quomodo ſe habeant. Barnabas autem* (ſubdit S. Lucas [c]) *volebat ſecum aſſumere & Ioannem, qui cognominabatur Marcus: Paulus autem rogabat eum, (vt qui diſceſſiſſet ab eis de Pamphilia, & non iſſet cum eis in opus,) non debere recipi.* Erat hic Ioannes Marcus, ſicut alibi retulimus, Barnabæ frater conſobrinus; ſic enim eum Paulus appellat ſcribens ad Coloſſenſes [d]: *Salutat vos Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata ſi venerit ad vos, excipite illum.* Fuit autem hic Mariæ viduæ nobilis, ac prædiuitis filius, in cuius hoſpitaliſſima domo Apoſtoli [e], & alij fideles Ieroſolymis ſæpè congregabantur. Hunc Barnabas ſecum adduxerat Ieroſolyma, quando cũ Paulo illuc aduenerat Antiochia, deferens collectas in ſubſidium egenorum, indéque ſimul ambo reuerſi Antiochiam, diuino oraculo Apoſtoli Gentium denunciati, & Epiſcopi conſecrati ſunt. Fuit autem Ioannes Marcus, Apoſtolorum Pauli, & Barnabæ poſteà comes, vſquequò Antiochia miſſi à Spiritu ſancto ad Inſulam Cyprum peruenerunt, & inde Pamphiliam ſunt ingreſſi: vbi vel periculis territus, vel longitudinis itineris iam pertæſus, aut laboris impatiens in aſſignato ſibi miniſterio procurandi ea, quæ ad vitæ ſuſtentationem erant neceſſaria, vel etiam fortaſſe humano affectu erga viduam parentem, quam Ieroſolymis reliquerat, euocatus, Paulo Apoſtolo ægrè ferente illam animi mollitudinem, & inconſtantiam, reuerſus eſt Ieroſolymam. Poſteà verò quàm conſiderauit Marcus tot geſta præclara à Paulo, & Barnaba, in ea peregrinatione pro conuerſione Gentium tanta hominum commendatione relata, tot miraculis à Deo confirmata, tanto cum honore in Concilio Ieroſolymitano recepta, pœnituit illum ignauiæ, & timiditatis ſuæ. Itaque, cùm Antiochiam hoc tempore veniſſet, rogauit Barnabam, conſobrinum ſuum, vt quandoquidem viſitare cum Paulo eaſdem prouincias cogitabat, ad quas ipſe, animo abiecto, progredi formidauerat,

b Chryſ. hom. 3. de laud. S. Paul.

c Act. c. 15. v. 37. 38.

d Coloſſ. c. 4. v. 10.

e Act. c. 12. v. 12.

modò vellet eum pro antiquo miniſterio ſecum ducere. Id cùm Paulo Barnabas propoſuiſſet, non cenſuit Paulus illi eſſe concedendum: ſiue, quia,iuxta Domini ſententiam [f]:*Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* ſiue, quòd inſtinctu diuino præſagiret grauiora illi pericula imminere, ſi ſecum pergeret, vt qui animo defecerat in minoribus, in maioribus difficultatibus ſuccumbere certiùs debuiſſet:ſiue denique,ad eius virtutem tali animaduerſione corroborandam. Idque poſteà Ioannes Marcus eſt cõſecutus: nam propterea illum Coloſſenſibus Paulus valdè commendauit, cùm ad eos poſt aliquot annos Romã ſcripſit [g], mandans, vt eum ad ipſos venientem beneuolè exciperẽt: & in Epiſtola ſecunda ad Timotheum [h], rogans Timotheum, vt ad ſe veniret: *Marcum* (inquit) *aſſume, & adduc tecum: eſt enim mihi vtilis in miniſterium.* Et in Epiſtola ad Philemonem [i],vocat illum adiutorẽ ſuum.

f Lucæ c. 9. v. 62.
g Coloſſ. 4 v. 10.
h 2. Tim. c. 4. v. 11.
i ad Philemon. v. 24.

Ex quibus apparet,improbabilem eſſe illorum, ſiue antiquorum, ſiue etiam quorundam recentiorum opinionem, aſſerentium, hunc Marcum à Paulo reiectum, non alium fuiſſe, quàm Euangeliſtã.Nam,quis credat, Paulum tam durum ergà Marcum Euangeliſtam exhibere ſe debuiſſe, qui & maior natu, & prior ad Chriſtum fuerat vocatus, & ante quinquenniũ ſcripſerat Euangelium ſuũ? hoc eſt,anno humanæ ſalutis quadrageſimò quinto [k]. Quis etiam credat, talem ſe Paulo præbuiſſe Marcum Euangeliſtam, vt ab eo debuerit tam aſperè tractari, & non potiùs in maximo honore, & reuerentia haberi? Præterea,nõ debuiſſet dici Barnabas, ſecum illũ ducere:ſed potiùs Marcus Barnabam,cùm eſſet Marcus celebris Euangeliſta, vnus ex Chriſti diſcipulis, cum ipſo verſatus, & multò antiquior in fide, cuius Euangelium S. Petrus Romæ iam approbauerat, & omnibus,præſertim Eccleſiæ Romanæ,multò erat in pretio. Tertiò,Euãgeliſtæ proprium nomẽ erat Marcus, non Ioannes:hic autem Barnabæ cõſanguineus, teſte S.Luca [l], Ioannes proprio nomine dicebatur, & Marcus tantùm cognominabatur. Quartò, teſtatur S.Baſilius [m], eo tempore, quo Paulus Romæ verſabatur, & inde ſcripſit ad Coloſſenſes, ſe habere apud ſe Ioannem Marcum conſobrinum Barnabæ, tunc Marcum Euangeliſtam excoluiſſe Eccleſiam Alexandrinam: diſtinctæ igitur perſonæ per loca tam diſtincta eſſe debuerunt. Quintò, dum Ioannes, cognomento Marcus, Paulo, & Barnabæ Ieroſolymis adhærebat, & eos ad Euãgelij prædicationem ſequebatur, deinde Paulo, & Barnaba inter ſe hoc tempore diuiſis, venit cum Barnaba Cyprum; poſteà Paulo reconciliatus venit ad ipſum Romam; alter Marcus Euangeliſta Alexandriæ diutiùs morabatur, & per Ægyptum prædicabat Euangelium, necnon in Lybia & Pentapoli, ait S. Athanaſius [n]. Sextò, Marcus Euangeliſta mortuus eſt Alexandriæ octauo Neronis anno, vt etiam legimus in Breuiario Romano [o]: alter verò Marcus diu ſuperuixit, ſaltem vſque ad Neronis annum decimumquartum, & mortuus eſt in Phœnicia, cùm eſſet ibi cuiuſdam ciuitatis Epiſcopus. Vnde ſic de illo legitur in Romano Martyrologio [p]: *Bybli in Phœnicia ſancti Marci Epiſcopi, qui & Ioannes à B. Luca nominatur.* Non ſunt igitur hi duo, tanquam vnus & idem confundendi.

k Baron. an. 45.
l Act. c. 12. v. 12.
m S. Baſil. cõtra Eunom. c. vlt.
n S. Ath. in Synopſi.
o Breu. Rom. die 25. Apr.
p Martyrolog. die 25. Aprilis.

Illud videri poſſet maioris eſſe ambiguitatis, quòd propter hunc Marcum, ait S. Lucas inter Paulum, &

Barnabam eſſe natam diſſenſionem,
imo paroxyſmum, vt ipſe appel-
q Act. c. 15. v. 39. lat [q], quaſi acceſſionem morbi cu-
iuſdam, non corporis, ſed animorum
inuicem exacerbatorum. Et quamuis
certum ſit, graue hic peccatum, quaſi
rumperetur charitas, non interueniſ-
ſe; an autem ea perturbatio omni
culpa caruerit, dubitat in ſuo Com-
r Caiet. in 15. Act. mentario Caietanus [r]. Sed meliùs
venerabilis Beda [s]: *Noli*, inquit, *hoc*
s Beda in idē c. 15. *delictum putare: non enim commoueri*
malum eſt; ſed irrationabiliter, nulloque
iuſto flagitante negotio commoueri.
Idémque anteà præclarè S. Ioannes
t Chryſoſt. in idem c. 15. Chryſoſtomus obſeruauit, dicens [t]:
Exacerbatio illa non fuit mala, quando
pro talibus vnuſquiſque contendit, idq́;
iuſta cum ratione. Nam, ſi quis illorum
exacerbatus, quòd ſuum, & quòd in ſuā
gloriam quæſiuiſſet, benè: ſi autem vter-
que volebat docere, & inſtituere, & hic
quidem hanc, ille autem aliam viam in-
greſſus eſt, quale hoc fuit crimen? multa
enim humana ratione faciebant: non
enim fuerunt lapides, & ligna. Ita
Chryſoſtomus. Idipſum exemplo
Chriſti Domini confirmat, in quem,
etiamſi peccatum nec minimum ca-
dere potuiſſet; tamen interdum zelo
diuini honoris, & ad profectum diſci-
pulorum indignatum ſe oſtendit,
aliíſque non leuibus, licèt irreprehē-
ſibilibus, animi motibus turbauit ſe-
u Ioan. c. 11. v. 34. metipſum [u]: exemplo quoque Pro-
phetarum, quorum aliquando mores
erant varij, & diuerſæ ad bonum om-
nes reſpicientes ſententiæ. Nā Moy-
ſes valde fuit mitis; Elias verò auſte-
rus, de quo propptereà dicitur in Ec-
x Eccl. c. 48. v. 1. & 6. cleſiaſtico [x]: *Surrexit Elias Propheta*
quaſi ignis; & verbum ipſius quaſi fa-
cula ardebat, qui deiecit Reges ad per-
niciem, & confregit facilè potentiā ipſo-
rum, & glorioſos de lecto ſuo. Poſſemus
etiam addere exemplum Angelorū,
qui, etiamſi ſanctiſſimi, & propter
ſtatum beatitudinis ab omni, quam-
uis leuiſſima, culpa alieniſſimi; ta-
men in iis, in quibus exploratum nō
habent diuinum conſilium, & vo-
luntatem, adeò diuerſæ fuère aliquā-
do ſententiæ, vt à Daniele [y] deſcri- y Daniel. c. 10. v. 13.
bantur multùm inuicem diffidentes,
& per viginti dies inter ſe conten-
dentes, dum Angelus Protector re-
gni Perſarum opponeret ſe Angelo
Gabrieli Protectori populi Iudæorū,
deſiderante illo à Deo obtinere, ac
peruincere, ne à captiuitate Perſica
Iudæi reuocarentur, propter bonum
Perſarum, qui populo Dei permixti,
faciliùs ab idololatria recedebant.
Contrà verò Gabriel inſtabat, vt Iu-
dæi quamprimùm ab illa miſera ſer-
uitute liberarentur, quorum partes
tuendas, Deo ſic mādante, ſuſceperat.
Non, quia (inquit S. Thomas diſpu-
tans, an inter Angelos poſſint eſſe
diſcordiæ [z]) *eorum contraria ſint volū-* z S. Th. 1. p. q. 113.
tates, cùm in hoc omnes concordent, quod
Dei ſententia impleatur; ſed, quia ea,
de quibus conſulunt, ſunt repugnantia:
quid autem ſuper hoc ordo diuinæ ſa-
pientiæ habeat, cognoſcere, niſi Deo reue-
lante, non poſſunt. Tum de eā loquens,
quam nunc exponimus, diſſenſione: a S. Th. 2. 2. q. 37. a. 1 ad 3.
Dicendum (inquit) *quòd diſcordia, quæ*
fuit inter Paulum, & Barnabam, fuit
per accidens, & non per ſe: vterque
enim intendebat bonum; ſed vni vide-
batur hoc eſſe bonum, alij aliud: nec erat
controuerſia in his, quæ ſunt de neceſſi-
tate ſalutis; quamuis hoc ipſum fuerit à
diuina prouidentia ordinatum, propter
vtilitatem inde conſequentem. Hæc S.
Thomas. Vtilitas verò inde cōnſecu-
ta ſanè magna fuit, & multiplex; tum
pro Eccleſiis diuerſis; tum pro vtro-
que Apoſtolo; tum denique pro
ipſo, de quo eſt orta diſſenſio, Ioanne
Marco. Nā, vt de hoc poſtremò dica-
mus primùm, indigebat Marcus ali-
quātò duriùs ab Apoſtolo tractari, vt

caſtigatus ob nimiam teneritudinē, in poſterum magis viriliter ſe gerere doceretur: indigebat etiam Barnabę manſuetudine, ac facilitate, ne animo nimis abiecto, ſpem, cogitationémque deponeret in virtute proficiendi, & pro aliorū ſalute ſtrenuè laborandi. Sic interdū paruulus, dum a matre protegitur, & ad eius ſinum, tanquā ad aſylum accurrit, patre irato verbera minitāte, ſuauiter ſimul, efficacitérque corripitur, & diſciplinā ita contēperatā optimè inſtituitur. Amabatur à Barnaba quaſi materna charitate Ioannes Marcus; ſed à Paulo dilectione paterna, de quo propterea Chryſoſt.[b] *Eſt* (inquit) *admirabilis hic vir, & valdè magnus, plurimúmque profuit Marco pugna hac: ſeueritas enim Pauli conuertit illum; benignitas verò Barnabæ fecit, ne porrò relinqueretur. Et ita certant quidem; ad vnum autem finem tendebat vtilitas. Etenim videns Paulum velle diuelli, valdè territus eſt, & condemnauit ſeipſum. Et iterum videns Barnabam ſic ſibi opitulantem, valdè illum dilexit, corrigebatúrque diſcipulus præceptorum pugna; tātùm abfuit, ne offenderetur.* Ita Chryſoſtomus. Profuit etiam Barnabæ talis diſſenſio: quia ſic Paulo adhæſerat, vt ab eo non facilè diuelli, niſi per huiuſmodi occaſionem potuiſſet. Vnde, cùm Paulus iudicaret, magis operam ſuam alibi, quàm in Inſula Cypro neceſſariam, niſi ſeparati fuiſſent, prouinciis inter ſe diſtributis, plurimæ Eccleſiæ fraudatæ cultura debita remanſiſſent. Qua in re optimè Petrus Damiani prouidentiam diuinam obſeruauit, & peruerſam quorundam intelligentiam ſacræ huius Hiſtoriæ notauit dicens[c]: *Nonnulli planè, cùm per impatientiæ fomitem à fratrum charitate reſiliunt, hoc, quod Paulus & Barnabas, propter Marcum diſcipulum ab inuicem diſceſſerunt, in defenſionis ſuæ teſtimoniū vertunt. Quod vtique conſtat non diſcordiæ vitio, ſed diuinæ diſpenſationis factum eſſe iudicio: vt, nimirum, Sancti Apoſtoli, tanquam grana tritici, eò ſpargendæ fidei vberiorē meſſem redderent, quò procul eos ab inuicem diſſenſionis aura perflaret.* Quapropter neque diſſenſionē hanc, Græco vocabulo *paroxyſmi* à S. Luca ſignificatam, neceſſe eſt in malam partem interpretari: ſiquidem etiam S. Paulus, eodē vſus vocabulo in Epiſtola, quā ſcripſit ad Hebræos, in pium ſenſum illud vſurpauit, dicens[d]: *Conſideremus inuicem in paroxyſmū*, id eſt, ſecundùm vulgatam interpretationem, *in prouocationem charitatis, & bonorum operum.* Sicut enim ferrum acuitur ferro, & lapis illiſus lapidi ſcintillas emittit: ita honeſtæ vnius operationes collatę operationibus alterius æmulatione virtutis, feruida illa contentione viciſſim accendūtur, magiſque inardeſcunt. Vter autem è duobus, Paulus, an Barnabas, conſultiùs, & honeſtiùs egerit cauſam ſuā, ſeu potiùs Dei, cuius nondum exploratam habebant voluntatem, non audet S. Chryſoſtomus definire: niſi, quòd eò potiſſimùm Barnabæ intentio ferebatur, vt quæ Paulus ædificauerat, & plantauerat, excreſcerent, & conſolidarentur: & propterea bona cum Pauli venia, in Inſulam Cyprum redire, aſſumpto ſecum Ioanne, conſtituit. At verò Paulus, etiamſi tam honorificè à Proconſule Cypri, Sergio Paulo, fuerat olim acceptus, maluit aliò dirigere peregrinationem ſuam, videlicet, per Syriam, & Ciliciam: vbi ſicut plùs laboris & periculi pro bono Eccleſiarum, priùs erat expertus; ita denuò cupiebat infatigabilis, & imperterritus experiri. Quapropter Ioannem ſecum ducere per ea pericula non cenſuit expedire; ſed Silam, quem S. Lucas

b Chryſoſt. hom. 34 in Acta.

c Dam. epiſt. 11. lib. 2.

d Hebr. c. 10. v. 24.

c *Act. c. 15. v. 22. & 32.* Lucas [c] appellat vnum ex primis Fratribus, & Prophetam miſſum à Concilio Ieroſolymitano cum literis decretalibus Antiochiam, Pauli, & Barnabæ redeuntium comitem. Hic eo conſilio videtur Antiochiæ ſubſtitiſſe, nec voluiſſe Ieroſolymam cũ Iuda reuerti, vt Paulũ ad maiora pro Euangelio diſcrimina progredientẽ, ipſe comitaretur: fuit enim cum illo in vinculis, ſicut infrà referemus, & tandem multa pro Chriſto paſſus in epiſcopali dignitate, vitam ſanctiſſimam illuſtri martyrio conſummauit.

Quod verò attinet ad præſentem Barnarbæ in Inſulam Cyprum nauigationem, non eſt prætermittendũ, extare quandam Hiſtoriã, Acta Barnabæ inſcriptam, ſub ementito Ioannis Marci, tanquam illius Auctoris nomine, plurimis refertam, apertiſque mendaciis. Horum illud eſt primum, quod fingit Auctor illius fabuloſæ narrationis, vt ſuis dictis aliquã conciliet fidem, ſe hunc eſſe Barnabę comitem, Ioannem nomine, cognomento Marcum, non origine Iudæũ, ſed Gentilem, & famulum olim cuiuſdam Pontificis idolorum, Iconij ab Apoſtolo Paulo baptizatum. Cùm conſtet ex iis, quæ per certam f *Coloſſ. c. 4. v. 10. & Act. c. 12. v. 12.* ſacræ Scripturæ narrationem [f] anteà demonſtrauimus, fuiſſe hunc Ioannẽ Barnabæ conſobrinum, atque adeò genere Iudæum, Mariæ illius filium, quæ valdè diues & pia cùm eſſet, domum Ieroſolymis habebat ampliſſimã, in qua conuentus Apoſtolorum, & fideliũ habebantur; vbi etiã peracta creditur vltima Chriſti cœna; & poſteà fuit aduentus Spiritus ſancti in Pentecoſte. Deinde, quòd fingitur hic Ioannes Iconij à Paulo baptizatus, ex Luca mendacium eſſe conuincitur. In Actis enim apoſtolicis capite decimotertio[g], Ioannem Marcum, g *Act. c. 13. v. 13.* antequàm Paulus cum Barnaba ex Pamphilia egrederetur, & Iconium perueniret, ab eis receſſiſſe, & Ieroſolymã rediiſſe. Quid, quòd nihil apparet veriſimile, talem Barnabæ propinquum, & tam antiquum Chriſti diſcipulum vſque ad illud tempus differre Baptiſmum voluiſſe, cum tot hominum millia, qui, Petro primùm prædicante, crediderunt, ſtatim eadem die Baptiſmi ſuſceperint Sacramentum? Sed nec illud apparet veritati vllatenus conſentaneum, quòd fingitur Barnabas, Cypro relicta, Romam multò ante Petrum veniſſe, ibique Romanis Euangelium prædicaſſe: cùm iam pridem S. Petrus à vinculis per Angelum liberatus, quibus ſub Herode Agrippa Ieroſolymis detinebatur, Romam venerit, quando, teſte Luca [h], nondum h *Act. c. 12. v. 13.* Paulus, & Barnabas exierant Antiochia ad Euangelium prædicandum. Hoc enim non niſi poſt Agrippæ obitum, hoc eſt, anno quarto eiuſdẽ Claudij, contigiſſe, ſuo loco declarauimus [i], cùm de Pauli, & Barnabæ i *lib. 3. c. vlt.* conſecratione & epiſcopatu agemus. Quòd ſi neque tunc Barnabas potuit Petrum Romam venientem aduentu ſuo in vrbem anteuertere, quis credat, hoc anno primùm, qui Claudij Imperatoris nonus numeratur, Barnabam, luſtrata Cypro, Romã veniendo, Petrum præuenire potuiſſe? cùm iam Romæ Petrus fuiſſet ante ſeptennium. Imò verò, quia Claudij edicto Iudæi omnes hoc tempore, teſte S. Luca [k], fuerant ab vrbe k *Act. c. 18. v. 2.* expulſi, ſi vnquam veniſſe Barnabam ad vrbem Romam dicendum ſit, de quo certum non habemus teſtimonium, non niſi poſt Claudij mortem, tempore Neronis, vt aliqui obſeruant [l], potuit contigiſſe. l *Baron. num. 51.* Non tamen propterea negandum eſt id, quod certa traditione accepimus, Barnabam aliquando in Italiam

veniſſe,

veniſſe, & in Liguria Euangelium prædicaſſe, Mediolanenſem Eccleſiã antiquiſſimam, & nobiliſſimam fundaſſe, ſicut illius Eccleſiæ illuſtria monumenta, plurimorum Scriptorum auctoritate confirmata, ſufficientiſſime perſuadent.

Atque hæc ita ferè ſe habent ex Baronij. & quorundam aliorum ſententia, nulla ratione aduentum Barnabæ Romam, antequàm eò Petrus venerit, admittentium: admittitur tamen à quibuſdam antiquioribus, nempe, à Dorotheo in Synopſi, ab Hippolyto in libro de ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis, ab Alexandro Monacho in Barnabæ Vita, & legitur apud S. Clemẽtem in Recognitionibus. Quamuis autem in horum Auctorũ ſcriptis apocrypha, & fabuloſa quædam inueniantur, nec ſatis inter ſe conueniant de tempore, quo Barnabas ante Petrum venire Romam potuiſſet: ſi tamen, vt aliqui ipſorum indicant, ad initium imperij Claudij referatur, haud ita facilè refelli poteſt. Nondum enim eo tempore Petrus venerat Romam, nondum edictum de Chriſtianis ab vrbe pellendis Claudius promulgauerat: quin potiùs initio ſui imperij non parum fauere Iudæis videbatur, atque etiam Chriſtianis, quos vix à Iudæis diſtinguebat, & lege cauerat, ne vinere patriis legibus, & ritus propriæ religionis ſeruare prohiberentur. Quòd autem ab aliquibus abſurdum reputatur, ab alio, quàm à S. Petro, præſertim Romæ, portam Euangelij Gentilibus patefactam, alibi oſtendimus [m], non eſſe tam ſeuerè accipiendum: & potuit Barnabas, vt fuerat circa id tempus à S. Petro miſſus Antiochiam, Paulum quæſiturus per Ciliciam, ita mitti ab eodem S. Petro vſque Romam, vt ibi, quæ ſpes eſſet Euangelij proſeminandi, præcognoſceret, eòque non multò pòſt ipſe maturiori conſilio ſuperueniret. Quidquid autẽ fuerit, an aliquando, vel nunquam Barnabas Romæ fuerit, à S. Luca non habetur, niſi quòd poſt varias peragratas cum Paulo regiones, eo nunc relicto, & aſſumpto ſecum Ioanne Marco, in Cyprum nauigauerit. Nec vllam amplius B[a]rnabæ habemus ex Luca mentionẽ; ſed Pauli tantùm geſta Lucas proſequitur dicens [n]: *Paulus verò, electo Sila, profectus eſt, traditus gratia Dei à Fratribus. Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum.* Ex quibus tria hæc obſeruanda colligimus: primum, approbatum fuiſſe ab Eccleſia vniuerſa conſiliũ Pauli à Barnaba pro tempore ſecedendi, tanquã diuinitùs inſpiratum: ideò dicitur *traditus gratia Dei à Fratribus*, nempe, fauſta omnia illi diſcedenti cõprecantibus. Deinde, ad eas potiſſimùm regiones curſum peregrinationis ſuæ dicitur direxiſſe, quę magis indigere ipſius opera, & inſtitutione videbãtur. Tertiò, non tantùm Euangeliũ prædicaſſe; verùm etiam Eccleſię leges, præcepta, traditiones cuſtodiendas inculcaſſe, cõtra inſolentiſſimam contumaciam huius temporis Hæreticorum, qui leges, & traditiones eccleſiaſticas deſpicientes, nullã in eis agnoſcunt virtutem, aut vim obligandi, quaſi nullam huiuſmodi auctoritatem Eccleſiæ ſuæ Chriſtus Dominus cõceſſiſſet. Attamen in cœlum ipſe aſcenſurus ita eſt pollicitus [o]: *Ecce ego vobiſcũ ſum vſque ad cõſummationẽ ſæculi.* Et in extrema nocte ſuæ paſſionis [p]: *Non relinquam* (inquit) *vos orphanos. Paraclitus Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia.* Et infrà: *Ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.*

Propterea

m *lib.* 3. *c.* 5. *&* 7.

n *Act. c.* 15. *v.* 40.

o *Matth. c.* 28. *v.* 20.

p *Ioan c.* 14. *v.* 18. 26.

Propterea Concilium Ieroſolymitanum decreto ſuo illam clauſulam appoſuit: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* quod & alia Eccleſiæ Christi Concilia in Spiritu ſancto legitimè congregata proteſtari potuiſſent: ſi enim his non aſſiſtit Spiritus ſanctus, nequaquam vera poſſet eſſe, quod abſit, Christi Domini promiſſio. Hinc denique illa antiquiſſima conſuetudo ſumpſiſſe initium exiſtimatur, vt ſucceſſores Apoſtolorum, Epiſcopi, à Conciliis redeuntes Decreta ſynodalia propriis Eccleſiis obſeruanda proponerent, & commendarent. Sed Pauli iam itinera proſequamur.

CAPVT IX.

Pergit Paulus reuiſere & instituere aliquot Eccleſias Lycaoniæ, & inde Timotheum ſocium ſibi reliquæ peregrinationis aſciſcit.

SYriæ, & Ciliciæ ambas prouincias cùm Paulus euangelizando peragraſſet, tertiam adiit Lycaoniã prouinciam in Aſia minori; ad eas potiſſimùm huius regionis ciuitates rectà contendens, in quibus ante duos annos grauiſſimas ſuſtinuerat perſecutiones, & vbi fuerat lapidibus penè obrutus, ac interfectus. Quapropter benè hic poterat illud, quod aliàs de ſe dixit, proferre [a]: *Nihil horũ vereor, nec facio animam meam*, id eſt, vitam corporis mei, *pretioſiorem, quàm me, dummodo conſummem curſum meum, & miniſterium verbi, quod accepi a Domino* IESV, *teſtificari Euangelium gratiæ Dei.* Itaque ait S. Lucas [b], *Peruenit Paulus Derben, & Lyſtram, Lycaoniæ ciuitates: & ecce diſcipulus erat ibi nomine Timotheus, filius viduæ mulieris Iudææ fidelis, patre Gentili. Huic teſtimonium bonum reddebant, qui in Lyſtris erant, & Iconio Fratres. Hunc voluit Paulus ſecum proficiſci, & aſſumens circuncidit eum, propter Iudæos, qui erat in illis locis.* Ita S. Lucas. Hic eſt autem ille Timotheus, ad quem poſteà iam Epiſcopum S. Paulus duas inſignes ſcripſit Epiſtolas, in quibus multis eum nominibus valdè commẽdat, & matrem eius Eunicem, & ſimiliter auiam Loïdem, ſub quarum pia diſciplina Timotheus optimæ indolis adoleſcens educatus, & in ea fide eruditus, quam Apoſtolus Paulus ante aliquot annos Lyſtram intulerat; magis autem exemplo virtutum apoſtolicarum inflammatus adeò in omni genere virtutis profecit, vt Paulus modò rediens eum loco Barnabæ pro comite, & adiutore ſibi delegerit; nec multò pòſt iuuenem adhuc, Epiſcopum creauerit Epheſiorum, & deinde Archiepiſcopum, ac totius Aſiæ minoris loco ſui, & Ioannis Euangeliſtæ, Primatem: *Tu enim* (inquit ad eum ſcribens [c]) *aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, perſecutiones, paſſiones, qualia mihi facta ſunt Antiochia, Iconij, & Lyſtris.* Et in eadem epiſtola [d]: *Memor* (inquit) *ſum lacrymarum tuarum, & fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice.* Vnde mirum non eſt, ſi, quod ait S. Lucas [e], cùm Paulus modò Lyſtram rediiſſet, Fratres, qui Lyſtris, & Iconij morabantur, præclaram communiter de Timotheo reddiderunt teſtificationem. Idipſum Paulus facere ſcribens de Timotheo conſueuit: nam ad Corinthios [f]: *Miſi* (inquit) *ad vos Timotheũ, qui eſt filius meus chariſſimus, & fidelis in Domino, qui vos commonefaciet vias meas, quæ ſunt in Christo* IESV. Et ad Philip

a *Act. c.* 20. v. 24.
b *ibid. c.* 16. v. 1.
c 2. *Tim.* c. 3. v. 10.
d 2. *Tim.* c. 1. v. 4.
e *Act. c.* 16. v. 2.
f 1. *Cor.* c. 4. v. 17.

g Philip. c.2.v.19. & 21. Philippenſes g: *Spero in Domino* IESV *Timotheum me citò mittere ad vos: neminem enim habeo tam vnanimem, qui ſyncera affectione pro vobis ſollicitus ſit. Experimentum autem eius cognoſcite: quia, ſicut patri filius, mecum ſeruiuit in Euangelio.* Et concludens Epiſtolam ad Romanos, ait: *Salutat vos Timotheus, adiutor meus.* Imò & ipſas Epiſtolas, quas dum ſcriberet, ſecum Timotheum habebat, non ſuo tantùm, ſed illius quoque nomine inſcribebat: vt apparet in exordio Epiſtolæ ad Corinthios poſterioris, in vtraque ad Theſſalonicenſes, in vnica ad Philemonem, in altera ad Philippenſes, atque altera ad Coloſſenſes.

Sed oritur hic aliqua Hiſtoriæ difficultas: videtur enim creditu difficile, Timotheum filium mulieris Iudææ, & quidem valdè piæ, incircunciſum vſque ad hoc tempus manſiſſe, quia quoque ipſius idem permittente, eiuſdem Iudaïcæ religionis obſeruantiſſima. Quòd ſi quis dicat, fortaſſe patrem Timothei Gentilem obſtitiſſe, difficultas ex alio capite augetur: quomodo, videlicet, Hebræa mulier nubere potuerit viro Gentili, cùm hoc a Deo prohibitum in Deuteronomio h habeatur? Deinde, ſi vir Gentilis obſtitit, ne filius ritu Iudaïco circuncideretur, cur non etiam Baptiſmum eius ante aliquot annos à Paulo primùm Lyſtram veniente illi collatum non impediuit? Sed, quod maiorem habet admirationem, eſt, voluiſſe Paulum, à ſe iam pridem baptizatũ Timotheum modò ritu Iudaïco circuncidi: *O beate Apoſtole Paule*, (inquit S. Hieronymus i in quadam epiſtola ad S. Auguſtinum,) *qui in Petro reprehenderas ſimulationem, quare ſubtraxiſſet ſe à Gentibus propter metum Iudæorum, qui à Iacobo venerant, cur Timotheum, filium hominis Gentilis, vtique & ipſum Gentilem, (neque enim Iudæus erat, qui non fuerat circunciſus,) contra ſententiã tuam circuncidi feciſti? Reſpondebis mihi: propter Iudæos, qui erant in illis locis. Qui igitur tibi ignoſcis in circunciſione diſcipuli venientis ex Gentibus, ignoſce & Petro præceſſori tuo, quòd aliqua fecerit metu fidelium Iudæorum.* Itaque in ea perſiſtit S. Hieronymus opinione, de qua ſuperiùs ſatis multa iã diximus, vt quemadmodum cenſuit à Paulo Petrum reprehenſum ficte ac ſimulatè, & de ſimulata, non verò ex animo vſurpata Iudaïca viuendi ratione; ita nunc velit Paulum fictè, non ex intentione Timotheum circuncidi voluiſſe. Hoc autem ſatis intelligere nunquam potuit S. Auguſtinus, ideò multis hac de re diſputans in libro ſuo contra mendacium inſcripto, inter alia ſic habet k: *Non, vt nonnulli putant, ex eadem ſimulatione etiam Paulus, aut Timotheum circuncidit, aut quædam ipſe, ritu Iudaïco Sacramenta celebrauit; ſed ex illa libertate ſententiæ ſuæ, qua prædicauit, nec Gentibus prodeſſe circunciſionem, nec Iudæis obeſſe. Vnde nec illos adſtringendos ad conſuetudinem Iudæorum, nec hos à paterna deterrendos cenſuit.* Itaque ob eam cauſam addit S. Auguſtinus, à Paulo fuiſſe Timotheum circunciſum, antequàm illum ſecum duceret, vt eius opera in Euangelij prædicatione fructuoſius vteretur, quoniam ortus ex matre Iudæa, ſi manſiſſet incircunciſus, Iudęis minùs gratus extitiſſet, præſertim Paulo id fieri prohibente, qui ſuſpectus apud Iudæos habebatur, quaſi deſpiceret Iudaïcas cæremonias, eáſque vellet quamprimùm prorſus abolitas. Quæ quidem obſeruationes, licèt ad ſalutem non eſſent amplius neceſſariæ; tamen nondum erant pernicioſæ, neque periculum ſcandali ex parte Gentilium apparebat, quaſi eo facto

h Deut. c.7.v.3.

i S. Hier. ep. 11 inter ep. S. August.

k S. Aug. lib. cõtra mendac. c. 5.

inferre

inferre debuiſſent, circunciſionem eſſe omninò neceſſariam, atque adeò Iudaïzare, ſicut ex Petri ſimulatione, cogerentur: *Ideò*, inquit S. Auguſtinus [l], *& Timotheus, cùm in præputio vocatus eſſet, tamen quia de Iudæa matre ortus erat, & oſtendere cognatis ſuis debebat, ad eos lucrifaciendos, non hoc didiciſſe in diſciplina Chriſtiana, vt illa Sacramenta, quæ legis veteris eſſent, abominarentur, circunciſus eſt ab Apoſtolo: vt hoc modo demonſtraret Iudæis, non ideò Gentes ea non ſuſcipere, quia mala ſunt, & pernicioſè à patribus obſeruata; ſed, quia ſaluti iam non neceſſaria, poſt aduentum tanti Sacramenti, quod per tam longa tempora tota vetus illa Scriptura propheticis figurationibus parturiuit.* Quod autem S. Auguſtinus hic dicit, Apoſtolum ad Iudæos Timothei agnatos Chriſto lucrifaciendos, voluiſſe illum circuncidi, non eſt intelligendum de ipſius matre Eunice, vel auia Loïde; ſed de aliis Timothei propinquis: auia enim, & mater iam pridem ad euangelicam fidem cùm acceſſiſſent, non opus fuit Chriſto ea ratione, & hoc tempore lucrifierent. Quare vniuerſaliùs dixit S. Lucas [m], id factum à S. Paulo propter Iudæos in illis regionibus habitantes. *Mirabile hoc*, (inquit S. Ioannes Chryſoſtomus [n]) *quod & illum aſſumit, & circuncidit propter Iudæos, qui erant in illis locis. Hæc eſt cauſa circuncidendi: non enim ferebant audire verbum ab incircunciſo. Et cur? Vide opus: circuncidit, vt circunciſionem tollat.* Hæc S. Chryſoſtomus, & eſt idem, quod ſimilitudine accommodatiſſima corporum defunctorum S. Auguſtinus expreſſit, dicens [o], oportuiſſe, legem illam veterem hoc tempore defunctam cum aliquo honore ad ſepulcrum deducere; iam verò ſepultam nefas eſſe ad praxim amplius reuocare, perinde ac ſi quis vellet à ſepulcro putrefactum cadauer eruere. *Quare* (inquit) *licet mihi dicere, Apoſtolum Paulum, & alios rectæ fidei Chriſtianos tunc illa vetera Sacramenta paululùm obſeruando commendare debuiſſe, ne putarentur illæ propheticæ ſignificationis obſeruationes, à piiſſimis patribus cuſtoditæ, tanquam ſacrilegia diabolica à poſteris deteſtata. Iam enim cùm veniſſet fides, quæ priùs illis obſeruationibus prænunciata, poſt mortem, & reſurrectionem Domini reuelata eſt; amiſerat tanquàm vitam officij ſui. Veruntamen, ſicut defuncta corpora, neceſſariorum officiis deducenda erat quodammodo ad ſepulturam, nec ſimulatè, ſed religioſè; non autem deſerenda continuò, vel inimicorum obtrectationibus, tanquam canum morſibus proiicienda. Proinde nunc quiſquis Chriſtianorum, quamuis ſit ex Iudæis, ſimiliter ea celebrare voluerit, tanquam ſopitos cineres eruens, non erit pius deductor, vel baiulus corporis; ſed impius ſepulturæ violator.* Hæc S. Auguſtinus.

[l] lib. contra mendac. c. 5.

[m] Act. 16. v. 3.

[n] Chryſ. hom. 34. in Acta.

[o] S. Aug. ep. 19. ad S. Hier.

Ad illud verò, quod initio quærebatur, cur tandiu Timotheo dilata fuerit circunciſio, præſertim ex matre Iudæa, & adeò religioſa muliere nato; non mala eſt illa reſponſio, vel coniectura: nimirum, videri fuiſſe Sacramentum illud Iudaïcum à parente Gentili, ne filio conferretur, impeditum, cui etiã propterea nomen Gentile Timothei, non autem Hebraïcum ſit impoſitum. Cur autem ſimiliter ethnicus parens non obſtiterit, ne ſacramentum Baptiſmi ab Apoſtolo Paulo illi conferretur, alterutra ex his cauſa eſſe potuit: ſiue, quia eſſet mortuus vir ille Gentilis, quando primùm Paulus, & Barnabas Lyſtram venerunt, ita vt vidua tunc eſſet Eunice Timothei mater; vnde alia quædam lectio apud S. Lucam

p *Act. c. 16. v. 1.* ſic habet [p]: *Erat Timotheus filius mulieris viduæ, patre Gentili.* ſiue, quòd eſſet ad fidem ipſe quoque vir cum vxore, & reliqua familia, Paulo prædicante, conuerſus. Atque id etiam illud Lucæ verbum quodammodo inſinuat: *Erat*, quod Græcè legitur, ὑπῆρχεν, *fuerat*, quaſi diceretur, fuerat olim, ſed non erat ampliùs, pater eius Gentilis, cùm ad Chriſti fidẽ iam eſſet conuerſus, aut etiam mortuus. Huic ethnico qua ratione mulier Hebræa iungi honeſto matrimonio potuerit, facilè intelligetur, ſi, quod habetur in Deuteronomio circa nuptias Hebræorum cum alienigenis non ineundas, conſideretur. Neque enim ibi [q], ſociare coniugia cum extraneis quibuſcunque abſolutè Iudæi prohibentur; ſed cum gentibus quibuſdam in terra Chanaan habitantibus. Imò ſententia doctorum [r] virorum eſt, non fuiſſe Iudæis lege vetitum matrimonio iungi alienigenis, eò quòd eſſent alienigenæ; ſed quatenus idololatræ. Itaque ſublato idololatriæ periculo licuiſſe. Vnde Eſther honeſtiſſimè nupſit Regi ethnico Aſſuero, & Dauid Rex ſanctus vxorem duxit Maacham, filiam Regis Geſſur, ſine vlla Scripturę ſacrę reprehenſione, vt legimus in ſecũdo libro Regũ [s]. Tantùm autẽ abfuit, vt mater Timothei à Gentili coniuge ad idololatriam pertraheretur, vt ipſa potiùs illum ab infidelitate ad Chriſti fidem exemplo ſuo induxerit, ſicut eſſe veroſimilius anteà dicebamus, dum Lyſtris Paulus Euangelium annunciaret. Quapropter in Epiſtola ad Corinthios [t], commendat Apoſtolus, ob ſpem conuerſionis infidelis coniugis per fidelem, contracta inter eos matrimonia; (quamuis modò in Eccleſia non permittãtur contrahi:) *Nam, ſi qua mulier*, inquit, *fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum: ſanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij veſtri immundi eſſent: nunc autem ſancti ſunt.* hoc eſt, filij tali honeſto matrimonio nati, & Chriſtiana pietate ſic educati facilè obtinebunt ſuſcepto Baptiſmo ſanctitatem, & morum, pia illa educatione, probitatem: qualem obtinuiſſe Timotheum, *reddebant teſtimonium bonum*, inquit S. Lucas, *qui in Lyſtris erant, & Iconio Fratres.* Quę res Apoſtolum permouit, vt Timotheum acciperet ſibi comitem, & adiutorem: quem proinde manuum impoſitione Diaconum ordinauit, vt refert in vita Timothei Metaphraſtes [p], & annis ſubſequentibus aliis altioribus Ordinibus, vſque ad epiſcopatum inſigniuit. Id non obſcurè videtur ipſe S. Paulus ſignificare voluiſſe, cùm ad Timotheum ſcribens, poſt commendatam auię ipſius, & matris, ac filij pietatem, & quaſi hæreditariam fidem, ſubdit hæc verba [q]: *Propter quam cauſam admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.* Hanc autem impoſitionis manuum cæremoniam nequaquam exiſtimare debemus nudum quoddam fuiſſe miniſterium, quale Iudæi conſueuerunt adhibere, vt in Talmudicis teſtatur Rabbi Nathan [r], cùm quis ad alios docendos, collecto Concilio Seniorum, Magiſter, ſiue Doctor crearetur, ſingulis ſupra caput examinati & approbati, manus imponentibus: ſed fuit Sacramenti Ordinis propria cæremonia, gratiam ſub illo ſenſibili ſigno conferens ſacramentalẽ, quam proptereà S. Paulus dixit ſuſcitandã, id eſt, ex habitu infuſo in actum reuocandam, exercitio virtutum, & digno vſu miniſterij ſui. A Paulo igitur cùm ſic aſſumptus fuiſſet Timotheus,

q *Deut. c. 7. v. 3.*

r *Mald. in c. 1. Matth. v. 5.*

s *2. Regũ c. 3. v. 3.*

t *1. Cor. c. 7. v. 13.*

p *Metaphr. apud Sur. 22. Ian.*

q *1. Tim. c. 1. v. 6.*

r *apud Baron. an. 51.*

cheus, & Silas comes acceſſiſſet, ſimul tres proficiſcebantur: *Cùm autem pertranſirent ciuitates* (ait S. Lucas [s]) *tradebant eis dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & Senioribus, qui erant Ieroſolymis.* Vt, nimirum, ea ratione Iudæi cum Gentilibus, & Gentiles cum Iudæis mutua charitate conuenirent, & ſublatis diſcordiarum occaſionibus, in vnum Eccleſiæ corpus coagmentarentur. Vnde ſecutum ex hoc emolumentum Eccleſiarum ſacer Hiſtoricus ſtatim adiunxit, dicens: *Et Eccleſiæ quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie.* Nihil igitur obfuit incremento fidei, & Euangelij propagationi, Timotheum hoc tempore eſſe circumciſum, vt Chryſoſtomus [a] obſeruauit; ſed potiùs conſilio Pauli ſapientiſſimo, plurimùm profuiſſe, ipſa experientia demonſtrauit.

[s] Act. c. 16. v. 4. & 5.

[a] Chryſ. hom. 34. in Acta.

CAPVT X.

Tranſit Galatiam, Phrygiam, Myſiam; inuitatur ab Angelo in Macedoniam; & ſocium ſibi tertium adiungit Lucam Euangeliſtam.

Etiamſi regiones, quas Apoſtolus modò pertranſibat, ferè illæ ipſæ ſint, quæ ab eo priùs fuerant Chriſtiana fide illuſtratæ, & in quibus Eccleſias plures anteà fundauerat, (nam tale fuiſſe propoſitum ſuum Barnabæ ſignificauerat initio huius peregrinationis, cùm diceret [a]: *Reuertentes viſitemus Fratres per vniuerſas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo ſe habeant.*) tamen ad alias plures nouo labore & tractu terrarum longiore hoc tempore debuit proficiſci. Quare ad orientem relicta Lycaonia, & verſus occidentem progreſſus, tum declinans ad ſeptentrionem venit in Galatiam Gentiliũ prouinciam, à Gallis in Græciam commigrantibus inhabitatã, vnde etiam Gallogræcia eſt appellata, & populi tum Galatæ dicti ſunt, tum Gallogræci: quibus ad Chriſti fidem perductis, poſteà Paulus inſignem ſuam Epiſtolam ad Galatas Græco ſermone conſcripſit: & plures ibi fundatas fuiſſe Eccleſias initio illius Epiſtolæ ſignificauit, Eccleſias Galatiæ numero multitudinis appellando. Qualia verò ſpatia terrarum hi tres Euangelij præcones, Paulus, Silas & Timotheus breui tempore ſint emenſi, hinc etiam licet agnoſcere, quòd adeò magnos earum regionum tractus, quales à Lycaoniæ ciuitatibus, in quibus anteà fuerant, per Galatiam vſque in Phrygiam intercedunt, pauciſſimis verbis S. Lucas complexus eſt dicẽs [b], tranſeuntes Phrygiam, & Galatiæ regiones, & nihil moratos in Aſia, veniſſe in Myſiam, & mox tentaſſe ire in Bithyniam. Nec mirum videri debet eſſe primùm Phrygiam, deinde Galatiam in hoc itinere nominatam; cùm tamen anteà fuerit Paulo per Galatiam tranſeundum, quàm ad Phrygiam vlteriorem Myſiæ, & Bithyniæ finitimam perueniret: nam Phrygia duplex eſt; altera maior contermina Lycaoniæ; altera minor, quæ protenditur vltra Galatiam, eámque à meridie verſùs occidentem complectitur. Itaque veriſimile eſt, priùs eos veniſſe ad Phrygiã maiorem, deinde ad Galatiam diuertiſſe, tum in minorem, & vlteriorem Phrygiam proceſſiſſe. Id autem factum eo conſilio videtur, vt latiùs ea loca circumeuntes, & diutiùs immorantes ſementem Euangelij facerent ampliorem. Sed alia ſæpè ſunt Dei,

[a] Act. c. 15. v. 36.

[b] Act. c. 16. v. 67.

alia hominum conſilia: dum enim
c *ibid c. 16. v. 6.* ibi eſſent, ait S Lucas [c], *Vetati ſunt à Spiritu ſancto, loqui verbum in Aſia.* Veruntamen hic Aſiam non oportet eam intelligere, quæ maior appellatur; ſed minorem, cùm plures hactenus enumeratæ regiones, quas Paulus concionando viſitauit, quin etiam ipſa Palęſthina, intra maiorem Aſiam includantur. Imò neque tota minor Aſia fuit hoc loco ſignificata, quæ à parte orientali ad Syriam vergens, & ad Cappadociam vndique mari eſt circunfuſa, & hodie à Turcis Anatholia, ſiue Turcia minor nominatur, plures prouincias comprehendens, vt Phrygiam, Pamphiliam, Ciliciam, Lycaoniam, Galatiam, Cariam, præcipuè verò Myſiam, Troadem, atque Bithyniam. Quare pro ea tantùm Aſiæ minoris parte vetitum à Spiritu ſancto pro tempore fuiſſe videtur, ne verba ibi fierent euangelicæ prædicationis, quæ finitima eſt Epheſo: vt fortaſſis ea regio Ioannis Euangeliſtæ prædicationi reſeruaretur. Vnde ſuam poſteà S. Ioannes illi regioni dicauit Apocalypſim, in cuius primo capite proteſtatur, ſe à Spiritu ſancto hac ipſa de re fuiſſe admonitum, illis
d *Apoc. c. 1. v. 11.* verbis [d]: *Quod vides, ſcribe in libro, & mitte ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia, Epheſo, Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ.* Atque hanc aliqui rationem reddiderunt huius alioquin imperſcrutabilis Dei conſilij, coniectando magis, quàm aliquid certi de tam recondita pro-
e *Rom. c. 11. v. 34.* uidentia aſſerendo [e]: *Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* Et quamuis negari non poſſit, Aſiæ minoris conuerſionem bona ex parte S. Ioanni Euangeliſtæ eſſe tribuendam; nam de eo ſic ſcribit S. Hieronymus [f]: *Interfecto Domitiano, Ioannes*
f *S. Hieron. lib. de Scipt. Eccleſ.* *Euangeliſta ſub Nerua Principe rediit Epheſum, ibique vſque ad Traianum perſeuerans, totas Aſiæ fundauit, rexitque Eccleſias.* tamen etiam S. Paulum diu, multúmque laboraſſe in Aſiæ metropoli Epheſo, & plurimos in ea ciuitate ad Chriſti fidem perduxiſſe, teſtatur S. Lucas in Actis apoſtolicis, & erit à nobis poſteà ſuo loco fuſiùs referendum.
g *S. Iren. lib. 3. cōtra hær. c. 3.* Quare S. Irenæus [g], qui fuit Apoſtolorum temporibus valdè propinquus, ſcribit Eccleſiam Epheſinam à Paulo fundatam; à Ioanne autem poſteà gubernatam: & S. Ignatius in epiſtola, quam ſcripſit ad Epheſios, eorum magiſtros, Paulum, & Timotheum appellat. Potiùs igitur videri poſſet cum S. Gregorio [h], & Beda [i]
h *S. Greg. hom 12. in Ezech.*
i *beda in cap 16. Act.* eſſe dicendum, ideò tunc fuiſſe Paulo vetitum à Spiritu ſancto loqui in Aſia verbum Dei, quia ibi Gentiles eo tempore nimis tali beneficio indignos ſe exhibebant. Hac enim ratione mandauerat Apoſtolis in Euangelio Chriſtus Domi-
k *Matth. c. 7. v. 6.* nus [k]: *Nolite dare ſanctum canibus: neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi diſrumpant vos.* Eandem ſimiliter ob cauſam Paulo, poſt ſuam conuerſionem ex Arabia Ieroſolymam venienti, ardentiſſimóque zelo in ea vrbe Euangelium prædicare incipienti, quod anteà fusè narratum eſt [l], apparens
l *lib. 3. c 6.*
m *Act. c. 22. v. 18.* in templo Chriſtus Dominus [m], dixit: *Feſtina, & exi velociter ex Ieruſalem: quoniam non recipient teſtimonium tuum de me.* Sicut verò Pauli tunc prædicatio Ieroſolymis non tam negata, quàm in aliud tempus dilata opportunius, & iuxta Dei præſcientiam ac prouidentiam cum fœnore ad plurium vtilitatem eſt reſeruata: ita etiam plenior

plenior Aſiæ inſtitutio, & maximè circa Epheſum, necnon Myſiæ, ac Bithyniæ ad meliora tempora huic Apoſtolo ſeruabatur. Quare ait S. Lucas [n]: *Cùm veniſſent in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos Spiritus* IESV. Eſt Myſia in minori quoque Aſia ad Phrygiam pertinens, prouincia diuiſa ipſa etiam in maiorem & minorem: maior Myſia eſt ab Auſtro ſupra ſinum Adrimytheum, iuxta Antandrum maritimam ciuitatem: Myſia minor à Bithyniæ finibus in Propontidem flectitur, quæ poſteà etiam Æolis eſt appellata. Bithynia verò prouincia dicta, Solino teſte [o], à recentioribus Mygdonia, minori quoque Aſia cóprehenditur, ſita ad Pontum, Troadi proxima, Thraciæ iacet aduerſa. Duas continet, inter alias, inſignes ciuitates, Nicæam, vbi celebratum eſt œcumenicum Concilium Nicænum inde ſic appellatum, & Nicomediam illuſtrem gloria Martyrum plurimorum. Atque hinc etiam licet agnoſcere, quantoperè dilata in aliud tempus Pauli prædicatio, iuxta eam, de qua diximus, Dei prouidentiam in hac regione profecerit, & ad quantam ſpiritualium ſegetum vbertatem, veluti opportunis anni temporibus iactum ſemen cœlo propitio germinauerit.

n *Act. c. 16. v. 7.*

o *Solinus in Polyhiſt. & Seru. in 2. Æn.*

Sed & illud non minùs obſeruatione dignum hic addiſcimus, Viros apoſtolicos in officio prædicationis, & munere iuuandarum animarum à Dei potiſſimùm nutu pendere, vt eò dirigant curſum ſuum, quò tanquam habenis quibuſdam prouidentiæ diuinæ remiſſis, vel adductis, ex ipſius beneplacito perducuntur. Qua de re ſcribens ad Romanos Apoſtolus dicebat cum Iſaïa [p]: *Quomodò verò prædicabunt, niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacē, euangelizantium bona.* Siue, vt legit Tertullianus [q]: *Quam tēpeſtiui pedes euangelizantium, &c.* Cùm itaque Paulus, & qui cum ipſo erant, prohibiti fuiſſent hoc tempore vſque in Bithyniā proficiſci: *Pertranſeuntes Myſiam* (inquit S. Lucas [r]) *deſcenderunt Troadem*, eam, quā priùs Troïam eſſe appellatam teſtatur S. Hieronymus [s], in vndecima quæſtione ad Edibiam, & nomen obtinuit à Troë Rege Troïanorum, qui etiā Troës dicti ſunt, noménque, tum Troadis, tum Troïæ regioni commune fecerunt, & ſimul regiæ ciuitati, quæ Ilium ab Ilo, & à Dardano Dardania dicebatur. Sed non proptereà exiſtimare debemus de hac ciuitate, Homeri Iliade celebrata, S. Lucam hic eſſe locutum, cùm ea non ſit maritima, ſed valdè procul à mari poſita versùs ſeptentrionem, iuxta duos fluuios Simoëntem, & Xanthum, ſiue Scamandrum, longo terræ tractu in Helleſpontum ſe exonerantes. Hæc autem Troas, ad quam deſcendit S. Paulus, vt indicat ipſum verbum deſcendendi, quo vſus eſt Lucas, ad littus erat maris Ægei mediterraneo adiuncti. Vnde S. Chryſoſtomus [u]: *Prohibiti*, inquit, *à Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia, ad mediterraneum feſtinant.* Quòd autem aliqui voluerunt, aliam eſſe Troadem ciuitatem in Bithynia, neque hæc ad rem noſtram facit: cùm enim ire in Bithyniam Paulus modò à Spiritu ſancto non ſit permiſſus, ad aliam Troadem debuit ſe conferre, quàm quæ erat in Bithynia, nempe, ad eam, quam diximus, maritimam, vt S. Hieronymus [t], & alij Interpretes obſeruarunt. Quapropter, niſi Troas aliqua fuit ciuitas adiacens littori Ægei maris, quam eandem cum Antigonia fuiſſe quidam cenſuerunt,

p *Rom. c. 10. v. 15. Iſai. c. 52. v. 7.*

q *Tertul. lib. 5. contra Marcionem, c. 2.*

r *Act. c. 16. v. 8.*

s *S. Hier. ep. 150. q. 11.*

u *Chryſ. hom. 34. in Act.*

t *S. Hier. ſiue aliùs auctor de locis in Actis apoſtolicis.*

alij

alij confundunt cū Alexandria, oportebit nomine Troadis regionem ipsā maritimam intelligere, Troadis etiam nomine interdum ſignificatam, quod Syrus Interpres indicauit, dicens: *Deſcenderunt in Troadem regionem.*

In hac igitur, ſiue regione, ſiue ciuitate Troadis, prope mare, dum Paulus longo itinere fatigatus per noctem quieri ſe compoſuiſſet, prophetica viſione monitus eſt, Angelo interueniente, de rebus futuris. *Et viſio*
x *Act. c. 16. v. 9.* (inquit S. Lucas [x]) *per noctem Paulo oſtenſa eſt. Vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eū, & dicens: Tranſiens in Macedoniam adiuua nos.* Fuiſſe hanc viſionem per ſomnum, ſignificatur, dum dicitur, fuiſſe oſtenſa per noctem, & ὅραμα nominatur. Somniū verò non à natura proceſſiſſe, nec à Dæmone immiſſum, ſed inditū fuiſſe diuinitùs, rei tam ſalutaris euentus auſpicatiſſimus declarauit. Et quāuis ſomniis facilem præſtare fidem ſæpè in Scripturis diuinis reprehendatur: *Multos enim errare fecerunt ſomnia*
y *Eccli. c. 34. v. 6. 7.* (inquit Eccleſiaſticus [y]) cùm tamen anteà dixerit: *Niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis in illis cor tuū.* immittendas autem huiuſmodi per ſomnia viſiones à diuino Spiritu, non ſolùm antiqui Teſtamenti iuſtis, atque Prophetis, verùm etiam aliis interdum fidelibus euangelicæ legis, expoſuit ipſo die Pentecoſtes in publica concione S. Petrus ex illo Ioelis
z *Act. c. 2. v. 17.* teſtimonio dicentis [z]: *Erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt.* Ex eo verò, quòd iuuenibus viſiones promittuntur, ſenibus autem, hoc eſt, nō tam ætate, quàm ſanctitatis perfectione prouectioribus ſomnia immiſſa diuinitùs; gradum aliquem altioris prophetiæ in huiuſmodi ſomniis debemus agnoſcere, quàm ſit in ſimplici, & non ita benè rem exprimente viſione: præſertim, ſi, vt ait S. Thomas [a], videat aliquis in tali ſomnio perſonam aliquam ex ordinatione diuina ſibi colloquentem, aut aliquid demonſtrantem: quia per hoc oſtenditur, quòd mens eius magis appropinquat ad cauſam reuelantem. Vir autem Macedo, qui modò cum Paulo per quietem loquebatur, non niſi Angelus fuiſſe communiter creditur; & quidem Præſes, ſiue cuſtos Macedonicæ regionis: eſſe nanque proprios Angelos deputatos ad cuſtodiam, non tantùm hominum ſingulorum; ſed etiam diuerſarum nationum, ſæpè nos Eccleſiæ Patres docuerunt, illud conſiderantes, quod legitur in Daniele [b], de Principibus regni Perſarum, & regni Græcorum, & Principe Michaële, Prepoſito Synagogæ, & Præpoſitis Spiritibus regni Græcorum, atque Perſarum, inter ſe pro illorum cura populorum diſceptantibus. Atque in hanc ſententiam Dionyſius Areopagita [c], Baſilius [d], Cyrillus Alexandrinus [e], Gregorius Magnus [f], & Gregorius Nazianzenus [g], illud interpretantur, quod iuxta Septuaginta legitur in Deuteronomio [h]: *Quando diuidebat Altiſſimus Gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum eius.* Neque mouere quenquam debet à S. Luca hunc Angelum, virum eſſe appellatum: nam illi quoque duo Angeli, qui eodem Luca referente [i], Apoſtolis apparuerunt, dum in cœlum Chriſtus aſcenderet, viri nominātur: *Ecce*, inquit, *duo viri adſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis.* Sed veſtes, & habitus huius Angeli, qui nunc Paulo apparuit, erat Macedonicus, vt cuius regionis cauſam ageret, non tantùm ex verbis, ſed etiam ex habitu

a *S. Thō. 2. 2. q. 174. a. 3.*
b *Dan. c. 10 v. 13. & 21.*
c *Dion. c. 9. de cœl. Hierarch.*
d *Baſil. in Pſal. 33.*
e *Cyrill. lib. 4. de adorat. in ſpir.*
f *Greg. lib. 17. Mor. c. 8.*
g *Nazian. or. 2. de Theolog.*
h *Deut. c. 32. v. 8.*
i *Act. c. 1. v. 10.*

bitu & forma corporis indicaret. *Erat autem ſtans*, id eſt, aſſiſtens, & ſuam Paulo præſentiam exhibens, non quaſi nullam ſaltem modica inflexione corporis in morem ſupplicantis reuerentiam præ ſe ferret, cùm addat S. Lucas [k]: *Et deprecans eum, & dicens: Tranſiens in Macedoniam adiuua nos.* Quare fecit hæc ſupplicatio Magiſtrum Hiſtoriæ ſcholaſticæ [l] ſubdubitare, num verè Angelus, an potiùs vir Macedo ille fuerit: *Nam*, inquit, *Angeli non indigent adiuuari ab hominibus, ſed à ſolo Deo.* Facilè tamen reſponderi poteſt, etiamſi non egeant Angeli pro ſeipſis adiuuari ab hominibus; tamen pro eo, quòd in cauſa noſtra operantur, habere nos poſſe, & ſolere in multis cooperatores. Si enim ſanctus Paulus adimplere ſe dicebat Chriſti Domini infiniti meriti & valoris paſſiones [m]: *Adimpleo*, inquit, *quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia, cuius factus ſum ego miniſter, ſecundùm diſpenſationem Dei.* cur non eadem, & multò maiori ratione potuit de Paulo dici, adimplere illum debuiſſe, quæ deerant Angelorum quorundam miniſterio, in negotio animarum multis variiſque rationibus iuuandarum? Præterea, cùm Angelus ſpeciem Macedonis præ ſe ferret, dum adiuuari à Paulo poſtulabat, non tam ſe, quàm Macedones indigere auxilio indicabat. *Vt autem Paulus viſum vidit* (inquit ſanctus Lucas [n]) *ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam, certi facti, quòd vocaſſet nos Deus euangelizare eis.* Ad hæc prompta extitit, & ſine vlla cunctatione expedita obedientia, quæ vt effectum ſortiretur pleniorem, Lucam Euangeliſtam huius Hiſtoriæ Scriptorem pro quarto ſocio huius nouæ peregrinationis obtinuit. Quare notant omnes ferè Interpretes hoc loco, cùm Lucas anteà nunquam referendo Pauli, vel aliorum actiones, in prima perſona ſit loquutus; ſed tantùm in tertia, dicens: Ibant, ſtabant, hoc, aut illud fecerunt: nunc & deinceps ſemper loquitur in prima, & in numero, ſeipſum includens, multitudinis: *Quæſiuimus*, inquit, *proficiſci, certi facti, quòd vocaſſet nos Deus.* Itaque, quod ſanctus Hieronymus [o] affirmauit in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis, Lucā fuiſſe Pauli Apoſtoli ſectatorem, & omnis peregrinationis eius comitem indiuiduum, non niſi ab hoc tempore debet intelligi. Idque traditum fuit à ſancto Irenæo diſtinctiùs, vbi dixit [p], inſeparabilem fuiſſe Pauli ſocium, & Euangelij operarium Lucam Euangeliſtam: quia, cùm à Paulo ſe Barnabas, & Marcus ſeparaſſent, & Troadem cum Timotheo, & Sila veniſſent, inuitatus per viſum à viro Macedone, vt tranſiret in Macedoniam, illi ſe Lucas reliquæ peregrinationis comitem adiunxit. Mirum tamen eſt adeò latenter Lucam hic inſinuaſſe perſonam ſuam, vt non magis exprimeret, quando, qua occaſione, quomodo quartus ipſe ſocius Paulo, Timotheo, & Silæ ſuperuenerit. Quod non niſi modeſtiæ ipſius ſingulari videtur eſſe tribuendum; vt qui non ſua, ſed aliorum Apoſtolorum Acta, & præſertim Sancti Pauli ſcribenda ſuſcepiſſet. Neque tamen decebat pro hiſtoriæ ſynceritate, quæ viderat, & quibus ipſe præſens per omnia fuerat, ita diſſimulare, vt ſaltem illo deinceps loquendi modo non ſe proderet: quæſiuimus, venimus, nauigauimus, permanſimus. Vnde ſummam quoque in hac ſacra Hiſtoria

k *ibid. c.* 16. *v.* 9.
l *Mag. Hiſtor. ſcholaſt. cap.* 85. *Act.*
m *Coloſ. c.* 1. *v.* 24.
n *Act. c.* 17. *v.* 10.
o *S. Hier. lib de Script. eccleſiaſt. in Luca.*
p *S. Iren. lib.* 3. *c.* 14.

MM

ſtoria oſtendit fidelitatem, dum ea, quibus ipſe non interfuit, haud ita minutè proſecutus eſt, multa etiam præteriit, quæ ſparſa in Epiſtolis Sancti Pauli, aut in aliis antiquis Scriptoribus, ſuo nos loco reſtituimus, & per ſua tempora digeſſimus. Iam verò, quæ ſequuntur, vt præſens, & oculatus teſtis, S. Lucas per ſingula exactiùs refert, ſicut ea transferendo ad rem noſtram, in libris ſequentibus apparebit.

LIBER

LIBER SEXTVS.

Ab Aſia Paulus tranſit in Europam, comite Luca Euangeliſta; varia edit miracula; patitur multa pro Chriſto, & ad fidem plurimos adducit.

CAPVT I.

A Troade nauigat Samothraciam, & inde venit Neapolim, ac Philippos, vbi Lydiæ familiam baptizat.

CVM Aſia relicta, vocante Deo, Paulus cum Luca, Timotheo, & Sila, Ægeo mari tranſmiſſo, primùm venit in Europam, annus agebatur humanæ ſalutis quinquageſimusſecundus, Claudij Imperatoris decimus; ætatis verò Pauli ſupra quinquageſimum, vt ex iis, quæ poſteà ſuis digeſta temporibus narrabuntur, conſtabit manifeſtiùs. E Troadis igitur portu *nauigantes recto curſu* (inquit S. Lucas[a]) *venimus Samothraciam.* Inſula hæc eſt modica in Ægeo mari parum à Troade versùs occidentem diſtans, quæ, vt ab altera Samo in Ionio ſita diſtingueretur, à vicina Thracia compoſitum Samothraciæ nomen obtinuit: vnde illud Virgilij[b]:

Threiciámque Samon, quæ nunc Samothracia fertur.

Feſtinabat autem S. Paulus venire quàm primùm in Macedoniam, quò diuinitùs cœleſtis nuncij viſione accerſebatur: nam hoc eſt, quod ait S. Lucas[c]: *Vt autem Paulus viſum vidit, ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam, certi facti, quòd vocaſſet nos Deus euangelizare eis. Nauigantes autem a Troade, recto curſu venimus Samothraciam, & ſequenti die Neapolim.* Ex quibus ſacræ Hiſtoriæ verbis licet agnoſcere, tractum illum maris à Troade vſque in Macedoniã, vix eſſe duorum dierum nauigationem: eſt enim Neapolis, ad quam ſecunda die, vbi à portu Troadis ſoluiſſent, peruenerunt, ciuitas in littoribus Macedoniæ primùm occurrens, ad angulum ſeptentrionalem conſtituta, & Thaſſo inſulæ oppoſita. Macedonia verò ampla Europæ regio, Thraciæ finitima, orientem versùs ab Aſia Ægeo mari diſcriminata, Ionio alluitur ab occaſu, à Septentrione vergit ad Illyricum, & ad Myſiam ſuperiorem, Epiro demum clauditur à meridie. Hæc olim centum quinquaginta populis, vt Plinius tradit[d], illuſtris, duobus inclyta Regibus, & imperio latiſſimo Philippi, atque eius filij Alexandri maximè celebris, nunc Albania dicitur, & imperio Turcarũ ſubiecta eſt. Neapolim itaque Paulus,

a Act. c. 16. v. 11.
b Virg. 7. Æneid.
c Act. c. 16. v. 10.
d Plin. lib. 4. c. 10.

& qui cum eo veniebant, pertranſeuntes, inde primam, quam ingreſſi ſunt, ciuitatem, Philippi fuit. Hæc Dathos antea dicta, deinde à Philippo Macedonum Rege Magni Alexandri patre inſtaurata, Philippos appellabatur, quæ cõſtituta non pridem fuerat colonia Romanorum. Vnde Romano vocabulo coloniam, licèt Grecè ſcribens, eam hîc vocat S. Luc. & in ea Macedoniæ parte fuiſſe ciuitatem primariam ſignificat, in cuius campis Æmathiis dictis, id eſt, ſanguineis, bello ciuili bis à Romanis inter ſe decertatum fuit, & Pompeius à Cæſare ſuperatus, quod Virgilius illis verſibus deplorauit [c]:

c *Virg. lib. 1. Georg.*

Ergo inter ſe ſe paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi:
Nec fuit indignum Superis, bis ſanguine noſtro
Æmathiam, & latos Æmi pingueſcere campos.

Hic ergo aliquantulùm ſubſiſtẽdum Paulus cenſuit, vt Philippenſibus Euangeliũ predicaret, quos ad Chriſti fidem ſenſim adductos habuit poſteà in pietate feruentiſſimos, ſibíque addictiſſimos: adeò vt annis inſequentibus, vbi audiuiſſent Apoſtolũ Romæ in vinculis à Nerone detineri, miſerint ad illum Epiſcopũ ſuũ Epaphroditũ, cum literis, & muneribus, vt eũ conſolarentur; & ab eo viciſſim inſignem illam Epiſtolã laudis, gratiarũ, & conſolationis plenã obtinuerunt, quæ inſcribitur, ad Philippenſes, de qua plura dicentur ſuo loco. Sed, qua ratione in hanc ciuitatẽ Paulus cum ſociis ſe inſinuauerit, narratum à S. Luca, qui tunc aderat, audiamus [f]: *Venimus* (inquit) *Philippos, quæ eſt prima partis Macedoniæ ciuitas colonia: eramus autem in hac vrbe diebus aliquot conferentes.* Quid inter ſe conferrent, & cur tempus illud quaſi cõtererent; nam hoc etiam vox illa, *διατρίβοντες*, poſſet ſignificare, Lucas ampliùs non expoſuit. Eſt autẽ veriſimile, cùm eſſet Philippi colonia, vt diximus, Romanorum, atque adeò militum veteranorum munita præſidiis, & veluti firmum inter Europam, & Aſiam reipublicæ propugnaculum, quod Romanis legibus, non proprio iure, ſicut municipia, regebatur, oportuiſſe valdè cautè procedere, explorare hominum ingenia, mores, viuendi inſtituta, & expectare, inſtar venatorum, prædæ intercipiendæ opportunitatẽ. Ex Iudæis pauci videbantur ibi habitare: quare nec Synagogam vllam ibi eos habuiſſe, quam alioqui Paulus, vt ſolebat, adiiſſet, niſi tantùm extra ciuitatem, prope fluuium viſebatur quoddam Oratorium. *Nam*, inquit S. Lucas [g], *die Sabbatorum egreſſi ſumus foras portam, iuxta flumen, vbi videbatur oratio eſſe*: quod ita clariùs reddidit Interpres Syrus: *Quoniã illic conſpiciebatur locus orationis.* Quamuis enim Græca vox, *προσευχή*, qua vſus eſt Lucas, dicens: *Vbi videbatur oratio eſſe.* preces, orationéſque ſignificet, vnde vertit noſter Interpres: *videbatur oratio eſſe.* tamen locum quoque orãdi apud Iudęos denotaſſe, Philo nos docuit in libro de vita Moyſis, vbi ita ſcripſit: *Apud Iudæos deſtinata oppidatim ſacris precationibus ſũt loca, quæ proſeuchas vulgus nominat.* Et Ioſephus Hebræus in libro de Vita ſua idẽ confirmat, dicens: *Sequenti die populus conuenit in proſeucha, quam vocãt precationis domum.* Sed adhuc expreſſiùs ad rem noſtrã S. Epiphan. [h] *Fuerunt*, inquit, *antiquitùs quidam orationũ loci, tum apud Iudæos extra ciuitatem, tum apud Samaritas, velut etiam in Actibus Apoſtolorũ inuenimus, vbi purpurarũ vẽditrix Lydia Paulo occurrit: & ſic quoque diuina Scriptura narrat,* quod

f *Act. c. 16. v. 12.*

g *ibid. c. 16. v. 13.*

h *S. Epiphan. hær. 80.*

quòd videbatur locus orationis eſſe, & acceſſerunt, & docuerunt Apoſtoli mulieres, quæ illo tempore conuenerant. Sed & orationis locus eſt in Sicimis, quæ nunc appellatur Neapolis, extra vrbem in campeſtri regione, duorum fermè tignorum diſtantia, ſpeciem theatri præ ſe ferens, in aëre ſub die conſtructus à Samaritis, qui omnia Iudæorum imitantur. Hæc S. Epiphanius, ſimul indicans fuiſſe locum illum orationis publicum populo Iudæorum, qui erant Philippis, deſtinatum. Aliquibus tamen viſum eſt, Oratorium fuiſſe priuatum, & Lydiæ matronæ proprium. *Nam in ſacellum* (inquit Toletus [i]) *quod iuxta flumen erat, purpuriſſa illa paternæ religionis gratia veniebat.* Et eſt aliqua huius rei coniectura, nullum ibi virum, ſed tantùm aliquot mulieres, eáſque de domo Lydiæ cõparuiſſe, ſiquidem ex illius tantùm familia perſonæ aliquot baptizatæ poſteà referuntur. Sed facilè ad hæc poſſumus reſpondere, propter illius ſacelli anguſtias, aut etiam propter decorum, diſtinctis horis, viros, ac mulieres eò accedere conſueuiſſe. Neque verò, licèt de familia tantùm Lydiæ fecerit Lucas mentionem, credere debemus alias pias, & religioſas feminas defuiſſe. Et quòd Lydia dicatur purpuraria, aut purpuriſſa, non eſt quaſi orta de ſanguine regio, vt aliquorum ſuſpicio fuit, purpura veſtiretur; ſed, quia purpuram tingere, aut texere, aut quod magis indicat Græca vox, πορφυρόπωλις, vendere conſueuiſſet. Vnde minùs redditur veriſimile proprium, & pro ſola eius familia fuiſſe illud Oratorium. Quamuis autem purpurarij inter ingenuos non haberentur, & ars illa veſtes purpura inficiendi non cenſeretur liberalis: vnde S. Chryſoſtomus [n], loquens de hac Lydia purpuraria: *Mulier, inquit, iſta humilis, vt manifeſtum eſt ab arte.* Tamen inter artes illiberales tinctura purpuræ opificium magni tunc æſtimabatur, neque facilè cuicunque permittebatur: nam leges extant ea de re in Iure Cæſareo [o] ſeueriſſimæ. Præfectura quoque purpuræ inter Magiſtratus cenſebatur, erátque non parum honorabilis; vt proinde matronam hanc purpurariam aluiſſe familiam numeroſam facilè credi poſſit, cuius quę fuerit patria, & qualis pietas, à S. Luca non prætermittitur, cùm dicitur, fuiſſe de ciuitate Thyatirenorum, & colens Deum. Erat autem Thyatira ciuitas vna ex illis ſeptem, ad quarum Eccleſias S. Ioannes ſuam Apocalypſim direxit, & ad Aſiaticam Lydiæ prouinciam ea ciuitas pertinebat. Quare ſuſpicantur nonnulli ab hac Lydiæ prouincia nomen proprium Lydiam purpurariã accepiſſe, quæ relicta Thyatirenſi ciuitate, vt magis quæſtuoſam faceret pretioſæ purpuræ mercaturam, Philippos tanquam ad opulentiorem venerat ciuitatem. An autem fuerit Gentilis, vel proſelyta, ſiue genere Iudæa, ſacra Lucę hiſtoria non expreſſit, niſi quòd mulier fuerit colens Deum: idémque oſtendit eius ad tale oratorium, & in eo tempore acceſſus, die, videlicet, Sabbatorum, hoc eſt, die intra hebdomadam Iudæis maximè feſtiua, cui nunc apud nos dies reſpõdet appellatus Dominicus. Fuiſſet autem maiori admiratione digna huius mulieris pietas, ac religio, ſi Gentilis exiſtens, & ductu ſolius luminis naturalis, ſpreta idololatria, vnius tantùm veri Dei cultum in eo ſacello Iudæorum ſectabatur, quando alibi tunc in illa ciuitate templum nullum, niſi idolorum, poterat inueniri. Vnde factum eſt, vt, ſicut Cornelius Centurio, vir Gentilis, quia iuxta naturæ legẽ benè viuebat, eleemoſynas

i *Toletus in c. 4. Ioan. v. 7.*

n *Chryſoſt. hom. 35. in Act.*

o *Cod. lib. 11. tit. de veſtibus holoſer. & l. 1. quæ res venundentur.*

faciebat,& Deum timebat, redditus eſt per Dei gratiam dignus,vt à S.Petro primus in Aſia, ſolenni ritu,cum tota ſua familia Eccleſiæ Chriſti aggregaretur[p]:ita pia hęc mulier prima in Europa meruit à S.Paulo, cū tota ſua domo Baptiſmi Sacramento initiari,& fieri Chriſtiana. Et ſicut mulier Samaritana circa fontem Iacob de myſteriis fidei à Chriſto erudita[q], occaſio fuit, vt multi Samaritanorum, propter inſignem eius conuerſionem, reciperent Euangelium: ita quoque ab huius purpurariæ Chriſtiana fide, Paulo ad aquas fluminis prædicante ſuſcepta, Philippenſium Eccleſia ſumpſit exordium, & ea,de quibus ſuo loco poſteà dicendū erit, eximia cœpit incrementa. Sed totum nihilominùs diuinæ gratiæ tribuendum S.Lucas indicauit, cùm dixit[r]: *Aperuit Dominus Lydiæ cor, intendere his,quæ dicebantur a Paulo* Hinc initiū ſalutis fuit,excitantis,nempe, gratiæ Dei auxiliū ſpeciale:vt quod in Apocalypſi proteſtatur Deus[s], cùm ait: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo.Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam,intrabo ad illum, & cœnabo cū illo,& ipſe mecum.*omninò hic impleretur: gratia enim diuina cor huius purpurarię tetigit,&illud,efficacitate ſua faciens, vt per conſenſū aperiret, aperuit. Quare ſic pergit deinde S. Lucas referre de Lydia[t]:*Cùm autem baptizata eſſet,& domus eius, deprecata eſt,dicens: Si iudicaſtis me fidelem Domino eſſe, introite in domum meam, & manete. Et coëgit nos.Vide*,ait Chryſoſtomus[u],*quomodo ſtatim fructum facit, & magnum lucrum putat vocationem? Et non auſa fuit antea vocare, quam eſſet baptizata, manifeſtum faciens,quòd non aliter perſuaſiſſet.*

p *Act. c.* 10.v.1.
q *Ioan.c.* 4 v.7.
r *Act. c.* 16.v.14.
s *Apocalypſ. c.* 3.v.20.
t *Act. c.* 16.v.15.
u *Chryſoſt hom.* 35. *in Acta.*

Eſt autem hic aliqua ratio dubitandi, an hæc tantùm Thyatirenſis mulier, eiuſque familia ſit modò baptizata: nam de aliis nullam legimus fieri mentionem. Tamen alias plures, ex iis præſertim mulieribus, quæ Paulum concionantem de myſteriis fidei audiuerant, eſſe conuerſas,facilè credi poteſt; licèt vna tantùm Lydia nominetur, ſiue quia celebrior in ea ciuitate, ſiue propter exhibitam viris ſanctis hoſpitalitatem,ſiue etiam ob eam, quam obtinuit inter fideles,probitatis famam: vt propterea meruerit inter ſanctas die tertia menſis Auguſti in Romano Martyrologio his verbis recenſeri[x]: *Philippis in Macedonia ſancta Lydiæ purpurariæ, quæ prædicante ibidem S. Paulo Apoſtolo prima omnium credidit Euangelio.* Quòd ſi de viris agatur, plures in eadem ciuitate Chriſto nomen dediſſe, tum prædicatione,tum miraculis Apoſtoli Pauli perſuaſos, capitibus ſequentibus erit oſtendendum.

x *Martyrol. die* 3. *Aug.*

CAPVT II.

Liberat Paulus à Dæmone Pythoniſſam: virgis indignè cæditur, & in vincula ſimul cum Sila conicitur.

MAnſerunt Paulus, & qui cum eo erāt,Lucas,Silas, atque Timotheus, Philippis pluribus diebus: quot autē hi fuerint, compertum nō habemus,niſi quod ait S.Lucas[a]:*Eramus in hac vrbe diebus aliquot.* & infrà dicit,ibi eos fuiſſe diebus multis. Vnde vltra vnum, aut etiā duos mēſes ibi eos eſſe cōmoratos exiſtimamus: hoſpitatos verò in domo Lydiæ, poſtcaquàm tota eius familia fuerat baptizata: ſic enim poſt Baptiſmum rogati fuerāt, & ab ea quaſi coacti, cum diceret: *Si iudicaſtis me fidelem Domino eſſe, introite in domum meam, & manete. Et coëgit nos.*

a *Act. c.* 16.v.12. & 16.

Addit

b *Act. c. 16. v. 15. 16.*

Addit S. Lucas[b]: *Factum eſt autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem ſpiritum Pythonem obuiare nobis.* Ibant ad orationem, Græcè, εἰς προσευχὴν, ad eam, videlicet, quam anteà diximus proſeucham, id eſt, orationis domum, prope fluuium, extra portam ciuitatis: nam ad orandum tantummodò, exire de ciuitate, aut à propria domo, nihil fuiſſet neceſſarium, cùm potiùs moneat Chriſtus Dominus in Euangelio, dicens[c]: *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum; & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito.* Sed, nimirum, occaſiones, & opportunitatem quærebant: ideò ſingulis fermè diebus, præſertim verò feſtiuis, quia non erat ibi vlla alia Synagoga, illud Oratorium frequentabant, vt populum de myſteriis fidei Chriſtianæ per eam occaſionem aggrederentur erudire. Illuc ergo die quadam pergentes, obuiam habuerunt in itinere puellam Pythone ſpiritu agitatam, eam παιδίσκην Lucas appellat, & poſſumus etiam pediſſequam, ſiue ancillulam interpretari: nam ſeruiuiſſe dominis quibuſdā refertur inferiùs: *Et quæ corripiebatur fatidico ſpiritu*, ait Origenes[d], *non ingenua, aut ſapiens, aut erudita; ſed vulgaris aliqua videtur fuiſſe.* Fieri tamen poteſt, vt nulla eius culpa ſic à malo Dæmone obſeſſa inueniretur. Python malus hic ſpiritus dicebatur, eò quòd draconem Pytho ſignificet, quem in inſula Delo Apollo ſummus diuinandi artifex ſuis ſagittis interfeciſſe perhibetur. Vnde Apollo poſteà dictus eſt Pythius, & templum Delphis obtinuit, à quo denominatus eſt etiam Delphicus, vbi Delphica oracula edebantur, tanto concurſu ethnicorum, vt ſicut Strabo ait[e], Regum & populorum ampliſſimis donis, atque muneribus, multarúmque vrbium theſauris templum illud refertum inueniretur. Itaque Dæmon, qui pro Apolline ibi reſponſa dabat ex tripode, Python dicebatur, & Pythones alij ſimiles, eique deſeruientes ſpiritus nequam, homines quoque fatidico illo furore à talibus ſpiritibus agitati, Pythones; mulieres verò, Pythoniſſæ vocabātur. Vna ex hoc numero fuiſſe puella hæc exiſtimatur, malo percita ſpiritu dæmoniacæ vaticinationis; de qua tamen affirmare certò non poſſumus, vnam ex illis fuiſſe perditis mulierculis, quæ, ſicut refert Oecumenius[f], *vltrò ſe Delphico Apollinis templo ingerebant: illi ſe Dæmoni conſecrabant, & ſacrilego tripodi inſidentes, diuaricatis tibiis obſcœnum ſpiritum ab Inferis aſcendentem per obſcœnas partes ſuſcipiebant.* Vnde in ſacris Scripturis veteris Teſtamenti maleficæ huiuſmodi, quas vulgatus noſter Interpres nominat Pythoniſſas, ſeptuaginta Interpretes vocant ἐγγαστριμύθους, quaſi ventriloquas diceremus, aut, quod magis denotat Hebraïcum nomen, ventricoſas. Quia, nimirum, ſerpens antiquus Diabolus in Apolline Pythio ſic honoratus, & cui dictum à Deo fuerat, vbi primos parentes noſtros decepiſſet[g]: *Maledictus es inter omnia animantia, ſuper pectus (ſeu ventrem) gradieris.* affectabat exercere à ventre vim ſuam, & ab hominum, belluarúmque pectoribus potiùs, quàm ab ore proferre turbida, & obſcura, muſſando, vaticinia. Id quod reſpexiſſe videtur Iſaias, vbi loquens de humilitate, & confuſione Iudæorum[h]: *Et erit* (inquit) *quaſi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muſſitabit.* Vetitum autē grauiſſime fuerat in veteri Teſtamento huiuſmodi Pythonicos, & diuinatorios ſpiritus

c *Matth. c. 6. v. 6.*

d *Orig. lib. 7. cōtra Celſum.*

e *Strabo lib. 9.*

f *Oecum. in c. 16. Act. ex Chryſ. hom 29. in 1. ad Cor.*

g *Gen. c. 3. v. 14.*

h *Iſai. c. 29. v. 5*

ſpiritus conſectari:adeò vt in Leuitico ita mandauerit Deus[i]: *Vir, ſiue mulier, in quibus Pythonicus, vel diuinationis fuerit ſpiritus, morte moriatur. Lapidibus obruent eos, ſanguis eorum ſit ſuper illos.*

i *Leuit. c. 20. v. 27.*

Hæc tamen liberata per Apoſtolum à malo Dæmone Pythoniſſa, & priſtinæ mentis, & corporis ſanitati reſtituta, videtur in tribus potiſſimùm ab aliis huius generis fatidicis fuiſſe diuerſa: primùm, quòd non tam ipſa Demonem ſibi acceiſiuerit, quàm inuaſa ab illo fuerit, & obſeſſa, ídque vulgatus Interpres aliquo modo indicauit, puellam eam vocans, & Syrus virgunculam, quam ancillulam, iuxta vim Græcæ vocis, appellare magis debuiſſet, vt propter minoris ætatis conditionem, minor eius culpa, ſiue malitia notaretur. Secundò, non hæc per ventrem, aut pectus, ſiue ore compreſſo muſſitabat; ſed clara verba ſatis articulatè proferebat: ſic enim S. Lucas de illa refert[k]: *Factum eſt autem, puellam quandam obuiare nobis, habentem ſpiritum Pythonem, quæ quæſtum magnum præſtabat dominis ſuis in diuinando. Hæc ſubſecuta Paulum, & nos clamabat dicens: Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis. Hoc autem faciebat multis diebus.* Ita S. Lucas, nihil de prodigioſa per ventrem, aut pectus locutione ſignificans. Sed tamen S. Auguſtinus ventriloquam feminam hanc puellam appellauit in libro ſecundo de doctrina Chriſtiana ſic ſcribens[l]: *In Actibus Apoſtolorum ventriloqua femina verum teſtimonium perhibuit Apoſtolis Domini, nec ideò Paulus Apoſtolus pepercit illi ſpiritui, ac non potius feminam illius Dæmonij correctione, atque excluſione mundauit.* Sed conſuetudinem loquendi ſacræ Scripturæ iuxta veteris Teſtamēti Interpretes ſeptuaginta S. Auguſtinus imitabatur, qui Pythoniſſas vocant ἐγγαστριμύθους, γαστὴρ enim Græcè, venter Latinè dicitur, & μῦθος ſermo, præcipuè fabuloſus, quaſi quæ ventrem habeat ſpiritu non tam fatidico, quam fabuloſo diſtentum. Tertia huius fatidicæ ab aliis differentia in veritate, & honeſtate ſermonis apparebat, dum de Paulo & ſociis ita loqueretur: *Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis. Et per multos dies eadem, omnibus audientibus, repetebat.* Vnde mirum videri poſſet, id Paulo tantoperè diſplicuiſſe, nec audiri teſtimonium hoc, etiamſi veriſſimum, & iuſtiſſimum, ampliùs ferre voluiſſe. Neque minùs admirandum hæc Dæmonem hoſtem ſanctitatis, & veritatis, auctorem mendacij, & omnis iniquitatis, præſtare ad Pauli commendationem potuiſſe. Vt propterea in mentem aliquibus venerit ſuſpicari, non Dæmonem, ſed puellam illam, alioquin innocentem, id à ſe teſtimonium protuliſſe, cùm præſertim dicat de ipſa S. Lucas: *Hæc ſubſecuta Paulum & nos clamabat.* quaſi, videlicet, affectu aliquo veræ pietatis ac deuotionis ad ſanctos viros, ſua ſponte pertraheretur. At, quomodo ethnica, rudiſque muliercula viros peregrinos, & nunquam à ſe anteà viſos, veri Dei eſſe cultores, & viæ ſalutis Doctores intelligere, & tanta aſſeueratione toties affirmare potuiſſet; niſi vel Deo inſpirante, à quo tamen id non fuiſſe, rei euentus apertè declarauit; aut Dæmone malo inſtigante, & obſeſſam ad fallendum ſollicitante? Timebat enim ſibi Diabolus, ne à Dei famulis de ſua iniqua poſſeſſione pelleretur, ideò illorum aucupari gratiam ficta illa adulatione voluiſſet. Sperabat præterea illis diſcedentibus eos, quos Paulus ad Chriſti fidem induxiſſet, ad priſtinos errores ſe

k *Act. c. 16. v. 16.*

l *S. Aug. lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 23.*

ſe poſſe faciliùs reuocare: *Si enim* (inquit Chryſoſtomus [m]) *illius teſtimonium Paulus admiſiſſet, multos etiam fideles decepiſſet, vtpote ab illo approbatus.* Forte etiam tentare viros ſanctos alicuius vanæ complacentiæ intendebat, vt iis, quos anteà non potuit oblatis per idololatram Sacerdotem diuinis honoribus perdere, ſaltem vana illa adulatione ſic illuderet. Fortè etiam quando nec Paulum, nec ſocios, nec alios fideles lædere in aliquo potuiſſet, præuidens multos ex Philippenſibus in ſua infidelitate permanſuros, quærebat, vnde illos magis ante diuinum tribunal accuſaret, quippe qui à ſe vno, eodémque teſte vaniſſima, & deceptoria pro oraculis tam auide recipiebant, & veriſſima, ac ſalutaria obſtinatè reſpuebant. Denique nō ſolum fallaciſſimus, & nocentiſſimus, ſed etiam ſuperbiſſimus ſpiritus æmulatione diuinitatis gaudebat occulta pandere, oſtētare ſuam in diuinando, ſi non diuinam, ſaltem ſupra humanam ſcientiam, & quodam enthuſiaſmo ſuos Pſeudoprophetas inſtituere, & afflare. Meritò igitur tale de ſe teſtimonium, etiamſi verum, quia tamen à falſario teſte prolatum, reiecit Apoſtolus, Chriſtum Dominum imitatus, qui, ſicut in Euangelio [n] narratur, dum à Dæmone timente eiici proclamaretur, quòd eſſet Chriſtus Meſſias, ſanctus Dei, & Dei Filius; iuſſit tamen illum obmuteſcere, atque etiam expulit. Similiter itaque Paulus: *Dolens* (inquit S. Lucas) hoc eſt, ægrè id ferens, *conuerſus ſpiritui dixit: Præcipio tibi in nomine* IESV *exire ab ea. Et exiit eadem hora.* Dolebat Apoſtolus propter puellæ calamitatem, Dæmonis malignitatem, fallendi, nocendíque poteſtatem, & prauam eius voluntatem. Vnde monemur, nullum nobis cum Dæmonibus, etiam vbi videantur velle prodeſſe, habendum omninò commercium, nec eis in aliquo eſſe fidendum. *Non enim Diaboli verba*, ait Maximus Taurinenſis [o], *ſolent eſſe verba religionis, ſed fraudis: & beneficia eius omnibus ſunt nocentiora vulneribus.* Quod etiam de miniſtris Diaboli Hæreticis eſt intelligendum, adeò vt Lutherum non puduerit profiteri [p], quin etiam gloriari, Dæmonem de multis viſibili ſpecie inſtituentem præclarum ſuæ doctrinæ ſe habuiſſe magiſtrum. Et Caluinus pro Commentario huius loci [q], planè contra ſe ſuóſque ſimiles adnotauit, cauendum ſicut à Diabolo, à fallaci prætextu veritatis Hæreticorum: *Quia nunquam*, inquit, *eſt nocentior hoſtis, quàm dum ſe transformat in Angelum lucis.*

Sed ad Paulum reuertamur, cuius primum, quod in Europa eſt operatus, miraculum, expulſio fuit Dæmonis callidiſſimi, vt etiam in hoc Dominum ſuum Saluatorem mūdi imitaretur, de quo S. Ioannes ait [r]: *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli.* Expulſo pythonico ſpiritu à puella, lucrum dominis illius ex diuinatione ceſſauit: vt enim ſunt homines veræ fidei lumine deſtituti ad ſuperſtitioſa quæque, & maximè curioſa procliues, furta, res ablatas, vel amiſſas, & alia recondita cognoſcere ab illo diuinante ſpiritu, oblata vltrò pecunia multi adueniebant, vnde prouentus non modicus accederet Pythoniſſæ; cuius iacturam domini illius ægerrimè ſuſtinentes, contra miraculi auctorem Paulum inſurrexerunt. *Vbique*, inquit Chryſoſtomus [s], *malorum cauſa pecunia. O paganorum inhumanitatem! vt augeant pecuniam, puellam à Dæmone vexari volunt. O inconſiderantiam! tanto viſo miraculo adorare oportebat Apoſtolum, & vt Seruatorem, ac benefactorem habere:*

m Chryſoſt. hom. 35. in Acta.

n Luca cap. 4. v. 34. & 41.

o Maximus Taurinenſis hom. 4. de tentat. Chriſti. Similia habet S. Leo ſer. 9. de paſſion. S. Aug. lib. 9. de Ciu. cap. 14.

p Luth. in lib. de Miſſ. angulari.

q Calu. in c. 16. Act.

r Ioan. ep. 1. c. 3. v. 8.

s Chryſ. hom. 35. in Acta.

bere: nam, ſi pecuniæ volebatis, quare his ita nos dimittis non accurrebatis? Poſſe Dæmones abigere clariores facit, quam ipſis credere. Ecce hîc ſigna, & vera, non fallacia ſigna: ſed pecuniarum cupiditas plus valuit. Hæc S. Chryſoſtomus, & poſſumus addere: Si pythonico illi ſpiritui præſtandam eſſe aliquã fidẽ Gentiles domini exiſtimabãt, quomodo ei toties aſſeuerãti peregrinos illos eſſe Dei excelſi famulos, & viã ſalutis annunciantes, adeò non crediderunt, vt barbara impietate, ac feritate homines innocentes, & adeò beneficos tradiderint Magiſtratibus, populũ in eos tanquam in reos magni criminis concitantes? Quòd ſi mendacem illum ſpiritum, & fraudulentum putabant, qua ratione eiici, & à tali miſeria puellam liberari, pro beneficio nõ habebant, aut æquo animo non ferebant? Sed apparet nimis eſſe verum, quod de pecuniæ cupiditate poſteà ſcripſit S. Paulus [t]: eam omnium malorũ eſſe radicem, *quam quidam appetentes errauerunt a fide, & inſeruerũt ſe doloribus multis.* Noui ego quendam Hæreticorũ (vt ipſi vocãt) Prædicantem, ſiue Miniſtrũ, qui Eccleſiæ Catholicæ poſteà reconciliatus mihi ingenuè faſſus eſt, ſe defeciſſe ab Eccleſia, & hæreſim Lutheranam per aliquot annos vt prædicaret inductũ fuiſſe oblatis annuis prouentibus à Domino Lutherano, quales apud Catholicos, vt ipſe cupiebat, non poterat inuenire. Alios quoque ſimiles euangelicos, vt ſe vocant, Miniſtros duos bene ſcio erroris apertè conuictos in familiari diſputatione, faſſos ſe quidem errorem agnoſcere; ſed ab hæreſi profitenda, & prædicanda ſe non poſſe deſiſtere; quia ſuam familiam, vxorem, paruulos filios alia ratione alere non potuiſſent, & mendicare nimis miſerè, ſi Catholici fierẽt, cogerentur. Ita planè hoc eſt, quod

t 1. *Tim.* c. 6. v. 10.

ait Eccleſiaſticus [u]: *Nihil iniquius, quam amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua proiecit animam ſuam.* Pergit itaque S. Lucas de Pythoniſſa ſic ſcribere [x]: *Videntes autem domini eius, quia exiuit ſpes quæſtus eorum, apprehendentes Paulum, & Silam perduxerunt in forũ ad Principes, & offerentes Magiſtratibus, dixerunt: Hi homines conturbant ciuitatem noſtrã, cùm ſint Iudæi: & annunciant morem, quem non licet nobis ſuſcipere, cùm ſimus Romani.* Dubitarunt hic aliqui [y], an præter Paulum, & Silã, ipſe quoque Lucas hæc ſcribens fuerit apprehenſus, & in forũ pertractus, oblatuſque Magiſtratibus: nam, quòd hoc ipſe nõ referat, ſed diſſimuler, videri eius modeſtiæ eſſe tribuendũ. Paucorum tamen eſt, & parũ veriſimilis hæc ſuſpicio: cur enim ſimiliter nihil dicitur de Timotheo; qui tamẽ aderat quartus in comitatu? Certè non propter modeſtiam eius nomen Lucas diſſimulaſſet: verũ, quia rebus aliis tunc fortè occupatus, cũ Paulo, & Sila, dum hæc agerentur, nõ inueniebatur. Quare idẽ hoc tempore de Luca exiſtimamus, nempe, fuiſſe ſ ũ cum Timotheo, aliis rebus intentum: alioquin non valde ſyncera Hiſtoria ſacra videretur, ſi Paulo, & Sila ſæpius nominato, ſeipsũ Lucas, qui ſimiliter aderat, ſemper tacuiſſet. Interim, qui beneficiũ liberatæ à Dæmone puellæ pro maleficio ſuſceperũt, vt aliquem ſuæ impietati obtenderent colorem, & excuſationẽ, Paulum, & Silam detulerunt Magiſtratibus eſſe turbatores publicæ pacis, & tranquillitatis, ſeditioſos, introductores ritus nouæ cuiuſdã religionis, quales admittere hominibus Romanis non licere: erat enim (vt diximus) Philippenſiũ ciuitas, colonia Romanorũ: coloniæ verò à municipiis, Auctore Gellio [z], in eo diſtinguebantur, quòd non vterentur

u *Eccleſ.* c. 10. v. 10.

x *Act.* c. 16. v. 19. 20. 21.

y *Hugo card. in* c. 16. *Act.*

z *Gell. lib.* 16. c. 13.

coloniæ iuribus propriis,quemadmodum vtebãtur municipia; ſed Romanis legibus per omnia regebantur, vt quæ ab vrbe Roma propagatæ, iura omnia, inſtitutáque populi Romani ſecum detuliſſent; minùs quidem in hac parte liberæ, digniores tamen propter amplitudinem, maieſtatémque populi Romani, cuius hæ coloniæ quaſi effigies quædam,& ſimulacra eſſe videbantur.

Atque hic diſſimulari ſtulta Caluini peruerſitas nequaquã debet, qui ſe, ſuóſque Sectarios Paulo,& ſociis comparando, nos Catholicos,& Romanã Eccleſiam, Gentilibus illis Romanis idololatris Pauli aduerſariis,& accuſatoribus ſic aſſimilat [a]: *Præiudicio,* inquir, *nituntur ethnici Romani,ne cauſa veniat in diſputationem, qualiter & Papiſtæ hodie nobiſcum agunt: Hoc in generali Concilio decretum eſt:magis recepta eſt opinio, quam vt fas ſit dubitare: hoc diuturno vſu approbauit: hoc pluſquam mille ſæculorum conſenſu ſancitum eſt.* Hæc Hæreticus perſentiens quantopere auctoritate antiquitatis premeretur, & quantùm in ea ponderis conſtitutũ contra hæreſes ſemper omnes Eccleſiæ Patres iudicauerint. Sed,vt magis ſe ridiculum Caluinus præſtet in hac impietate,adiungit,quemadmodum Pauli,& Silæ accuſatores obiiciebant, illos eſſe turbatores publicæ pacis,ſeditioſos, nouorum dogmatum introductores;ita nos Eccleſiæ Romanæ, hoc eſt, Catholicæ alumnos calumniari Hæreticos,tanquã nouatores,& perturbatores: *Et nunc* (inquit) *ad creandum nobis odium nihil magis plauſibile habent Papiſtæ,quam dum clamitant, non alio ſpectare doctrinam noſtrã,quàm ad turbas miſcendas, vt tandẽ fœda ſequatur rerum omnium cõfuſio.* Hæc Hæreticus Interpres.Quaſi verò experientia tot annorũ,ex quo ſectæ tam multæ,quæ numerari iam vix poſſunt, infeliciter proſeminatæ ſuccreuerunt, ſinant quenquam hac de re dubitare. Eſt autem id potiſſimùm in hæreſi Caluiniana manifeſtũ: ſiquidem,ne omnia taceamus, Geneuam ipſam Caluini ſodales, Farellus, & Viretus, nonniſi concitata grauiſſima ſeditione occuparunt: vna, eadémque die contra legitimum Principem Sabaudiæ Ducem aperte rebellando, & proprium eius ciuitatis Epiſcopum iniquiſſimè eiiciendo. Nec multò pòſt iterũ Caluinus eas Geneuæ turbas concitauit, vt expelli ob id à ciuitate homo nefarius debuerit, ad quã ſtudio factionis ſuæ poſt aliquod tẽpus reuocatus, eos, à quibus anteà fuerat eiectus,vel ſimiliter eiici, vel capitis, aut fortunarum ſubire periculum adegit. Eſt autem adeò propria hæreſi Caluinianæ ſeditio, vt ſitire ſanguinem, eorum Euangelium, ipſimet profiteantur. *Et ab hoc Euangelio recedere*, (inquit Caluinus in ſuo libro de ſcandalis,) *vt ſeditionibus obuiam eatur,nimis peruerſum eſt.* Vidi ego plures Caluini tomos editos, Beza procurante, in prima facie habere pro ſtemmate brachium armatum nudo pugione, flammis ei ſuppoſitis,& ſacris Euangelij verbis impiè detortis ad ſenſum planè ſanguinarium,hinc inde ita deſcriptis: *Ignem veni mittere in terram.* &, *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Hæc ſatis ad ſacrilega Caluini Commentaria: ſacrum textum proſequamur.

Et concurrit plebs (ait ſanctus Lucas [b]) *aduersùs eos* (Paulum, videlicet, & Silam,) *& Magiſtratus ſciſſis tunicis eorum, iuſſerunt eos virgis cædi.* Cauſa deducta erat ad publicum forum, de religione agebatur, déque cultu alterius ignoti Numinis inducendo, quod Romanis legibus, ſine alio Senatuſconſulto non

a Calu. in Com. Act. cap. 16.

b Act. 16. v. 22.

permittebatur. Facile igitur fuit concitatæ plebi zelo falſæ pietatis exaſperari, vrgente præſerrim Magiſtratu illo militari, ſeu ducibus exercitus: nam στρατηγοὶ à S. Luca appellantur, à quibus colonia illa Philippenſis in officio continebatur, quorum grauem excandeſcentiã aliqui colligunt etiam ex laceratione propriorum veſtimentorum. Nam, quod ait S. Lucas: *Magiſtratus ſciſſis tunicis eorum, iuſſerunt*, &c. quia, *eorum*, Græcè dicitur, αὐτῶν, quod etiam, *ſuis*, reddi potuiſſet, ſic interpretantur, vt non Apoſtolorum veſtes, ſed ſuas proprias Magiſtratus in magnam facti deteſtationem lacerauerit. At veriſimile non eſt, homines Romanos cõſuetudinem illam ſcindendi ſibimet veſtimenta, quæ propria fuit Iudæorum, hìc vſurpare voluiſſe: Romanos, inquam, & Gentiles: neque enim vllus Iudæorum contra Apoſtolos modò inſurrexiſſe ſignificatur: quin potiùs ſe nonniſi Romanos, illos autem per contemptum Iudæos declarant, dum ſic aiunt: *Hi homines conturbant ciuitatem noſtram, cùm ſint Iudæi, & annunciant morem, quem non licet nobis ſuſcipere, cùm ſimus Romani.* Deinde, nullam protulerat Paulus, vel Silas blaſphemiam, aut quæ ſpeciem vllam præ ſe ferret ſacrilegij, vnde ſciſſio veſtiũ in ſignum deteſtationis aliquando adhibebatur: imò iniquè accuſati, neque verbum dixerunt, ſed manſuetudine incredibili patientiſſimè ſuſtinuerunt comprehendi, trahi per publicas vias vſque ad forum, percuti, & indigniſſimè tractari. Quare ſciſſio illa veſtimentorum nihil aliud fuiſſe videtur, quàm violenta Pauli, & Silæ deſpoliatio, vt virgarum ſupplicio ſubiicerentur, dum furentes miniſtri expectare non poſſent, donec exuerent à ſemetipſis vel ſuperiora indumenta.

Atque hæc ſunt illæ contumeliæ, quibus ſe fuiſſe affectum in Philippenſi ciuitate propter Euãgelium S. Paulus teſtatur in epiſtola, quàm non multò pòſt ſcripſit ad Theſſalonicenſes [c]. Quòd verò illud virgarum in foro expeditum ſupplicium, non ad ignominiam tantùm graue, ſed etiam valdè acerbum fuerit ad dolorem, à numero, & qualitate plagarum poſſumus intelligere. Nam de numero ait S. Lucas [d]: *Cùm multas plagas eis impoſuiſſent.* & ipſe de ſe S. Paulus ad Corinthios ſcribens [e]: *In plagis*, inquit, *ſupra modum.* Et quia huiuſmodi plagæ non inferebantur à Iudæis, quibus diuina lege prohibebatur [f], ne quadragenarium numerum ſuperarent, vt ipſe ibidem indicat ſic ad Corinthios ſcribens [g]: *A Iudæis quadragenas vna minùs accepi.* credere debemus in magno exceſſu fuiſſe inflictas, quod ſignificauit eo loquendi modo S. Paulus, dicens: *In plagis ſupra modum.* Græcè, ὑπερβαλλόντως, quia ſuprà quàm dici, vel exiſtimari poteſt: *Quia forſan*, inquit Chryſoſtomus [h], *illi ſic voluerunt ſedare ſeditionem, quoniam videbant turbam inſiſtentem, & plagis furorem populi, ſicut olim, cùm Pilatus iuſſit Chriſtum flagellari, mitigare voluerunt.* Vnde credibile eſt, priuſquàm virgis à lictoribus, iubente Magiſtratu, Paulus, & Silas cæderentur, ab irruẽte populo pugnis, calcibus, fuſte, aliòve inſtrumento eos fuiſſe percuſſos, & ſiue ictibus huiuſmodi, ſiue crudeli virgarum flagellatione grauiter ſauciatos. Nam cuſtos carceris, partim humanitate commotus, partim ingenti quodam miraculo poſteà referendo, amborum plagas ſanguine ſtillantes abluiſſe dicitur, & curaſſe. Itaque, cùm tanta ignominia, & ſeritate fuiſſent accepti, *& multas plagas*, inquit S. Lucas [i], *eis impoſuiſſent, miſerunt in carcerem* præ-

c 1. Theſ. c. 2. v. 2.
d Act. c. 16. v. 23.
e 2. Cor. c. 11. v. 23.
f Deut. c. 25. v. 3.
g 2. Cor. c. 11. v. 24.
h Chryſ. hom. 35. in Acta.
i Act. c. 16. v. 23. & 24.

præcipientes cuſtodi, vt diligenter cuſtodiret eos: qui cùm tale præceptum accepiſſet, miſit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum ſtrinxit ligno. Erat carcer interior pro damnatis capitaliter locus depreſſior, & obſcurior, quem Romani à Tullo Tullianum, Græci à profunditate barathrum appellabant. *Eſt locus in carcere*, (ait Saluſtius[k],) *quod Tullianum appellatur, vbi paululùm aſcenderis ad leuam, circiter duodecim pedes humi depreſſus: eum muniunt vndique parietes, atque inſuper camera lapideis fornicibus iuncta; ſed inculta tenebris, odore fœda, atque terribilis eius facies eſt.* Neque tali ergaſtulo contenti, ne vlla poſſent arte, aut vi liberari, compedes ligneas ſuis obſecatas ferramentis adiungunt, inſertóſque pedes includunt, atque conſtringunt. Ita ſæpè aliàs cum ſanctis Martyribus actum à crudelibus tyrannis, quaſi hanc ipſam rem deſcribens Prudentius verſibus eleganter expreſſit, dicens[l]:

Eſt intus imo ergaſtulo
Locus tenebris nigrior,
Quem ſaxa merſi fornicis
Anguſta, clauſum ſtrangulant.
In hoc barathrum conijcit
Truculentus hoſtis Martyrem;
Lignoque plantas inſerit,
Diuaricatis cruribus.

Sed non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum, ſicut habetur in ſacris Prouerbiis[m]. Quantò magis obſcurare gloriam ſanctorum virorum ethnici homines cogitabant, eóſque carcere profundiori, & arctiori cuſtodia curarunt detineri, tantò illuſtrius apparuit, ſubitæ, atque inopinatæ liberationis miraculum, quod erit ſequenti capite referendum.

k *Saluſt. in coniur. Catil.*

l *Prudēt. in hymno de S. Vincentio.*

m *Prouerb. c. 21. v. 30.*

CAPVT III.

Paulus, & Silas, exorto ingenti carceris terræmotu, ſoluuntur à vinculis; & cuſtode carceris, aliiſque ad Chriſtum conuerſis, publica Magiſtratus auctoritate honorificè dimittuntur.

CVm Dei conſilio, & voluntate per viſionem apertè declarata, Paulus Aſia relicta hoc tempore veniret in Macedoniam, deficere in aliquo fortaſſe diuina prouidentia videri potuiſſet, ſi ſtatim in ipſo Macedoniæ ingreſſu tantam ignominiam, & aduerſa tam grauia pati Paulum permiſiſſet, ſine vlla ſerui ſui curæ ac protectionis maiori ſignificatione; quam tamen propterea non vno tantùm, ſed pluribus nunc miraculis apertè benigniſſimus Deus manifeſtauit. Interim, quanta eſſent animi ſecuritate, & in Deum fiducia, Paulus, & Silas, in ea licèt anguſtia & calamitate conſtituti, exponit S. Lucas dicens[a]: *Media autem nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Deum: & audiebant eos, qui in cuſtodia erant. Quid iſtis animabus comparari poteſt?* (inquit Chryſoſtomus[b]) *multis plagis acceptis flagellati ſunt, contumeliis affecti ſunt, extremè periclitati ſunt, in neruum coniecti ſunt, inque carcerem interiorem: & neque ſic dormire poterant; ſed tota nocte vigilant.* Non quidem expreſſit S. Lucas, Paulum, & Silam, tota illa nocte vigilaſſe; & in precibus perduraſſe: quia tamen certū eſt, poſt illud mediæ noctis tempus, ob ea, quæ ibi contigerunt inſolita, & valdè admiranda, quietis nullum ſpatium ſuperfuiſſe; ante illud verò tēpus, vſque ad noctis medium, facile credi

a *Act. c. 16. v. 25.*

b *Chryſ. hom. 36. in Acta.*

poteſt ſemper in diuinis laudibus, & varus ſupplicationibus eos perſeuerale, bene S. Chryſoſtomus affirmauit, illos tota nocte vigilaſſe. Eſt etiã certum, preces aliquas vocales circa mediam noctem eos tam alta voce protuliſſe, vt ab aliis, qui ſimul erant, in cuſtodia, ſiue inferiori, ſiue, quod veroſimilius eſt, in alia ſuperiori, & latiori, fauente præſertim nocturnæ quietis profundo ſilentio, exaudirentur: *Media enim nocte* (ait S. Lucas) *orantes laudabant Deum; & qui in cuſtodia erant, eos audiebant.* Quod autem vulgatus Interpres dixit: *Laudabant Deum.* Græce legitur, ὕμνουν θεὸν, id eſt, hymnum Deo proferebant; laudes, nimirum, dantes diuinæ Maieſtati, gratias pro acceptis beneficiis referebant, & pſallendo, fortaſſe alternatim, vt in matutinis precibus ſolet Eccleſia, nocturnas horas traducebant: nam hæc tria hymni appellatione, iuxta vim Græcæ vocis, aptè ſignificantur. Et ſicut pium hoc inſtitutum precum per horas, quas canonicas vocant, Paulus, alijque primitiuæ Eccleſiæ fideles à S. Propheta Dauide quodammodo ſuſceperunt, qui de ſe coram Deo teſtabatur [e]: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, & memor fui nocte nominis tui, Domine.* ita Eccleſia ab vtroque, nimirum, à Paulo, & à Propheta Dauide huius rei agnoſcit exemplum, vt quodam Hymno nocturnarum precum illis verbis profitetur [d]:

Ad confitendum ſurgimus,
Moráſque noctis rumpimus.
Mentes, manúſque tollimus,
Propheta ſicut noctibus
Nobis gerendum præcipit,
Paulúſque geſtis cenſuit.

Reddunt quoque plures Auctores, qui de diuinis officiis eruditè ſcripſerũt, varias rationes, cur nocturno potiſſimum tempore, & circa medium

e *Pſ. 118. v. 62. & 55.*
d *Hym. matut. fer. 4.*

quietis, preces nocturnæ ab apoſtolicis vſque tẽporibus in Eccleſia fuerint introductę. Nẽpe, vt alia omittamus, quia eo noctis tẽpore Chriſtus Dominus eſt natus: *Cum enim quietũ ſilentiũ teneret omnia* (inquit Sapiẽs [e]) *& nox in ſuo curſu medium iter peragerct, omnipotẽs ſermo tuus à regalibus ſedibus venit.* Circa idẽ quoque tempus putatur Chriſtus à mortuis reſurrexiſſe; & ad Iudiciũ in extremo die ſęculorũ eſſe venturus, vt ipſe in quadam parabola ſignificauit, dicens [f]: *Media nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit.* Quod etiã præclaro Sibyllæ teſtimonio confirmat Lactantius Firmianus [g]. Quoniã verò nõ ſatis apertè declaratam nobis eſſe Dominus voluit nocturnam illam horam aduentus eius ad Iudicium vniuerſale, cùm propterea dixerit in Euangelio [h]: *Vigilate: neſcitis enim, quando Dominus veniat, ſero, an media nocte, an galli cantu, an mane.* ideò non tantùm media nocte, ſed aliis etiam nocturnis horis ad preces Deo fundendas primos Chriſtianos conſurgere, & quietem ſupplicationibus interrumpere conſueuiſſe teſtantur Patres antiquiores Chryſoſtomus [i], Baſilius [k], Hieronymus [l], Clemens Alexandrinus [m], quin etiam externi, & profani Scriptores, Lucianus [n], Plinius ſecundus [o], & Ammianus Marcellinus [p]. Vnde factũ eſt, vt canonicę preces in tres Nocturnos, & in matutinas Laudes, reſpiciẽtes illa quatuor notata in Euãgelio tempora, nempe, ſerò, media nocte, galli cantu, & mane, diuiderentur. Quæ tamen à nobis hoc tempore vno tractu perſoluuntur, & ſolent eadem matutini appellatione pro vna hora computari; additis verò ſex aliis Horis canonicis, ſeptem conſtituuntur, iuxta illud in Pſalmo dictum à Dauide [q]: *Septies in die laudem dixi tibi.*

e *Sap. c. 18. v. 15.*
f *Matth. c. 25. v. 6.*
g *Lactãt. lib. 7. cap. 9.*
h *Marci c. 13. v. 35.*
i *Chryſoſt. in Pſ. 118.*
k *Baſil. in Reg. fuſ. interrog. 37.*
l *Hieron. ep. 22.*
m *Clemens in Pælag. c. 9.*
n *Lucian. in dial. Philopatr.*
o *Plin. ſecundus lib. 10. ep. 97.*
p *Ammian. lib. 28. ad finem.*
q *Pſ. 118. v. 164.*

Quantæ

Quantæ autem virtutis hæ nocturnæ Pauli, & Silæ preces extiterint, ſecuta prodigia quadruplicis miraculi declararunt: *Nam ſubitò terræmotus factus eſt magnus* (inquit S. Lucas [r]) *ita vt mouerentur fundamenta carceris. Et ſtatim aperta ſunt omnia oſtia, & vniuerſorum vincula ſoluta ſunt.* Fuit itaque primum miraculum, totius carceris vehemens agitatio & concuſſio; ita vt illius etiã firmiſſima tremerent fundamenta. Secundum, omnia oſtia repentè apparuiſſe patefacta. Tertium, compedes, & vincula omnium, qui ibi detinebantur, fuiſſe ſoluta. Quartum, nihil propterea quenquam eorum, qui intus claudebantur, eſſe paſſos, nulla murorum deſtructione, aut ruina tectorum: vt intelligeremus, diuina per Angelos operante virtute, motus illos, non ad nocendum, ſed ad ſalutarem terrorem fuiſſe attemperatos. *Sed hæc* (inquit Chryſoſtomus [s]) *cuncti non videbant; alioquin fugiſſent omnes.* Hoc verò quod Chryſoſtomus & eum ſecutus Oecumenius affirmarunt, viſum eſt aliquibus creditu difficile; vt, nimirum, qui Apoſtolorum hymnos exaudiebant, & multò magis agitati carceris fragorem, non aduerterint catenas à ſe decidentes, & pedes à reſeratis compedibus liberatos. Si quis tamen omnia verba S. Chryſoſtomi attentè cõſideret, facilè intelliget, nihil aliud ſignificare eum voluiſſe, niſi propter noctis obſcuritatẽ, & varios ædium anfractus, nõ potuiſſe vinctos aduertere fores, præſertim remotiores, eſſe patefactas. Quare, etiãſi ſenſerint, & viderint à catenis, & compedibus ſe eſſe ſolutos; tamẽ hac ipſa rei adeò inexpectatę nouitate attoniti, & ingenti illo terræmotu ſtupefacti, conſilij inopes, quò ſe verterent, neſciebãt: nec audebãt aliò migrare, timentes in aliquod maius periculũ incidere. Fortè etiam obſeruantes illa prodigia non ob aliam cauſam immiſſa diuinitus, niſi ad illorũ Dei ſeruorũ, quos in diuinis laudibus occupatos audiebant, innocentiam declarandam, & defendendam, malebant ab illis non recedere, magis ſe propè illos, quàm procul ſecuros exiſtimantes; atque etiam ob id fortaſſis, ſe illis commendabant, ſicut olim Christo in cruce bonus latro, cum diceret [u]: *Nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit.*

Dum hæc ita geruntur, quid ſecutũ fuerit, S. Lucas refert his verbis [x]: *Expergefactus autẽ cuſtos carceris, & videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio volebat ſe interficere, exiſtimans fugiſſe vinctos. Clamauit autem Paulus voce magna, dicens: Nihil tibi mali feceris: vniuerſi enim hic ſumus.* Quòd ianuas carceris illo terræmotu apertas cuſtos faciliùs, quàm qui ibi vincti detinebantur, aduerterit, id nõ eſt mirum: nam audito in tenebris ingenti illo ſtrepitu trementium murorum, habere omnia ſuſpecta illum maximè oportebat, & pro ſuo officio curſitare, explorare extimas, & intimas fores: erant enim leges ſeueriſſimæ cuſtodibus carceris ea de re poſitæ, quales nunc etiam legũtur in Iure Cæſareo [y], vt eadem plectantur pœna, qua is, qui fugerit, plectendus fuiſſet. Præterea, fuerat adiunctũ huic carcerum cuſtodi ante vnum diem graue pręceptum à Magiſtratu, vt Paulum, & Silam ſumma diligentia cuſtodiret, eóſque propterea in profundiori carcere adſtrictis ligno cõpedibus collocaret. Quare, cũ ante aliquot annos Herodes Agrippa Petrũ Apoſtolũ in vinculis cõiecisset, & catenis ligatũ ab aliquot militibus diligẽter cuſtodiri pręcepiſſet, vbi de illius euaſione intellexiſſet, vehemẽter iratus,

r Act. c. 16. v. 26.

s Chryſ. hom. 36. in Acta.

u Lucæ c. 23. v. 41.

x Act. c. 16 v. 27. 28.

y ff. de cuſtod. reorũ. l. finali, & l. de cuſtod. reorum. l. ad Cõmentarienſem. & ff. de pœnis. l. 38. & miles.

iratus, graue de illis cuſtodibus ſupplicium ſumpſit[z], quod putant aliqui fuiſſe ſtrangulationem. Hâc igitur ob cauſam cuſtos modò carceris Philippenſis tantopere ſibi timebat, & infortunium ſuum deſperanter lamentabatur. Quod autem ait S. Lucas, voluiſſe illũ euaginato gladio ſe interficere, non tantùm ad manus ſibi inferendas euaginaſſe gladium exiſtimare debemus; verum etiam, vt vinctos diffugientes, ſi qui forte nondum extimas fores eſſent egreſſi, tum proprio, tum illorum, quos ſtricto gladio perſequebatur, intentato periculo reuocaret, & in cuſtodia cõtineret. Atque idipsũ vocibus, indignatione, ac deſperatione omnibus illis audientibus, expreſſiſſe credibile eſt; miſerum ſe, atque infeliciſſimũ appellando, qui niſi gladio illos coërcere fugitiuos potuiſſet, ad grauius, & ignominioſius ſupplicium euitandum, cõfodere ſeipſum cogeretur. At, quis magnam hîc Dei bonitatem, & eius imperſcrutabile conſilium non admiretur; qui milites Petri cuſtodes, nulla eorum culpa, vel negligentia per Angelum erepti, permiſerit crudeli ſupplicio interfici; hunc autem, qui iam propemodum interfecturus erat ſeipſum, voluerit non ab interitu tantùm corporis, ſed etiam animæ, tali benignitate liberare, vt non ipſe ſolùm, ſed etiam vniuerſa familia ipſius Baptiſmi Sacramento initiaretur, & inde celebris Eccleſia Philippenſium ſua primordia ſortiretur? *Non erat* (inquit Chryſoſtomus[a]) *malus iſte carceris cuſtos: coniecerat illos in interiorem carcerem, mandato ſic accepto, & non à ſeipſo.*

z *Act. c.* 12. *v.* 19.

a *Chryſoſt. hom.* 36. *in Acta.*

Intereà Paulus in interiori carcere cõſtitutus, cùm animi illius anguſtias præſentiret, ſiue interna reuelatione, ſiue propter emiſſas in illis tenebris lamentabiles voces, ipſe non minori voce clamauit, dicens[b]: *Nihil tibi mali feceris: vniuerſi enim hîc ſumus.* Hoc autem, quòd eſſent ibi vniuerſi, nec vllus apertis foribus, & vinculis diſſolutis per illas tenebras aufugiſſet, vix potuit Paulus ſine prophetico ſpiritu dignoſcere, neque cuſtos ſtatim credere, niſi miraculorum virtute, iam in eius corde operante, fidei lumen interlucere menti eius incepiſſet. *Petitóque lumine* (ait S. Lucas) *introgreſſus eſt, & tremefactus procidit Paulo, & Silæ ad pedes.* Miratur hîc S. Chryſoſtomus varias operationes miraculorum pro libertate humanæ voluntatis, gratiam admittentis, aut reſpuentis. Eiecerat Paulus Dæmonẽ à Pythoniſſa, & qui miraculum viderant, euaſerunt inde nequiores, Paulo, & Silæ, vincula, flagella, & extrema ſupplicia procurantes: hîc autem alio miraculo, in honores ſtatim ſupplicia conuertuntur. *Vidiſti,* (inquit Chryſoſtomus[c]) *quid illic factum, & quid hîc? Illic puella liberata eſt a ſpiritu, & in carcerem coniecerunt illos, quòd liberauerunt illam à Dæmonio. Hîc ſolùm monſtrarunt portas carceris apertas, & aperuit cuſtos carceris, portas cordis ſui, ſoluit vincula duplicia, accendit illic lumen: nam & in corde ipſius lux fulſit.* Pergit deinde Lucas narrare, quid egerit cuſtos[d]: *Et producens eos foras ait: Domini, quid me oportet facere, vt ſaluus fiam?* Dominos appellat, quos heſternæ diei contumeliæ in foro, & indignitas fœdi carceris non tantùm depreſſerat, quantùm conſtantia, patientia, & animi inuicta fortitudo nunc extollebant, & omni dignos obſeruantia, ac veneratione reddebant. Eduxit autem eos foras in propriam domum, ſiue carceri adiũctam loco liberiori, ſiue ipſi carceri ſuperiorem, ratus, viros tam ſanctos innocentes, & ſummi Dei amicos, quidquid mandaſſet ethnicus Magiſtratus,

b *Act. c.* 16. *v.* 28. & 29.

c *Chryſoſt. hom.* 36. *in Acta.*

d *Act. c.* 16. *v.* 30. 31.

ſtratus,eo loco intec facinoroſos non eſſe vlla ratione detinẽdos. Proiicit ſe ante illorũ pedes, quos anteà cõpedibus preſſos,nunc deuotiſſimè oſculatur,de illata grauiſſima iniuria veniã petit;poſtulat, quid illum oportet facere, vt ſaluus fiat: *At illi dixerunt: Crede in Dominũ* Iesvm,*& ſaluus eris tu, & domus tua.* Non eſt hæc, quæ modò exigitur, illa vana Caluini credulitas,inanis fiducia,& ſterilis fides, ſine operibus bonis,in qua ipſe exultat in ſuo huius loci Commentario, vt aliàs ſæpè, quaſi ſola ſufficiat ad ſalutem: ſed illa, de qua ſcripſit ad

e Galat. c.5.v.6. Galatas Paulus [e]: *Fides,quæ per charitatem operatur.* Quare, vt operibus ipſis ſtatim cuſtos carceris declararet,talem fidem operatrici charitati coniunctam ſe concepiſſe ad ſalutem, pergit ſic narrare de illo ſacer

f Act. c. 16.v.33. 34. Hiſtoricus [f]: *Et tollens eos* (id eſt,Paulum,& Silam) *eadem hora noctis, lauit plagas eorum:& baptizatus eſt ipſe, & omnis domus eius continuò:cùmque perduxiſſet eos in domum ſuam,appoſuit eis menſam, & lætatus eſt cum omni domo ſua credens Deo.* Poterat quidem, vt ſæpè cum SS. Martyribus præſtitit Deus plagas illas, & cicatrices ſine vllo humano remedio ſubitò perſanare: ſed maluit fomentis huiuſmodi ſynceræ charitatis locum relinquere, ad exercitium virtutis nouorum Chriſtianorum,remanentibus ſignis, & ſtigmatibus cicatricum, in quibus poſſet Apoſtolus tanquam inuictus Chriſti miles gloriari, quod facit,

g Galat. c.6.v.17. dum ea de re ſic ad Galatas ſcribit [g]: *De cætero nemo mihi moleſtus ſit, ego ſtigmata* Iesv *Chriſti in corpore meo*

h 2. Cor. c.11. v. 23. 30. *porto.* Et ad Corinthios [h]: *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor. In laboribus plurimis,in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum.* Quod autem indicare videtur ſacra Hiſtoria,menſam Paulo, &

Silæ ſummo mane,vel etiam aliquantò ante lucem fuiſſe appoſitam,vt cibo ea hora reficerentur,non eſt,quòd quiſquam admiretur: oportet enim conſiderare, eos ante triduum nihil prorſus guſtare potuiſſe. Nam, cum die antecedenti ſummo mane extra portam exiuiſſent, vt in Oratorio illo iuxta fluuium,de quo anteà retulimus,occaſionem captarent loquendi de myſteriis noſtræ fidei,iis, qui tunc temporis ibi conueniebant, obuiam habuerunt puellam Pythoniſſam, quam à Dæmone ſtatim Paulus liberauit: vnde illius domini vehementer indignati,populum, & magiſtratus concitauerunt, vt in publico foro cæſi detruderentur in carcerem, vbi vſque ad noctem in precibus perſeuerarunt:poſteà ſecuta ſunt alia prodigia,vſque mane, quando iam tertia dies illuceſcebat, ex quo nullo veſci cibo potuerunt.Erant prætereà multis plagis acceptis grauiter ſauciati, & emiſſo inde non modico ſanguine, accedente etiam vigilia diuturna, ſine vlla quiete in tanta loci incommoditate ac miſeria, propè iam exhauſti, vt cibum non tam pro arcenda fame, quàm pro vita in ægro corpore detinenda,ſumere ſine dilatione vlla cogerentur. Sed, ô felicia, benè poſſumus dicere,tolerata pro Chriſto verbera, & plagæ ſalutares, quibus tot lethalia vulnera animarum ſanabantur, dum illæ ſedula pietate à cuſtode carceris lauabantur & curabantur! felices compedes, & ſacra vincula corporum, quibus tot addicta Dæmoni mancipia in Chriſti libertatem vindicabantur: beatum conuiuium officioſa charitate exhibitum, in quo non tam cibo reficiebantur corpora, quàm mentes diuinis colloquiis,& pane cœleſti paſcebantur. *Et locuti ſunt ei*, id eſt,cuſtodi carceris,ait S. Lucas [i],*verbum Do-* i Act. c. 16.v.32. 33.34.

mini cum omnibus, qui erant in domo eius, & lætatus eſt cum omni domo ſua credens Deo, & baptizatus eſt ipſe, & omnis domus eius continuo. Quòd autẽ omnes tam ſubitò digni Sacramento Baptiſmatis haberentur, donum fuit efficaciſſimæ gratiæ ſingulare, ſicut etiam accidit Reginæ Candacis Eunucho [k], quem vix ad horam Catechumenum ſtatim Philippus Diaconus baptizauit. Sed hic plurium miraculorum addebatur quodammodo euidentia, quam Theologi vocant in atteſtante, vnde integra familia ſic firmaretur in fide, vt ſine mora omnes ſimul cœleſti lauacro meruerint expiari.

k *Act. c. 8. v. 17.*

Putant autem aliqui [l], hunc carceris cuſtodem Stephanam appellatum, & illum eſſe, de quo aliquoties mentionem facit Apoſtolus in priore ad Corinthios Epiſtola, capite primo, & poſtremo, ſatis honorificam. Nec eſt improbabilis huiuſmodi coniectura, cùm ibi S. Paulus dicat [m]: *Baptizaui autem & Stephanæ domum: cæterum neſcio, ſi quem alium baptizauerim.* Nam, cùm baptizaſſe ſe domum huius cuſtodis carcerum tot ſuis ærumnis, tantiſque interuenientibus ſignis, negare, aut obliuiſci omninò Apoſtolus non potuerit, hanc ipſam eſſe Stephanæ familiam valde eſt veriſimile. Neque refert Stephanam, quaſi femineo nomine; non autem Stephanum hunc patremfamilias eſſe appellatum: quia iuxta Græcam inflexionem, benè accipitur etiam pro virili. Vnde inter viros primo loco in eadem Epiſtola inferiùs commemoratur, vbi dicitur [n]: *Noſtis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici.* Et iterum inferiùs eius liberalitas ita commendatur: *Gaudeo autem in præſentia Stephanæ, Fortunati, & Achaici: quoniam id, quod vobis deerat, ipſi ſuppleuerunt.* Niſi quod hũc Stephanum Corinthi manſiſſe cum ſua familia indicat Apoſtolus, dum hæc ſcribit ad Corinthios: ſed potuit pro temporum mutatione, varia ſubinde loca permutaſſe.

l *Salmer. in Act. tract. 46. Oecum. Act. c. 16. Cagn. ibid.*

m *1. Cor. c. 1. v. 16.*

n *1. Cor. c. vlt. v. 15. & 17.*

Hæc dum in ædibus cuſtodis agerentur, *& iam dies*, inquit Lucas [o], *factus eſſet, miſerunt Magiſtratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos.* Vnde tã ſubita mentis mutatio in Magiſtratibus facta nunc fuerit, variis coniecturis poſſumus inueſtigare: vel enim ipſi perceperunt terræmotum non ſolum carceres, verùm etiam partẽ aliquam ciuitatis fragore illo quatientem: vel prodigij rumor ab iis, qui ex vicinia perceperant, vſque ad illos celeriter manauit: vel ipſemet cuſtos carceris, vt ſe de culpa purgaret, & vt innocentiæ Apoſtolorum conſuleret, per certos homines, ſiue etiam per ſeipſum Magiſtratui rem totam denunciauit: vel denique Deus, in cuius manu ſunt hominum corda, & voluntates, homines illos permouit. Hi tamen, adhuc miraculo intellecto, nõ ex toto diuinæ gratiæ incitamẽtis pro libertate arbitrij cedere voluerunt: nam, licèt mutata ſentẽtia mandauerint ſolui quàm primùm è vinculis innocentes: eorum tamen virtutem ac ſanctitatem agnoſcere, ac revereri neglexerunt: quod ſatis illo imperandi modo ſignificarunt [p]: *Dimitte illos.* quaſi per contemptum dixiſſent: illos homũciones, peregrinos, & ignotos, de quibus nulla præterea ſit habenda ratio. Vt, nimirum, huiuſmodi contemptu ſuam ipſi tegerent iniquitatem, miraculi gloriam obſcurarent, ſuaderent cuſtodi, ne permitteret ſe ab illis circumueniri, & ne propter miraculi famam plures eſſent ex Philippenſibus, qui nouæ illi religioni fidem præſtarent [q]. *Nunciauit ergo cuſtos carceris verba hæc Paulo: Quia miſerunt Magiſtratus, vt dimittamini:*

o *Act. c. 16. v. 35.*

p *Act. c. 16. v. 35.*

q *ibid. c. 16. v. 36. 37.*

ſamini : nunc autem exeuntes ite in pace. Paulus autem dixit eis: Cæſos nos publicè indemnatos homines Romanos miſerunt in carcerem, & nunc occultè nos eiiciunt? Non ita, ſed veniant, & ipſi nos eiiciant. Hæc S. Lucas. Iterum ſe Paulus, & Silas intra carceres conſtituerant loco inferiori, nec inde, niſi publica Magiſtratus aduenientis auctoritate fuiſſent innocentes declarati, exire voluerunt, non pro ſua, ſed Chriſti, & Chriſtiani nominis gloria defendenda, quam pro multorum ſalute ibi procuranda eſſe neceſſariam ſapientiſſimè iudicarunt. In quam ſententiam poſteà ſcribens Apoſtolus ad hos ipſos iam fideles, ſuíque ſtudioſiſſimos Philippenſes: De cætero, inquit [r], Fratres, quacunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quacunque ſancta, quacunque amabilia, quacunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus, hæc cogitate. Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & vidiſtis in me.

r Philip. c.4.v.8.

Quæ verba expendens ad præſens inſtitutum S. Auguſtinus [s]: Cernis, inquit, quemadmodum inter multa, quæ exhortando commonuit, non neglexerit ponere: Quacunque bonæ famæ? duobúſque verbis cuncta concluſerit, vbi ait: Si qua virtus, ſi qua laus. Ad virtutem nanque pertinent quacunque memoraui bona; fama vero ad laudem. Puto, quod non laudem hominum pro magno ſumebat Apoſtolus, alio loco dicens [t]: Mihi autem minimum eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Et alibi [u]: Si hominibus placerem, ſeruus Dei non eſſem. & iterum [x]: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Sed illorum duorum, id eſt, bonæ vitæ, & bonæ famæ, vel quod breuius dicitur, virtutis, & laudis, vnum propter ſeipſum ſapientiſſimè retinebat, aliud propter alios miſericordiſſimè prouidebat. Hæc S. Auguſtinus. Quod verò dixit Apoſtolus in numero multitudinis: Cæſos nos publicè, & indemnatos homines Romanos miſerunt in carcerem. exprobrãs Magiſtratui Romani iuris tranſgreſſionẽ, fecit aliquos dubitare, an etiam Silas, & non tantum Paulus, frueretur priuilegio Romanæ ciuitatis. Affirmãt aliqui [y], & addunt, Silam non ſolùm fuiſſe, ſicut Paulũ, Romana ciuitate donatum, ſed etiam patria Tarſenſem. Eſt tamen vtrunque incertum, & magis falſè Tarſenſem, nec apparet alia, niſi ex his verbis minimè firma cõiectura: nã benè potuit Paulus ita loqui tantũ propter ſeipsũ, iuxta eam figurã, quam Syllepſim vocãt, & præſertim in re amicabili. Nã, quod magis eſt mirũ, in re odioſa etiã Matthæus [z], & Marcus Euãgeliſtæ dixerunt [a], latrones cũ Chriſto crucifixos, & improperaſſe, & conuiciatos fuiſſe: cùm tamẽ conſtet ex Luca [b], id factũ ab vno tantũ, qui erat à ſiniſtris.

s S. Aug. lib. de viduit. c. 22.

t 1. Cor. c.4.v.3.

u Galat. c.1.v.10.

x 2. Cor. c.1.v.12.

y Salm. tract.46.

z Matth. c. 27. v. 44.

a Marc. c. 15. v. 32.

b Luca c. 23.v.39.

Cùm itaque redeuntibus à carcere lictoribus audiſſet Philippenſis Magiſtratus, quid Paulus in ſua, & Silæ cauſa generoſo animo reſpondiſſet, inquit S. Lucas [c], timuerunt audito, quòd Romani eſſent, & venientes deprecati ſunt eos, & educentes rogabãt, vt egrederentur de vrbe. Cauſam huius tanti timoris ob violatũ ius Romanæ ciuitatis, illã putamus: quia idem, qui tunc imperabat, Claudius Rhodios nõ pridẽ libertate priuauerat, eò quòd in aliquos Romanos ciues peccauiſſe delati fuerant, ſicut auctor eſt Dio [d]. Idemque Imperator Vmbonẽ Silionẽ Beticę Præfectũ mouerat à Senatu, hoc ei tantũ obiecto crimine, quòd libertos quoſdã offendiſſet. Neque verò poterat Philippenſis Magiſtratus pro iniqui facti excuſatione prętẽdere ignorãtiã, quia debuiſſent cauſã prius examinare, quinã, à quibus & de quo delicto accuſarentur. Nam hoc eſt, de quo querebatur Apoſtolus, dicens: Cæſos nos publicè indemnatos homines Romanos

c Act. c. 16.v.38.

d Dio. lib.60.

ndemnatos miſerunt in carcerem. Cùm tamen extaret lex Porcia in contrarium, quam refert Tullius in oratione pro Rabiiro, & aliàs ſæpè [c], de Romanis ciuibus non verberandis, niſi priùs fuiſſent ad mortem legitimè condemnati; & lex Valeria, quam recitat Valerius Maximus in hæc verba [f]: *Legem Valerius Publicola in Comitiis centuriatis tulit, ne quis Magiſtratus ciuem Romanum aduersùs prouocationem verberare, aut necare vellet.* Quæ ratio quoque videtur fuiſſe, cur modò facti conſciẽtia timidi Magiſtratus Philippenſium, cuſtodi carceris, eiúſque familiæ vniuerſæ ob Chriſtianam religionem Sacramento Baptiſmi paulò antè ſuſceptam, quod ignorare vix potuerunt, non ſint auſi vllam inferre moleſtiam: veriti, nimirum, violati iuris in re tam graui periculoſam accuſationem. Vnde fuerunt etiam cõpulſi ad carcerem venire; rogare vinctos, vt liberi non inde tantùm; ſed etiã ex ciuitate quàm primùm egrederentur; excuſare factum ignoratione qualitatis perſonarum; fateri eos eſſe innocentes; culpæ veniam deprecari; addere quaſi eſſent de illorum, & non de propria magis incolumitate ſolliciti, cauendum, ne populus iterum ſeditione aliquã contra illos inſurgeret, & noui tumultus exiſterent. Quapropter viſum eſt Paulo ad tempus abeundum, vt opportuniùs poſteà reuerteretur. Id, quanto cum Euangelij emolumento, propter nũc ſparſa feliciter ſemina Chriſtianæ religionis, ſuo loco referemus. Intereà Paulus, & Silas honorificè deducebantur, aduenientibus etiam aliis duobus comitibus, Luca, & Timotheo, niſi forte Lucas (quod infrà expendemus) paulò antè diſceſſerat. Nec in digreſſu à ciuitate viſum eſt præterire hoſpitalem domum Lydiæ purpuratiæ; tum, vt adeò benè de ipſis meritæ familiæ gratos ſe exhiberent; tum, vt ibi congregatos fideles Fratres conſolarentur, & in fide, pietatéque confirmarent; præſertim quos illatæ heſterna die in foro contumeliæ nimiùm commouiſſent, neſcientes, quid Paulo, & Silæ, ſi fuiſſent occultè dimiſſi, poſteà contigiſſet. Nam, propterea Chriſti ſeruos monuit S. Petrus dicens [g]: *Nemo veſtrûm patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorũ appetitor: ſi autem vt Chriſtianus, nõ erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine.* Hac itaque gratulatione, & impertita fidelibus Fratribus benedictione reliquit Paulus hoc tẽpore Philippenſes.

c M. Tul. or. 5. & 6. in Ver. & lib. 10. famil. ep. 32.

f Val. Max. lib. 4. c. 1.

g ep. 1. c. 4. v. 15.

CAPVT IV.

Paulus egreſſus Philippis venit Amphipolim, & Apolloniam, atque inde Theſſalonicam.

Cum Philippis egreſſus eſt Paulus, Sila, & Timotheo comitibus, an etiam quartus adfuerit Lucas Euangeliſta, meritò aliquis dubitabit. Ipſe enim exponens, quæ contigerãt, dum in vrbe Philippenſi morarẽtur, ſic ait [a]: *Eramus in hac vrbe diebus aliquot, & egreſſi ſumus foras, & loquebamur,* &c. At, vbi poſtremam ex eadẽ ciuitate profectionẽ, & iter Amphipolim, atque ad alias quaſdam ciuitates proſequitur, non loquitur ampliùs in perſona multitudinis prima, includendo ſeipſum; ſed ſemper in tertia, dicens [b]: *Exeuntes autem de carcere introierunt ad Lydiam, & viſis Fratribus conſolati ſunt eos, & profecti ſunt. Et cùm perambulaſſent Amphipolim, & Apolloniam, venerunt Theſſalonicam.* Ex quibus S. Lucæ ſingularem modeſtiam obſeruabimus, qui Pauli rebus narrandis maxime intẽtus, nullam vnquam de ſe, ſuiſque geſtis explicitam

a Act. c. 16. v. 12.

b ibid. c. 16. v. vlt. & toto cap. ſeq.

plicitam ingerit mētionem, quo iuerit, vel vbi remanſerit, aut quid à Paulo commiſſum ei fuerit. Deinde, non minorem declarat in deſcribenda hac hiſtoria ſynceritatem, dum in iis exponendis, quibus ipſe non interfuerat, ſolet eſſe cōpendioſior, quod nos anteà monuimus, & magis videbimus in ſequentibus. Quapropter cogimur in præſenti ea, quæ in Actis apoſtolicis breuiter de hoc itinere attinguntur, aliquantò fuſiùs ex priori Epiſtola ſcripta ad Theſſalonicenſes perueſtigare. Sed anteà Lucæ cōpendiaria verba perpendamus [c]: *Cum autē* (inquit) *perambulaſſent Amphipolim, & Apolloniam, venerunt Theſſalonicā.* Amphipolis, ad quam modò Paulus cū Sila, & Timotheo, relictis Philippis, primùm deuenit, non eſt illa eiuſdem nominis ciuitas in Syria, quam ſua lingua Syri Tudertam vocant; ſed alia in Macedonia, à Philippis versùs occaſū, & meridiem non procul, quæ olim Athenienſium colonia fuerat [d]. Eam Strymon fluuius ex Hæmo delapſus in peninſulę formam ſuo complexu ambit: à quo ſitu nomen illi eſt inditum Amphipolis. Hic Apoſtolus diu morandum non cenſuit, feſtinans ad Macedonię metropolim. Nā, quod aliàs optimo conſilio facere cōſueuit, in vrbibus primariis Euangelio prædicato, ibique primū Chriſtiana religione fundata, faciliùs quaſi à capite, vel corde ad alias partes veritas doctrinæ cœleſtis, & vitale fidei lumen diffundebatur. Venit igitur quamprimùm Apolloniā, quæ ciuitas eſt poſita non procul à Theſſalonica. Nam, quamuis vſque ad oppida vigintiquatuor, & Inſulas duas hoc ipſo nomine Apollonię aliqui [e] numerauerint; hæc tamen alia non fuit, quàm quæ prope Theſſalonicā iacens, amne Achedoro interfluēte ab ea diuiditur. Quare neque Apollonię diu Paulus commoratus, breui tractu ad Macedoniæ metropolim, ſiue Theſſaliæ primariā ciuitatē ſe contulit. Hęc Halis primùm dicta, deinde à Philippo Amyntę filio vocata eſt Theſſalonica, ſiue à Theſſalis ibi victis, vt deſignat nomen, ſiue ab vxore Philippi Theſſalonica, vt Straboni placet. Hęc hodie contr. cto vocabulo Salonica dicitur barbaro imperio ſubiecta Turcarū, & Iudæorū ferè ſtatio, ac emporiū. Duas ſcripſit Apoſtolus ad Theſſalonicenſes Epiſtolas, in quarum prima, quod hîc Lucas omiſit, qualis fuerit hic primus ad ipſos aduentus refert his verbis [f]: *Ipſi ſcitis, Fratres, introitum noſtrum ad vos; quia nō inanis fuit, ſed antè paſſi, & contumeliis affecti, ſicut ſcitis, in Philippis, fiducia habuimus in Deo noſtro loqui ad vos Euangeliū Dei in multa ſollicitudine.* Atque hoc primū ponit Apoſtolus argumentū ſui ad Theſſalonicenſes introitus nō ſuperuacanei, vel inanis; ſed frugiferi & maximi emolumēti: quia, videlicet, in eo multa pro Chriſti nomine, & ſacri eius Euāgelij ſollicita prędicatione pertulerat. His addit alia plura, in memoriā reuocans traditæ à ſe doctrinæ puritatē, ſanctitatem, ſynceritatē [g]. *Exhortatio enim noſtra,* inquit, *nō de errore, neque de immunditia, neque in dolo.* Quod eſt ſecūdum in eandē ſententiā argumentū: cui addit tertiū, rectiſſimæ, videlicet, ſuæ intē tionis ſolius Dei gloriam per omnia ſpectantis, & ſalutē animarū: non humanos fauores, aut lucra vlla temporalia [h]: *Sicut,* inquit, *probati ſumus à Deo, vt crederetur nobis Euangeliū, ita loquimur, nō quaſi hominibus placentes; ſed Deo, qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione auaritiæ: Deus teſtis eſt. Nec quærētes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.* Subdit & quartū teneriſſimæ charitatis, qua eos tanquā ma-

c *Act. c. 17. v. 1.*

d *Plin. lib. 14. c. 10.*

e *Steph. de Vrbibus.*

f *1. Theſ. c. 2. v. 1. & 2.*

g *ibid. v. 3.*

h *ibid. v. 4. 5. 6.*

ter vnicè amauit, & in fide educauit, paratus etiam vitam pro illorum ſalute, ſi opus fuiſſet, effundere [i]. Vnde

[i] *ibid. v. 6.8.9.*

dicebat: *Facti ſumus paruuli in medio veſtrûm, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos, ita deſiderantes vos cupidè volebamus tradere vobis, non ſolùm Euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras: quoniam chariſſimi nobis facti eſtis.* His addit quintum, & ſextum, atque etiã ſeptimum vtilis ſuę prædicationis argumentum: quòd ne quenquã Theſſalonicæ grauaret, victum ſibi diu, noctuque laborando parauerit: quòd inter ipſos ſanctè & irreprehenſibiliter vixerit: denique quòd Euangelium à ſe prædicatum, non vt verbum hominum; ſed, ſicut verè eſt, verbum Dei, maxima deuotione ſuſceperint [k]. *Memores enim eſtis, Fratres, laboris noſtri, & fatigationis nocte ac die operantes, ne quem veſtrũ grauaremus. Vos teſtes eſtis, & Deus, quã ſanctè, & iuſtè, & ſine querela vobis, qui credidiſtis, fuimus. Ideò & nos gratias agimus Deo, quoniam cũ accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbũ hominum; ſed ſicut eſt verè verbum Dei.* Ex his licet facere coniecturã, qualia, & quanta inter Paulum, & Theſſalonicenſes illos primos Chriſtianos mutuæ charitatis officia, quæ pietatis, patientiæ, humilitatis exempla reciproca interceſſerint. Laborabat quaſi indefeſſus hic Dei Apoſtolus inſtruendo, exhortando, concionando, Sacramenta adminiſtrando, & adhuc manibus ſuis, pro victu ſibi comparando, noctu diúque operãdo, vt haberet, vnde vitam ſine vllius grauamine parciſſime ſuſtentaret, nihil prorſus à quoquam, licèt vltrò, liberaliter oblatum admittens, vt exemplum animi in rebus etiam muneribus demiſſiſſimi, operoſiſſimi, & contemptoris omnis humanæ mercedis ſeipſum exhiberet. Quod proptereà in memoriã Theſſalonicenſibus reuocare non omiſit, ſic ad eos ſcribens [l]: *Ipſi enim ſcitis, quẽadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos: neque gratis panem manducauimus ab aliquo; ſed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem veſtrûm grauaremus. Non quaſi non habuerimus poteſtatem; ſed, vt noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos.* De his nihil S. Lucas in Actis apoſtolicis, niſi quòd ingreſſum Pauli Theſſaloniam & ſociorum, inter quos Lucas, vt dicebamus, non videtur fuiſſe, ita breuiter exponit [m]: *Venerunt Theſſalonicam, vbi erat Synagoga Iudæorum: ſecundũ conſuetudinem autem Paulus introiuit ad eos, & per Sabbatha tria diſſerebat eis de Scripturis.* Ex paucis autem his verbis non parum veneni hauſit Caluinus more ſuo, ſic habens pro Commẽtario [n]: *Dicit Lucas, Paulum diſputaſſe ex Scripturis: ergo non, niſi ex ore Dei petenda ſunt fidei probationes. Si de rebus humanis ſit diſceptatio, tunc habeãt humanæ rationes locum. in fidei verò doctrina ſola Dei auctoritas regnare debet.* Addit Hæreticus, vt meliùs concludat paralogiſmum ſuum, calumniam geminatam, & mendaciũ triplicatum, dicens: *Vnde apparet, quam diabolico furore agantur Papiſtæ, cùm negant, ex Scripturis poſſe quidquam certi colligi, atque adeò contendunt, ſtandum eſſe hominum placitis.* At, cur, quęſo, aliquem Caluinus non nominat ex Papiſtis, id eſt, Catholicis, qui vnquam dixerit, aut ſcripſerit, ſiue, vt ipſe calumnioſe mentitur, contenderit, ſtandum eſſe ſolis humanis placitis, vbi decernitur de diuinis? Et quis eorum aliquando negauerit, aut in dubium reuocauerit, poſſe aliquid certi colligi ex diuinis Scripturis? Videat proinde, quiã diabolico, vt ipſe loquitur, furore agãtur, verum talis impoſtor, an quos nihil tangit hæc impoſtura. Attendite, etiam

[k] *ibid. v. 9.10.11.*

[l] *2. Theſſ. c. 3. v. 7.*

[m] *Act. 17. v. 1.*

[n] *Calu. in c. 17. Act.*

etiamſi furore cæcus,(nã,quis hoc nõ aduerteret,ſi parum velit attendere?) ineptiſſimã eſſe illam ſuã conſequẽtiam: Lucas dicit,Paulum diſputaſſe ex Scripturis:ergo nõ niſi ex ore Dei, id eſt, verbo Dei ſcripto relictis traditionibus, petendæ ſunt fidei probationes. Perinde ac ſi quis ita argumentaretur:Lucas dicit o,Petrũ in ſua prima concione diſputaſſe ex Ioële Propheta:ergo non niſi ex Ioëlis prophetia petendę ſunt fidei veritates,& veritatum fidei probationes;nec aliis Prophetis,aut Scripturis fides eſt adhibenda,& multò minus non ſcriptis traditionibus: nã hoc eſt,quod maximè intendit Caluinus ſua illa inepta argumentatione concludere, nempe, excludere diuinas,apoſtolicas, & eccleſiaſticas traditiones. Ita enim illi difficile non erit, ſed maximè liberum,ſine Iudice,ſine arbitro,ſine vlla Eccleſiæ, ac legitimorum Conciliorum auctoritate ſacras Scripturas ad libitum peruertere, defenſioni ſuorum errorum accommodare, negare hanc, vel illam eſſe canonicam Scripturam, vbi aduertat apertè ſuis erroribus contradicere. At, quis vnquam erit finis controuerſiarum, ſi dum aſſerit aliquis, hoc, vel illud dogma conſtare ex ſacris Scripturis, alius neget, & dicat, inde ſibi conſtare contrarium? Vt, cùm Caluiniſtæ, & Lutherani nobiſcum ſentiunt, pueros etiamante vſum rationis eſſe baptizandos, & hoc obſtinatè negant Anabaptiſtæ, quia dicunt, non poſſe infantes actu credere; in ſacra verò Scriptura, vbi ſermo eſt de Baptiſmo conferendo, requiritur actus fidei in baptizandis: nam, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*, ait Chriſtus Dominus in Euangelio p. Et S. Philippus Eunucho petenti: *Quid me prohibet baptizari* q reſpondit: *Si credis ex toto corde, licet.* Nec vnquam Lutherani, & Caluiniſtæ probare poterunt,& conuincere Anabaptiſtas, actu credere infantes, dum baptizantur, atque adeò eſſe ante vſum rationis baptizandos. Itaque, velint, nolint, coguntur ad traditiones recurrere, ac nobiſcum fateri, licet ex ſacra Scriptura fides expreſſà requiratur in baptizandis,quia loquitur tantum de adultis, non autem de infantibus; tamen infantes ſine fide actuali nihilominus baptizandos haberi tam certa traditione, quàm ſi eſſet expreſſum in diuina Scriptura. Atq; ie hoc eſt, quòd Theſſalon.cenſibus in hoc genere adeò commendat Apoſtolus, dum ad eos ita ſcribit r: *Itaque, Fratres, ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram.* Circa quæ verba S. Ioannes Chryſoſtomus: *Hinc patet*, inquit, *quod non omnia per Epiſtolas tradiderunt Apoſtoli;ſed multa etiam ſine literis. Eadem verò fide digna ſunt,tam iſta,quam illa.* Et S. Ioannes Damaſcenus s: *Quòd multa*,inquit, *tradiderint Apoſtoli ſine ſcripto,ſcribit Paulus ad Theſſalonicenſes:ergo,Fratres,ſtate,& tenete traditiones,quas edocti eſtis,ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam.* Quid, quòd nec ipſas Pauli Epiſtolas, nec librum Euangeliorum, aut Prophetarum proponere tanquam ex auctoritate diuina ad aliquid conuincendum vllus poterit, niſi admiſſa prius traditione? Vnde enim conſtabit, illam eſſe ſacram Scripturam, niſi quia nobis ab Eccleſia traditur pro ſacra Scriptura?alia verò, quãtumuis inſcripta ſpecioſo titulo Prophetiæ, vel Euãgelij,pro tali non traditur. Exẽpli gratia,Euangelia Lucę,& Marci,vera eſſe Euangelia, ſacrámque Scripturã nõ dubitamus:at Euangelia, quæ inſcribuntur Thomæ, & Bartholomæi, dicimus

o *Act.* 5. 2. v. 16.

p *Marci c. vlt. v.* 16.

q *Act. c.* 8. *v.* 36.

r *Theſ. ep.* 2. *c.* 2. *v.* 14.

s *Dam. lib.* 4 *fid. c.* 10.

dicimus eſſe apocrypha, & falſa;quia hæc ab Eccleſia non recipiuntur. Cùm tamen, ſi ſtandum eſſet ſolùm verbo ſcripto,magis credẽdum videretur libro præferenti titulum Apoſtolorum Thomæ, & Bartholomæi, quàm Marci, & Lucæ, qui Apoſtoli non fuerunt. Et cur Epiſtolã ad Romanos eſſe Pauli Epiſtolã credemus: Epiſtolam verò ad Laodicenſes ſcriptã,quæ cũ nomine Pauli circunfertur,nec eſſe Pauli,nec Scripturam canonicã dicemus?cùm tamẽ tam iſta, quàm illa titulũ Pauli habeat inſcriptum; & Paulus ipſe teſtetur in Epiſtola ad Coloſſenſes [u], ſe quandam Epiſtolã ſcripſiſſe ad Laodicenſes;nũquam autẽ dicat, ſe ſcripſiſſe ad Romanos. Quare S.Auguſtinus in libro contra Epiſtolam Fundamenti [x], non veretur aſſerere, ſe neque Euangelio fidẽ præbiturum, niſi pro vero Euangelio ab Eccleſia Catholica traderetur. Et S. Baſilius in libro de Spiritu ſancto [y]: *Dogmata*,inquit, *quæ in Eccleſia prædicantur,quædam habentur ex doctrina ſcripto prodita,quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione in myſterio, id eſt,in occulto tradita recipimus. Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem:nec iis quiſquã contradicit, quiſquis ſanè vel tenuiter expertus eſt, quæ ſint iura eccleſiaſtica. Nam ſi conſuetudines,quæ ſcripto prodita non ſunt,tanquam haud multùm habentes momenti, conemur reiicere, imprudentes, & ea damnabimus, quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur.* Ita S.Baſilius poſt hæc fusè recenſens quam plurima in Eccleſia per ſolam traditionem accepta,& perinde obſeruata,ac ſi haberentur expreſſa in Scripturis: vt de ritibus, formis & materiis plurium Sacramentorum; de celebratione quarundam feſtiuitatum;de ſigno Crucis fronti, pectori, & aliis rebus manu formãdo;de modo orandi genua flectendo, in ſignum, quòd in terram propter peccatum delapſi ſumus; & certis temporibus habitu corporis erecto, in ſignum dominicæ Reſurrectionis;& quia per ipſum,&cum ipſo reſuſcitati ſumus, quæ ſurſum ſunt quærere debeamus. Ac tandem ita concludit S. Baſilius: *Deficiet me dies,ſi Eccleſiæ myſteria citra Scripturam tradita pergam recenſere.*

u *Coloſſ. c.vlt.v. 16.*

x *S. Aug. lib. cõtra ep. Fundamenti, c.5.*

y *S.Baſil. lib. de Spiritu ſancto, c. 27.*

Sed, vt opportunè ad Hiſtoriam, vnde nos importunè Caluinus abſtraxerat, redeamus, cur S. Paulus diſputaſſe potiſſimùm de Scripturis in Theſſalonicenſi Synagoga Iudæorum à S. Luca referatur, triplex eſt ratio. Primùm enim voluit S. Paulus Iudæis illis oſtendere, ſe quoque eſſe genere Iudæum, & vetus Teſtamentum admittere,ſicut illi,cum quibus erat diſputandum, admittebant; ſed non benè intelligebant, neque conuenienter euangelicæ veritati interpretabantur. Deinde, vt oſtenderet valdè ſe habere cordi ſalutem Iudæorum, nec illam, niſi per ipſos ſtetiſſet,gentium ſaluti ſe eſſe poſthabiturum. *Pro more ſuo* (inquit Chryſoſtomus [z]) *intrauit Paulus in Synagoga Iudæorum:& quamuis dixerat: Conuertimur ad gentes. non relinquebat eos: magno enim amore illos proſequebatur.* Tertiò, dum ait S. Lucas, Paulum intraſſe Synagogam, & ibi diſputaſſe de Scripturis,videtur indicare voluiſſe,quæ fuerit occaſio,quod thema, & diſcurſus concionis ipſius. Hæc fuit prima Synagoga,quam reperit in Macedonia:nam Philippis tantùm inuenerat paruum quoddam,vt vidimus, Oratorium; alibi verò non niſi templa idolorum. Per tria itaque Sabbata, quo tẽpore legi aliquid in Synagoga conſueuit ex veteri Teſtamẽto ſumpta occaſione, vt aliàs ſolebat, ex

z *Chryſoſt.hom. 37. in Acta.*

verbis illius ſactæ Scripturæ, quæ tunc legebatur, aut ex tradito ſibi ad manus codice Scripturarum [a]: *Adaperiens Paulus* (inquit Lucas) *& inſinuans, quia Chriſtum oportuit pati, & reſurgere à mortuis: & quia hic eſt* IESVS *Chriſtus, quem ego annuncio vobis.* Videtur autem S. Lucas illa Prophetarum teſtimonia inſinuare voluiſſe nunc à Paulo producta, quæ in Euangelio ſuo idem Lucas retulit[b] à Chriſto Domino inculcata duobus diſcipulis ab Ieruſalem in Emmaüs deſcendentibus, & in fide propè deficientibus, cùm dixit: *O ſtulti, & tardi corde ad credendum, nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.* Hoc eſt igitur, quod in ſuis concionibus probare teſtimoniis veterum Scripturarum Paulus nitebatur, non traditiones, vt Caluinus ſomniat, improbare: ſed oſtendere, Chriſtum Meſſiam à Deo promiſſum pati multa vſque ad mortem debuiſſe, tum à mortuis die tertia reſurgere, in cœlum triumphatorem aſcēdere, atque ita intrare in gloriam ſuam. Deinde hac theſi primùm teſtimoniis Prophetarum demonſtrata, venire ad illam hypotheſim, & conuincere; *Quia hic eſt* IESVS *Chriſtus, quem ego annuncio vobis*; id eſt, qui ſub Præſide Pontio Pilato ſupplicio Crucis affectus eſt, & in ſepulcro poſitus, die tertia rediuiuus apparuit, non vni, aut duobus; ſed quamplurimis, & apparitionibus variis ac manifeſtiſſimis, per dies quadraginta: donec in cœlum omnibus videntibus, qui erant in magno numero ad ſpectaculum congregati, mirabiliter eleuaretur. Vnde poſt decem dies, quando tempus complebatur Pentecoſtes, iuxta ſuā promiſſionē, ſignis, ac miraculis multiplicatis, miſit Spiritum ſanctū, qui ſtetit ſupra ſingulos viſibiliter, eóſque ad Euangeliū annunciandū, per varias orbis terrarum regiones, eodem Spiritu inſtigante diſtributos, ire compulit, ac direxit. His pro concione iterum, ac tertiò in Synagoga diſputatis, *Quidam ex eis*, ait Lucas [c], *crediderūt, & adiuncti ſunt Paulo, & Silæ, & de colentibus, Gentibúſque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.* Quatuor itaque credentium claſſes videtur his verbis ſacra Hiſtoria diſtinxiſſe: primùm Iudæorum, cùm dixit: *Quidam ex eis crediderunt.* indicans, hos fuiſſe non multos. Secundò, fuerunt colentes, quos aliqui proſelytos interpretātur, nempe, ab idololatria, ad colendum verum Deum Iudæorum accedentes. Tertiò, fuerunt Gentiles, quorum dicitur fuiſſe magna multitudo: hi nanque, quod ſæpè aliàs obſeruauimus, ad Chriſti fidē ſuſcipiendam ſolebant eſſe promptiores. Quartò, mulieres nō paucę, eæque nobiles, ſiue, vt Græcè dixit S. Lucas, primariæ, quas induxiſſe ad eandē Chriſti religionem aliquot ex viris ſuis, totáſque ſimul familias, valdè eſt veriſimile. Atq; hinc extitit illa florentiſſima Theſſalonicenſiū Eccleſia, quam tantoperè commendat Apoſtolus in prima Epiſtola ſcripta poſt hoc tēpus ad eoſdē Theſſalonicenſes, laudans illos, quia tanta cum alacritate, & gaudio S. Spiritus, verba euāgelicę veritatis excepiſſent: *Ita vt*, inquit[d], *facti ſitis forma omnibus credētibus in Macedonia, & in Achaïa: ſed & in omni loco fides veſtra, quæ eſt ad Deū, profecta eſt, ita vt non ſit nobis neceſſe quidquā loqui. Ipſi enim de nobis annunciāt, qualē introitum habuerimus ad vos; & quomodo cōuerſi eſtis ad Deū, à ſimulacris, ſeruire Deo viuo & vero, & expectare Filium eius de cœlis, quem ſuſcitauit à mortuis* IESVM *Chriſtum.*

a *Act. c. 17. v. 3.*
b *Lucæ c. vlt. v. 25.*
c *Act. c. 17. v. 4.*
d *ep. 1. c. 1. v. 7.*

Hæc S. Paulus laudans potiſſimùm Theſſalonicenſium Gentiliũ ad fidem conuerſionẽ. Quis verò interim perſecutiones, tum ipſe, tum alij fideles ab obſtinatis Iudæis paſſi fuerint, erit ſequenti capite referendum.

CAPVT V.

Theſſalonica propter excitatam à Iudæis perſecutionem venit Berœam: & inde, impedientibus iiſdem Iudæis Euangelij prædicationem, proficiſcitur Athenas.

QVanto tẽpore modò cum Theſſalonicenſibus permãſerit Apoſtolus, etiamſi certò non conſtet, ad minimũ tamen fuiſſe tres hebdomadas, indicat S. Lucas, dum ait [a], Paulum per tria Sabbata in Synagogis diſſeruiſſe, quovſque Iudæorum inuidentia, perſecutio in illum & in eius ſocios concitata fuit, quam ipſe anteà prædixerat proximè ſecuturam, ſicut ſcribens ad Theſſalonicenſes in hæc verba teſtatus eſt [b]: *Nam & cum apud vos eſſemus, prædicebamus vobis paſſuros nos tribulationes, ſicut & factum eſt, & ſcitis.* Factum autem ita S. Lucas exponit [c]: *Zelantes Iudæi, aſſumentéſque de vulgo viros quoſdam malos, & turba facta, concitauerunt ciuitatem: & aſſiſtentes domui Iaſonis, quærebant eos producere in populum.* Zelus hic ſine dubio non erat niſi liuoris, & inuidentiæ, propter tot Gentilium ad Chriſti Eccleſiam quotidianas acceſſiones, quas omnibus modis impedire increduli Iudæi connitebãtur. Præſertim, quia proſelyti apud ipſos euadebant rariores, & ex iis plerique à religione Iudaica, ad quam à Gentiliſmo deuenerant, gradũ ſibi ad fidem euangelicã expeditius faciebãt. Quapropter non tantùm Apoſtolos conuerſioni Gentium maximè intentos Iudæi perſequebãtur; ſed variis etiam modis eos omnes vexabant, quos apoſtolicæ prædicationis, ac doctrinæ, ſiue ſectatores, ſiue ſtudioſos, vbique terrarum inueniebant. Teſtatur id ipſe Apoſtolus, dum fidelium Theſſalonicenſium patientiam, conſtantiam, virtutémque commendans in hoc genere, ſic ad eos ſcripſit [d]: *Vos enim imitatores facti eſtis, Fratres, Eccleſiarũ Dei, quæ ſunt in Iudæa in Chriſto* IESV: *quia eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Iudæis, qui & Dominum occiderunt* IESVM, *& Prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur, prohibentes nos Gentibus loqui, vt ſalua fiant, vt impleant peccata ſua ſemper.* Illi itaque zelo malo ſic perciti Iudæi, quos Græca lectio [e] ἀπειθοῦντας vocat, id eſt, incredulos, ſiue imperſuaſibiles, cùm non ſatis multi, nec ſibi ſufficientes eſſe ad nocendum viderentur, aſciuerunt quoſdam alios homines perditos, & circunforaneos, tum facta turba concitauerunt ciuitatem, aſſiſtentes domui Iaſonis, apud quem Paulus, Silas, & Timotheus hoſpitabantur. Hunc Iaſonem aliqui arbitrantur non fuiſſe nunc primùm ad Chriſtianam fidem inductum; ſed antiquum illum Chriſti diſcipulum Cyprium genere, de quo infrà retulit S. Lucas, veniſſe cum Paulo Cæſarea Ieroſolymam itineris comitem; poſteà verò Ieroſolymis hoſpitio ibi ſuo Paulum excepiſſe [f]. *Venerunt* (inquit S. Lucas) *& ex diſcipulis Cæſarea nobiſcum, adducentes ſecum, apud quem hoſpitaremur, Mnaſonem quendam, Cyprium antiquum diſcipulum.* Alij Iaſonem legunt: & in Romano Martyrologio die duodecima Iulij, ſic habetur: *In Cypro B. Iaſonis, antiqui Chriſti diſcipuli.* Hunc tamen, ſiue Iaſo

a *Act. c.* 17. v. 2.
b 1. *Theſ.* c. 3. v. 4.
c *Act. c.* 17. v. 5.
d 1 *Theſ.* c. 2. v. 14.
e *Act. c.* 17. v. 5.
f *Act. c.* 21. v. 16.

Iaſonem, ſiue Mnaſonem, Cyprium, alium fuiſſe Baronius [g] exiſtimauit, ab eo, de quo modò fit mentio; quippe qui magis hîc videatur ciuis fuiſſe Theſſalonicenſis, & nouus Pauli diſcipulus, & fortè etiam eius cognatus, de quo ipſe ſcripſit in fine Epiſtolæ ad Romanos [h]: *Salutant vos Lucius, & Iaſon, & Soſipater cognati mei.* Sed aliis videtur difficile, Paulum habuiſſe cognatos ciues Theſſalonicenſes: vnde tertium hunc Iaſonē faciunt, cùm præſertim tres inſignes illius temporis Epiſcopi hoc Iaſonis nomine appellati reperiantur. Vnus Tarſenſis Epiſcopus, de quo Græci in ſuo Menologio, & Dorotheus in Synopſi; & hic facilè potuit Pauli, qui Tarſi natus eſt, eſſe cognatus. Alter Iaſon ponitur fuiſſe Epiſcopus in Syria ab Hippolyto Martyre in libro de ſeptuagintaduobus Chriſti diſcipulis, & videtur hic ille Iaſon, Cyprius genere, qui à Romano Martyrologio antiquus Chriſti diſcipulus appellatur, & à S. Luca dicitur fuiſſe hoſpes Pauli Ieroſolymis. Tertius Troadis ponitur Epiſcopus à Xiſto Senenſi [i], ex teſtimonio Dorothei; qui tamen non Troadis, ſed Tarſis, vt diximus, Epiſcopū Iaſonē poſuit. Itaque nihil ſatis certi poſſumus hac de re conſtituere, niſi quòd Iaſon, de quo hic S. Lucas, quicunque fuerit, hoſpes Pauli Theſſalonicæ, vir eſſet honeſtus, & alicuius auctoritatis: qui cū domi ſuæ Paulum & ſocios benè erga illos affectus ſuſcepiſſet, magnum contra ſe perfidorum Iudæorum odiū, & furorem concitauit: adeò vt impetu facto in eius ædes irruperint, omnes angulos, & receſſus peruestigantes, ſi Paulum, vel aliquem ex ſociis ibi inuenirent [k]: *Et cùm non inueniſſent eos,* (ait S. Lucas,) *trahebant Iaſonem, & quoſdam Fratres ad Principes ciuitatis, clamantes: Quoniam hi, qui vrbem concitant, & huc venerunt.* Modus hic loquēdi, quo ſacer Hiſtoricus Iaſonem videtur à Fratribus, id eſt, fidelibus, qui ſe tunc Fratres inuicem appellabant, diſtinxiſſe, dicens: *Trahebant Iaſonem, & quoſdam Fratres.* mouere poſſet aliquam ſuſpicionem, non ſum fuiſſe Iaſonem de numero Chriſtianorū, licet Chriſtianæ religioni benè eſſet affectus, Pauli maxime ſtudioſus, & defenſor Chriſtianorum; ita vt eius domus illorū eſſet refugiū, & cōmune receptaculum. Tamen notauit Beda in ſuis huius loci Cōmentariis, ita legi in quibuſdā Græcis exemplaribus: *Trahebant Iaſonē, & alios quoſdam Fratres.* quaſi vnus inter Fratres, Chriſtique diſcipulos ipſe quoque tunc numerandus. Quòd ſi nondum fortaſſe Baptiſmi Sacramento fuerat initiatus; tamen haud multò pòſt eſſe baptizatū minimè dubitamus, vt tantus Chriſtianorū patronus facile potuerit vnus ex tribus illis recenſitis à nobis ſuperiùs Epiſcopis, euaſiſſe. Iam verò accuſatio, & lis, quam perditi homines Iaſoni, aliiſque fidelibus apud ciuilem Magiſtratum intendebant, hæc fuit [l]: *Quoniam hi qui vrbem concitant, & huc venerunt, quos ſuſcepit Iaſon, & hi omnes contra decreta Cæſaris faciunt, Regem alium dicentes eſſe* IESVM. Neque ſolùm vrbem; ſed etiam, vt habet Græcus contextus, orbem vniuerſum, τὴν οἰκουμένην, cōcitare calumniabantur. Sicut olim eodem inuidentiæ ſpiritu exagitati de Chriſto dicebant Phariſæi [m]: *Ecce mundus totus poſt eum abiit.* Et quamuis falſi iſti criminatores, & iniquiſſimi accuſatores non contra ipſum Chriſtū immediatè mouerentur: ſed contra eius Apoſtolū, & illius ſocios, ac diſcipulos: mendacio tamen quodammodo impudentiori crimen obiiciebāt perduellionis, & violatæ Cęſareæ maieſtatis, quàm Iudæi illi fecerint.

g Baron. in Notis Martyr. die 12. Iuly.

h Rom. c. 16. v. 21.

i Xiſtus Sen. lib. 2. Bibl.

k Act. c. 17. v. 6.

l Act. c. 17. v. 6. & 7.

m Ioan. 12. v. 19.

n *Ioan.c.* qui Pilato dicebant [n]: *Si hunc dimittis,*
19 *v.12.* *non es amicus Cæſaris: omnis enim, qui*
ſe Regem facit, contradicit Cæſari. Nã,
quandiu Chriſtus Dominus inter
mortales & ipſe mortalis verſabatur,
putare illum aliquod regnum tem-
porale appetere, colorē aliquem fu-
catæ ſaltē veritatis habere potuiſſet;
at verò poſt mortem è viuis, & ab
oculis mortalium omninò ſublatus,
quòd ad imperium Cæſaris aſpiraret,
meritò debuiſſet haberi fabuloſum.
Neque cõtra decreta Cæſaris feciſſe
dicendi erant vllo modo, niſi qui de
alio Rege terreno in eius ditione cõ-
ſtituendo, de quo nulla erat apud fide-
les imaginatio cogitauiſſent. Sed vt
ſunt populi, & qui eis præſunt ad qua-
lencunque etiam leuem noui princi-
patus ſuſpicionem formidoloſi; *con-*
o *Act.* *citauerunt* (inquit S. Lucas [o]) *plebem,*
17.*v.8.* *& Principes ciuitatis audientes hæc*: ne-
que voluerunt innocentes anteà di-
mittere, quàm à Iaſone, & à cæteris
legitimam, ac ſolennem ſatisfactio-
nem recepiſſent.

Qu: l verò nomine ſatisfactionis
S. Lucas intellexerit, aliqua eſt ambi-
guitas; nec ſatis probatur, quod aliqui
cenſuerunt, Paulo, & Sila in domo Ia-
ſonis latitantibus, negaſſe Iaſonem
eos ibi inueniri, atque ita mendacio
officioſo Magiſtratibus ſatisfeciſſe.
Nam, etiamſi mendacibus illis accu-
ſatoribus, & iniquis Iudicibus pote-
rat Iaſon ea ratione mẽtiendo vtcun-
que ſatisfacere; ſuæ tamen cõſcientiæ
vir probus ſatis profectò non feciſſet.
Neque iuſtificat huiuſmodi ſatisfa-
ctionẽ, quod aliqui addiderunt, dicẽ-
tes, egiſſe Iaſonẽ in tali officio mẽda-
cio ſecundùm dictamen propriæ con-
ſciẽtiæ, pio quodã errore ſibi perſua-
dentis, grauiter ſe peccaturũ, ſi viros
proderet innocuos, & adeò ſanctos:
p *Exodi* ſicut olim obſtetrices Iudæorũ Deum
c.1.v.21. timentes, Pharaoni mentiebatur [p], ne
pueros perderent Iudæorum. At, quis
credat, Paulum, & Silam, qui dum
eſſent in carcere Philippenſi, diuino
miraculo à vinculis abſoluti, abire
per nocturnas tenebras recuſarunt, vt
honeſte dimitterentur; modò pati
voluiſſe, vt mendacio, vel etiam per-
iurio ſeruarentur. Quaſi eſſent ex iis,
qui apud Iſaïam dicebant [q]: *Poſuimus* q *Iſai. c.*
mendacium ſpem noſtram, & mendacio 28.*v.15.*
protecti ſumus. Quare alij ſatisfactio-
nem hanc fideiuſſionem interpretan-
tur, quam Iaſon exhibuerit, vel per-
ſonam ſuã pro Apoſtolis obligando,
vel aliorũ fidem, & promiſſionẽ offe-
rendo. Aliqui potiùs mulctam pecu-
niariam hic intelligunt ſatisfactionẽ,
quaſi ſatiſdationem. Sed, cùm dicat
S. Lucas, quia Iudices accepta ſatis-
factione à Iaſone, & à cæteris, dimiſe-
runt illos, parum apparet eſſe veriſi-
mile, quotquot ex ea domo violenter
extracti venire ſtatim ad Iudices cõ-
pulſi ſunt, ſummam pecuniæ talem
attuliſſe, qua ſubitò à ſingulis perſo-
luta dimitterentur. Potiùs igitur per
ſatisfactionem, dignã excuſationem
accipiemus, qua ſe primùm Iaſon
purgauerit ab obiecto crimine, quòd,
nimirũ, nihil in Cæſaris decreta pec-
caſſet, admittendo honeſtos illos pe-
regrinos, quos nolle recipere nimis
inhumanum videbatur. Tum excu-
ſarunt ſe iure potiori alij fideles, quia
nec illos hoſpites ipſi admiſerant,
nec in domo Iaſonis manentes offen-
diſſe quidquam in leges Romanorum
probari vnquam potuiſſet. Hæc igi-
tur fuit à Iudicibus accepta ſatisfa-
ctio, id eſt, obiecti criminis legitima
purgatio. Nam hoc eſt, quod nomine
ſatisfactionis, tum apud ſacros, tum
apud profanos Auctores interdum
ſignificatur. Vnde in h c eadẽ Acto-
rum Hiſtoria Paulus infra narratur,
ſuam apud Præſidem ſic ordiens e.n r *Act. c.*
de obiectis criminibus excuſationẽ [r]: 24.*v.10.*

Bono

Bono animo pro me ſatisfaciam. Et S. Petrus [s]: *Parati* (inquit) *ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe.*

s 1. Petr. c. 3. v. 15.

Dimiſſi hoc modo Fratres à Principibus ciuitatis, quia fidere perfidis, & inquietis Iudæis minime poterãt, & erant multùm de Pauli incolumitate ſolliciti, quid conſilij cœperint, Acta apoſtolica ſic exponũt [t]: *Fratres verò confeſtim per noctem dimiſerunt Paulum, & Silam in Berœam.* De Timotheo nulla hîc mentio; ſiue, quia iam anteà diſceſſerat; ſiue, quod magis eſt veriſimile, quia poſteà illos ſit ſubſecutus: nam Berœæ tandem cum illis inuentus eſt. Viſum enim intereà Paulo & Sila magis feſtinantibus, remanere apud Theſſalonicenſes Timotheum pro illorum fidelium conſolatione ad aliquot dies: idque fortaſſis à Paulo diſcedente Theſſalonicenſes precibus impetrarunt. Profectus igitur inde Paulus cum Sila per littus Ægei maris, à ſeptentrione, vbi iacet Theſſalonica, meridiẽ versùs iter faciens, & prope Pellam Alexandri magni patriam tranſiens, venit Berœam, quæ ciuitas eſt ad Haliæmonem fluuium ſita, intra fines Macedoniæ. Hìc more ſuo ingreſſus Paulus Synagogam, impendere Iudæis primam curam, quacunque occaſione captata, non prætermittebat. Quales autem auditores hic nactus fuerit inter Iudæos, ambiguis verbis Hiſtoricus ſacer expoſuit, dicens [u]: *Hi autem erant nobiliores eorum, qui erant Theſſalonicæ.* quod poſſet intelligi dupliciter, primùm partitiuè (vt aiunt:) quaſi dicere voluiſſet: hi, qui erant Paulum audientes in Synagoga Berœenſi ex Iudæis, pars erat nobiliorum Theſſalonicenſium. Sed quomodo eam Berœæ Synagogam occuparent, nulla de ipſis Berœenſibus habita ratione, nec de his à Luca facta mentione, haud facilè intelligitur. Quare alij dictum melius expoſuerunt non partitiuè, ſed comparatiuè: *Hi erant nobiliores eorum, qui erant Theſſalonicæ*, id eſt, hi, qui modò Paulum in Synagoga concionantem audiebant Iudæi, erant Berœenſes ciues nobiliores iis, qui eum anteà audiuerant Theſſalonicæ, ſumpta voce *αὐτῶν*, pro, *iis*, cùm careant Græci ſexto caſu; quamuis noſter Interpres reddat, *eorum*, Græcam imitatus, vt alias ſæpè, locutionem, quæ propterea hîc habet obſcuritatem. Erant itaque hi Iudæi Berœenſes, Pauli nũc recentes auditores, nobiliores iis, qui erant Theſſalonicæ, id eſt, vt Chryſoſtomus, & poſteà Oecumenius expoſuerunt, humaniores, modeſtiores, ac magis ingenui, quàm Iudæi Theſſalonicenſes, qui tam indigna contra Paulũ, & ſocios, vt anteà retulimus, attentauerant, & adhuc inquieti Berœam aduolarunt, vt hos etiam ab euangelicæ fidei propoſito diſturbarent. Neque mirari vllus debet, Lucã hoc loco Berœenſes antepoſuiſſe Theſſalonicenſibus, quos tamen adeò laudat Paulus in ſua priori Epiſtola ad Theſſalonicenſes [x], vt eos dicat, ſuum eſſe gaudium, ſuam ſpem, coronam, & formam verè credentium in Macedonia, in Achaïa, & in omni loco; nam hoc dixit non de Iudæis, ſed de Gentilibus, qui Theſſalonicæ in magno numero, & ardore maximo animorum Chriſtiana ſacra ſuſceperant, ſpretis conſtanter tribulationibus, & moleſtiis à Iudæis illatis, quos propterea ibidem S. Paulus incuſat, quòd ipſum prohiberent, ne gentibus loqueretur [y], *vt ſalui fiant, vt impleant peccata ſua ſemper.* Atque hæc videtur fuiſſe ratio, cur Iudæi Berœenſes magis viderentur ingenui, melius Paulo affecti, & apoſtolicæ doctrinæ ſtudioſiores, qui non

t Act. c. 17. v. 10.

u Act. c. 17. v. 11.

x 1. Theſſal. c. 1. v. 7.

y 1. Theſſal. c. 2. 16.

vrebantur malo illo zelo inuidentiæ propter felices progreſſus Gentilium plurimorum in fide euangelica, qualis apparebat Theſſalonicæ. Berœa ſiquidem ciuitas paucos videtur aluiſſe Gentiles, plures autem, & nobiles Iudæos: *Qui* (inquit S. Lucas [z]) *ſuſceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent: & multi quidem crediderunt ex eis.* Erat itaque horum credẽtium multitudo in tres veluti claſſes, ac differentias diſtributa: nam aliqui attentè audientes, & credibilia, quæ a Paulo dicebantur maturo iudicio reputantes, vbi domum rediiſſent, audita de Christi aduentu, de redemptione humani generis per eius paſſionem, mortem, & reſurrectionem, conferebant cum oraculis Prophetarum, præſertim à Paulo productis, euoluebant etiã probatos quoſque Rabbinos, qui ante Chriſti aduentum magis ſyncerè vetus Teſtamentum expoſuiſſent, atque ita toto corde fidem euangelicam admittebant. Alij, dum ipſum concionantem Paulum audirent, non ſolùm credibilia, ſed etiam credenda, quæ dicebantur, diiudicantes fidem Chriſtianam prompto animo ſtatim concipiebant: nihilominùs tamen pro maiori ſua conſolatione, & ſatisfactione à ſeipſis diuinas Scripturas iterũ conſulebant. *Et vide* (inquit Chryſoſtomus [a]) *quia non ſimpliciter, ſed cum diligentia ſcrutabantur Scripturas. hoc enim eſt* ἀνακρίνοντες *id eſt, perſcrutantes. volebant enim & à ſeipſis certiſſimam perſuaſionem habere; iam enim crediderant.* Simili quodammodo ratione cùm paſtores ab Angelo fuiſſent illis verbis admoniti [b]: *Quia natus eſt vobis hodie Saluator mundi.* ſine vlla hæſitatione crediderunt, & quia crediderunt ideò loquebantur ad inuicem: *Tranſeamus vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum eſt illis de puero hoc: glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant.* Alij tertiò, ſic Paulo crediderunt, vt etiamſi pro ſua parte nihil haberent opus ex Scripturis ampliùs confirmari; tamen ad alios, ſiue contradicentes reuincendos, ſiue nutantes conſolidandos, eadem oracula Scripturarum quotidie ſcrutabantur, vt ea in mente, & in promptu ſemper haberent.

z *Act. c. 17. v. 11.*
a *Chryſoſt. hom. 37. in Acta.*
b *Lucæ c. 2. v. 11.*

Toto itaque Caluinus hîc aberrat cœlo, dum ex eo, quòd hi generoſi, nobiléſque Iudæi Pauli dogmata pro concione tradita cum Scripturis conferebant, ipſe peruerſiſſimè intulit, omnia ad Scripturæ normam, quam Lydium lapidẽ appellat, eſſe examinãda, nec aliter quæ à Conciliis traduntur, aut Papæ decernunt, eſſe admittenda, quando etiam Pauli dicta ſic examinantur. Quaſi verò minorẽ mereantur fidem Pauli dicta, quàm ſcripta; cùm potiùs, ſi quod poſſet fingi diſcrimen, magis ſtandum videretur viuæ orationi, quàm mortuæ ſcriptioni. Deinde, ſi ſunt ſcripta maioris auctoritatis, quàm dicta; credamus igitur Apoſtolo ſic ſcribenti ad Theſſalonicenſes [c]: *Itaque, Fratres, ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam* Viuum igitur ſermonem ſcriptę Epiſtolæ non poſtponit Apoſtolus, ſed æquiparat, vel etiam anteponit. Vnde ſic alibi de ſolo ſermone ſcripſit [d]: *Licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Quære non Lydium lapidem ad verum aurum explorandum, ſed Lesbiã plumbi regulã ſacræ Scripturæ verba velle ſibi eſſe Caluinus, vt ea inflectere, & male torquere ſpreta Eccleſiæ interpretatione ac traditione poſſet.

c *1. Theſſ. cap. 2. v. 14.*
d *ad Coloſſ. c. 1. v. 8. & 9.*

poſſet, ad ſuos quoſlibet errores eo fuco pingendos. Sed ab Hæreticis ad Iudęorum perfidiã exponẽdam redeamus, qui non ſatis habuerũt, Apoſtolum Paulum, & Silam perſequi Theſſalonicæ, & irruptione facta in domum Iaſonis inde per vim extractos, quaſi capitali ſupplicio dignos ſiſtere magiſtratui: verũ etiã Berœam aduenerunt, vt prædicationem Euangelij modis omnibus impedirẽt. Rem
c Act. c. 17. v. 13. ita narrat S. Lucas [c]: *Cùm autẽ cognouiſſẽt in Theſſalonica Iudæi, quia & Berœæ prædicatũ eſt à Paulo verbum Dei, venerunt & illuc commouentes, & turbantes multitudinem.* Petebatur autẽ, vt ſæpè alias in huiuſmodi tumultu ac ſeditionibus, caput Pauli potiſſimùm, à quo Iudæi obſtinatiores maximè cõfundebantur, & vrebatur Dęmon, ſatis intelligens quantùm momenti eſſet in Pauli prædicatione, quocunque ſe verteret, ad fidei propagationem, & mundi ferè totius cõuerſionẽ. Quapropter ſolliciti Fratres de Pauli incolumitate, tanquam de communi omnium ſalute, ſtatim eũ *dimiſerunt, vt iret vſque ad mare*, (ait
f ibid. c. 17. v. 14. S. Lucas [f], *)Silas autẽ, & Timotheus remanſerunt ibi*; nempe, ad fidelium, qui erant ibi, conſolationem, & auxilium, quia Timotheo ac Silæ non tantùm periculi à Iudęorum furore, ſicut Paulo, imminebat. Quo autem nunc itinere Berœa Paulus diſcedens Athenas profectus ſit, etiamſi ſacra Hiſtoria non explicet; naturam tamen regionis, & ſinum vicini maris conſiderantibus veroſimilius apparebit debuiſſe illum Berœa petiiſſe angulum Thermaïci ſinus, & inde Macedonia relicta per Ægeum mare circum Achaïam nauigando ad portum Athenienſium Piræum veniſſe: tum paſſibus confectis duobus millibus; tanta enim ab hoc portu ad mœnia Athenienſis ciuitatis diſtantia interiecta eſt, recto itinere Athenas ſe contulit.

CAPVT VI.

Athenis populo ſæpè concionatur, diſputat cum Philoſophis Epicureis, & Stoicis.

Iter ſuũ Paulus Berœa vſque Athenas, ſiue terreſtre, quod potuit fieri, ſiue maritimũ, quod expeditius, & ideò factum exiſtimamus, quali comitatu peregerit, ita S. Lucas deſcribit [a]: *Qui autem deducebant Paulum,* a Act. c. 17. v. 15. *perduxerunt eum vſque Athenas, & accepto mandato ab eo, ad Silam, & Timotheum, vt quam celeriter venirent ad illum, profecti ſunt.* Pro Sila, & Timotheo, quos diximus Berœæ remanſiſſe, adiunxerunt ſe comites Apoſtolo ex ea ciuitate fidelium complures, vt magiſtrum ſuum ab inſidiis Iudæorum, quantùm poterant, tuerentur. Erat ſiquidem longa & periculoſa via, nihilque per eam infenſiſſimis Paulo Iudæis fidendum videbatur, qui ſi venerũt Theſſalonica Berœam, vt illi ſe opponerent, & omnibus machinis Gentilium conuerſionem diſturbarent, longè maioris inuidiæ zelo exarſiſſent, agnito Pauli conſilio tam ſublimi de Athenarum vrbis celeberrimæ tentanda conuerſione, & ad Euãgelium inductione: *Erat enim*, inquit S. Auguſtinus [b], *ciuitas illa mater, ac nutrix liberalium doctrinarum, & tot tantorũmque Philoſophorum, qua nihil habuit Græcia clarius atque nobilius.* b S. Aug. epiſt. lib. 18. de ciu. c. 9. Athenas igitur cũ intraſſet Apoſtolus, gratiis primùm Deo peractis, deinde etiam comitibus, qui propter Deum, tanta eum charitate, via tam difficili, & periculoſa illuc vſque perduxiſſent, voluit illos

quamprimùm reuerti Berœam; & inde Silam, ac Timotheum aduocare, vt ambo ſine cunctatione ad ſe Athenas venirent. *Paulus autem* (inquit S. Lucas[c]) *cùm Athenis eos expectaret, incitabatur ſpiritus eius in ipſo, videns idololatriæ deditam ciuitatem. Et meritò* (ait Chryſoſtomus:) *vix enim alibi tot videbantur idola.* Itaque, ſicut alter Dauid[d], *videbat præuaricantes, & ſuper inimicos Dei tabeſcebat*: eòque vehementiùs cor eius cruciabatur, quòd ciuitas illa magis de ſapientia, eruditione, rerumque, tum diuinarum, tum humanarum ſapientia ſupra alias ciuitates ſuperbè gloriabatur; ita vt eſſent inexcuſabiles, ſicut de talibus poſteà ſcripſit ad Romanos idem Apoſtolus[e], *Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt: quia mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Teſtis eſt inter multos, Gregorius Nazianzenus[f], Athenas idolis præ reliqua Græcia plurimis abũdaſſe. Quod etiam ipſi ethnici Scriptores non modò non diffitentur; verùm etiam pro maxima commendatione pietatis illius ſuperſtitioſæ reipublicæ tradiderunt. Vnde Pauſanias loquens de Athenienſibus, maiorem ait illos in Attica, quàm cæteros pietatis curam erga Deos habuiſſe, iiſque plurima templa conſtruxiſſe, atque vnum præcipuum omnibus commune, quale poſteà Romæ Pantheon fuit: multáſque prætereà ſtatuas in foro, & in plateis conſtituiſſe. Vt meritò dici de hac vrbe poſſet, quod olim de Roma, cum Athenis, ſicut de primatu potentiæ, & ſapientiæ; ita de idololatriæ, ac ſuperſtitionis principatu decertante, Magnus Leo[g] in quodam Sermone aſſeruit;

c *Act. c. 17. v. 16.*

d *Pſ. 118. v. 158.*

e *Rom. c. 1. v. 21. 22. 23.*

f *Nazianz. in orat. de laudib. S. Baſily*

g *Leo ſerm. 1. de SS. Apoſtolis Petro & Paulo.*

dicens: *Hæc ciuitas ſuæ prouectionis ignorans auctorem, cùm præ omnibus dominaretur Gentibus, omnium Gentium ſeruiebat erroribus: & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem. Vbi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectũ, quidquid vſquam fuerat variis erroribus inſtitutum.* Quàm profundas autem egerit Athenis eo tempore idololatria radices, vel inde colligitur, quòd etiam poſt euangelicæ prædicationis ſementem ibi ſparſam copioſiſſimè laboribus apoſtolicis, & diligenti cultura feliciter ſuccreſcentem, adhuc per annos circiter quadringentos impia illa ſuperſtitio viguit, nec vllis piorum Imperatorum ſuccedentium edictis ex toto vnquã potuit extirpari: donec ira ſæuientis Numinis Athenæ cum Græcia vniuerſa per Gothos, Duce Alarico, prorſus vaſtatæ ſunt, & hoc tempore ſub imperio Turcarum oppiduli tantùm ſpecies quædam manet, de qua multò veriùs nunc, quàm olim illud affirmari poteſt ab antiquo Poëta ſcriptum[h]:

Quid Pandioniæ reſtat, niſi nomen Athenæ?

h *Ouid. 5. Metamorph.*

Imò verò nec ipſum nomen integrum Mahumethani reliquerunt, apud quos oppidulo illi Sathinæ, corrupto vocabulo, nomen eſt, quod Athenæ antea dicebant. Sed, quando Apoſtolus hoc tempore Athenas venit, erat illa ciuitas florens, & Gentium concurſu numeroſiſſima: nam, quamuis ab antiqua magnificentia excidiſſe nonnihil videretur, cùm eſſet multò, quàm Roma vetuſtior; in ſuperſtitionibus tamen, cultúque idolorum aucta potiùs, & confirmata videbatur. Quatuor potiſſimùm ibi ſectæ Philoſophorum ſuam profitebantur, & vendicabant ſapientiam: Academicorum, Peripateticorum,

Stoïcorum, & Epicureorum. Hi omnes communiter Gentiles, reliqua plebs, & populus mixtus, ex parte quidem maxima Gentilis; nonnulla tamen ex parte etiam Iudæus, habebátque propriam Synagogam, quam Paulus, iuxta ſuam conſuetudinem, primùm ingreſſus, myſteria nouæ legis per oracula & prophetias veteris Teſtamenti, congregatis Hebræis, annunciabat; nullis territus periculis, nullis reuocatus difficultatibus, aut moleſtiis, ſiue illatis iniuriis retardatus, à ſalute Iudæorum primo loco, quacunque poſſet ratione procuranda. *Diſputabat igitur in Synagoga cum Iudæis* (inquit S. Lucas [i],) *& colentibus, & in foro per omnes dies ad eos, qui aderant.* Diſputaſſe illum cum Iudæis, aliqui dictum putant, quaſi particula, *cum*, in interpretatione vulgata redundaret: nam Græcè legitur, *τοῖς ἰουδαίοις διελέγετο*, Iudæis diſputabat, id eſt, cum efficacia argumentorum eis concionabatur. Fieri tamen vix poteſt, quin aliqui, & maximè Iudæi contradicerent, aut inſtarent curioſiores etiam ex Gentilibus, obiiciendo varia, quæ per dialogiſmum vltrò, citróque factis interrogationibus, & adiunctis reſponſionibus agitarentur: quod ſatis conuenienter vulgatus Interpres illa particula, *cum*, à ſe addita voluit ſignificare. Quinam prætereà fuerint illi colentes, ſiue, vt alij vertunt, religioſi, quos S. Lucas *σεβομένους* appellauit, quibuſcum Paulus ſimiliter in Synagoga diſputabat, plures dubitarunt. Non dubitat tamen S. Ioannes Chryſoſtomus [k], illos fuiſſe proſelytos: alij verò, quia non vocantur à Luca proſelyti, potiùs fuiſſe Gentiles arbitrantur, qui etiamſi ad Iudaïcam religionem, circumciſione admiſſa, nô acceſſiſſent; idololatria tamen relicta vnius veri Dei cultũ, quantum poterant naturali lumine cogi oſcere, ſectabãtur Sicut Cornelius Centurio [l], & Eunuchus Reginæ Candacis theſaurarius [m], qui vt verum Deum adoraret, ad Ieroſolymitanum templum proficiſcebatur. Sed tamen cùm vtriſque eadem colentium, vel Religioſorum appellatio benè conueniat, tam hos quam illos fuiſſe vno illo communi nomine a Luca deſignatos, videtur eſſe veroſimilius. Itaque Apoſtoli zelus feruentiſſimus inſtar erat flammæ ignis vehementis, quæ varias nacta materias combuſtibiles, primum inflammare aggreditur ſicciorem, deinde minùs quidem ſiccam, ſed & humidam minùs, ac demum creſcens inuadit etiam humidiorem, minúſque ad exardeſcendũ idoneam. Sic igitur flamma diuini Spiritus, & feruor apoſtolicæ prædicationis inuadebat primũ Iudæos, quibus propter diuinas Scripturas, & oracula Prophetarum, ad ignem diuinum concipiendum propinquior eſſe videbatur diſpoſitio. Deinde ad proſelytos progrediebatur, quibus diuina cũ Iudæis oracula, & Prophetarum teſtimonia erant communia: tum ad illos Gentiles effundebat ſe, qui reiecta multitudine falſorum Deorum, etiamſi ea non haberent teſtimonia ſacrarum Scripturarum, quæ à Iudæis & proſelytis quotidiana ferè lectione volutabantur; tamen relicta idololatria, non tam longè aberant à ſalute, ſicut reliqua Gentilium magis profana multitudo, quæ vaga & otioſa in compitis & foro, vbi expoſita publicè inanium Deorum varia ſimulacra viſebantur, nihil minùs cogitabat, quàm de rebus ſpectantibus ad ſalutem. Ad hos igitur poſt cóciones habitas in Synagoga, ſuam Apoſtolus conuertit orationem: *Et diſputabat* (inquit S. Lucas [n]) *per omnes dies ad eos, qui aderant.* ſiue, vt etiam poſſet reddi Græca lectio,

i *Act. c. 17. v. 17.*
k *Chryſ. hom. 38. in Acta.*
l *Act. c. 10. v. 1.*
m *Act. c. 8. v. 27.*
n *Act. c. 17. v. 17.*

lectio, πρὸς τοὺς παρατυγχάνοντας, *ad eos, qui fortuitò ſuperueniſſent.* Erant enim Athenienſes curioſiſſimi; &, ſicut ipſe S. Lucas infrà teſtatur [o], *ad nihil aliud vacantes, niſi aut dicere, aut aut audire aliquid noui.* Quod etiam exprobrat Athenienſibus, ferè iiſdem verbis, in quadam habita ad ipſos oratione Demoſthenes [p]. Sed quod in illis maximè pernicioſum inueniebatur, erat ſumma de rebus ſummè neceſſariis incertitudo, & nulla maior in opinionibus conſtantia, ſeu potiùs pertinacia, quàm in falſis: vt de fine vltimo, de corporum reſurrectione, de præmio bonorum, & ſupplicio malorũ in vita futura. Quibus in rebus quò quiſque doctior habebatur, aut ſapientior ſibi eſſe videbatur, eò difficiliùs experiebatur ſuã quantumuis prauam cum alia meliore velle commutare ſententiã. *Athenienſes* (inquit S. Auguſtinus [q] in quodam ſermone de Paulo Athenis prædicante) *in omni litteratura atque doctrina per alios populos magna fama pollebant, ipſa erat patria magnorum Philoſophorum. Inde ſe per cæteras Græcia, atque alias orbis terras varia & multiplex doctrina diffuderat. Ibi Apoſtolus loquebatur, ibi annunciabat Christum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam; ipſis verò vocatis Iudæis, & Græcis, Dei virtutem & ſapientiam. Hæc annunciare inter ſuperbos & doctos quanti periculi fuerit, veſtrum eſt cogitare. Quidam autem Epicurei & Stoïci diſputabant cum eo,* inquit S. Lucas [r]. Nullam autem prætereà facit mentionem de Academicis, & Peripateticis: cuius rei hanc aliqui reddũt rationem, quòd hi Philoſophi haberent ſuam Academiam, & Lyceum mille paſſibus extra ciuitatem, ibique ſuas facultates profiterentur: vnde non fuit illis opportunum inire cũ Paulo diſputationes.

[o] *Act. c. 17 v. 21.*

[p] *Dem. in or. ad Philippi epiſt.*

[q] *S. Aug. ſer. de Stoicis & Epic. tom. 6.*

[r] *Act. c. 17. v. 18.*

Sed, quia non conſtat, vnde hoc habeatur; maluimus aliam cum S. Auguſtino [s] reddere huius rei rationem. Nempe, diuina factum prouidentia, vt in duabus hiſce præcipuis ſectis extremè inter ſe contrariis, videlicet, Epicureorum & Stoïcorum, Paulus de vniuerſa quodammodo humana Philoſophia, & mundi ſapientia triũpharet: *Non arbitror* (inquit S. Auguſtinus) *ſine cauſa per neſcientes actum eſſe aliquid malignum, diſpenſante diuina ipſa prouidentia, vt cùm eſſent plurimæ Philoſophorum ſectæ in ciuitate Athenienſi, non contulerint cum Apoſtolo Paulo niſi Stoici, & Epicurei. Cùm enim audieritis quid ſentiant in ſectis ſuis, videbitis, quàm non fruſtrà factum ſit, vt ex omnibus Philoſophis ſoli cum Paulo conferrent. Neque enim eligere ſibi potuit, quibus altercantibus reſponderet: ſed diuina Sapiẽtia omnia gubernante hos ei oppoſuit, in quibus diſſenſionis Philoſophorum tota propè cauſa conſiſteret.* Hactenus S. Auguſtinus pluribus explicans in ſequẽtibus, nullum fuiſſe vnquam Philoſophorum, imò nec hominum, ſiue bonorum, ſiue malorum, qui non quæreret eſſe beatus. Et quidem bonos ideò eſſe bonos, vt beatitudinem obtineant; malos quoque proptereà eſſe malos, quia benè viuere nimis difficile, atque adeò miſerum putant, vt huiuſmodi fuga miſeriæ falſam beatitudinẽ proſequantur. Iam verò, cùm homo conſtet ex anima & corpore, humana beatitudo, quæ vtique bonũ noſtrum proprium eſſe debebit, in bonis erit animæ, vel corporis. Eorũ igitur, qui in bonis corporis beatitudinem conſtituebãt, Epicurei principatũ tenuerunt: horum verò, qui ſitam in bonis animi beatitudinem cenſuerunt, Principes Stoïci fuêre. Neque verò difficile Apoſtolo fuit, abſurdiſſimã Epicureorũ ſententiam confutare, præ-

[s] *S. Aug. tract. de Stoicis & Epic. cap. 4.*

ſertim

ſertim quia in ſui erroris defenſionẽ, ne animam corpore faterentur præſtantiorẽ, ipſi vtcunque ſubſtantiam dicebant eſſe mortalem, quin etiam animam priùs atque faciliùs morte diſſolui, & euaneſcere, quàm corpus. *Adhuc enim poſt efflatum ſpiritum*, dicebant in ſuis libris Epicurei apud S. Auguſtinum, *manente cadauere, & integris membrorum lineamentis aliquantulùm durãtibus, anima mox vt exierit, veluti fumus vento diuerberata diſſoluitur.* Hos, qui ſe redigunt ad ordinem belluarum, ſemel admiſſa ratio, mẽs, & intellectus facilè redarguit.

Sed cum Stoïcis honeſtior fuit Pauli de beatitudine concertatio: hi enim animam corpore præſtãtiorem eſſe non inficiabantur, & propterea potiùs in bonis animi, quàm corporis, nec niſi in virtute veram felicitatem conſtituebant. Quare, quod Paulo ſupererat oſtendendum, illud erat, nequaquam homini ad beatam vitam poſſe propriam virtutem ſufficere, vt propterea toties condemnet diuina Scriptura eos [t], *qui confidunt in virtute ſua.* &, *Maledictus homo* (inquit Ieremias [u]) *qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.* Spem igitur in Chriſto Deo, & homine reponendam [x], *qui factus es nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Vt quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Hæc de Chriſti gloria & promeritis erga humanum genus ab eo redemptum per paſſionem, & mortem, déque eius à morte reſurrectione, & admirabili in cœlum aſcenſione, cùm illi Philoſophi à Paulo audirent, nec ſatis intelligerent, *quidam dicebant*, (inquit S. Lucas [y]:) *Quid vult ſeminiuerbius hic dicere? Alij vero: Nouorum Dæmoniorum videtur annunciator eſſe. quia* IESVM, *& reſurrectionem annunciabat eis.* Seminiuerbium Paulũ contemptores veritatis appellabãt, Græcè, σπερμολόγον, non quaſi vanum delectũ haberet in verbis inſtar auiculę nullius pretij, vilia ſemina ſparſa in triuiis colligere aſſuetæ, quæ inde σπερμολόγος dicta, quaſi ſeminilega, vel frugilega, quo nomine viles homines, & nullius frugis ſignificari aliquando ſolere Oecumenius hic adnotauit: ſed Paulus de verbis nõ erat ſollicitus, verùm de ſenſibus, & doctrina; quæ, cùm eſſet valdè ſublimis, inaudita, & noua, humi repentibus animis talium auditorum, non ſine aliqua verborum copia, & abundanti genere orationis videbatur proponẽda. Et quoniam ab auditoribus illis doctrina huiuſmodi non facilè capiebatur, quaſi verba tantum eſſent inania, & in ventum ſine certa ſententia profuſa, ſeminiuerbium, ſeu ſeminatorem verborum Paulũ appellabant: ac ſi vellent dicere vaniloquum, & garrulum nugatorem. Interim mentiendo, & calumniando inſinuabant in alio ſenſu veritatem: erat enim verè Paulus euangelicus ille ſeminator, qui exiit ſeminare ſemen ſuum, id eſt, diuini verbi prædicationem effundere, vt exponit in parabola euangelica Chriſtus Dominus [z]: quod tamen diuinum ſemen non totum cecidit in terram bonam. *Sed nunquid inaniter laborauit ſeminator iſte verborum?* (inquit de Apoſtolo diſſerens ſanctus Auguſtinus [a],) *qui ſi formidaret irridentes, non perueniret ad credentes: quomodo ſeminator ille euangelicus, quem commemorat Dominus. Nam vtique hoc erat Paulus, ſi trepidaret mittere ſemina, ne aliud caderet in via, aliud inter ſpinas, aliud in loca petroſa, nunquid ſemen poſſet etiam ad terram optimam peruenire?* Idem ſuo ſacro Poëmate Arator eleganter expreſſit, dicens [b]:

t *Pſ.* 48. *v.* 7.
u *Ier. c.* 17. *v.* 5.
x 1. *Cor. c.* 1. *v.* 30.
y *Act. c.* 17. *v.* 18.
z *Matt. c.* 13. *v.* 4.
a *S. Aug. tract. de Stoïcis & Epic. c.* 2.
b *Arator lib.* 2. *in Acta Apoſt.*

Ingeniis claras, & linguis Paulus Athenas
Ingreditur, tumidámque feris conflictibus vrbem
Eloquio torrente premit: quem turba profari
Doctiſonis mirata modis: Quibus, inquit, ab oris
Verborum fluit iſte ſator? Plebs neſcia Paulum
Semina ferre vocat, fruitúrque errore magiſtro
Vera loquens. Nanque hic fœcundus in orbe viator
Ambulat, atque colit, cuius labor omnibus inſtat,
Vt creſcat diuinus ager, purgatáque fructum
Mens humana ferat.

Et quemadmodum euangelicum illud ſemen aliud inter ſpinas cecidit, aliud in petroſa, & ſecus viam aliud; reliquum autem in terram bonam: ita quatuor hominum differentias excipientium Apoſtoli verba hoc loco diſtinguere debemus. Fuerunt in primis, quorum illuſtratæ mentes diuina luce, & corda per gratiam emollita, vt fertile ſolum cœleſtem ſementem fructuoſiſſimè admiſerunt, vt fuſiùs ſequenti capite oſtendemus. Sed non defuerunt alij increduli, & obſtinati, ſilicibus comparandi: alij irriſores, & more ſpinarum dicacitate ſua Paulum compungentes, & ſeminiuerbium appellantes: alij denique ambigentes, & quaſi hærentes in biuio, qui neque omninò diſſentiebant, neque adhuc, quid ſentirent, inueniebant. Tales erat, qui, ſicut ait S. Lucas, de Paulo dicebant: *Nouorum Dæmoniorum videtur annunciator eſſe, quia* IESVM, *& reſurrectionem annunciabat eis.* Quaſi dicerent: Aſſertor hic eſt Numinum peregrinorum, & nobis incognitorum, quæ, vtrùm noxia ſint, an ſalutaria, ignoramus. Dæmonum enim appellatio apud Gentiles anceps erat; nec enim in malam tantùm partem, ſed etiam in bonam vſurpabatur. Quòd verò Dæmoniorum annunciatorem Paulum dixerint numero multitudinis, cùm tamē ſolum vnum Chriſtum Dominum annunciaret, eiúſque à mortuis reſurrectionem, quam Græci dicunt ἀνάστασιν, meritò fecit Chryſoſtomū dubitare, tam rudes fuiſſe illos Gentiles, vt putauerint, Apoſtolum ſignificare voluiſſe, Deam quandam, aut Numen à Chriſto diſtinctum fuiſſe ipſius Anaſtaſim. *Etenim* (inquiunt Chryſoſtomus [c], & Oecumenius,) *reſurrectionem Deam quandam eſſe putabant, quia & feminas colebant.* Neque verò fuiſſe hos Gētiles tam hebetes, & inſulſos, incredibile videbitur legenti, quæ S. Auguſtinus [d] refert de turba propè innumerabili Deorum, ac Dearum, à cæca illa Gentilitate cultarum: nam præter Deam Fortunam, Victoriam, Felicitatem, Voluptatem, ſeu Volupiam, ſingulis propè rebus, & motibus ſua Numina tribuebant: vt Deam Agerinam, quæ moueret ad agendum; Deam Stimulam, quę acriùs ſtimularet; Strenuam, ad ſtrenuè operandū. Quin & oſtiis domorum tres Deos conſtituebant, Forculum foribus, Cardeam cardini, & limini Limentinum. *Ita nō poterat* (inquit S. Auguſt.) *Forculus ſimul fores, & cardines, liménque ſeruare.* Quid ego mirū, ſi ad homines in vitam ex morte reuocādos Anaſtaſim propriā Deam, errore ſuo decepti putauerint illi Gentiles à Paulo ſignificatam? Et certè, quòd Apoſtolum concionātem non benè intelligerent, docet S. Lucas manifeſtè, dum refert, quid cum Paulo tunc egerint. Nam inquit [e], *apprehenſum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: Poſſumus ſcire, quæ eſt hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina?*

c *Chryſ. hom.* 38. *in Acta. Oecumenius in c.* 17 *Act.*
d *S. Aug. l.* 4. *de ciuit. c.* 8. 14. & 16.
e *Act. c.* 17. *v.* 19.

noua

noua enim quædam infers auribus noſtris. Volumus ergo ſcire, quidnam velint hæc eſſe. Ductus autem Paulus ad Areopagum quid in ſua cauſa dixerit ac peregerit, ſequenti capite commodiùs exponemus.

CAPVT VII.

Prædicat in Areopago vnicum verum Deum, & vnicum Filium eius IESVM *Chriſtum, occaſione aræ, cui erat inſcriptum:* Ignoto Deo.

APprehenſum fuiſſe Paulum Apoſtolum ab ethnicis Athenienſibus aliqua violenta manuum iniectione, indicat ſacer Hiſtoricus, nempe, vt ea ratione, licèt non inuitè ſequentem, feſtinantiùs pertraherent ad Areopagum, in cauſa religionis ſeuerè diiudicandum. Quis autem locus Athenis eſſet Areopagus, primùm poſſet intelligi ab etymologia ipſius nominis, quod Interpres Syrus reddit, *domum iudicij:* alij ad vocabuli proprietatem magis accedentes, *Martium vicum*, ſeu *Martis pagum* interpretantur. Ἄρης enim Græcè, *Mars* Latinè dicitur; ſed πάγος non tam pagum, quàm rupê, ſeu eminens ſaxum ſignificat: vnde alij *Martis promontorium* appellarũt. Hoc ſitum Athenis erat iuxta mare: & à Marte dicebatur; quia ibi fuiſſe Martem olim ab aliis Diis duodecim de quodam patrato homicidio iudicatum fabulabantur; ſiue, quod magis Demoſtheni probatur [b], quia cauſæ homicidarum, qui martiali, hoc eſt, hoſtili animo quempiam interfeciſſent, ibi iudicarentur. Erant autem in loco illius iudicij duo lapides argentei, ſicut teſtatur in Atticis Pauſanias, vnus pro reo, & alter pro accuſatore, modica inter ſe diſtantia conſtituti. Iudices Areopagitæ à loco ſic dicti, fama integerrimi, virtute ſpectatiſſimi habebantur, & qui vſu rerum in aliis iudiciis, ac magiſtratibus eſſent probatiſſimi. Neque enim inter Areopagitas adlegebantur, niſi qui priùs, iuxta Solonis inſtitutionem [c], nouem Archonton imperium geſſiſſent, aut Polemarchatum, aut in Theſmothetarum ſexumuirùm magiſtratu per annum meruiſſent, & vitæ ſuę rationem in eo iudicio, quod propterea δοκιμασία, id eſt, *probatio*, dicebatur, cum approbatione morum, virtutúmque reddidiſſent. Erant in eo Senatu Areopagitæ ſemel adſcripti, niſi crimen aliquod obſtitiſſet, tota vita perdurantes. Adeò verò eximia iuſtitiæ, & continentiæ documenta primos illos Areopagitas poſteris ſuis reliquiſſe teſtatur Iſocrates [d], vt ſuo tempore, quando mores à priſcis nonnihil degeneraſſe videbantur, ſi quis caſu in eum Senatum moribus minùs probatis irrepſiſſet, mutari ſubitò, quaſi genio loci afflatus deprehenderetur. Et quod non minùs eſt admirandum, nec ab Iſocrate ſolùm, ſed etiam ab aliis traditum [e], ſi quis admiſſus cum idonea probatione non ſe talem in progreſſu exhiberet, qualis futurus in eo munere ſperabatur, ſiue loci reuerentia, ſiue propriæ mentis genio repellente, ſponte ſine alia dimiſſione ſubducere ſe ab eo Iudicum numero quaſi cogebatur. Cùm examinaturi cauſas, & iudicaturi ad Areopagum aſcendiſſent, quod ter tantùm in menſe fieri conſueuerat, qui cauſam erant dicturi, non ſinebantur vti procemiis, vel perorationibus, aut ornamento nimio verborum, quaſi ad perſuadêdum artificioſè compoſito; ſed ſimplici rei geſtæ narratione id facere

b *Demoſt. in orat. contra Ariſtocr.*

c *Plutarchus in Solone, & in Pericle.*

d *Iſocrates in Areopag.*

e *Iſocr. loco cit. Lucianus in Hermotimo.*

iubebantur: ne orationis illecebrâ Iudicum animi a linea iuſtitiæ vllatenus flecterentur. Quòd ſi Orator in hoc genere delinquere notaretur, voce præconis prohibebatur, & tacere cogebatur. Eandem ob cauſam, ne miſerando reorum aſpectu commouerentur, aut alia perſonarum ob externam ſpeciem acceptatione, quam Græci προσωποληψίαν dicunt, in tenebris nocturnis, nullo lumine admiſſo, ſummóque ſilentio iudicia exercebant, & ſententiam per tabellas ferebant. Vt propterea, *Subticentior Areopagita*, venerit in prouerbium, & ad virum iuſtiſſimum, ſeueriſſimum, integerrimum ſignificandum, Areopagitæ cognomine vte-

f Cic. ad Atticũ, lib. 1. rentur [f]. Antiquitas huius iudicij tanta fuit, vt eius initium aliqui referant ad Cecropem maiorem: alij

g Ariſt. lib. 2. Polit. probabiliùs cum Ariſtotele [g], & Plu-

h Plutarchus in Solone. tarcho [h], ad Solonem. Euſebius verò ponit in Chronicis, hoc iudicium inſtitutum anno à mundi creatione ter milleſimo ſexcẽteſimo nonageſimo-quarto. Et ab hoc Iudicũ Senatu multò pòſt Romani miſſa publica, & celebri legatione, ſuas leges non ſolùm de rebus politicis; verùm etiã de religione, cuiúq; diuino acceperũt, atq; ad Areopagi fortaſſis æmulationẽ in rupe Tarpeia ſuum Capitoliũ cõſtruxerũt. Quãuis autẽ reſpublica Athenienſium variis afflicta cladibus, & à pluribus tyrannis ſæpè fuerit oppreſſa; forma tamen, & auctoritas illius Areopagitici iudicij nunquã fuit extincta. Neque hoc ipſo tempore, licèt imperio Romanorum Athenienſes ſubiicerentur, talia eorum iudicia intermittebantur; ſed viuere ſuis antiquis legibus, ſicut Lacedæmonij, permittebantur. Quin etiam Romani Proconſules Aſiæ cauſas difficiliores huiuſmodi Iudicibus definiendas cõmittebant. Ita Cneum Dolabellã feciſſe ex Valerio teſtatur Aulus Gellius [i]: idémq; ſuo tẽpore fieri cõſueuiſ- *i Gellius*
ſe ſcripſit in Hermotimo Lucianus. *lib. 11.*

Hæc propterea fuerũt à nobis hoc *c. 7.*
loco referẽda, vt intelligeremus, qualis vir fuerit Dionyſius Areopagita, Pauli prædicatione habita in Areopago ad fidẽ euangelicã, & Baptiſmi Sacramentum ſuſcipiendũ inductus; & quàm arduum opus in eo Senatu ſit aggreſſus Apoſtolus, vbi de noua religione, ſiue de cultus diuini mutatione tractare facinus habebatur capitaliſſimum. Cõſtat enim, propterea Diagoram Melitũ fuiſſe proſcriptum, decreto talento ei, qui illum occidiſſet; quia ferebatur eorum myſteria deriſiſſe. Anaxagoram Clazomenium capite damnarunt; quia Solem, quem ipſi venerabantur, vt Deũ, eſſe ſaxum ignitum aſſeuerauerat. Protagoras, cùm librum ſcripſiſſet, in cuius initio hæc verba legebantur: *De Diis, neque vt ſint, neque vt non ſint, habeo dicere.* niſi fuga maturè ſibi conſuluiſſet, mortem non euaſiſſet: interim eius librum in concione publica combuſſerunt. Socrates, tum vita, tum morte percelebris, ducentis octoginta, & vna ſententia damnatus, epoto veneno mori debuit; quia Deos eſſe negans, alia quædam noua Dæmonia inducere accuſabatur. Sed nihil horum veritus generoſiſſimus Chriſti Apoſtolus, cùm, tanquam reus, auitæ religionis, & nouorum Dæmoniorum annunciator ad Areopagum pertraheretur, quaſi ad triumphum, non ad iudicium procederet, inuenit ſapienter modum & rationem ſic vnum verum Deum, & Filium eius IESVM Chriſtum annunciandi, & nullius noui Numinis, aut peregrini cultus inuentor; ſed antiqui, vt iuxta eorum Theologiam receptiſſimi, aſſertor eſſe, magna cum laude cognoſceretur. Dum enim

enim per forum Athenienſe tranſiret, in quo aræ Deorum duodecim (Auctore inter alios etiam Thucydide [k]) conſpiciebantur, in vnam potiſſimùm oculos intendit, cuius erat inſcriptio: *Ignoto Deo.* Hunc igitur Athenienſibus Deum, hominibus præ cæteris curioſiſſimis, non aliud Numen ſe manifeſtaturum aduenisſe, ſtatim exordio ſuæ concionis cœpit oſtendere. Meminerunt huius inſcriptionis multi, non tantùm noſtri, ſed etiam externi & profani Scriptores: niſi quòd in forma epigraphes, & numero Deorum non omnes conſentiunt. Philoſtratus [l]: *Athenis* (inquit) *ignotis Diis aræ ſunt conſtitutæ.* Laertius quoque in Epimenide, & Pauſanias in Attica libro primo referunt, extructas aras in vrbe Athenienſi Diis, quos ignotos nominarent. Tertullianus ſimiliter libro primo contra Marcionem [m]: *Inuenio* (inquit) *planè ignotis Diis aras proſtitutas: ſed Attica eſt ſuperſtitio.* Huius generis aram tali notatam inſcriptione olim in Gallia repertam, & in veri Dei cultum tranſlatam, legimus in quadam epiſtola, quæ dicitur S. Martialis, ad Burdegalenſes ſcripta. Sed, quod maiorem hîc poſſet parere ambiguitatem, eſt auctoritas S. Hieronymi, qui in Commentariis ſuper Epiſtolam ad Titum, hac ipſe de re ſic ait [n]: *Inſcriptio autem aræ non ita erat, vt Paulus aſſeruit: Ignoto Deo. ſed ita: Diis Aſiæ, & Europæ, & Africæ, Diis ignotis, & peregrinis. Verùm, quia Paulus non pluribus Diis indigebat ignotis, ſed vno tantùm ignoto Deo, ſingulari verbo vſus eſt: vt doceret, ſuum illũ eſſe Deum, quem Athenienſes in aræ titulo prænotaſſent; & rectè eum ſcientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & neſcire non poterant.* Hæc S. Hieronymus, qui videtur, vt ſæpè aliàs conſueuit, non tam ſuam expreſſiſſe ſententiam, quam aliorũ teſtimonia reſpexiſſe, loquentium de ignotis Diis apud Athenienſes in numero multitudinis. Facilè tamen potuit illa varia inſcriptio alteri aræ cõuenire, præſertim illi, quæ omnibus diis erat communis: aras enim multas, & templa diuerſa extructa Diis fuiſſe ab Athenienſibus, & vnam omnibus commune iam anteà ex Pauſania dicebamus. Quare idem S. Hieronymus in caput decimumſextum Ezechielis [o], magis ex ſua ſententia ſic ait: *Omnipotentis Dei maieſtatem etiam gentilitas non ignorat, & Athenienſium teſtatur ara: Ignoto Deo. Vnde & Apoſtolus: Quem vos, inquit, ignotum colitis, hunc nos annunciamus vobis.* Eandem vnius Dei ſingularis inſcriptionem etiam S. Auguſtinus [p] agnouit libro primo contra Creſconium, & alibi. Quòd ſi additamentum aliquod aræ vni Deo inſcriptæ ſit admittendum, illud à vero minùs videtur alienum, quod ait Oecumenius [q], titulum integrum aræ, de qua Paulus loquebatur, hæc verba continuiſſe: *Diis Aſiæ, & Europæ, & Lybiæ, Deo ignoto, & peregrino.* Sed quoquo modo ſe res habuerit, id eſſe nobis debet omninò certum, inſcriptionem vnius aræ, quæcunque illa fuerit, hæc verba continuiſſe: *Ignoto Deo.* non ſolùm quia Paulus, & Lucas hoc affirmant; verùm etiam, quia niſi ita ſe habuiſſet inſcriptio, malam inde Paulus conſequentiam de vnius veri Dei ſingularis diuinitate intuliſſet, & ſtatim redargui ac irrideri ab Atheniẽſibus potuiſſet. Accedit ad hæc Luciani, qui ea ætate vixit, teſtimonium, tantò magis fide dignum, quantò minùs fauit Chriſtianæ pietati, & veræ noſtræ religioni, apud quem homo Gentilis in

dialo

k *Thucyd. l. 6. belli Pelopon.*

l *Philoſtr. lib. 6. cap. 2.*

m *Tertull. lib. 1. contra Marc. c. 9.*

n *S. Hieron. in c. 1. Ep. ad Tit. poſt med. Comm.*

o *S. Hieron. in c. 16. Ezech. ad v. 12.*

p *S. Aug. l. 1. c. 29. in Creſ. & in expoſ. Ep. ad Rom. cap 3.*

q *Oecum. in c. 17. Act. Sequitur Ioan. Flacus in Lexico Biblico.*

dialogo Philopatro inducitur iurans per ignotum Athenis,non per ignotos. Et iterum ex perſona cuiuſdam Triephontis: *Nos autem* (inquit) *illum ignotum Athenis inuentum adorantes, & manus ad cœlum tollentes,gratias illi agimus,vt qui digni facti fuerimus huiuſmodi poteſtati, atque virtuti ſubiecti eſſe.*

Qua verò occaſione, vel quo inſtinctu, quóve tempore ara hæc ignoto Deo fuerit conſecrata, variæ ſunt opiniones S. Ioannes Chryſoſtomus [r]: *Athenienſes*, inquit, *quia per multa tempora acceperant Deos etiam extraneos, vtpote templum Mineruæ, & Panem,& alios aliunde, timentes forſan, ne & alius quiſpiam eſſet,quem ignorarent, ipſis quidem nondum cognitus; qui tamen alibi colatur: propter maiorem igitur ſecuritatem etiam illi altare erexerunt. Et quoniam non erat manifeſtus Deus, inſcriptum eſt: Ignoto Deo. hunc autem eſſe Chriſtum* IESVM *Paulus dicit.* Ita Chryſoſtomus, a quo accipiens Oecumenius,addita alia ſententia,rem fuſiùs explicauit, dicens: *Duas cauſas referunt, cur apud Athenienſes inſcripta fuerit ara: Ignoto Deo. Sic quidem aliqui dicunt, quòd Athenienſes Philippidem miſerant ad Lacedæmonios nuncios oratum, vt venirent laturi ipſis auxilium aduerſùs Perſarum exercitum Græciam inuadentem: qui cùm in itinere eſſent,iuxta Parthenium, ſpectrũ apparuit eis accuſans Athenienſes, quòd,ſe neglecto,alios Deos colerent, affirmaſſetque ſe eſſe Pana, quem Deum vocant,& pro ſua erga eos beneuolentia auxilio affuturum promiſit. Cùm itaque victoria potiti Athenienſes,templum illi erexiſſent, timentes adhuc, ne aliquis alius Deus incognitus ab eis, ſine honore prætermitteretur, aram erexerunt, cum ea,quam diximus,inſcriptione. Alii verò aiunt, peſtem quandam Athenis graſſatam fuiſſe, adeóque illos exediſſe, vt neque ſindones tenuiſſimas poſſent tolerare: cùm igitur colerent eos, qui apud ipſos Dij habebantur, nihil adiumenti ſenſerunt. Intelligentes autem, quendam forſitan eſſe Deum, quem ipſi abſque honore reliquiſſent, qui peſtem immiſiſſet, nouam exſtruxerunt aram cum illa inſcriptione: Ignoto Deo. ſacrificiiſque oblatis ſtatim conualuiſſe.* Huc vſque Oecumenius, cuius ſecunda ſententia poſſet conciliari cum prima,ſi intelligatur occaſione illius peſtilentiæ, non aram primùm ignoto Deo poſitam; ſed eius cultum,& venerationem innouatam. Tertia tamẽ ſententia,vt magis plauſibilis,aliquibus recentioribus magis placet [t]:quã etiam antiquus Auctor Michaël Syngellius [u] anteà tradidit. Cùm prodigioſa illa eclipſis, Domino in cruce moriente, toti mundo apparuiſſet, Athenienſes voluiſſe aram Deo naturæ dicari, qui tunc patiebatur. *Et fortaſſe* (inquit idem Auctor) *tunc Dionyſius Areopagita ex Ægypto reuerſus fecit, vt talis ara ignoto Deo erigeretur.* Hæc tamen magis pia, quàm firma nituntur coniectura.

Quare multò probabilius exiſtimamus,quandocunque ara illa fuerit ignoto Deo primùm dedicata; vero Deo,vni,& trino, qui pridem in republica Iudæorum colebatur, conſecratam fuiſſe. Cum enim ex placitis antiquorum Philoſophorum, Mercurij Triſmegiſti,Platonis, qui Athenienſis fuit, & ex antiquis Prophetis aliqua mutuatus eſt, ac etiam ex oraculis Sibyllinis,quæ ipſis etiam Gentilibus admirationi extiterunt, aliquo modo intellexiſſent, eſſe vnũ Deum verum, ineffabilem, inuiſibilem, incomprehenſibilem: de quo Iſaias [x]: *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael.* Et Ieremias [y]: *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu.*

r Chryſoſt. hom. 38. in Acta, & hom. 3. in Ep. ad Titum.

t Salmeron. tomo 13. diſp. 47. in Acta. Lyrano in c. 17. Act. Hugon. ibid. Magiſtro Hiſtor. ſcholaſt. c. 93. in Acta. Petro de Natalib. lib. 9. c. 21.

u Syngel. in or. de laud. S. Dionyſij.

x Iſai. c. 45. v. 15.

y Ierem. c. 32. v. 19.

Hinc

Hinc adducti fuerunt, vt huic tanti nominis ignoto Deo propriam aram conſtituerent. Nam profectò incredibile videtur, inter tot aras,& ſimulacra, quæ propter leues quaſcunque diuinitatis ſuſpiciones, vndequaque haberentur, in tanto numero Athenis ponebantur,nullam habitam fuiſſe de Iudæorum Deo rationem; qui tamen fama ſignorum, virtutum, ac prodigiorum, non in Iudæa tantùm, ſed extra longè latéque celebrabatur: niſi quòd à pleriſque ignotus cenſebatur, & quis, qualis, cuiuſnam eſſet naturæ neſciebatur. Vnde incertum Deum Iudæorum Lucanus appellauit: *Nam dedita ſacris*,inquit, *Incerti Iudæa Dei.* Et eandem ob cauſam Iudæis obiecit Satyricus Poëta [z],quòd, dum ſupplices orarent aſpicientes cœlum, nihil præter nubes, & neſcio quid intra illas, vel vltra illas adorare viderentur:

z Iuuen Sat.14.

Quidam ſortiti metuentem Sabbata patrem,
Nil præter nubes, & cæli Numen adorant.

Atque ob eandem rationem magiſter Platonis,Socrates,qui oraculo Apollinis mortalium ſapientiſſimus fuerat pronunciatus, negans multitudinem falſorum Deorum, & vnius inuiſibilis, abſconditi, ac ſupremi Numinis tantum cultum admittens, inducitur per iocum ab Ariſtophane in ſua comœdia, quam Nebulas inſcripſit, nubes, & nebulam adorare. Sed hoc Salomoni myſticè ſignificare voluit Deus, cum ei dixit [a], quòd ipſe habitaret in nebula:& apud Iob qui dam ait [b]: *An non cogitas, quòd Deus excelſior cælo ſit, nubes latibulum eius,* &c. Hinc ergo ſapientiſſimo conſilio Paulus exordium duxit concionis ſuæ, dicens [c]: *Viri Athenienſes per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video. Prætereuns enim, & videns ſimulacra veſtra,*

a 3. Reg. c.8.v.2.

b Iob c. 22.v.12. 14.

c Act. c 17.v.22. 23 &c.

inueni & aram, in qua ſcriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis, Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt. Superſtitioſiores initio orationis Athenienſes à Paulo ideò fuiſſe appellatos aliqui arbitrantur, vt Areopagitæ ea voce compuncti redderentur attétiores. Et fuiſſet id ſane animi imperterriti, valdéque excelſi:ſed nó ſemper in malam partem ſuperſtitio accipitur,ſicut etiam vox, *δεισιδαιμονία*,qua Græcè diſſerens tunc vſus eſt Paulus; verùm etiam pro cultu religioſo, in quo dum Athenienſes non deficere, ſed magis excedere ſic ab Apoſtolo notabantur, ſine vlla acerbitate,imò cum quadam ſpecie commendationis ſui officij peramanter admonebantur.Et ex hoc breuiſſimo exordio,ſimúlque appoſitiſſimo,ſine alio artificioſo proœmio, quale in Areopago,vt diximus,non permittebatur, neque opus hic eſſe ampliùs videbatur, ſtatim tanto ordine, tanta rerum potiùs,quàm verborum efficacia, & maieſtate myſteriorũ progreditur diuinus Orator, vt S.Ambroſ.[d] hanc Pauli Apoſtoli apud Athenienſes concionem pro perfecta idea, & exẽplari abſolutiſſimo omnibus proponat,quos tangit cura conuerſionis Gentium ad fidem euangelicam. *Ita enim*, inquit, *præceptorum ſeriem formare debemus, vt primò vnum Deum auctorem mundi,omniúmque eſſe doceamus,in quo viuimus,& ſumus,& mouemur,cuius & genus ſumus: vt non ſolùm propter munera lucis, & vitæ; verùm etiam propter cognationem quandam generis diligendus à nobis ſit. Deinde opinionem illam, quæ eſt de idolis deſtruamus,& quod non poſſit auri, argentique, & ligni materia vim in ſe habere diuinam.Cum vnum Deum eſſe perſuaſeris,tunc indicio eius adſtrues per Chriſtum nobis ſalutem datam, incipiens ab illis,*

d S.Ambroſ lib. 6.in Lucam,c.9. v.21. Idẽ habet Beda in c. 17. Act.

illis, quæ geſſit in corpore, & ea diuina deſcribens, vt pluſquam homo fuiſſe videatur, victam vnius virtute mortem, mortuúmque ab Inferis ſuſcitatum: paulatim enim fides creſcit, vt cùm ſupra hominem fuiſſe videatur, Deus eſſe credatur. Ita planè progreſſus Apoſtolus, poſtquam veram docuit diuinitatem, ſingulis ferè verbis ſingulas dedocet, & conuellit falſitates. Primùm de ſummo rerum omnium principio, de quo tot abſurdæ Philoſophorum
e *Act. c.* 17 *v.* 24. 25. 26. *vſque ad* 31.
extitêre ſententiæ, cùm ait [e]: *Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt.* Secundò, de eius altiſſimo ſuper omnia dominio, deque illius immenſitate, quæ nullo poteſt, aut definiri termino, aut loco circunſcribi, cùm ſubdit: *Hic cœli, & terræ cùm ſit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo.* Tertiò, de eius vniuerſaliſſima prouidentia, quam negabant Stoïci, & Epicurei: *Cum,* inquit, *ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia.* Quartò, de mundo non ab æterno, ſed in tempore creato, de formatione primi hominis, & terrarum ad inhabitandum diſtributione: circa quæ Ariſtoteles quoque valdè fuit deceptus. *Sed* (inquit Paulus) *Deus ipſe fecit ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam faciẽ terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum.* Quintò, de naturali Dei notione per creaturas facilè acquirenda, de impreſſa nobis eius imagine, ipſiúſque in rebus omnibus exiſtentia etiam ab ethnicis Poëtis decantata: *Quærere,* inquit, *Deum, ſi fortè attrectent eum: quamuis non longè ſit ab vnoquoque noſtrùm. In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus, ſicut & quidam veſtrorum Poëtarũ dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus.* Fuit hic Poëta, quem M. Tullius Latinum reddidit, Aratus, genere Cilix, patria Solenſis, haud procul à Tarſo: quare potuiſſet illum Paulus ſuum Poetã appellare; ſed, veſtrum maluit dicere; tum, vt alienum illum a ſua religione indicaret; tum, vt huiuſmodi Gentiliũ teſtimoniis parce nobis vtẽdum, nec ferè niſi propter Gentiles, & cum Gentilibus ſignificaret. Hinc ad omnẽ idololatriam confutãdam progreſſus eſt, errorémque anthropomorphitarum, & Deum corporeum ſibi fingentium redarguit, dicens: *Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis, & cogitationis hominis diuinum eſſe ſimile*; id eſt, diuinitatem. Quaſi dixiſſet: Cùm ergo nos, qua parte anima conſtamus ſpirituali, quandam habentes cum Deo cognationem, vtpote ad illius imaginem ac ſimilitudinem procreati, auro, argento, & ſimilitudini ſculpturæ lapidis tantò ſimus ſuperiores; quantò erit diſſimilius infimis iſtis, corporatíſque rebus illud eſſe diuinũ, qualibet creata ſubſtantia, tum corporea, tum ſpirituali, infinitè ſublimius? Vt meritò de colentibus idola per Iſaïam illis verbis conqueratur Deus [f]: *Cui ergo ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? & cui aſſimilaſtis, & adæquaſtis me? dixit Sanctus.* Poſtremò ad altiorem Dei prouidẽtiam attollens orationem, fidem excitauit reparatæ per humani generis redemptionem ſalutis, ſpem fecit per pœnitentiam veniæ obtinendæ, timorem incuſſit extremi Iudicij vniuerſalis, & ad Chriſti adorandam in ara ignoti Dei diuinitatem admirabili eius à mortuis reſurrectione mundo ſatis, ſupérque demonſtratam, ſic eos eſt adhortatus [g]: *Et tẽpora quidẽ huius ignorantiæ deſpiciens Deus nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, eò quòd ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidẽ præbẽs omnibus, ſuſci-*

f *Iſai. c.* 40. *v.* 18. 25.
g *Act. c.* 17 *v.* 30. 31.

ſuſcitans eum à mortuis. Hanc perorationem quis motus, & quanta conuerſio animorum ſit ſubſecuta, ſequenti capite oſtendemus.

CAPVT VIII.

Dionyſius Areopagita, Damaris, & alij quidam Pauli prædicatione Chriſti fidem, & Baptiſmum ſuſcipiunt.

QVi Paulo in Areopago verba, quæ retulimus, faciẽti aures dabant, *Cùm audiſſent*, inquit S. Lucas [a], *reſurrectionẽ mortuorũ, quidam quidem irridebant: quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exiuit de medio eorum.* Chriſti Domini reſurrectionis, poſtremis ſuis verbis fecerat Apoſtolus apertam mentionem, & futuri magni Iudicij vniuerſalis, in quo eſſent omnes homines à morte ſuſcitãdi, qui à mundi exordio, vſque ad finem, aliquando vixiſſent: miraculum tot in ſe miracula comprehendens, quot vnquam extitêre mortales; imò in eorum ſingulis plura, & ingentia miracula, ſi modum, & rationes tantarum in vnoquoque mutationum expenderimus. Vt proptereà S. Paulus ad Titum ſcribens [b], de hoc aduentu Saluatoris ad vniuerſale Iudicium, beatam ſpem noſtram eum appellet, *& aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri* IESV *Chriſti.* Et in eandem ſententiam Dauid [c]: *Omnes gentes* (inquit) *quaſcunque feciſti, venient, & adorabũt coram te, Domine, & glorificabunt nomen tuum, quoniam magnus es tu, & faciẽs mirabilia, tu es Deus ſolus.* Quid igitur mirum, ſi ad promiſſa miracula, tam ingentia, tam multa, tam inaudita, ethnici homines, & præſertim Epicurei, aliqui ſubriſêre, alij irriſêre; hæſerunt alij, maximè Stoici, animo partim admiratione ſuſpenſo, partim incitato ad hæc iterum audienda tempore quietiori: quando iam exorto tumultu diſſidentium, viſa eſt Paulo concio dimittenda. Et multùm ſanè tunc fuit, nec ſine Dei ſingulari prouidentia, Apoſtolum talia in Areopago differentem liberum à tam ſeuera Iudicum corona abire permiſſum, fauẽte fortaſſe auctoritatis præcipuæ Senatore Dionyſio, de quo ſubdit ſacra Hiſtoria [d]: *Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt, in quibus Dionyſius Areopagita.* Notauit hunc loquendi modum Michaël Syngellius, Presbyter Ieroſolymitanus, non ſolùm eruditione, ſed etiam ſanctitate, & martyrio celebris ante mille annos in Encomio à ſe edito Dionyſij Areopagitæ, quòd non dixerit Lucas: *In quibus erat vir quidam nomine Dionyſius.* Sed cum coniunctione, & articulo abſolutè dixit: ἐν οἷς καὶ Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης, hoc eſt, etiam Dionyſius ille Areopagita inter hos extitit; nempe, quia non loquebatur Lucas de homine vulgari, & ignoto; ſed Athenis notiſſimo, & celeberrimo, tum generis claritate, tum officij dignitate, opibus, ſapientia, & eloquentia. Addit Magiſter Hiſtoriæ ſcholaſticæ [e], quia Hiſtoria Actuum Apoſtolorum, modum conuerſionis Dionyſij prætermiſit, à ſe ſuppleri oportere. Ait ergo hic Auctor, Dionyſium non niſi poſt longam Pauli diſputationẽ, & quoddam ſecutum inſigne miraculum, ad fidem fuiſſe inductum. Itaque, dum Areopagita cum Apoſtolo diſſereret, eueniſſe, vt cæcus quidam illa via pertranſiret: quo viſo, dixit Apoſtolo Dionyſius: Si tu in nomine Dei tui, huic cæco dixeris, Vide; & ipſe viderit, ego ſtatim credam: ſed ne

a *Act. c.* 17. v. 32.

b *Tit. c.* 2. v. 13.

c *Pſ.* 84. v. 9. 10.

d *Act. c.* 17. v. 34.

e *Auctor Hiſt. ſch. c.* 93. *in Acta.*

ne vtaris verbis magicis, fortè enim noſti talia verba; ego formam verborum tibi præſcribam, & ſit huiuſmodi: *In nomine* IESV *Chriſti, nati de Virgine, crucifixi, & mortui, qui reſurrexit, & aſcendit in cœlum, vide.* Tunc Paulus, vt omnis ſuſpicio tolleretur, ipſimet Areopagitæ commiſit, vt à ſe talia verba proferret. Quibus à Dionyſio fideliter ſupra cæcum hominem pronunciatis, ille viſum corporis, hic mentis protinus obtinuit, & Chriſtianus eſt factus. Hæc Magiſter Hiſtoriæ ſcholaſticæ; qui tamen, vnde talia acceperit, ipſe non dicit, neque ſatis conſtat; niſi quòd aliquid ſimile inuenitur apud Hilduinum, Abbatem Monaſterij S. Dionyſij, qui rogatus per epiſtolam ab Imperatore Ludouico Pio, vt colligeret ex Hiſtoriis Græcorum, quæcunque inuenire de S. Dionyſio Areopagita potuiſſet, inter alia retulit [f]; ante Dionyſij conuerſionem, quendam Apollinem, ciuem Athenienſem valdè nobilem, & eruditum, fidem euangelicam ſuſcepiſſe, & propterea iuſſum Paulum ſiſti in Areopago, vt doctrinæ ſuæ redderet rationem. Ibi ergo dum Apoſtolus conſtitiſſet, interrogatum ab illo præ cæteris Dionyſium, tanquam primarium illius Curiæ moderatorem, quid coleret, & quibus Numinibus in loco tam celebri deſeruiret; reſpondiſſe tunc Dionyſium: Deos, quos coluerunt patres noſtri, quorum virtute & ſolertia mater terra continetur, hos colimus, & adoramus: aræ, quas vides, Martis, & Herculis, Mercurij, & Priapi nomine, & honore ſacratæ ſunt. Dum verò ſingula illa altaria, & ſimulacra falſorum Deorum Paulus perluſtraret, inter cæteras aras reperit altare quoddam, cui erat titulus ſuperſcriptus: *Ignoto Deo.* & conuerſus ad eũ Paulus interrogauit illum, dicens: Quis eſt ille Deus ignotus? Ad quem Dionyſius: Adhuc, inquit, non eſt ipſe Deus demonſtratus inter Deos; ſed eſt incognitus nobis, & ſæculo venturo futurus. Ipſe enim eſt Deus, qui regnaturus eſt in cœlo, & in terra, & regnum eius non accipiet finem. Subiungens itaque Paulus ait: Quid vobis videtur, homo erit, an ſpiritus Deorum? Reſpondens Dionyſius dixit: Verus Deus, & verus homo, & ipſe renouaturus eſt mundum; ſed adhuc incognitus eſt hominibus, quoniã apud Deũ in cœlo eius conuerſatio eſt. Et ait Paulus: Illum Deum prædico vobis, quem incognitũ appellatis: natus enim ex MARIA Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, pro ſalute humana mortuus, reſurrexit, cœlóſque aſcendens, ſedet ad dexteram Dei Patris, verus Deus, & verus homo, per quem facta ſunt omnia, & venturus eſt in fine ſæculi Iudex omniũ, quæ geruntur, qui notus iam eſt in Iudæa Deus, & magnũ in Iſraël, & ſanctum nomen eius. Hæc & alia plura Paulo prædicante, & ſingula templa perluſtrãte, & nihil eſſe idola demonſtrante, ait idem Auctor, cœpiſſe Dionyſium ad Chriſti fidem inclinari. Poſtero autem die, (inquit,) cùm Paulus iter faceret, cæcus quidã cœpit eum obſecrationis vocibus compellare: ſanctus autem Apoſtolus Crucis ſignum clauſis eius à natiuitate oculis impoſuit, dicens: Chriſtus Dominus, & Magiſter noſter, qui oculis lutum impoſuit cæci nati, & lumen reſtituit ei, ipſe te potentia ſua illuminet. Quem mox videntem his eſt verbis affatus: Vade, inquiens, ad Dionyſium, & dic ei: quia Paulus ſeruus IESV Chriſti ad te me miſit, vt memor ſponſionis tuæ ad eum venire non differas, quo Baptiſmum ſalutis accipiens, ab omnibus poſſis abſolui nexibus delictorum.

[f] *apud Sur. tom. 5 die 9. Octobr.*

Is autem, qui lumen recepit, obedienter verba iubentis impleuit, & ad Dionyſium properans, Pauli ei verba per ordinem nunciauit: Dionyſius verò electionis gratia iam præuentus, vt cæcum ſanatum aſpexit, ait ad eum: Eſne tu ille, quem cæcum natum cuncti conteſtantur affines? Cui ille reſpondit: Ego, nempe, ſum, cui cæco nato hactenus Sol non luxit; ſed ipſe Paulus, cuius tibi defero mandata ſalubria, IESV Chriſti Magiſtri ſui inuocata virtute, ſanitatis mihi lumen indulſit. Qui protinus ſurgens cum omni domo ſua, & Damari vxore, quam vt ſumeret, more terrenæ nobilitatis, propter amorem ſuſcipiendæ charæ ſobolis, eum ſui coëgêre parentes, ad mādata properat S. Pauli; credénſque fideliter, & abnegatis erroribus paganorum, ſacri eſt Baptiſmatis vnda reſperſus: ac ſic demum ſe tradidit eius magiſterio plenius imbuendum, ínque ſanctæ Trinitatis fide, & incarnationis, paſſioniſque, ac reſurrectionis IESV Chriſti, Domini noſtri, myſterio, ſeu cunctis arcanis eccleſiaſticæ ſanctitatis affatim, vt comes eius inſeparabilis, quocunque greſſum mouerat, à B. Paulo per triennium inſtitutus, Theſſalonica Magiſtro obſequendo reuertens, ab eodem Paulo, Athenienſium eſt ordinatus Antiſtes; ac deinde, ipſo iubente, Chriſti Euangelium prædicauit, eandémque ciuitatem, & maximam partem patriæ ad fidem veritatis conuertit. Hæc Hilduinus, quæ etiam à Baronio referuntur [g], vbi de S. Dionyſio Pauli prędicatione ad Chriſti religionem inducto agit in ſuis Annalibus: *Sed fidem* (inquit) *penes prædictum Auctorem relinquimus.* Et ſanè ſi quis attentè omnia in ea Hilduini narratione poſita expēdat, quæ integrè ponuntur à Surio die nona Octobris, & cum iis conferat, quæ ab Auctoribus certæ fidei habentur de S. Dionyſio, negare non poterit quædam non ſatis cum veritate congruere. Vt, quod ibi legitur, S. Dionyſium ſub Domitiano ſubiiſſe martyrium, anno eius imperij decimoſexto, in quo etiā hallucinatus eſt Metaphraſtes. Nam ipſemet Dionyſius in capite quarto libri ſui de diuinis nominibus, allegat nominatim S. Ignatij verba ex epiſtola, quā ſcripſit ad Romanos: conſtat autē eam epiſtolam eſſe ſcriptam annō ſeptimo Traiani, quo anno S. Ignatius martyrio eſt coronatus. *Scribit autem* (inquit Areopagita in ſua illa epiſtola) *& diuinus Ignatius: Amor meus crucifixus eſt.* Hęc verba in dicta epiſtola S. Ignatij ad Romanos ſcripta inueniūtur. Quomodo igitur potuit S. Dionyſius martyrium conſummaſſe ſub Domitiano, cui Nerua ſucceſſit, & poſteà Traianus, ſi citat epiſtolam ſcriptam anno ſeptimo Traiani? Quare colligunt Hiſtorici accuratiores, S. Dionyſium, neq; ſub Domitiano, neque ſub Nerua; ſed ſub Traiano, vel etiam fortaſſe ſub Adriano Imperatore poſt annum Domini centeſimum, ſubiiſſe martyrium, ſicut Bedæ, Adonis, & alia antiqua Martyrologia tradiderunt.

Quod verò de Damari à S. Paulo Athenis ad Chriſti fidem inducta, dixit idem Hilduinus, vxorem fuiſſe Dionyſij; tribuitur etiam S. Ambroſio in quadam epiſtola [h]: ſed in ea tantùm legitur, Dionyſium cum Damari muliere eſſe conuerſum: per mulierem autem nihil nos cogit vxorem intelligere: & idipſum tribuitur ab eodem Hilduino, etiam S. Auguſtino [i], qui ſimiliter dicit, illā fuiſſe nobilem mulierem, & cum Dionyſio credidiſſe; non verò ipſius coniugem extitiſſe. Apertiùs id videtur aſſerere S. Chryſoſtomus [k], dicens: *Areopagita* ille,

[g] *Baron. anno* 52.

[h] S *Ambr. ep.* 35. *alias* 82. *conſentit Baron. an* 52.

[i] S *Aug. tract. de Stoicis & Epic. c.* 1.

[k] *Chryſoſt. lib.* 4. *de Sacerdosio.*

ille, ſuperſtitioſiſſima ciuitatis illius ciuis, nonne vna cum vxore, audita tantum Pauli concione, illum ſecutus eſt? Sed in primis conſiderandum eſt, nihil à Chryſoſtomo dici de cæco illuminato, ita vt non niſi hoc viſo miraculo fidem Chriſtianam Dionyſius amplexus ſit; ſed ait Chryſoſtomus: *Audita tantum Pauli concione illum ſecutus eſt.* Vnde redditur valdè ſuſpectum illud ab Hilduino aſſertum miraculũ, & præſertim ſi, vt narrat Magiſter Hiſtoriæ ſcholaſticæ, fuiſſet ab ipſomet Dionyſio cæcus ille, ſic Paulo mandante, illuminatus. Deinde, quod attinet ad Damarim, non dixit Chryſoſtomus, eam fuiſſe coniugem Dionyſij; ſed illum cum vxore adhæſiſſe Paulo: fieri autem potuit, vt alia mulier, quæ eſſet Dionyſij vxor, illius exemplo Chriſtianam fidẽ ſuſceperit. Nam, ſi vxorem Dionyſius tũc habuit, ſicut habuiſſe virum Gentilẽ eſt veriſimile, etiam credibile eſt, exemplo tanti viri Chriſtiana ſacra ſtatim admiſiſſe. Quòd ſi quis hanc mulierẽ non aliã fuiſſe, quàm Damarim, opinetur, nec aliam præter ipsã à Chryſoſtomo ſignificatam, leuis erit inde ſuſpicio: nam, etiamſi Græcè δάμαρ, Latinè vxorem ſignificet; tamen poëtica vox eſt: δάμαρις autem nec apud Poëtas eſt in vſu, niſi pro nomine proprio. Vnde non dixit S. Lucas, eam talem eſſe, ſed nominari tanquam proprio nomine, Damaris: καὶ γυνὴ ὀνόματι Δάμαρις. *Et mulier* (inquit) *nomine Damaris.* nec dixit, γυνὴ αὐτοῦ, mulier, vel vxor ipſius; ſed abſolutè, mulier; cùm tamẽ aliàs id Lucas non prætermittat, vt infrà, dicens [l]: *Inuenit quendam nomine Aquilam, & Priſcillam, vxorem eius, γυναῖκα αὐτοῦ.* & rurſus infrà [m]: *Veniens*, inquit, *Felix cum Druſilla, vxore ſua* Et tantò minùs id facer Hiſtoricus prætermittere hoc loco debuiſſet, quãtò magis ad vtriuſque laudẽ pertinebat, & virum eſſe tam pię mulieris, & tanti Senatoris fuiſſe vxorem.

l *Act.c.* 18.v.2.

m *Act.c.* 24 v. 24.

Redditur prætereà dubiæ fidei, quod prædictus Abbas S. Dionyſij, Auctore incerto, in ſuam Hiſtoriam tranſtulit de Apolline, ciue Athenienſi, ante Dionyſium ad fidem à Paulo inductum. Dum enim hic ciuis deſcribitur valdè eruditus, ſapiens, & magno zelo prœditus, indicatur ille idem eſſe, de quo Paulus in prima ad Corinthios ſcripſit [n]: *Ego plantaui, Apollo rigauit.* Et in Actis apoſtolicis ita deſcribitur [o]: *Iudæus autem quidam Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Epheſum potens in Scripturis. Hic erat edoctus viam Domini, & feruens ſpiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ ſunt* IESV, *ſciens tantùm Baptiſma Ioannis.* Et tamen ciuis ille Athenienſis ponitur Gentilis fuiſſe; hic autem Iudæus, & Alexandrinus, qui Baptiſma tantùm Ioannis nouerat; nondum verò Chriſti Sacramentum. Quis autem credat, hunc à Paulo tam rudem, & ſine Baptiſmo relictum, præſertim tanto tempore, vſquequò Athenas ipſe rediens, venit Corinthum, & ibi vltra annum manſit, tum Epheſum venit, vbi Iudæum hunc Alexandrinum reperit talem, vt diximus à Luca deſcriptum?

n 1.*Cor.* c.3.v.6. & c.1. v 4.

o *Act.c.* 18.v.24.

Sed, vt ad certiora de Areopagita redeamus, magnum ſanè fuit in ea ciuitate, ex tali Senatu, & Concilio tantorum Iudicum, apud quos agere de innouanda religione capitale prorſus habebatur; præcipuum tamen illorum ad Chriſti fidem toto corde ſuſcipiendam, prædicatione Pauli tã ſubitò fuiſſe perductum. At illud quoque noſſe oportet, Areopagitam Dionyſium ante annos circiter nouendecim incepiſſe ad euangelicam veritatem animum præparare. Nam

viſa

viſa illa vniuerſali defectione luminis Solis, quæ per tres horas durauit, à ſexta, nimirum, vſque ad nonam, Chriſto Saluatore Ieroſolymis in Cruce moriente, valdè fuit inde permotus. Erat Dionyſius tunc annorum vigintiquinque, vt in quadã epiſtola ipſe de ſe teſtatur, & verſabatur in Ægypto, in ciuitate Heliopoli, ad Mathematicas diſciplinas, & maximè Aſtrologiã perdiſcendã. Quare, cùm aduertiſſet, eclipſim illam non potuiſſe contingere naturaliter, eò quòd Luna plena Soli obuerſaretur; deinde, quia nimis diu durauit; prætereà, obſcuratio illa Solis, vt in Euãgelio refertur [p], fuit per vniuerſam terrã, tunc dicitur illa verba protuliſſe: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſoluetur.* Metaphraſtes autẽ ait [q], illũ ſic dixiſſe: *Hæ tenebræ lucẽ afferent mũdo vniuerſo.* Michael verò Syngellius, vel Syncellus, Auctor valdè antiquus, in ſuo S. Dionyſij Encomio, refert, ex traditione à proprio parente ſe accepiſſe, tunc Dionyſium dixiſſe: *Deum ignotum, ſiue abſconditũ, in carne pati.* Suidas ait dixiſſe: *Aut Deus patitur, aut patienti compatitur.* Sed fieri poteſt, vt hæc, & alia plura his ſimilia in eãdem ſententiã Areopagita protulerit. Præſtat verò ipſummet audire in duabus ſuis epiſtolis hanc rem deſcribentem. Prima eſt ad Apollophanem, Gentilem Philoſophum ſcripta, qui ſocius erat ipſius Dionyſij, cùm Heliopoli, tẽpore illius eclipſis, ſimul verſarentur: hic tamen Apollophanes à ſuperſtitione Gentilium non receſſit, imò Dionyſio iam Chriſtiano redditus eſt ipſe obſtinatior, & illius calũniator, quòd patrios Deos colere deſtitiſſet. Sic igitur ad illum ſcribit S. Dionyſius: *Heliopoli tu quidem penè mihi coæuus, & ego quinque & viginti annorum tempus exoluens, vna morantes conſtiteramus, cùm feria quadam ſexta, & hora etiam penè ſexta, Sol horribilibus ſubitò eſt obſitus tenebris, Luna ipſum intercurrente: quia non Deus, ſed creatura Dei, in ipſius veræ lucis occubitu, lucere non potuit. Quærebam enim tunc apud te, qui mihi ſanè ſapientiſſimus videbaris, quid ipſe inde ſentires: tu verò mirabili prudentia ſubintulisti, quod vſque adeò penetralibus mentis meæ inhæſit, vt nulla obliuione deleri, nulla vnquam valeat mortis imagine deterreri: offuſi enim tenebris, ſi eramus, orbem Solis vndequaque, & ex aquo occupante caligine. Et poſtquàm repurgatio, & reſtitutio facta eſt, Luna ad Solis diametrum conuerſa aufugit. Et tunc quoque regulam Philippi Aridæi aſſumpſimus: cùmque reperiſſemus, quod erat veriſſimum, eo tempore Solem eclipſis moleſtias, laboreſque minimè perpeti debuiſſe; ac nihilominùs Lunam ab oriente ſolarem ſplendorem pullis, nigrantibúſque velis obduxiſſe, cùm ſoleat ex occidua parte Solem ingredi; tunc opifices lucis theſauros, caliginibus, quas ipſa genuerat, ad occiduos vſque Solis fines peruagata, vt ipſi putauimus, occultauit: cùm tamen Luna id tempus deeſſet, neque coitionis tempus vicinum eſſe cognoſceretur: aio ad te (neque enim adhuc myſteriis tantæ rei conſcius eram:) O ingentis prudentiæ promptuarium! quid, inquam, ô doctrinæ ſpeculum, Apollophanes, his ſecretis adſcribis. Ad hæc, neſcio quo pacto, diuino quodam afflatu, & non humani ſenſus ſermonem ſubintuliſti: Hæ ſunt, ô bone Dionyſi, diuinarum rerum viciſſitudines. Deniquè verò adnotatum diligenter feriæ diem, & annum annunciatione, quam ſacer Paulus noſtris attentis auribus infudit, conſentientibus ſignis conſpirare & concordare expertus, manus veritati ſubmiſi, & ex falſitatis nexibus ſũ abſolutus, quã quidẽ veritatẽ mi ſi è effero.*

Hucvſque

[p] Lucæ c. 23. v. 44.

[q] Metaphr. in vita S. Dion. apud Sur. 9. Octobr.

Hucvſque Dionyſius, eadémque repetit in epiſtola ad Polycarpum, apud quem Apollophanes multa contra Dionyſium effuderat maledicta, & conuicia. Rogat autem S. Dionyſius Polycarpum, vt in mentem reuocet Apollophani ſtupendum illud prodigium ante tot annos viſum deficientis in meridie Solis, dum ſimul eſſent Heliopoli, quando Ieroſolymis Chriſtus Saluator pro mundi redemptione in cruce patiebatur; & vt conſideret, quæ pro gloria ſalutiferæ Crucis tunc mira contigerunt, *naturam*, inquit, *profectò ſuperantia, & ſoli Chriſto poſſibilia, qui auctor eſt omnium, facitque magna atque ſtupenda, quorum non eſt numerus. Iſta illi ſi licuerit, dicito.* Sic Dionyſius ad Polycarpum. Vnde ſumpſit occaſionem ſuæ coniecturæ Syngellius [r], quam tamen dubitando protulit, de Dionyſio reuertente ab Ægypto poſt obſeruatam huiuſmodi eclipſim, cuius ipſe cauſam confuſa tantùm notione præſagiebat, quòd fuerit auctor Athenienſibus, vt ara illa ignoto Deo poneretur. Sed quoniam eſſe probabilius dicebamus, antiquiorem fuiſſe illam aram, & ignoto Deo Iudæorum, cuius nomen apud ipſos etiam Iudæos ineffabile celebatur, olim fuiſſe dedicatam; hoc ſupereſt, eſſe magis veriſimile, Dionyſium Areopagitam ab Ægypto reuerſum, confirmatum in cultu illius ignoti Dei, alios quoque Athenis narrato eo prodigio plurimùm confirmaſſe. Præſertim, quia quotquot ex ipſis ante annos nouendecim viuebant, huius miraculi teſtes oculati eſſe potuerunt. Neque enim in ſola Iudæa, & Ægypto; ſed per orbem terrarum vniuerſum diurnæ illæ tenebræ apparuerunt. Vnde notatæ leguntur, non ſolùm apud Euangeliſtas, ſed etiam à Gentilibus Hiſtoricis, & in eorum Annalibus, & Archiuiis conſeruatæ. *Eum mundi caſum*, inquit Tertullianus in Apologetico aduersùs Gentes, *in Archiuiis veſtris habetis.* Et Lucianus ſimiliter diſputans contra Gentes [s]: *Perquirite*, inquit, *in Annalibus veſtris, & inuenietis temporibus Pilati, fugato Sole, interruptum tenebris diem.* Origenes [t] quoque diſputans contra Celſum Philoſophum Epicureum, adducit eiuſdem rei teſtimonium ex Phlegonte Adriani Imperatoris liberto inſigni Hiſtoriographo, de quo etiam meminit Suidas. *De Sole*, inquit Origenes, *Tiberij Cæſaris tempore obſcurato, quo imperante* IESVS *Cruci eſt affixus, & de magnis terræ tunc motibus factis, ſcripſit Phlegon in tertiodecimo, vel decimoquarto, vt arbitror, de temporibus libro.* Sed ipſius Phlegontis verba recitantur ab Euſebio, ſic ſcribente [u]: *Phlegon, qui olympiadum egregius ſupputator eſt, in libro decimoquarto ita dicit: Quarto autem anno ducenteſimæ ſecundæ olympiadis, magna & excellens inter omnes, quæ anteà acciderant, defectio Solis facta eſt: dies hora ſexta ita in tenebroſam noctem verſus, vt ſtellæ cæli viſæ ſint.* Hæc Phlegon Gentilis Hiſtoricus.

Quod verò ſpectat ad rationem temporis ætatis Dionyſij, & eius conuerſionis ad Chriſtum, cùm tradant probati Auctores, & confirmet Baronius [x], Areopagitæ conuerſionem accidiſſe anno a Chriſti Domini paſſione decimonono, ſi a trigeſimotertio ætatis Chriſti abſoluto, & trigeſimoquarto inchoato, quo eſt mortuus, nouendecim computauerimus, planè ad hunc annum Chriſti quinquageſimumſecundum deueniemus, in quo Chriſtianam religionem ab Areopagita ſuſceptam anteà diximus. Cùm autem ætatis eſſet annorum vigintiquinque, vt ipſe in prolixa epiſtola ad Apollophanem teſtatus eſt, quando Heliopoli

r *Syngel. in Enc. S. Dion.*

s *Luc. in Act. ſui Martyr.*

t *Orig. lib. 2. contra Celſum.*

u *Euſeb. in Chro. anno Chriſti 33.*

x *Baron. ann. 52.*

Heliopoli eclipſim in Chriſti morte obſeruauerat, ſequitur modò annum egiſſe ætatis quadrageſimumquintū, cùm Athenis Paulum concionantem audiuit, cui retuliſſe, quæ ante nouendecim annos obſeruauerat in Ægypto, circa celebrem illam eclipſim, nihil eſt dubitandum. Ideóque minùs fuit Paulo difficile, quæ de Chriſto humani generis Saluatore credenda ſupererant, tum Dionyſio, tum aliis Dionyſij auctoritate, & exemplo perſuadere: quod indicare S. Lucas voluit, cùm dixit [y]: *Quidam verò viri adhærentes ei crediderunt: in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.*

y *Act. c. 17. v. 34.*

CAPVT IX.

Dionyſium Areopagitam, Epiſcopum Athenienſium à S. Paulo conſtitutum, ſcripſiſſe doctiſſimos libros, quos malè noſtri temporis Hæretici, & quidam alij inficiantur.

Dionyſium alta quadam mente præditum, & capaciſſimæ intelligentiæ, cùm ſatis in fidei noſtræ myſteriis inſtructum S. Paulus agnouiſſet, non quidem ſtatim à conuerſione, ſed poſt triennium, creſcente Athenis Eccleſia fidelium, primum illius ciuitatis Epiſcopum conſecrauit. Qua de re Euſebius in tertio libro Hiſtoriæ eccleſiaſticæ [a], recenſens Pauli Apoſtoli in euangelica prædicatione adiutores, ſic ait: *Adde his Areopagitam illum, Dionyſium nomine, quem in Actis Apoſtolorum poſt Pauli concionem in Areopago apud Athenienſes habitam, ad fidem conuerſum fuiſſe Lucas in Actis Apoſtolorum ſcribit: quem etiam primum Eccleſiæ Athenienſis Epiſcopum deſignatum, alius quidam Dionyſius Eccleſiæ Corinthiorum Paſtor, Scriptor ſane perantiquus, narrat.* Hæc Euſebius, addito alterius Dionyſij, Corinthiorum Epiſcopi, qui vicinior illis temporibus fuit, teſtimonio: cui Beda in ſuo Martyrologio, & omnes ferè poſteriores Scriptores meritò ſubſcripſerunt. Sed tam clarum religionis noſtræ trophæum, exornatum tot ſpoliis Græcæ eruditionis, & ſapientiæ, Hæretici huius temporis, ſiue Paulo, ſiue Catholicæ Eccleſiæ inuidentes, ſiue etiam vt erroribus ſuis, qua poſſunt ratione, proſpiciant, negant eos doctiſſimos, & ſublimiſſimos libros de diuinis nominibus, de cœleſti & eccleſiaſtica Hierarchia, de myſtica Theologia, quos Dionyſij Areopagitæ cohoneſtat inſcriptio, eſſe huius noſtri Areopagitæ legitimos partus; ſed dicunt eſſe ſpurios, & ſuppoſititios. Et quia eorum auctoritate quaſi telo validiſſimo antiquitatis circa multa feriuntur, ideò caninis dentibus eos mordent, carpunt, & quantùm poſſunt, vituperant. Lutherus in primis auſus eſt impudenter aſſerere [b], in libro de cœleſti Hierarchia Dionyſio adſcripto, nihil contineri ſolidæ eruditionis: *Omnia* (inquit) *ſunt ſomniis ſimilia: in myſtica Theologia Platonizat Auctor magis, quàm Chriſtianizat: in eccleſiaſtica Hierarchia ludit in allegoriis, quod eſt otioſorum hominum ſtudium* Et addit Lutherus, ſe, ſi vacaret, poſſe Hierarchiam ſcribere meliorem. Nec modeſtior Caluinus [c] Lutherum imitatus, appellat doctrinam S. Dionyſij in libro de cœleſti Hierarchia, meram garrulitatē, & quæ ibi traduntur de natura Angelorum, de eorum ordinibus, & multitudine, ait eſſe relinquenda, quia otioſe tradūtur, ſine Dei verbo:

a *Euſeb. lib. 3. c. 4.*

b *Luther. lib. de capt. Babyl.*

c *Calu. lib. 1. Inſtit. c. 4.*

SS cùm

cùm tamen Dionyſius ibi aliquoties repetat, præſertim capite ſexto, ſe non loqui ex propria ſcientia; ſed ex Dei ſermone, & doctrina ſacrorum Theologorum, id eſt, Apoſtolorum, & præcipuè Magiſtri, & initiatoris ſui Pauli. Hos ſecuti ſunt alij Hæretici, Beza, Scaliger iunior, & Eraſmus, a quo videtur fuiſſe deceptus Caïetanus in Commentariis ſuper Acta Apoſtolorum: ibi enim exponens caput decimumſeptimum, circa illa verba: *Quidam verò viri adhærentes ei crediderũt, in quibus & Dionyſius.* ita ſcripſit Caïetanus: *An iſtemet ſit ille Dionyſius, qui ſcripſit libros de diuinis nominibus, & de cœleſti, & eccleſiaſtica Hierarchia, certum non eſt. Tum, quia Hieronymus in libro de Viris illuſtribus, iſtius nõ meminit; ſed Dionyſij, Epiſcopi Corinthiorum, referendo multas illum ſcripſiſſe epiſtolas, & ad quos: nunquam autem ſcripſiſſe hos libros de diuinis nominibus,* &c. *Tum, quia Gregorius in homilia trigeſimatertia* (voluit dicere Caïetanus, trigeſimamquartam) *de decem drachmis, non audet aſſerere, Auctorem horum librorum fuiſſe Dionyſium Areopagitam: ſed dicit: Fertur verò Dionyſius Areopagita antiquus, & venerabilis Pater, dicere,* &c. Similia his habet Eraſmus.

Sed inprimis, quod ſpectat ad S. Gregorium, vt ab eo incipiamus, diſcere Hæretici debuiſſent, cum quanta reuerentia magnus hic Pontifex, & ſanctiſſimus Eccleſiæ Doctor loquatur de Dionyſio Areopagita, vocans illum antiquum, & venerabilem Patrem. Deinde, quàm longè abſit à vero, imò ab omni ſimilitudine veri, quod ait Scaliger, videri Auctorem librorum Dionyſij, fuiſſe quendã Dionyſium, qui vixerit circa annum Domini ſexcenteſimum nonageſimum, tempore Iuſtiniani iunioris. At eo tẽpore S. Gregorius erat iam mortuus, & quidẽ ante annos octuaginta: obiit enim anno ſalutis ſexcenteſimoquarto: quomodo igitur adducere teſtimonia ex illis libris poſt tot annos primùm editis potuiſſet? Deinde, cùm S. Gregorius ſic ait: *Fertur vero Dionyſius Areopagita, antiquus Pater, dicere,* &c. nónne ſignificat, opinionem eſſe minimè vulgarem, illorum librorum Auctorem hominem eſſe non illius ſæculi, neque proximè ſuperioris, ſed antiquioris? Quòd autem dixerit, *fertur*, non eſt quaſi S. Gregorius dubitauerit, alium eſſe Auctorem illorum librorum, præter Dionyſium Areopagitam; ſed, quia ſic interdum loquimur, etiam de re certa, imò ad hoc ipſum magis indicandum, quòd opinio communis ſit, & de qua minimè dubitetur. Vel certè voluit ſignificare S. Gregorius, ſe Græca exemplaria nondum vidiſſe: diu enim libri illi abſconditi latuerunt, maximè propter Hæreticos, vt benè quidam obſeruarunt: quoniam eorum deſtructa exẽplaria hoſtes veritatis voluiſsẽt. Quare primùm à tempore S. Gregorij poſt aliquot ſęcula videntur iterum lucem aſpexiſſe, & in Latinum ex Græco verti incepiſſe. Quod verò ſpectat ad S. Hieronymi ſilentium de libris Areopagitæ, vnde aliud argumentum ſumpſit Caïetanus, & ante ipſum Eraſmus, aliíque deinceps Hæretici recentiores, facile eſſet reſpondere, primum, quod dici ſolet, argumẽtum ab auctoritate, negatiuè minùs eſſe firmum. Deinde, ſi tẽpore S. Gregorij, qui floruit ſexto ſæculo, hi libri anteà abſconditi lucem aſpexerunt, nõ eſſe mirũ, ſi nihil de illis dixerit S. Hieron. qui vixit ſæculo ſuperiori. Sed malumus afferre ipſius S. Hieronymi propriam reſponſionẽ. quia poſſet aliquis inſtare, cùm aſſumpſerit ſibi Hieron. Catalogum Scriptorũ eccleſiaſticorũ deſcribendũ in ſuo libro de Scriptoribus

ribus eccleſiaſticis, ſeu de Viris illuſtribus; tenebatur etiam Dionyſij Areopagitæ Scriptoris adeò illuſtris facere aliquã mentionẽ. Quare obſeruandũ eſt, quod ipſe in proœmio illius libri proteſtatur Dextro Prætorij Præfecto, à quo, vt Catalogũ huiuſmodi cõſcriberet, fuerat anteà rogatus, ſe in mundi angulo conſtitutũ nequaquã potuiſſe omnes, etiã qui tũc viuebãt, eccleſiaſticos Scriptores recẽſere, nedum alios pridẽ mortuos; quare antiquiores eos tantũ ſe deſcripturũ, quos ab Euſebio inueniſſet deſcriptos. Cũ igitur Euſebius ſcribere de Areopagitæ libris prætermiſerit nihil mirũ eos ſimiliter à S. Hieron. fuiſſe omiſſos. Sed adhuc aliqui vlteriùs poſtulãt, cur Euſebius adeò præclara Dionyſij ſcripta vbique diſſimulauerit, præſertim cũ de ipſa Dionyſij perſona, vt quòd fuerit à S. Paulo Apoſtolo primus Athenienſium Epiſcopus conſtitutus, apertũ reddat teſtimoniũ à nobis anteà productũ. Sed optima reſpõſio eſt, tũ Baronij [d], tũ aliorũ, qui apologias, & vindicias Areopagiticas ſcripſerũt; factũ id ab Euſebio mala fide, eò quòd Ariana hæreſi infectus; imò, vt S. Hieronym. [e] eũ appellat, Princeps, & vexillarius Arianorũ, libros illorũ Auctorũ diſſimulauerit, ex quibus Arianorũ dogmata cõfutari potuiſſent. Libros autẽ S. Dionyſij arma validiſſima ſubminiſtraſſe ad expugnandã impietatẽ Arianã, optimè inter alios obſeruauit antiquus Auctor à nobis anteà relatus, Michaël Syngellius, Presbyter Ieroſolymitanus, in Operibus S. Dionyſij verſatiſſimus. Atque hanc planè fuiſſe rationẽ affectatæ diſſimulationis Euſebij Cæſarienſis, pridem S. Maximus Martyr obſeruauit, qui addit, alios antiquos Theologos, quorũ nulla eſt ab Euſebio facta mẽtio, vt Narciſſi, Hymenei, & aliorũ; quorũ tamen exemplaria vidiſſe illũ, & apud ſe habuiſſe dubitari non poteſt, cùm illius nobiliſſimæ Cæſarienſis Bibliothecæ libris omnibus refertiſſimæ factus ſit hæres, quæ priùs Pamphili Martyris erat, & fuit etiam Origenis. Dubitari ſimiliter non poteſt, celeberrimi inter omnes eo tempore Theologi, & antiquitate venerabilis Theognoſti, tum nomen, tum ſcripta, Euſebium non latuiſſe, de quo S. Athanaſius, qui Euſebij ætate vixit, ita ad Serapionem ſcribit [f]: *Theognoſtus ille admirandus, & perquàm ſtudioſus: huius enim Opera legebã, cùm tuã epiſtolã acciperẽ, tradit nobis*, &c. Sed, quia conſubſtãtialitatis Filij Dei acerrimus fuit propugnator, ideò ab Euſebio de fẽſore Arianorũ fuit callidè prætermiſſus. At non eũ omiſit S. Athanaſius, ſæpè illius adducẽs auctoritates, vt in libro de Synodi Nicænæ decretis cõtra hæreſim Arianã: vbi ſic habet inter cætera: *Diſcite nunc Chriſto rebelles Ariani, Theognoſtum, virum diſertũ, non abhorruiſſe a vocabulo ſubſtantiæ: ſcribẽs enim de Filio Dei in ſecũdo hypotypoſeon, ita locutus eſt*, &c. Tum ponit grauiſſimam magni huius Theologi ſententiam de vna, eadémque Filij Dei cum Patre ſubſtantia. Itaque illa ipſa ratione, qua Euſebio ingratæ fuerunt, vt homini à tramite catholicæ veritatis declinanti, lucubrationes Dionyſij Areopagitæ, etiam Hæreticis noſtri temporis ſunt inuiſæ: niſi quòd Euſebius, quia de vno tantùm falſo dogmate illis libris redarguebatur, ſatis habuit illorum auctoritatem ſilentio, & diſſimulatione obſcurare. At huius temporis Nouatores, quia ſentiunt, in plurimis dogmatibus hunc antiquitatis præclariſſimum teſtem eſſe ipſorum manifeſtiſſimum aduerſarium; plurimis contra illum inſurgunt conuiciis, & varia conquirunt argumenta, quibus inania eſſe illius Auctoris dicta,

d Baron. ann. 109 & in Notis Martyr. die 9 Octob.

e S. Hier. lib. 1. & 2. in Ruffinum.

f S. Ath. de peccato in Spir. S. ad Serap.

dicta,& ſcripta,incautis, vt poſſunt, perſuadeant. Vnde contrà factum eſt, vt, quod plures viri docti obſeruarunt,nullius ferè eccleſiaſtici Scriptoris,poſt ſacros libros, tot teſtimoniis firmata,& probata inueniatur auctoritas, ſicut horum Dionyſij Areopagitæ librorùm. Nam de S. Gregorio iam diximus,illum non dubitaſſe, libros eſſe Dionyſij, vt propterea doctrinam illius valdè ſtudioſè, præſertim de Angelorum natura, officiis, ordinibus, & hierarchiis vbique ſequatur. Huic addere poſſumus tres alios ſummos Pontifices; S. Martinum Papam,& Martyrem,in Concilio Romano; S. Agathonē, in epiſtola ad Imperatorem Conſtantinum IV. & Nicolaūm primum,ſimiliter in quadā epiſtola ad Michaëlem Imperatorem. Prætereà,Conciliū generale ſextum, actione quarta, & generale ſeptimum, actione ſecunda,vbi hæc Opera propria,& genuina S. Dionyſij Areopagitæ aſſeruntur: vt omittamus alios Patres, Doctoréſque plurimos g,quorum aliqui,vt S Maximus, & S. Thomas,eadem præclaris Commentariis illuſtrarunt. Et hæc quidem meritò,atque optimo iure,cùm poſt Apoſtolos Areopagita noſter ſapientia pollere maxima videatur: myſteria enim fidei noſtræ ſublimiſſima, & ſtylo eleuatiſſimo pertractat,vt propterea dixerit de Areopagita Gregorius Nazianzenus, ſcripta ab eo fuiſſe *κάλλιςά τε, καὶ ὑψηλότατα*, hoc eſt, pulcherrima,& ſublimiſſima, de Deo, diuinis attributis, proceſſionibus, perſonis, & arcano totius Auguſtiſſimæ Trinitatis myſterio,in libro,quem de diuinis nominibus habemus inſcriptū. Deinde in libro de cœleſti hierarchia, Angelorum ordines,officia, proprietates explicat tam diſtinctè, tam accuratè,quæ à S. Paulo præceptore ſuo in tertium cœlum rapto ſe didiciſſe profitetur,ac ſi ea omnia à ſeſte oculato accepiſſet. Prætereà in ſuo de eccleſiaſtica Hierarchia libro, totam exponit œconomiam eccleſiaſticam, eius ſupremum Caput Verbum in humana carne,Sacramentorum inſtitutionem,ritus,cæremonias, conſuetudines eccleſiaſticas ab apoſtolicis temporibus vſurpari ſolitas, &, vt ſancta ſanctè tractentur, ſapientiſſimè inſtitutas. Tum in libro de myſtica Theologia,modum tradit,quo diuina perueſtigare, contemplari, &, quę vidērur inintelligibilia, intelligere poſſimus,& concipere debeamus. Atque vtinam alia eius Opera non intercidiſſent,quæ certè ab ipſo edita teſtimonio ipſius tantùm de nomine recognoſcimus: vt eſt liber Hymnorum diuinorum,cuius in capite ſeptimo ſui libri de cœleſti Hierarchia facit mentionem: liber de iuſtitia,& diuino iudicio, quem allegauit in capite quarto libri de diuinis nominibus: liber de intelligibilibus,& ſenſibilibus, cuius meminit in capite primo & ſecundo de eccleſiaſtica Hierarchia: liber de anima, quem commemorat capite quarto de diuinis nominibus: liber theologicarum hypotypoſeon, cuius non vno in loco, ſed quinquies, aut ſexies facit mentionem: liber denique inſcriptus, *Symbolica Theologia*, quem ſimiliter ſex, aut ſeptem in locis diuerſis commemorauit. His addendæ ſunt epiſtolæ plures, quæ ſimili conſcriptæ ſapientia, etiam hodie inter eius Opera leguntur: ex quibus, quando alia deeſſent teſtimonia, ſic poſſemus firmiſſimè argumentari. Si Auctor harum epiſtolarum, & prædictorum librorum noſter Dionyſius non fuiſſet, profectò homo eſſe debuiſſet hypocrita, mendaciſſimus, & impoſtor maximus, quippe qui fingit ſe Pauli Apoſtoli

g *Vide Poſſeuinū in Dion.*

Apoſtoli fuiſſe diſcipulum, Timothei ſub eodem magiſtro condiſcipulum, Elymæ Magi a Paulo cæcitate percuſſi affert obiectiones, tanquam ſibi contemporanei, capite octauo libri de diuinis nominibus, & in eodem libro, capite tertio aſſerit, ſe interfuiſſe cœtui Apoſtolorum, & Fratrum, in funere ſanctiſſimæ Dei Genitricis, eiúſque rei teſtem appellat Timotheum omnium benè conſcium: ſcribit epiſtolam ad Apollophanem, vbi teſtatur, ſe cum illo, Heliopoli dum eſſet, eclipſim Solis tempore mortis Chriſti diligenter obſeruaſſe: ſcribit eadem quoque de re in alia epiſtola ad S. Polycarpum: aliam ſcribit epiſtolam ad S. Ioannem Euãgeliſtã in Pathmo inſula ſub Domitiano Cæſare exulantem, cui ex facta ſibi diuinitùs reuelatione liberationem proximè ſecuturam certò pollicetur, & fuiſſe prophetiam euentus declarauit. Iam his ita ſe habentibus, quiſnam, ſi vel modica hîc vti ratione velit, tantum malum adeò multiplicis & nefariæ impoſturæ, de viro tam profundæ ſapientiæ, tam raræ eruditionis, & exquiſitæ rerum, tum humanarum, tum diuinarum, ſcientiæ, poterit ſibi vnquam perſuadere? Sed ſit ita, admittamus, quod nulla nos ratio ſinit admittere: fuerit hic impoſtor, hypocrita, & ambitioſus, auræ captator popularis: tantò minùs diſſimulare in his libris nomen ſuum debuiſſet, vt interdum aliqui ex humilitatis virtute, ad humanas laudes fugiendas, feciſſe inueniuntur. Nam, cur homo vani honoris adeò cupidus, &, quod negari non poteſt, apprimè doctus, ſuum nomen non prodidit, vt nomen ſibi ſapientiæ, & ſcientiæ non vulgaris apud omnes compararet? Et cur tot fictionibus, & tam putidis inſertis mendaciis in diſputationibus rerum altiſſimarum tantoperè curaſſet, vt non ipſius, ſed Dionyſij Areopagitæ, diſcipuli S. Pauli, eſſe illi libri falsò crederentur? Profectò eſt hoc argumentum in re morali tantæ efficacitatis, vt ab homine, qui ducatur ratione, vix aliud præthereà poſſit deſiderari. Quare non eſt, quòd hîc ampliùs immoremur in aliis vanis aduerſariorum coniecturis, & argumentatiunculis refellendis, & quomodo hic idem Dionyſius Athenienſis Epiſcopus, poſteà etiam in Gallia potuerit Epiſcopus fuiſſe Pariſiorum, ibique illuſtri martyrio ſit affectus, quod alij pleniſſimè oſtenderunt, ne nos nimis longè ab Athenarum ciuitate, vbi Paulum reliquimus, diſcedamus.

CAPVT X.

Inſtituit Hierotheum in Chriſtiana fide: veniunt ad Paulum Timotheus, & Silas, quos in Macedoniam remittit: ipſe Athenis diſcedit versùs Corinthum.

QVanto tempore Athenis manſerit Apoſtolus, ſacra Lucæ Hiſtoria non exprimit, niſi quòd in Synagoga egerit cum Iudæis, in foro cum Stoïcis, & Epicureis; & ſemel in Areopago longiorem habuerit concionem; omnibus autem diebus, aliqua hora, in foro venientibus, & ad eum audiendum conuenientibus. Videntur tamen hi dies non fuiſſe multi: tum, quòd ſoleat Lucas moram longiorem aliquibus verbis indicare, quod hîc non facit: tum, quia vbi diutiùs morabatur Apoſtolus, vix ſine aliqua in ipſum excitata perſecutione pertranſibat. Aliam quoque addit S. Chryſoſtomus rationem [a]: quia, videlicet, Corinthum venire quàm primum

[a] Chryſ. hom. 39. in Acta.

mùm à Deo vrgebatur, vbi ad multa, & agenda, & patienda erat diutiùs permanſurus. *Et merito*(inquit Chryſoſtomus)*Corinthum à Spiritu ducebatur, in qua manere oportebat: Athenienſes enim, quamuis nouæ doctrinæ amatores eſſent; attamen non attendebant: neque enim hoc curabant; ſed vt ſemper haberent noui aliquid, quod fabularentur, ſtudebant. Niſi enim hic mos illorum fuiſſet, non dixiſſent: Nouorum Dæmoniorum annunciator videtur hic eſſe. Sed hæc erant illis admodum obſcura. Sed tamen perſuaſit Dionyſio Areopagitæ, & aliis quibuſdam: nam illi forſan, vt vitæ moderatioris, citiùs acceperunt ſermonē; alij verò non item. Igitur veriſimile viſum eſt, quòd ſeminarium & fundamentum Athenis iecerit.* Ita loquitur Chryſoſtomus potiſſimùm propter Dionyſium, quem iure optimo illius Eccleſiæ fundamentum, & acceptæ à Paulo fidei euangelicæ proſeminatorē, propagatorémque appellabimus. Cùm autem dicant Acta apoſtolica, quoſdam alios Athenis, præter Dionyſium, Paulo adhæſiſſe, & credidiſſe; aliqui dubitant, an vnus ex his fuerit Hierotheus Athenienſis, ſiue Hiſpanus, vt placet Scriptoribus Hiſpanis, vir doctiſſimus, qui cum Dionyſio coniunctiſſimè vixit, & de illo ſæpè ipſe meminit, tum in libro de diuinis nominibus, tum de eccleſiaſtica Hierarchia, tanquàm de viro ſapientia, & ſanctitate conſpicuo. Vnde ſic de illo habetur in Menologio Græcorum, die quarta menſis Octobris: *Natalis S. Patris noſtri Hierothei, qui fuit vnus ex numero Areopagitarum, qui ab Apoſtolo Paulo eſt inſtructus, vnà cum Magno illo Dionyſio; cùmque religioſè vixiſſet, migrauit ad Dominum.* Eodémque die in Romano Martyrologio ſic habetur: *Athenis S. Hierothei, diſcipuli B. Pauli Apoſtoli.* Itaque fuiſſe illum aliquando S. Pauli Apoſtoli diſcipulum, non eſt, cur dubitemus: quod etiam teſtatur ipſe Dionyſius Areopagita in libro de diuinis nominibus, non ſemel: & addit, fuiſſe illum cœleſti ſapientia pleniſſimum[b]; ſcripſiſſe quoque inter alios librum de theologicis elementis tantæ auctoritatis, vt poſt ſcripta apoſtolica proximum ſibi locum vendicaret. Quare multa ſe ab eo didiciſſe, ſuúmque poſt Apoſtolum Paulum Magiſtrum aliquoties eum appellat, hominem adeò contemplationi deditum, vt ſæpè abſorptus in diuinis rebus videretur, & non tam agere, quàm pati diuina: ſic enim de illo Dionyſius ſcribit in capite ſecundo de diuinis nominibus: *Hæc inclytus præceptor noſter, Hierotheus, in theologicis elementis, ſupra naturæ modum mirabiliter celebrauit, quæ ipſe à Theologis ſanctis*(id eſt, Apoſtolis) *accepit: vel artificioſa Literarum ſacrarum indagatione perſpexit: frequenti circa illas exercitatione, ſtudióque diuturno, aut etiam diuiniore quadam inſpiratione percepit, non ſolùm diſcens, ſed etiam patiens diuina*[c]. Et excuſat ſe in capite ſequenti, quòd eaſdem pertractare materias de diuinis rebus ſuſceperit, atque ille tractauit, dicens: *Purgatione forſan nobis eſt opus: cùm enim inclytus præceptor noſter, Hierotheus, theologica elementa mirabiliter profectò collegerit, mirabitur fortaſſe aliquis, cur nos, quaſi minùs ille ſufficiat, & hic & alibi theologica conſcripſerimus. Iam verò ſi ille omnia ordine deinceps diſpoſito digerere voluiſſet, particularibúſque explanationibus vnumquodque totius Theologiæ caput diſpoſuiſſet, nunquam nos eadem bis dicendo ſuperfluè & fruſtra tractare vellemus, atque ita præceptorem, amicumque noſtrum iniuria auderemus afficere, & præclariſſimam intelligentiam, expoſitionémque illius, à quo poſt diuinum Paulum inſtituti ſumus, nobis vſurparemus.* Hæc S. Dionyſius

b Dion. c. 2. & 3. de din. nom.

c Vide S. Thom. 1. p. q. 1. a. 6. ad 3.

nyſius de Hierotheo,ex quibus oritur prima ratio dubitandi,quomodo fieri potuerit, vt, ſi Hierothei diſcipulus fuit S.Dionyſius,eiuſdem fuerit condiſcipulus, ſub amborum magiſtro Paulo Apoſtolo? Aliquis poſſet ita reſpondere: Cùm Dionyſius hoc tẽpore, quo Paulus Athenas venit,annorũ eſſet quadragintaquinque, ſicut ſuperiùs certa computatione ſtatuebamus,Hierotheum iam ſenem fuiſſe prouectioris ætatis: quare mirum nõ eſſe, ſi ad Paulum magiſtrum ambo cõparati diſcipuli, & inter ſe collati condiſcipuli dici potuerunt; nihilominùs tamen Hierotheus ætate grandæuus eximiæ ſapientiæ, qui etiam fortaſſe,antequàm Athenas Paulus veniſſet, Dionyſium ætate minorem ſæcularibus erudierat diſciplinis, Magiſter à Dionyſio benè potuit appellari. Qua in re multùm etiam valere in Dionyſio potuit modeſtia, & humilitas Chriſtiana, vt ei tantoperè deferret,cui comparatus, etiamſi minor eſſet ætate, nihil erat inferior doctrina, & auctoritate. Ex quo alia quoque refelli poteſt falſa nonnullorum coniectura exiſtimantium, propterea non videri Hierotheum vnum ex illis fuiſſe,qui Paulo nunc adhæſerunt, & crediderunt, quia non prætermiſiſſet Lucas de tali tantóque viro, ſicut non omiſit de Dionyſio, facere mentionem. Poteſt enim ita reſpondeti: Non omnes,qui crediderunt, exprimi nominatim à Luca debuiſſe: ſed ſatis fuiſſe, Dionyſium inter viros nominaſſe primarium Senatorem, & Iudicem Areopagi, qui præterea, dum Acta Apoſtolorum ſcriberet S. Lucas, Epiſcopus erat ciuitatis Athenienſis, magni nominis inter fideles, & fama celebris. Ne quid tamen pro veſtigandæ veritate diſſimulemus, fateri oportet, attentè legenti omnia, quæ de Hierotheo in libris S. Dionyſij inueniuntur, aliquã ſuboriri poſſe ſuſpicionẽ, aliquot annis,antequàm Paulus Athenas primũ veniſſet, Hierotheũ fuiſſe vnius veri Dei cultorem, aut etiam Chriſtianis ſacris initiatum, & fortè ante annos nouẽdecim,cum in obitu Chriſti Redemptoris illa vniuerſalis mundo eclipſis contigiſſet,fidẽ Chriſtianam admiſit: ſicut obſeruauit Ioannes Scotus, is, qui iuſſu Caroli Magni Areopagitam primùm è Græco in Latinum vertit; quamuis alia quædam hic Auctor adiungat minimè veriſimilia. Hinc etiam alia ſoluitur difficultas, quam aliqui obiiciunt, præiudicare veritati præſentis Hiſtoriæ ea, quæ leguntur in Menologio Græcorum: ibi enim dicitur Hierotheus vnus fuiſſe de numero nouem Senatorum, quos Areopagi βουλευτὰς appellabant; cùm tamen Iſocrates teſtetur in ſua Areopagitica, numerum Areopagitarum fuiſſe incertum; nouem autem illos fuiſſe Archontas, ex quibus poſteà Areopagitæ Iudices eligebantur [d]. Fieri tamen potuit, vt olim vnus fuerit Hierotheus ex illis nouem, & inde poſtea Iudex electus inter Areopagitas, qui, etiamſi debebant eſſe perpetui;aliqui tamen ſponte,vt ſuprà retulimus, cedebant iuri ſuo, & ab eo Magiſtratu propter priuatas rationes ſe ſubducebant: quod facere Hierotheus potuit, vt ſtudio & contemplationi rerum diuinarum quiete vacaret,ætate confectus, & iam vnius veri Dei cultor, & ex toto, aut ex parte Chriſtianus. Vnde Paulo ad eam vrbem accedẽte, illius ſe perfectæ inſtitutioni ſtatim commiſit;atque ita benè potuit Apoſtoli eſſe diſcipulus Dionyſij condiſcipulus, & quodammodo Magiſter: ideóque nullam de illo,quaſi nõ tunc primùm ad fidem inducto,expreſſam à Luca

d *Plutarch. in Solone.*

à Luca factam eſſe mentionem. Ex his dubium redditur, quod aliqui volunt [e], Hierotheum hunc non ſolùm, vt eſt probabile, Hiſpanum fuiſſe, ſiue vt malunt alij, præfecturam quandam in Hiſpania tenuiſſe; ſed etiam ibi à S. Paulo conuerſum, cùm tamen S. Paulus longo abhinc tempore in Hiſpaniam profectus ſit, vbi quendam alium virum primarium non Hierotheum, ſed Philotheum nomine ad Chriſtum conuerterit; vnde fortaſſis occaſio deceptionis eſt orta: quod, cum de profectione Pauli in Hiſpaniam agemus, narraturi ſumus [f].

e Moral. in Hiſt. Hiſp. Marian. lib. 4. Hiſp. c. 1. Ribad. in vita S. Dionyſ. Gaſpar Sanchez tract. de aduent. S. Pauli in Hiſp. Lucius Dexter in Chrō. an. 48.

f infrà lib. 10. c. 7.

Interim Paulus agens Athenis cū Hierotheo, Dionyſio, & aliis, quos Chriſto lucratus fuerat, vel lucrari voluiſſet, Timotheum, & Silam expectabat, quos Berϙæ, ad Fratrum conſolationem, & ſpirituale auxilium, vt diximus, anteà reliquerat, cùm inde propter inſidias Iudęorum ſtatim diſcedere coactus fuit, & à Fratribus Athenas vſque deductus, hos Berœam remittēs rogauit, vt ſuo nomine Timotheo, & Silæ ſignificarent, Athenas quamprimùm ſe conferrēt. Hoc accepto mandato Silas, & Timotheus, relicta Berœa, veniūt Athenas ad Paulum eos expectantem, illique ſignificant, quantas Iudæi Theſſalonicenſes moleſtias inferrent nouis illis Chriſtianis, tum Berœæ, tum Theſſalonicæ degentibus. Hæc vbi Paulus intellexiſſet, quia, quos ibi tot laboribus & ærumnis Chriſto genuerat filios, tenerrima charitate proſequebatur, cogitabat eò iterum ſe cōferre, nec vlla curare diſcrimina, niſi eius aduentum Satanas diuino permiſſu anteuertiſſet. Scribit hoc ipſe in priori ſua Epiſtola ad Theſſalonicenſes his verbis [g]: *Nos autem, Fratres, deſolati à vobis*, id eſt, diſiuncti, *quaſi patres, & matres filiis ſuis orbati, aſpectu, non corde, abundantiùs feſtinauimus faciem veſtram videre cum multo deſiderio: quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, ſemel, & iterum; ſed impediuit nos Satanas.* Quomodo Apoſtolum Satanas hìc impediuerit, nec ipſe ampliùs explicat, nec aliquid ea de re indicat S. Lucas, nullam prætereà faciens de Timothei, & Silæ aduentu mētionem. Sed tamen, qua ratione permiſſum id à Deo fuerit, S. Baſilius expoſuit, ſic in Regulis breuioribus interrogans [h]: *Nunquid alicuius Sancti propoſitum impedire Satanas poteſt? quoniam ſcriptum eſt: Ego quidem Paulus, & ſemel, & iterum propoſueram venire ad vos, & impediuit nos Satanas.* Tum ſic S. Baſilius reſpondet: *Eorum, quæ à Domino ſunt, rectè factorum alia ſola voluntate ac deliberatione animi efficiuntur; alia, ad hoc vt efficiantur, indigent etiā opera corporis, adhibendis, videlicet, vel ſtudio, vel tolerantia. Et quæcunque quidem ſunt eius generis, quæ in ſola animi voluntate poſita ſunt, hæc nullo modo impedire Satanas poteſt. Quæ verò eiuſmodi, ad quæ conſequenda neceſſaria eſt etiam opera corporis, in his plerunque etiam Deus naſci impedimenta permittit, vel probandi, vel detegendi cauſa illius, qui impediatur. Vt vel ſi à recto propoſito deſtiterit, conuictus qualis ſit, detegatur* [i]: *vt hi, qui ſupra petram fuerant ſeminati, qui ad modicum tempus ſuſceperunt quidem verbum cum gaudio; exorta autem tribulatione ſtatim receſſerunt: vel ſi in recto perſeuerauerit, clarius appareat ſtudium ipſius in rectè factis, vt ipſius Apoſtoli, qui prohibitus, vt ipſe faſſus eſt; tamen eatenus permanere in voluntate non deſtitit* Hæc S. Baſilius. Atque ita prorſus cum Apoſtolo, & cum Theſſalonicenſibus eſt actum: ille enim in propoſito paternæ curæ, ac ſollicitudinis iuuandi Theſſalonicenſes perſtitit: hi verò fortes in aduerſis ſuam multam virtutem

g 1. Theſ. c. 2. v. 17.

h S. Baſ. Reg. 275.

i Matth. c. 13. v. 20. Marci c. 4. v. 16.

virtutem oſtenderunt, quam propterea in eadem Epiſtola ſequentibus verbis commendat Apoſtolus, & quandoquidem ipſe ad illos proficiſci Athenis non poterat, Timo-
k 1.Tim. c.2.v.19. & c.3.v. 2.&c. theum ait ſe mittere [k]: *Quæ eſt enim, inquit, noſtra ſpes, & gaudium, aut corona gloriæ? nónne vos ante Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum eſtis in aduentu eius? vos enim eſtis gloria noſtra, & gaudium. Propter quod non ſuſtinentes ampliùs placuit nobis remanere Athenis ſolis, & miſimus Timotheum fratrem noſtrum, & miniſtrum Dei in Euangelio Chriſti ad confirmandum vos, & exhortandos pro fide veſtra, vt nemo moueatur in tribulationibus iſtis: ipſi enim ſcitis, quòd in hoc poſiti ſumus. Nam & cùm apud vos eſſemus, prædicebam vobis paſſuros nos eſſe tribulationes, ſicut & factum eſt, & ſcitis. Propterea & ego ampliùs non ſuſtinens, miſi ad cognoſcendam fidem, veſtram, ne forte tentauerit vos is, qui tentat; & inanis fiat labor noſter.* Ita Sanctus Paulus, de ſua, quam Athenis manens gerebat, ſollicitudine pro Eccleſia Theſſalonicenſi, ad quam cùm dicat ita ſe Timotheum miſiſſe, vt ſolus ipſe remanſerit Athenis, credere debemus, Silam, qui non pridem cum Timotheo venerat, vel cum eodem Timotheo ad Theſſalonicenſes miſſum, vel quod probabilius videtur, ad alios in Macedonia fideles: vnde infrà narratur vterque ad Paulum ex Macedonia rediiſſe.

Tanta de Theſſalonicenſibus Apoſtoli ſollicitudo, & cura, quantam ex prima eius Epiſtola ad ipſos Theſſalonicenſes agnoſcimus eum geſſiſſe, dum Athenis verſaretur, multos in illam induxit opinionem, vt exiſtimarent, priorem illam Epiſtolam ad Theſſalonicenſes Athenis hoc tempore ab Apoſtolo ſcriptam. Atque ita cenſuit ſanctus Athanaſius in Synopſi, Theodoretus, & Oecumenius in illius Epiſtolæ Commentariis: vnde factum eſt, vt à Græcorum neſcio quo, in eius fine fuerit ita ſubſcriptum: πρὸς θεσσαλονικεῖς πρώτη ἐγράφη ἀπὸ ἀθηνῶν, id eſt, ad Theſſalonicenſes prima ſcripta eſt ab Athenis. Sed hoc verè dici non poſſe conuincitur ex ipſius Sancti Pauli verbis cum alio Sancti Lucæ teſtimonio collatis: ſic enim Apoſtolus ſequentibus verbis ad
Theſſalonicenſes ſcribit [l]: *Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis,* l 1.Theſ. c.3.v.1.
&c. Igitur Timotheus redierat Theſſalonica, quæ ciuitas eſt in Macedonia, ad Paulum, cùm ipſe illam Epiſtolam ad Theſſalonicenſes ſcribebat: at expreſsè dicit ſanctus Lucas, Timotheum vnà cum Sila redeuntem ex Macedonia, Paulum inueniſſe Corinthi, non Athenis, vnde iam versùs Corinthum diſceſſerat. Corinthi ergo ſcriptam eſſe illam Epiſtolam, de qua fusè poſteà erit agendum, multò eſt veroſimilius. Niſi quis fortè ſuſpicaretur, dum hoc tempore Athenis Paulus demoratur, bis Timotheum in Macedoniam miſiſſe, qui primùm rediens, Paulum Athenis inuenerit: at ſecundò rediens, illum repererit Corinthi. Sed eſt hæc prorſus vana ſuſpicio, pro qua nihil ex verbis Lucæ, vel Pauli poteſt afferri; quin potiùs inde refelli, quòd illa ad Theſſalonicenſes Epiſtola in principio, dicitur ſcripta nomine, tum Pauli, tum Timothei: erat igitur cum Paulo Timotheus, non aliò iterum amandatus. Deinde, ſi præſtolari Athenis Paulus debuiſſet Timotheum euntem, & redeuntem, & iterum miſſum in Macedoniam, diutiùs ibi commorari debuiſſet,

cùm tamen non longam Athenis moram eum trahere potuiſſe anteà probauerimus. Athenienſibus ergo relictis, & ſecum adducto fortaſſè Dionyſio, aut potiùs aliquo ex familia ipſius, Paulus Corinthum venit, vbi non breui tempore, ſed menſibus octodecim commoratus eſt: quæ autem ibi egerit, toto ſequenti libro erit exponendum.

LIBER

LIBER SEPTIMVS.

De variis, quæ Paulo contigerunt toto tempore, quo manſit Corinthi, & de duabus eius Epiſtolis ad Theſſalonicenſes ibi ſcriptis.

CAPVT I.

Venit Corinthum: hoſpitatur apud Aquilam Ponticum, & victum ſibi comparat opificio.

EODEM anno ſalutis quinquageſimoſecundo nondum elapſo, Claudij Imperatoris decimo; ætatis verò Pauli primo ſupra quinquageſimum, & ab eius conuerſione decimooctauo, venit Apoſtolus Corinthum: ſolúſne, an aliquibus comitatus, & quibus, incertum eſt nobis: nam Timotheum, & Silá in Macedoniam remiſerat; Lucas, cùm nihil de ſe, nec in modo loquẽdi ſignificet, vt interdum ſolet, etiã ipſe aliò videtur fuiſſe trãſmiſſus. De Dionyſio magis ambigi poſſet, cùm dicat S. Lucas, illum Paulo adhæſiſſe, & Hilduinus, Abbas S. Dionyſij in Hiſtoria, quam iuſſu Imperatoris Ludouici Pij collegerat ex antiquis Scriptoribus, refert, Areopagitam Dionyſium ita Paulo adhæſiſſe, vt per triennium eius comes fuerit inſeparabilis. Non tamen hinc omninò perſuademur: nam etiam de S. Luca dixit S. Hieronymus [a], fuiſſe illum omnium Pauli peregrinationum comitem indiuiduum; & tamen hoc tempore, & alias aliquando cum Paulo non inuenitur: ſed & ipſe S. Lucas, Dionyſium, tantæ auctoritatis virum, comitem itineris ſi Paulus habuiſſet, indicare puto non prætermiſiſſet: neque Paulus ad Aquilæ Pontici officinam diu ibi manſurus, vt ſtatim referemus, diuertiſſet. Quare fieri poteſt, vt inter fideles etiam Dionyſius, & Hierotheus, ad aliquod viæ ſpatium fuerint Apoſtolum comitati; qui tamen ſolus peruenerit Corinthum. Eſt ea ciuitas notiſſima, & celeberrima Achaïæ, ſiue Peloponneſi, quę hodie Morea dicitur, metropolis, & nobile totius Græciæ emporium, in Iſthmo conſtituta, duobus inclyta portubus; quorũ alter, quem Lechæum vocant, Ionio; alter, dictus Schonus, Ægeo imminet mari. Vnde à duplici hoc mari bimaris Corinthus appellatur, & à Græcis, quod idem eſt, amphithalaſſus [b]:

Adriacámque patens latè, bimarémque Corinthum.

Quare ciuitas hæc propter duo tam ingentia maria ex vna parte Aſiam longè, latéque reſpiciens, ex altera

[a] S. Hier. lib. de Script. eccleſ. in Luca.

[b] Ouid. 4. Faſt.

Europam, prope Italiam, & Adriaticum, negotiationibus, & omnis generis mercibus peruia, erat opulentiſſima. Non deerat præterea copioſa Rhetorum, & Philoſophorum multitudo, etiam ex iis, qui inter ſeptem Græciæ ſapientes ſunt numerati. Vt propterea totius Græciæ lumen eam M. Tullius [c] appellauerit, & datus ſit prouerbio locus: *Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.* Sed ad merces longè pretioſiores eam adire ciuitatem Apoſtolo nunc diuinitùs conceſſum eſt, qui, vt illud à Chriſto Domino ſuis Apoſtolis commendatum exequeretur [d]: *In quancunque ciuitatem, aut caſtellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus ſit, & ibi manente.* non curauit ampla diuitum adire palatia. Intellexit, ſiue Deo inſpirante, ſiue aliquo bonorum hominum ſuggerente, quendam ibi eſſe Iudæum, qui à S. Petro Romæ fuerat Eccleſiæ Chriſti adſcriptus, de quo ſic habent Acta apoſtolica [e]: *Et inueniens Paulus quendam Iudæum, nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ex Italia, & Priſcillam vxorem eius, (eò quòd præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Iudæos à Roma,) acceſſit ad eos.* Qua occaſione Imperator Claudius anno ſuperiori Iudæos omnes expulerit ab vrbe Roma, nos fusè expoſuimus circa celebratum Ieroſolymis Concilium anno præcedenti [f], ad quod Antiochia veniente Paulo, Roma Petrus debuit aduenire. Illo igitur eodem tempore vir nomine Aquila, Iudæus genere, & à Ponti regione Ponticus cognominatus, cùm Romæ à S. Petro fidem euangelicam, & Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſet, inde ſimiliter compulſus eſt recedere cum vxore ſua Priſcilla; tum, quia ambo erant profeſſione Chriſtiani; tum, quòd nati eſſent ex Iudæis, quos omnes edictum Cæſaris promiſcuè, ſicut alibi retulimus, comprehendebat.

c *M.Tul. in or. pro Marcel.*
d *Matt. c.10.v.11.*
e *Act c. 18.v.2.*
f *lib.5.c.2.*

Solùm, alia non repetendo, hic obſeruanda eſt optima temporum, & annorũ conuenientia. Vidimus enim anteà [g] ex Ioſepho, Suetonio, & Oroſio, edictum Claudij promulgatum anno eius imperij nono, qui erat annus Chriſti quinquageſimuſprimus. Cùm igitur hîc referat S. Lucas, quo primùm tempore Paulus Corinthum venit, Aquilam Ponticum ibi inueniſſe, qui nuper aduenerat ex Italia, eò quòd Claudius Imperator Iudæos Roma diſcedere coëgiſſet, conſiderata peregrinatione tam longa, & aliqua ſubſecuta mora, facile deducimus, annum, quo Paulus Athenis profectus Corinthum nunc venit, eſſe, quem diximus, Claudij decimum, & humanæ ſalutis quinquageſimumſecundum. Porrò Aquila, cum vxore ſua Priſcilla, ſiue Priſca nominata, qui adeò longa itinera conficienda, per tam remotas regiones ſuſcipiebant; nempe, Roma Corinthum, & poſt aliquot annos iterum Corintho Romam, vt habetur ex Epiſtola ad Romanos [h]: profectò homines eſſe non poterant, quamuis opifices, fortunæ tenuioris, quorum variis in locis expertus hoſpitalitatẽ ſæpè illos in ſuis Epiſtolis Apoſtolus commendat. Itaque in Epiſtola ad Corinthios priore, ſic ait [i]: *Salutant vos in Domino multùm Aquila, & Priſcilla, cum domeſtica ſua Eccleſia, apud quos & hoſpitor.* Et ad Romanos [k]: *Salutate*, inquit, *Priſcam, & Aquilam, adiutores meos in Chriſto* IESV, *(qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerũt: quibus nõ ſolùm ego gratias ago, ſed & cunctæ Eccleſiæ Gentium,) & domeſticã Eccleſiam eorum.* Circa quæ verba, quoniam inſignem harũ duarum perſonarum continent laudationem, S. Ioannes Chryſoſt. [l] integram habuit

g *ibid. lib.5.c.2.*
h *Rom.c. vlt.v.3.*
i *1.Cor.c. 16.v.19.*
k *Rom.c. 16.v.3.*
l *Chryſ. tom. 4. poſt homilias Epiſt. ad Rom.*

habuit homiliam: vbi, quod verba indicant apoſtolica, ex tribus capitibus extollit horum Pauli hoſpitum virtutes, & eximiam probitatem. Primùm ex eo, quòd, etiamſi non eſſent genere nobiles, nihilominùs adeò erãt in Chriſti ſeruos munifici ac liberales. *Priſcilla* (inquit Chryſoſtomus) *& Aquila, opifices pelliones, pauperem & honeſtam agentes vitam, præ omnibus beati prædicantur: & cùm alij dignitatibus & potentia inflati prætereantur, pellio ille vnà cum vxore toto orbe decantatur.* Deinde non de vno tantùm Paulo ſic erant benè meriti; ſed de aliis multis, quos ſuis eleemoſynis, adhortationibus, & exẽplis iuuabant in Eccleſia Chriſtianam propterea ſubdit Apoſtolus [m]: *Quibus non ego ſolùm gratias ago, ſed & cunctæ Eccleſiæ Gentium.* & vocat illos adiutores ſuos in Chriſto IESV. Præterea, quia etiam cum periculo propriæ vitæ, Apoſtoli vitam, & incolumitatem tutati ſunt: ideò ſubdit Apoſtolus: *Qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt.* indicat autem his verbis, excitatam contra ſe Corinthi grauem perſecutionem, quam poſteà ſuo loco referemus, ex qua diuina primùm prouidentia liberatus eſt: deinde etiam auxilio bonorum virorum, & fidelium Chriſtianorum, quorum hi erant præcipui, nempe, antiquiores, & in quorum domo Corinthi iam diu hoſpitabatur. Quare inquit Chryſoſtomus [n], *Si Aquila, & Priſcilla tatùm id vnum egiſſent, ingẽti laude digni erant. Qui enim Ducem exercitus ſaluum fecit, & milites ſaluos fecit: qui Medicum liberauit periculis, & laborantes morbis ad ſanitatem reduxit: qui gubernatorem fluctibus eripuit, nauem totam ex vndis liberauit: ſic igitur qui Magiſtrum Orbis ſaluarunt, & pro eo, illiúſque ſalute ſanguinem ſuum fuderunt, Orbis quoque totius fuerunt benefactores.* Hucvſque Chryſoſtomus, indicans Aquilam, & Priſcillam ad ſeruãdum Paulum, martyrium ſubiiſſe, aut aliquid martyrio ſimile paſſos eſſe: de quo tamen aliud nobis non conſtat, niſi quòd ambo ſanctè vſque ad extremum, vitam ſuam traduxerunt, & inter Sanctos in Romano Martyrologio die octaua Iulij ſic poſiti leguntur: *In Aſia minori Sanctorum Aquilæ, & Priſcillæ vxoris eius, de quibus in Actibus Apoſtolorum ſcribitur.* Neque ſolùm ob ſingularem horum duorum pietatem libenter elegit Apoſtolus apud ipſos habere contubernium; verùm etiam propter eorum domeſticos, qui omnes erant fide Chriſtiana fortè adhuc à S. Petro Romæ inſtituti, & baptizati: vnde non pridem pater, matérque familiâs redierunt. Ideò tam in Epiſtola ad Romanos, quàm ad Corinthios Paulus Apoſtolus Aquilæ, & Priſcillæ familiam, Eccleſiam domeſticam appellauit [o]: *Salutate* (inquit ad Romanos) *Priſcam, & Aquilam, & domeſticam Eccleſiam eorum.* Et ad Corinthios: *Salutant vos in Domino multùm Aquila, & Priſcilla, cum domeſtica ſua Eccleſia.*

Ad hanc itaque ſanctam familiam, tanquam ad priuatam Eccleſiã, acceſſit Apoſtolus; non eo tamen conſilio, quaſi ſuſtentari alienis opibus, aut laboribus cogitaret: quamuis admittere, quæ ad vitam erant neceſſaria, optimo ſuo iure tantus Euangelij operarius vtique potuiſſet: ſed, quod ſumma dignum eſt admiratione, ac ſi famulus, cum aliis eiuſdem officinæ laboratoribus victũ illo ipſo opificio ſuis manibus ſibi acquiſitutus: ſic enim refert S. Lucas [p]: *Et quia eiuſdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur: erat autem ſcenofactoriæ artis.* Quæ verba explicans in

m Rom. 16.v.3.

n Chryſoſt hom. poſt Ep. ad Rom.

o Rom. 16.v.1. & 1. Cor. 16.v.19.

p Act. 18.v.3.

ſuo Commẽtario Caietanus ſic ait[q]: *Græca dictione vſus eſt noſter Interpres, & ſignificatur ars faciendi tabernacula, quæ ex lino, vel lana, vel etiam ſerico fuit.* At fallitur, tum circa vocabulum artis Caietanus, tum circa ipſam artem: nam ſcenofactoria non eſt vox prorſus Græca; ſed partim Latina, & partim Græca, in vnum vocabulum aptè compoſita: vox enim Græca ex toto retenta, ſcenopœia, obſcura fuiſſet, & ex toto Latinè reddita, nempe, tabernaculofactoria, nimis dura: præſertim, quia neque Lucas artem illam dixit, ſcenopœiã, ſed σκηνοποιοὶ, hoc eſt, tabernaculorum effectores erant illi, & Syrus Interpres vertit: *Erant opifices ſcenopœorum.* Sed quod addidit Caietanus, tẽtoria fuiſſe ex lino, lana, vel ſerico, minùs eſt veriſimile; & multò adhuc minùs, quod cenſuit Eraſmus, aulæa fuiſſe pictutata. Neque enim Græcæ vocis ea eſt propria ſignificatio, neque huiuſmodi parandis deliciis operam ſuam Paulum collocaſſe credendum eſt. Erant itaque tabernacula ex pellibus inuicem conſutis, ſiue tentoria, quibus milites in caſtris vterentur, quæ interdum ſimplici pellium nomine ſignificãtur. Vnde ait Tacitus[r]: *Retentus eſt omnis exercitus ſub pellibus.* Sed in ſacris Literis non rarò pellium nomine tentoria militum, ipſique milites ibi degentes ſignificantur: vt in Cantico Habacuc[s]: *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Quare Chryſoſtomus, vt ſuprà referebamus, Aquilam, & Priſcillam opifices pelliones appellauit: & de S. Paulo ſic ait[t]: *Tabernaculorum texendorum hic artifex non modò Siciliam, atque Italiam, verùm vniuerſum terrarum Orbem verbum Dei prædicans, peragrauit, cum interim artem non intermitteret; ſed vel tunc quoque pelles conſueret, ſuæq́; officinæ præeſſet; neque enim eæ res Patricios, aut Magnates offendebat: idque iure optimo; non enim artes, aut ſtudia, ſed conficta dogmata deſpicabiles reddere ſolent præceptores.* Præclare quoque Origenes[u], Paulum appellans fabrum pellium, & opificem tabernaculorum, comparat illũ Petro piſcatori, & myſteria in amborũ arte conſiderans, ſic ait: *Sicut ex piſcatione piſcium Petrus piſcator factus eſt hominum: ita & iſte à faciendis tabernaculis terrenis ad cœleſtia conſtruenda tabernacula tranſlatus eſt.* Quod poſteà verſibus eleganter expreſſit Arator, dicens[x]:

Myſtica ſigna Duces præmittunt laudibus artis:
Piſces Petrus agens homines capit: æquoris hoſtes
In ſacris perſiſtit aquis. Habitacula Paulus
Dum terrena leuat, docet vt cœleſtia condat,
Factáque ſæpè manu, nunc conſtruit atria verbo.

Qua verò Paulus ratione, vir genere nobilis, legis Doctor, profeſſione olim Phariſæus, id eſt, primarius inter Iudæos, & Romana inſuper ciuitate donatus, artem illiberalem didicerit, & exercuerit, etiã antequàm Chriſtianam animi ſubmiſſionem, & apoſtolicam paupertatem profiteretur, fusè diximus libro primo[y], agentes de Pauli genere, ac nobilitate. Solùm hic addimus, adeò fuiſſe conſuetum Iudæis, etiã nobilibus, qui ſacras Literas profiterentur, aliquam ſimul perdiſcere mechanicam artem, eámque certis temporibus exercere, vt lege eis præſcriptum haberetur, ſicut tradunt antiquiſſimi, & magni nominis Rabbini, & inter alios Schemaïa, & Abtalion; atque huiuſmodi legem ſolitam recitari in prima lectione primæ hebdomadis Azymorum.

[q] *Caiet. in c. 18. Act.*
[r] *Tacit. lib. 13.*
[s] *Habac. c. 3. v. 7.*
[t] *Chryſ. hom. 2. in Ep. ad Rom.*
[u] *Orig. hom. 17. in Num.*
[x] *Arator lib. 2. in Acta.*
[y] *lib. 1. cap. 3.*

rum.

rum. Rabbi quoque Gamaliel, qui ab aliquibus cenſetur eſſe ille Gamaliel, Pauli olim adoleſcentis magiſter, in doctrina Fratrum, quæ inſcribitur, *Haod Gamaliel*, multùm commendat, vt ſacrarum Litterarum ſtudioſi opus aliquod manuale nouerint, & exerceant: & qui hoc facere prætermitterent, aiebant, ad peccandum ſolere eſſe procliuiores; ac proptereà nobiles & antiquos Magiſtros, Rabbi Ioanna ſutoriam, Rabbi Iuda piſtoriam artem exercuiſſe, & alios ſimiliter. Scripſit de hoc argumento rogatus integrum librum Sanctus Auguſtinus, cui titulum fecit: *De opere Monachorum* [z]. vbi otioſos quoſdam ac deſides Monachos reprehendit, quòd verbis illis Chriſti in Euangelio [a], ad ſuam pigritiam defendendam, abuterentur: *Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis; & corpori, quid induamini: reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea.* Et primùm valdè ridet eorum inſipientiam: ſiquidem ita Euangelij verba intelligentes, nihil debent in horreis congregare: ſed quotidie in agros, tanquam ad paſtum, pergere, vt, quo tempore inuenerint fructus terræ, carpant; ſopita verò fame ad Monaſteria reuertātur. *Sed planè* (inquit[b]) *propter agrorum cuſtodes, quàm bonum eſſet; ſi etiam pennas eis Dominus largiri dignaretur, vt ſerui Dei in alienis aruis inuenti, non tanquam fures comprehenderentur, ſed tanquam ſturni fugarentur.* Deinde illos exemplo Pauli Apoſtoli redarguit [c], qui Corinthum veniens apud Aquilam Ponticum elegit commorari, vt artem conficiendi tabernacula exerceret. Addit exemplum familiæ Chriſti, in qua ars fabrilis exercebatur; & in tot Familiis Religioſorum viros inueniri nobiliſſimos, etiam ordinis ſenatorij, quos nec pudeat, nec tædeat manibus laborare: quantò igitur minus id eos refugere debere, qui tale aliquid in ſæculo factitaſſent? *Neque enim* (inquit) *propterea in militia Chriſtiana ad pietatem diuites humiliantur, vt pauperes ad ſuperbiam extollantur: nullo enim modo decet, vt in ea vita, vbi fiunt Senatores laborioſi, ibi fiant opifices otioſi; & quò veniunt, relictis deliciis ſuis, qui fuerant prædiorum domini, ibi ſint ruſtici delicati.* Hæc S. Auguſtinus: ex quibus tamen nihil eſt, quòd ſumunt Caluinus [d], & alij Nouatores occaſionem, eos Religioſos inique calumniandi, qui ſpiritualibus exercitationibus, & auxiliis proximorum valdè occupati, manualia interdum opera non exercent. Nam, proptereà tales excipit S. Auguſtinus [e], etiam ipſius Pauli Apoſtoli exemplo, atque doctrina, qui, dum eſſet Athenis, vbi debebat quotidie in foro concionari, ſicut ex Actis apoſtolicis anteà retulimus, non legitur ibi vnquam opera manualia exercuiſſe; quod tamen facere voluit Corinthi, vbi diutiùs manens, plùs otij potuit ſibi nanciſci: vnde neque id ſemper feciſſe narratur, dum Corinthi moraretur; ſed pro tempore, quod à multis, & magnis ſuis occupationibus decerpſiſſet.

Huius autē ſanctiſſimi ſui inſtituti tres affert idem Apoſtolus præcipuas rationes. Prima fuit propter Gentiles, qui, cū ſuos alere ſacrificulos nō ſolerēt, facilè in ſuſpicionē venire potuiſſent, Paulum vagari per mundum, vt Euangelium pro ſuo lucro venditaret: præſertim verò Corinthi, vbi fere omnis generis rerum mercatura, & nundinatio exercebatur. Declarauit hoc totum ipſe Apoſtolus poſteà ſcribens ad Corinthios, ſe quidem potuiſſe iure ſuo, ſicut alij Apoſtoli, viuere temporalibus ſumpti

z S. Aug. tom. 3. lib. de opere Monach.

a Matth. cap. 6. v. 25.

b Aug. lib. de opere Monach. cap. 23.

c ibid. c. 19. & 25.

d Caluin. lib. 4. Inſt. cap. 10.

e S. Aug. lib. de opere Monach. per plura capita.

ſumptibus eorum, quibus ſpiritualia miniſtrabat: ſed,ne vllos quidquam
f 1.Cor.c.9.v.7.11.12.18. offenderet,noluiſſe: *Nam* (inquit[f]) *quis militat ſuis ſtipendiis vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem,& de lacte gregis non manducat? Et ſi nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt,ſi carnalia veſtra metamus? Sed non vſi ſumus hac poteſtate; ſed omnia ſuſtinemus,ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti. Quæ eſt ergo merces mea? Vt Euangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Euangelium; vt non abutar poteſtate mea in Euangelio. Nam,cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruũ feci,vt omnes lucrifacerem.* Hęc & alia in eandem ſententiam ibi S. Paulus, qui maximè cenſuit id cauendum ex parte Gentilium, quibus noua potuiſſet apparere talis ratio viuendi ſumptibus & mercede aliena ex prędicatione Euangelij.Quamuis enim, tum ex antiqua, tum ex noua diuina
g Deuter.c.18.v.1. Matth.c.10.v.10. lege habeatur[g], vt qui altari deſeruiunt,eis liceat viuere de altari:tamẽ Gentiles antiquo iure Romanorum, & lege Titia prohibebantur, ne vel ob cauſam orandam, pecuniam, aut aliud donum acceptarent, vt Cornelius Tacitus libro vndecimo Annalium adnotauit: multò igitur minùs ob Euangelij prædicationem id exigere licitum videri potuiſſet, præſertim Iudæis,qui propterea non pridem à Tiberio Imperatore infamati, tanquam de graui crimine,omnes ab vrbe fuerant eiecti,quòd Fuluiam,feminam primariam, ſpecie quadam pietatis induxiſſent,purpuram,& aurum offerre pro cultu templi Ieroſolymitani,cùm interim ea donaria Iudæi ad vſus proprios conuertiſſent,vt
h Ioſeph. lib.18. Antiq. cap.5. habet Ioſephus[h] in libro Antiquitatum decimooctauo.

Accedebat ſecunda ratio, vnde Apoſtolus victum ſibi propriis manibus acquirere hoc tempore ſuadebatur: ne,videlicet, quidam Pſeudoapoſtoli aduersùs Chriſti Apoſtolum gloriarentur, ſe nihil prorsùs à ſuis auditoribus accipere: quod ipſi aſtutè & inſidiosè faciebant, vt faciliùs incautos deciperent, quaſi de illorum tantùm ſpirituali emolumento ſolliciti. Significauit etiam id Apoſtolus ad Corinthios ita ſcribens[i]: *Quoniam gratis Euangelium Dei euangelizaui vobis,numquid peccatum feci meipſum humilians, vt exaltemini? Alias Eccleſias expoliaui, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum. Et cùm eſſem apud vos, & egerem,nulli oneroſus fui: nam,quod mihi deerat,ſuppleuerunt Fratres, qui venerunt ex Macedonia: & in omnibus ſine onere me vobis ſeruaui, & ſeruabo. Eſt veritas Chriſti in me, quoniam hæc gloria non infringetur in me in regionibus Achaiæ. Quare? quia non diligo vos? Deus ſcit. Quod autem facio, & faciam,vt amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem, vt in quo gloriãtur,inueniantur, ſicut & nos. Nam eiuſmodi Pſeudoapoſtoli, ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.* i 2.Cor. c.11.v. 7.& 8.

Tertia ratio,quæ ad idem Apoſtolum inducebat, erat, vt exemplum præberet diligentiæ,laboris,& induſtriæ,etiam corporalis, tum ethnicis, tum Iudæis,inter quos non pauci inueniebantur, qui, licèt ad Chriſtianam religionem acceſſiſſent;otio tamen dediti nulla vtili occupatione dies traducebant. Hanc ipſe rationẽ attulit ita ſcribens ad Theſſalonicenſes[k]: *Denunciamus autem vobis,Fratres,vt ſubtrahatis vos ab omni Fratre ambulante inordinatè,& non ſecundùm traditionem, quam acceperunt à nobis. Ipſi enim ſcitis, quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos: neque gratis panem manduca-* k 2.Theſſ. c.3.v.6. & 7.

manducauimus ab aliquo; ſed in labore, & fatigatione, nocte, ac die operantes, ne quem veſtrûm grauaremus, non quaſi habuerimus poteſtatem; ſed, vt noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cùm eſſemus apud vos, hoc denunciabamus vobis. Audiuimus enim, inter vos quoſdam ambulare inquietè, nihil operantes. Iis autem, qui huiuſmodi ſunt, denunciamus, & obſecramus in Domino IESV *Chriſto, vt cum ſilentio operantes ſuum panem manducent.* Hæc omnia, & plura Sanctus Paulus, reddens perfectiſſimi inſtituti ſui, & ſynceriſſimæ intentionis multiplicem rationem: vnde fiebat, vt, quoniam non ſemper, nec vbique, neque totum ſibi ad vitam ſuſtentandam neceſſarium huiuſmodi laboribus poterat comparare, mallet ab aliis remotioribus Eccleſiis, quibus non euangelizabat, eleemoſynas poſtulare, quàm ab ea, cui tunc ſacra miniſtrabat, etiam vltrò oblatas accipere: imò potiùs, ſi quid ſupra neceſſitatem propriam lucrari potuiſſet, eis liberaliſſima charitate impertiri. Significauit hoc ipſe, cum lacrymis, Eccleſiæ Epheſinæ, dicens [l]: *Ipſi ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ. Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos. Infirmorum igitur periculis* (inquit ſanctus Auguſtinus [m]) *ne falſis ſuſpicionibus agitati odiſſent quaſi venale Euangelium, tanquam paternis, maternîſque viſceribus tremefactus hoc fecit.* Sed iam ad alia, quæ Corinthi egit Apoſtolus tranſeamus.

l Act. c. 20. v. 34.

m S. Auguſt. lib. de opere Monach. c. 12.

***

CAPVT II.

Iudæis, & Gentilibus ſæpè concionatur: veniunt ad ipſum ex Macedonia Timotheus, & Silas: Iudæis autem obſtinatè reſiſtentibus, dat ſe totum Gentium conuerſioni.

NOn ita Paulus arti conſtruendorum tabernaculorum incumbebat, vt quod longè maioris erat momenti, & multò altioris emolumenti, de lucro animarum vllatenus obliuiſceretur. Nam, vt ipſe ad Timotheum poſteà ſcripſit [a]: *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt: pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Itaque, dum Corinthi in domo Aquilæ verſaretur Apoſtolus: *Diſputabat* (inquit Lucas [b]) *in Synagogis per omne Sabbatum, interponens nomen Domini* IESV, *ſuadebátque Iudæis, & Græcis.* Erat Corinthi Synagoga aliqua Iudæorum, ſicut Athenis, Berœæ, & Theſſalonicæ; non autem Philippis, vt viſum eſt anteà: quare opportunitati loci adiungens Paulus opportunitatem temporis, Sabbatum, videlicet, quo die ibi conuentus fieri per hebdomadam conſueuerat, Iudæis, & Græcis, ſiue Gentilibus verba de rebus diuinis faciebat. Nam, quamuis eſſet Synagoga, locus proprius conuentibus Iudæorum; tamen Gentibus quoque pietatem aliquam præſeferentibus, vt alias obſeruauimus, eò patebat acceſſus; ſiue, quòd proſelyti iam eſſent; ſiue, vt illud inſtitutum ſuſcipere qui vellent, auditis ibi Prophetarum, & diuinæ legis expoſitionibus, inuitarentur. Quapropter inuenti etiam ſunt aliquando nonnulli ex ditioribus Gentilibus, qui ſpreta idolorum vanitate

a 1. Tim. c. 4. v. 8.

b Act. c. 18. v. 4.

adeò erga vnius Dei cultum, qui potiſſimum vigebat apud Iudæos, afficiebantur, vt etiam ſumptus darent pro Synagogis ædificãdis. Ita de Centurione refert S. Lucas[c], cuius famulum Chriſtus Dominus à graui morbo curauit, Iudæis pro illo ſupplicantibus, & dicentibus: *Quia dignus eſt, vt hoc illi præſtes: diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ipſe ædificauit nobis.* Fieri tamen poteſt, vt Paulus Gentibus, etiam extra Synagogam alibi, vel in priuatis eorum ædibus, de diuinis rebus verba faceret; tum, quia multa erant cum illis diſcutienda, quæ ſine lite, aut controuerſiis certa, rataque inter Iudæos habebantur, vt de idolorum vanitate, & veri Dei vnitate; tum, quia, etiamſi nihil hoc loco S. Lucas ampliùs expoſuerit, hanc Pauli fuiſſe conſuetudinem, inferiùs tamen id oſtendit ex ipſius Apoſtoli teſtimonio, qui à Mileto cùm eſſet diſceſſurus, extrema verba congregatæ circa ipſum Eccleſiæ faciens[d]: *Vos* (inquit) *ſcitis à prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſeruiens Domino cum humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidiis Iudæorum: quomodo nihil ſubtraxerim vtilium, quominus annunciarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos, teſtificans Iudæis, atque Gẽtibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum.* Hìc autem ſolum expoſuit S. Lucas, Paulum in Synagogi per omne Sabbatum diſputaſſe, & nomen Domini IESV interpoſuiſſe: imò, quod in vulgata interpretatione legimus, interpoſuiſſe ſuis concionibus nomen Domini IESV, non habetur in Græcis codicibus, nec in interpretatione Syriaca: vnde inſertum poſteà Latino textui aliqui ſuſpicantur. Nihil tamen propterea dubitare debemus, id fuiſſe præcipuum, quod in ſuis, tum publicis, tum priuatis ſermonibus, tum apud Iudæos, tum apud Gentiles identidem Apoſtolus inculcabat; nimirum, de vera Chriſti IESV, tum diuinitate, tum humanitate, paſſione, morte, reſurrectione, & in cœlum aſcenſione, Eccleſiæ inſtitutione, & per nouam euangelicam legem ſapientiſſima gubernatione.

c *Luca c.7.v.2.*

d *Act. c. 20.v.18. 19.20.*

Hæc dum à Paulo geruntur Corinthi, ex Macedonia Timotheus, & Silas adueniunt: *Cùm veniſſent autem,* (inquit S. Lucas[e]) *de Macedonia Silas, & Timotheus, inſtabat verbo Paulus, teſtificans Iudæis eſſe Chriſtum* IESVM. Relicti fuerant hi duo Berœæ[f], ea conditione, vt Athenas quàm primùm ſe conferrent: ſed, cùm Paulus Athenis tam diu moratus non eſſet, quãtum fortè anteà in animo habuiſſet; illum non iam Athenis expectantem, ſed inde profectum, & Corinthi manentem repererunt. Fieri etiam poteſt, vt Athenis ad illos ſcripſerit, ne ad ſe venirent Athenas; ſed rectà Corinthum, quò propediẽ erat iturus, progrederentur; & Timotheo videtur ſingulariter mandaſſe, vt iret Theſſalonicam: hoc enim ipſe indicat in Epiſtola, quam Corintho ad Theſſalonicenſes dedit, his verbis[g]: *Propter quod non ſuſtinentes ampliùs, placuit nobis remanentibus Athenis, ſolis; & miſimus Timotheum fratrẽ noſtrum, & miniſtrum Dei in Euangelio Chriſti ad confirmandum vos.* Potuit quoque iuſtiſſima illa cauſa interueniſſe, qua factum ſit, vt Athenis Paulum, ſicut condixerant Silas, & Timotheus, reperire non potuerint; quia ſegetem prædicationis vberiorem, quàm ipſi ſperauerant, inuenerunt in Macedonia; ideò protractam tali animarum bono moram tempore aliquantulùm longiori, Apoſtolo minimè futuram ingratam

e *Act. c. 18.v.5.*

f *ibid. c. 17 v.14. 15.*

g *1.Theſ. c.3.v.1.*

ingratam ſapienti conſilio iudicauerunt. Cùm itaque negotiis per Macedoniam expeditis Timotheus, & Silas Corinthum perueniſſent, quid toto illo tempore geſtum fauore cœleſtis gratiæ fuiſſet, Paulo expoſuerunt, addentes etiam aliquas ſe attuliſſe piorum eleemoſynas, vnde ipſorũ, & Pauli egeſtas releuaretur. Significaſſe id Apoſtolus videtur, vbi poſteà ſic ad Corinthios ſcripſit [h]: *Cùm eſſem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui: nam, quod mihi deerat, ſuppleuerunt Fratres, qui venerunt ex Macedonia: & in omnibus ſine onere me vobis ſeruaui, & ſeruabo.* A quibus autem Macedoniæ fidelibus potiſſimùm, tales oblatæ fuerint eleemoſynæ, ſi velimus vlteriùs perſequi coniecturas, dicere poſſumus, miſſas videri à Philippenſibus: hi enim fuerunt omniũ Macedoniæ ciuitatum erga Paulum liberaliſſimi, & eius ſtudioſiſſimi, adcò vt poſt aliquot annos, cùm Romæ Apoſtolus in vinculis à Nerone detineretur, illuc vſque eleemoſynas, quibus ſuſtentari poſſet, per propriũ Philippenſis ciuitatis Epiſcopum trãſmiſerint: quo redeunte ſcripſit Apoſtolus Epiſtolam ad Philippenſes, maximas gratias pro tãta charitate illis agens, & inter alia ſic ait [i]: *Scitis autem & vos, Philippenſes, quòd in principio Euangelij, quando profectus ſum à Macedonia, nulla mihi Eccleſia communicauit in ratione dati, & accepti, niſi vos ſoli: quia & Theſſalonicam ſemel, & bis in vſum mihi miſiſtis.* Quòd ſi Timotheum, & Silam, miſſos à Paulo, dum eſſet Athenis, vltra Theſſalonicam, non legimus; tamen hoc eſt, quod anteà ſignificauimus, fortaſſe ad Philippẽſes Lucam fuiſſe delegatum, cùm ab aliquo tempore in comitatu Pauli ipſe non inueniatur; quando primùm Philippis Apoſtolus fuit, ibíque fidelium fundauit Eccleſiam, Lucam habuit comitem, & operis adiutorem, qui proinde notus, & charus eſſe debuit Philippenſibus: quos mirum eſſet, ſi Timotheo, & Sila per alias Macedoniæ ciuitates pro bono Eccleſiarum miſſis, à Paulo Lucam pro aliquo tempore non poſtulaſſent, aut poſtulatum non obtinuiſſent. Verùm, vtcunque res iſta ſe habuerit, Paulus Corinthi aduentu Silæ, & Timothei releuatus, & plurimùm recreatus, cùm neque pro quotidiano victu ſibi comparando, manibus laborare tantoperè cogeretur, *inſtabat verbo* (inquit S. Lucas [k]) *teſtificans Iudæis eſſe Chriſtum* IESVM. *Hoc eſt*, inquit Chryſoſtomus [l], *coarctabatur ſpiritu Paulus, teſtificans Iudæis, quòd* IESVS *eſſet Chriſtus: vrgebant enim illum, & illi moleſti erant.* Et quidem Græcè ſic habetur, συνείχετο τῷ πνεύματι ὁ Παῦλος, id eſt, *coarctabatur ſpiritu Paulus.* ſiue, conſtringebatur; quod Syrus Interpres reddit, *Constrictus erat in ſermone Paulus, quoniam inſurgentes erant in eum Iudæi.* & conſentit cum allata ſuperiùs Chryſoſtomi expoſitione. Hoc tamen alij non improbabiliter ad ſenſum intellexẽre contrarium, quaſi dicere S. Lucas voluiſſet, Paulum ex aduentu Silæ, & Timothei, ſenſiſſe ſibi additum animũ fuiſſe, & voluntatem maiora aggrediendi, ac diutiùs Corinthi perſiſtendi: vnde alioquin maturiùs diſcedere fortaſſis cogitauerat. Nam, quamuis apertã reuelationẽ, vt Corinthi adhuc ſubſiſteret, à Deo poſteà obtinuerit, vt infra refertur; tamen inſtinctu quodam occultiori potuit interim detineri, & ad promptiùs, ac liberiùs cõcionandum à S. Spiritu peturgeri: quod ſignificatum eo Græcè loquendi modo à S. Luca, putauit Caietanus, ne quis excitatam inde perſecutionem intempeſtiuo Apoſtoli zelo exiſtimet eſſe

h 1. Cor. c. 11. v. 9.

i Philip. c. 4. v. 15.

k Act. c. 18. v. 5.

l homil. 39. in Acta.

tribuendam. Quæ quidem omnia, vt vera eſſe potuerunt; ita cùm ſint ambigua, & incerta, per certum effectum ab Interprete noſtro vulgato ſunt explicata, vbi dixit [m]: *Cùm veniſſet autem de Macedonia Silas, & Timotheus, inſtabat verbo Paulus.* nimirum, non diebus tantùm Sabbati, vt anteà; ſed ſingulis propè diebus, & quidem ardentiùs, ac ſermone protractiori. In eo autem maximè inſiſtebat agendo cum Iudæis, vt firmiſſimè demonſtraret Chriſtum eſſe IESVM, id eſt, mundi Saluatorem, & promiſſũ à Deo per Prophetas Meſſiam, verum hominem, qui pati & mori potuit; & verũ Deum, qui propria ſua virtute à morte, & ab Inferis victor ſurrexit, & in cœlum triumphator aſcendit. *Contradicentibus autem Iudæis* (inquit S. Lucas [n]) *& blaſphemantibus, excutiens veſtimenta ſua Paulus, dixit ad eos: Sanguis veſter ſuper caput veſtrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam.* Contra quem verò à maledicis Iudæis huiuſmodi blaſphemiæ potiſſimùm iactarentur, in ſacra Hiſtoria non exprimitur: non temerè tamen credi poteſt, tum contra Paulum, tum contra Chriſtum Dominũ fuiſſe intortas. Nam, quamuis verum ſit illud, quod in libro ſecundo de moribus Manichæorum, ait S. Auguſtinus [o]: *Iam vulgò blaſphemia non accipitur, niſi mala verba de Deo dicere: de omnibus nanque dubitari poteſt; Deus autem ſine controuerſia bonus eſt.* tamen etiam Paulum ſæpè ſuſtinuiſſe blaſphemias, ipſe de ſe teſtatur, ſic ad Corinthios ſcribens [p]: *Blaſphemamur, & obſecramus.* & iterum infrà [q]: *Quid blaſphemor pro eo, quòd gratias ago?* Tantam igitur Iudæorum peruerſitatem & obſtinationem Paulus contra ſe, & contra Chriſtum blaſphemantium, non ſine horrore animaduertens, vt aliquis etiam illis, ſi fieri poſſet, incuteretur timor [r], excutiens veſtimenta ſua dixit ad eos: *Sanguis veſter ſuper caput veſtrum.* Vt ea cæremonia, contra huiuſmodi peruicaces apud Iudæos vſitata, ſignificaret, totam eorum eſſe culpam, & ſupplicium propediem ſecuturum, iuxta illud à Dauide in primo Pſalmo denunciatum [s]: *Non ſic impij, non ſic: ſed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ* [t]. *Inſuper excuſſi ſinum meum*, ait Eſdras pro ſimili imprecatione, *& dixi: Sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleuerit verbum iſtud, de domo ſua, & de laboribus ſuis: ſic excutiatur, & vacuus fiat. Et dixit vniuerſa multitudo: Amen.* Quapropter & idipſum in ſimilibus occaſionibus, vt Apoſtoli facerent, eos admonuit in Euangelio Chriſtus Dominus, dicens [u]: *Et quicunque non receperint vos, neque audierint ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris, in teſtimonium illis.* Vt ſic etiam iter totum, omnémque laborem fruſtrà pro illis fuiſſe ſuſceptum obteſtarentur. Quoniam verò Paulus non tunc primùm venerat Corinthum, neque inde ſtatim erat diſceſſurus, puluerem ex pedibus non excuſſit; ſed tantùm ex veſtimentis: vtroque enim ea cæremonia fiebat modo, ſiue colliſione ſolearum, ſiue etiam excuſſione veſtimentorum; ne vel puluiſculum vllius lucri temporalis ab eis retinere, & habere communem cum iis, qui dona cœleſtia reſpuiſſent, vllo modo velle viderentur. *Qui ambulat in iuſtitiis*, ait Iſaïas [x], *& loquitur veritatem, & excutit manus ſuas ab omni munere: iſte in excelſis habitabit* Proptereà adiecit Apoſtolus: *Mundus ego ex hoc ad Gentes vadam: ſanguis veſter ſuper caput veſtrum.* Et videtur

m Act. c. 18. v. 5.
n ibid. c. 18. v. 6.
o S. Aug. lib. 2. de mor. Manich. c. 11.
p 1. Cor. c. 4. v. 13.
q ibid. v. 30.
r Act. c. 18. v. 6.
s Pſal. 1. v. 5.
t 2. Eſdr. c. 5. v. 13.
u Matth. c. 10. v. 14.
x Iſai. c. 33 v. 15.

videtur illud Ezechielis à Deo dictū reſpexiſſe y: *Si non annunciaueris impio, neque locutus fueris, vt auertatur à via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem eius de manu tua requiram.* Sed charitas Pauli planè fuit admirabilis: toties enim Iudæos ſe deſerturum cùm dixiſſet; tamen ab eorum ſalute procuranda, nullis iniuriis laceſſitus, nullis perſecutionibus repreſſus, nullis affectus malis, abſtrahi poſſe videbatur. Ita ſe ab illis modò ſubducit, vt dum ab vna parte recedit, ab altera propiùs ad eos iuuandos nouis artibus, quod capite ſequenti viſuri ſumus, accedat.

y Ezechielis c. 3. v. 18.

CAPVT III.

Migrat ad alias ædes inhabitandas: Archiſynagogum, & alios Chriſto lucratur: monetur diuina viſione Corintho ne diſcedat.

CVm Iudæis euangelicæ veritati obſtinatiſſimè contradicentibus, & ſacrilegè reſiſtentibus Paulus fuiſſet proteſtatus eos ſe relicturum, & iturum ad inſtruendos Gentiles, qui ſe veritatis amantiores exhibebant, vt ſtatim opere ipſo id oſtenderet, à domo Aquilæ Pontici, viri Iudæi, migrauit ad ædes Titi, cognomento Iuſti, hominis Gentilis: non quaſi vllo modo alienato eſſet animo ab Aquila, & eius Chriſtiana familia, quam ita ſibi habuit ſemper addictam, vt Corintho diſcedens non ſine eorum comitatu vſque in Syriam nauigauerit; deinde venerit Epheſum, & ibi, quod ſuo refertur loco, manſerit longo tempore cum illis: ſed voluit eo ſeceſſu declarare, ſe in poſterum acturum potiùs cum Gentilibus, quàm cum ita obſtinatis, ac proteruis Iudæis. Erat autem Titus homo Gentilis, fortaſſe à morum probitate dictus cognomento Iuſtus: nam, quamuis ethnicus origine, tamen erat colens Deum, nempe vnicum & verum Deum, vanitate abiurata idolorum: ſiue, quia domum habens Synagogæ proximam, atque inde inſtructus in diuina lege, factus iam eſſet proſelytus: ſiue, quod eſt veroſimilius, quia etiam non Iudaïzando, eſſe tamen vnicum verum Deum agnoſcebat, eúmque iuxta naturalem legem colebat, ac reuerebatur: ſicut habemus quoque in Actis apoſtolicis a, de Cornelio, milite Romano, Italicæ cohortis Centurione, ad cuius domum acceſſit ab ipſo inuitatus S. Petrus, eúmque in fide Chriſtiana erudiuit, & baptizauit. Neque tamen exiſtimare debemus hunc Titum Iuſtum eundem eſſe cum illo Tito, ad quem vna extat S. Pauli Epiſtola, & quem ipſe Cretæ conſtituit Epiſcopum: nam, etiamſi ille quoque, vt Chryſoſtomo videtur b, Corinthius fuerit; vnde ſæpè de illo faciens Apoſtolus mentionem in ſecunda Epiſtola, quam ſcripſit ad Corinthios, tanquam de illorum loquitur populari; tamen ille pridem erat Chriſtianus: nam, quando Paulus Antiochia venit Ieroſolymam ad Concilium, eum cum Barnaba ſecum adduxit, vt ſuo loco antè narratum fuit, & teſtatur ipſe ad Galatas ſcribens c: *Aſcendi*, inquit, *Ieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito.* Sed neque hic Titus legitur Iuſti cognomen habuiſſe, ſicut is, de quo nunc agimus, qui etiam abſolutè Iuſtus in Græcis exemplaribus, ſine addito

a Act. c. 10. v. 1.

b Hom. 1. in Ep. ad Titum.

c Gal. c. 2. v. 1.

VV 3 Titi

Titi nomine, inuenitur, quaſi Iuſtus proprium eſſet nomen, non cognomen ipſius. Ad huius itaque Titi Iuſti ædes, Synagogæ adiunctas, prudenti conſilio, Paulus modò ſe tranſtulit: vt, quoniã ingredi ipſam Synagogam ſibi non expedire, vel etiam, Iudæis obſiſtentibus, non licere animaduertebat; ſaltem, qui vellent ex Synagoga ad ipſum diuertere, opportuna illa vicinitate inuitarentur. *Vide*, inquit Chryſoſtomus[d], *quomodo iterum, licèt dicat: Ab hoc tempore ad Gentes ibo. neque ſic tamen Iudæos negligit, adeóque illud dixiſſe videtur, eos excitandi gratia: nam venit ad Iuſtum, cuius domus Synagogæ contigua, vt etiam ſic, ſi vellent, Zelum haberent.* Atque ita planè factum eſt, vt non ſolùm aliunde, ſed ex Synagoga præcipui, & ipſe Archiſynagogus, Criſpus nomine, cum tota ſua familia, Pauli domum frequentantes, fide Chriſti admiſſa, Chriſtianis myſteriis omnes fuerint initiati. Refert id S. Lucas his verbis[e]: *Criſpus autem Archiſynagogus credidit Domino, cum omni domo ſua: & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.* Nec plura de Criſpo S. Lucas: at verò S. Paulus ſic de illo meminit ad Corinthios ſcribens[f]: *Gratias ago Deo, quòd neminem veſtrûm baptizaui, niſi Criſpum, & Caium, ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizati eſtis.* Irrepſerat enim grauis error apud Corinthios contendentes, Baptiſmum eſſe præſtantiorem, qui conferretur à miniſtro præſtantiori: cui errori Apoſtolus ſe, quantùm fieri potuit, occaſionem minimè dediſſe, gratias Deo agit: *Non enim* (inquit) *miſit me Deus baptizare, ſed euangelizare.* Ex quibus intelligimus, Corinthi Apoſtolum prædicationi potiſſimum diuini verbi operam dediſſe: qui verò permoti eius ſermonibus, & doctrina, Eccleſiæ Chriſti adſcribi deſideraſſent, ac poſtulaſſent, iis à Timotheo, & Sila, quos habebat ſocios, & adiutores, tum Baptiſmus, tum alia Sacramenta, vt vnicuique expediebat, miniſtrabantur. Hinc ſacra Synodus Tridentina in ſuis de Eccleſiæ reformatione Decretis[g], grauiter admonuit, proprium eſſe munus Epiſcoporum diuini verbi prædicationem, ideò ab ipſiſmet, niſi legitimè impeditis, tum Epiſcopis, tum Archiepiſcopis, Primatibus, ac Prælatis eccleſiaſticis, quantùm fieri poterit, exerceri oportere: Baptiſmi verò, & aliorum Sacramentorum adminiſtrationem, Parochis, ſuiſque adiutoribus, vt S. Paulus faciebat, eſſe relinquendam. Cùm enim Eccleſiæ Sacramenta ex Chriſti inſtitutione ſuam efficaciam ſortiantur, vt virtutem, ſeu certam gratiam conferant ex opere, vt loquuntur Theologi, operato, non operantis; ſatis pro illorum collatione fuerit quicunque ad id ab Eccleſia ordinatus miniſter, qui eius faciles ritus, & ſimplicem formam non ignorauerit. At verò prædicationis officium, & ſcientiam non mediocrem, & multam ſapientiam, & zelum maximum, ac præcipuam in dicente requirit auctoritatem: & quò hæc maiora fuerint in loquente, eò præſtabunt in audientium animis effectus perfectiores. *Nam perfectè baptizare*, inquit S. Auguſtinus[h], *etiam minus docti poſſunt: perfectè autem euangelizare multò difficilioris, & rarioris eſt operis. Ideo Doctor Gentium, in plurimis excellentior, euangelizare miſſus eſt, non baptizare: quoniam hoc per multos fieri poterat, illud per paucos, inter quos eminebat.* Quamuis, vt Silas, & Timotheus non ita baptizabant, vel alia Sacramenta miniſtrabant, quin etiam aliquando conciona

d Chryſoſt. hom. 39. in Acta.

e Act. c. 18. v. 8.

f 1. Cor. c. 1. v. 14. 15. 16.

g Trid. ſeſſ. 5. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 4.

h S. Aug. lib. 3. contra epiſt. Petil. c. 56.

cionarentur , quod de vtroque teſtatur Apoſtolus ad ipſos Corinthios ſcribens [i]: ſic & ipſe Paulus inſigniores aliquas perſonas interdũ baptizare non prætermiſit. Inter hos Corinthi fuêre Criſpus,& Caïus,etiam eo nomine digni , qui manibus Apoſtoli baptizarentur , quoniam illius erant benefactores:nã & Caïum hunc , hoſpitem ſuum appellauit, dum ita Corintho ad Romanos de illo ſcripſit [k] : *Salutat vos Caius, hoſpes meus.* & vterque , tam Caïus, quam Criſpus , inter Sanctos eadem die , hæc eſt quarta Octobris, in Romano Martyrologio his verbis adſcribuntur : *Corinthi natalis Sanctorum , Criſpi , & Caij , quorum meminit Paulus Apoſtolus ad Corinthios ſcribens.* Verum quidem eſt , non hoc tempore à Caïo fuiſſe Paulum hoſpitio receptum : ſed, quando iterum poſt annos ſex Corinthum rediens ibi Epiſtolam ſcripſit ad Romanos , vbi illa iam à nobis prolata verba leguntur : *Salutat vos Caius , hoſpes meus.* ſignificans eam ad Romanos inſignem Epiſtolam in domo huius Caïj , quod magis poſteà ſuo loco exponemus,fuiſſe conſcriptam. Nunc igitur Corinthi , cùm in domo Titi Iuſti prope Synagogam Paulus habitaret,Criſpi Archiſynagogi domus , vel adiuncta Synagogæ, vel in eadem vicinia fuiſſe videtur : vnde commodus Criſpo, & familię ipſius,nocturno præſertim tempore , ad ædes Apoſtoli eſſet acceſſus,vt Iudæorum tumultus omnia circa Paulum maligno animo obſeruantium, ea cautione declinarentur. Sed latere diu res nõ potuit:vnde veritus Apoſtolus,ne furorem Iudęorũ, propter Synagogæ Principem cum tota familia iam ad Chriſti fidem inductum,contra ſe concitaret, Corintho diſcedere cogitabat ; non , quia multùm ſuæ vitę timeret,qui ſicalibi de huiuſmodi periculis obteſtabatur [l]:*Nihil horum vereor,nec facio animam meam pretioſiorem,quam me, dũmodò conſummem curſum meum,& miniſterium verbi , quod accepi a Domino* IESV,*teſtificari Euangelium gratiæ Dei.* at exaſperatis nimiùm contra ſe animis Iudæorum , meritò angebatur,& ſollicitabatur,ne fortè aliqua calamitas , & exorta propter ipſum tempeſtas,Euangelij ſementẽ perderet, aut grauius affligeret , quæ ipſo abſẽte ſine tali procella vtcũque manſiſſet : commiſſa interim cura illius Eccleſiæ Criſpo Archiſynagogo, quem non adeò capitali odio Iudæi, ſicut Paulũ,proſequebãtur.Nã & hoc etiã prouiderat Athenis proficiſcens, relicto ibi loco ſui Dionyſio,viro primario , & Hierotheo,ad nouæ illius Atheniẽſis Eccleſię adiumẽtũ,& progreſſiones:ſe verò quietiori tempore Corinthũ poſteà redirurũ cogitabat.

Sed Deus,qui Pauli peregrinationes,itinera , & conſilia omnia dirigebat,& quã adire mundi regionẽ,a qua deflectere , vbi , & quandiu alicubi ſubſiſtere , occulta inſtigatione , vel etiã reuelatione manifeſta inſpirabat, ſicut olim [m]filios Iſrael per deſertum deducebat colũna nubis in die , & in nocte per columnam ignis , adſtitit Paulo , & quid eum oporteret facere, ſine ambagibus ſignificauit. Rem Acta Apoſtolorũ ita referunt [n]:*Dixit autem Dominus nocte per viſionem Paulo : Noli timere : ſed loquere, & ne taceas. Propter quod ego ſum tecum : & nemo apponetur tibi , vt noceat te:quoniam populus eſt mihi multus in hac ciuitate.* Circa quam viſionem occurrit primo loco obſeruandum,cùm dicitur Dominus noctu per viſionem Paulo ſic eſſe locutum, indicari eam viſionem per ſomnũ eueniſſe, qualem ſuperius expoſuimus eidem

Apoſtolo

i 1. Cor. c.1.v.19.

k Rom.c. 16.v.23.

l Act.c. 20.v. 24.

m Exod. c.13.v. 31.

n Act.c. 18.v.9.

Apoſtolo immiſſam, & iiſdem ferè verbis à S. Luca narratam, cùm dixit [o]: *Et viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt: Vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum.* & de S. Ioſepho dicitur in Euangelio [p]: *Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph.* De tribus quoque Magis dicitur [q]: *Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem.* In hac tamen, de qua nunc agimus, Pauli viſione, non vir, non Angelus, ſed ipſe Dominus dicitur adfuiſſe, & Paulo eſſe locutus. Id autem ad gradum quendam prophetiæ in eo generę viſionum altiorem pertinere docuit S. Thomas his verbis [r]: *Oſtenditur altior eſſe gradus prophetiæ, quando Propheta non ſolùm videt ſigna verborum, vel factorum; ſed etiam videt in dormiendo aliquem ſibi colloquentem, aut aliquid demonſtrantem: quia per hoc oſtenditur, quòd mens Prophetæ magis appropinquat ad cauſam reuelantem. Et adhuc attendi poteſt altitudo gradus prophetalis ex conditione eius, qui videtur. Nam altior gradus prophetiæ eſt, ſi ille, qui loquitur, vel demonſtrat, videatur in ſpecie Angeli, quàm ſi videatur in ſpecie hominis; & adhuc altior, ſi videatur in ſpecie Dei, ſecundùm illud Iſaiæ: Vidi Dominum,* &c. Dominus igitur, qui Paulo per nocturnam huiuſmodi viſionem loquebatur, Chriſtum fuiſſe in exhibita ſpecie ſuæ ſacræ humanitatis, nihil eſt dubitandum: nam & hoc aliàs præſtitit, & in illa omnium prima & excellentiori viſione, cùm in meridie per viam Damaſci lucentiſſimo ſplendore perſecutori occurriſſet, iterum ac ſæpiùs illi ſe appariturum eſſe pollicitus fuit. Duplicem autem excutere Paulo timorem Chriſtus Dominus nunc volebat: alterum, quo eius animus angebatur ob lucrum quodammodo ceſſans animarum, & quòd alibi fortaſſe operam ſuam collocando, maius præſtare potuiſſet: alterum, inde reſultans diuinæ gloriæ detrimentum, cuius ſanctiſſimum nomen lædi magis, creſcente in dies pertinacia perfidorum, & blaſphemantium Iudæorum, videbatur: vt omittamus tertiam timoris rationem, ob imminentia vitæ Pauli diſcrimina, quibus parum afficiebatur, nec niſi propter alios duos iam recenſitos timores, nimirum, impeditæ diuinæ gloriæ, & lucri pereuntis plurium animarum. Quibus omnibus Chriſtus Dominus benigniſſima ſua præſentia, & certa auxilij promiſſione ſtatim occurrens, ſe illi prę̀ſtò ſemper futurum dixit, & à nemine damnum ei vllum inferendum, & plurimos in ea ciuitate ad fidem euangelicam acceſſuros. *Quoniam* (inquit) *populus eſt mihi multus in hac ciuitate.* Quæ verba, dum aliqui referunt ad ſolos prædeſtinatos, anguſtè nimis Chriſti charitatē, & Dei erga homines prouidentiam interpretantur; qui, ſicut ait ad Timotheum ſcribens Apoſtolus [u], *vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, & vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus* IESVS, *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, teſtimonium temporibus ſuis, in quo poſitus ſum ego Prædicator, & Apoſtolus.* Cùm itaque tanta eſſet Corinthi numeroſiſſimi populi multitudo, voluit Chriſtus Dominus ibi Apoſtolū ſuum lōgo tempore ſubſiſtere, & ad fidem plurimos inſtituere, multa pati, varia miracula operari: quæ licet à S. Luca, cùm hoc tempore à Paulo abeſſet, magna ex parte ſint prætermiſſa; tamen ab ipſomet Paulo in Epiſtola, quam poſteà ſcripſit ad Corinthios, longa enumeratione recenſentur. Id autem ipſe quadam neceſſitate compulſus

o ibi l. c. 10. v. 8.

p Matth. c. 1. v. 19.

q ibid. v. 12.

r S. Th. 2. 2. q. 174. art. 3.

u 1. Timoth. c. 2. v. 4.

eſt

eſt facere; propterea quòd erant inter Corinthios aliqui Pſeudoapoſtoli, qui ſe ſupra Paulum vaniſſime extollebant,& eum,quantum poterât calumnioſe deprimebant. Hinc raptum ſuum vſque ad tertium cœlum debuit exponere, & inſignes à Chriſto habitas reuelationes profiteri. *Et factus ſum*, inquit [x], *inſipiens; vos me coëgiſtis. Ego enim à vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab iis, qui ſupra modum ſunt Apoſtoli: tametſi nihil ſum: ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos,in omni patientia,in ſignis,& prodigiis,& virtutibus. Quid eſt enim, quod minus habuiſtis præ cæteris Eccleſiis?* Eccleſias intelligit per varias mundi regiones, tum Aſiæ, tum Europæ fundatas: in quibus cum anteà retulerimus varia, & inſignia diuinæ virtutis ab eo edita miracula, credere debemus, non minora,nec pauciora fuiſſe apud Corinthios ab eodem perpetrata;quamuis à S. Luca,ne circa ea,quæ non viderat, eſſet profuſior,ſint omiſſa; ab ipſo verò S. Paulo,tum ex modeſtia, tum ne illa, quæ iam Corinthij ſuis oculis viderant, recitaret, ſolùm per quædam ſumma capita indicata.

x 2. Cor. c. 12. v. 11.

CAPVT IV.

Corinthi manens ſcribit priorem Epiſtolam ad Theſſalonicenſes, quæ eſt omnium Pauli Epiſtolarum prima.

ANtequàm de loco, vbi ſcripta, & vnde miſſa fuit prior Epiſtola ad Theſſalonicenſes, quem nunc ſupponimus eſſe Corinthum, & de tempore alia dicamus, quod tempus præſupponimus hunc ipſum eſſe annum,in quo verſamur,nempe, Chriſti quinquageſimumſecundum, & Claudij Imperatoris decimum,ætatis autem Pauli parùm ſupra quinquageſimum; operæpretium erit, diuinam hic obſeruare prouidentiam, qua factum eſt, vt euangelicæ legis apoſtolica doctrina magna ex parte conſignata Epiſtolis, ſponſæ Chriſti Eccleſiæ traderetur. Harum verò literarum plures S.Paulus,quam vllus alius ſacer Scriptor, & quidem ſapientia profundiſſima, charitate ardentiſſima, zelo maximo ſcripſit, & maiori quàm explicari ab illo poſſit emolumento, vniuerſæ fidelium poſteritati nunquam interituras commendauit. Nam,quamuis Scriptura ſacra, quæcunque illa ſit,ſiue noui,ſiue antiqui Teſtamenti,literæ à Deo nobis miſſæ de cœlo dici poſſint: vnde S. Auguſtinus [a]: *Hæ* (inquit) *de illa ciuitate,vnde peregrinamur,literæ nobis venerunt: ipſæ ſunt Scripturæ, quæ nos hortantur, vt benè viuamus.* attamen nullus ex libris veteris Teſtamenti adeò propriè Epiſtola, ſeu literæ dici poſſunt, ſicut plurimæ, quæ in nouo inueniuntur. Nam, præter Epiſtolas Pauli quatuordecim,aliç ſunt ſeptem ab aliis Apoſtolis ſcriptç,quæ Catholicæ appellantur, quibus ſi addatur S. Ioannis Apocalypſis,quæ & ipſa eſſe Epiſtola ſignificatur in primo eius capite, ſeptem Aſiæ Eccleſiis inſcripta, numerum vigintiduarum Epiſtolarum inueniemus. Ex quibus inter veterem,& nouam legem quatuor potiſſimùm differentiæ deprehenduntur. Prima eſt, veterem legem fuiſſe veluti ſeruis datam, & per conſeruos Prophetas præceptis in Dei nomine, obiurgationibus, & minis inculcatam: at nouam,partim ore ipſius vnigeniti Filij Dei, quod ſpectat ad quatuor Euangelia; partim, quod reliquum eſt, per varias Epiſtolas, tanquam inter amicos, & familiares

a S. Aug. in Pſ. 9. conc. 2.

communicatam. Secundum diſcrimẽ
eſt, longè ampliorẽ eſſe euangelicam
legem, & doctrinam apoſtolicã: vnde
b Pſ. 18. v. 5. in Pſalmo de Apoſtolis dicitur [b]: *In
omnem terram exiuit ſonus eorum, & in
fines orbis terræ verba eorum.* quã fuerit
lex veteris Teſtamenti, intra fines Iu-
dææ circunſcripti: vt ſatis habuerit
Dauid pro eo tempore in Pſalmo di-
c Pſ. 75. v. 1. cere [c]: *Notus in Iudæa Deus, in Iſrael
magnum nomẽ eius.* Quapropter Apo-
ſtoli, cùm docere per vniuerſum or-
bem terrarum Euangelium deberẽt,
& omnes gentes diuinis præceptioni-
bus inſtituere, nec poſſent ipſi per ſe
adire omnes regiones, omnia loca
peruadere, & penetrare angulos or-
bis terrarum vniuerſos, miſſis huiuſ-
modi Epiſtolis munus ſuum apoſto-
licum perficiebant. Nam, vt Apoſtoli
ab ἀποστέλλω, quod eſt mitto, quia tan-
quam legati à Chriſti latere mitte-
bãtur; ita Epiſtola dicitur ab ἐπιστέλλω,
quod eſt mando, & quaſi ſcripturam,
interpretem mẽtis, ac volũtatis meæ,
quò ire mihi non liceat, pro me mit-
to. Tertiò, doctrinam apoſtolicã ma-
iori ex parte per epiſtolas fuiſſe Chri-
ſti Eccleſiæ traditam, arguit maiorem
eſſe debere gratiam noui, quàm fue-
rit veteris Teſtamenti, gubernationẽ
quoque ſuauiorem, lumen illuſtra-
tionum diuinarum copioſius, expedi-
tius, & multò efficacius. Siquidem
Princeps, qui publica, & priuata ſua
negotia frequenti literarum miſſione
peragere conſueuit, & multę pruden-
tiæ, & magnæ ſapientiæ, & plurimi
pro quacunque re nata conſilij, deni-
que charitatis ſit erga ciues & ſubdi-
tos haud mediocris oportebit. Quar-
tò, tantus Pauli, & aliorum Apoſtolo-
rum in epiſtolis, ſiue dictandis, ſiue
conſcribendis vſus, ad Eccleſiæ inſti-
tutionem, & profectum, eſſe debuit
exemplar futuri per apoſtolicos viros
optimi regiminis eccleſiaſtici, curę, ac
ſollicitudinis paſtoralis, qua deinde
Petri ſucceſſores, Romani Pontifices,
per epiſtolas, maximè quas vocant
decretales, & aliorum Apoſtolorum
ſucceſſores Epiſcopi ſuos fideles ſub-
ditos inſtruerent, corrigerent, horta-
rentur, reuocarent à vitiis, & in omni
virtutum genere confirmarent. Hinc
libri tot ſanctiſſimi, æquè ac doctiſſi-
mi extant epiſtolarum; in primis
quatuor Eccleſiæ Latinæ Doctorum;
Gregorij, Ambroſij, Auguſtini, atque
Hieronymi; tum Græcorum, Baſilij,
Nazianzeni, & aliorum. *Nam* (inquit
Ambroſius [d]) *epiſtolarum vſus eſt, vt* d S. Amb. lib. 7. ep. ep. 45.
*disiuncti locorum interuallis affectu ad-
hæreamus: in quibus inter abſentes imago
refulget præſentia, & collocutio ſcripta
ſeparatos copulat, in quibus etiam cum
amico miſcemus animum, & mentem ei
noſtram infundimus.* Et S. Baſilius ſcri-
bens ex Oriente S. Ambroſio, quem
non poterat propter diſtantiam re-
gionum aſpectu cognoſcere, nec eius
frui amicitia, niſi beneficio litera-
rum [e]: *Magna* (inquit) *ſemper, & mul-* e S. Baſil. ep. 55.
*ta ſunt Domini noſtri dona, quorum ne-
que magnitudo menſurabilis, neque mul-
titudo numerabilis eſt: vnum verò, quod
inter maxima reputari poteſt ab iis, qui
non difficili beneficiorum Dei ſenſu tan-
guntur, & præſens hoc eſt, quod quàm
longiſſimè propter locorum diſtantiam
ſeiunctis, per literarum alloquium mu-
tuò coaleſcere dedit. Largitus eſt autem
duplicem cognoſcendi modum; vnum per
præſentem conuictum & congreſſum; al-
terum per conſuetudinem literarum.* Ita
S. Baſilius.

Sed, quare potiſſimùm S. Paulo
inter Apoſtolos datum ſit plures ſcri-
bere Epiſtolas, quàm cæteris omni-
bus, non minori digna res eſt conſi-
deratione, de qua optimè S. Cyril- f S. Cyr. Ieroſol. catech. 10. circa fin.
lus Ieroſolymitanus [f]: *Miratus ſum*
(inquit) *certè S. Spiritus diſpenſatio-
nem: quòd aliorum quidem epiſtolas*

paruo

paruo numero conſcripſit, Pauli autem anteà ſui perſecutoris, quatuordecim eſſe conceſſit. Non enim eò quòd minor eſſet Petrus, aut Ioannes, præcidit gratiam; abſit: ſed, quòd dubia non eſſet doctrina illius, qui anteà eſſet inimicus, & perſecutor, plura conceſſit illum ſcribere, vt omnes ſic nobis faciliùs perſuadeamus: ſtupebant enim omnes de Paulo dicentes: Nónne hic eſt, qui prius perſequebatur? Hæc igitur prima eſt, & optima Cyrilli ratio: quia Pauli arma, quibus Eccleſiam aliquando oppugnabat, in ſtylum poſteà conuerſa literarum, eminus & cominus tantò grauiùs aduerſarios & oppugnatores Eccleſiæ feriebant, quantò ipſe anteà vehementior extiterat eiuſdem Eccleſiæ perſecutor. Vt propterea ſæpè à Pſeudoapoſtolis magis Epiſtolæ Pauli, quàm eius præſentia timeretur, ſicut ipſe de talibus ad Corinthios ſcripſit [g]: *Quoniam quidem Epiſtolæ, inquiunt, graues ſunt, & fortes; præſentia autem corporis infirma.* Eſt & alia quorundam non minùs ſapienter excogitata ratio, cur tot Epiſtolis, dictante Spiritu ſancto, à ſe conſcriptis Paulus debuerit Eccleſiam adiuuare: nempe, quia olim petitis à Iudaico Magiſtratu literis, eam hac ratione deuaſtabat, & omninò deſtruere moliebatur, cùm, ſicut ait S. Lucas [h], *Spirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum, vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem. Patitur itaque Paulus,* ait S. Auguſtinus [i], *quod fecerat Saulus. Saulus lapidauit: Paulus lapidatus eſt. Saulus Chriſtianos virgis affecit: Paulus quinquies quadragenas vna minùs accepit. Saulus perſecutus eſt Eccleſiam: Paulus ſubmiſſus eſt in ſporta. Saulus vinxit: Paulus vinctus eſt. Et dum Saulus ſæuiens quærit minuere numerum Chriſtianorum, etiam ipſe acceſſit ad numerum Confeſſorum.* Hactenus S. Auguſtinus. Sed addere nos poſſumus: Saulus à Principe Sacerdotum obtinuit epiſtolas ad Synagogas, vt Iudæos contra Chriſti Eccleſiam concitaret, & in ſua perfidia confirmaret: Paulus à diuino Spiritu dictatas conſcripſit literas, quibus Chriſti fideles in ſancto propoſito firmaret, ſtabiliret, ad omnem virtutem inflammaret. Denique, cùm vnus tot negotia pro animarum ſalute procuranda ſuſcepiſſet, tot Eccleſias fundaſſet, tanta eas ſollicitudine gubernaret, vt vellet, ſi fieri poſſet, omnibus omnia factus, vbique non animo tantùm, ſed etiam corpore inueniri: nam, *Quis infirmatur,* dicebat [k], *& ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* quid mirum, ſi per tot Epiſtolas, quaſi omnibus præſens, hos hortabatur, alios ſolabatur, quoſdam deterrebat, omnes inſtruebat, animabat, & corroborabat? Cœpit autem hoc vti præſidio Epiſtolarum in explendo munere apoſtolico, vbi numerus Eccleſiarum, & fidelium multitudo, per varias terrarum diſſitas regiones valdè ſuccreuerat: ætas verò Pauli ſupra annũ (vt diximus) quinquageſimum primum vergebat ad ſenectutem; ſapientia, & charitas quotidie prouectior benè de omnibus merendi nouas induſtrias ſuggerebat.

g 2. Cor. c. 10. v. 1.

h Act. c. 9. v. 1.

i S. Aug. ſer. 15. de SS.

k 2. Cor. c. 11. v. 29.

Cæterùm, nullam ex iis, quæ nunc extant, Pauli Epiſtolis ante hoc tempus fuiſſe ſcriptam, conſtans eſt Patrum & Interpretum ſententia, atque adeò hanc ad Theſſalonicenſes eſſe omnium primam. Quòd autem primo loco ab Eccleſia non hæc, ſed epiſtola ponatur ad Romanos, tum duæ ad Corinthios, &

aliæ deinceps, ita vt duæ ad Theſſalonicenſes, nona, & decima numerentur, inde factum eſt: quia in iis non tam habita eſt ratio ordinis temporis, quàm dignitatis eorum, ad quos ſcribebentur, vel materiæ, aut argumẽti. De loco autem vnde prior hæc ad Theſſalonicenſes prodierit Epiſtola, cùm de mora, quam fecit
l *ſup. c.* ... Athenis paulò antè ageremus[l], oſtẽ-
v. 1. in ſi- dimus, falſam videri eorum ſenten-
ne. tiam, qui Athenis, non Corinthi ſcriptam eam Epiſtolam voluerũt: quod eo maximè argumento refellebamus: Quia in illius Epiſtolę principio teſtatur Apoſtolus, ſe illam tunc ſcripſiſſe, cùm ad eum Timotheus à Theſſalonicenſibus rediiſſet: At, quando Timotheus ad Paulum Theſſalonica eſt reuerſus, illum non ampliùs Athenis commorantem, ſed inuentum Corin-
m *Act. c.* thi, Apoſtolorum Acta teſtantur[m]:
18. v. 5. Igitur non Athenis tunc ſcripta eſt epiſtola; ſed modò Corinthi. Eſt quidem cuiuſdam viri docti non diſſi-
n *Salm.* mulanda ſuſpicio[n], ne fortè Athenis
tom. 14. ſcripta ſit Epiſtola, non quando ibi
diſp. 1. in primùm Paulus fuit, antequam venſ-
Epiſt. ad ſet hoc tempore Corinthum; ſed cùm
Theſſal. poſteà Corintho diſcedens in Syriam nauigaret: tunc enim, vt infrà refert
o *Act. c.* S. Lucas[o], cum Aquila & Priſcilla ad
18. v. 18. portum Cenchreenſem venit, atque etiam Athenas, cuius ille eſt portus, potuit rediiſſe. At hoc minùs eſt veriſimile, quàm dicere fuiſſe ſcriptam, vbi primùm Paulus acceſſit Athenas, quod anno Chriſti quinquageſimoſecundo diximus accidiſſe; cùm verò Corintho diſceſſit, annus agebatur quinquageſimusquartus, vt proinde ſcripta priùs Epiſtola ad Theſſalonicenſes poſterior eſſe debuiſſet: ſiquidem ſcriptam illam eſſe Corinthi, poſteà oſtendemus. Quòd autẽ Cenchræ portus fuiſſe dicitur Athenarum, certum non eſt: alij enim cum Strabone libro octauo ſentiunt, fuiſſe Corinthiacum. Sed quando etiam ad Athenienſes portus ille pertineret, minùs adhuc eſt certum, niſi quis diuinet, inde Paulum Athenas vſque conceſſiſſe. Præterea, etiamſi id feciſſet, cùm Epheſum, & inde in Syriam feſtinaret, vt ait S. Lucas, vnde conſtat ibi pro talium literarum ſcriptione ſubſiſtere voluiſſe? Neque illud mouere quenquam à noſtra ſentẽtia debebit, quòd Lucas dixerit[p], Silam, p *Act. c.*
& Timotheum ex Macedonia veniſ- *18. v. 5.*
ſe ad Paulum Corinthum; ipſe verò Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribat[q], q *ad*
ſolum Timotheum, non verò Silam, *Theſſal.*
inde ad ſe veniſſe, & Epiſtolam in- *c. 3. v. 6.*
ſcribat ſuo, & Timothei nomine, at- *& c. 1.*
que Siluani, nulla Silæ facta mentio- *v. 1.*
ne: hoc, inquam, mouere nos a prima ſententia non debet. Nam, quòd dixerit Paulus, ſe tunc literas dediſſe Theſſalonicenſibus, cùm ab ipſis Timotheus, non verò Silas, rediiſſet; mirum non eſt: quia, etiamſi tunc cum Timotheo Silas redierit, ex eadem prouincia Macedoniæ, vt S. Lucas affirmauit[r]; non tamen redibat ex ea- r *Act. c.*
dem ciuitate. Quod autem S. Paulus *18. v. 5.*
ſuam ad Theſſalonicenſes Epiſtolam ſcribat, nulla Silæ facta mentione, niſi quòd eam ſic exorditur[s]: *Paulus,* s *1. Theſſ.*
& Siluanus, & Timotheus Eccleſiæ *c. 1. v. 1.*
Theſſalonicenſium, gratia, & pax, &c. non eſt, quaſi fuerit Siluanus homo à Sila diuerſus, vt aliqui putauerunt, decepti fortaſſis à Dorotheo in Synopſi, affirmante, Silam Corinthiorum; Siluanum autem Theſſalonicenſium fuiſſe Epiſcopum. Sed contrarium benè docuit S. Hieronymus[u], vbi ſic ad Pontificem Dama- u *Hier.*
ſum ſcripſit: *Sciendum eſt, Silam colle-* *ep. 143.*
gam Pauli, lingua Hebræa Apoſtolum dici, qui cum eo nonnullas Epiſtolas ſcribit; & vitioſè Siluanus legitur pro Sila, cùm Siluanum in Apoſtolorum Actis

non

non legamus. Vitioſè autem legi Siluanum, dixit S. Hieronymus, videlicet, iuxta Hebraïcam nominis Silæ pronunciationem; quam tamen Græci, & Latini detorquentes, vt aliàs ſolent, nomen Siluani fecerunt, tanquam vocabuli magis Latini, Romani, ac notioris. Sunt etiam, qui dubitent, an Silas fuerit binomius, ita vt idem Silas diceretur, & Siluanus; ſicut idem Paulus, & Saulus dicebatur. Cùm igitur ex Macedonia Silas, ſiue Siluanus, cum Timotheo, qui per dies aliquot manſerat Theſſalonicæ, Corinthum veniſſent, ibique Paulus moraretur, hanc ſcripſit priorem ad Theſſalonicenſes Epiſtolam, non ſuo tantùm, ſed etiam Timothei, & Silæ nomine, magnam in ipſis primis Epiſtolæ verbis indicans animi ſui ſubmiſſionem, atque modeſtiam, ſuos ſibi æquans, & adnumerans in ſcribenda Epiſtola diſcipulos. Vnde etiam factum putat S. Ioannes Chryſoſtomus [x], vt Timotheus, qui perſona dignior Sila videbatur, atque adeò ſecundus poſt Paulum numerandus; tamen vt Magiſtri modeſtiam imitaretur, voluerit, & à Paulo impetrauerit, non ſecundo, ſed poſt Silam tertio loco nominari.

x S. Chryſ. hom. 1. in ep. 1. ad Theſſ.

CAPVT V.

Argumentum Epiſtolæ prioris ad Theſſalonicenſes, & eius breuis per ſingula capita paraphraſis.

CVm Timotheus rediens Theſſalonica, Paulo Corinthi manente, quæ eſſent à ſe geſta, retuliſſet, & Theſſalonicenſium in fide conſtantiam enarraſſet: hinc ſumpta Paulus occaſione, ad eos hanc Epiſtolā ſcribit, illis de fidei conſtantia gratulatur, laudat virtutem, confirmat in bono, hortatur ab otio ſibi caueant, & quæ inde ſequuntur flagitia, mortis timorem docet. Sed cum certa ſpe reſurrectionis ait eſſe iungendum, & vt ad extremum vniuerſale Iudicium operibus charitatis, ſtudio orationis, exercitiis pietatis, ſanctè viuendo ſe comparent, benè illis à Deo omnia precatur, omnéſque in Domino conſalutat. Incipiens igitur capite primo à gratulationibus, & commendatione virtutum, in hanc loquitur ſententiam.

[a] Paulus, Silas, & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Dei Patris, & Filij eius IESV Chriſti nomine, ac fide congregatis gratiam precatur, & pacem. Eſt, quòd gratias Deo maximas pro vobis, vt ſemper facimus, in orationibus noſtris referamus, memores veſtræ operoſæ fidei, patientiſſimæ ſpei, & charitatis laborioſiſſimæ: quæ ſigna ſunt haud obſcura veſtræ electionis ad gratiam ſanctificantem, etſi in ea perſeueraueritis, etiam ad æternam gloriam [b]. Quapropter non fuit Euangelium noſtrum apud vos verbis tantummodò prædicatum; ſed multis, magníſque miraculis in virtute Spiritus ſancti pleniſſimè confirmatum: ex parte autem veſtra tanta ſuſceptum deuotione, & gaudio ſpirituali, vt facti fueritis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaïa. Nam à vobis fama optima ſacroſancti Euangelij longè latéque manauit, omnibus admirantibus, & benedicentibus hāc nouam fidei, & pietatis Chriſtianæ lucem, & veſtram virtutem qualibet occaſione, ſiue à nobis oblata, ſiue aliunde accepta, extollentibus; quòd tanta animi celſitudine vaniſſimum cultum idolorum deſpexeritis, & viui ac veri Dei venerationem, religio-

a 1. Theſſ. c. 1. v. 1. 2. 3. 4.

b ibid v. 5. 6. 7. 8. 9.

némque tam conſtanti animo admiſeritis, expectantes aduẽtum Filij eius totius humani generis Redemptoris, qui victor mortis, & triumphator Inferni, è cœlis in die mundi extrema deſcendet ad vniuerſale Iudicium. Hæc habentur capite primo: rum capite ſequenti pergit octo argumentis exponere ſynceritatem, ſanctitatem, zelum prædicationis ſu .

c ibid. c. 2. v. 1. 2. 3. &c. Primùm arguit ex fructu [c]. Nam (inquit) ipſi ſcitis, Fratres, introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit. Secundò, ex tolerantia perſecutionum. Quia multa paſſi anteà, & contumeliis affecti, ſicut ſcitis, in Philippis, fiduciam habuimus in Deo noſtro, loqui ad vos Euangeliũ, in multa ſollicitudine. Tertiò ex doctrinæ veritate, puritate, & ſanctitate. Nam, ait, exhortatio noſtra non fuit in errore, neque de immunditia, neque in dolo. Quartò, ex rectiſſima intentione, qua non opes, non humanos fauores, aut vanam mundi gloriam, ſed diuinum tantùm honorem quæreret, & lucrum animarum: Non quaſi (inquit) hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis; ſicut ſcitis: neque in occaſione auaritiæ; Deus teſtis eſt: non quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. Quintò, ex eo, quòd illos in fide tam tenerè educauit, quàm ſolet mater filios educare, parata etiam vitam pro illis in diſcrimen adducere. Nam (ait) facti ſumus paruuli in medio veſtri, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos, ita deſiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non ſolùm Euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras: quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. Sextò, quia ne quenquam illorum velle grauare videretur, victum ſibi proprio labore manuum acquirebat: Memores enim eſtis, Fratres, laboris noſtri, & fatigationis, nocte ac die operantes, ne quem veſtrûm grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei. Septimò, quia ſanctè, & irreprehenſibiliter vixerit apud illos. Nam (inquit) vos teſtes eſtis, & Deus, quàm ſanctè, & iuſtè, & ſine querela vobis, qui credidiſtis, fuerimus. Octauò, ex ipſorum Theſſalonicenſium teſtimonio, qui Pauli Euangelium, non vt hominis, ſed vt Dei verbum exceperunt, nullis cedentes aduerſitatibus, aut illatis ob id moleſtiis Iudæorum. Ideò (inquit) nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione; quoniam, cùm accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed ſicut eſt verè verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis. Vos enim imitatores facti eſtis, Fratres, Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa in Chriſto IESV: quia eadem paſſi eſtis à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Iudæis: qui & Dominum occiderunt IESVM, & Prophetas, & nos perſecuti ſunt. Concludit poſteà caput, oſtendens affectum ſuum pluſquam maternum, & maximum deſiderium ad eos, niſi fuiſſet à Satana ſemel & iterum impeditus, redeundi: vocat illos ſpem ſuam, gaudium, & coronam. Quæ eſt enim (inquit) noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nónne vos ante Dominum noſtrum, IESVM Chriſtum, eſtis in aduentu eius? Vos enim eſtis gloria noſtra, & gaudium. Tum tranſit ad tertium Epiſtolæ caput, in quo ſcribendę huius Epiſtolę occaſionem ſic exponit.

[d] Quapropter Athenis cùm eſſẽ, nec venire ad vos ipſe poſſem, inde ſtatim Corinthum profecturus; miſeram pro me Timotheum, Fratrem noſtrum, dignum Euangelij ſummi *d ibid. c. 3. v. 1. 2. 3. & ſ.* Dei

Dei miniſtrum, qui vos conſolaretur, hortaretur, & in aduerſis corroboraret. Iam enim, vt ſcitis, ab illo tempore, quo fui apud vos, eas, quas paſſi eſtis, tribulationes prædixeram ſecuturas. Quare ſollicitus, ne fortè Dæmon inanes redderet labores meos in vobis, miſi ad vos Timotheum, qui rediens nuper ad nos ſignificauit multa bona de vobis, de veſtra fide, conſtantia, charitate, & grata, quam geritis, memoria de nobis; ſicut nos etiam eam habemus de vobis. Reſpiraui ad tale nuncium, & quodammodo reuixi, ſublatiſque in cœlum manibus, Deo bonorum omnium auctori gratias egi: ſed, quaſnam poſſum, aut vnquam potero pro tantis beneficiis dignas referre? Certè cupio videre vos, vt quæ ſunt perfectæ fidei veſtræ, & veri gaudij noſtri compleantur. Ipſe autem Deus, & Pater noſter, & Dominus IESVS Chriſtus dirigat viam noſtram ad vos. Ipſe vos ſua benedictione multiplicet in Eccleſia, augeat mutuam inter nos & vos charitatem, ac beneuolentiam: vt in omni ſanctitate ſemper ſine vlla querela proficiatis, ante Deum, & Patrem noſtrum, ac Dominum Filium eius IESVM Chriſtum, qui venturus tandem eſt extremis temporibus ad vniuerſale Iudicium, cum omnibus Sanctis ſuis. Amen. Hinc progreditur ad quartum Epiſtolæ caput, in quo vehementiùs Theſſalonicenſes hortatur ad proficiendum in virtutibus, & vitia fugienda, fide, & ſpe propoſita reſurrectionis, ac timore extremi Iudicij vniuerſalis, cuius etiam formam & modum ſic deſcribit.

e c. 4. v. 1. & ſeq. [e] De cætero igitur, Fratres, rogamus vos, acceptam à nobis viuendi rationem accuratè obſeruate, vt magis quotidie in virtutibus proficiendo, Maieſtati diuinæ tantò magis placeatis. Hæc eſt enim eius ſanctiſſima voluntas, veſtra ſanctificatio, integritas, caſtimonia, innocentia, & ab omni, ſiue ſpiritus, ſiue carnis labe immaculata puritas. Vigere quidem inter vos debet fraterna charitas, & beneuolentia; ſed qualem à Deo, non ab humanis affectibus didiciſtis, & qualem video, per Dei gratiam, exerceri erga multos Fratres in vniuerſa Macedonia. Quæſo, vt cœpiſtis, pergite, ac in melius ſemper proficite, otium fugientes, ne ſitis malo exemplo Gentilibus: curioſitatem vitantes, ne in alienarum rerum noxia deſideria incidatis. De morientibus autem, quos propter ſpem certæ reſurrectionis, dormientes nos poſſumus appellare; nolo eam triſtitiam concipiatis, quam habere ſolent hac ſpe deſtituti ethnici, & infideles: ſi enim credimus, vt verè credimus, Dominum IESVM à mortuis rediuiuum iam ſurrexiſſe, etiam credere debemus, quotquot mortui ſunt, à morte, tanquam à ſomno, Dei virtute ſuſcitandos: præſertim eos, qui in Chriſti Saluatoris fide, in ſpe futuræ beatitudinis, in charitate perfecta diem extremum ſanctè clauſerunt. Hoc enim vobis affirmo ex certa Dei reuelatione, adeò celerem & repentinam futuram illam reſurrectionem, vt ſiue nos, ſiue alij, qui ſuperſtites vſque ad illum Domini aduentum inuenientur, non priùs ſint ſurrecturi, & gloria donandi corporum beatorum, quàm ad eandem gloriam conſurgant illi, qui ante multa ſæcula mortui in antiquiſſimis ſepulcris computruerunt. Quoniam ipſe Dominus Chriſtus Saluator, Archangeli tuba ad eius imperiũ perſonante, omniũ Angelorum immenſa multitudine comitante, de

cœlo

cœlo deſcendet, anteà reſurgentibus, qui pridem ſunt mortui: deinde viui, qui adhuc inuenientur ſuperſtites, & ad numerum Beatorum pertinebunt, corporibus, & dotibus ornati glorioſis, rapientur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra, ſic ſemper cum illo in æterna felicitate manſuri. Itaque conſolamini vos inuicem in verbis iſtis, in ſpe certa, & firma tantorum bonorum expectatione. Hinc ad quintum, & poſtremum Epiſtolæ caput progreditur, in quo de incerto futuri Iudicij tempore, ſed non multùm differendo, vt ſemper inueniantur parati, ſic diſſerit.

f cap. 5. v. 1. & ſeq. [f] Quod autem ſpectat ad tempus extremi Iudicij aduentatis, nihil modò attinet ſcribere, niſi in mentem vobis reuocare, quod optimè intellexiſtis, futurum diem illum repentinum, & quaſi nocturnum furem, inopinatò ſuperuenturum. Cùm enim magna ſe frui ſecuritate, ac pace homines exiſtimabunt, tunc inuadent eos inexpectatæ, & grauiſsimæ calamitates, ac dolores, tanquam mulieris parturientis interitum mundo tenebroſo afferentes ineuitabilem. At vos, qui à nocte infidelitatis ad Euangelij lucem, & diem ſanctitatis acceſſiſtis, exorto vobis per fidem iuſtitiæ Sole, qui vos per gratiam ſuam in filios adoptauit, vt meritò filij lucis appellari debeatis, non ampliùs noctis, & tenebrarum, dormire iam non expedit; ſed vigilē, ſobriam, & ab omni luxu, atque intemperantia alienam vitam agere. Qui enim dormiunt, noctu dormiunt, & ſuam crapulam ſic obdormiunt. Noſtrum autem eſt in tanta luce vigilare, nec ſolùm excitatos eſſe; verùm etiam armatos contra hoſtes prædatores ſpiritualium diuitiarum Tegamur itaque fortiſsimo fidei thorace, lorica conſerta quā plurimis Chriſtianarum virtutum bonis operibus, & præcipuè charitatis, protecti caput galea ſalutis, & illius, quam ſperamus, pro mercede laborum pretioſiſsima, æternæ gloriæ corona. Non enim adſcribi Eccleſiæ ſuæ voluit nos Deus, quaſi ad iram deſtinatos; ſed ad ſalutem adipiſcendam inuitatos, per merita & gratiam Saluatoris Domini noſtri IESV Chriſti, qui moriens pro nobis poſuit vitam ſuam, vt nos pro illo viuamus, & pro eo moriamur. Hæc itaque vobis mutuo ſint ſolatio:his vtamini, vt facitis, ad pietatem fomentis, & adiumentis. Rogamus etiam vos, Fratres, magna inter vos eorum ratio habeatur, qui aliis præſunt, qui monent, qui in Euangelio prædicando, in re Chriſtiana procuranda, & promouenda laborant. Nulla ſit diſſenſio, vel animorum alienatio; ſed magna charitas, ſyncera beneuolentia, & quædam erga tales præcipua obſeruantia. Rogamus prætereà, inquietos fraternè corripite, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite, & iuuate, qua poteſtis ſpe, imbecilliores, omnes patienti animo ſuſtinete. Ne cui malum pro malo vnquam reponatis, omninò cauete. Semper gaudete. Sine ceſſatione, quantùm fieri poterit, orate. In omnibus gratias agite. Hæc eſt enim Dei voluntas in Chriſto IESV, qui, nimirum, hanc omnibus dat doctrinam, & præſtò habet gratiam. Spiritum igitur nolite extinguere, nempe, diuinas inſpirationes, lumina, & afflatus. Prophetiam nolite ſpernere. Quæcunque in hoc genere non conſtat eſſe improbanda, prius probate: tum, approbandáne ſint, vel ſecùs, maturo conſilio diiudicate. Non malum tantummodo; ſed etiam mali quancunque ſpeciem, & ſuſpicionem deuitate. Ipſe autem Dominus Deus auctor ſalutiferæ pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter;

veſter; mens, videlicet, animæ portio nobilior, & anima tota, & corpus ſine vllius culpæ macula, pro aduentu Domini noſtri Iesv Chriſti cuſtodiatur, & conſeruetur. Fidelis eſt ille, qui vocauit vos, optimus eſt, potentiſſimus, & ſapientiſſimus: quod igitur promiſit, & adim plere iam incepit, ipſe perficiet. Fratres, orate pro nobis: omnes in oſculo ſancto conſalutate. Adiuro vos per Dominum, vt legatur Epiſtola hæc omnibus ſanctis Fratribus. Gratia Domini noſtri Iesv Chriſti vobis quotidie copioſior ſuperueniat, & in æternum vobiſcum perſeueret. Amen.

Hæc eſt apoſtolicæ Epiſtolæ per ſingula eius capita breuiter explicata intelligentia, qualem in omnibus aliis ſuo loco ſumus redditurí: non quaſi ſacra illa verba nulla ex parte immutata non ſint omni veneratione, ſine comparatione digniſſima; ſed, quia interdum ambigua, aut obſcuriora videntur; nec tamen aſſumere nobis munus Interpretis aliter in hac Hiſtoria debebamus. Eas autem litteras nullo modo hîc inſeruiſſe, fuiſſet plurimùm detrahere præſentis Hiſtoriæ integritati, & illius, quam quærimus, vtilitati: ſiquidem occaſione ſcribendi perſpecta, & tempore, & loco, & perſonis, & ea, quæ tunc verſabatur, materia Scriptionis, ſtylo quoque, vbi difficultas incidit, paucis explanato, nihil ferè legentem morabitur, aut ſubterfugiet, etiam de ſenſibus abſtruſiſſimis.

* * *

CAPVT VI.

Circa priorem Epiſtolam ad Theſſalonicenſes quinque dubia examinantur, quinque illius capitibus reſpondentia.

QVinque capita Epiſtolæ ſuperioris, quinque nobis, per ſingula eorum, ſuggerũt dubitationes, quæ neque in decurſu Epiſtolæ diſcutere, neque hîc diſſimulare congruum videbatur. Eſt autem primi capitis præcipua dubitatio circa illa verba dicta in vniuerſũ Eccleſię Theſſalonicẽſi [a]: *Scientes, Fratres, dilecti à Deo electionem veſtram.* Quibus verbis Paulus, Silas, & Timotheus ita ſcribẽtes ſcire ſe quodammodo ſignificant omnium illius Eccleſiæ fidelium dilectionem à Deo, & electionẽ, atque adeò æternam eorum prædeſtinationem. Cum tamen veriſimile non ſit, omnes illos fuiſſe prędeſtinatos; neque, ſi fuiſſent, id tum Paulo, tum Silæ, ac Timotheo diuinitùs eſſe reuelatum; nec, ſi eſſet reuelatum, hoc eos manifeſtare per literas Theſſalonicenſibus debuiſſe. Ad hæc ita dicimus reſpondendum: cùm Paulus, Timotheus, & Silas ſciẽtes ſe dicunt electionem Theſſalonicenſium, non loqui de ſcientia demõſtratiua, ſiue phyſicæ euidentiæ, aut quæ habeat fidei certitudinem, ſiue tanquam ex aliqua diuina reuelatione; ſed de notitia quadam coniecturali, propter ſigna, ex quibus valdè probabile reddebatur, & quadã morali certitudine conſtabat, Theſſalonicenſes ad Eccleſiam Chriſti vocatos, eſſe à Deo ſpecialiter dilectos, & ad eius gratiam, & amicitiam electos, atque adeò ſi pergerent ita piè viuere, ſicut cœperũt, etiam ad æternam beatitudinem eſſe deſtinatos. Quare adhuc magis obſeruandũ erit,

[a] 1. *Theſſ.* c. 1. v. 4.

duplicem eſſe electionẽ, atque etiam vocationem, & prædeſtinationem; primam, ad gratiam, ſecundam, ad gloriam. quæ prædeſtinatio ad gloriam rurſus diuidi habet in duas: vna eſt inchoata, ſiue incompleta, quæ eſt eadem cum electione ad gratiam; eſt enim gratia ſemen gloriæ, quam, niſi extinguatur gratia in anima, tandem aliquando producet: altera eſt electio completa, & efficax ad gloriam, quæ includit certam illius futuram conſecutionem. Valdè autem falluntur, qui diſtinctionem hanc electionis, ſiue prædeſtinationis incompletæ, & completæ reiiciunt, tanquam eſſet nouitium inuentum, & antiquis minimè notum: nam eius habetur frequens mẽtio in Scripturis, & præſertim in Epiſtolis apoſtolicis. Quis enim dicat, vbi S. Petrus initio ſuæ prioris Epiſtolæ ſic ait [b]: *Petrus Apoſtolus* IESV *Chriſti electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, Bithyniæ, ſecundum præſcientiam Dei Patris*, &c. intellexiſſe hos omnes fuiſſe prædeſtinatos? Sed, quia erant incompleta, ſiue inchoata prædeſtinatione electi, & vocati ad fidem, ad gratiam, & ſanctitatem. Atque ad hunc ipſum ſenſum modò aſſeruit S. Paulus, fideles Theſſalonicenſes eſſe à Deo dilectos, & electos; ea, nempe, quam diximus, incompleta electione ad fidem & gratiam ſanctificationis, ex qua licebat vlteriùs facere coniecturam, & benè etiam ſperare de complenda in multis, ſi non in omnibus, prædeſtinatione ad gloriam ſempiternam: ſicut ipſe ad Philippenſes dixit [c]: *Gaudeo ſuper communicatione veſtra in Euãgelio, confidens hoc ipſum: quia, qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet, ſicut eſt mihi iuſtum ſentire de vobis?* Qua etiam ratione ad Epheſios ſcribẽs [d], omnes fideles vocat electos, & prædeſtinatos: ſed non abſolutè, ac ſimpliciter, quia verum profectò in tanta vniuerſitate eſſe non potuiſſet, niſi, vt ipſe explicat, electos ad gratiam ſanctificantem, & prædeſtinatos in adoptionem filiorum Dei. *Elegit nos* (inquit) *ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate, qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum Dei, per* IESVM. *Chriſtum.* Et ipſe Chriſtus Dominus in eundem ſenſum dixit in Euangelio [e], multos eſſe vocatos, nempe, ad Euangelium; paucos verò electos, id eſt, ad illud ſuſcipiendum, & Eccleſiam ingrediendam, quæ adhuc incompleta eſt electio. Eccleſia quoque in quadam Collecta [f], quæ tribuitur S. Auguſtino, eandem electionis, ac prędeſtinationis diſtinctionem apertè ſupponit, dum orat: *Vt omnium fideliũ nomina beatæ prædeſtinationis liber adſcripta retineat.* Quod nullo modo de completa prædeſtinatione poteſt intelligi, iuxta quam abſolutè in libro vitæ deſcripti deleri à tali libro nunquam contingit. Quòd ſi dicat aliquis, etiam completè prædeſtinatos orationibus indigere, vt aliquid circa eorũ prædeſtinationem executioni mandetur; id quidem verum eſt: ſed non vt completè ac indelebiliter in libro vitæ deſcripti in eo libro, à quo deleri non poſſunt, retineãtur. Deinde, quia orat Eccleſia, vt omniũ fidelium nomina in illo libro retineantur: omnes autẽ fideles dicere in eo libro completa prædeſtinatione inueniri deſcriptos, error eſſet Caluini, & aliorum Hæreticorum, fidẽ aſſerentium ſufficere ad æternam ſalutẽ, & quicunque illam habeat aliquãdo, omninò eſſe prædeſtinatum. Neque verò, quidquid aliqui velint, ignota fuit S. Thomę prędicta electionis differentia: nam agens de libro vitæ [g], & quærens, vtrùm inde aliqui deleãtur, reſpondet, eos deleri non poſſe, qui

b 1. Petri c. 1. v. 1.

c Philip. c. 1. v. 5. 6.

d Epheſ. c. 1. v. 4.

e Matth. c. 22. v. 14.

f in Domin. 1. Quadr.

g S. Th. 1. p. q. 24. a. 3.

qui ſimpliciter in eo inueniuntur deſcripti; poſſe verò, qui ſolùm ſunt deſcripti ſecundùm quid, nempe, iuxta gratiam tantùm, in qua non ſunt perſeueraturi, de quo propterea in Pſalmo dicitur [h]: *Deleantur de libro viuentium.* Et ratio deducitur ex S. Auguſtino prædeſtinationẽ ita definiente [i]: *Prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio: gratia verò eſt ipſa donatio.* Cùm igitur alia ſit gratia inchoata, quod nemo negare poteſt, & alia completa; alia ſimiliter erit prædeſtinatio inchoata, alia verò completa: ſicut idem S. Auguſtinus alibi diſputans contra Pelagianos [k], aliam dicit eſſe ſalutem inchoatam per gratiam, & aliam completam per gloriam conſummatam. Atque ita dubitationi primæ ſatis eſt factum.

h Pſ. 68. v. 29.

i S. Aug. lib. de prædeſt. SS. c. 10.

k S. Aug. lib. 3. cõtra duas epiſt. Pelag. c. 3.

Secunda circa ſecundum eiuſdem Epiſtolæ caput occurrit ambigendi ratio, cur totum ferè illud caput tranſegerit Apoſtolus in ſui commendationem, oſtendens pluribus, vt vidimus, argumentis zelum prædicationis ſuæ, & puritatem, ſynceritatem, ſanctitatémque traditæ à ſe doctrinæ. Cùm tamen, ſicut alibi ipſemer docuit [l], *non qui ſeipſum commendat, ille probatus ſit: ſed quem Deus commendat.* Ad hæc tamen reſponſio non eſt difficilis: nam, ſi quem Deus commendat, ille probatus eſt, cùm hæc Paulus, non niſi Deo ſuggerente de ſe ſcriberet, non tam à ſe, quam à diuino Spiritu in eo loquente commendabatur. Sed & hoc ipſum, quod de ſe, ſuiſque laudibus, Deo inſpirante, promebat, totum ad Dei, nihil ad ſui gloriam referebat. Vnde vbi dixit: *Quem Deus commendat, ille probatus eſt,* etiam adiunxit [m]: *Vt qui gloriatur, in Domino glorietur.* Ideò etiam Theſſalonicenſibus opera ſua honorifica cõmemorans, inuocato Dei, & conſcientiæ propriæ teſtimonio, addidit [n]: *Neque fuimus aliquando quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.* Tertiò, ſi quis benè attẽdat, qua ratione in hac materia laudum procedat Apoſtolus, intelliget toto illo capite, non tam eum voluiſſe laudes proprias aſtruere, quàm de geſtis ſuis apud Theſſalonicenſes, pro illorum bono, tãquam à teſtibus oculatis iuſtum teſtimonium poſtulare; nec ab ipſis tantùm, verùm etiam exhibitum à Deo, illis ſpectantibus, & profectum Euangelij, qualem non niſi Deus inter tot difficultates dare potuiſſet, obſeruantibus. Quare non fuit hæc ſuorum egregiè factorum vana prædicatio; ſed diuinorum beneficiorum digna æſtimatio, & commendatio, ad Dei gloriam honeſtiſſima, ad Theſſalonicẽſium in virtute profectum vtiliſſima, & ad eorum in fide conſtantiam propè neceſſaria.

l 2. Cor. c. 10. v. 18.

m 2. Corinth. c. 10. v. 17.

n 1. Theſ. c. 2. v. 5.

Tertia occurrit circa tertium caput interrogatio, quid ſit, quòd ibi Apoſtolus ait, miſſum à ſe Timotheum vt fidem Theſſalonicenſiũ exploraret [o]: *Miſi,* inquit, *vt cognoſcerem fidem veſtram, ne fortè tentaret vos is qui tentat; & inanis fiat labor noſter.* Et addit inferiùs, ſe quoque valde cupiuiſſe ad eos reuerti, ſi potuiſſet: *Vt videamus,* inquit, *faciem veſtram, & compleamus ea, quæ deſunt fidei veſtræ.* At hæc in primis videntur gratiæ apoſtolicæ, quæ dicitur gratis data, nonnihil detrahere: nam debuiſſet S. Paulus ſpiritu & dono, quo erat præditus, prophetiç, licet abſens, intelligere, qualis, & quãta eſſet fides Theſſalonicenſiũ. Deinde, aliquid virtuti Theſſalonicẽſium quodammodo detrahit, dum illis quaſi parum fidit, & fidem eorum cẽſet imperfectam; quam tamen adeò ſuperiùs laudauerat, vt diceret [p]: *Facti eſtis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia: nec ſolùm in Macedonia, & in Achaia, ſed &*

o 1. Theſ. c. 3. v. 9. & 10.

p 1. Theſ. c. 1. v. 7. & 8.

& in omni loco fides veſtra, quæ eſt ad Deum, profecta eſt. Sed, quod ſpectat ad primam interrogationis partem, dicimus, non quidem caruiſſe Apoſtolum gratia prophetiæ, ſicut neque alij Apoſtoli hoc dono caruerunt: tamen non eſt prophetia, vt inter alios benè docuit S. Thomas [q], habitus in mente Prophetarum, & quaſi forma permanens inclinans ad omnia occulta, vel remota diſcernenda; ſed eſt illuſtratio quædam tranſiens, impreſſa diuinitùs circa ea tantùm, quæ Deo placuerit pro eo tempore reuelare. Vnde Propheta Eliſæus dicebat [r]: *Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* Celat autem Prophetis ea potiſſimùm, quę humana induſtria cognoſci poſſunt: vt poterat Paulus, mittendo Timotheū, quæ apud Theſſalonicenſes agebantur, intelligere: atque ita illum eò tranſmiſit. Neque id fuit, quod ſecundo loco petebatur, de virtute Theſſalonicenſiū diffidere; ſed paternam gerere ſollicitudinem, de filiis non pridè in Chriſto genitis, & adhuc in virtute tenerioribus, aut certè non omnibus inter tot aduerſa æqualis firmitatis. Quòd verò Paulus ſcripſerit, valdè ſe deſideraſſe Theſſalonicam reuerti, vt ea compleret, quæ deerant fidei Theſſalonicenſium; ideò dixit, quia cùm primùm fuerat apud ipſos, importunitate Iudæorū inſidias tendentium coactus fuit eos nimis citò deſerere; vnde non potuit modico illo tempore doctrinam euangelicam ei tradere, omnibus ſuis partibus abſolutam, atque perfectam. Fidem igitur complendam, non virtutem fidei intellexit; ſed materiam, & doctrinam fidei, necnon præcepta rectè viuendi ſecundùm perfectionem Chriſtianæ diſciplinæ.

q S. Th. 2. 2. q. 171. a. 1.

r 4. Reg. c. 4. v. 27.

Quarta occurrit circa quartum caput aliquantò difficilior dubitatio, in eo, quod ait Apoſtolus [s]: *Hoc vobis dico in verbo Domini: quia nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentum Domini, nō præueniemus eos, qui dormierūt.* Quæ verba ſic interpretati ſumus in noſtra paraphraſi: *Hoc vobis affirmo ex certa Dei reuelatione, adeo celerem, & expeditā futuram illam vniuerſalem reſurrectionem, vt ſiue nos, ſiue alij, qui ſuperſtites vſque ad illū Domini aduentū inuenientur, non prius reſurrecturi ſint, & gloria donandi corporum beatorū, quàm ad gloriam reſurgant, qui ante multa ſæcula mortui in antiquiſſimis ſepulcris computruerunt.* Sed eſt difficultas primùm: quia videtur Apoſtolus ſignificare voluiſſe, tum ſe, tū alios quoſdam, qui cum ipſo tunc viuebant, viuos manſuros vſque ad extremum vniuerſalis Iudicij diem, nec ante illum diē morituros. Et tamen in Epiſtola ſecunda, quam poſteà ſcripſit ad eoſdem Theſſalonicenſes, de qua erit agendum inferiùs ſuo loco, refellit ex inſtituto quoſdam Pſeudoapoſtolos, qui diem Iudicij eſſe propinquū mētiebantur. Nec minor eſt difficultas in eo, quod ſupponere videtur, ſiue ipſemet, ſiue alij futuri ſint, qui viui inter mortales erunt, quādo Chriſtus Dominus ad Iudicium vniuerſale deſcendet, non eſſe ampliùs morituros; ſed tantùm innouandos gloria & dotibus corporis beatificati, nec aliter immutandos: nam inquit [t]: *Nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentum Domini.* & iterum infrà: *Nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus.* Atque in hūc ſenſum, hæc verba ſunt interpretati Patres Græci, Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, & ante hos Origenes, & Apollinarius. Idémq; cōfirmabant ex alio eiuſdē Apoſtoli teſtimonio ad Corinthios ita ſcribētis [u]: *Ecce myſteriū vobis dico: omnes quidē reſurgemus;*

s 1. Theſ. c. 4. v. 14.

t ibid. c. 4. v. 14. & 15.

u 1. Cor. c. 15. v. 51.

gemus; ſed non omnes immutabimur. legunt autẽ ipſi: *Non omnes quidem dormiemus*, (nempe, ſomno mortis,) *ſed omnes immutabimur*; nempe, dono immortalitatis. Et ita legitur in Græcis codicibus, & interpretatione Syriaca. Quod fecit dubitare etiam S. Hieronymum in quadam epiſtola ad Marcellam [x], & in alia epiſtola ad Minerium: & S. Auguſtinum in quæſtione tertia ad Dulcitium [y], vbi addit fauere huic ſententiæ, quod in Symbolo dicimus Apoſtolorum, Chriſtum venturum iudicare viuos, & mortuos. Sed tamen adiungit aliquot argumenta ſuadentia, omnes aliquando eſſe morituros, & quæſtionem relinquit, quaſi problema inſolutum.

x S. Hier. ep. 148. & ep. 152.
y S. Aug. q. 3. ad Dulcit.

Hanc igitur ambiguitatem vt ſoluamus, intentio primùm Apoſtoli eſt conſideranda, qui Theſſalonicenſium triſtitiam de morte ſingulis imminente conſolari ſpe futuræ vniuerſalis reſurrectionis illo capite ſibi propoſuerat. Id vt meliùs aſſequeretur, non meminit expreſsè reſurrectionis, niſi iuſtorum, & electorum: nam impiorum damnatorum, non tam ad vitam, quàm ad mortem, & ſupplicia ſempiterna, mitigare triſtitiam fidelium minimè potuiſſet; ſed magis augere mœrorem, atque formidinem. Iuſtos autem ad beatam immortalitatem reſurrecturos in duos ordines diſtinxit: primi ordinis poſuit iuſtos veteris Teſtamenti, qui omnes pridem mortem obierant, iacentes magna ex parte in ſepulcris vetuſtiſſimis: ſecundi ordinis ponit iuſtos noui Teſtamenti, ſiue qui tunc viuebant, ſiue qui victuri erant vſque ad extremum magni Iudicij diem. Itaque mirum non eſt, ſi ſe inter iſtos ſecundi ordinis includit, dicens: *Nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentum Domini*; hoc eſt, vſque ad aduentum Chriſti Domini ad Iudicium. Neque enim voluit ſignificare, ſe, vel alios, qui tunc viuebant, vſque ad extremi Iudicij diem vitam eſſe producturos: ſed in tota illa multitudine iuſtorum noui Teſtamenti futuros aliquos, quando veniet Dominus ad Iudicium, nondum mortuos. Atque ita primæ dubitationis parti ſatis eſt factum. Quod verò attinet ad ſecundam grauiorem difficultatem, videtur quidem S. Paulus quodammodo indicare, eos iuſtos, qui electi ad æternam felicitatem, quando veniet Dominus ad Iudicium, nondum erunt mortui, ampliùs non morituros; veruntamen id ipſe non dicit: ſed tantùm tacet illorum mortem; quia non niſi de reſurrectione ſuſceperat tractationem, & de reſurrectione, vt diximus, propria iuſtorum ad gloriam ſempiternam. Alibi tamen omnes mortales aliquando eſſe morituros, tum ipſe, tum aliæ diuinæ Scripturæ ſæpiùs docuerunt. Ideo ait in Pſalmo Dauid [z]: *Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem?* quaſi diceret: Planè nullus, ſicut non tantùm quotidiana docet experientia, de qua alibi dicitur [a]: *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur*. verùm etiam conſtat ex diuino decreto, quod mundi teſtamentum appellauit Eccleſiaſticus [b]: *Teſtamentum* (inquit) *huius mundi, morte morietur*: id eſt, mortalium omnium in hoc mundo viuentium tale fuit à Deo decretum, cùm, videlicet, primo parenti hominum dictum eſt [c]: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. Clariùs adhuc S. Paulus [d]: *Statutum eſt* (inquit) *hominibus, ſemel mori: poſt hoc autem Iudicium*. Et habet ex eo maiorem vim in re noſtra hoc Pauli teſtimonium: quia ſic aſſeruit ad probandum, etiam Dei Filium propter nos hominem mortalem factum includi

z Pſ. 88. v. 49.
a 2. Reg. c. 14. v. 14.
b Eccli. c. 14. v. 12.
c Gen. c. 3. v. 19.
d Hebr. c. 9. v. 27.

hac lege mortis debuiſſe;cui tamen, ſi vlli mortalium,aliquod in hac parte fuiſſet concedendum priuilegium, certè illi maximè debebatur, ſicut etiam eius ſanctiſſimæ Genitrici : & tamen à communi lege mortis eximi neuter eorum , multò autem minùs alij cuiuſuis ſanctitatis homines debuerunt. Quare S. Auguſtinus , qui dubitaſſe in adducta ſuperiùs quæſtione videbatur , tamen in libro de ciuitate Dei vigeſimo[e],propter allata ſuperiùs à nobis diuinæ Scripturæ teſtimonia,nō ampliùs dubitat,omnes, qui naſcuntur,mortales ſuo tempore morituros:iuxta illud S.Iob[f] : *Breues dies hominis ſunt : numerus menſium eius apud te eſt : conſtituiſti terminos eius,qui præteriri non poſſunt.* Ad illud autem S.Pauli teſtimonium, quo indicari contrarium videbatur , ita S. Auguſtinus ibi reſpondet:*Si ergo Sāctos,qui reperientur Chriſto veniente viuentes,eique in obuiam rapientur,crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros , & ad eandem immortalitatem mox redituros , nullas in verbis Apoſtoli patiemur anguſtias.*

e S. *Aug. lib* 20. *de Ciu. cap.* 20.

f *Iob c.* 14. *v.* 5.

Alij[g] tamen putant , ante illum raptum,in terra mortem obituros. Ad aliud verò teſtimonium ex Epiſtola ad Corinthios[h], duo reſpondemus. Primùm,noſtram vulgatam lectionē, quā magis ſequendam ſacra Tridentina Synodus ordinauit[i], vt magis authenticam,& vſu tot ſæculorum in Eccleſia confirmatam,non habere illam negationem : *Non omnes quidem dormiemus.* ſed hanc affirmationem: *Omnes quidem reſurgemus.* in qua affirmatione continetur quodammodo contradictio eius, quod eſt in Græca negatione : *Non omnes dormiemus*;id eſt,nō omnes moriemur.Cùm enim, vt arguit loco citato S. Auguſtinus, reſurrectio non ſit niſi mortuorum; ſi omnes reſurgemus ,omnes vtique ſōno mortis corripi antè à debemus. Secundò reſpondeo , aliqua Græca exemplaria carere illa negatione, ſicut caret noſtra lectio vulgata : vnde valdè redditur veriſimile, quod in aliis Græcis exemplaribus legitur, *πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα,omnes quidem non dormiemus*,id eſt,non moriemur;caſu irrepſiſſe:nam facile potuit contingere vnius tantùm Græcæ literulæ, *ν*,detractione : ſi enim particulæ negatiuæ, οὐ,quæ ſignificat, *non*, addatur , *ν* , fiet οὖν , & erit contrarius verus,& vulgatæ cōſentiens affirmatiuus ſenſus:*Omnes quidē certè dormiemus*,hoc eſt,moriemur,ita vt ſuſcitari,ſiue reſurgere omnes debeamus.Et hāc lectionem magis approbanr SS. Auguſtinus,& Hieronymus,magiſq; cohęret antecedentibus,& conſequētibus, aliſque S.Pauli teſtimoniis,vt contrarium aſſerere Sotus[k], & alij quidam , temerarium eſſe iudicauerint:quæ tamen cēſura propter Græcos Patres ſuperiùs in contrarium adductos nimis ſeuera ab aliis Doctoribus exiſtimatur. Nobis ſit ſatis, eam minùs , noſtram magis probabilem eſſe ſententiam , vt loquitur S.Thomas , expendens allatum Pauli teſtimonium[l]:*Nam*,inquit, *dicendum eſt, quod probabilius & conuenientius tenetur,quòd omnes illi, qui in aduentu Domini rapientur, morientur,& poſt modicum reſurgent , vt in tertio plenius dicetur.* Sed hanc tertiam ſuæ Summæ Theologicæ partem S.Thomas,morte adueniente,non perfecit.

g *Suarez* 3 *p. tom.* 2. *diſp.* 50 *ſect.* 2. *Azor lib* 4. *Inſt c.* 32.

h 1. *Cor. c.* 15. *v.* 51.

i *Trid. ſeſſ.* 4. *in decr. ſacrorum libr.*

k *Sotus in* 4. *d.* 43. *q.* 2. *art* 4. *Ambroſius Cathar. & alij.*

l *S Th.* 1. 2 *q.* 81. *art.* 3. *ad* 1.

Poſtrema dubitatio verſatur circa poſtremū eiuſdem Epiſtolæ caput,& circa ſenſum petobſcurum illorum verborum[m] : *De temporibus autem,& momentis,Fratres,non indigetis,vt ſcribamus vobis: ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini ſicut fur in nocte , ita veniet.* Videtur enim Apoſtolus his verbis ſignificare, de tēpore aduentus

m *cap.* 5. *v.* 1. & 2.

Domini

Domini ad iudicandum aliquid ſciuiſſe Eccleſiam Theſſalonicenſium: *Ipſi enim* (inquit) *diligenter ſcitis*, Græce, ἀκριβῶς, quaſi exploratè & exacte, cum tamen tempus illud ſit incertiſſimum, vt propterea dixerit in Euangelio Chriſtus Dominus [n]: *De die autem illa, & horæ nemo ſcit.* & infrà: *Ideò vos eſtote parati; quia, qua neſcitis hora, Filius hominis veniet.* Deinde videtur indicare S. Paulus, Chriſti aduentum ad iudicandum futurum tempore nocturno, dum ait: *Sicut fur in nocte, ita veniet.* cùm tamē dicatur in Pſalmo [o]: *Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit: ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida.* Sed reſpōdendum eſt, potiùs voluiſſe Apoſtolum ſignificare cōtrarium, nempe, Theſſalonicēſes minimè debuiſſe de tēpore, vel momento futuri aduentus Saluatoris. add ſcendo eſſe curioſos, ſicut Apoſtolis ſuis hac de re ſciſcitantibus Chriſtus Dominus aliquando reſpondit, dicens [p]: *Non eſt veſtrū noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Vnde leuiſſima eſt coniectura, ſine vllo fundamento, niſi tantùm cuiuſdam arithmeticæ congruitatis, quales multæ poſſent excogitari, quod aſſeruit Nicolaus Cardinalis Cuſanus [q], Corpus Chriſti myſticum, id eſt, Eccleſiā catholicā, tot habituram eſſe annorū Iubileos, id eſt, quinquagenas, (tot enim annis expectabatur annus Iubilei, tempore huius Cardinalis) quot annis vixit in hoc mundo Chriſtus Dominus, qui anni, cùm fuerint triginta quatuor, ſi multiplicētur per quinquaginta, iuxta numerum Iubilei, erunt anni mille & ſeptingenti. Aduentum igitur Chriſti ad Iudicium Cuſanus coniectabat futurum anno humanæ ſalutis milleſimo ſeptingenteſimo. Alij arbitrati ſunt, tot annos poſt Chriſtum eſſe lapſuros vſque ad diem Iudicij, quot ante ipſum à mundi origine præceſſerunt: quia Habacuc capite tertio dicitur de tempore Dominicæ incarnationis: *Domine, opus tuum, in medio annorum viuifica illud.* Quorum tamen verborum alius eſt ſenſus. Non multum diſſimilis eſt opinio Thalmudiſtarum, qui ex Elia Propheta dicunt, ſe vaticinium habere, mundum duraturum ſex millibus annorum: vt, ſicut ſex diebus mundus eſt conditus, ita ſex millibus annorum conſummetur. Iuxta quod in Pſalmo dicitur [r]: *Mille anni ante oculos eius, tanquam dies heſterna, quæ præteriit.* Idem confirmant ex eo, quod initio Geneſis dicitur: *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* vbi verba Hebraïca ſex Aleph includunt: eſt autem Aleph nota arithmetica Hebræis ſignificans mille. Meminit huius opinionis S. Auguſtinus [s], nec eam omninò improbat, & ſecuti olim ſunt Iuſtinus [t], Irenæus [x], Hieronymus [y], Hilarius [z], & Lactantius [a] Firmianus. Quòd ſi certa eſſet multorum Chronologia de mundi ætate, putantium mundum iam vltra ſex annorum millia proceſſiſſe, fuiſſet ipſa experientia hæc opinio confutata; ſicut eam ex hoc tentauit S. Ambroſius [b] redarguere: ſed alij rectiùs putant [c], nondum ſextam annorum mundi myriadem tranſiuiſſe, atque adeò nondum apertæ falſitatis hanc opinionem eſſe conuictam, nec redditam improbabilem ait Bellarminus [d]; manere tamen incertam ex certo teſtimonio Chriſti aſſerentis [e]: *De die illa, & hora nemo ſcit* Sed hæc ſatis ad primā dubitationis partem. Circa alteram dicimus, non carere probabilitate, Chriſti aduētū ad vniuerſale Iudiciū in nocte futurum: quia id non ſolùm

S. Paulus

n Matth. c. 24. v. 37. & 44.
o Pſ. 49. v. 3. & 4.
p Act. c. 1. v. 7.
q Cuſanus in lib. coniect. de nouiſſimis tempor.

r Pſ. 89. v. 4.
s S. Aug. lib. 20. de ciu. cap. 7.
t Iuſt. q. 71. ad Gentes.
x Iren. lib. 5. contra hær.
y Hier. in Pſ. 89. ad Cypr.
z Hilar. in c. 17. Matth.
a Lact. lib. 7. c. 14.
b S. Ambroſ. lib. 7. in Luc. cap. 2.
c Vide Bellarm. Tronol.
d Bellarm. lib. 3. de Rom. Pon. c. 3.
e Matt. c. 24. 36.

f 1. Theſſ. c. 5. v. 2. S. Paulus illis verbis indicauit [f]: *Sicut fur in nocte, ita veniet.* Sed etiam in quadam parabola Chriſtus Dominus, cùm ait [g]: *Media autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit.* & alibi [h]: *In illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus aſſumetur, & alter relinquetur.* Idem interdum indicant aliqui ex Patribus, & ſequuntur docti recentiores. Sed plures contrariam ſententiam amplectuntur: nam allata ſacrarum Scripturarum teſtimonia videntur ſolum ſignificare, inexpectatum Chriſti aduentum futurum, vt magis exprimũt verba illa S. Pauli dicentis: *Sicut fur in nocte, ita veniet.* Vel ſignificare etiam voluerunt elementorum turbationem, clamores, & diſcurſiones Angelorum, tubarum clangores mortuos excitantes, in nocte debere incipere, necnon orbis conflagrationem: iuxta prolata ſuperiùs Pſalmi verba [i]: *Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida.* Atque hoc igne, qui tunc viui reliqui fuerint mortalium, præſertim reprobi, morientur. Hinc in alio Pſalmo dicitur [k]: *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ſuos.* & S. Paulus in Epiſtola ad Theſſalonicenſes ſecunda: *Pœnas* (inquit) *dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in Sanctis ſuis.* Dei verò amici homines iuſti tunc viuentes, ſatis illis calamitatibus purgati, mitiori morte poterunt ad gloriam reſurrectionis tranſire obuiam euntes Chriſto Iudici è cœlo deſcendenti, & ad finem noctis ſub aurora in loco Iudicij ſe conſtituenti. Tunc autem cœli præcipua luminaria, Sol, videlicet, ac Luna, completis periodis ſæculorum, ſiſtẽt in punctis horizontis, in quibus primùm fuêre creata, & à quibus moueri inceperunt: hoc eſt, Sol in Oriente; Luna verò in Occidente, à Sole aduerſo plenè illuſtrata. Chriſti autem Corpus glorioſiſſimum tanquam in medio cœlo, multò ſplendidius Sole, conſtituetur, quod etiamſi ſufficere poſſet ad vniuerſum perfectiſſimè illuminandum; præſertim accedentibus tot aliis circuncirca beatis corporibus fulgentiſſimis; tamen expediebat, ipſam quoque naturalem lucem tali Iudicio non deeſſe, vt etiam modo ac virtute naturali poſſent inuicem ſe intueri electi ſpecioſiſſimi; reprobi autem miſeri, & deformatiſſimi. Neque ſolùm probabilius eſt aduentum Chriſti Iudicis in aurora ſecutũrum; ſed etiam auroram illam futuram Dominici diei, illúmque Dominicũ diem futurum Paſchatis, in quo Chriſti Domini reſurrectio, verno tempore in Eccleſia celebratur. *Venerabilis eſt hic dies,* (inquit S. Auguſtinus [l],) *qui Dominicus dies, & dies primus, atque perfectus eſt, & dies clarus, in quo eſt viſa prima lux, & in quo ſperamus Dominum noſtrum,* I E S V M *Chriſtum, ad Iudicium venturum. In quo die omnis creatura reformabitur in melius, vt Sol, & Luna ſeptuplum lumen accipiant, & ſancti homines vitam æternam propter merita bona obedientiæ recipiant à Deo.* Ita S. Auguſtinus. Atque hæc eſt ratio conuenientiſſima huius nobis non certæ, ſed probabilis veritatis: quia Chriſti reſurrectio eſt idea & exemplar futuræ noſtræ reſurrectionis, ſicut ſcripſit Apoſtolus ad Philippenſes [m]: *Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Sed Chriſtus Dominus reſurrexit tali tempore, & hora, vt creditur, matutina. Vnde etiam arguit S. Anſelmus [n], eadem Dominica reſurrectionis die nos ſimiliter eſſe ſuſcitandos: & verno tempore, ait in

g Matth. c. 25. v. 26.
h Lucæ c. 17. v. 34
i Pſ. 49. v. 3.
k Pſal. 96. v. 3 & 2 Theſſ. c. 1. v. 9.
l S. Aug. ſer. 154. de tẽpore.
m Philip. cap. 3. v. 20.
n S. Anſelm in Elucidario, prope finem.

in aliquot ſuis homiliis B. Macarius [o], quo tempore Deus mundum creauit, Chriſtus pro nobis conceptus eſt, nos ſua morte redemit, & ab Inferis rediuiuus tunc ſurrexit, omnia germina florere incipiunt, & quaſi per hyemem anteà mortua, ſingulis annis hac nos de re admonendo, reuiuiſcunt. His illa mihi videtur fauere temporum conuenientia Danielis capite duodecimo indicata, iuxta cõmunem expoſitionem, cùm dicitur, poſt mortem Antichriſti dandos eſſe hominibus dies quadragintaquinque pœnitentiæ, ante Chriſti Iudicis aduentum [p]: adeò vt interitus debacchantis Antichriſti, expletis planè Bacchanalibus, ipſa prima die Cinerum ſecuturus videatur, deinde quadrageſima integra pœnitẽtiæ ſubſequetur, tum Paſcha erit vniuerſalis omnium reſurrectionis. Quare S. Baſilius in libro de Spiritu ſancto, capite vigeſimoſeptimo, agens de antiquiſſima traditione ab Apoſtolis inducta non flectendi genua inter orandum diebus Dominicis, & à die Paſchatis vſque ad Pentecoſten, dicit, id factum, vt moneamur eo potiſſimum tempore expectatæ à nobis reſurrectionis vniuerſalis. Nam inquit, *In hoc die Eccleſia ſuos alumnos docet ſtantes abſoluere preces ſuas, vt aſſidua commemoratione vitæ illius nunquam deſituræ, non negligamus ad eam migrationem parare viaticum. Quin & totum tempus vſque ad Pentecoſten admonitio eſt reſurrectionis, quam in illo ſæculo expectamus. Nam vnus ille & primus dies ſepties multiplicatus ſeptem ſacræ Pentecoſtes hebdomadas abſoluit: à primo enim incipiẽs in principium deſinit, per ſimiles, qui medio intercedunt, dies, quinquagies euolutus. Vnde & æternitatem ſimilitudine refert, dum velut in motu circulari ab iiſdem rorſus ſignis in eadem deſinit.* Et S. Hieronymus ad illa S. Matthæi verba: *Media nocte clamor factus eſt.* ſcribit, traditionem fuiſſe Apoſtolicam adhuc ſuo tempore obſeruatam in peruigilio Paſchatis, hoc eſt, in Sabbato ſancto, vſque ad mediam noctem non dimittere ab Eccleſia populum, tanquã expectantem, ſi fortè aduẽtus Domini appareret ad extremũ vniuerſale Iudicium: additque propterea dixiſſe in Pſalmo Danidem: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ.* Et hæc ſatis de hac materia, circa quam plura quidem ſuggerit Apoſtolus in alia Epiſtola, quam paulò pòſt ad eoſdem Theſſalonicenſes Corintho ſcripſit. Sed nobis priùs eſt exponendum, quid ante illam Epiſtolam Corinthi pertulerit à Iudæis.

[o] *Mac. homil.* 5. & 12.

[p] *Vide Suarez tom.* 2. *in* 3. *p. d.* 54. *ſect.* 2. §. *Tertium. & ſect.* 6. *in fine.*

CAPVT VII.

Accuſatur Paulus Corinthi à Iudæis tumultuantibus apud Proconſulem Gallionem; à quo tamen accuſatio non admittitur.

ANnus agebatur humanæ ſalutis quinquageſimuſtertius, Claudij Imperatoris vndecimus; ætatis verò Pauli ſupra quinquageſimum iam ſecundus, cùm ipſe a turbulentis Iudæis, vt ſæpe aliàs, in iudicium vocatus, vi pertractus eſt ad tribunal Proconſulis Achaïæ, Corinthi, vt in primaria illius prouinciæ ciuitate, commorantis; & quaſi reus magni ſceleris, quòd Chriſti Euangelium prædicaret, à populo Iudæorum accuſatus eſt. Rem ita narrat S. Lucas [a]: *Gallione autem Proconſule Achaiæ, inſurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, dicentes: Quia contra legem hic perſuadet hominibus colere Deum.* Quòd autem hoc anno talia contige-

[a] *Act.* c 18. *v.* 12. & 13.

 rint,

contra legem hic perſuadet hominibus colere Deum. legem nullam exprimentes: ac ſi dicere voluiſſent: Non ſolùm contra noſtrã legem, ſed etiam veſtram Romanam, qua cauetur, ne abſque Senatus auctoritate cultus nouorum Deorum inducantur. Sicut olim Pilato contra Chriſtum dicebant [p]: *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari.* Quaſi verò multùm cordi eſſet Iudæis, leges, & iura tueri Romanorum. Sed, ſicut ipſi Romanas leges non curabant, niſi ex quadam ſimulata adulatione; ita Proconſul nihil ſe facere Iudaïcas apertè, & ſine ſimulatione oſtendit, accuſationem contra Paulum, tanquam nullius momenti, & nugatoriam aſpernatus. Tertiò, quia intelligebant Iudæi, magnam eſſe Romanorum Iudicum poteſtatem, maximè verò Proconſulis, vt ex iure Cæſareo ſub toto titulo de officio Proconſulis licet agnoſcere: & vbi de graui ſupplicio infligendo agebatur, quale Iudæi Paulo inferri voluiſſent, cauſa non erat alterius tribunalis, ideò *inſurrexerunt* (inquit S. Lucas [q]) *Iudæi vno animo in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal* Proconſulis Gallionis. Hic tamen accuſatione vix inchoata, neque graue, neque leue ſupplicium Apoſtolo decernendum ſtatim adiudicauit: ita vt nihil opus fuerit ad obiectum crimen refellendum vllam inſtituere apologiam. *Nam, incipiente Paulo aperire os,* (ait S. Lucas,) *dixit Gallio ad Iudæos: Si quidem eſſet iniquum aliquid, aut facinus peſſimum, ô viri Iudæi, rectè vos ſuſtinerem: ſi verò quæſtiones ſunt de verbo, & de nominibus, & lege veſtra; vos ipſi videritis: Iudex ego horum nolo eſſe. Et minauit eos a tribunali.* nempe, repulit, aut inde amandauit: hæc enim vis eſt in verbo, *ἀπήλασεν*, quod ſacer Hiſtoricus vſurpauit. Laudandus aliqua ex parte Iudex, qui Pauli defenderit innocentiam, & iniquum zelum Iudæorum prudenter odoratus, ſtatim repreſſerit, nec iudicare cauſas eccleſiaſticas ſuſtinuerit; præſertim cùm non ſatis habere ſe ſcientiæ ad id præſtandum intelligeret. Nam, etiamſi confuſa eſſet apud ethnicos poteſtas ſpiritualis cum temporali, vt propterea illius temporis Imperatores cum imperio ſummum quoque Pontificatum ſibi arrogarent, & omnibus ſacerdotiis inaugurarentur, vt omnes religiones (ſicut Dio ſcribit [s]) & ſacrificia in ſua haberent manu, quod idem Ægypti Regibus tribuit Plato [t], & de aliarum nationum Regibus tradidit Ariſtoteles [u], atque adeò etiam Proconſuli ſuo quodam modo competebat, cùm vicaria Imperatoris poteſtate fungeretur; tamen Gallio, vir prudens, aduertebat, Deum à Paulo prædicatum, à vero Deo Iudæorũ non eſſe diuerſum, etiam ipſius Pauli teſtimonio, & aſſeueratione, cui Iudæi, dum malè contradicerent, lis tota inter illos vertebatur. Hæc igitur diſcordia Proconſuli viſa eſt partim eſſe de nominibus Meſſię, partim de intelligentia & ſenſibus Prophetarum: nam hoc eſt, quod ipſe ait [x]: *Si verò quæſtiones ſunt de verbo, & nominibus, & lege veſtra; vos ipſi videritis: Iudex ego horum nolo eſſe.* Ac ſi dicere voluiſſet: Poſſem quidem; ſed nolo, cùm hæc, vel leuia ſint, vel ad veſtram, non ad meam religionem pertinentia. Sed hac in re Proconſul non adeò laudabiliter ſe geſſit: debuiſſet enim magis rem expendere, & inueniſſet, non tantùm de nominibus, & verbis eſſe diſceptationem, neque ſolùm ad religionem Iudaïcam pertinentem; verùm etiam ad gẽtilitiæ ſuperſtitionis vanitatem diſcutiendam ſummè neceſſariam.

p Lucæ c. 23. v. 2.

q Act. c. 18. v. 12.

s Dio lib. 53.

t Plato lib. de Regno.

u Ariſt. lib. 3. Polit. c. 10.

x Act. c. 18. v. 15.

Sed

Sed hæc ſolet eſſe politicorum hominum conſuetudo, ea, quæ ad rempublicam, & humanas pertinent rationes, maximi ducere; quæ verò ſpectant ad diuinum cultum, & religionem, leuia æſtimare, quaſi parum, aut nihil ad rem ipſorum facientia. Reiectis itaque non ſine ignominia iniquis Pauli accuſatoribus Iudæis à tribunali, quid illis tumultuosè recedentibus ibi ſucceſſerit, refert S. Lucas his verbis [y]: *Apprehendentes autem omnes Soſthenem Principem Synagogæ, percutiebant eum ante tribunal, & nihil eorum Gallioni curæ erat.*

y *Act. c. 18. v. 17.*

Triplex autem hîc oritur dubitatio: prima eſt, quis hic Soſthenes, Princeps Synagogæ, fuerit: deinde, quinam illi ante tribunal percuſſores ipſius: demum, qua de cauſa ſic percuteretur, ſpectante præſertim Iudice, & nihil curante. Dubitauit S. Ioannes Chryſoſtomus [z], an hic Soſthenes idem eſſet, qui Criſpus anteà in Actis apoſtolicis eſt appellatus [a], quaſi duplex haberet nomen, vt in multis tunc eueniebat. Nã ille Criſpus, ſicut hic Soſthenes, Archiſynagogus à S. Luca dictus eſt: & ſicut ille Criſpus narratur Paulo credidiſſe, & ab eo baptizatus eſt, ac inter Sãctos recenſetur in Romano Martyrologio; ita etiam ſanctus fuit hic Soſthenes; &, vt veriſimile eſt, à Paulo Corinthi hoc tẽpore baptizatus. Vnde ipſe ad Corinthios poſteà ſcribens [b]: *Neminem* (inquit) *veſtrũm baptizaui, niſi Criſpũ, & Caium, ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizati eſtis: baptizaui autem & Stephanæ domum: cæterùm neſcio, ſi quẽ alium baptizauerim.* Quare putauit Chryſoſtomus, hunc Soſthenẽ, quem à Criſpo non diſtinguit, propterea à Iudæis tunc verberatum, quòd nimis Paulo faueret; & quòd propter ipsũ Iudæos à tribunali Procõſulis eiectos primus ipſe percuſſerit: ſic enim de Criſpo ſcribit Chryſoſtomus [c]: *Hunc Lucas dicit Synagogæ Principẽ, de quo Paulus ſcribens, inquit: Nullum alium baptizaui, niſi Criſpum, & Caium. Opinor autem, hunc etiam Soſthenem dici, qui in tantum fidelis fuerit, vt etiam percuſſerit, & Paulo ſemper affuerit.* Sed verbum Chryſoſtomi ambiguum, τύπτεσθαι, quod Interpres vertit, *percuſſerit*, potiùs verti debuit, *vapulauerit*: & perſonas fuiſſe diuerſas, Criſpum, & Soſthenem, apertè docet Romanum Martyrologiũ: nã Criſpi Archiſynagogi à S. Paulo baptizati natalis dies ibi ponitur quarta Octobris: at verò de Soſthene die vigeſimaoctaua Nouẽbris, ita legitur: *Apud Corinthũ natalis S. Soſthenis, diſcipuli B. Pauli Apoſtoli, cuius mẽtionem facit idem Apoſtolus Corinthiis ſcribens. Hic ex Principe Synagogæ cõuerſus ad Chriſtum, ante Gallionem Proconſulẽ acriter verberatus, præclaro initio fidei ſuæ primordia conſecrauit.* Ex quibus verbis, præter ipſius Martyrologij auctoritatem, ſuggeritur etiam Apoſtoli ea de re teſtimonium, initio prioris Epiſtolæ ad Corinthios, ita ſcribentis [d]: *Paulus Apoſtolus* IESV *Chriſti per voluntatẽ Dei, & Soſthenes Frater.* Tum poſt multa [e] Criſpi à ſe baptizati, tanquam hominis planè diuerſi, facit mentionem. Intelligimus præterea ex verbis Martyrologij prolatis, Soſthenem fuiſſe iam hoc tẽpore Chriſtianũ, & pro Chriſto eas cõtumelias, & verbera ſuſtinuiſſe, ſiue tantùm eſſet fidelis Catechumenus, ſiue etiã baptizatus. Quòd ſi quis obiiciat, hũc Soſthenẽ Archiſynagogũ à S. Luca appellatũ eſſe, tũ ab eodem dictũ fuiſſe, Criſpũ Archiſynagogũ à Paulo ad fidẽ Chriſti perductũ, idem igitur eſſe debuit Soſthenes, & Criſpus. Reſpõdemus, fieri facilè potuiſſe, vt primus Archiſynagogus Criſpus ad fidem Chriſti cum tota ſua domo Pauli

z *S. Chryſoſt. hom. 39. in Act.*

a *Act. c. 18. v. 8.*

b *1. Cor. c. 1. v. 14.*

c *Chryſoſt. hom. 39. in c. 18. Act. v. 8.*

d *1. Cor. c. 1. v. 1.*

e *1. Cor. c. 1. v. 14.*

duplicem eſſe electioné, atque etiam vocationem, & prædeſtinationem; primam, ad gratiam, ſecundam, ad gloriam. quæ prædeſtinatio ad gloriam rurſus diuidi habet in duas: vna eſt inchoata, ſiue incompleta, quæ eſt eadem cum electione ad gratiam; eſt enim gratia ſemen gloriæ, quam, niſi extinguatur gratia in anima, tandem aliquando producet: altera eſt electio completa, & efficax ad gloriam, quæ includit certam illius futuram conſecutionem. Valdè autem falluntur, qui diſtinctionem hanc electionis, ſiue prædeſtinationis incompletæ, & completæ reiiciunt, tanquam eſſet nouitium inuentum, & antiquis minimè notum: nam eius habetur frequens métio in Scripturis, & præſertim in Epiſtolis apoſtolicis. Quis enim dicat, vbi S. Petrus initio ſuæ prioris Epiſtolæ ſic ait [b]: *Petrus Apoſtolus* IESV *Chriſti electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, Bithyniæ, ſecundum præſcientiam Dei Patris*, &c. intellexiſſe hos omnes fuiſſe prædeſtinatos? Sed, quia erant incompleta, ſiue inchoata prædeſtinatione electi, & vocati ad fidem, ad gratiam, & ſanctitatem. Atque ad hunc ipſum ſenſum modò aſſeruit S. Paulus, fideles Theſſalonicenſes eſſe à Deo dilectos, & electos, ea, nempe, quam diximus, incompleta electione ad fidem & gratiam ſanctificationis, ex qua licebat vlteriùs facere coniecturam, & benè etiam ſperare de complenda in multis, ſi non in omnibus, prædeſtinatione ad gloriam ſempiternam: ſicut ipſe ad Philippenſes dixit [c]: *Gaudeo ſuper communicatione veſtra in Euãgelio, confidens hoc ipſum: quia, qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet, ſicut eſt mihi iuſtum ſentire de vobis?* Qua etiam ratione ad Epheſios ſcribés[d], omnes fideles vocat electos, & prædeſtinatos: ſed non abſolute, ac ſimpliciter, quia verum profectò in tanta vniuerſitate eſſe non potuiſſet, niſi, vt ipſe explicat, electos ad gratiam ſanctificantem, & prædeſtinatos in adoptionem filiorum Dei. *Elegit nos* (inquit) *ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate, qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum Dei, per* IESVM *Chriſtum.* Et ipſe Chriſtus Dominus in eundem ſenſum dixit in Euangelio [e], multos eſſe vocatos, nempe, ad Euangelium; paucos verò electos, id eſt, ad illud ſuſcipiendum, & Eccleſiam ingrediendam, quæ adhuc incompleta eſt electio. Eccleſia quoque in quadam Collecta [f], quæ tribuitur S. Auguſtino, eandem electionis, ac prędeſtinationis diſtinctionem aperte ſupponit, dum orat: *Vt omnium fideliũ nomina beatæ prædeſtinationis liber adſcripta retineat.* Quod nullo modo de completa prædeſtinatione poteſt intelligi, iuxta quam abſolutè in libro vitæ deſcripti deleri à tali libro nunquam contingit. Quòd ſi dicat aliquis, etiam completè prædeſtinatos orationibus indigere, vt aliquid circa eorũ prædeſtinationem executioni mandetur; id quidem verum eſt: ſed non vt completè ac indelebiliter in libro vitæ deſcripti in eo libro, à quo deleri non poſſunt, retineãtur. Deinde, quia orat Eccleſia, vt omniũ fidelium nomina in illo libro retineantur: omnes autẽ fideles dicere in eo libro completa prædeſtinatione inueniri deſcriptos, error eſſet Caluini, & aliorum Hęreticorum, fidẽ aſſerentium ſufficere ad æternam ſalutẽ, & quicunque illam habeat aliquãdo, omninò eſſe prædeſtinatum. Neque verò, quidquid aliqui velint, ignota fuit S. Thomę prędicta electionis differentia: nam agens de libro vitæ [g], & quærens, vtrùm inde aliqui deleãtur, reſpondet, eos deleri non poſſe, qui

b 1. Petri c. 1. v. 1.

c Philip. c. 1. v. 5. 6.

d Epheſ. c. 1. v. 4.

e Matth. c. 22. v. 14.

f in Domin. 1. Quadr.

g S. Th. 1. p. q. 24. a. 3.

qui ſimpliciter in eo inueniuntur deſcripti; poſſe verò, qui ſolùm ſunt deſcripti ſecundùm quid, nempe, iuxta gratiam tantùm, in qua non ſunt perſeueraturi, de quo propterea in Pſalmo dicitur [h]: *Deleantur de libro viuentium.* Et ratio deducitur ex S. Auguſtino prædeſtinationẽ ita definiente [i]: *Prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio: gratia verò eſt ipſa donatio.* Cùm igitur alia ſit gratia inchoata, quod nemo negare poteſt, & alia completa; alia ſimiliter erit prædeſtinatio inchoata, alia verò completa: ſicut idem S. Auguſtinus alibi diſputans contra Pelagianos [k], aliam dicit eſſe ſalutem inchoatam per gratiam, & aliam completam per gloriam conſummatam. Atque ita dubitationi primæ ſatis eſt factum.

h Pſ. 68. v. 29.

i S. Aug. lib. de prædeſt. SS. c. 10.

k S. Aug. lib. 3. contra duas epiſt. Pelag. c. 3.

Secunda circa ſecundum eiuſdem Epiſtolæ caput occurrit ambigendi ratio, cur totum ferè illud caput tranſegerit Apoſtolus in ſui commendationem, oſtendens pluribus, vt vidimus, argumentis zelum prædicationis ſuæ, & puritatem, ſynceritatem, ſanctitatémque traditæ à ſe doctrinæ. Cùm tamen, ſicut alibi ipſemet docuit [l], *non qui ſeipſum commendat, ille probatus ſit: ſed quem Deus commendat.* Ad hæc tamen reſponſio non eſt difficilis: nam, ſi quem Deus commendat, ille probatus eſt, cùm hæc Paulus, non niſi Deo ſuggerente de ſe ſcriberet, non tam à ſe, quàm à diuino Spiritu in eo loquente commendabatur. Sed & hoc ipſum, quod de ſe, ſuiſque laudibus, Deo inſpirante, promebat, totum ad Dei, nihil ad ſui gloriam referebat. Vnde vbi dixit: *Quem Deus commendat, ille probatus eſt* etiam adiunxit [m]: *Vt qui gloriatur, in Domino glorietur.* Ideò etiam Theſſalonicenſibus opera ſua honorifica cõmemorans, inuocato Dei, & conſcientiæ propriæ teſtimonio, addidit [n]: *Neque fuimus aliquando quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.* Tertiò, ſi quis benè attẽdat, qua ratione in hac materia laudum procedat Apoſtolus, intelliget toto illo capite, non tam eum voluiſſe laudes proprias aſtruere, quàm de geſtis ſuis apud Theſſalonicenſes, pro illorum bono, tãquam a teſtibus oculatis iuſtum teſtimonium poſtulare; nec ab ipſis tantùm, verùm etiam exhibitum à Deo, illis ſpectantibus, & profectum Euangelij, qualem non niſi Deus inter tot difficultates dare potuiſſet, obſeruantibus. Quare non fuit hæc ſuorum egregiè factorum vana prædicatio; ſed diuinorum beneficiorum digna æſtimatio, & commendatio, ad Dei gloriam honeſtiſſima, ad Theſſalonicẽſium in virtute profectum vtiliſſima, & ad eorum in fide conſtantiam prope neceſſaria.

l 2. Cor. c. 10. v. 18.

m 2. Corinth. c. 10. v. 17.

n 1. Theſ. c. 2. v. 5.

Tertia occurrit circa tertium caput interrogatio, quid ſit, quòd ibi Apoſtolus ait, miſſum à ſe Timotheum, vt fidem Theſſalonicenſiũ exploraret [o]: *Miſi*, inquit, *vt cognoſcerem fidem veſtram, ne forte tentaret vos is, qui tentat, & inanis fiat labor noſter.* Et addit inferius, ſe quoque valde cupiuiſſe ad eos reuerti, ſi potuiſſet: *Vt videamus*, inquit, *faciem veſtram, & compleamus ea, quæ deſunt fidei veſtræ.* At hæc in primis videntur gratiæ apoſtolicæ, quæ dicitur gratis data, nonnihil detrahere: nam debuiſſet S. Paulus ſpiritu & dono, quo erat præditus, prophetię, licet abſens, intelligere, qualis, & quãta eſſet fides Theſſalonicenſiũ. Deinde, aliquid virtuti Theſſalonicẽſium quodammodo detrahit, dum illis quaſi parum fidit, & fidem eorum cẽſet imperfectam; quam tamen adeò ſuperiùs laudauerat, vt diceret [p]: *Facti eſtis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia: nec ſolum in Macedonia, & in Achaia; ſed*

o 1. Theſ. c. 3. v. 5. & 10.

p 1. Theſ. c. 1. v. 7. & 8.

& in omni loco fides veſtra, quæ eſt ad Deum, profecta eſt. Sed, quod ſpectat ad primam interrogationis partem, dicimus, non quidem caruiſſe Apoſtolum gratia prophetiæ, ſicut neque alij Apoſtoli hoc dono caruerunt: tamen non eſt prophetia, vt inter alios benè docuit S. Thomas [q], habitus in mente Prophetarum, & quaſi forma permanens inclinans ad omnia occulta, vel remota diſcernenda; ſed eſt illuſtratio quædam tranſiens, impreſſa diuinitùs circa ea tantùm, quæ Deo placuerit pro eo tempore reuelare. Vnde Propheta Eliſæus dicebat [r]: *Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* Celat autem Prophetis ea potiſſimùm, quę humana induſtria cognoſci poſſunt: vt poterat Paulus, mittendo Timotheũ, quæ apud Theſſalonicenſes agebantur, intelligere: atque ita illum eò tranſmiſit. Neque id fuit, quod ſecundo loco petebatur, de virtute Theſſalonicenſiũ diffidere; ſed paternam gerere ſollicitudinem, de filiis non pridè in Chriſto genitis, & adhuc in virtute tenerioribus, aut certè non omnibus inter tot aduerſa æqualis firmitatis. Quòd verò Paulus ſcripſerit, valdè ſe deſideraſſe Theſſalonicam reuerti, vt ea compleret, quæ deerant fidei Theſſalonicenſium; ideò dixit, quia cùm primùm fuerat apud ipſos, importunitate Iudæorũ inſidias tendentium coactus fuit eos nimis citò deſerere; vnde non potuit modico illo tempore doctrinam euangelicam eis tradere, omnibus ſuis partibus abſolutam, atque perfectam. Fidem igitur complendam, non virtutem fidei intellexit; ſed materiam, & doctrinam fidei, necnon præcepta rectè viuendi ſecundùm perfectionem Chriſtianæ diſciplinæ.

q S. Th. 2. 2. q. 171. a. 1.

r 4. Reg. c. 4 v. 27.

Quarta occurrit circa quartum caput aliquantò difficilior dubitatio, in eo, quod ait Apoſtolus [s]: *Hoc vobis dico in verbo Domini: quia nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentum Domini, nõ præueniemus eos, qui dormierũt.* Quæ verba ſic interpretati ſumus in noſtra paraphraſi: *Hoc vobis affirmo ex certa Dei reuelatione, adeò celerem, & expeditã futuram illam vniuerſalem reſurrectionem, vt ſiue nos, ſiue alij, qui ſuperſtites vſque ad illũ Domini aduentũ inuenientur, non priùs reſurrecturi ſint, & gloria donandi corporum beatorũ, quàm ad gloriam reſurgant, qui ante multa ſecula mortui in antiquiſſimis ſepulcris computruerunt.* Sed eſt difficultas primùm: quia videtur Apoſtolus ſignificare voluiſſe, tum ſe, tũ alios quoſdam, qui cum ipſo tunc viuebant, viuos manſuros vſque ad extremum vniuerſalis Iudicij diem, nec ante illum diẽ morituros. Et tamen in Epiſtola ſecunda, quam poſteà ſcripſit ad eoſdem Theſſalonicenſes, de qua erit agendum inferiùs ſuo loco, refellit ex inſtituto quoſdam Pſeudoapoſtolos, qui diem Iudicij eſſe propinquũ mentiebantur. Nec minor eſt difficultas in eo, quod ſupponere videtur, ſiue ipſemet, ſiue alij futuri ſint, qui viui inter mortales erunt, quãdo Chriſtus Dominus ad Iudicium vniuerſale deſcendet, non eſſe ampliùs morituros; ſed tantùm innouandos gloria & dotibus corporis beatificati, nec aliter immutandos: nam inquit [t]: *Nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentum Domini.* & iterum infrà: *Nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aera, & ſi: ſemper cum Domino erimus.* Atque in hũc ſenſum, hæc verba ſunt interpretati Patres Gręci, Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, & ante hos Origenes, & Apollinarius. Idémq; cõfirmabant ex alio eiuſdẽ Apoſtoli teſtimonio ad Corinthios ita ſcribẽtis [u]: *Ecce myſteriũ vobis dico: omnes quidẽ reſurgemus;*

s 1. Theſ. c. 4. v. 14.

t ibid. c. 4. v. 14. & 16.

u 1. Cor. c. 15. v. 51.

gemus; ſed non omnes immutabimur. legunt autẽ ipſi: *Non omnes quidem dormiemus*, (nempe, ſomno mortis,) *ſed omnes immutabimur*; nempe, dono immortalitatis. Et ita legitur in Græcis codicibus, & interpretatione Syriaca. Quod fecit dubitare etiam S. Hieronymum in quadam epiſtola ad Marcellam [x], & in alia epiſtola ad Minerium: & S. Auguſtinum in quæſtione tertia ad Dulcitium [y], vbi addit fauere huic ſententiæ, quod in Symbolo dicimus Apoſtolorum, Chriſtum venturum iudicare viuos, & mortuos. Sed tamen adiungit aliquot argumenta ſuadentia, omnes aliquando eſſe morituros, & quæſtionem relinquit, quaſi problema inſolutum.

x S. Hier. ep. 148. & ep. 152.
y S. Aug. q. 3. ad Dulcit.

Hanc igitur ambiguitatem vt ſoluamus, intentio primùm Apoſtoli eſt conſideranda, qui Theſſalonicenſium triſtitiam de morte ſingulis imminente conſolari ſpe futuræ vniuerſalis reſurrectionis illo capite ſibi propoſuerat. Id vt meliùs aſſequeretur, non meminit expreſsè reſurrectionis, niſi iuſtorum, & electorum: nam impiorum damnatorum, non tam ad vitam, quàm ad mortem, & ſupplicia ſempiterna, mitigare triſtitiam fidelium minimè potuiſſet; ſed magis augere mœrorem, atque formidinem. Iuſtos autem ad beatam immortalitatem reſurrecturos in duos ordines diſtinxit: primi ordinis poſuit iuſtos veteris Teſtamenti, qui omnes pridem mortem obierant, iacentes magna ex parte in ſepulcris vetuſtiſſimis: ſecundi ordinis ponit iuſtos noui Teſtamenti, ſiue qui tunc viuebant, ſiue qui victuri erant vſque ad extremum magni Iudicij diem. Itaque mirum non eſt, ſi ſe inter iſtos ſecundi ordinis includit, dicens: *Nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentum Domini*; hoc eſt, vſque ad aduentum Chriſti Domini ad Iudicium. Neque enim voluit ſignificare, ſe, vel alios, qui tunc viuebant, vſque ad extremi Iudicij diem vitam eſſe producturos: ſed in tota illa multitudine iuſtorum noui Teſtamenti futuros aliquos, quando veniet Dominus ad Iudicium, nondum mortuos. Atque ita primæ dubitationis parti ſatis eſt factum. Quod verò attinet ad ſecundam grauiorem difficultatem, videtur quidem S. Paulus quodammodo indicare, eos iuſtos, qui electi ad æternam felicitatem, quando veniet Dominus ad Iudicium, nondum erunt mortui, ampliùs non morituros; veruntamen id ipſe non dicit: ſed tantùm tacet illorum mortem; quia non niſi de reſurrectione ſuſceperat tractationem, & de reſurrectione, vt diximus, propria iuſtorum ad gloriam ſempiternam. Alibi tamen omnes mortales aliquando eſſe morituros, tum ipſe, tum aliæ diuinæ Scripturæ ſæpiùs docuerunt. Ideo ait in Pſalmo Dauid [z]: *Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem?* quaſi diceret: Planè nullus, ſicut non tantùm quotidiana docet experientia, de qua alibi dicitur [a]: *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur.* verùm etiam conſtat ex diuino decreto, quod mundi teſtamentum appellauit Eccleſiaſticus [b]: *Teſtamentum* (inquit) *huius mundi, morte morietur*: id eſt, mortalium omnium in hoc mundo viuentium tale fuit à Deo decretum, cùm, videlicet, primo parenti hominum dictum eſt [c]: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Clariùs adhuc S. Paulus [d]: *Statutum eſt* (inquit) *hominibus, ſemel mori: poſt hoc autem Iudicium.* Et habet ex eo maiorem vim in re noſtra hoc Pauli teſtimonium: quia ſic aſſeruit ad probandum, etiam Dei Filium propter nos hominem mortalem factum includi

z Pſ. 88. v. 49.
a 2. Reg. c. 14. v. 14.
b Eccli. c. 14. v. 12.
c Gen. c. 3. v. 19.
d Hebr. c. 9. v. 27.

hac lege mortis debuiſſe;cui tamen, ſi vlli mortalium,aliquod in hac parte fuiſſet concedendum priuilegium, certè illi maximè debebatur, ſicut etiam eius ſanctiſſimæ Genitrici: & tamen à communi lege mortis eximi neuter eorum, multò autem minùs alij cuiuſuis ſanctitatis homines debuerunt. Quare S. Auguſtinus, qui dubitaſſe in adducta ſuperiùs quæſtione videbatur, tamen in libro de ciuitate Dei vigeſimo[e], propter allata ſuperiùs à nobis diuinæ Scripturæ teſtimonia,nō ampliùs dubitat,omnes, qui naſcuntur,mortales ſuo tempore morituros:iuxta illud S.Iob[f]: *Breues dies hominis ſunt: numerus menſium eius apud te eſt: conſtituiſti terminos eius,qui præteriri non poſſunt.* Ad illud autem S.Pauli teſtimonium, quo indicari contrarium videbatur, ita S. Auguſtinus ibi reſpondet:*Si ergo Sanctos,qui reperientur Chriſto veniente viuentes,eique in obuiam rapientur;crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, & ad eandem immortalitatem mox redituros, nullas in verbis Apoſtoli patiemur anguſtias.* Alij[g] tamen putant, ante illum raptum,in terra mortem obituros. Ad aliud verò teſtimonium ex Epiſtola ad Corinthios[h], duo reſpondemus. Primùm,noſtram vulgatam lectionē, quā magis ſequendam ſacra Tridentina Synodus ordinauit[i], vt magis authenticam,& vſu tot ſæculorum in Eccleſia confirmatam,non habere illam negationem: *Non omnes quidem dormiemus.* ſed hanc affirmationem: *Omnes quidem reſurgemus.* in qua affirmatione continetur quodammodo contradictio eius, quòd eſt in Græca negatione: *Non omnes dormiemus*,id eſt,nō omnes moriemur.Cùm enim, vt arguit loco citato S. Auguſtinus, reſurrectio non ſit niſi mortuorum; ſi omnes reſurgemus, omnes vtique ſōno mortis corripi anteà debemus. Secundò reſpondeo, aliqua Græca exemplaria carere illa negatione, ſicut caret noſtra lectio vulgata: vnde valdè redditur veriſimile, quod in aliis Græcis exemplaribus legitur, πάντες μὲν ὐ κοιμηθησόμεθα, *omnes quidem non dormiemus*,id eſt,non moriemur;caſu irrepſiſſe:nam facilè potuit contingere vnius tantùm Græcæ literulæ, ν,detractione: ſi enim particulæ negatiuæ, ὐ,quæ ſignificat, *non*, addatur, ν, fiet ὖν, & erit contrarius verus,& vulgatæ cōſentiens affirmatiuus ſenſus:*Omnes quidē certè dormiemus*,hoc eſt,moriemur,ita vt ſuſcitari,ſiue reſurgere omnes debeamus.Et hāc lectionem magis approbant SS. Auguſtinus,& Hieronymus,magiſq; cohęret antecedentibus,& conſequētibus, aliiſque S.Pauli teſtimoniis,vt contrarium aſſerere Sotus[k], & alij quidam, temerarium eſſe iudicauerint:quæ tamen cēſura propter Græcos Patres ſuperiùs in contrarium adductos nimis ſeuera ab aliis Doctoribus exiſtimatur. Nobis ſit ſatis, eam minùs, noſtram magis probabilem eſſe ſententiam, vt loquitur S.Thomas, expendens allatum Pauli teſtimonium[l]:*Nam*,inquit, *dicendum eſt, quod probabilius & conuenientius tenetur,quod omnes illi, qui in aduentu Domini rapientur, morientur,& poſt modicum reſurgent, vt in tertio plenius dicetur.* Sed hanc tertiam ſuæ Summæ Theologicæ partem S.Thomas, morte adueniente,non perfecit.

Poſtrema dubitatio verſatur circa poſtremū eiuſdem Epiſtolæ caput,& circa ſenſum perobſcurum illorum verborum[m]: *De temporibus autem,& momentis,Fratres,non indigetis,vt ſcribamus vobis: ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet.* Videtur enim Apoſtolus his verbis ſignificare, de tēpore aduētus

Domini

e S. Aug. lib 20. de Ciu. cap. 20.

f Iob c. 14. v. 5.

g Suarez 3 p. tom. 2. diſp. 50 ſect. 2. Azor lib 4. Inſt. c. 32.

h 1. Cor. c. 15. v. 51.

i Trid. ſeſſ. 4. in decr. ſacrorum libr.

k Sotus in 4. d. 43. q. 2. art 4. Ambroſius Cathar. & alij.

l S Th. 1. 2 q. 81. art. 3. ad 1.

m cap 5. v. 1. & 2.

Domini ad iudicandum aliquid ſciuiſſe Eccleſiam Theſſalonicenſium: *Ipſi enim* (inquit) *diligenter ſcitis*, Græce, ἀκριβῶς, quaſi exploratè & exactè; cum tamen tempus illud ſit incertiſſimum, vt propterea dixerit in Euangelio Chriſtus Dominus [n]: *De die autem illa, & hora nemo ſcit.* & infrà: *Ideò vos eſtote parati; quia, qua neſcitis hora, Filius hominis veniet.* Deinde videtur indicare S. Paulus, Chriſti aduentum ad iudicandum futurum tempore nocturno, dum ait: *Sicut fur in nocte, ita veniet.* cùm tamẽ dicatur in Pſalmo [o]: *Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit: ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida.* Sed reſpõdendum eſt, potiùs voluiſſe Apoſtolum ſignificare cõtrarium, nempe, Theſſalonicẽſes minimè debuiſſe de tẽpore, vel momento futuri aduentus Saluatoris. add ſcendo eſſe curioſos, ſicut Apoſtolis ſuis hac de re ſciſcitantibus Chriſtus Dominus aliquando reſpondit, dicens [p]: *Non eſt veſtrũ noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Vnde leuiſſima eſt coniectura, ſine vllo fundamento, niſi tantùm cuiuſdam arithmeticæ congruitatis, quales multæ poſſent excogitari, quod aſſeruit Nicolaus Cardinalis Cuſanus [q], Corpus Chriſti myſticum, id eſt, Eccleſiã catholicã, tot habituram eſſe annorũ Iubileos, id eſt, quinquagenas, (tot enim annis expectabatur annus Iubilei, tempore huius Cardinalis) quot annis vixit in hoc mundo Chriſtus Dominus, qui anni, cùm fuerint triginraquatuor, ſi multiplicẽtur per quinquaginta, iuxta numerum Iubilei, erunt anni mille & ſeptingenti. Aduentum igitur Chriſti ad Iudicium Cuſanus coniectabat futurum anno humanæ ſalutis milleſimo ſeptingenteſimo. Alij arbitrati ſunt, tot annos poſt Chriſtum eſſe lapſuros vſque ad diem Iudicij, quot ante ipſum à mundi origine præceſſerunt: quia Habacuc capite tertio dicitur de tempore Dominicæ incarnationis: *Domine, opus tuum, in medio annorum viuifica illud.* Quorum tamen verborum alius eſt ſenſus. Non multum diſſimilis eſt opinio Thalmudiſtarum, qui ex Elia Propheta dicunt, ſe vaticinium habere, mundum duraturum ſex millibus annorum: vt, ſicut ſex diebus mundus eſt conditus, ita ſex millibus annorum conſummetur. Iuxta quod in Pſalmo dicitur [r]: *Mille anni ante oculos eius, tanquam dies heſterna, quæ præteriit.* Idem confirmant ex eo, quod initio Geneſis dicitur: *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* vbi verba Hebraïca ſex Aleph includunt: eſt autem Aleph nota arithmetica Hebræis ſignificans mille. Meminit huius opinionis S. Auguſtinus [s], nec eam omninò improbat, & ſecuti olim ſunt Iuſtinus [t], Irenæus [x], Hieronymus [y], Hilarius [z], & Lactantius [a] Firmianus. Quòd ſi certa eſſet multorum Chronologia de mundi ætate, putantium mundum iam vltra ſex annorum millia proceſſiſſe, fuiſſet ipſa experientia hæc opinio confutata; ſicut eam ex hoc tentauit S. Ambroſius [b] redarguere: ſed alij rectiùs putant [c], nondum ſextam annorum mundi myriadem tranſiuiſſe, atque adeò nondum apertæ falſitatis hanc opinionem eſſe conuictam, nec redditam improbabilem ait Bellarminus [d]; manere tamen incertam ex certo teſtimonio Chriſti aſſerentis [e]: *De die illa, & hora nemo ſcit* Sed hæc ſatis ad primã dubitationis partem. Circa alteram dicimus, non carere probabilitate, Chriſti aduẽtũ ad vniuerſale Iudiciũ in nocte futurum: quia id non ſolùm S. Paulus

n Matth. c. 24. v. 37. & 44.
o Pſ 49. v. 3. & 4.
p Act. c. 1. v. 7.
q Cuſanus in lib. coniect. de nouiſſimis tempor.
r Pſ 89. v. 4.
s S. Aug. lib 20. de ciu. cap. 7.
t Iuſt. q. 71. ad Gentes.
x Iren. lib. 1. contra hær.
y Hier. in Pſ 89. ad Cypr.
z Hilar. in c 17. Matth.
a Lact. lib. 7. c. 14.
b S. Ambroſ lib. 7. in Luc. cap. 2.
c Vide Bellar. in Chronol.
d Bellarm. lib 3. de Rom. Pon. c. 1.
e Matt. c. 24. 36.

S. Paulus illis verbis indicauit [f]: *Sicut fur in nocte, ita veniet.* Sed etiam in quadam parabola Chriſtus Dominus, cum ait [g]: *Media autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit.* & alibi [h]: *In illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus aſſumetur, & alter relinquetur.* Idem interdum indicant aliqui ex Patribus, & ſequuntur docti recentiores. Sed plures contrariam ſententiam amplectuntur: nam allata ſacratum Scripturarum teſtimonia videntur ſolum ſignificare, inexpectatum Chriſti aduentum futurum, vt magis exprimũt verba illa S. Pauli dicentis: *Sicut fur in nocte, ita veniet.* Vel ſignificare etiam voluerunt elementorum turbationem, clamores, & diſcurſiones Angelorum, tubarum clangores mortuos excitantes, in nocte debere incipere, necnon orbis conflagrationem: iuxta prolata ſuperiùs Pſalmi verba [i]: *Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida.* Atque hoc igne, qui tunc viui reliqui fuerint mortalium, præſertim reprobi, morientur. Hinc in alio Pſalmo dicitur [k]: *Ignis ante ipſum precedet, & inflammabit in circuitu inimicos ſuos.* & S. Paulus in Epiſtola ad Theſſalonicenſes ſecunda: *Pœnas* (inquit) *dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cùm venerit glorificari in Sanctis ſuis.* Dei verò amici homines iuſti tunc viuentes, ſatis illis calamitatibus purgati, mitiori morte poterunt ad gloriam reſurrectionis tranſire obuiam euntes Chriſto Iudici è cœlo deſcendenti, & ad finem noctis ſub aurora in loco Iudicij ſe conſtituenti. Tunc autem cœli præcipua luminaria, Sol, videlicet, ac Luna, completis periodis ſæculorum, ſiſtẽt in punctis horizontis, in quibus primùm fuêre creata, & à quibus moueri inceperunt: hoc eſt, Sol in Oriente; Luna verò in Occidente, à Sole aduerſo plenè illuſtrata. Chriſti autem Corpus glorioſiſſimum tanquam in medio cœlo, multò ſplendidius Sole, conſtituetur, quod etiamſi ſufficere poſſet ad vniuerſum perfectiſſimè illuminandum; præſertim accedentibus tot aliis circuncirca beatis corporibus fulgentiſſimis; tamen expediebat, ipſam quoque naturalem lucem tali Iudicio non deeſſe, vt etiam modo ac virtute naturali poſſent inuicem ſe intueri electi ſpecioſiſſimi; reprobi autem miſeri, & deformatiſſimi. Neque ſolùm probabilius eſt aduentum Chriſti Iudicis in aurora ſecutúrum; ſed etiam auroram illam futuram Dominici diei, illúmque Dominicũ diem futurum Paſchatis, in quo Chriſti Domini reſurrectio, verno tempore in Eccleſia celebratur. *Venerabilis eſt hic dies,* (inquit S. Auguſtinus [l],) *qui Dominicus dies, & dies primus, atque perfectus eſt, & dies clarus, in quo eſt viſa prima lux, & in quo ſperamus Dominum noſtrum,* IESVM *Chriſtum, ad Iudicium venturum. In quo die omnis creatura reformabitur in melius, vt Sol, & Luna ſeptuplum lumen accipiant, & ſancti homines vitam æternam propter merita bona obedientiæ recipiant a Deo.* Ita S. Auguſtinus. Atque hæc eſt ratio conuenientiſſima huius nobis non certæ, ſed probabilis veritatis: quia Chriſti reſurrectio eſt idea & exemplar futuræ noſtræ reſurrectionis, ſicut ſcripſit Apoſtolus ad Philippenſes [m]: *Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Sed Chriſtus Dominus reſurrexit tali tempore, & hora, vt creditur, matutina. Vnde etiam arguit S. Anſelmus [n], eadem Dominica reſurrectionis die nos ſimiliter eſſe ſuſcitandos: & verno tempore, ait in

f 1. Theſſ. c. 5. v. 2.
g Matth. c. 25. v. 26.
h Lucæ c. 17. v. 34.
i Pſ. 49. v. 3.
k Pſal. 96. v. 3 & 2. Theſſ. c. 1. v. 9.
l S. Aug. ſer. 154. de tẽpore.
m Philip. cap. 3. v. 20.
n S. Anſelm. in Elucidario, prope finem.

in aliquot ſuis homiliis B. Macarius [o], quo tempore Deus mundum creauit, Chriſtus pro nobis conceptus eſt, nos ſua morte redemit, & ab Inferis rediuiuus tunc ſurrexit, omnia germina florere incipiunt, & quaſi per hyemem anteà mortua, ſingulis annis hac nos de re admonendo, reuiuiſcunt. His illa mihi videtur fauere temporum conuenientia Danielis capite duodecimo indicata, iuxta cõmunem expoſitionem, cùm dicitur, poſt mortem Antichriſti dandos eſſe hominibus dies quadragintaquinque pœnitentiæ, ante Chriſti Iudicis aduentum [p]: adeò vt interitus debacchantis Antichriſti, expletis planè Bacchanalibus, ipſa prima die Cinerum ſecuturus videatur, deinde quadrageſima integra pœnitẽtiæ ſubſequetur, tum Paſcha erit vniuerſalis omnium reſurrectionis. Quare S. Baſilius in libro de Spiritu ſancto, capite vigeſimoſeptimo, agens de antiquiſſima traditione ab Apoſtolis inducta non flectendi genua inter orandum diebus Dominicis, & à die Paſchatis vſque ad Pentecoſten, dicit, id factum, vt moneamur eo potiſſimum tempore expectatæ à nobis reſurrectionis vniuerſalis. Nam inquit, *In hoc die Eccleſia ſuos alumnos docet ſtantes abſoluere preces ſuas, vt aſſidua commemoratione vitæ illius nunquam deſituræ, non negligamus ad eam migrationem parare viaticum. Quin & totum tempus vſque ad Pentecoſten admonitio eſt reſurrectionis, quam in illo ſæculo expectamus. Nam vnus ille & primus dies ſepties multiplicatus ſeptem ſacræ Pentecoſtes hebdomadas abſoluit: à primo enim incipiẽs in principium deſinit, per ſimiles, qui medio intercedunt, dies, quinquagies euolutus. Vnde & æternitatem ſimilitudine refert, dum velut in motu circulari ab iiſdem rorſus ſignis in eadem deſinit.* Et S. Hieronymus ad illa S. Matthæi verba: *Media nocte clamor factus eſt.* ſcribit, traditionem fuiſſe Apoſtolicam adhuc ſuo tempore obſeruatam in peruigilio Paſchatis, hoc eſt, in Sabbato ſancto, vſque ad mediam noctem non dimittere ab Eccleſia populum, tanquã expectantem, ſi fortè aduẽtus Domini appareret ad extremũ vniuerſale Iudicium: additque propterea dixiſſe in Pſalmo Dauidem: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tua.* Et hæc ſatis de hac materia, circa quam plura quidem ſuggerit Apoſtolus in alia Epiſtola, quam paulò pòſt ad eoſdem Theſſalonicenſes Corintho ſcripſit. Sed nobis priùs eſt exponendum, quid ante illam Epiſtolam Corinthi pertulerit à Iudæis.

[o] Macar. homil. 5. & 12.

[p] Vide Suarez tom. 2. in 3. p. d. 54. ſect. 2. § Tertium. & ſect. 6. in fine.

CAPVT VII.

Accuſatur Paulus Corinthi à Iudæis tumultuantibus apud Proconſulem Gallionem; à quo tamen accuſatio non admittitur.

Annus agebatur humanæ ſalutis quinquageſimuſtertius, Claudij Imperatoris vndecimus; ætatis verò Pauli ſupra quinquageſimum iam ſecundus, cùm ipſe a turbulentis Iudæis, vt ſæpè aliàs, in iudicium vocatus, vi pertractus eſt ad tribunal Proconſulis Achaïæ, Corinthi, vt in primaria illius prouinciæ ciuitate, commorantis; & quaſi reus magni ſceleris, quòd Chriſti Euangelium prædicaret, à populo Iudæorum accuſatus eſt. Rem ita narrat S. Lucas [a]: *Gallione autem Proconſule Achaïæ, inſurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, dicentes: Quia contra legem hic perſuadet hominibus colere Deum.* Quòd autem hoc anno talia contigerint;

[a] Act. c. 18. v. 12. & 13.

rint; non verò antecedenti, vel ſubſequenti; ex eo colligimus, quòd S. Lucas ait, Paulum manſiſſe Corinthi per annum cum dimidio [b]: *Sedit autem ibi* (inquit) *annum, & ſex menſes, docens apud eos verbũ Dei.* Cùm enim ad finem anni quinquageſimiſecundi, Theſſalonica relicta, Corinthum non anteà veniſſet, vt facilè poteſt colligi ex tam multis, quæ illo anno quinquageſimoſecundo, à Paulo geſta in ea ciuitate fuiſſe narrauimus pluribus capitibus, oportuit reliquum illius anni quinquageſimiſecũdi, cum toto anno quinquageſimotertio, & aliquam etiam partem quinquageſimiquarti fuiſſe Corinthi conſumptam. Non videtur autem hæc Pauli accuſatio anno quinquageſimoquarto contingere potuiſſe, quando propediem Corintho erat diſceſſurus: nam, poſteaquàm fuit à Proconſule abſolutus: *Paulus* (inquit ſanctus Lucas [c]) *cùm adhuc ſuſtinuiſſet dies multos Fratribus valedicens, nauigauit in Syriam.* Igitur ante inchoatum annum quinquageſimumquartum hæc illi acciderunt: neque verò ad annum quinquageſimumſecundum, quando primùm venerat Corinthum hæc ab attentè legentibus ſacram Hiſtoriam poſſunt referri. Quare ad annum, quem diximus, quinquageſimumtertium veroſimilius eſt pertinere totam hanc in Paulum modò excitatam à Iudæis tempeſtatem: quando, quod illis fortaſſe non ſucceſſerat, aut non ſperabant benè ſucceſſorum apud antiquum Proconſulem, tentarunt perficere apud neuum Præſidem Gallionem. Id ille modus loquendi S. Lucæ videtur innuere, cum ait [d]: *Gallione autem Proconſule Achaiæ inſurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum.* Quaſi, videlicet, hac expectata occaſione: cùm ſoleant noui Principes, & Magiſtratus aures omnibus præbere faciliores, & primo illo ingreſſu bonum nomen æquitatis, in adminiſtranda libenter omnibus iuſtitia ſibi conquirant. Quis autem fuerit hic Proconſul, Gallio nominatus, ab eruditis controuertitur: illorum magis probatur opinio, qui exiſtimant, fratrem fuiſſe germanum Senecæ Philoſophi, & filium adoptiuum alterius ſenioris Gallionis, qui olim inter claros Rhetores floruit Romæ, de quo non ſemel meminit Fabius Quintilianus [e], vocans eum Gallionem patrem, vt, videlicet, illum diſtinguat ab hoc Proconſule eius filio adoptiuo. Habuit enim Senecæ pater declamator appellatus filios tres, omnes inſignes viros; nempe, Marcum ſiue, vt alii vocant, Iunium Annæum Nouatum; deinde Lucium Annæum Senecam Philoſophum, magiſtrum poſteà Neronis; & Lucium Annæum Melam, ex quo natus eſt nobilis Poëta Lucanus. Primus autem Marcus Annęus Nouatus adoptatus à Gallione ſeniore ab adoptante parente nomen accepit Gallionis, & ideò ab Euſebio in Chronicis Iunius Annæus Gallio nominatur. Fuiſſe verò hunc Gallionem germanum fratrem Senecæ Philoſophi, ipſemet Seneca teſtatur in præfatione quarti libri naturalium quæſtionum: meminit etiam in quadã epiſtola [f] de illius ex Achaïa profectione, ſic ſcribens: *Illud erat in ore Domini mei Gallionis, qui cum in Achaia febrem habere cœpiſſet, protinus nauem aſcendit, clamitans, non corporis eſſe, ſed loci morbum.* Ita Seneca, ex quo aliqui voluerunt in dubium reuocare, an Gallio hic Proconſul Achaïæ, frater fuerit Senecæ germanus, cùm eum Dominum ſuum vocet, quod potiùs Gallioni ſeniori videtur conueniſſe. At non eſt mirum, cùm eſſet frater, vt diximus, ætate minor,

[b] ibid. c. 18. v. 11.
[c] ibid. c. 18. v. 18.
[d] ibid. c. 18. v. 12.
[e] Quint. lib. 5. c. 2. & lib. 9. c. 2.
Lipſius in proleg. de vita & ſcriptis Senecæ.
[f] Seneca ep. 104.

maior, & dignitate præcipua exornatus, qualis erat Romani Proconſulis in Achaïa: vnde illi quoque librum dicauit de vita beata, & alterum de remediis fortuitorũ. Meminit etiam huius Annæi Gallionis in Achaïa proconſulatus Plinius [g], confirmans quod Seneca dixerat, illum propterea quòd in febrẽ incidiſſet, Achaïam reliquiſſe; & cùm morbus vergeret ad phthiſim, nauigationem in Ægyptum ſuſcepiſſe, non propter Ægyptum; ſed ob nauigationis opportunitatem, quæ tali morbo ſalutaris exiſtimatur. De alio verò Gallione ſeniore nemo eſt, qui eum Achaïæ, vel alibi fuiſſe Proconſulem ſignificauerit: nec, ſi fuiſſet, cùm ætate eſſet multò maior, in hæc Pauli tempora incidiſſet. Sed & illa quorundam optima coniectura idipſum confirmat: quia cùm Seneca Philoſophus à Meſſalina Auguſta Claudij vxore, ſicut Dio tradit [h], eiectus in exilium inique fuiſſet, ea Claudij iuſſu interfecta, per Agrippinam alteram Claudij vxorem ab exilio reuocatus eſt, & Neroni, quem nuper in filium Claudius adoptauerat, præceptor datus. Vnde in eiuſdem Senecę gratiam putatur hic eius germanus frater Gallio proconſulari dignitate fuiſſe donatus. Erat autem Gallio non tantùm Achaïæ, ſed etiam totius Græciæ Proconſul: neque tamen Græciæ, ſed Achaïæ præeſſe dicebatur, eò quòd, inquit Pauſanias [i], Græcos per Achæos Romani ſibi ſubiecerant, eáque ratione præfecturæ denominatio à parte nobiliori Romanis honorificentior habebatur. Ad hunc igitur Iudęi accuſationem ſuam contra Paulum deferunt, ea quoque vſi opportunitate; quia opera, vt diximus, Agrippinæ Gallioni obuenerat Græciæ proconſulatus: Agrippina verò valdè fauebat Iudæis, teſte Ioſepho Iudæo in libro Antiquitatum vigeſimo [k]: vnde etiam permotus videtur Claudius Imperator ad varia priuilegia, quæ idem Ioſephus alibi retulit [l], Hebræis concedenda. Cùm itaque ſoleant Magiſtratus inferiores, & maximè in acceptæ poteſtatis exordiis, ad ſupremi Principis arbitrium, & nutus totos ſe fingere, & accõmodare; ſperabant Iudæi multùm ſe contra Paulum, hominẽ alioqui Iudæum, legum tamen Iudaïcarum, vt ipſis videbatur, & ſacrorum rituum peruerſorem, apud talem Proconſulem valituros. Sic ipſi olim apud Pilatum aduersùs Chriſtum inſurgentes clamabant [m]: *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram* [n]. *Nos legem habemus, & ſecundùm legem noſtram debet mori.* Neque eſt dubitandum, ſi admiſiſſet Proconſul accuſationem, Iudæos de Pauli capite acturos fuiſſe, aut ſaltem de carcere perpetuo, ne vnquam in poſterum Chriſtum Meſſiam, & verum Dei Filium ab eis ſupplicio crucis affectum, prædicaret, vnde ſcandalum grauiſſimum, & ſummam ignominiam patiebantur.

Fuit autem ex triplici potiſſimùm capite, Iudæorum exaggerata nequitia: nam in primis, cùm tanta eſſet Corinthi Gentilium multitudo, & pridem ibi Paulus moraretur, ſoli Iudæi, conſpiratione facta, contra Euangelij veritatem pertinaciſſimè inſurrexerunt. Iuſto ſanè Dei iudicio, vt qui plura obtinebant ex diuinis Scripturis agnoſcendi veritatem adiumenta, & omnia reſpuebant, fierent ipſis ethnicis multò deteriores. Secundò, vt Proconſulem, hominem Gentilem, faciliùs in materia religionis commouerent, cauſam fingunt accuſationis etiam illi communem, cùm dicunt [o]: *Quia*

g *Plin. l. 31. c. 6.*

h *Dio lib. 60.*

i *Pauſanias l. 7.*

k *Ioſeph. lib. 20. Antiq. cap. 5.*

l *Ioſeph. lib. 19. Antiq. cap. 7.*

m *Luce c. 23. v. 2.*

n *Ioann. c. 19. v. 7.*

o *Act. c. 18. v. 13.*

contra legem hic perſuadet hominibus colere Deum. legem nullam exprimentes: ac ſi dicere voluiſſent: Non ſolùm contra noſtrã legem, ſed etiam veſtram Romanam, qua cauetur, ne abſque Senatus auctoritate cultus nouorum Deorum inducantur. Sicut olim Pilato contra Chriſtum dice-
p Lucæ c. 23.v.2. bant p: *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari.* Quaſi verò multùm cordi eſſet Iudæis, leges, & iura tueri Romanorum. Sed, ſicut ipſi Romanas leges non curabant, niſi ex quadam ſimulata adulatione; ita Proconſul nihil ſe facere Iudaïcas apertè, & ſine ſimulatione oſtendit, accuſationem contra Paulum, tanquam nullius momenti, & nugatoriam aſpernatus. Tertiò, quia intelligebant Iudæi, magnam eſſe Romanorum Iudicum poteſtatem, maximè verò Proconſulis, vt ex iure Cæſareo ſub toto titulo de officio Proconſulis licet agnoſcere: & vbi de graui ſupplicio infligendo agebatur, quale Iudæi Paulo inferri voluiſſent, cauſa non erat alterius tribunalis, ideò *inſurrexerunt* (inquit S. Lucas q) *Iudæi vno*
q Act. c. 18.v.12. *animo in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal* Proconſulis Gallionis. Hic tamen accuſatione vix inchoata, neque graue, neque leue ſupplicium Apoſtolo decernendum ſtatim adiudicauit: ita vt nihil opus fuerit ad obiectum crimen refellendum vllam inſtituere apologiam. *Nam, incipiente Paulo aperire os,* (ait S. Lucas,) *dixit Gallio ad Iudæos: Si quidem eſſet iniquum aliquid, aut facinus peſſimum, ô viri Iudæi, rectè vos ſuſtinerem: ſi verò quæſtiones ſunt de verbo, & de nominibus, & lege veſtra; vos ipſi videritis: Iudex ego horum nolo eſſe. Et minauit eos a tribunali.* nempe, repulit, aut inde amandauit: hæc enim vis eſt in verbo, ἀπήλασεν, quod ſacer Hiſtoricus vſurpauit. Laudandus aliqua ex parte Iudex, qui Pauli defenderit innocentiam, & iniquum zelum Iudæorum prudenter odoratus, ſtatim repreſſerit, nec iudicare cauſas eccleſiaſticas ſuſtinuerit; præſertim cùm non ſatis habere ſe ſciẽtiæ ad id præſtandum intelligeret. Nam, etiamſi confuſa eſſet apud ethnicos poteſtas ſpiritualis cum temporali, vt propterea illius temporis Imperatores cum imperio ſummum quoque Pontificatum ſibi arrogarent, & omnibus ſacerdotiis inaugurarentur, vt omnes religiones (ſicut Dio ſcribit s) & ſacrificia in ſua haberent manu, quod s Dio lib. 53.
idem Ægypti Regibus tribuit Plato t, & de aliarum nationum Regibus tradidit Ariſtoteles u, atque adeò t Plato lib. de Regno.
etiam Proconſuli ſuo quodam modo u Ariſt. lib. 3. Politic. c. 10.
competebat, cùm vicaria Imperatoris poteſtate fungeretur; tamen Gallio, vir prudens, aduertebat, Deum à Paulo prædicatum, à vero Deo Iudæorũ non eſſe diuerſum, etiam ipſius Pauli teſtimonio, & aſſeueratione, cui Iudæi, dum malè contradicerent, lis tota inter illos vertebatur. Hæc igitur diſcordia Proconſuli viſa eſt partim eſſe de nominibus Meſſię, partim de intelligentia & ſenſibus Prophetarum: nam hoc eſt, quod ipſe ait x: x Act. c. 18.v.15.
Si verò quæſtiones ſunt de verbo, & nominibus, & lege veſtra; vos ipſi videritis: Iudex ego horum nolo eſſe. Ac ſi dicere voluiſſet: Poſſem quidem; ſed nolo, cùm hæc, vel leuia ſint, vel ad veſtram, non ad meam religionem pertinentia. Sed hac in re Proconſul non adeò laudabiliter ſe geſſit: debuiſſet enim magis rem expendere, & inueniſſet, non tantùm de nominibus, & verbis eſſe diſceptationem, neque ſolùm ad religionem Iudaïcam pertinentem; verùm etiam ad gẽtilitiæ ſuperſtitionis vanitatem diſcutiendam ſummè neceſſariam.

Sed

Sed hæc ſolet eſſe politicorum hominum conſuetudo,ea, quæ ad rempublicam,& humanas pertinent rationes, maximi ducere; quæ verò ſpectant ad diuinum cultum,& religionem,leuia æſtimare,quaſi parum, aut nihil ad rem ipſorum facientia. Reiectis itaque non ſine ignominia iniquis Pauli accuſatoribus Iudæis à tribunali,quid illis tumultuosè recedentibus ibi ſucceſſerit,refert S. Lucas his verbis [y]: *Apprehendentes autem omnes Soſthenem Principem Synagogæ, percutiebant eum ante tribunal, & nihil eorum Gallioni curæ erat.*

y *Act.* c. 18. v. 17.

Triplex autem hîc oritur dubitatio: prima eſt, quis hic Soſthenes, Princeps Synagogæ, fuerit: deinde, quinam illi ante tribunal percuſſores ipſius: demum, qua de cauſa ſic percuteretur, ſpectante præſertim Iudice,& nihil curante. Dubitauit S. Ioannes Chryſoſtomus[z],an hic Soſthenes idem eſſet,qui Criſpus anteà in Actis apoſtolicis eſt appellatus [a], quaſi duplex haberet nomen, vt in multis tunc eueniebat. Nã ille Criſpus,ſicut hic Soſthenes, Archiſynagogus à S. Luca dictus eſt: & ſicut ille Criſpus narratur Paulo credidiſſe,& ab eo baptizatus eſt,ac inter Sãctos recenſetur in Romano Martyrologio;ita etiam ſanctus fuit hic Soſthenes; &,vt veriſimile eſt,à Paulo Corinthi hoc tẽpore baptizatus. Vnde ipſe ad Corinthios poſteà ſcribens [b]: *Neminem* (inquit) *veſtrûm baptizaui,niſi Criſpũ, & Caium,ne quis dicat,quòd in nomine meo baptizati eſtis:baptizaui autem & Stephanæ domum:cæterùm neſcio, ſi quẽ alium baptizauerim.* Quare putauit Chryſoſtomus,hunc Soſthenẽ,quem à Criſpo non diſtinguit, propterea à Iudæis tunc verberatum, quòd nimis Paulo faueret; & quòd propter ipſũ Iudæos à tribunali Procõſulis eiectos primus ipſe percuſſerit: ſic enim de

z S. Chryſoſt. hom. 39. in Act.
a Act. c. 18. v. 8.
b 1. Cor. c. 1. v. 14.

Criſpo ſcribit Chryſoſtomus [c]: *Hunc Lucas dicit Synagogæ Principẽ, de quo Paulus ſcribens,inquit: Nullum alium baptizaui,niſi Criſpum,& Caium. Opinor autem,hunc etiam Soſthenem dici, qui in tantum fidelis fuerit, vt etiam percuſſerit,& Paulo ſemper affuerit.* Sed verbum Chryſoſtomi ambiguum, τύπτεσθαι, quod Interpres vertit, *percuſſerit*,potiùs verti debuit, *vapulauerit*: & perſonas fuiſſe diuerſas, Criſpum,& Soſthenem,apertè docet Romanum Martyrologiũ: nã Criſpi Archiſynagogi à S. Paulo baptizati natalis dies ibi ponitur quarta Octobris: at verò de Soſthene die vigeſimaoctaua Nouẽbris,ita legitur: *Apud Corinthũ natalis S. Soſthenis, diſcipuli B. Pauli Apoſtoli,cuius mẽtionem facit idem Apoſtolus Corinthiis ſcribens. Hic ex Principe Synagogæ cõuerſus ad Chriſtum,ante Gallionem Proconſulẽ acriter verberatus,præclaro initio fidei ſuæ primordia conſecrauit.* Ex quibus verbis, præter ipſius Martyrologij auctoritatem, ſuggeritur etiam Apoſtoli ea de re teſtimonium,initio prioris Epiſtolæ ad Corinthios, ita ſcribentis [d]: *Paulus Apoſtolus* IESV *Chriſti per voluntatẽ Dei,& Soſthenes Frater.* Tum poſt multa[e] Criſpi à ſe baptizati,tanquam hominis planè diuerſi, facit mentionem. Intelligimus præterea ex verbis Martyrologij prolatis, Soſthenem fuiſſe iam hoc tẽpore Chriſtianũ,& pro Chriſto eas cõtumelias, & verbera ſuſtinuiſſe, ſiue tantùm eſſet fidelis Catechumenus,ſiue etiã baptizatus. Quòd ſi quis obiiciat,hũc Soſthenẽ Archiſynagogũ à S. Luca appellatũ eſſe,tũ ab eodem dictũ fuiſſe, Criſpũ Archiſynagogũ à Paulo ad fidẽ Chriſti perductũ, idem igitur eſſe debuit Soſthenes,& Criſpus. Reſpõdemus,fieri facilè potuiſſe, vt primus Archiſynagogus Criſpus ad fidem Chriſti cum tota ſua domo Pauli

c Chryſoſt. hom. 39. in c. 18. Act. v. 8.
d 1. Cor. c. 1. v. 1.
e 1. Cor. c. 1. v. 14.

prædicatione inductus, vt refert S. Lucas[f], fuerit à Iudæis ea dignitate ſpoliatus: nam, quis credat, eo cũ vniuerſa familia baptizato, latere tãtam mutationem obſtinatos Iudæos potuiſſe, aut agnitam, & diſſimulatam? Quapropter Criſpo priori Archiſynagogo ab officio reiecto, Soſthenes potuit ſubrogari, qui ſimiliter Pauli prope Synagogam hoſpitium habentis adhortationibus, ſiue publicis, ſiue priuatis, exemplis quoque aliorum in magno numero Euangeliũ admittentiũ, ſed præcipuè exẽplo eximię Pauli ſanctitatis commotus, Chriſti fidẽ ſit amplexus. Deinde non eſt improbabile, quod aliqui dicunt, vnius Synagogæ plures ſimul eſſe potuiſſe Archiſynagogos. Denique non conſtat, vnã tantùm Corinthi fuiſſe Synagogã, ita vt non potuerit Criſpus vnius, & Soſthenes alterius obtinere principatum. Neque etiã mirum cuiquam videri oportebit, virum fidelẽ, & tantæ auctoritatis, cum illa Iudæorũ colluuie ad Proconſulis tribunal, quaſi Paulũ eſſet accuſaturus, veniſſe: non enim vllo contra Paulum malo animo; ſed pro illius potiùs defẽſione, vt homines efferatos in officio aliquo modo contineret, aduenit. Sic vir honorabilis Gamaliel olim Concilio interfuit Iudæorũ[g], vbi de nece Apoſtolis inferenda decernebatur, vt prudentia ſua furori ſe opponeret Iudæorum, & illorũ temeraria conſilia impediret. Atque hinc ſecundæ dubitationis habetur explicatio, qui, nimirũ, illi fuerint, qui Soſthenẽ ante tribunal Proconſulis ſic indecorè percutiebãt: certè non niſi Iudæi extiterunt, qui cũ viderent adeò turpiter ſe cauſa cecidiſſe, Archiſynagogo non ſolum nihil eos iuuante; ſed magis, vt Paulo faueret, aduerſante, furore correpti cõtra ſuũ Archiſynagogũ inſurrexerũt. Vnde, quod affertur ex S. Chryſ. Soſthenẽ priùs percutere Iudæos incepiſſe, licet aliquibus nõ probetur, nec verba Chryſoſtomi Græca cõuincant; tamẽ non videtur improbabile; nempe, vt Soſthenes ita Iudæos à tribunali repelleret: quia veriſimile eſt, aliquos eorum impudẽtiores moram ibi trahentes inſolẽtiùs ſe geſſiſſe: ideò Soſtheni viſum eſt pro ſua auctoritate, nõnullos huiuſmodi contumaces, & infimæ ſortis homines incuſſo aliquo ictu cõpeſcere, & vt inde ſe proriperẽt, vrgere: ex quo in furorẽ verſa multitudo Iudæorũ, cœperũt grauiùs Soſthenẽ ipsũ repercutere; nec fortè ab illius cęde abſtinuiſſent, niſi Proconſulis præſentia, & vicinum tribunal eos tenuiſſet. Quòd autem vſque ad verbera Iudæi contra ſuũ Archiſynagogũ progredi coram Procõſule auſi fuerint, id ipſe Procõſul, quaſi iuri ſuo cedẽs, effecit, cũ dixit, nolle ſe vllũ de tali cauſa ferre iudiciũ; ſed ipſi decernerẽt inter ſe. Qua conceſſione ſimul aliqua poteſtas Iudęis fieri videbatur, litem illam nonnullis leuioribus inflictis ſuppliciis dirimendi: ideò cùm hæc ante ſe committi Proconſul videret; *tamen nihil eorum* (inquit S. Lucas[h]) *Gallioni curæ erat.* Hoc aliqui laudi tribuunt, alij potiùs vitio vertunt Gallioni, qui, licèt patientiam ſuam, & manſuetudinem, ea diſſimulatione videretur oſtẽdere; illa tamen conniuentia licentiam nimiam ſeditioſis hominibus concedebat.

Tertiæ demum hinc ſatisfactum eſt dubitationi, qua, nimirum, ex cauſa Archiſynagogus à ſuis tam indignè tractaretur: quia, videlicet, à Synagoga deficiens ad Eccleſiam, & Chriſtiana caſtra tranſiuerat, atque illo præclaro inſignis ſuæ patientiæ exemplo, dum verbera pro Chriſto à Iudæis ſuſtineret, ſicut ait Martyrologium, fidei ſuæ primordia conſecrabat. Non omittam hic tamen

f *Act. c. 18. v. 8.*

g *Act. c. 5. v. 34.*

h *ibid. c. 18. v. 17.*

tamen dicere, aliquos in ea eſſe opinione, vt credant, Gentiles fuiſſe illos, qui Soſthenem ante tribunal Proconſulis verberabant: quia in quibuſdam Græcis codicibus Ἕλληνες appellantur, quod nomen ab aliquo Græco inconſideratè videtur adiectum; euertit enim huius Hiſtoriæ ſynceram veritatem, dum vulgatæ lectioni, cui magis fidendum eſt, ſine ratione contradicit, nec aliquid affert veriſimile. Ad quid enim tanta Gentilium multitudo ante illud tribunal conueniſſet? cur Archiſynagogum ita percuſſiſſent? an vt Paulo fauerent? Igitur erant omnes fideles, aut ad Chriſti fidem propendebant; quod parum eſt veriſimile. Deinde nec Soſthenes Paulo aduerſabatur: cur ergo Pauli cauſa vexabatur? præterea, non permiſiſſet Paulus, ita ſuas iniurias, præſertim à nouis illis Chriſtianis vindicari, quos magis ad patientiã, omnémque modeſtiã, vt ſæpè in ſuis epiſtolis facit, erudire debuiſſet. Denique, quia S. Ioannes Chryſoſt. in Græco ſuo codice, cui magis quàm aliis Græcis codicibus eſt tribuendum, nihil tale ſe inueniſſe ſignificauit; ſed apertè affirmauit, illos, à quibus Soſthenes diuexabatur, Iudæos fuiſſe, & propter eas, quas diximus, rationes, contra illum inſurrexiſſe.

An autem Paulus quoque cũ Soſthene à Iudæis tunc cæderetur, meritò dubitari poſſet; tum, quia, ſi Soſtheni Archiſynagogo, viro tantæ apud illos auctoritatis, propter odiũ in Paulum non parcebãt, erga ipſum Paulum quomodo fuiſſent humaniores? Deinde, quia in proœmio Commentariorũ prioris Epiſtolæ ad Corinthios, ſic habet S. Chryſoſtomus: *In hac ciuitate*, nempe, Corinthi, *ante tribunal corã Gallione Proconſule Paulus virgis cæſus eſt*. Sed, quod attinet ad S. Chryſoſtomum, omninò cogimur credere, proœmiũ illud alterius eſſe Auctoris, quã Chryſoſtomi, cũ plura aperte falſa cõtineat, & Lucæ, ipſique Chryſoſtomo contraria: tale eſt, quod ait: *Multa vero in hac ciuitate* (de Corintho loquitur) *perpeſſus eſt Paulus. In hac Chriſtus ei apparuit, dicens: Noli timere; ſed loquere, quia populus eſt mihi multus in hac ciuitate. Idcirco mãſit hic duos annos. In hac Damon egreſſus eſt, quem cùm Iudæi adiurarent, paſſi ſunt moleſtiſſima. In hac coactos Magorum libros pœnitentia ducti cremauerunt ad millia quinquaginta.* At, quod de hac librorum concrematione dicitur, conſtat ex Luca, & inſrà videbimus ſuo loco, non Corinthi, ſed Epheſi contigiſſe. Similiter illam Dæmonum adiurationẽ Epheſi, non Corinthi accidiſſe referũt Acta apoſtolica, & cõfirmat S. Chryſoſtomus in illius loci Cõmentariis. Quod addebatur, duos annos Corinthi Paulũ eſſe cõmoratũ, contrariũ eſt ei, quod aſſerit S. Lucas[f], annum fuiſſe tã um cum dimidio; idémque confirmat in homilia trigeſimanona ſuper Acta Chryſoſtomus, quem proinde nemo iure exiſtimabit ſacræ Scripturæ, ac ſui tam fuiſſe immemorem, vt & illi, & ſibi adeò contradiceret. Iam verò, quòd S. Paulus coram Gallione Proconſule virgis cæſus ab incerto illo Auctore affirmatur, non multùm eſt veriſimile: neque credibile eſt, Lucã in Actis apoſtolicis, vbi geſta potiſſimùm S. Pauli narranda ſuſceperat, illud de Soſthene, non de Paulo referre voluiſſe, quod erat ad apoſtolicæ virtutis commendationem, & exemplum honorificentius. Neque ſi Iudæi violentas manus à Soſthene non cohibuerunt, conſequens eſt eandem vim Paulo intuliſſe: nã Proconſulis obſtabat auctoritas, qui Apoſtoli, non Soſthenis patrocinium

[f] *Act. 18 v. 11.*

nium ſuſceperat, & eius innocentiam aperto ſuffragio declarauerat. Vnde fortaſſe factum eſt, vt quædam inter Paulum, & Gallionem, atque etiam germanum eius fratrem Senecam intercedſerit neceſſitudo, de qua toto ſequenti capite dicetur.

CAPVT VIII.

Proconſulis Gallionis frater Seneca Philoſophus init amicitiam cum Apoſtolo, eámque mutuis ambo fouent epiſtolis, & officiis.

LVcium Annæum Senecam Cordubenſem, Stoïcæ ſectæ celebrem Philoſophum, fratrem fuiſſe germanum Achaïæ Proconſulis Gallionis, anteà declarauimus. De hoc S. Hieronymus in ſuo libro de Viris illuſtribus ita ſcriptum reliquit: *Lucius Annæus Seneca Cordubenſis, Socionis Stoïci diſcipulus, & patruus Lucani Poëtæ, continentiſſimæ vitæ fuit: quem non ponerem in catalogo Sanctorum, niſi me illæ epiſtolæ prouocarent, quæ leguntur à plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum. In quibus, cùm eſſet Neronis Magiſter, & illius temporis potentiſſimus, optare ſe dicit, eius eſſe loci apud ſuos, cuius ſit Paulus apud Chriſtianos.* Hæc S. Hieronymus. Quando autem inter Paulum, & Senecam conciliari amicitia cœperit, quia non magis exploratum habemus aliunde, licebit hîc aliqua ratione inueſtigare per coniecturas. Fieri ergo facilè potuit, vt Proconſul Gallio multa intelligẽs de Pauli ſapientia, de heroïcis eius virtutibus, & operibus admirandis, quæ iam pridem, illo Corinthi manente, publica fama ferebantur, aliquid fratri ſuo, talium rerum ſtudioſo, per literas ſignificauerit, eique propterea quòd in aula Imperatoris plurimùm valebat, eſſe debere non incognitum talem virum exiſtimauerit. Vel etiam Paulus ipſe talem expertus erga ſe Proconſulis humanitatem, inde ſumpſerit occaſionem ad Senecam aliquid ſcribendi de ſapientia, prudentia, & æquitate Gallionis: vt hac ratione par fratrum clariſſimorum, quorum cum ſalute coniuncta eſſe videbatur ſalus plurimorum, ſibi deuinciret, & eos ad altiorem ſap etiam inuitaret. Extant octo Senecæ ad Paulum epiſtolæ, & ſex S. Pauli ad Senecam apud Xiſtum Senenſem, libro ſecundo Bibliothecæ ſanctæ, breues, & ſtylo, vt apparet, Latino omnes, etiam illæ S. Pauli, ſcriptæ, ſi S. Pauli ſunt; de quibus tamen plures antiquorũ meminerunt. Nam præter S. Hieronymũ anteà relatum prodiit nuper Chronicon Lucij Dextri, qui floruit tempore S. Hieronymi, & eidem illud dicauit, in quo circa annum Domini 64. ita legitur: *Lucius Annæus Seneca Cordubenſis Hiſpanus, miſſis vltrò, citróque ad Paulum literis, de Chriſtiana re benè ſentit, factúſque Chriſtianus, occultus eius diſcipulus fuiſſe creditur, dulcitérque ſcribit ad Paulum in Hiſpania morantem.* Præterea habetur in Bibliotheca Patrum liber de paſſione Pauli, adſcriptus Lino Romano Pontifici, qui S. Petri primus ſucceſſor fuit, in cuius libri principio loquens Auctor de Pauli cum Seneca familiaritate, ſic ait: (*concurſus de domo Cæſaris fiebant ad eum,* (videlicet, Paulum:) *ſed & inſtitutor Imperatoris* (nempe, Seneca) *adeò fuit illi amicitia copulatus, vt ſe à colloquio illius temperare vix poſſet; quò minus, ſi ore ad os illum alloqui non valeret; frequentibus datis, & acceptis epiſtolis, ipſius dulcedine, & amicabili colloquio, atque conſilio frueretur.* Sed, quamuis negare non poſſumus, à S. Lino Pontifice

tifice Acta quedã Apoſtoli Petri fuiſſe conſcripta, ſiue Acta ſanctorum Apoſtolorum, Petri, & Pauli, vnde in Romano Breuiario quædam habẽtur Lectiones de Actis S. Petri, quæ Lini eſſe exiſtimantur; tamen hęc illa non ſunt, quę ſub titulo paſſionis Pauli habẽtur in Bibliotheca Patrum: tũ, quia tales ibi Lectiones non inueniuntur: tum, quia Opuſculum illud paſſionis Pauli nullum habet à veteribus teſtimonium: tum denique, quòd in eo multa contineantur dubia, quædam etiam aperte falſa, & apoſtolicæ doctrinæ repugnantia, vt benè viri eruditi [a] adnotarunt.

a Baron. tom. 1. anno 80. Bellar. lib. de Script. eccleſ. in Lin.

Itaque, vt certa ab incertis in re præſenti diſtinguamus, illud primò ponimus indubitatum, aliquam inter Paulum Apoſtolum, & Senecam Philoſophum interceſſiſſe amicitiam, quãdocunquè, aut quomodocunque contracta hæc fuerit, aut quandiu continuata, quod certò non poſſumus definire: neque ſolùm initam amicitiam; ſed etiam plures familiares literas, quæcunque illæ fuerint, vltrò, citróque miſſas eſſe. Nam, vt omittam Auctores recentiores quãplurimos, & antiqui illius Scriptoris ſub Lini Papæ nomine teſtimonium, idem cum S. Hieronymo ſuperiùs allegato docuit S. Auguſtinus, in quadam epiſtola ad Macedonium ſic ſcribens [b]: *Merito ait Seneca, qui temporibus Apoſtolorum fuit, cuius etiam quadam ad Paulum Apoſtolum epiſtolæ leguntur: Omnes odit, qui malos odit.* Sed tamen loquendo de ſex illis, quæ nũc habentur, epiſtolis Paulo adſcriptis, quaſi ab ipſo ad Senecam miſſis; multa ſunt, quæ perſuadent eſſe ſuppoſititias. Et in primis Eccleſiæ totius auctoritas, quæ illas à canone ſacrarum Scripturarum excludit: quod profectò nunquam feciſſet, ſi eas eſſe Pauli, diſcernere potuiſſet. Deinde, quia

b S. Aug. ep. 54. circa med.

neque ſtylum, neque grauitatem, aut ſanctitatem referunt apoſtolicam; ſcilicet, Paulus, qui toties in ſuis Epiſtolis proteſtatur, humana iudicia ſe nõ curare [c], & quòd ſi hominibus placeret, ſeruus Dei non eſſet, ſcripſiſſet Senecę, id eſt, homini ethnico, & idololatræ, tanti viri iudicio beatum ſe reputare, & vera eſſe, quæ Seneca docebat: ſic enim habetur in prima illa Pauli ad Senecam inſcripta epiſtola. *Quod literis meis vos refectos ſcribis, fœlicem me arbitror tanti viri iudicio: neque enim diceris Cenſor, Sophiſta, ac Magiſter tanti Principis, & etiam omnium, niſi quia vera dicis.* Deinde, in altera epiſtola Senecam appellat doctiſſimum Magiſtrum: *Vale* (inquit) *doctiſſime Magiſter.* & excuſat ſe, quia in literis ad eum miſſis nomen ſuum illius nomini præpoſuerit: quæ ſanè ſcribi ab Apoſtolo nimis fuiſſet indecorum. Nec minùs dedecet, quod in alia epiſtola fingitur Paulus monere Senecam, ne ſuas epiſtolas Neroni oſtendat, vt non turbetur: *Licèt* (inquit) *non ignorem, Cæſarem noſtrarum rerum admiratorem, & amatorem eſſe; permittes tamen te non lædi, ſed admoneri: puto enim te grauiter feciſſe, quòd in notitiam perferre voluiſti, quod ritui & diſciplinæ eius ſit contrarium: cùm ille Gentium Deos colat. Quid tibi viſum ſit, vt hoc cum ſcire velles, non video: ſed nimio amore meo facere te hoc exiſtimo. Rogo te de futuro, ne id agas: cauendum eſt enim, ne, dum me diligis, offenſam Dominæ facias.* Hucvſque in illa epiſtola: quis autem credat, Apoſtolum adeò fuiſſe timidum, in negotio præſertim promouendi tantopere Chriſtianam religionem? Apparet etiam in huius epiſtolæ ſubſcriptione manifeſtus error, vbi dicitur, data epiſtola quarto Kalendas Iulij, Nerone quarto, & Meſſala Conſulibus, cùm conſtet,

c Galat. c. 1. v. 10.

Neronem cum Meſſala non quartò, ſed tertiò geſſiſſe cõſulatum. Sed nec fuit vlla neceſſitas huius ſubſcriptionis, cùm hæ non tam literæ, quàm ſchedæ quædam fuiſſe credãtur miſſæ inuicem familiariter, dum ambo, tam Paulus, quàm Seneca Romę, Neronis tempore morarentur; nec vnquam S. Paulus in ſuis Epiſtolis, quãtumuis ad remotas mundi partes miſſis, ſimili vſus fuerit ſubſcriptione.

Si verò iam vlteriùs de illis octo epiſtolis inquiramus, quę à Seneca S. Paulo ſcriptæ exiſtimantur, non poſſumus tanta probabilitate conuincere omninò eſſe commentitias; multa tamen ſunt, quæ arguunt impoſturã: & illud in primis, quia nihil diſcrepant à ſtylo earum, quæ S. Paulo falsò tribuuntur. Quare ſuſpicantur aliqui fictitium illum Linum, qui librũ de Pauli paſſione confinxit, etiam has epiſtolas ementito Pauli, & Senecæ nomine cõpoſuiſſe. Et profectò ſtylus benè conſentit, ſicut è contra cum Senecæ arguto, & concinno ſcribendi genere nihil epiſtolæ illæ videntur habere commune. Ad hoc tamen reſpondet Xiſtus Senenſis, videri Senecam ſtylum ſuum in his epiſtolis aliquantulum obumbraſſe, & de induſtria diſſimulaſſe, vt ſi fortè in alienas manus literæ deuenirent, etiamſi inſcriptæ nomine Senecæ; potuiſſent nihilominùs in periculo non videri Senecæ: periculum enim erat, & contra Imperatoris tunc edictum, Chriſtiani, aut Iudæi familiaritate vti. At hæc non cohærent cum eo, quod legimus in illis epiſtolis, vltrò & ſponte Senecam literas à Paulo acceptas Cæſari oſtendiſſe. Deinde, quamuis admitteremus, illam ſtyli mutationem, ſiue ob hanc, ſiue ob alias cauſas ex induſtria factam; non propterea Seneca debuiſſet in hiſtoria temporum, in Conſulibus nominandis, in veritate rerum tam apertè mentiri, aut hallucinari. Deſcribit autem in ſeptima epiſtola incendium, quod Romæ accidit ſub Nerone, dicens, in eo arſiſſe tantùm trigintaduas domos, & inſulas quatuor. At verò inter alios, Cornelius Tacitus[d], qui hac tota de re accuratiſſimè ſcripſit, teſtatur ex quatuordecim vrbis regionibus, quatuor tantum integras remanſiſſe: vt omninò neceſſe fuerit longe maiorem fuiſſe numerum exuſtorum ædificiorum, templorum quoque, hortorum, & plurium circa Tyberim inſularum. Vnde inquit Tacitus: *Domuum, inſularum, templorum, quæ amiſſa ſunt, numerum inire haud promptum fuerit.* Præterea, ſubſcribitur illa epiſtola data Frigio, & Baſſo Cõſulibus: nullus autem Frigius Conſul, ſed Frugi quidam dictus inuenitur. Sed fuerit hoc mendum Librariorum, quid eſt, quod in altera proxima epiſtola ſubſcribitur: *Data Leone, & Sauino Conſulibus.* his enim duobus nominibus nulli Conſules ſub Nerone, neque ſub vllo alio Imperatore appellati reperiuntur. Obſeruarunt quoque cum Baronio alij[e], talẽ in ſeptima epiſtola ſubſcriptionem: *Data quinto Aprilis, Aproniano, & Capitone Conſulibus.* At hi duo Conſules, teſte Cornelio Tacito, qui res geſtas Neronis per annos ſingulos accuratè digeſſit, quinto Neronis anno conſulatum adminiſtrarunt, quando nondum fuerat illud vrbis incẽdium, ſed accidit multò pòſt, nempe, anno Neronis decimo, ſub Memmio Regulo, & Virginio Rufo Conſulibus. Hæc tamen coniectura non ita vrget: nam illa epiſtola, quę talem habet ſubſcriptionem, non eſt ſeptima, vbi Vrbis narratur incendium; ſed ſexta, quæ potuiſſet ante quinque annos à tempore incendij eſſe à Seneca ad Paulum miſſa. Illud magis vrgere videtur,

tur,

d *Tacit. lib. 15. Annal.*

e *Baron. anno 66. Lorin. in c. 18. Act. v. 12.*

tur, quòd in tribus poſtremis epiſtolis, nempe ſexta, ſeptima, & octaua, ita cum Paulo Seneca loquitur, vt planè videatur Chriſtianus, Apoſtolum appellans nominibus perhonorificis, laudans Chriſtianos, eiſque valdè compatiens, quia innocentes à Nerone, aliiſque tunc temporis ethnicis crudeliter vexabantur. Et tamen S. Auguſtinus [f] libro ſexto de Ciuitate Dei, teſtatur de Seneca, illum Sacramenta Iudæorum, & maximè Sabbata reprehendiſſe, tanquam inutili ſuperſtitione obſeruata, cùm per ſingulos illos vacuos in hebdomada dies ſeptima ferè pars ætatis humanæ perdi videatur. *Chriſtianos autem* (inquit S. Auguſtinus) *iam tunc Iudæis inimiciſſimos, in neutram partem commemorare auſus eſt, ne vel laudaret contra ſuæ patriæ veterem conſuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forſitan voluntatem.* Hæc de Seneca S. Auguſtinus; qui tamen de eo tantùm videtur eſſe locutus, quod in libro Senecæ continebatur contra ſuperſtitiones ſcripto, quem ibi S. Auguſtinus allegat, & inter Opera huius Philoſophi, ſicut alia quædam illius Opuſcula, quæ perierunt, modò non inuenitur. Et fortaſſè librum hunc contra ſuperſtitiones Seneca ſcripſerat, antequam amicitiam vllam cum Paulo contraxiſſet. Certè illud habemus ex Cornelio Tacito, cùm Roma ferè vniuerſa grauiſſimo illo incendio, quod antea memorauimus, arſiſſet ſub Nerone, qui occultè mandauerat id fieri, vt veterem Romam innouaret, & in aliam formam reædificaret; Chriſtianos tanquam huius facinoris reos, exquiſitiſſimis tormentis fuiſſe diſcruciatos. Ideò Senecam à Nerone petiiſſe, vt in rus aliquod ſecedere

f S. Aug. lib. 6. de Ciu. Dei, c. 10. & 11.

valetudinis cauſa ſibi liceret; quod cum impetrare nequiuiſſet, domi per aliquot menſes ſe continuiſſe. Id Tacitus factum interpretatur ad euitandam inuidiam ſacrilegiorũ Neronis: alii, quia tot inſontium Chriſtianorum carnificinam ſpectare non ſuſtineret. Quòd ſi ita ſe res habuit, redduntur aliquo modo veriſimilia, quæ in ſeptima ad Paulum inſcripta epiſtola ſic leguntur: *Aue, mi Paule chariſſime. Putáſne me haud contriſtari, & non luctuoſum eſſe, quòd de innocentia veſtra ſubinde ſumatur ſupplicium? dehinc quòd tam obnoxios reatui omnis populus iudicet, putans à vobis effici, quod in vrbe contrarium fit? Sed feramus æquo animo, & vtamur foro, quod ſors conceſſit, donec inuicta felicitas finem malis imponat. Incendium vrbis Roma vnde ſæpè patiatur, manifeſtè conſtat. Sed, ſi effari humilitas humana potuiſſet, & impune his tenebris loqui liceret, omnes omnia viderent. Chriſtiani, & Iudæi, quaſi machinatores incendij, ſupplicio affici ſolent. Graſſator iſte, quiſquis eſt, cui voluptas carnificina eſt, & mendacium velamentum, tempori ſuo deſtinatus eſt: & ſicut optimi cuiuſque caput pro vno donatur capite; ita vnum pro multis dabitur caput, & hic deuotus pro omnibus igni cremabitur. Centum trigintaduæ domus arſère, &c.* Hæc in illa epiſtola, ex quibus poſſet aliquis obiectioni ex Baronio ſuperius poſitæ aliquo modò reſpondere: quod in ea legimus epiſtola, domos arſiſſe centum trigintaduas, non eſſe contrarium Tacito ſignificanti, multò plures illo incendio fuiſſe abſumptas: nam refert ipſemet Tacitus, plura fuiſſe incendia interrupta, ſubinittente, vt creditur, Nerone, occulto mandato, pluribus facibus per varias vrbis partes incendiarios,

 qui

qui faces combuſtibili materiæ admouerent. Quare fieri potuit, vt cùm illa Senecæ ad Paulum epiſtola ſcribebatur, nondum tam multa per vrbem incendio fuerint deuaſtata. Quidquid autem ſit, in illis tam Senecæ, quàm Paulo adſcriptis epiſtolis, vt nunc extant, negare non poſſumus, multa inueniri parum ſyncera, quædam inerudita, & quædam etiam manifeſtè falſa. Illud prætereà, quod S. Hieronymus ait, ſe legiſſe in quadam Senecæ ad Paulum epiſtola: *Optare ſe eius eſſe loci apud ſuos, cuius erat Paulus apud Chriſtianos.* in nulla ex octo, quæ hodie leguntur Senecæ ad Paulum epiſtolis inuenitur. Denique, vt hanc materiam concludamus, quantumuis benè aliquando affectus erga Chriſtianam religionem hic Philoſophus extitiſſe videatur; tamen apertè conſtat ex Cornelio Tacito [g], Senecam extremum vitæ ſuæ diem in ethnica ſuperſtitione clauſiſſe: voluiſſe, nimirum, Socratis mortem, hauſto veneno, imitari; libaſſe pro ſuo interitu liquorem Ioui liberatori, & ſolennia funeris ſibi perſolui, qualia nunquam à fidelibus negligebantur, vetuiſſe. Rem ita exponit Tacitus: *Seneca interim, durante tractu, & lentitudine mortis, Statium diu ſibi amicitiæ fide, & arte medicinæ probatum, orat, prouiſum ſibi pridem venenum, quo damnati publico Athenienſium iudicio extinguerentur, promeret: allatúmque hauſit fruſtra, frigidis iam artubus, & clauſo corpore aduerſus vim veneni. Poſtremum, ſtagnum calidæ aquæ introiit, reſpergens proximos ſeruorum, addita voce; libare ſe liquorem illum Ioui liberatori. Exin balneo illatus, & vapore eius exanimatus, ſine vllo funere ſolenni crematur. Ita codicillis ſuis præſcripſerat, cùm etiam tum prædiues,*

[g] *Tacit. lib. 15. Annal.*

& præpotens ſupremis ſuis conſuleret. Addit idem Hiſtoricus, actum à quibuſdam de Nerone tyranno interficiendo, vt imperium Senecæ deferretur viro ea tempeſtate omnium ſapientiſſimo, & virtutis præclariſſimæ. Vnde, quamuis diuinorum iudiciorum proprias inuenire cauſas non omninò poſſimus; duas tamen communes ab ipſo Chriſto Domino traditas hîc licebit afferre, cur homo tantæ ſapientiæ & prudentiæ, tanta beneuolentia, & familiaritate Paulo Apoſtolo coniunctus; tamen in ſua Gentilitia infidelitate, diuino iudicio reprobatus, ab hac vita deceſſerit. Nempe, quia immoderata mundanæ gloriæ cupiditate implicatus, & æſtu ſupremi honoris abſorptus, emergere, & ad æternæ vitæ inuiſibilia bona aſpirare, credulitate firmiori non potuit. Nam hoc eſt, quod Principibus Sacerdotum, & Phariſæis in Euangelio dicebat Chriſtus Dominus [h]: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?* Deinde adiuncta erat cupidini gloriæ copia maxima diuitiarum: fuit enim Seneca, vt affirmat idem Tacitus, profuſa Neronis liberalitate opulentiſſimus, & tantùm paupertatis admirator, & laudator egregius. Sic ille Iudæorum Princeps benè de cætero erga Chriſtum, eiúſque doctrinam affectus, vbi audiuit, ſi vellet eſſe perfectus, vt ſe cupere ſignificauerat [i]: *Omnia, quæcunque habes, vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis. His ille auditis* (inquit Euangeliſta) *contriſtatus eſt; quia diues erat valde.* Vnde Chriſtus adiunxit, ſummam eſſe in diuitibus, vt ſaluentur, difficultatem. Ex quo etiã factum eſſe credi poteſt, vt Gallio Proconſul, & Senecæ germanus,

[h] *Ioan. c. 5. v. 44.*

[i] *Lucæ c. 18. v. 18. 23.*

quamuis

quamuis vir ſapiens, & virtutum Apoſtoli admirator, ab impia ſuperſtitione Romanæ illius temporis Gentilitatis nunquam emerſerit.

CAPVT IX.

Qua occaſione Corinthi manens Apoſtolus ſcripſerit ſecundam Epiſtolam ad Theſſalonicenſes; & quid in ea contineatur.

SCripſerat Apoſtolus annò ſuperiori primam ſuam Epiſtolam ad Theſſalonicenſes, & cùm adhuc moraretur Corinthi, vbi diuino monitu ſatis diu, nempe, per annum & ſex menſes debuit ſubſiſtere, ſecundas literas ſcripſit ad eoſdem Theſſalonicenſes, ob triplicem, quantùm ex eiſdem literis colligere poſſumus, cauſam. Primùm enim magno ſe teneri deſiderio ſignificauerat ad eos iterum veniendi, vt magis illos in fide inſtrueret, & confirmaret [a]: *Voluimus*, inquit, *venire ad vos, ego quidem Paulus, & ſemel, & iterum; ſed impediuit nos Satanas.* Deinde, quia ſcripſerat ad eos aliquid de expectatione ſupremi Iudicij vniuerſalis, inde aliqui turbare Theſſalonicenſes cœperunt, quaſi iam mundi finis inſtaret. Addebant aliqui Pſeudoprophetæ ſuas ementitas reuelationes, vt largiores eleemoſynas vanis terriculamentis à fidelibus ſimplicioribus corrogarent. Tertiò, quia monuerat illos, vt ab otio ſibi cauerent, & nemo inter illos inquietus, aut aliorum turbator inueniretur: intelligens, parum ſe tali admonitione profeciſſe, cenſuit iterum ſeriò eſſe illos monendos. Atque hæc tria rerum capita materiam præbuerunt tribus capitibus huius Epiſtolæ: tot enim ipſa non pluribus continetur.

a 1. Theſſ. c. 2. v. 18.

Circa locum, & tẽpus, quo ſcripta hæc epiſtola cenſetur, prætermittendum non eſt, aliquorum fuiſſe opinionem, Athenis eſſe datam: ſic enim Græca, & Latina regia exemplaria oſtendunt in fine notatum: Syriaca verò interpretatio ponit ſcriptam Laodiceæ: at S. Athanaſius in Synopſi, Romæ ſcriptam exiſtimauit. Sed tamen occaſio ipſa ſcribendi; materia ſcriptionis; perſonæ, quorum nomine Epiſtola primis verbis inſcribitur, manifeſtè oſtendunt, hanc ſecundam non longo tempore ſcriptam eſſe poſt primam: nam vtraque iiſdem verbis ſic incipit: *Paulus, & Siluanus, & Timotheus Eccleſiæ Theſſalonicenſium*, &c. Cùm igitur ſatis ſuperiùs conuicerimus [b], primam non niſi Corinthi ſcriptam eſſe potuiſſe, vbi Paulus cum Siluano, & Timotheo diu morabantur; non autem Athenis, Romæ, vel Laodiceæ, idem omninò cogimur credere de ſecunda. Quam opinionem, vt magis veram, poſt Cardinalem Baronium [c], omnes ferè Pauli Interpretes amplectuntur. Primum itaque huius Epiſtolæ caput orditur S. Paulus à laude Theſſalonicenſium: tum eos hortatur, vt magis in virtute proficiant; & pœnas iis, qui eos affligebant; præmia verò pro Chriſto patientibus maxima & æterna pollicetur, ſic ſcribens [d]:

b lib. 6. c. vlt.

c Baron. anno 53.

Paulus, & Siluanus, & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre noſtro, & Domino IESV Chriſto congregatæ gratiam precatur, & pacem. Eſt, quòd gratias Deo referre pro vobis ſemper maiores debeamus, dilectiſſimi Fratres, quia veſtra ſingulorum fides, & mutua inter vos charitas maiora in dies recipit

d 2. ad Theſſal. c. 1. v. 1. &c.

increméta:adeò vt nos ipſi de vobis, veſtráq; in Deũ fide, & propter Deũ conſtantia in perſecutionibus,quas tã excelſo animo ſuſtinetis, ſoleamus apud alias Eccleſias gloriari. Sed alia vos,pro tanta virtute,expectat gloria in Eccleſia triũphante:ſicut,vice verſa,expectant aduerſarios veſtros, niſi reſipiſcãt,æterna apud Inferos ſupplicia.Expediebat auté ad clariùs manifeſtandã mũdo vniuerſo ſupremi Iudicis,Chriſti Saluatoris æquitatem in pœnis pro culpis decernendis, & in præmiis pro bonis operibus tribuendis,vt extrema die omniũ huius vitę ſæculorũ,oſtéderet ſe toti mũdo glorioſiſſimũ, è ſummo cœlorũ deſcendẽdo, comitãte Angelorum exercitu innumerabili: ſed igne primùm tanquã vindice, & iræ Dei anteſignano, inflammãte omnia,& pœnas iniquorũ æterno tempore duraturas conflagratione Orbis inchoante. Vos auté, qui prædicationi meæ dignam fidem de illius diei certiſſima expectatione præſtitiſtis,quando fidelibus Sanctis ſuis tantam Deus, adeóque admirabilem, & ineffabilem daturus eſt gloriam,ideóque in hac fide conſtantes, tantas pro ea tribulationes patientiſſimè ſuſtinetis, meritò ſperare illius gloriæ participationem, Deo auctore, & in omnibus adiutore, poteſtis. Quapropter oramus ſemper,vt Deus gratiam vocationis ſuæ conſeruet in omnibus vobis, & adaugeat ſemper, ac bonis operibus ſtructuram fidei veſtræ ad faſtigiũ conſummatæ perfectionis adducat. Vt nomen Domini noſtri IESV Chriſti clarificetur in vobis, iuxta gratiam Dei noſtri, & eiuſdé Domini IESV Chriſti. Ex hoc primo tranſit ad ſecundum ſuæ Epiſtolæ caput, in quo falſam Theſſalonicenſium perſuaſionem, & errorem cõuellit, de die extremi Iudicij proxime ſecuturo, de quo ſic ſcribit [c].

c 2. Theſſ. c. 2. v. 1. 2. &c.

Rogamus autem vos, Fratres, per aduentum illum extremum Domini noſtri IESV Chriſti, & noſtræ cum ipſo tunc futuræ aggregationis; vt nõ facilè à veſtro Catholico ſenſu dimoueamini, neque terreamini, propter quaſdam confictas,quaſi à Dei Spiritu reuelatiões,neq̃ue propter verba, quæ Pſeudoprophetæ mentiũtur eſſe à me dicta, vel ſcripta per Epiſtolas neſcio quas, vt mendacium ſuum, quaſi inſtet dies extremi Iudicij, populis perſuadeant. Nemo vos vlla ratione decipiat in ea parte, quoniã ea dies non adueniet, niſi antea contigerit quædam communis à catholica fide apoſtaſia, & à Chriſto,eiúſque in terris Vicario defectio ferè vniuerſalis, & apparuerit mortalium perditiſſimus Antichriſtus, qui omni diuinitati Atheus aduerſabitur, & extolletur ſupra quodcunque Numen, non ſolùm quod adoratur à vanis cultoribus idolorum: verùm etiam ſupremi ac veri Dei: adeò vt oſtentet ſe in templo Ieroſolymis ad hoc ſibi reædificato,quaſi alius præter ipſum Deus in mundo non inueniretur. Nunquid memoria non retinetis, hæc à me vobis aliàs explicata, dum apud vos eſſem Theſſalonicæ: Imò inde poteſtis intelligere, quænam aduentum illius temporis remorentur. Quoniã, ſicut Chriſti primum aduentũ Moyſes,Ioannes Baptiſta,& alij Prophetę longa ætatum ſerie præceſſerunt:ita etiam Antichriſtum præcedere debent tyranni, & alij inſignes Eccleſiæ perſecutores, tandiu myſterium iniquitatis operantes, quandiu patientia Dei hoc permiſerit. Vt ad extremum reueletur ille omnium perditiſſimus, quem Dominus IESVS appropinquantis aduentus ſui maieſtate percellet, & [illegible] bit interficí: nec prius cœli aperientur,

vnde

vnde veniat Dominus Iesvs Chriſtus ad magnum tribunal Iudicij ſui, quàm terra dehiſcens vſque ad Inferos hominem abſorbeat omnium ſceleſtiſſimum. Et meritò: erit enim ſuperbiæ, & arrogantiæ intolerandæ, operator fictorum arte Dæmonis prodigiorum, & ementitorum omnis generis miraculorum, quæ aliquando Deus permittet in pœnam eorum, qui tandiu prædicatæ, & luce meridiana clariùs manifeſtatæ euangelicæ veritati oculos mentis obſtinatè clauſerunt: vt ita cæci ſponte ſua decipiantur, & in huius ſeductoris nocentiſſimas fraudes, apertámque perniciem incurrant. Quapropter nos immortales gratias Deo agere pro vobis ſemper debemus, Fratres dilecti a Deo, quòd ipſe vos elegerit inter primos nouarum Ecclesiarum filios, ad ſanctificationem Spiritus, per ſalutiferam orthodoxæ fidei veritatem à me veſtris auribus euangelica prædicatione inſinuatam, & cordibus diuina virtute inſitam, eo fine, vt gloriam æternæ beatitudinis per gratiam, & merita Saluatoris noſtri Iesv Chriſti conſequi valeatis. Pergite igitur, vt cœpiſtis, Fratres, & conſtanter tenete traditiones, quas à nobis, ſiue voce, ſiue per Epiſtolam accepiſtis. Ipſe autem Dominus Iesvs Chriſtus, & Deus, & Pater noſter, qui dilexit nos, & gratia ſua nobis ſpem fecit æternæ conſolationis, confirmet cor veſtrum in fidei veritate, & in omni opere bono: vt diſcere, docere, magis autem adimplere optima quæque, ipſo auxiliante poſſitis. Hæc habet S. Paulus toto capite ſecundo, & inde tranſit ad tertium, dicens [f]:

f 2. Theſſ. c. 3. v. 1. 2. &c.

De cætero, Fratres, pias veſtras preces ad Deum pro nobis fundite, vt verbi diuini prædicatio, ſicut apud vos; ita etiam apud alios proficiat, & clarificetur: & vt ab impoſturis, & à perditis hominibus liberemur, qui nec admittere ipſi donū fidei volunt: quod ſanè donum non eſt omniū, & neque alios recipere illud patiuntur. Quod autē ad vos attinet, confidimus fideliſſimæ Dei bonitati promiſſum eius auxiliū in malis ſuperandis nunquam vobis eſſe defuturū. Sed pro veſtra quoque parte confidimus, ea, quæ præcipimus, fecēda præſtetis, & ſic deinceps, adiuuante ſemper Dei gratia, præſtabitis. Ipſe bonorum omnium auctor Deus dirigat corda omnium veſtrûm in bonis per charitatem, in aduerſis per Chriſti patientiam, recta ſemita ad ſalutem. Denunciamus autem vobis, Fratres, & mandamus, in Chriſti Domini noſtri nomine, ac virtute, vt ſubtrahatis vos ab eorum Fratrum conſuetudine, qui deprauatis incedūt moribus, & quæ à nobis ſunt tradita, non obſeruant. Noſtis enim, quid non verbo tantùm, ſed etiam exēplo ſeruandum in hoc genere docuerimus. Nunquam enim inordinatè viximus apud vos; neque gratis panem vllius veſtrûm manducauimus: ſed diurnis, nocturníſque laboribus, non animi ſolùm; verùm etiam corporis, & manuū nos exercuimus, ne quenquā veſtrū impenſis, quātumuis neceſſariis, grauaremus. Non quaſi nobis laborātibus pro omnibus in Euāgelio, alienis viuere ſumptibus non licuiſſet; ſed, vt viuendi normam perquam honeſtā hac ratione vobis exhiberemus. Quapropter, cū eſſemus apud vos, hoc inter alia mandauimus, vt iuxta illud primo noſtro parenti à Deo indictum [g] *In ſudore vultus tui veſceris pane.* ſi quis à communi labore ſe ſubtrahit, ei etiam cōmunis cibus ſubtrahatur. Accepimus enim, quoſdam eſſe inter

g Gen. c. 3. v. 19.

vos

vos otioſos, deſidioſos, omnis laboris impatientes, & ſolùm curioſitati, cum aliorum perturbatione vacantes. Iis ita ſe gerentibus omninò præcipimus, & obteſtamur in Domino IESV Chriſto, vt quietè operantes, cibum ſuo labore, non alieno acquiſitum, manducent. Quamuis non propterea debeatis veſtræ conſuetæ beneficentiæ ſic obliuiſci, vt patiamini quemquam, etiamſi propter ſuæ inertiæ culpam, fame perire, aut graui neceſſitate affligi. Quòd ſi quis monitis noſtris per epiſtolã datis non acquieuerit, hunc notate, atque interim, vt confundatur, eius conſuetudinem, & commercium declinate, non quaſi inimicum, ſed vt Fratrem correctione aliqua dignum eum exiſtimantes. Ipſe autem Dominus Deus, auctor pacis ſempiternæ, illam vobis in omnibus, & per omnia largiatur, & ſit cum omnibus vobis ſemper. Ad extremum, vt meam eſſe hanc Epiſtolam certo ſigno dignoſcatis, addo ego Paulus conſuetam in omnibus aliis meis Epiſtolis ſalutationis formam mea propria manu, quam diſcernere poteſtis ſubſcriptam in hæc verba: *Gratia Domini noſtri* IESV *Chriſti cum omnibus vobis. Amen.*

Per quem miſſa fuerit hæc Epiſtola, diuinare non poſſumus, niſi quòd aliqui Latini codices in illius Epiſtolæ principio notatum habent, datam eſſe per Titum, & Oneſimum: hoc autem non apparet veriſimile, ſi Corinthi ſcripta ponatur, vt iã oſtendimus; non autem, vt alij putarunt, Romæ: Oneſimus enim Romæ primùm Paulo adhæſit, & ibi ad fidem euangelicam eſt inductus: vnde vti eius opera S. Paulus tunc incepit ad Epiſtolas deferendas. Eadémque ratione redditur improbabile id, quod de Tito dicebatur. Sed & Paulus, quas Romæ ſcripſit Epiſtolas, cùm eſſet ibi longo tempore in vinculis, omnes aliqua mentione ſuorum vinculorum, quaſi nota honorifica, inſigniuit. Cùm igitur nulla, tam in ſecunda, quam in prima miſſa Theſſalonicenſibus Epiſtola, mentio habeatur talium vinculorum, vt primam, ita ſecundam alibi quàm Romę ſcriptam exiſtimare debemus, nempe, Corinthi, & inde non per Oneſimum, quem dicit S. Paulus ſe in vinculis Chriſto genuiſſe, neque per Titum, qui Corinthi cum Paulo non fuit, ſed per aliquem alium eſſe miſſam.

CAPVT X.

Quæ de Antichriſto habentur in ſecunda Epiſtola ad Theſſalonicenſes, quàm peruersè noſtri temporis Hæretici de Pontifice Romano interpretentur.

DIſſimulare hoc loco non debemus Ioannis Caluini intolerabilem impudentiam, qui in ſuis ſuper hanc Pauli Epiſtolã ſacrilegis Commentariis, verba illa exponens, quæ in capite ſecundo ſic habentur [a]: *Niſi reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* auſus eſt ſcribere, tam eſſe clarum, hæc omnia dicta de Antichriſto, quadrare in Papam Romanum, vt etiamſi puer ſit decennis, inquit ipſe, non multùm debeat laborare in noſcendo Antichriſtum. Et vt adeò tetram calumniam, ſiue potius blaſphemiam aliquo modo colorare, his verbis argumentatur: *S[illegible]ptura pronunciat vnicum [illegible] I[illegible] ſtorem, qui ſeruare poteſt, & [illegible]cum Regem, cuius officium eſt verbo [illegible]* a 2. Theſ. c. 2. v. 3.

animas

animas regere, eundem facit omnium ſacrorum auctorem, iuſtitiam & ſalutem ab vno Chriſto petendam docet; modum ſimul, & rationem aſſignat. Nihil horum eſt, quod non ſui iuris Papa eſſe aſſerat: ſuum eſſe gloriatur ligare, quibus viſum eſt legibus conſcientias, & æternis pœnis ſubiicere; Sacramenta, pro libidine ſua, vel noua inſtituit; vel, quæ à Chriſto inſtituta erant, corrumpit, & vitiat, imo penitùs abolet, vt in eorum vicem ſubſtituat ea, quæ finxit ipſe ſacrilegia. Media conſequendæ ſalutis aliena prorſus à doctrina Euangelij comminiſcitur: totam denique religionem pro ſuo nutu mutare non dubitat. Quid, obſecro, eſt, ſe efferre ſupra omne, quod Numen reputatur, ſi hoc Papa non facit? Accepit id Caluinus, vt alia multa, à Luthero, paſſim in in ſuis libris Papam Antichriſtum appellante, præſertim in libro contra execrabilē bullā Antichriſti, in libro de captiuitate Babylonica, in libro de ſupputatione temporū, & contra Ambroſium Catherinum. Hos Beza ſecutus eſt in Commentariis ſimiliter huius Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes, & alij communiter huius temporis Hæretici, qui nullam magis habēt in ore contumeliā contra Pontificios, vt nos vocant, quàm caput noſtrum Papam eſſe Antichriſtum. Maximè autem videntur inde permoti, quòd nullum grauiorem, Chriſti Vicario in terris, aduerſarium patiantur: quare vt ſe tueri Chriſti partes hoc fuco mentiantur, ducibus Caluino, & Luthero, quaſi Elia, & Enocho, plauſibili apud ipſos huiuſmodi ſc[illegible]te impiè afficiunt Petri Apoſtoli ſucceſſores. Dicunt autem, Papam, cum olim eſſet tantum ſimplex Epiſcopus Romanus, incepiſſe fieri Antichriſtum poſt annum Domini ſexcenteſimū, cum arrogare ſibi cœpit titulum Paſtoris Eccleſiæ vniuerſalis, Miſſas introduxit, Purgatoriū, Indulgentias, cultum Sanctorum, & Imaginum venerationem inuexit. Quare Dauid Chytræus in Commentario ſuo noni capitis Apocalypſis, explicans illam S.Ioannis viſionem, cum tuba quinto Angelo canēte ingens ſtella de cœlo in terram cecidit, cui data eſt clauis abyſſi; magnam hanc ſtellam Magnum Gregorium impiè interpretatur, eúmque non horruit appellare primarium Antichriſtum, quem tamen communiter, tum Latini, tum Græci Scriptores, imò etiam ipſe Lutherus in libro de ſupputatione temporum, ſanctum fuiſſe Pontificem dicunt. Hinc alij Sectarij maluerunt cum Luthero dicere, Gregorium Magnum vltimum Romanum Pontificē extitiſſe: huic enim ſucceſſit Sabinianus, qui eodē anno defunctus eſt. Sabiniano ſucceſſit Bonifacius III. qui anno Domini ſexcenteſimoſexto Oecumenici nomen accepit, vt, nimirum, vniuerſalis totius Orbis Epiſcopus, & Pontifex diceretur. Quare hunc Bonifacium malunt Hæretici ponere primum Antichriſtum fuiſſe. Iam verò Caluini conglobatum argumentum, & ex omnium ferè aliorum Hæreticorum hac de re maledicentiis conſarcinatum, etiamſi ipſe iactet poſſe puero quoque decenni demonſtrare, Papam eſſe ipſiſſimum ab Apoſtolo Paulo deſcriptum Antichriſtum; tamen facili negotio oſtendemus, plura mēdacia cōtinere, quàm verſus, quorū hic decem ſplendidiora enumerabimus: deinde ex ipſis verbis S.Pauli decem vera argumenta eruemus, quibus commentum illud vaniſſimum nullius eſſe probabilitatis apertè oſtendamus. In primis itaque ait Caluinus, Scripturā dicere, Deum vnicum tantum eſſe Legiſlatorem. At Scriptura ſacra, & ipſa diuina Sapientia eſt, quæ ita de ſe loquitur in

BBb Pro

b *Prou.* *c.8.v.15.* Prouerbiis [b]: *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.* Vnde etiam apparet falſitas ſecúdæ propoſitionis, quæ dicit, Deum tantùm eſſe Regem: nam, quamuis ſolus ipſe ſit ſupremus Rex, & Legiſlator, & Iudex, qui a nullo alio pendet, nec habet vlli reddere de eo, quod placet facere, rationem; tamen pertinet ad eius maieſtatem habere ſub ſe alios Reges, Legiſlatores, Iudices, ac Dominos inferiores, vt ſit, quemadmodum dicitur in Apocalypſi [c]: *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Vnde monentur in Pſalmo Reges, & Iudices terræ [d]: *Et nunc, Reges, intelligite, erudimini, qui iudicatis terram.*

c *Apoc.* *19.v.16.*

d *Pſal.2.* *v.10.*

Mentitur tertiò Caluinus, cùm ait: *Nihil horum eſt, quod nō ſui iuris Papa eſſe aſſerat.* At, nunquid Pontifex ſupremum ſe Dominū omnium creaturarum facit? aut omnium hominum? imò nec omnium Chriſtianorum, niſi ſecundum regimen ſpirituale, iuxta illud S. Petro dictum à Chriſto Domino [e]: *Paſce oues meas.*

e *Ioan. c.* *21.v.17.*

Quartum Caluini pronunciatum duplex continet mendacium, vnum implicitum, aliud explicitum, cum calumnia manifeſta: cùm enim ait, Papam gloriari ſe ligare, quibus viſum eſt legibus conſcientias, voluit aſtutè ſignificare, Papam intendere, quibuſlibet, etiam iniquis, legibus cōſcientias obligare: quod quam ſit alienum, non ſolùm ab omni eccleſiaſtica doctrina, & diſciplina, verùm etiam à morali Philoſophia, inde cognoſcitur: quia, cùm omnes obligentur in conſcientia vitare omnem iniquitatem, ſi lege quantumlibet iniqua poſſent à quopiam obligari, aperta contradictione illud facere obligarentur, quod non facere, ſeu vitare obligantur. Sed aliud prætereà voluit hic Hæreticus indicare, quod alibi cum Luthero apertè affirmauit, nullam dari humanam legem vere in conſcientia obligantem, quem errorem hæc ipſa Epiſtola ad Theſſalonicenſes Apoſtolus redarguit, cùm ait [f]: *Si quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo.* Quaſi pœnam ei denuncians excommunicationis, ſicut alibi Chriſtus Dominus ait in Euangelio [g]: *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* Eccleſiaſtica verò pœna omnium grauiſſima, cùm ſit excommunicatio, grauiſſimam etiam in conſcientia ſupponit culpam. Non dixit autem Caluinus, Papam arrogare ſibi poteſtatem obligandi quibuſdam legibus conſcientias; ſed, quibus viſum eſt legibus: quaſi diceret: Siue æquis, ſiue iniquis. ideò diximus, meram eſſe calumniam cum quarto, & quinto mendacio. Sed mentitur ſextò, gloriari Papam ſe, vt viſum ſibi fuerit, æternis pœnis quæcunque poſſe ſubiicere: niſi quòd inquit S. Paulus [h], *qui ordinatæ poteſtati reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et reddit rationem in Epiſtola ad Theſſalonicenſes, dicens: *Qui hæc ſpernit*, nempe, leges & præcepta eccleſiaſtica; *non hominem ſpernit, ſed Deum.* Et ipſe Chriſtus Dominus ad Apoſtolos ait [i]: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Addit ſeptimum mendacium intolerabilius, Papam pro ſua libidine, noua inſtituere Sacramenta. At, quodnam eſt hoc nouum Sacramentum a Papa inſtitutum? quare illud non nominat? cur Pontificem, qui hoc inſtituit, non appellat? Certè Concilium œcumenicum Tridentinum à tot Romanis Pontificibus approbatum, in primo canone ſeptimæ ſeſſionis ita decernit: *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Chriſto Domino inſtituta;*

f *1.Theſ.* *c.3.v.14.*

g *Matt.* *cap. 18.* *v.17.*

h *Rom.c.* *13.v.2.* *1.Theſ.* *c.4.v.8.*

i *Luc.* *10.v.16.*

inſtituta; anathema ſit. Nec minùs ferendum octauum mendacium, verbis illis impudentiſſimis effutitum: *Quæ a Chriſto inſtituta erant Sacramenta, Papa corrumpit, & vitiat; imo penitùs abolet, ut in eorum vice ſubſtituat, quæ finxit ipſe ſacrilegia.* Fortè, quia hæreticos ritus Eccleſiæ Geneuenſis à Caluino inductos, Romana, vt debet, execratur Eccleſia: ideò Caluinus tantoperè ſtomachatur? Audiat, quid Synodus Tridentina, vtique Summis Pontificibus aſſentientibus, & approbantibus, hac de re definiat, his verbis [i]: *Declarat hac ſancta Synodus hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, & ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire indicaret.* Quod fieri poſſe ab Eccleſiæ Paſtoribus probat eadẽ Synodus pluribus Apoſtoli teſtimoniis, & vſu Eccleſiæ antiquiſſimo. Nonum mendacium: *Papa conſequendæ ſalutis media aliena prorſus a doctrina Euangelij comminiſcitur.* Dicit id Hæreticus; ſed nõ probat, niſi ſua ſimplici aſſertione: nos igitur ſatis mendaciũ refutabimus ſimplici noſtra negatione. Decimum pro coronide mendacium effert his verbis: *Totam denique religionem pro ſuo nutu Papa mutare non dubitat.* Si mutare totam religionem, eſt reſiſtere conatibus omnium Hæreticorum, qui totis viribus eam peruertere moliuntur, vicit Caluinus; habemus eius præclaram demonſtrationem, qua, vt ipſe aſſerit, puero etiam decenni perſuadeatur, Papam eſſe prorſus ipſum Antichriſtum à Paulo in hac Epiſtola deſcriptum.

i Trid. ſeſſ. 21. cap. 2.

Sed poſthabitis iam mendaciis, conſideremus alia decẽ, quæ de Antichriſto diuina Scriptura nos docet, præſertim Paulus Apoſtolus in hac ſua Epiſt. ad Theſſalonicẽſes; & quàm ſit non tantùm à vero, ſed etiam ab omni ſimilitudine veri alienum commentum Hæreticorũ, intelligemus. Quantumuis Caluinus, quaſi nonnihil ſtimulante conſcientia, ſic dicat [k]: *Videmur nonnullis nimis maledici ac petulantes, cùm Romanum Pontificem vocamus Antichriſtum: ſed, qui hoc ſentiunt, non intelligunt, ſe Paulum immodeſtiæ inſimulare, poſt quem nos loquimur, imò ex cuius ore ſic loquimur.* Videamus igitur, quomodo hac de re loquatur S. Paulus: in primis enim ſic ait [l]: *Nemo vos ſeducat vllo modo, quoniam niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis,* &c. Tum infrà: *Et tunc reuelabitur ille iniquus, quẽ Dominus* IESVS *interficiet ſpiritu oris ſui.* Eſt igitur Antichriſtus certa quædam, & particularis perſona, vt nos dubitare non ſinunt illi toties repetiti Græci articuli, ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ille, inquam, homo peccati: ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ille filius perditionis: ὁ ἄνομος, ille iniquus. At Papa, ſiue Pontifex Romanus non eſt vna perſona, cùm hoc non ſit nomen proprium perſonæ, ſed dignitatis, in qua à S. Gregorio vſque ad hoc tempus vixerunt propè ducenti, inter quos multi fuerunt vitæ ſanctiſſimæ, & ab omnibus laudatiſſimæ. Quis igitur niſi perfidæ prorſus impietatis perſuadere ſibi poterit tot Præſulum, tantorumque virorum ſeriem notatã eſſe illis verbis a S. Paulo, dicente, illum fore hominẽ peccati, id eſt, maximũ peccatorem, quaſi totũ conflatum ex peccatis; illum filium perditionis, id eſt, perditiſſimum; illum iniquũ, &c. & quomodo poterat clarius ſignificare hominem futurum ſingularem? Mirum profectò a Hæreticis, qui [illegible] arum per [illegible] adeò [illegible]

k Calu. l. 4. Inſt. c. 7. §. 27.

l 2 Theſ. c. 2. v. 3.

non aduertiſſe in te præſenti, Græcorum articulos contrahere ad rem, vel perſonam certã nominis, cui proponitur, ſignificationẽ; ita vt ἄνθρωπος hominem ſignificet in communi: at ὁ ἄνθρωπος hominem ſingularem, vt
m S. Epiphanius hær. 9. quæ eſt Samarit. inter alios etiam S. Epiph.[m] obſeruauit. Secundò, non aduertũt Hæretici, aut ſpontanea obcæcati malitia nolũt aduertere, ſtatim addere S. Paulum, qualis futurus ſit ille ſingularis homo perditiſſimus, *Qui*, inquit, *aduerſatur, & extollitur ſupra omne id, quod dicitur Deus.* At, quis vnquam fuit ex toto numero Pontificum, qui ſupra Deum ſe poneret, & aduerſetur Numini, ſeu omni ei, quod dicitur Deus? Imò, cùm ſe omnes Pontifices profiteantur Chriſti Vicarios, & Petri, non verò Dei, aut Chriſti ſucceſſores; famulos tamen, ac ſeruos, quin ſeruos ſeruorũ Dei ſe inſcribunt, & in foro cõſcientię ſuo ſe Confeſſario ſubiiciũt, à quo tanquam à Dei miniſtro ſolui poſtulant à culpis quotidianis, & iniunctã exequuntur pœnitẽtiã, & ſatis oſtendũt, quantùm ſe Deo inferiores agnoſcant. Tertia demonſtratio ex iiſdem S. Pauli verbis contra aduerſarios ita conficitur. Antichriſtus à S. Paulo deſcriptus omnem alium cultũ abolere tendit, & ſolus volet adorari: nam aduerſabitur, vt ait Apoſtolus, & extolletur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. Et hoc eſt idẽ,
n Dan c. 11. v 37. quod dixit de illo Daniel[n]: *Deum Patrum ſuorũ non reputabit, nec quidquam Deorum curabit: quia aduerſus vniuerſa conſurget.* At Romanus Pontifex Deũ colit, & Chriſtum, & Sanctos, imò etiam in eo, quòd non ſolùm colit omnes antiquos Sanctos; ſed etiam alios toti Eccleſiæ colendos proponit, ſemper nouos in Sanctorum, vel Beatorum catalogum adſcribens, ex Hæreticorum ſententia, ſummus eſt idololatra, & promotor idololatriæ maximus: quomodo igitur non ſecum potiùs, quam nobiſcum pugnãt Hæretici, dum Papam ex hoc Antichriſtum eſſe comminiſcũtur? Quartò, ſedebit Antichriſtus in templo, *oſtentans ſe* (ait Apoſtolus) *tanquam ſit Deus*, ὅτι ἐστὶ θεός, id eſt, quòd ſit Deus. *Non enim* (inquit S. Chryſoſtomus[o]) *ad idololatriam adducet ille, ſed* ἀντίθεος *quiſpiam erit, id eſt, contrarius Deitati, quoſuis Deos peſſundans,* o Chryſ. in cap. 2. epiſt. 2. Theſſ.
iubebitque ſeipſum pro Deo coli ac venerari, & in templo Dei collocari, non Ieroſolymitano tantùm, ſed & in Eccleſiis; oſtendens, inquit, ſeipſum tanquam eſſet Deus: non dixit ſeipſum eſſe Deum, ſed oſtentare tentans; magnifica ſiquidem faciet opera, & ſigna patrabit admiranda. Hæc S. Chryſoſtomus. Quis autem aliquando vidit, aut audiuit, vllum ex Romanis Pontificibus in templo aliquo ſe cõſtituiſſe loco venerabilis Sacramenti, aut voluiſſe pro Deo adorari, vel tentaſſe ad hoc perſuadẽdum ſigna, & miracula perpetrare? Quintò addit S. Paulus: *Quẽ Dominus* IESVS *interficiet ſpiritu oris ſui.* Quis Romanorum Pontificũ ita fuit à Chriſto aliquando interfectus? Et tamẽ ſi propè ducenti, qui à S. Gregorio huc vſque Pontifices ſummi vixerũt, Antichriſti extitiſſent, omnes ea ratione interfici debuiſſent. Sextò ſequitur S. Paulus: *Et deſtruet illuſtratione aduentus ſui.* Quæſo, de quo Chriſti aduẽtu loquitur hîc S. Paulus? Nũ de primo per incarnationis myſterium? Hoc dici non poteſt: quia debuiſſet Antichriſtus, antequam hęc à S. Paulo ſcriberentur, fuiſſe deſtructus. Neque poteſt intelligi de aduentu ante diem extremi Iudicij: quia aduentum Chriſti mundum illuſtrantem cum publica pompa & maieſtate, alium, præter illum in fine mundi, nec à diuinis Scripturis, nec aliunde cognoſcimus. Imò

Hære

Hæretici, & præſertim Caluinus, nolunt concedere, ante diem extremi Iudicij Chriſtum Dominum vlla vnquam apparitione etiam priuata de cœlo in terram aduenisse p. Quomodo igitur ante tot annos illuſtratione aduentus ſui Antichriſtum interfecit, ſiue tot Antichriſtos, quot ſucceſſiue per mille iam annos extitêre Pontifices? Septimò inquit S. Paulus: *Ne quis vos ſeducat vllo modo; quoniam, niſi venerit diſceſſio primùm.* Græcè, ἀποστασία, id eſt, defectio, tum à fide catholica ferè vniuerſalis; tum à Chriſto, & ab obedientia Vicarij ipſius; tum à Romano Imperatore, ita vt eius imperium deficiat, vt SS. Patres exponunt, iuxta ſimilem Danielis prophetiam. At nō videmus talem defectionem: quantumuis enim Hæretici, Schiſmatici, Turcæ, & alij infideles contranitantur, manet Eccleſia Catholica ſparſa per orbem terræ vniuerſæ, & Romæ cum ſuo capite viget ac floret: Imperator quoque, etiamſi diminutum ex parte; non tamen caret ſuo amplo dominio & principatu. Vnde ipſimet Hæretici Lutherani gloriantur, habuiſſe, & habere ſe Electores aliquos Imperatoris eiuſdem cum ipſis fidei. Nondum igitur venit Antichriſtus: *Non enim veniet*, inquit S. Hieronymus exponens hunc Apoſtoli locum quæſtione vndecima ad Algaſiam, *niſi venerit diſceſſio primùm, vt omnes Gentes, quæ Romano imperio ſubiacent, recedant ab eis, & niſi fuerit Romanum imperium anteà deſolatum.* Octaua demonſtratio, ducta ſimiliter ex prolato Apoſtoli teſtimonio, eſt, hanc fidelium defectionem, & Romani imperij deſtructionem futuram opera & viribus Antichriſti: at Romanus Pontifex Eccleſiæ fidelium, & imperij Romani deſolationem non procurat, ſed magis conſeruationem, ſtabilitatem, & amplificationem, omnibus, quibus poteſt, modis & rationibus. Non eſt igitur ipſe Antichriſtus. Quare notauit Tertullianus q, propterea Chriſtianos orare ſolitos pro diuturnitate Romani imperij, quòd ſciant illo imperio per Antichriſtum euerſo, imminere Orbi extremam calamitatem. Et S. Auguſtinus verba illa exponens huius ad Theſſalonicenſes Epiſtolæ r: *Et nunc, quid detineat, ſcitis, vt reueletur ſuo tempore: tantùm, qui nunc tenet, teneat.* ſic ait: *Tantùm, vt qui nunc imperat, imperet, donec de medio tollatur, & tunc reuelabitur ille iniquus, quem ſignificare Antichriſtum nullus ambigit.* Eſt autem hic obſeruandum, non fuiſſe auſum Apoſtolum Paulum apertè ſcribere Theſſalonicenſibus de euerſione Romani imperij, quod tamen illis coram aperuerat. Et hoc eſt, quod addit: *Non retinetis, quòd cùm adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis? & nunc quid detineat, ſcitis,* &c. Nempe, ſcitis: nam aliàs à me intellexiſtis, quid aduentum Antichriſti remoretur: dixi enim vobis adhuc non eſſe impleta peccata, propter quæ Romanum imperium de medio tolletur ab Antichriſto. Quæ eſt expoſitio communis Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum. Nona demonſtratio ex eodem Apoſtoli teſtimonio habetur in illis verbis: *Ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe, tanquam ſi ſit Deus.* Vbi per templum Dei, etiamſi quidam intelligant mentes Chriſtianorum ſeductas ab Antichriſto, alij Eccleſias Chriſtianorum, alij ipſum Antichriſtum, quia Græcè non dicitur, ἐν τῷ ναῷ, id eſt, in templo; ſed, εἰς τὸν ναὸν, in templum, quaſi diceretur: Sedebit ipſe Antichriſtus in templum Dei, ac ſi eſſet ipſe templum, & ara loco Dei adoranda: communior

p *Vt oſtenſum eſt lib. 1. c. 3.*

q *Tertull. in Apologet. c. 32.*

r *S. Aug. lib. 20 de Ciu. c. 19.*

nior tamen, & verior eſt expoſitio, per templum Dei, ſignificatum eſſe Ieroſolymitanum; quia hoc ſolùm propriè erat, & dicebatur templum Dei, tempore S. Pauli, & ſedere in templum, vſitata eſt Græcis locutio, pro eo, quod Latinè dicitur, ſedere in templo. Cùm itaque ſcriberet Apoſtolus, Antichriſtum ſeſſurum in templo Dei, & vellet ſine deceptione intelligi ab iis, quibus tunc ſcribebat; aliud templum præter Ieroſolymitanum ſignificare non debuit ;quia tunc aliud eo nomine non ſignificabatur. Nec vnquam in Scriptuta noui Teſtamenti per templum ſignificantur Eccleſiæ Chriſtianorum; ſed ſolùm templum Ieroſolymitanum. Imò omnes veteres Patres, tum Latini, tum Græci, per aliquot ſæcula nunquam Eccleſias Chriſtianorum templa vocauerunt, quæ Græcè ναοὶ dicuntur, ſed Baſilicas, Martyria, Oratoria, vel Domos orationis, vt Eccleſiam diſtinguerent à Synagoga. Hoc igitur templum Ieroſolymorum inſtaurare ſibi vtcunque Antichriſtus curabit in deſpectũ Chriſti, & Chriſtianę religionis, & vt a Iudæis, quaſi eorum eſſet Meſſias ex progenie Dauid, & multò maior Salomone, ibi adoretur, quod alibi Iudæi non admiſiſſent. Cùm igitur ſedes Romani Pontificis non ſit Ieroſolyma, vel illius templum, ſed Roma, quæ tunc erit per Antichriſtum euerſa & penitùs deſtructa, longè diuerſum à Romano Pontifice oportet eſſe Antichriſtum. Decima denique firmiſſima, & multiplex demonſtratio poſtremis illis verbis eiuſdem epiſtolæ continetur, quibus Antichriſti aduentus ita deſcribitur: *Cuius eſt aduentus ſecundùm operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis, iis, qui pereunt, eò quòd charitatẽ veritatis non receperunt, vt ſalui fierent. Ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* Notãtur autem potiſſimùm tria, ſeductor, ſeductionis modi, & qui maximè ſeducẽtur. De ſeductore dicitur, futurus eius aduentus ſecũdùm operationẽ Satanæ in omni virtute: vnde putarunt aliqui, Antichriſtum futurum Satanam incarnatum; alij, naſciturum ex muliere opera Dęmonis conceptum; alij probabiliùs, fore quidem purum hominẽ, & conceptũ modo naturali, ſed organũ omnis nequitiæ à Diabolo præparatũ, ad omnia vitia diſpoſitũ, & ab eo gubernatum. De modis autem ſeductionũ ait Apoſtolus: *In omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus.* nec ampliùs explicat. Sed S. Ioannes in Apocalypſi tria ponit falſa miracula Antichriſti[s]. *s Apoc. 13. v. 3. & 11.* Primum, curabit vnũ ex Regibus ſibi ſubiectis; vel, vt alij meliùs interpretantur, ſeipſum vulneratum in bello à mortifera plaga: quod ope Dæmonis facilè aſſequetur. Secundum miraculum[t]: faciet ignem de cœlo deſcendere in terrã in conſpectu hominum, quod etiã opera Dæmonis pręſtare facillimum erit. *t Ibid. v. 13.* Tertium miraculum ibidem à S. Ioanne poſitum[u]: imago, ſiue ſtatua Antichriſti loquetur, ſicuti ſæpè Dæmones per idola locuti ſunt, & per Pythones, ac Pythoniſſas. *u ibid. v. 15.* Alia plura falſa ſimiliter miracula, quæ facturus eſt Antichriſtus, exponit Sibylla in tertio libro ſuorũ oraculorũ: vt, q[illegible] mare, mouebit; pręſtigioſè mõtes curſũ Solis & Lunæ videbitur cohibere, mortuos ad vitam reuocare, & alia huiuſmodi. Qui verò fidẽ maximè præſtabunt [illegible]ſmodi falſis prodigiis, & Antichriſtum ſuſcipient pro Meſſia, erunt Iudæi, eò quod (inquit S. Paulus) *charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent. Ideò mittet illis Deus*

opera

operationem erroris, vt credant mendacio. Idem quoque de Iudæis Dominus dixit in Euangelio [a]: *Ego,* inquit, *veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me: ſi alius veniet in nomine ſuo, illum recipietis.* Atque in hanc ſententiam communiter, ſiue Græci, ſiue Latini Patres vtrunque allatum teſtimonium, tum Pauli, tum Chriſti expoſuerunt, ex quibus hanc vltimam demonſtrationem ita conficimus. Conſtat ab anno ſexcenteſimoſexto, quo Hæretici dicunt Antichriſtum veniſſe, nullum Romanum Pontificem fuiſſe, nec gente, nec religione, nec profeſſione Iudæum, neque vllum hactenus ea miracula ſuperiùs expoſita feciſſe, aut finxiſſe, nec Sedem Ieroſolymis habuiſſe, nec à Iudæis pro Meſſia habitum eſſe, quin potiùs pro maximo aduerſario: non eſt igitur Romanus Pontifex vllo modo Antichriſtus. Et hæc ſunt, quæ ex hoc ſolo Apoſtoli teſtimonio deducuntur, in quo Caluinus, & Hæretici contra Romanum Pontificem putant ſe triumphare. Interim alia prætermittimus, quæ ex Daniele, ex Apocalypſi, aliiſque ſacræ Scripturæ teſtimoniis idem conuincentibus afferri poſſent; & ab iis, qui contra Hæreticos ſcripſerunt, copioſe tractantur: tum ea paruo negotio diſſoluuntur, quæ ab Hæreticis, ſiue futilia, ſiue phrenetica ſolent obiici in contrarium. Iam quid egerit Corinthi S. Paulus, poſt literas ad Theſſalonicenſes ſcriptas, exequamur.

[a] Ioan. c. 5. v. 43.

***

CAPVT XI.

Corintho Paulus diſcedit, & votum, more Nazaræorum, perſoluit in Cenchreis.

Annus humanæ ſalutis agebatur quinquageſimusquartus, Claudij Imperatoris duodecimus; ætatis verò Pauli ſupra quinquageſimum propè tertius, cùm ſibi Corintho iam eſſe diſcedendum diuino inſtinctu permotus exiſtimauit: ſatis enim ibi diu manens bonam anni quinquageſimiſecundi partem, totum annum quinquageſimumtertium, & aliā partem quinquageſimiquarti peregerat. Antequàm autem inde Paulus abiret, Dionyſium Areopagitam, Athenarum Epiſcopum conſecraſſe arbitramur. Nam, quamuis id à ſacra Hiſtoria non habeatur; tamen ex aliis probatis Auctoribus [a] conſtat illum à S. Paulo Athenienſibus datum fuiſſe in Epiſcopum: teſtatur autem Abbas Hilduinus in Actis S. Dionyſij, S. Dionyſium tertio anno à ſua conuerſione, cùm ſatis inſtructus in rebus fidei, & in eccleſiaſtica diſciplina videretur, Athenarum Epiſcopum ab Apoſtolo eſſe ordinatum. Cùm ergo tertius iſte ſit annus ab Areopagitæ conuerſione, circa hoc tempus debuit Epiſcopus conſecrari ſiue, quòd moraretur Corinthi cum Paulo; nam idem Hilduinus teſtatur, Dionyſium Paulo per triennium adhæſiſſe, vt ab eo perfectè in omnibus inſtitueretur: ſiue, quia S. Paulus illum Athenis ad ſe accerſiuit: ſiue etiam fortaſſe, quia ipſemet Apoſtolus Corintho nunc diſcedens, vt in Syriam nauigaret, Athenas pertranſiuit, vt illi Eccleſiæ proprium

[a] Habetur in Menologio Græc. Rom. 9. Octob.

Paſto

Paſtorem conſtitueret: quod tamen videtur minùs veriſimile, cùm in Syriam feſtinaret: vnde non facile ſupereſſe illi tempus Athenas diuertendi potuiſſet, neque S. Lucas, aut alius quidquam de hoc Pauli reditu Athenis indicauit.

Eſt & illud ab aliquibus rectè obſeruatum, quod ait Apoſtolus in ſecunda Epiſtola ad Corinthios [b]: *Ecce tertiò hoc paratus ſum venire ad vos.* & infra: *Ecce tertio hoc venio ad vos.* cum neque ex Actis apoſtolicis, neque ex aliis Pauli Epiſtolis de ſecundo eius Corinthum aduentu alia mentio habeatur: tamē ſic accidere potuiſſe, vt quod in Actis dicitur apoſtolicis [c], Paulus manſiſſe Corinthi annum & ſex menſes, non ſignificet illum nunquam toto illo tempore inde receſſiſſe; ſed interdum ad proximas ciuitates per Achaïam excurriſſe, atque iterum redeuntem illud tempus expleuiſſe. Quemadmodum de ſe teſtatur idem Paulus [d], per triennium Epheſi manſiſſe; cùm tamen nō ſemper ibi conſederit, ſed migrās ad alias ſubinde ciuitates Aſiæ minoris, vt Euangelium prædicaret, quod S. Lucas teſtatur [e], poſtremò Epheſum reuerſus a primo ſuo ad illos aduentu vſque ad id tempus triennium dicitur expleuiſſe. Qualis autem fuerit hæc vltima Pauli à Corintho diſceſſio, deſcribit S. Lucas his verbis [f]: *Paulus verò, cum adhuc ſuſtinuiſſet dies multos, Fratribus valefaciens nauigauit in Syriā, & cum eo Priſcilla, & Aquila, qui ſibi totōderat in Cenchreis caput: habebat enim votum.* Fuerant Aquila, & Priſcilla, cùm primum Apoſtolus venit Corinthum, eius hoſpites humaniſſimi; quos tamen perfidorum Iudæorum importunitate cogente, pro tempore eſſe relinquendos exiſtimauit, vt ad ędes Titi, cognomēto Iuſti, hominis Gentilis ſe reciperet. Sed modò fortaſſis ad Aquilæ domum, vbi tabernacula conſtruebantur, rebus pacatioribus, erat reuerſus: *Non enim confundebatur,* inquit Chryſoſtomus [g], *ibi manere, ſed manebat propter hoc ipſum, quia commodum diuerſorium nactus erat, & quauis regia magis idoneum.* Adeò verò fideles, tum hoſpites, tum contubernales S. Pauli ambo extitēre, vt illum Corintho recedentem per Aſiam longo tractu regionum vſque Epheſum proſecuti ſint, vbi ſubſiſtentes aliud hoſpitium longo tempore Apoſtolo præbuerunt; non enim Corinthi tantùm, ſed etiam Epheſi propriam domum obtinebant. Paulus itaque ſimul cum Aquila Pontico, & vxore eius Priſcilla, aliiſque fortaſſe pluribus ex horum familia Corintho progreſſus, primùm ad portum venit Cenchreæ appellatum, nauem ibi versùs Syriam conſcenſurus. Nauale hoc erat Corinthiacum ex parte maris Ægæi ad Orientem, vt Strabo [h], & alij teſtantur. Sunt autem hæc de re verba S. Lucæ ambigua, dum ſic ait: *Nauigauit autem Paulus in Syriam, & cum eo Priſcilla, & Aquila, qui ſibi totonderat in Cenchreis caput.* Dubitari enim poteſt, ad quem ex tribus perſonis hic nominatis illa tondendi ſibi caput cęremonia referatur. Aliqui cenſent ad Aquilam, tanquam immediatè antea nominatum, pertinere, & vtuntur etiam hoc argumento: quoniam alioqui debuiſſet Hiſtoricus ante vxorem virum nominare, dicendo: *Et cum eo Aquila Ponticus, & Priſcilla.* at verò dum ſic ait: *Et cum eo Priſcilla, & Aquila, qui ſibi totonderat in Cenchreis caput.* ideò videtur dixiſſe, vt intelligeremus, quem ſibi caput totōderat, nō alium fuiſſe niſi Aquilam. Sed parum firma eſt huiuſmodi coniectura: nam idem ſæpe Hiſtoricus eaſdem perſonas alia occaſione inferius nominando

[b] 2. Cor. c. 12. v. 13.
[c] c. 18. v. 11.
[d] Act. c. 20. v. 31.
[e] ibid. c. 18. v. 19.
[f] ibid. c. 18. v. 8.
[g] hom. 38. in Acta.
[h] Strabo lib. 8.

do, Priſcillam ante Aquilam ſimiliter appellauit [i], & aliàs [k] anteà Aquilam poſuit, quàm Priſcillam vt proinde nimis curioſum eſſe videatur hìc myſteria perueſtigare. Illud maiorem inducit ambiguitatem, quod ait Baronius [l], in aliquibus codicibus manuſcriptis legiſſe ſe plurali numero ita ſcriptum: *Se totonderāt in Cenchreis caput: habebant enim votum.* Quare dictum hoc de ambobus, Aquila, videlicet, & Priſcilla, non de Aquila tantùm, ipſe interpretatur, ſibique aſſentiri ait Ioannem Chryſoſtomū, cùm ait: *Nondum illos à Iudaica conſuetudine abduxerat.* Quæ tamen Chryſoſtomi verba poſſet aliquis in hunc ſenſum interpretari, vt Paulus illam tondendi ſibi caput cæremoniam debuerit vſurpare, ne Aquilam, & Priſcillam, nondum à Iudaicarum cæremoniarum conſuetudine abductos, ſi votum Apoſtolus ita ſoluere neglexiſſet, ſcandalizaret. Et ſanè Oecumenius ſenſuum Chryſoſtomi perpetuus conſectator ita illum intellexit. Potuit etiam error in aliquo Latino codice facilè irrepſiſſe, vt pro, *Totonderat ſe, habebat enim votum*, quia plures nominati anteà fuerant, aliquis putauerit eſſe ponendum: *Totonderant ſe, habebant enim votum.* Qui tamen error in Græcis exemplaribus non tam facilè potuit contigiſſe: atque ita conſtanter habetur in omnibus, κεκαρμένος τὴν κεφαλὴν, id eſt, attonſus caput, εἶχε γὰρ εὐχήν, habebat enim votum. Syriaca quoque interpretatio, & omnia alia Latina exemplaria cum noſtra vulgata lectione conſentiunt. Quòd ſi plurali numero ea verba legeremus, illud etiam ſequeretur parum veriſimile, nō Aquilam tantùm, ſed etiam vxorem eius Priſcillam ex voto comam ſibi totondiſſe, cùm tamen religio Nazaræorū, & eorum votum in coma præcipue conſiſtens non videatur quoad hanc partē feminis, & maximè matrimonio coniunctis potuiſſe conuenire, vt benè adnotauit Abulenſis [m]. Quare duo inſignes Eccleſiæ Doctores, Hieronymus, & Auguſtinus, non ſolùm cū aliis Patribus legerūt in ſingulari: *Totonderat ſibi caput, quia habebat votum*, ſed etiam id de vno S. Paulo interpretati ſunt. Quod Venerabilis Beda in ſuis ſuper Acta Apoſtolorum Cōmentariis obſeruauit his verbis [n]: *Quidam codices plurali numero habent: Totonderunt caput, & habebant votum, id eſt, Priſcilla, & Aquila: ſed egregij Doctores Eccleſiæ Hieronymus, & Auguſtinus in ſuis vterque epiſtolis, & ſingulari numero ponūt, & de Paulo interpretantur.* Hæc Beda pro ſua, & Sanctorū Hieronymi, & Auguſtini ſententia, qui etiā addunt rationem, cur eam antiquæ legis cæremoniā S. Paulus tempore legis euangelicæ vſurpauerit, nempe, in gratiam Iudæorum, vt illæ olim à Deo inſtitutæ ſacræ cæremoniæ, etiamſi iam mortuæ; quia tamen nondum mortiferæ, cum aliquo honore ſepelirentur. Neque interim geſtare, aut deponere comam ritu Nazaræorū erat profiteri Chriſtum adhuc eſſe venturum, aut ſignificare, non adueniſſe. Alioqui verò ad aliquam carnis mortificationē potuit pertinere tam diu geſtare neglectam & intonſam comam; quam etiamſi aureā Abſalon filius Dauid geſtaret; ſingulis tamen annis eā deponere cogebatur: *Quia*, inquit Scriptura [o], *grauabat eum cæſaries.* Præterea prorſus a vino abſtinere, & ab omni alia potione, quæ poteſt inebriare, ab eſu quoque vuarum, tum recētium, tum ſiccarum, & alia huiuſmodi a Nazaræis ex diuino præſcripto obſeruata ſine dubio ad carnis afflictionem non modicam faciebant. Quare promiſſio illa Nazaræorum, qua ſe ad has ob-

i Act. c. 18. v. 18.
k ibid. v. 2.
l Baron. an. 53.
m Abul. in c. 13. Iudic. q. 12.
n Beda in c. 18. Act.
o 2. Reg. c. 14. v. 26.

ſeruantias obſtringebant, voti nomine abſolutè quaſi antonomaſticè in ſacra Scriptura, tã noui, quàm veteris Teſtamenti ſignificatur. Ita enim legimus in libro Numerorum [p]: *Vir, ſiue mulier, cum fecerint votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare, a vino, & omni, quod inebriare poteſt, abſtinebit.* & S. Lucas hîc in Actis apoſtolicis [q]: *Habebat enim*, inquit, *votum*. & infrà de eodem voto Nazaræorum loquens cum Paulo Apoſtolo S. Iacobus [r]: *Sunt*, inquit, *nobis viri quatuor votum habentes ſuper ſe.* Cùm auté huiuſmodi votum Nazaræorũ dupliciter emitteretur; vno modo ita vt eſſet perpetuum, eóque toto vitæ ſuæ tempore is, qui illud emiſerat, nunquam depoſita cæſarie, obligaretur; altero ad tempus à vouente ſibi definitum, quo abſoluto tondebatur; certum eſt huius ſecundi generis hoc Apoſtoli votum extitiſſe. Illud autem incertum, quando fuerit emiſſum, qua occaſione, & cur hoc tempore in Cenchreis perſolutum.

p Deut. c.6.v.2.
q Act. c. 18.v.18.
r ibid. c. 21.v.23.

Primùm itaque aliqui dubitant, an hoc votum, & inſtitutum Nazaræorum Paulus, antequàm ad Chriſti fidem animum conuerterit, profeſſus ſit: & quidem affirmare probabilius videtur: nam huiuſmodi legales cæremonias potius in Iudaïſmo fuiſſe ab ipſo admiſſas, quàm in lege euangelica, facile credi poteſt. Multùm autem fuit in lege noua, quando ritus illi ceſſare debebant, & erant omninò abolendi, velle aliquo tempore continuare. Sicut eadem ratione, Phariſæorum inſtitutũ, quod Paulus multò anteà in Iudaïſmo ſuſceperat, poſteà etiam Apoſtolus, quoad illa, quæ apoſtolicæ profeſſioni non aduerſabantur, obſeruauit, ſeque propterea non ſolùm fuiſſe, verùm etiam eſſe Phariſæum, de Chriſtiana religione accuſatus, in Concilio Iudæorum profeſſus eſt [s]. Deinde, quia ſolitum Paulum à vino abſtinere, quod proprium erat Nazaræorũ, plures exiſtimant [t]. Idque inde colligunt, quòd Timotheus exemplo Pauli creditur à vino ſimiliter abſtinuiſſe; cui tamen, ne in poſterum id faceret, propter ægram valetudinẽ Paulus præſcripſit, dicẽs [u]: *Noli adhuc aquam bibere propter ſtomachum tuum, & frequentes infirmitates.* Quapropter, vbi primo libro inueſtigabamus [x], fuerítne Paulus, antequàm Chriſto nomen daret, aliquatenus in Iudaïſmo Nazaræus, ſicut fuerat Phariſæus, vtique fuiſſe coniecturam faciebamus ex huiuſmodi votis, & abſtinentia propria Nazaræorum. Sed quanam occaſione tale votum à Paulo in Iudaïſmo ſit ſuſceptũ, magis dubium eſt: quod enim aliqui dicunt, fortaſſe ita vouiſſe, dum ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini, Eccleſiam Chriſti perſequebatur, vt ipſius conſilia & vota, quæ pia illi videbantur, Deus adiuuaret; id profectò nihil apparet veriſimile. Quamuis enim ea voti materia, vt afflictiua corporis, honeſta aliàs eſſe potuiſſet; tamen ad impium illum finẽ relata, nimis inhoneſta, & planè impia reddita fuiſſet, neque ex Pauli affectata ignorantia potuit excuſari: & ideò placere Deo tale votũ nullo modo potuit, neque Paulũ vlla ratione obligare, qui proinde grauiter peccaſſet, votum huiuſmodi nuncupando, & adhuc grauiùs, perſoluendo. Fuiſſet enim tam in actu ipſo vouendi, quàm in opere, quod vouerat, perſoluendo quædam implicita blaſphema ſignificatio, quòd Deus eſſet adiutor operum iniquorum. Quare tum de tempore, tum de occaſione, qua ſuſceptum fuerit a Paulo tale votum Nazaræorum, nihil certi poſſumus affirmare.

s ibid. c. 23.v.6.
t Baron. an. 58. Cornel. de prærogat. Pauli, c.4 & aliy.
u 1. Tim. cap 5.v. 23.
x lib. 1.c. 6 & 7.

Cur

Cur autem in Cenchreis hoc tempore fuerit exolutum tale votum, & non potiùs in Ieruſalē, vt Iudæorum poſcebat lex & conſuetudo, communis reſponſio eſt, id factum ex accidenti, de quo ſic habetur ex diuino mandato in ſexto capite libri Numerorum [y]: *Sin autem mortuus fuerit ſubitò quiſpiam coram eo*, (nempe, Nazaręo habēte votum temporaneum,) *polluetur caput conſecrationis eius, quod radet illicò in eadem die.* Quare fieri poteſt, & ita omninò accidiſſe exiſtimamus, quamuis ſacra Lucæ Hiſtoria id nobis non explicet, vt cùm Paulus nauem conſcenſurus veniſſet in portum Cenchreis, inciderit iam in aliquod hominis demortui cadauer, ex cuius occurſu, iuxta legem Nazaræorum, ne, quos ſecū habebat comites, ſcandalizaret, quaſi contaminatus atque pollutus deponere cæſariem ſit coactus. Nec refert, quòd aliqui obiiciunt, non videri Paulum legem Nazaræorum hîc per omnia obſeruaſſe, cùm in libro Numerorum præſcribatur, vt Nazaræi talibus occurſibus inquinati, non ſolùm radant caput eadem die; ſed etiā certa quædam ſacrificia offerre teneantur. Quia enim extra Ieruſalem Paulus inueniebatur, non omnia poterat, nec tenebatur eadem die obſeruare, ſicut ſi Ieroſolymis in templo Salomonis tunc fuiſſet. Solùm igitur ea, quæ pro loco ac tempore tunc præſtare potuit, adimpleuit, ne a Fratribus Iudæis, qui tunc aderant, ſaltem ab Aquila, & Priſcilla votifragus cenſeretur: *Qui tanto tempore*, inquit Chryſoſtomus [z], *cum Paulo verſati erant, & multa didicerant; attamen illos nondum à Iudaïca conſuetudine abduxerat.* Quapropter S. Hieronymus hac de re in quadā epiſtola ad Auguſtinum [a], ſic ait: *Scriptum eſt* [b]: *Paulus autem cùm ſuſtinuiſſet dies multos, Fratribus valedicens nauigauit in Syriam, & cum eo Priſcilla, & Aquila, & totondit ſibi in Cenchreis caput: votū enim habuerat. Eſto, vt ibi timore Iudæorum compulſus ſit facere, quod nolebat: quare comam nutriuit ex voto, & poſteà in Cenchreis eam totondit ex lege, quod Nazaræi, qui ſe Deo vouerint, iuxta præceptum Moyſi facere conſueuerunt.* Hæc Hieronymus: quia tamen, quod ait, compulſum fuiſſe Paulum ex timore facere, quod nolebat, non eſt ad ſimulationem referendum, quaſi ficto animo id Paulus fecerit, & contra propriam voluntatem; ſed quia, vt conuincit S. Auguſtinus, cuius teſtimonium ibidē protulit S. Hieronymus, id facere Apoſtolus minimè tenebatur, ceſſante obligatione veteris legis, veluti iam mortuæ, ſed nondū mortiferæ, ac ideò adhuc aliquandiu honeſtè poterant illi ritus ad bonum relati finem vſurpari, ſicut ipſe de ſe teſtatur Apoſtolus ad Corinthios ſcribens [c]: *Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer, iis, qui ſub lege ſunt quaſi ſub lege eſſem, cùm ipſe non eſſem ſub lege.* Sed inquit S. Auguſtinus [d]: *compaſſione miſericordiæ, non ſimulatione fallaciæ.*

Oportet autem, vt nos à Caluini [e] cauillis circa hoc factum Sancti Pauli expediamus, duo diſtinguere pro materia talis voti: primum eſt abſtinentia à vino, & ab alio potu, vnde quis poſſet inebriari; ab eſu quoque vuarum, & ſimilium; geſtatio præterea illa crinium caput grauantium: ſecundum eſt illa crinium depoſitio, & capitis leuamentum, ac ceſſatio à prædictis abſtinentiis. Et quidem materia primi generis apta eſt, vt votum circa illam Deo acceptum, atque adeò validum & obſtringens conſcientias emittatur; non autem materia ſecundi generis. Vt ſi quis vouiſſet geſtare cilicium,

y Num. c. 6. v. 9.

z Chryſ hom. 40 in Acta.

a S. Hier. ep. 11 inter ep. S. Aug.

b Act. c. 18. v. 18.

c 1. Cor. cap. 9. v. 20.

d apud S. Hier. ep cit.

e Calu. in c. 18. Act.

& vinum per dies aliquot non guſtare, & poſt illos dies cilicium ſtatim deponere, ac vinum bibere, teneretur quidem illis diebus cilicio veſtiri, & à potu vini abſtinere: non tamen obligaretur ſtatim tranſactis illis diebus cilicium deponere, & aliquid vini guſtare. Cùm enim votũ, vt S. Thomas [f], & alij communiter docent, oporteat fieri de bono meliori, vbi aliqua ratio boni melioris non inuenitur, concipi de illa propriè votum acceptum Deo, atque adeò validum nõ poteſt. Quare inquit S. Thomas [g], *Vota de huiuſmodi rebus vanis, & inutilibus, ſunt magis deridenda, quàm ſeruanda.* Quod tamen debet intelligi, quandiu res illa ſic permaneat inutilis, aut indifferens, nec ad honeſtum finem bono meliori non oppoſitum referatur. Itaque, quod vouit Apoſtolus, more Nazaræorum, abſtinere pro carnis maceratione à certo genere ciborum, & potionum, nõ quidem obligabat ex lege cõmuni Nazaræorum, quia tunc temporis cœperat abrogari, & mortua, vt diximus, cenſebatur; tamen ex lege priuata, quam quiſque vouendo in materia ad votũ nuncupandum idonea ſibi imponit, propria nõ caruit obligatione. At verò tondere capillũ, neque priuata voti lege, neque communi Nazaræorum ob aſſignatas iam rationes Apoſtolus tenebatur. Iuxta quem ſenſum illud eſt intelligendum, quod ipſe ad Corinthios ſcripſit [h]. *Factus ſum Iudæis tãquam Iudæus, & iis, qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, cùm ipſe non eſſem ſub lege.* Idque, ſicut dicebat S. Auguſtinus [i], *compaſſione miſericordiæ, non ſimulatione fallaciæ.* Iam verò circa huiuſmodi cæremoniam ab Apoſtolo obſeruatam tria nobis Caluinus obiecit: primùm ait, *ridiculos eſſe Papiſtas, qui inde vouendi exemplum eliciũt.* Deinde, quòd obſoletas Iudaicas cæremonias contra libertatem Chriſtianam reuocemus. Tertiò, quòd inde tonſuram introduxerimus clericalem. Sed, quod ſpectat ad primum, iã diximus, crines deponere, & ſimilia indifferentia, vel quæ non ſunt opera melioris boni, non eſſe materiã voto idoneam: at verò ieiunio, abſtinentia, maceratione corporis velle carnem ſpiritui ſubdere; quia gratũ eſt Deo, ſicut honeſtiſſimè proponimus; ita etiam piè poſſumus Deo promittere nos eſſe facturos, quod eſt vouere. Id autem cùm negant Caluinus, & alij votifragi Nouatores vllam inducere obligationẽ, apertè Scripturæ diuinæ contradicunt, in libro Eccleſiaſtæ ita monentis [k]: *Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio: ſed quodcunque voueris, redde.* Nec valet quidquam reſponſio aduerſariorum dicentium, illud præceptum fuiſſe tantùm pro Iudæis in antiqua lege: nam id perinde legis eſt naturalis, ſicut non mentiri. Quòd ſi non licet fidem homini præſtitam fallere, ac mẽtiri, multò minùs promiſſionem Deo factam non obſeruare. Vnde in Pſalmo Dauid [l]: *Vouete, inquit, & reddite Domino Deo veſtro omnes, qui in circuitu eius affertis munera terribili, & ei, qui aufert ſpiritum Principum.* Circa quæ verba tam multa habet S. Auguſtinus in concione ad populum Chriſtianum, hortando ad pia vota, & ab eorum tranſgreſſione deterrendo, vt non poſſit, qui de hoc dubitat, iuxta eius veriſſimã doctrinã, haberi pro Chriſtiano. Quod addit Caluinus, ex voto Nazaræorũ à Paulo ſeruato nos obſoletas Iudaicas cęremonias contra libertatẽ Chriſtianã in vſũ reuocare, nimis eſt futile. Quę enim vidit vnquã Catholicorũ, aut audiuit poſt Paulũ, illa omnia, quæ Nazaræis præſcribuntur in ſexto capite Numerorũ, obſeruaſſe?

f 2. 2. q. 88. a. 2.

g S. Th. 2. 2. q. 88. a. 2. ad 3.

h 1. Cor. c. 9. v. 20.

i S. Aug. ſuprà cit.

k Eccleſ. c. 5. v. 3.

l Pſ. 75. v. vlt. S. Aug. enarr. in illum Pſalmũ.

Quòd

Quòd ſi aliquid ſimile in genere (nã in ſpecie, vini abſtinentia, nec ab Eccleſia præcipitur) vſu receptũ habeatur, mirum ſanè, cur non proptereà etiã dicat Hæreticus, genua flectere, pectus tundere, manus in cœlum inter orandum leuare, Chriſtianis in lege euangelica minimè licere: nam hæc in lege veteri communiter Iudæi faciebant. Vnde ſimiliter apparet eſſe vaniſſimum, quod circa tonſuram Clericorum idem Caluinus obiecerat: neque enim ritum Nazaræorum nos iuxta legem veterem obſeruamus: ſiquidem Nazaræi tunc ſolùm tondebant crines, cùm eſſe Nazaræi deſinebant, & longa eorum cæſaries illius profeſſionis inſigne diuina ordinatione habebatur. At Clerici cùm primùm ordinantur in lege euangelica, vti incipiunt tonſura clericali, ſecundùm inſtitutionem apoſtolicam, & illo ſigno ſe Clericos profitentur. Quare S. Epiphanius ſcribens cõtra hæreſes[m], inde probat, oportere noſtros Monachos eſſe attonſos, quia longam habere comam proprium erat Nazaræorum veteris Teſtamenti. Et S. Auguſtinus vehementer ob id aliquos Monachos ſui temporis reprehendit[n], quia criniti incedebãt, & tonderi more aliorum nolebãt: tum addit rationem, cur Patres veteris Teſtamenti longos geſtare capillos ſolerent: quia, videlicet, myſteria noſtræ redemptionis nondum erant reuelata, idémque ſignificaſſe velamen poſitum in facie Moyſis, & longam comam illorũ Sanctorum. At verò poſteaquàm Chriſtus Dominus in mundo apparuit, magis conuenire, vt qui ſe illi modò conſecrant, contrarium ſignificent ablatione comarum. Hęc propter geſta Pauli in Cenchreis, hoc loco fuerunt exponenda. Quomodo verò ibidẽ conſcenſa naui, & Europa relicta, in Aſiã redierit, libro ſequenti referemus.

m S Epiph. hær. 80.

n S. Aug. lib. de opere Monach. c. vlt.

LIBER OCTAVVS.

Paulus, Europa relicta, redit in Aſiam; varias luſtrat prouincias; Epheſi longo tempore magno multorum bono commoratur.

CAPVT I.

Venit primùm Epheſum, inde poſt aliquot dies diſcedit quartò inuiſurus Ieroſolymam, & ſtatim Epheſum reuerſurus.

EODEM anno ſalutis quinquageſimoquarto nondum exacto, & Claudij Imperatoris duodecimo, Paulus Apoſtolus ſoluit à portu Corinthiaco Cenchræ appellato, comitibus Aquila, Priſcilla, &, vt credibile eſt, aliquot aliis ex Aquilæ familia honeſtioribus perſonis. Mirum autem eſt, cur nihil Lucas indicauerit, an etiã Timotheus, aut Silas, vel ipſemet fuerit in eo comitatu. Et quidem Lucam non interfuiſſe, facile credi poteſt, eò quòd ipſe loquatur hac de re in tertia perſona, dicens: *Nauigauit in Syriam.* non autem in prima & pluṙali perſona, vt alias ſolet, vbi ſe vnum fuiſſe indicat ex comitibus, dicens, *Nauigauimus, venimus*, &c. De Sila, cùm conſtet illum aliquandiu Corinthi cum Paulo manſiſſe, neque iuiſſe modò cum Paulo ſignificetur, remanſiſſe illum Corinthi magis eſt veriſimile: ſicut eadem ratione Timotheum; quem tamen, ſi non modò, ſaltem poſt aliquod tẽpus Epheſi cũ Paulo fuiſſe, in ſequẽtibus oſtendemus. Eo verò conſilio hãc nauigationẽ ſuſcepit Apoſtolus, vt quã primum in Syriam ſe cõferret, quod breuiter Lucas ſignificauit dicens [a]: *Nauigauit in Syriam*; id eſt, versùs Syriam, vt ad amplã illam Aſiæ maioris regionẽ reuerteretur, vbi erat Ieroſolyma, & aliæ primæ Chriſti Eccleſiæ fuẽre fundatæ, vbi primos à Chriſto fauores ipſe obtinuit, & primas ei operas collocauit. Erat propterea Ægæum mare nauigatione recta versùs Orientẽ ſuperandum: ſed cùm anteà Epheſum peruenire ſtatuiſſet, relictis ad dexterã partẽ inſulis Cycladibus, curſum nauigationis ſuæ aliquantulùm versùs Septentrionem deflexit, atque ita Epheſum vrbem ex aduerſo Occidentis, mari Ægæo adiacentem deuenit. Eſt à nobis aliàs obſeruatũ, optimum in euangelica prædicatione conſiliũ Apoſtolorum fuiſſe, ad lucrũ pluriũ animarum, & fructus ſpirituales inde vberiores colligendos, ciuitates deligere omnium primarias, vt Ieruſalem in Iudæa, Antiochiã in Syria, & Palæſthina, Alexandriã in Ægypto, Corinthũ in Græcia, & Achaïa, Romam in Italia, & nunc Epheſum, vrbẽ nobiliſſimam in Aſia minori,

a Act. c. 18. v. 18.

minorl,quæ propterea Aſiæ lumẽ eſt appellata, eratque illius regionis velut metropolis. Hæc ab Euſebio in Chronicis ponitur ędificata anno Dauidis vigeſimooctauo, ſita in pulcherrimo terræ maritimæ ſinu, habens à læua Mæandrũ fluuium,qui à Phrygia exoritur, & per Cariam effluit in mare Ægæum;à ſiniſtra verò Cayſtrum è Lydia decurrentẽ, & copioſas merces Aſiaticas deuehentem. Erat præterea optimis oppidis circummunita, & celebratiſſimo Dianæ Epheſiæ tẽplo exornata, quod inter ſeptẽ orbis miracula numerabatur. Eius ſuperbã magnificentiam deſcribit Plinius his verbis [b]. *Magnificentiæ verò admiratio extat exemplũ Epheſiæ Dianæ, ducentis.*(ſiue,vt alibi habet idẽ Auctor) *quadringentis viginti annis factũ à tota Aſia.In ſolo id paluſtri fecêre,ne terræmotus ſẽtiret,aut hiatus timeret. Rurſus ne in lubrico,& inſtabili fundamẽta tantæ molis locarentur,antea calcatis ea ſubſtrauêre carbonibus, dein velleribus lanæ. Vniuerſo templo longitudo eſt quadringentorum viginti quinque pedũ,latitudo ducentorum viginti. columnæ centũ viginti ſeptem à ſingulis Regibus factæ, ſexaginta pedũ altitudine, ex iis triginta ſex celatæ.* Addit idem Auctor alia, quæ magis videntur fabuloſa:Dianæ præterea ſimulacrum ibi fuiſſe totum ex ebeno compactum,ſiue,vt alij tradunt,vitigineum,hoc eſt, ex ligno vitis,non tam pretioſum, quàm ſuperſtitioſum:*Et quia*(inquit Plinius[c])*non eſt vlli ligno æternior natura.* Ad hoc ergo fanum religionis, ſeu potiùs ſuperſtitionis cauſa ex tota Aſia, & ex aliis mundi partibus concurſus ethnicorum fiebant maximi: erat præterea magna negotiatorum multitudo eò tanquam ad metropolim, vbi Proconſul reſidebat, confluentium; ſtudioſorum quoque mira frequentia ob celebres omnium diſciplinarum ſcholas, præſertim Philoſophiæ. Nam, vt ait S. Chryſoſtomus [d], inde putatur prodiiſſe Pythagoras, & omnis Ionicæ Philoſophiæ ſchola, ex qua extitit Plato, inde Parmenides, & Zeno, atque Democritus. Oratores etiam aluit ea ciuitas plurimos, & inſignes; ſed & magicæ artis famoſiores Profeſſores ibi ſedem habuiſſe teſtatur Philoſtratus in laudatione Apollonij Tyanæi [e]. Quæ omnia tantò acrioribus ſtimulis Pauli generoſiſſimum animum incitabant, quantò plura impedire ibi mala,& ad Dei gloriam excellentiora ſe poſſe aggredi intelligebat. Et quemadmodum ingreſſus primùm Athenas, ait S. Lucas [f], *incitabatur ſpiritus eius, videns idololatriæ deditam ciuitatem*: ita & multò adhuc magis, viſo tam inſanæ ſubſtructionis fano illo vaſtiſſimo & ſuperbiſſimo, tanquam arce primaria dæmoniacæ ſuperſtitionis. Neque ſolùm cum Gentilibus multùm ibi ſe offerebat operis collocandi; verùm etiam plurimùm cum Iudæis, qui municipes cùm eſſent Epheſinæ ciuitatis, eius priuilegiis fruebantur,nec minùs quàm alij Epheſij, ciues illius vrbis,teſte Ioſepho [g],cenſebantur. Quare ſuas ibidem habebant Synagogas, quarum vnam Paulus ingreſſus, *diſputabat* (inquit S. Lucas [h]) *cum Iudæis.* Non placet tamen aliquibus Interpretibus [i] adiectam eſſe in Latina verſione particulam, *cum*, vbi dicitur: *diſputabat cum Iudæis.* eò quòd Græcè non habeatur niſi tantùm: *διελέχθη τοῖς Ἰουδαίοις*, hoc eſt, diſſerebat, ſeu concionabatur Iudæis, neque ſoleant, qui concionantur, cum ſuis auditoribus diſputare; ſed ſuam illis quiete attendentibus abſoluere concionem At nihilominùs conuenientiſſimè vulgatus Interpres verba

b Plin. lib. 36 c. 14. Alex. ab Alex. lib. 3 c. 20. Giral d. de hiſt. Deorum. ſyntagm. 12.

c lib. 14. c. 1.

d Chryſ. in proœ. Ep. Eph.

e Philoſtrat lib. 8. c. 3.

f Act. c. 17. v. 16

g Ioſeph. lib. 2. contra Appionem.

h Act. c. 18. v. 19.

i Petrus Laſtrẽſis in c. 18. Act.

verba illa Græca ſic Latinè reddidit: nam, etiamſi, διαλέγομαι, ea conſtructione interdum ſignificet habere concionem; tamen potiùs eſt idem ac habere diſputationem: vnde nomen obtinuit diſputandi facultas dialectica. Et quamuis ingreſſus Paulus Synagogam non antea fortaſſè cœperit loqui, quàm, vt alias ſolebat fieri, ſiue ab Archiſynagogo, ſiue ab aliis, qui præerant, inuitaretur, vt occaſione lectionis Prophetarum, tacente populo, ipſe concionaretur; tamen fieri vix poteſt, vt cùm illa non eſſet Eccleſia fidelium, & doctrinam ibi proferret adeò nouam, in qua Iudæi plerunque ſcandalum patiebantur, ſicut ipſe ad Corinthios ſcribens,
k 1. Cor c.1.v.23. ait [k]: *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum.* fieri, inquam, vix poteſt, vt ſaltem abſoluta concione de variis ab aliquibus non interrogaretur, nec eſſet, qui contrà non inſtaret, ſiue ardore contradicendi, ſiue ſtudio meliùs ea, quæ docuerat, intelligendi, atque ideò neceſſe fuerit, aliqua ratione diſputare. Illud magis eſt, quod miremur ſæpè à nobis alias obſeruatum, cùm tam graues ſemper, & vbique à Iudæis inſidias Chriſti Apoſtolus pateretur, taléſque cum illis experiretur difficultates, quales agendo cum Gentilibus non occurrebant, vt propterea Iudæis comminatus fuerit aliquoties, ſe eos relicturum; tamen Chriſti charitate perurgebatur eorum adhuc ſalutem procurare, illa, videlicet, charitate, quam ipſe deſcribens ait [l]:
l 1. Cor. c.13.v.7. *Charitas omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Itaque non prius dat ſe inſtitutioni Gentilium, quàm adhuc tentet, an aliquid in hoc genere poſſit à Iudæis obtinere.

Rogantibus autem eis, (inquit S.
m Act.c. 18.v.20. Lucas [m],) *vt ampliori tempore maneret, non conſenſit.* Dubitant hîc aliqui, fuerintne Iudæi, qui Paulum, vt maneret, inuitabant, an potius Gentiles, qui ſe humaniores erga Paulum, & veritatis euangelicæ auidiores præbere ſoliti ſunt; contrà verò Iudæi multò duriores & aſperiores. Quòd ſi non alij fuère quàm Iudæi, vt nexus antecedentium cum ſubſequentibus magis videtur poſtulare, verentur, ne malo animo id fieret à Iudæis, vt magis exagitare nouam illam doctrinam poſſent, & fortiùs aduerſari. Nam idem illi accidit, vbi eſſet Athenis [n]: *Poſſumus ſcire*; (dice- n ibid. c.
bant aduerſantes,) *quæ eſt hæc noua,* 17.v.19.
quæ à te dicitur doctrina? Volumus ergo ſcire, quidnam velint hæc eſſe. Et apprehenſum eum ad Areopagum duxerunt. Non videtur tamen ſatis conuenienti ratione dubitari poſſe, illos, qui nunc Paulum, vt maneret, inuitabant, fuiſſe Iudæos, & pio affectu, ac ſtudio magis cognoſcendæ veritatis id eos feciſſe. Nam, quòd fuerint Iudæi, non ſolùm ex eo deprehenditur, quia res in eorum Synagoga gerebatur; verùm etiam, quia cùm de Paulo dixiſſet S. Lucas: *Diſputabat cum Iudæis.* ſtatim, vtique de Iudæis, adiunxit: *Rogantibus autem eis, vt ampliori tempore maneret, non conſenſit.* Deinde, quia talem reddidit celeris profectionis ſuæ rationem, qualem non ita facilè Gentibus reddidiſſet, dicens: *Quoniam oportet me omninò Feſtum, quod inſtat, agere in Ieruſalem.* Atque hinc etiam poteſt agnoſci, non niſi pio animi affectu, vt maneret, fuiſſe rogatum, præſertim cùm excuſationi feſtinationis ſuæ illam addiderit promiſſionem,
dicens [o]: *Sed iterum reuertar ad vos,* o ibid. c.
Deo volente. Et quod maximè rem 8 v 21.
perſuadet, eſt, Apoſtolum in ſuo digreſſu Epheſi Aquilam, & Priſcillam reliquiſſe. *Sine quòd non volebat,* inquit

p Chryſ. hom. 40. in Acta.

inquit Chryſoſtomus [p], *circumducere illos, & propter hoc reliquit, ſiue magis, vt Doctores maneant Epheſiis.* Quis autem credat, nouas illas Eccleſiæ plantas præuiſis turbinibus, & imminente ex inſidiis Iudæorum tempeſtate, ab Apoſtolo in tali diſcrimine relinqui debuiſſe? Quin potiùs inde factum putamus, vt, Paulo abeunte, illi remanſerint; quia ipſimet Iudæi Epheſinæ ciuitatis municipes, quò nobiliores, eò generoſiores, & humaniores Paulo ſe exhibebant, & cùm offenderentur tanta illius vrbis ſuperſtitione, & idololatria, & magia, ſperabant, viſa, tum Pauli, tum ſociorum eius probitate, ſanctimonia & zelo admirabili, tantis malis hæc pro aliquo antidoto eſſe potuiſſe. Fortaſſis etiam, ſicut Athenis ara ignoti Dei, Paulo ea de re prædicante, veri Dei, & filij eius IESV Chriſti ſuggeſſit notionem; ita Epheſi Dianæ templum terræ magnis motibus, nec pridem anteà concuſſum, & ex parte dirutum, primi omnium Motoris, & Conditoris tremendam maieſtatem annunciandi Paulo ſuggeſſit occaſionem. Refert enim Plinius [q], ſub Tiberio Cæſare terræmotum maximum extitiſſe, quo duodecim Aſiæ ciuitates fuerunt exciſæ: computatiſque temporibus, alius hic terræmotus fuiſſe non apparet, niſi quem in morte Chriſti Redemptoris ſimul cum eclipſi Solis vniuerſali Euangeliſtæ referunt contigiſſe: vnde aram ignoto Deo erectam, aut confirmatam aliqui exiſtimarunt, Dionyſio Areopagita præ ſumma admiratione in ea verba erumpente: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſoluetur.* Hæc Paulus inter alia, quæ in concione diſſeruit, ad humanæ redemptionis myſterium Iudæis inſinuandum ſua diuina eloquentia benè potuit commemoraſſe.

q lib. 2. nat. hiſt. c.84.

Et cùm de prodigiis loqueretur, quorum eſſe teſtes plerique Epheſiorum potuerunt, ſiquidem ille in Chriſti paſſione ingens terræmotus ante vigenti abhinc annos extiterat, faciè fuit magnos excitare animorum motus, & accendere deſiderium plenius euangelica myſteria percipiendi. *Rogantibus autem Epheſiis* (inquit S. Lucas [r]) *vt ampliori tempore maneret, non conſenſit.* Quòd Apoſtolus non conſenſerit hoc tempore diutiùs Epheſi commorari viſa tali, tantáque animorum alacritate, non fuit, quaſi pia illorum vota deſpiceret; ſed potiùs vt eorum deſideria magis inflammaret: interim ipſe, quæ pro aliarum Eccleſiarum viſitatione proficere propoſuerat, expleret. Paulus itaque (inquit S. Lucas) *valefaciens, & dicens: Iterum reuertar ad vos, Deo volente. profectus eſt ab Epheſo.* Aliam autem huius feſtinatæ profectionis magis expreſſam rationem Græca exemplaria continent in hæc verba: *Oportet me omninò Feſtum, quod inſtat, agere Ieroſolymis, ſed iterum reuertar ad vos, Deo volente.* Quæ verba leguntur etiã à Chryſoſtomo, & Oecumenio: habentur quoque in antiqua Syriaca interpretatione, & in nonnullis Latinis exemplaribus. Et ſanè cùm S. Lucas apertè retulerit [t], Paulum eo conſilio Epheſo diſceſſiſſe, vt in Syriam nauigaret; Syriæ verò primatia, & quaſi mater omnium aliorum Eccleſiarum eſſet Eccleſia Ieroſolymitana; omninò non debuiſſet iam longam eò dirigere nauigationem, & aliis ſalutatis illam Eccleſiam inſalutatam præterire. Fortaſſis etiam Ieroſolymam nunc ire properabat, vt quæ in Cenchreis perſoluere circa votum Nazaræorum non potuit, abſolueret in Ieruſalem. Erant enim quædam oblationes & ceremoniæ in templo ſolùm Ieroſolymitano exe-

r Act. c. 18. v. 20.

t ibid. v. 18.

quendæ iis, qui Nazaræatum profitebantur, & vota illorum propria adimplere voluiſſent. Atque hinc fieri multi dicunt, vt nullus hoc tempore inter Iudæos Nazaræus inſtituatur, quia templo carent Ieroſolymitano, vbi vota illius inſtituti, & cæremoniæ, ſaltem aliquæ, compleri ex Dei ordinatione debuiſſent. Quod autem adiunxit Apoſtolus, propterea oportere ſe quamprimùm Ieroſolymam peruenire, vt Feſtum proximè futurum ibi celebraret, non eſt intelligendum de Feſto Pẽtecoſtes, de quo S. Lucas ita narrat inferiùs [u]: *Propoſuerat enim Paulus trãſnauigare Epheſum, ne qua mora illi fieret in Aſia: feſtinabat enim, ſi poſſibile eſſet, vt diem Pẽtecoſtes faceret Ieroſolymis.* illa enim feſtinatio ad Feſtum Pentecoſtes Ieroſolymis peragendum, non fuit modò vbi primùm Epheſi breui tempore Apoſtolus ſubſiſtit; ſed poſteaquã ibi manſerat per triennium, ſicut ſuo loco inferiùs referemus. Ex quo aliqui videntur eſſe decepti, propterea exiſtimantes, id, quod in vulgata omittitur, & legitur in Græca; de Pauli propoſito veniendi Ieroſolymam ad neſcio quod Feſtum celebrandum, eſſe ſuppoſititium: quaſi verò duæ diſtinctæ profectiones hæ eſſe non potuerint, ſicut verè fuiſſe multò probabiliùs arbitramur. Itaque quarta hæc fuit Apoſtoli ab eius conuerſione peregrinatio in Ieruſalẽ ad Feſtum, quod inſtabat, ibi peragendũ, de quo neſcimus, an fuerit Pentecoſtes: aliud enim eſſe potuit. Quinta verò, & poſtrema eius in Ieruſalem peregrinatio fuit ad Feſtum Pentecoſtes, de qua multa ſuo loco poſteà dicturi ſumus.

[u] *Act. c. 20. v. 16.*

Sed iam iter Pauli maritimũ, iuxta ſacram Hiſtoriam, conſideremus; ex quo perueniſſe illum hoc itinere vſque Ieroſolymam agnoſci poterit. In primis dicitur Epheſo ita diſceſſiſſe, vt ſecundùm vim Græcæ locutionis nauigio portatus eſſe ſignificetur [x]: ἀνήχθη ἀπὸ Ἐφέσου, id eſt, ſubductus eſt Epheſo, ſiue ſubuectus, quod noſter vulgatus Interpres dixit: *Epheſo profectus eſt.* Inde versùs meridiẽ nauigans per eam Ægæi partem, quæ mare Icarium dicitur, deflectere debuit ad mare, quod à propinqua Lycia Lycium appellatur. Hinc Orientem versùs Pamphilium pelagus eſt ingreſſus è vicina, & ad Septentrionem adiacente Pamphilia ſic dictum: inde venit in Cyprium prope inſulam Cypri, & tandem ad Syrium, nempe, quod Syriam abluit ex aduerſo poſitam in oriente. *Et deſcendens*, inquit Lucas [y], *Cæſaream aſcendit, & ſalutauit Eccleſiam, & deſcendit Antiochiam.* Circa quæ verba ſacri contextus tria ſunt ad veritatem præſentis Hiſtoriæ inquirenda: primum, quod dicitur, deſcendiſſe Paulus Cæſaream: deinde aſcendiſſe, vt Eccleſiam ſalutaret: poſteà verò deſcendiſſe Antiochiam. Ex primo enim falſæ quorundam opinationes refelluntur, exiſtimãtium, Cæſaream ad quam modò Paulus dicitur deſcendiſſe, Metropolim fuiſſe Cappadociæ, Cæſareæ nomine appellatam, aut certè Diocæſareã in eadem quoque prouincia Cappadociæ ſitam. Non enim Paulus iter pedeſtre modò conficiebat, quale fieri oportuiſſet, vt Epheſo iret in Cappadociam; ſed ea prouincia longè ad Septentrionem relicta ipſe nauigabat, vt ait S. Lucas, in Syriam. Quoniam verò duæ aliæ erãt in Syria Cæſareæ, vna antiquior, quæ priùs Stratonis turris appellabatur, ad littus maris inter Doram, & Ioppem cõſtituta; altera verò fuit recentior non procul à Ieruſalem, quæ a Philippo Herodis maioris filio in honorem Tiberij Cæſaris ædificata

[x] *ibid. c. 18. v. 21.*

[y] *ibid v. 22.*

Cæſarea

a Matt. cap. 16. v. 13. Marci c. 8. v. 27.

Cæſarea Philippi in Euangelio [a] nominatur; aliqui putant, ad veterem, non ad nouam Paulum hac ſua nauigatione abſoluta deſcendiſſe, vbi primùm è mari Syriam terrã eſt ingreſſus. Sed tamen verbum deſcendendi, quo vſus eſt Lucas, multò magis indicat Cæſaream fuiſſe recẽtiorem, quæ ſita ad radices montis Libani erat in deſcẽſu illius regionis collocata, prope fluuium Iordanem Ieroſolymæ vicina, ex qua iter in Tarſum habebatur. Vnde cùm primùm Paulus Ieroſolymam aduenisset, ibíque à Iudæis ad necem quæreretur, ſicut anteà ſuo loco narratum fuit [a], & retulit ipſe S.Lucas [b], Fratres eum deduxerunt Cæſareã, videlicet, de qua loquimur, & hinc Tarſum dimiſerunt. Ex quo, ſecundùm quod habetur in eodem ſacro contextũ, planiùs intelligitur, cur dicatur Paulus à Cæſarea aſcendiſſe, & Eccleſiam ſalutaſſe; neque ea Eccleſia, quænam fuerit, ampliùs explicatur. Sed profectò alia eſſe non potuit, niſi Ieroſolymitana per quandam antonomaſiam Eccleſia appellata, quam ante alias ſalutandam, & meritò venerandam Apoſtolus ſibi propoſuerat, veluti primam Chriſtianæ familiæ altricem ac matrem: deinde propter Iacobum Fratrem Domini, illius vrbis Epiſcopum ibi degentem: maximè verò propter ipſum Chriſtum Dominũ, qui terram illam ſuis veſtigiis ſacrauerat, ſanguine irrigauerat, & ibidem opus noſtræ redemptionis peregerat. Hæc igitur cũ eſſet ciuitas in alto illius regionis loco ædificata, aſcenſu petebatur: vt propterea tã ſæpè in Euangelio, & in veteri Scriptura dicantur eò veniẽtes Ieroſolymam aſcendiſſe [c]. Tertium, quod addit S. Lucas, dicens [d], inde Paulum deſcendiſſe Antiochiam, falſam eſſe oſtendit interpretationẽ opinantium hoc dictum de Antiochia Piſidiæ eſſe intelligendum. Non enim verſabatur modò Paulus in Piſidia, ſed in Syria. De Antiochia igitur Syriæ Metropoli, ad quam ab Ieruſalem deſcendebatur, ſacra Hiſtoria hic loquitur, ſicut etiam ſupra capite decimoquinto dicuntur Paulus, & Barnabas Antiochiam ab Ieroſolyma deſcendiſſe. Ita planè rem hanc S.Chryſoſt. intellexit, & alias addidit rationes, dicẽs [e]: *Tenebatur Paulus humana quadã affectione erga ciuitatẽ illam: ibi enim appellati ſunt diſcipuli Chriſtiani: ibi traditus eſt gratiæ Dei: ibi negotium dogmatis abſoluit.* Congruè igitur Caietan. in ſuis ſuper Acta Apoſtolorũ Cõmentariis [f], totũ hunc locũ interpretatur his verbis: *Deſcẽdens Paulus Cæſarea, &c. Sermo eſt,* inquit, *de Cæſarea ciuitate maritima, ex qua Paulus olim migrauerat in Tarſum, & aſcendit proculdubiò Ieroſolymã, & ſalutauit Eccleſiã, quæ erat Ieroſolymis: deſcẽdit Antiochiã: voluit Lucas intelligi aduentum Pauli in Ieruſalẽ ex aſcẽſu ex Cæſarea, & deſcẽſu in Antiochiã, ſalutata Eccleſia: inſinuãs ſimul per hæc, quod Paulus nihil aliud fecit euangelicũ Ieroſolymis, quã quòd ſalutauit Eccleſiã, prohibitus a Fratribus, ne excitaretur tumultus propter ipſũ. Et hic eſt quartus Pauli in Ieruſalẽ aditus poſt conuerſionem eius.* Hactenus Caietanus: & quidẽ bene, niſi quòd ait, nihil Paulũ egiſſe Ieroſolymis euãgelicũ, prætérquã Eccleſiã ſalutaremã ipſe indicauit, ſe Epheſo diſceſſiſſe, vt Ieroſolymam ad Feſtum quoddã celebrandũ veniret. Diximus etiã votũ ibi quoddam Nazaræorũ in templo Salomonis exoluiſſe, iuxta eas cæremonias, quas in Cenchreis exequi non licuiſſet. Sed, cùm hæ cæremoniæ ad legẽ veterem, non ad nouã pertinerent, & fortaſſe etiam Feſtum illud eſſet Iudaicum, in hoc ſenſu nó malè à Caietano ſuperiùs dictum accipiemus. Eſt etiam incertũ, quod ait,

a lib. 5. cap. 6.
b Act. c. 9. v. 30.
c Matth. cap. 20. v. 7. Marci c. 10. v. 32. Lucæ c. 18 v. 31. Ioan. c. 2. v. 13. & alibi ſæpiſſimè.
d Act. c. 18. v. 22.
e homil. 40. in Acta.
f Caiet. in c. 18. Act. v. 22. & Salmer. in Acta, diſp. 19.

inde Paulum ſtatim diſceſſiſſe, profectum a Fratribus, ne excitarentur Ieroſolymis tumultus propter ipſum. Nam, quamuis coniectura hæc videatur non improbabilis; fieri tamen poteſt, vt potiùs diſceſſerit, quia magis opera ipſius indigere alias Eccleſias iudicabat. Cum interim eſſet Ieroſolymis S. Iacobus Frater Domini, Epiſcopus vigilantiſſimus, maximę apud omnes auctoritatis, & admirandæ ſanctitatis.

CAPVT II.

Ex peregrinatione Ieroſolymitana Paulus reuertens viſitat Galatiam, & Phrygiam: Apollo ex diſcipulo conſtituitur Euangelij Magiſter: Lucas Pauli conſilio ſuum ſcribit Euangelium.

CVm iam quartò Ieroſolymam Paulus eſſet peregrinatus, vt Epheſum reuerteretur, iuxta ſuam Epheſiis præſtitam promiſſioné, venit primum Antiochiam [a]: *Et facto ibi aliquanto tempore* (inquit S. Lucas) *profectus eſt, perambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes diſcipulos.* His paucis ſacræ Hiſtoriæ verbis non parum firmatur, quod antea ſtatuimus, & in dubium ab aliquibus Interpretibus immeritò reuocatur, de Pauli aſcenſu in Ieruſalem, & regreſſu per Antiochiam Syriæ, non Piſidiæ. Nã, etiamſi per Piſidiam hæc eius reuerſio modò facta fuiſſet; quæ tamen regio longè ab hoc eius in Syriam itinere diſſidebat, nulla própria ratio apparet, cur in illa Piſidiæ Antiochia moraretur; multiplex verò, cur in alia deberet aliquo tempore ſubſiſtere. Nam ibi erat Eccleſia fidelium florentiſſima & numeroſiſſima, in cuius fundatione Paulus cum Barnaba per aliquot annos multùm laborauerant; ibi Apoſtoli, & Epiſcopi ambo fuerant conſtituti: & ſicut ex Chryſoſtomo ſuprà retulimus, magno affectu Paulus tenebatur erga illã ciuitaté, vbi primùm fuerant fideles Chriſtiani appellati. Quare fieri nõ potuit, vt quantumuis ipſe maturaret proficiſci; tamen non ſineret ſe ibi aliquantulum, ſiue per dies aliquot, ſiue per hebdomadas, aut etiã menſem a Fratribus detineri. Poſteà inde profectus eſt, *perambulans* (inquit S. Lucas [b]) *ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam.* Igitur ex Syria, & Palæſthina, atque adeò Ieroſolyma reuertebatur hoc itinere Apoſtolus. Nam inde venientibus ex ordine occurrit Galatia primùm, & deinde Phrygia; non auté venientibus ex Piſidia. Fuerat anteà Paulus in Galatia eo itinere, in quo, ſicut priùs expoſuimus [c], ad comites & adiutores ſuos Silam, & Timotheum, tertium poſteà ſibi adiunxit Lucam Euangeliſtã. Fundatas autem ibi fuiſſe plures Eccleſias ipſe ſignificat in primo capite Epiſtolæ ad Galatas, ſalutãs illas Eccleſias in numero multitudinis, cùm ait [d]: *Paulus, & qui mecum ſunt, omnes Fratres Eccleſiis Galatiæ, gratia vobis, & pax à Deo,* &c. Quanta verò firmitate dogmata euangélica ſeruada illis tradiderit, verbis ſequẽtibus manifeſtat [e]: *Nam* (inquit) *licèt nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis; anathema ſit.* Fuiſſe quoque à Galatis exceptum maxima deuotione ac reuerentia, quamuis humilis, abiectus, magna cum paupertate, multiſque laboribus & ærumnis confectus ad eos peruenerit, declarat inferiùs, dicens [f]: *Scitis autem, quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iampridem: & tentationem veſtram in carne mea non ſpreuiſtis, neque*

a Act. c. 18. v. 23.

b ibid. v. 23.

c lib. 5. c. 10.

d Gal. c. 1. v. 1. & 2.

e ibid. v. 8.

f ibid. c. 4. v. 13. & 14.

que reſpuiſtis ; ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, & Chriſtum IESVM. *Teſtimonium enim perhibeo vobis; quia, ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.* An autem aliquo tempore modò apud Galatas moratus ſit, vt in hoc eodem tranſitu māſit apud Antiochenos, Apoſtolorum Acti non exprimunt, niſi quòd omnes diſcipulos in fide confirmaret. At verò S. Chryſoſtomus [g] opinatur, manſiſſe aliquantulùm, & numerum fidelium ſuis exhortationibus auxiſſe: *Mihi* (inquit) *videtur adhuc & fideles illis aggregaſſe: neque enim ſtatim reliquit. Vide autem, quomodo ad illos feſtinat, & ad has regiones iterum tranſit, & ita aduentu ſuo diſcipulos firmat.* Ex Galatia tranſiuit in Phrygiam, vt ſimiliter Eccleſias, quas ibi anteà fundauerat, apoſtolica reuiſeret charitate, & optimi Paſtoris officio per omnia fungeretur. *Perambulat* (ait S. Lucas) *ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes diſcipulos.*

g *Chryſoſt. hom. 40. in Acta.*

Interim, dum ampliſſimas illas prouincias Apoſtolus ſummis labotibus peragraret, & quidem itinere non niſi pedeſtri, vt aliàs cū S. Chryſoſtomo eſt obſeruatum [i], quandiu ob interiecta flumina, vel maria vti nauigio non cogebatur, antequàm ipſe Epheſum perueniret, eò venit Apollo, de quo ſic narrat S. Lucas [k]: *Iudæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Epheſum, potens in Scripturis: hic erat edoctus viam Domini, & feruens ſpiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ ſunt* IESV, *ſciens tantùm Baptiſma Ioannis. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in Synagoga: quem cum audiſſent Priſcilla, & Aquila, aſſumpſerunt eum, & diligentiùs expoſuerunt ei viam Domini. Itaque* (inquit Chryſoſtomus [l]) *non ſine cauſa Paulus Aquilā in Epheſo reliquit; ſed propter Apollo forſan hoc Spiritus ... penſauit, vt fortior aſcenderet in Corinthum.* Ex quibus Chryſoſtomi verbis aliqui deduxerunt, non antea Paulum Epheſo diſceſſiſſe, quàm eò Apollo perueniſſet: ideoque in ſuo digreſſu Apoſtolum ibi reliquiſſe Aquilam, & Priſcillam, vt hunc Apollo non ſatis inſtructum in rebus fidei magis ipſi erudirent. Sed profectò verba ſacræ Hiſtoriæ contrarium indicant: nempe, dum Paulus peregrinaretur, & à Syria versùs Epheſum rediret, Apollo priùs Epheſum aduenisse. Neque videtur adeò veriſimile, ſi Paulus illum cōnueniſſet, non per ſe voluiſſe inſtituere; ſed Aquilæ & Priſcillæ erudiendum reliquiſſe; hominem præſertim magno ingenio & multa eloquentia præditum, & qui Corinthi præco Euangelij eximius erat futurus. Neque contradicit Chryſoſtomus: ſed in eo diuinam prouidentiam agnoſcit, quòd Paulo diſcedenti fuerit diuinitùs inſpiratum debere ipſum Epheſi relinquere Aquilam, & Priſcillam, vt Apollo ſaltem ab his, quando à Paulo diſceſſuro non poterat, inſtitueretur. Aliam quoque licet hìc agnoſcere Dei prouidentiam: vt is, nimirum, Apollo, qui apud Corinthios eſſe debuit Doctor fidei celeberrimus, & Paulo, ac Petro in concionandi munere conferendus, vt poſteà oſtendemus, anteà poneret fundamenta Chriſtianę ſubmiſſionis: & ſicut miſſus eſt Paulus ad Ananiam, ipſe ad Aquilam opificem tabernaculorum, & Priſcillam fidelem mulierem veniret, atque ab eis addiſceret, quæ eſſet deinde magna, tum eloquentia, tum commendatione ſapientiæ docturus. Quis autem fuerit hic Apollo, ſiue Apollos, vt habetur in omnibus Græcis, & in quibuſdam Latinis exemplaribus,

i *lib. 2. cap. 2.*

k *Act. c. 18 v. 24. 25.*

l *Chryſoſt. hom. 40. in Acta.*

dubium eſt. Eum aliqui ab Oecumenio relati, cum illo Apelle confundūt, de quo in Epiſtola ad Romanos ait Apoſtolus[m]: *Salutate Apellem probum in Chriſto.* Sed iſti omninò fallūtur: nam pręter nominis diſcrepantiā, Apelles, de quo ſcripſit S. Paulus, ille eſt, qui dicitur in Romano Martyrologio[n], fuiſſe vnus ex primis Chriſti diſcipulis: hic autem Apollo nondum erat hoc tempore baptizatus. Eadem ratione illorum ſuſpicio refutâtur, qui dixerunt, fortaſſe hunc Apollo fuiſſe Apollinem ciuem illum Athenienſem nobiliſſimum, & eruditiſſimū, de quo Hilduinus Abbas in Areopagitica refert[o], fuiſſe Athenis ad fidē à S. Paulo inductum ante Dionyſium Areopagitam. Nam præter nominis diuerſam inflexionē, ille Gentilis fuit; hic verò Iudæus: ille ciuis Athenienſis; hic Alexandrinus: ille ante Dionyſium Athenis baptizatus; hic poſt aliquot annos Epheſi, vel Corinthi. Quare verius eſt, hunc illum eſſe Apollo, de quo ſæpiùs meminit S. Paulus ad Corinthios ſcribens: ſicut vbi ait[p]: *Cùm enim quis dicat: Ego quidem ſum Pauli, alius autem: Ego Apollo. nónne homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo, quid verò Paulus? Miniſtri eius cui credidiſtis, & vnicuique, ſicut Dominus dedit.* & infra[q]: *De Apollo autem Fratre vobis notum facio, quoniam multùm rogaui eum, vt veniret ad vos, cum Fratribus, & vtique non fuit voluntas, vt nunc veniret; veniet autem cùm ei vacuum fuerit.* Præter nomen verò, genus, & patriam, tres alias addit S. Lucas viri huius conditiones, quòd nimirum eſſet multæ eloquentiæ, & mira facundia præditus: deinde in diuinis Scripturis veteris Teſtamēti valdè verſatus: tertiò, quòd erat ſpiritu feruēs, & plenus zelo alios ad Chriſti fidē perducēdi. Quapropter dubitauit S. Chryſoſt.[r], & poſt ipſum Oecumenius[s], fueritne hic Apollo vnus ex illis centū viginti Fratribus, de quibus refertur in Actis apoſtolicis[t], fuiſſe poſt Chriſti in cœlū aſcenſionē cum Apoſtolis congregatos, & anteà ſine dubio baptizatos. At id ſacer Hiſtoricus ſatis reiicit, vbi ſic ait de Apollo ſcribēs[u]: *Hic erat edoctus viā Domini, & feruēs Spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ ſunt* IESV, *ſciens tantùm Baptiſma Ioannis.* Fieri ergo non potuit, vt inter Apoſtolos iam pridē verſatus, & ab illis, ſiue etiam cum illis baptizatus, Chriſti Baptiſma nūc ignoraret. Quare neque ipſe S. Chryſoſtomus huic ſuæ opinioni acquieuit, ſed aliam ſubdidit reſponſionem, dicens[x]: *Si ad Baptiſma Ioannis ſolùm crediderat hic, quomodo Spiritu feruebat? nondum enim datus erat ſic Spiritus. Sed mihi videtur ille eſſe vnus ex centum viginti, qui cum Apoſtolis baptizati: vel ſi non eſt hoc, factum eſt idem cum ipſo, quod cum Cornelio.* Cornelium Chryſoſtomus intelligit Cēturionem illum, qui, vt habetur in Actis apoſtolicis[y], antequàm à S. Petro baptizaretur, ex bona animi per gratiam diſpoſitione feruorem S. Spiritus obtinebat.

Sed manet obſcura difficultas, cur Apollo Chriſtum prædicans in Synagoga; Chriſti tamen Baptiſma dicatur ignoraſſe, & tantū Baptiſma S. Ioānis agnouiſſe. Suſpicantur aliqui[z], cum eſſet Apollo patria Alexandrinus, & floreret tunc Alexandriæ religio Eſſenorū, qui putantur fuiſſe Chriſtiani, nā tales à Philone[a], & ab aliis deſcribūtur, hunc ex illo inſtituto fuiſſe; non ſatis tamen in omnibus inſtructum, ſed tantùm de Baptiſmo S. Ioannis, vt quòd præcurſor Meſſiæ fuerit, quique poſtremus de illo prophetauerit, indeſine Chriſti Baptiſmo diſceſſiſſe: alia verò de aduentu Meſ-

ſiæ

m Rom. c. 16. v. 10.
n Martyrol. die 22. Aprilis.
o Hilduinus apud Sur. die 9. Octob. tom. 5.
p 1. Cor. c. 3. v. 4. 5. 6.
q ibid. c. 16. v. 12.
r Chryſoſt. hom. 40. in Acta.
s Oecum. in c. 18. Act.
t Act. c. 1. v. 15.
u ibid. c. 18. v. 25.
x Chryſoſt. hom. 40. in Acta.
y Act. c. 10. v. 2.
z Vide Lorin. in Acta c. 18. v. 24. 25.
a Philo de vita contēpl.

ſiæ priuato ſtudio antiquorum Prophetarum eſſe aſſecutum. Sed videtur creditu perdifficile, hominē ingenio, & doctrina clarum, verſatum inter Chriſtianos, & iam ſi non re, ſaltem votis, & animi propoſito Chriſtianū nihil de Chriſti Baptiſmo, qui ad noſtræ fidei prima rudimenta pertinet, accepiſſe, & tantùm nouiſſe Baptiſma S. Ioannis, qui minimè erat neceſſarius, & mortuo S. Ioanne iam pridem exoleuerat. Quare multò probabilius videtur, fuiſſe hunc Apollo vnum ex illis, qui à S. Ioanne baptizabātur circa ripam Iordanis, quando, ſicut legimus in Euangelio [b], egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, & Ieroſolymitæ vniuerſi, & de Meſſiæ aduentu inſtruebantur, quòd eſſet ille Agnus Dei, cuius ipſe non eſſet dignus ſoluere corrigiā calceamenti. Vnde mirum non eſt, illum ad vlteriorem Baptiſmi Chriſti notionem, & eius Sacramenti ſuſceptionem nō perueniſſe, cùm non fuerit proprius S. Ioannis diſcipulus; ſed tantùm Alexandria Ieroſolymam profectus, fortè vt templum Ieroſolymitanum, ſicut alij Iudæi conſueuerant, inuiſeret, fama celebratiſſimę ſanctitatis noui Prophetæ accitus, eius breui tempore auditor fuit, fidem præſtitit, & ita quaſi poſitus in via recta veritatis, ſine alio Sacramento, vt potuit priuato ſtudio Scripturarum veteris Teſtamenti, profecit. Et hoc planè videntur indicare verba illa S. Lucæ [c]: *Et hic erat edoctus viam Domini*, ſiue vt legit S. Auguſtinus [d], erat catechizatus viam Domini, *& feruens ſpiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ ſunt* IESV, *ſciens tantùm Baptiſma Ioannis.* Hunc ergo audientes Aquila, & Priſcilla, dū fiducialiter in Synagoga Iudæorū concionaretur, addit S. Lucas [e]: *Suſceperunt eū, & diligentiùs expoſuerunt ei viam Domini.* Declinabat enim in aliquibus à ſynceris dogmatibus euāgelicæ veritatis, non praua animi diſpoſitione, ſed ſimplici ignoratione: quia nimis breui tempore fuerat Catechumenus. Quòd verò aſſumpſiſſe illū dicuntur Aquila & Priſcilla, in eo ſenſu eſt intelligēdum, quo S. Paulus aliquādo ad Romanos ſcripſit [f]: *Infirmum autē in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum*: id eſt, ſine altercationibus diſputationum circa fidem infirmus placidè, ac ſuauiter inſtruatur. Quod ſibi Dei beneficio præſtitum narrat in ſuis Confeſſionibus S. Auguſtinus [g], occaſione horum diuinæ Scripturæ verborum, in quibus caſu aperto ſacro codice ipſe & Alipius inciderunt. Sed quòd aſſumptum eum aliqui exponunt, etiam in domum, ſiue hoſpitium Aquilæ, & Priſcillę fuiſſe receptū, vt ibi Apollo cōmodiùs tanquam hoſpes Epheſi per dies aliquot inſtrueretur, non eſt improbabile. Addūt aliqui præterea dici aſſumptum, ſiue ſuſcepiū in ea ſignificatione, qua baptizati ſuſcipiebātur, id eſt, eleuabantur eccleſiaſtica cæremonia ex fōte Baptiſmatis à ſuis patrinis, qui propterea ſuſceptores dicebātur [h], ſiue ſponſores. Et quidē fuiſſe tū Apollo de Chriſti Baptiſmo edoctum, eiúſque Sacramenti cognita neceſſitate, illud accipere non diſtuliſſe, pro certo haberi poteſt: an verò Aquila, & Priſcilla in eius Sacramenti collatione patrini fuerint, alio nomine dicti ſuſceptores; vel potiùs Aquila ipſe fuerit illius Sacramenti adminiſtrator; hoc valdè incertum eſt, nec verbum ſuſcipiendi plùs requirit, quàm quod per ſequentia verba declaratur, cùm dicitur [i]: προσελάβοντο αὐτὸν, ſuſceperunt, *ſiue aſſumpſerunt eum, & diligentiùs expoſuerunt ei viam Domini.*

Cū eſſet Apollo circa fidei noſtræ myſteria ſatis inſtructus, & Baptiſmi

Sacra

b *Marci* c. 1. v. 5. *Ioan.* c. 1. v. 27. & 37.

c *Act.* c. 18. v. 25.

d *S. Aug. lib.* 1. *contra Creſcon.* c. 11.

e *Act.* c. 18. v. 26.

f *Rom.* c. 14. v. 1.

g *S. Aug. lib.* 8. *Confeſſ.* c. 12.

h *Dionyſ. de eccl. Hierarch. cap. de Baptiſmo. Tertull. lib. de Baptiſ.*

i *Act.* c. 18. v. 26.

Sacramento expiatus, cogitauit in Achaïam proficiſci: fideles verò, qui Epheſi morabantur, non ſine commendatitiis epiſtolis eum eſſe dimittendum cenſuerunt. Quoniam autem conſilio, & ad quam Achaïæ partem iter ſuum eò direxerit, exploratum non habemus. Fortaſſe, quia Paulum non poterat conuenire, ſocium eius Lucam quærebat per Achaïam, vbi, ſi noſtras licet proſequi coniecturas, non ſolum hoc tempore S. Lucas morabatur, ſed etiam conſilio S. Pauli in ſuo Euangelio ſcribendo occupabatur. Auctor eſt enim S. Hieronymus in ſuis ſuper Matthæum Commentariis [k], Matthæum primum omnium ſcripſiſſe Euangelium Hebræo ſermone in Iudæa: deinde Marcum tanquam S. Petri Interpretem Romæ, vt creditur, Latino idiomate [l]: *Tertius* (inquit Hieronymus) *Lucas Medicus, natione Syrus Antiochenſis, cuius laus in Euangelio, qui & ipſe diſcipulus Apoſtoli Pauli, in Achaiæ, Bœotiæq; partibus volumen condidit, quædam altius repetens: & , vt ipſe in proœmio confitetur, audita magis, quàm viſa deſcribens.* Ex quo S. Hieronymi teſtimonio inductus eſt Baronius [m], credere, non hoc anno Chriſti quinquageſimoquarto; ſed poſt alios quatuor annos editum à S. Luca Euangelium: eò quòd non hoc tempore, ſed poſt annos, vt nos etiam infra oſtenſuri ſumus, ad minimum quatuor, id eſt, anno Chriſti quinquageſimooctauo Lucas cum Paulo fuerit in Achaia. Sed in primis huic opinioni alioquin probabili obſtare illud videtur, quia non dixit Hieronymus, ſcriptum à Luca Euangelium, dum eſſet cū Paulo in Achaïa; ſed, dum ipſe Lucas verſaretur in Achaia. Quamuis igitur iterū poſteà in ea regione cum Paulo diuerſatus ſit; tamen quia varia tunc ſimul obibant loca, nec diu alicubi ſubſiſtebant, & ad opus illud conficiendum Lucæ aliquod otium, & quies non modica fuerat neceſſaria; videtur nobis veroſimilius circa hæc tempora illud opus compoſuiſſe, quando (ſicut ipſe Lucas inſinuat [n]) diù manſit relicto Paulo circa fines Europæ, vbi eſt Achaïa, & Bœotia, Paulo interim Aſiam peragrante; nec ad illū, niſi poſt duos, aut tres annos videtur Lucas rediiſſe, aut potiùs Paulum, vt eò veniret, expectaſſe, quod ſuo poſteà loco referemus. Alteram quoque ſuggerit nobis S. Hieronymus ſatis firmam rationem in allato teſtimonio de Luca illud intelligens, quod in Epiſtola ſecunda ſcripſit S. Paulus ad Corinthios [o]: *Miſimus etiam cum illo fratrem, cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias. Non ſolum autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ.* Iam igitur ediderat S. Lucas Euangelium ſuum, & erat Euangeliſta nomine, & dignitate celebris per Eccleſias, quando S. Paulus miſit illam Epiſtolam ad Corinthios: at eam ſcriptam eſſe anno Chriſti quinquageſimoſeptimo, aut quinquageſimooctauo, ipſo etiam Baronio cum aliis conſentiente, inferius oſtendemus: non potuit igitur hoc eodem tempore fuiſſe ſcriptum Euangelium, ſed ante aliquot annos in lucem debuerat prodiiſſe, quos fuiſſe tres, aut quatuor exiſtimamus, in quibus commodè potuit per Eccleſias diuulgari. Imò verò indicare S. Paulus videtur, anteà promulgatum & celebre fuiſſe Lucæ Euangelium, quàm ipſius comes Lucas fuerit in peregrinatione. Vnde fortaſſe ſumpſit occaſionem Euthymius [p] arbitrandi adhuc multò ante hunc annum, in quo verſamur, ſcriptum à Luca Euangelium fuiſſe;

k S. Hieron. in proœm. Com. Matth.

l Baron. an. 45.

m Baron. an. 58.

n Act. c. 16. v. 11.

o 2. Cor. c. 8. v. 18.

p Euthym. in proœm. Com. in Lucam. & Theophyl. in Matth.

fuiſſe; nempe, anno à Chriſti in cœlum aſcenſione decimoquinto, qui fuit Chriſti quadrageſimusnonus. At redargui falſitatis hanc opinionem inde aliqui cum Baronio [q] exiſtimarunt: quia, inquiunt, nec eo tempore, nec poſt multos annos Lucam Achaïam cum Paulo veniſſe exploratiſſimum eſt. Sed iam diximus, non haberi ex S. Hieronymo, nec aliunde, ſcriptum à Luca Euangelium, quando cum Paulo venit in Achaïam; ſed, quando ibi remanſit, ſiue cum illo, ſiue ante illum eò peruenerit. Quare, ſi oſtendiſſet Euthymius, illo, de quo loquitur, anno fuiſſe Lucam in Achaïa, eius opinio non eſſet improbabilis: ſicut propterea noſtram magis probabilem exiſtimamus, quia locum & tempus, & ſcribēdi opportunitatem aſſignamus, idémque Pauli teſtimonio ad eam rem à S. Hieronymo prolato confirmamus. Quòd verò Pauli dictum illud [r]: *Cuius laus eſt in Euangelio.* aliqui interpretantur de prædicatione Euangelij, non de ſcriptione libri Euangeliorum, & per hunc Prædicatorem dicunt, non eſſe Lucam Euangeliſtam intelligendum; ſed vel Barnabam, vel Silam, vel Apollo: qui omnes ſocij Pauli fuerunt, & in Euangelij prædicatione ſtrenui adiutores, hoc apertè contradicit S. Hieronymo [s], qui ſemel, iterum ac tertiò verba illa S. Pauli de Luca ſcribente Euangelium docet eſſe intelligenda, & Martyr antiquiſſimus Sanctus Ignatius in ſua Epiſtola ad Epheſios, iiſdem, quibus Paulus verbis, Lucam commendat, dicens: *Lucas cuius laus eſt in Euangelio.* Prætereà Eccleſia in Miſſa, quæ pro S. Lucæ feſto recitatur, ponit Epiſtolam ex illo Apoſtoli capite ad Corinthios, ſine dubio propter illa verba, veluti huius Euangeliſtæ proprium elogium: quod profectò minus propriè Barnabæ, Silæ, vel Apollo tribueretur. Idem etiam magis confirmant verba illa ſequentia [t]: *Non ſolùm autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtra.* nam Barnabas iam pridem ſe ab Apoſtolo ſeparauerat, Silas non fuit ordinatus Pauli comes ab Eccleſiis, ſed Paulus ſibi ſocium illum delegit: ita enim legimus in Actis apoſtolicis [u]: *Paulus vero delecto ſibi Sila profectus eſt.* Apollo autem multò minùs. Iam verò ſcripſiſſe Lucam Euangelium ſuum ex Pauli conſilio ac directione, idem S. Hieronymus affirmauit dicens [x], aliquos putare, quotieſcunque in Epiſtolis ſuis Paulus dicit: *Iuxta Euangelium meum.* de Lucæ ſignificare volumine, quod etiam docuit Tertullianus, ſcribens contra Marcionem [y], & poſtea S. Athanaſius in Synopſi, & in ſua Hiſtoria Euſebius Cæſarienſis [z]. Neque verò cùm dicimus, Lucam circa hæc tempora ſcripſiſſe ſuum Euangelium, de vno, vel altero anno, quaſi definitè certo, oſtendimus; ſed tantùm non procul ab hoc tempore, iuxta probabiliſſimas coniecturas id factum exiſtimamus. Vnde etiam commodè potuit Apollo ab Aquilæ, & Priſcillæ diſciplina, veluti à ſchola inferiori ad altiorem Lucæ Euangeliſtæ venire, in Achaïam proficiſcens, ibique Magiſter euadere, & præco primarius noui Euangelij. Quare ſic de illo ſcribit Sanctus Lucas [a]: *Cùm autem Apollo vellet ire in Achaïam, exhortati Fratres ſcripſerunt diſcipulis, vt ſuſciperent eum. Qui cùm veniſſet, contulit multùm his, qui crediderunt. Vehementer enim Iudæos reuincebat publicè, oſtendens per Scripturas eſſe Chriſtum* IESVM: nempe hunc proprio nomine IESVM appellatum, ipſum eſſe Chriſtum, id eſt, Meſſiam promiſſum à Deo, prædictum a Prophetis,

q Baron. an. 58.

r 2. Cor. c. 8. v. 18.

s S. Hier. in lib. de Script. eccleſ. & in proœ. Com. in Matt. & in Com. Epiſt. ad Philem circa fin.

t 2. Cor. c. 8. v. 19.

u Act. c. 15. v. 40.

x S. Hier. lib. de Script. eccleſ.

y Tert. l. 4. cōtra Marcion. c. 5.

z Euſeb. lib. 3. c. 4. Athan. in Synopſi.

a Act. c. 18. v. 27. & 28.

phetis, expectatum à Iudæis, mundi Saluatorem, per crucem, mortem, reſurrectionem, veriſſima primùm narratione à Matthæo Hebraice deſcriptam, in gratiam Iudæorum: deinde Latinè pro Latinis à Marco S. Petri Interprete; ac Græcè à Luca Pauli Apoſtoli ſocio in commodum Gentilium. Qua occaſione Apollo ſimul cum Luca Paulo ſe adiunxit fideliſſimum, & ſtrenuiſſimum in euangelica prædicatione adiutorẽ. Hinc Apoſtolus in Epiſtola ſecunda ad Corinthios, vbi de Luca illud ſcripſiſſet,
b 2. Cor. c.8.v.18. dicens [b]: *Miſimus etiam cum illo & Fratrem noſtrum, cuius laus eſt in Euãgelio per omnes Eccleſias.* de Apollo, vt
c S. Anſelm. in 2. ad Cor. c.8. & alij. benè aliqui exponunt [c], ſimiliter adiunxit: *Miſimus autem, & Fratrem noſtrum, quem probauimus in multis ſæpè ſollicitum eſſe; nunc autem multò ſollicitiorem, confidentia multa in vos.* Sed de auxilio, quod Paulo in prædicatione Euangelij Apollo præſtitit, agetur inferiùs ſuo loco.

CAPVT III.

Reuerſus Epheſum Apoſtolus duodecim viros Baptiſmo Ioannis initiatos inducit ad Chriſti Baptiſmum, quem planè diuerſum eſſe Sacramentum à Baptiſmo Ioannis, contra Caluinum, alióſque ſectarios oſtenditur.

a Act. c. 19 v.1. Factum eſt autem (ait ſacra Hiſtoria [a]) *cùm Apollo eſſet Corinthi, vt Paulus peragratis ſuperioribus partibus, veniret Epheſum.* In tam longa & difficili peregrinatione, qua Paulus diſcedens Epheſo ab anno ſuperiori per diuerſa maria iuerat in Palæſthinã, & ſicut ſibi anteà propoſuerat, Ieroſolymitanã Eccleſiam viſitauerat, deinde per Antiochiam redierat, Galatiam, Phrygiam, aliáſque tum maioris, tum minoris Aſiæ regiones peragrauerat, non minùs temporis, quàm anni vnius illũ inſumpſiſſe exiſtimamus. Itaque, cùm hoc tẽpore Epheſum rediit, ſicut Epheſiis promiſerat ſe eſſe rediturũ, annus agebatur Chriſti quinquageſimuſquintus, Claudij Imperatoris decimuſtertius; ætatis verò Pauli propè quinquageſimusquartus. Tunc Epheſo diſceſſerat Apollo, & Corinthi morabatur, quæ ciuitas tunc Achaïæ fuit metropolis: erat ea regio circa fines Europæ, in qua putamus, Lucam hoc tempore diuerſatum, vt propterea facilè cum eo potuerit Apollo agere his diebus; non autem cum Paulo, qui in Aſia Ægæo mari interpoſito iam ab vno anno manebat, & tribus adhuc ſequentibus annis erat permanſurus. Epheſum vbi primùm Apoſtolus perueniſſet, *Inuenit* (inquit S. Lucas [b]) b *ibid. v.1.2.3.*
quoſdam diſcipulos, dixitque ad eos: Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque, ſi Spiritus ſanctus eſt, audiuimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt: In Ioannis baptiſmate. Quinam eſſent hi diſcipuli, vnde aduenerint, cur de Spiritu ſancto ſtatim ab Apoſtolo fuerint requiſiti, qua ratione Baptiſmo tantùm Ioannis ſe fuiſſe baptizatos profiterentur, cùm ſint obſcura, hìc erunt clariùs explicanda: tum videndum, an quod circa hæc in ſuo pernicioſo Commẽtario Caluinus cõtendit, Baptiſmum S. Ioannis idem fuiſſe Sacramentum cum Baptiſmo Chriſti, ſit concedendum: quod Hæreticus Interpres ideò diſputat, non vt extollat Baptiſmum S. Ioannis; ſed vt deprimat Chriſti Sacramentum, & omnem eius in producenda gratia neget, ſiue obſcuret efficacitatem.

Fuiſſe diſcipulos illos numero duodecim,

decim, quos inuenit Paulus modò Epheſum reuerſus, teſtatur S. Lucas inferiùs: at cuius eſſent diſcipuli, non explicat. Aliqui tamẽ recentiores Interpretes coniiciunt [e], eos ab Apollo fuiſſe conuerſos, quin etiã ab eodem fuiſſe Ioannis Baptiſmate baptizatos. At verò S. Ioannes Chryſoſtomus [d]: *Forſan, inquit, peregrè abierãt Ieroſolymã, & tunc in Ioannis Baptiſmo baptizati ſunt.* Quod etiam nos ſuprà de Apollo dicebamus: erat enim fama ſanctitatis S. Ioãnis Baptiſtæ celebris, nõ ſolùm per totã Iudæam; ſed etiam per alias circum regiones: & qui ad inuiſendũ templum Ieroſolymitanũ veniebant, ferè nõ reuertebãtur, quin Ioannẽ in deſerto vicino prædicãtem Baptiſmũ pœnitentiæ vellent audire, non Iudæi tantùm, & proſelyti; ſed etiam Gentiles, & plurimi eius Baptiſmũ ſuſcipiebant. Quare fuerintne hi duodecim viri Iudæi genere, an Gentiles, nõ cõſtat: niſi quòd quicunque ipſi fuerint, probabiliùs exiſtimamus, ante aliquot annos ab eodẽ Ioãne baptizatos potius, quàm hoc tempore ab Apollo. Cũ enim nũc Epheſi Apollo meliùs eſſet inſtructus, de Chriſti Baptiſmo, & eius ad ſalutem neceſſitate, hi ſimiliter, ſiue ab eo, ſiue ab Aquila, & Priſcilla doceri hoc ipsũ debuiſſent, & nõ in tanta ignoratione relinqui. Deinde Baptiſmus S. Ioannis nuſquam in Scriptura legitur, niſi ab ipſo præcurſore collatus, cùm tamen de Chriſti Baptiſmo dicatur à S. Ioãne [e]: IESVS *autem non baptizabat, ſed diſcipuli eius.* Vt per hæc intelligeremus à quocunq; Baptiſmi Sacramẽtũ ſemel à Chriſto inſtitutũ cõferretur, ex ſe ſortiri eandẽ virtutẽ: at verò Baptiſmũ S. Ioannis, niſi adiuncta eius prædicatione, & ad pœnitentiam excitatione, planè nihil à ſe operari. Atque hac fortaſſe de cauſa hi duodecim viri diſcipuli dicuntur; nec tamẽ, cuius eſſent diſcipuli, magis exprimitur: nõ enim Chriſti adhuc dici poterant, neque Ioannis Baptiſtæ, qui pridẽ mortuus ſcholã, ac diſcipulos habere deſierat: neque erant ſub Apollo diſciplina, quia etiã videntur non niſi poſt eius Epheſo diſceſſum aduenisse, idque indicare S. Lucas cùm ait [f]: *Factum eſt autẽ, cùm Apollo eſſet Corinthi,* videlicet, quaſi tranſmiſſus ad ſcholã altiorẽ, *vt Paulus veniret Epheſum, & inueniret quoſdã diſcipulos,* nẽpe, ſimilis atque Apollo fuit diſciplinę. Alioquin cur hic referre Lucas debuerit, Apollo fuiſſe Corinthi, cum hi duodecim viri in Paulum inciderunt, nõ apparet. Eos igitur ſtatim Apoſtolus interrogauit illis verbis [g]: *Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes.* Aduenerat enim ſine dubio diuinus Apoſtolus rudimenta quædã in illis fidei, & profeſſionis Chriſtianæ, ſiquidem ex doctrina S. Ioannis Chriſti præcurſoris, Meſſiam Chriſtũ Dominũ aliquo modo cognoſcebant, & eũ eſſe Agnũ Dei peccata mundi expiantẽ intellexerant, cuius ipſe eſſet prodromus, & Propheta. Quare iã eos fideles, & Baptiſmi Chriſti Sacramento regeneratos eſſe potuiſſe exiſtimabat; non autẽ Sacramentũ accepiſſe Confirmationis; quia hoc nonniſi ab Epiſcopis poteſt conferri: ſciebat autem præter ſe, ſiue Epheſi, ſiue in propinquis regionibus nullũ eo tempore Epiſcopũ inueniri. Hoc eſt igitur, de quo illos primùm interrogat, dicens: *Si Spiritũ ſanctum accepiſtis credentes*, id eſt, vt benè reddit Chryſoſtomi Interpres [h], & magis Græca verba ſignificant: *Nũ Spiritũ ſanctum accepiſtis, poſtquã credidiſtis? Sciebant enim,* inquit, *quòd nõ habebant; & vult illos fateri, vt agnoſcant, quid ipſis deſit, & petant.* Hac eadem ratione narrauit S. Lucas actum cum baptizatis; ſed nondũ cõfirmatis; Samaritis [i]: *Cũ enim audiſſẽt Apoſtoli,* quòd

c *Caiet. Hugo, Liſirẽſis, & alij in Acta.*
d *Chryſ. hom. 40. in Acta.*
e *Ioann. c. 4. v. 4.*
f *Act. c. 19 v. 1.*
g *Act. c. 19 v. 2.*
h *Chryſ. hom. 40. in Acta.*
i *Act. c. 8. v. 14.*

quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem: qui, cum veniſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritum ſanctum: nondum enim in quenquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini IESV. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Dabatur autem fidelibus eo tempore Spiritus ſanctus ſigno aliquo viſibili exteriùs apparente, ſicut factum eſt in die Pentecoſtes, & habetur ex aliis Scripturæ locis manifeſte. Quare mirum non eſt a S. Paulo interrogatos viros illos fuiſſe, an Spiritum ſanctum accepiſſent: qui ad hoc reſponderunt, ſe neque ſigna, neque rem, neque nomen ſancti Spiritus accepiſſe, dicentes: *Sed neque, ſi Spiritus ſanctus eſt, audiuimus.* Falluntur itaque, exiſtimantes hanc à S. Paulo interrogationem fuiſſe propoſitam ad eorum fidem per modum Catechiſmi explorandã. Cur enim de hoc ſtatim articulo, & non potiùs de Trinitate, de Incarnatione, vel de aliis myſteriis interrogaſſet? Falluntur etiam, qui per Spiritũ ſanctum gratiam hic intelligunt ſanctificantem in Baptiſmo, ſiue alia quacunque ratione collatã, cùm hæc per ſe cognoſci à nobis, vtrùm animæ infundatur, nequaquã poſſit. Sed adhuc illi grauius decipiuntur, qui auſi ſunt dicere, Baptiſmum S. Ioannis ſolitum eſſe conferri cum expreſſa inuocatione trium perſonarũ ſanctiſſimæ Trinitatis, ſicut certũ eſt ſemper debere conferri Baptiſma Chriſti. Hinc eſt, quòd S. Paulus hic admiratus dixit[k]: *In quo ergo baptizati eſtis? Et illi reſponderunt. In Ioannis Baptiſmate.* Ac ſi Apoſtolus eis dixiſſet: Ego vos vt Chriſtianos reputabam, ita in Chriſto iam eſſe baptizatos exiſtimabam; nempe, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: neq; enim aliter licet, iuxta Chriſti inſtitutionem accipere hoc Sacramentum. Qua igitur ratione ignorare potuiſtis tertiam in Trinitate perſonam Spiritus ſancti? Sed hoc mirum videri non debere illi reſponderunt: nam, etiamſi aliquo Baptiſmo iam pridem fuerant expiati; non erat tamẽ ille Chriſti Baptiſmus, ſed S. Ioannis, in quo Trinitatis perſonarum diuinarum, atque adeò neque ſancti Spiritus mentio habebatur. Inde ſumpſit Apoſtolus occaſionẽ exponendi magnam inter Chriſti Baptiſmũ, & S. Ioannis differentiam: & qua ratione Ioannis Baptiſmus non ſufficeret; ſed omninò oporteret Baptiſmo Chriſti ſpiritualiter renaſci. Itaque ſubdit Apoſtolus[l]: *Ioannes baptizauit Baptiſmo pœnitentiæ populũ, dicens: In eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent, hoc eſt, in* IESVM. *His auditis baptizati ſunt in nomine Domini* IESV. Hæc Lucas, ex quibus primò intelligimus, Baptiſmum S. Ioannis non fuiſſe propriè Sacramẽtum: neque enim ad antiquam legem pertinuit, neque ad nouam: nõ ad antiquam, cùm ante S. Ioannẽ non fuerit ille Baptiſmus: neque ad nouã, nam Sacramẽta nouæ legis omnia ſunt ab ipſomet Chriſto Domino inſtituta, quale non fuit hoc Baptiſma, quod proptereà ſemper S. Ioãnis eſt appellatũ, & poſt eius mortẽ omninò ceſſauit, fuitque tantummodò aliqua cæremonia ad Chriſti Baptiſmũ præparatoria; ſiue, vt loquitur S. Auguſt.[m] præcurſoria. Dicebatur autem Baptiſmus pœnitẽtiæ: quia cum illo exhortabatur Ioannes ad pœnitentiam; vt, quemadmodum ipſe aqua corpus, ita illi animam curarent abluere pœnitentia. Vnde ait in Euangelio S. Marcus[n]: *Fuit Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans Baptiſmũ pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorũ.* Idémque confirmat in ſuo Euangelio S. Lucas, addens

k *ibid. c. 19. v. 3.*

l *ibid. v. 4.*

m *S. Auguſt. l. 3. cõtra ep. Petil. c. 56.*

n *Marci c. 1. v. 4.*

o Marci c. 3. v. 7. addens verba ipſa concionis [o]: *Dice-*
bat (inquit) *ad turbas, quæ exibant, vt*
baptizarentur ab ipſo: Genimina vi-
perarum, quis oſtendit vobis fugere a
ventura ira? Facite ergo fructus dignos
pœnitentiæ.

Quamuis itaque Ioannis, & Chri-
ſti Domini Baptiſmata in aliquibus
conuenirent; in multis tamen pluri-
mùm diſcrepabant. In primis enim
conueniebant in materia: quia, ſicut
Ioannis, ita Chriſti Baptiſmus aqua
conferebatur: propterea de ſuo di-
p Ioan. c. 1. v. 26. xit S. Ioannes [p]: *Ego baptizo vos*
aqua. & de ſuo Chriſtus Dominus [q]:
q Ioan. c. 3. v. 6. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua.* Se-
cundò, conueniebant in quantùm
vterque, non ex humana inuentione,
ſed inſpiratione diuina fuerat inſtitu-
tus, Chriſti, videlicet, Baptiſmus ab
ipſo Filio Dei; Ioannis autem ab ipſo
quidem Ioanne, ſed ex commiſſione
r Ioan. c. 1. v. 33. diuinâ, ideò dicebat [r]: *Qui me miſit*
baptizare in aqua, ille mihi dixit, &c.
Tertiò, fuerat vterque à Prophetis
anteà quodammodo prænunciatus:
nam de Chriſti Baptiſmo legitur in
s Ezech. c. 36. v. 26. Ezechiele [s]: *Et effundam ſuper vos*
aquam mundam. de Baptiſmo autem
t Pſ. 28. v. 3. S. Ioannis, verba illa Pſalmi [t]: *Vox*
Domini ſuper aquas. Eccleſiæ Patres
Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus in-
tellexerunt. Sed in multis plurimùm
differunt: nam in primis Baptiſmus
Ioannis non erat Sacramentum, ſed
inductio ad Chriſti Sacramentum.
Secundò, Ioannis Baptiſmus fuit ab
eo immediatè inſtitutus, etiamſi à
Deo illi anteà inſpiratus: Chriſti
autem Sacramentum immediatè à
Chriſto. Tertiò, Ioannis tantùm erat
in aqua: Chriſti autē in aqua, & Spi-
ritu ſancto, id eſt, conferens gratiam
Spiritus ſancti, vt ipſe Ioannes pro-
x Matt. c. 3. v. 11 teſtatus eſt, dicens [x]: *Ego quidem ba-*
ptizo vos aqua in pœnitentiam: qui au-
tem poſt me venturus eſt, fortior me eſt,
cuius non ſum dignus calceamenta por-
tare; ipſe vos baptizabit in Spiritu ſan-
cto. Quaſi diceret: Ego, vt purus ho-
mo non poſſum niſi aqua corpus
abluere, & ſic docere per ſimilitudi-
nem, quomodo animam ſpiritualiter
lauare debeatis: at veniet multò me
dignior, & potentior homo Deus,
qui gratia S. Spiritus per Sacramen-
tum à ſe datum animas expiabit.
Hinc habetur quarta maximè notan-
da differentia, de qua extat Canon
Cōcilij Tridentini in hæc verba [y]: *Si* *y Trid.*
quis dixerit Baptiſmū Ioannis habuiſſe *ſeſſ. 7.*
eandem vim cum Baptiſmo Chriſti; *can. 1.*
anathema ſit. Vnde non remittebat
peccata Baptiſmus Ioannis, quod be-
nè præſtat Baptiſmus Chriſti, gra-
tiam, & Spiritum ſanctum conferen-
do. Nam, vt inquit S. Hieronymus
contra Hæreticos Luciferianos, *Si*
Ioannes non baptizauit in Spiritu, con-
ſequenter neque peccata remiſit, quia
nulli hominum contingit peccata re-
mitti ſine Spiritu ſancto. Cur autem
à Ioannis Baptiſmo non haberetur
Spiritus ſanctus, propriam reddidit
S. Gregorius Nazianzenus ratio-
nem [z]: quia Ioannes erat merus ho-
mo: Chriſtus autem Deus & homo: *z Nazian.*
ideò iſte tantùm in aqua; hic autem *orat. in*
in aqua & Spiritu S. Ideo ille Chriſto *S. Lumi-*
ſe longè inferiorem hac de re dubi- *na.*
tantibus arguebat: *Nam exiſtimante*
populo (inquit S. Lucas [a]) *& cogitanti-* *a Luca*
bus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, *cap. 3. v.*
ne fortè ipſe eſſet Chriſtus; reſpondit *15 16*
Ioannes dicens omnibus: Ego quidem
aqua baptizo vos: veniet autem fortior
me, cuius non ſum dignus ſoluere corri-
giam calceamentorum eius: ipſe vos
baptizabit in Spiritu ſancto. Non ba-
ptizaſſe autem Ioannem in Spiritu
ſancto, ſed in aqua tantùm benè ex-
perti duodecim viri Epheſij nunc S.
Paulo confirmarunt, dicentes: Se qui-
dem illius Baptiſmum per aquam

ſuſcepiſſe; ſed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, vnquam audiuiſſe. Quinta igitur inde habetur valdè notabilis circa formam differentia, licèt eadem vtriuſque Baptiſmi fuerit aquæ materia: cùm enim Chriſti Baptiſmus neceſſariò ſemper conferri debueit ſub hac forma verborum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* in Baptiſmo Ioannis nihil tale proferebatur, quidquid Hæretici Centuriatores[b], magna temeritate, nulla Scripturæ, vel Patrum auctoritate comminiſcantur, imò ſacra hîc Hiſtoria repugnante, cùm dicat[c] duodecim illos viros fuiſſe Ioannis Baptiſmate baptizatos: & tamen neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audiuiſſe. Et quidem aliqua ratio dubitandi ex eo, quòd ibi dixerit S. Paulus[d]: *Ioannes baptizauit Baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent, hoc eſt, in* IESVM. an contulerit Baptiſmum ſuum Ioannes ſub illa forma verborum: *Ego te baptizo in nomine venturi Meſſiæ*, vel Chriſti, vt aliqui ex Patribus indicarunt[e], & nonnulli Scholaſtici: ſed interim negant expreſſum in ea forma fuiſſe myſterium, & perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis. Nec plùs videtur S. Paulus ſignificare voluiſſe, quàm à Ioanne aſperſos homines aqua, ſolùm addita cohortatione, vt crederent in Chriſtum Meſſiam proximè adfuturum, ſine vlla ſatis certa forma verborum. Atque id videtur multò probabilius: alioquin Chriſtus à Ioanne ſimiliter baptizari debuiſſet in nomine venturi Meſſiæ, aut Filij Dei IESV Chriſti, quod non apparet eſſe credibile. Sextam addere poſſumus differentiam, etiam valdè notabilem: dicebatur enim Ioannis Baptiſmus pœnitentiæ, quia per illum homines humiliabantur agnoſcentes ſe eſſe peccatores, & egentes

b Centur. 1. lib 6 c. 6.

c Act. c. 19. v. 2.

d ibid. v. 4.

e S. Ambroſ. lib. 1. de Sp. S cap 3. Hieron. in cap 2. Ioël Hugo Vict. l. 2 de Sacr p 6. cap. 3.

expiatione ſpirituali, ſicut lauabantur lotione illa corporali, & ad hoc ipſum vehementi Ioannis adhortatione, addito exemplo ſuæ tam aſperæ pœnitentiæ, inducebantur: atque ita Baptiſmum interiùs conſequebantur veræ cordis pœnitentiæ: at huiuſmodi pœnitentia veluti diſpoſitio Chriſti Baptiſmum præcedere debebat. Quapropter in ſua prima concione S. Petrus ad Chriſti Baptiſmum fideles inuitans, aiebat[f]: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm.* Septimum diſcrimẽ eſt, Ioannis Baptiſmum non fuiſſe neceſſarium; Chriſti autem omninò neceſſarium, ideò dicebat Dominus Nicodemo[g]: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Octauum diſcrimen, non fuit Baptiſmus Ioannis, vt eſt Baptiſmus Chriſti, vniuerſalis: non enim ille fuit pro infantibus, nec videtur fuiſſe pro mulieribus. Denique non diu ille durauit; hic autem vſque ad mundi finem, imprimens indelebilem, & manentem etiam poſt hanc vitam in anima characterem. Poſſent & aliæ aſſignari differentiæ: ſed hæ ſufficiunt, vt iure optimo S. Paulus, quotquot Epheſi compererat, ſolo Ioãnis Baptiſmate baptizatos, ac ſi nihil accepiſſent, iuſſerit Chriſti Baptiſmate initiari. Ex quo plures Eccleſiæ Patres argumentantur, nullo modo in vnum hæc duo Baptiſmata debere confundi; & magnam ait eſſe imperitiam S. Cyrillus Alexandrinus[h], Baptiſmum Ioannis Baptiſmo Chriſti velle adæquare. *Baptizatos enim à Paulo* (inquit S. Auguſtinus[i]) *eos, qui iam Baptiſmo Ioannis baptizati fuiſſent, legimus in Actis Apoſtolorum, non ob aliud, niſi quia Ioannis Baptiſmus non fuerat Baptiſmus Chriſti.* Et alibi eadem de re diſputans contra Hæreticum

f Act. c. 2. v 38.

g Ioan. c. 3. v. 5.

h Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 26.

i S. Aug. lib. 5. de Bapt. c. 9.

k S. Aug. lib. 2. cõtra lit. Petil. c. 37.

cum Petilianum [k], ſic ait: *Ioannis Baptiſmus alius fuit, Chriſti autem alius: ſicut alius fuit ille Baptiſmus, in quo Patres noſtros dicit Apoſtolus baptizatos in nube, & in mari, quando per Moyſem rubrum mare tranſierunt.* & infra: *Quapropter* (inquit) *nolite de Ioannis Baptiſmo caliginẽ facere: illud enim manifeſtum eſt, alium fuiſſe Baptiſmum Ioannis, alium Chriſti.* Idem alibi repetit, & conſentiunt alij Patres, inter Latinos Tertullianus, Cyprianus, Hilarius, Gregorius, Ambroſius, atque Hieronymus: inter Grçcos Baſilius, Nazianzenus, Athanaſius, Ioannes Chryſoſtomus, & vterque Cyrillus. Et audet nihilominùs Caluinus [l] aſſerere, certiſſimum eſſe Baptiſmũ Chriſti, & Ioannis inter ſe nõ differre: *Quare* (inquit) *neminem conturbet, quòd alterum ab altero diſcernere veteres contendunt, quorum non tanti eſſe nobis debet calculus, vt Scripturæ certitudinem quatefaciat. Quis enim Chryſoſtomo potiùs auſcultet neganti; quàm Lucæ contrà aſſerenti? nec recipienda eſt illa Auguſtini argutia, in ſpe dimiſſa fuiſſe peccata Baptiſmo Ioãnis, Chriſti Baptiſmo reipſa dimitti.* Hæc Hæreticus Interpres, quaſi verò tota noſtra cõtrouerſia ſit, cuius maior ſit auctoritas, Scripturæ, an Patrũ; & nõ potiùs, quibus magis præſtanda ſit fides in interpretatione & ſana intelligentia Scripturarum, Hçreticiſne aliquot Nouatoribus, an vniuerſç Patrũ antiquorum ſcholæ, tum Grecorum, tum Latinorum? Quamuis ipſa per ſe Scriptura ſacra ſit adeò clara in hac parte, vt, ſicut dixit S. Auguſtinus, difficile ſit de Baptiſmo Ioannis caliginẽ facere: nam teſtes hic habemus duodecim viros Epheſios apertè Baptiſmũ Ioannis à Baptiſmo Chriſti, quẽ nondum acceperant, diſtinguẽtes, & Paulũ ipſo facto, ac mandato idẽ cõfirmantẽ, dum iubet eos, qui Ioannis tantùm Baptiſmo fatebãtur ſe baptizatos, denuò baptizari. Quam verò inſulſas ad hæc proferãt Hæretici reſponſiones, ſatis ſupérque ab his, qui contra Hæreticos diſputant, refutatas [m], hìc inſerere nihil eſt opus. Illud adhuc inquiri poſſet hoc loco, fuerintne hi duodecim viri ab ipſomet S. Paulo nunc baptizati, an eo iubente ab aliquo alio, ſic enim à S. Luca refertur [n]: *His auditis baptizati ſunt in nomine Domini* IESV. Quare, cùm id factum à S. Paulo nõ aſſeratur; & ipſe de ſe alibi ſcribat, rarò baptizare cõſueuiſſe [o]: *Non enim* (inquit) *miſit me* IESVS *baptizare, ſed euangelizare*; veroſimilius eſt, ab eo ſolùm inſtructos fuiſſe in fide; tum illo mandante, per alium baptizatos, ſiue Aquila is fuerit, ſiue alius quiſpiam, à quo potuerit etiam Apollo, vt diximus, fuiſſe anteà baptizatus.

l Calu. lib. 4. Inſt. cap. 15. §. 7.

m Bellar. lib. de Bapt. c. 22. & ſeq. Caniſ. de corrupt. verbi Dei, c. 9. Stapleton. in Antidoto, Act. c. 19. Maldon. in c. 3. Matth.

n Act. c. 19. v. 5.

o 1. Cor. c. 1. v. 17.

CAPVT IV.

Collatum à Paulo Sacramentum Confirmationis duodecim baptizatis oſtenditur contra pertinaciam Caluini: deſeruntur obſtinati Iudæi ab Apoſtolo migrante à Synagoga ad ſcholam cuiuſdam Tyranni.

QVamuis olim Baptiſmo Ioannis baptizatis, & nunc à Paulo de myſterijs euangelicæ fidei ſufficienter inſtructis facilè potuerit Chriſti Baptiſmus ab aliis adminiſtrari; Confirmationis tamen Sacramentum, niſi à Paulo non potuit: hoc enim munus Epiſcoporum eſt proprium, nec alius Epheſi Epiſcopus præter Paulum, hoc tempore inueniebatur. Quapropter cum dixiſſet Lucas, Epheſios duodecim fuiſſe

fuiſſe baptizatos, neque à quo id factum, explicare curaſſet, de Confirmatione ita ſubiecit [a]: *Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Atque ita paucis hiſce verbis omnia quatuor veluti genera cauſarum huius Sacramenti optimè perſtrinxit, quaſi contra noſtri temporis Hæreticos, qui nullum agnoſcere hîc volunt veſtigium Sacramenti, niſi Baptiſmi, & eiuſmodi, vt à Baptiſmo Ioannis minimè diſtinguatur, quem neque propriè fuiſſe Sacramentum anteà demonſtrauimus. At, quid opus hic erat Epiſcopo ad conferendum huiuſmodi Baptiſmum? Deinde manus impoſitio ad formam, vel materiam Baptiſmi nequaquam pertinet; ſed ad Sacramentum Confirmationis. Prætereà, quia ſe huic cæremoniæ manus apoſtolicæ impoſitionis ſubiiciebant, conſtat ex verbis S. Lucæ manifeſtis iam fuiſſe vtroque, tum Ioannis, tum Chriſti Baptiſmate baptizatos: igitur, vt alio Sacramento confirmarentur, cuius finis & effectus proprius eſt conferre Spiritum ſanctum dono ſuo ſanctificantem, & contra fidei tentamenta roborantē. Quem effectum hîc eſſe conſecutum, ſignis declaratum eſt ſenſibilibus: nam (inquit S. Lucas [b]) *venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Simile narratur in Actis apoſtolicis [c] tunc eueniſſe, cùm Petrus & Ioannes ad eundem finem in Samariam eſſent profecti; vt, nimirum, Samaritæ, qui iam à Philippo Diacono fuerant baptizati, ab ipſis Sacramentum acciperent Confirmationis: *Qui, cùm veniſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritum ſanctum: nondum enim in quenquam illorum venerat; ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini* IESV. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Dabatur autem communiter in illa Eccleſia primitiua Spiritus ſanctus adiūcto aliquo ſigno ſenſibili, vt cū in die Pẽtecoſtes [d] apparuerūt ſuper capita fidelium diſpertitæ linguę tanquam ignis; & nunc duodecim Epheſij donum linguarum, ac prophetiæ ſtatim prodiderunt: idémque anteà pręſtiterunt eodem Sacramento ſuſcepto plurimi Samaritæ: adeò vt hoc agnoſceret etiam Simon Magus, quod tamen nolunt agnoſcere Hæretici noſtri temporis. *Nam, cùm vidiſſet Simon*, ait S. Lucas [e], *quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc poteſtatem, vt cuicunque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum.*

Auſus eſt nihilominùs in ſuo de captiuitate Babylonica libello ſic ſcribere Lutherus: *Mirum eſt, quid illis in mentem venerit, quod Sacramentum Confirmationis fecerunt ex manuum impoſitione.* Et Melancthon [f]: *Ritus* (inquit) *Confirmationis, quem nunc retinent Epiſcopi, prorſus otioſa cæremonia eſt.* Sed omnium impudentiſſimè Caluinus [g], appellat ſacrum Chriſma, quo nos confirmamur, *oleum Diaboli mendacio pollutum, pinguedinem fœtore duntaxat anhelitus inquinatam, & verborum murmure incantatam.* & alia habet magis indigna, quæ referantur, niſi quòd ait negari non poſſe apud antiquos fuiſſe quandam cæremoniam Epiſcoporum imponentium manus pueris, qui examinati oſtendiſſent benè ſe ſcire Catechiſmum, vt ob id benedicerentur. Sed extat contra commentum hoc Tridentini Concilij canon [h]: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otioſam cæremoniam eſſe, & non potius verum & proprium*

a Act. c. 19. v. 6.
b ibid. v. 6.
c ibid. c. 8. v. 14. 15.
d ibid. c. 2. v. 3.
e ibid. c. 8. v. 18.
f Melancthon lib. de locis.
g Calu. lib. 4. Inſt. c. 19. §. 4. 8. 10. 11.
h Trid. ſeſſ. 7. can. 1. de Confirm.

proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuiſſe, quam Catecheſim quandam, qua adoleſcentiæ proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant; anathema ſit. At obiiciunt hoſtes catholicæ veritatis, Epiſcopos Eccleſiæ pontificiæ miracula non facere, qualia Apoſtoli faciebant, dum impoſitione manuum aduocabãt viſibiliter Spiritum ſanctum: *Ergo relinquenda eſt* (inquit Caluinus[i]) *frigida illa, & vacua ceremonia ſimiarum apoſtolicarum.* Reſpondit olim huic obiectioni S. Auguſtinus ſic ſcribens contra Hæreticos Donatiſtas[k]: *Neque enim temporalibus & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus per manus impoſitionem modò datur Spiritus ſanctus ſicut anteà dabatur ad commẽdationem rudis fidei, & Eccleſiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, vt ij, quibus manus ad accipiendum Spiritum ſanctum imponitur, repẽtè incipiant linguis loqui? Sed inuiſibiliter, & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus diuina charitas inſpirari, vt poſſint dicere*[l]: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Quare libro ſecundo contra epiſtolas Petiliani[m]: *Sacramentum Chriſmatis,* inquit, *in genere viſibilium ſignorũ, Sacramentum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.* Fruſtrà igitur Hæretici clamitant, iniuriam fieri Spiritui ſancto, qui datur in Baptiſmo, ſi cæremonia noſtræ Confirmationis pro Sacramento habeatur. Neque talem iniuriam Petrus, & Ioannes ad id euntes in Samariam, & modò Paulus Epheſi, timuerunt inferre Sacramento Baptiſmi, cum tot baptizatis Confirmationis Sacramentum impoſitione manus adminiſtrarent. Meritò igitur Concilium Tridentinum huhc edidit ſecundum de Confirmatione canonem[n]: *Si quis dixerit, iniurios eſſe Spiritui ſancto eos, qui ſacro Confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuunt; anathema ſit.* At nullo anathemate, nulla, vel auctoritate, vel ratione mouetur Caluinus: ſed à nobis exigit, oſtendamus ex Scripturis diuinis promiſſionem gratiæ dandæ per huiuſmodi cæremoniam: deinde, vt etiam oſtendamus, ſub tali ſigno ſenſibili, ſiue cæremonia, ſolitam cõferri gratiam: *Si mandato deficiunt,* ait Hæreticus, *ſacrilegam audaciam excuſare non poſſunt: age, mandatum producant huius miniſterij, & verbum non addam.* Et quamuis hæc omnia non teneremur oſtendere ex diuinis Scripturis: ſatis enim eſſet eccleſiaſtica traditio, continuata conſuetudo, & conſenſus Patrum: nam, vt aliquoties S. Auguſtinus admonuit: *Diſputare contra id, quod vniuerſa tenet, & obſeruat Eccleſia, inſolentiſſima inſania eſt.* tamen benè poſſumus illa tria oſtendere ex diuinis Scripturis. Neque malè quoad hoc à Caluino fuit dictum, ſi tria illa ex diuinis Scripturis proferantur, dubitari de Sacramento non poſſe. Primùm igitur habemus Chriſti repetitam ſæpiùs promiſſionem de gratia Confirmationis per miſſionem ſancti Spiritus, & illius plenitudinem Eccleſiæ diſpertiendam in Euangelio S. Ioannis, capite decimoquarto, decimoquinto, & decimoſexto. Neque eſt, quòd aliquis dicat, fuiſſe tales promiſſiones ſolùm pro Apoſtolis, qui priuilegio ſingulari Spiritum ſanctum in die Pentecoſtes erant accepturi, ſicut iterum illis Chriſtus Dominus iam in cœlum aſcenſurus repromiſit, dicens[p]: *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos. Vos autem ſedete in ciuitate, quoadvſque induamini virtute, ex alto.* Nam profectò S. Petrus ipſa die Pentecoſtes in publica concione declarauit[q], hanc promiſſionem non eſſe ad ipſos tantum coarctandam,

i Calu. c. cit. § 6. & 7.

k S. Auguſt. l. 3. contra Donatiſt.

l Rom. c. 5. v. 5.

m S. Auguſt. l. 2. cõtra ep. Petil. c. 104.

n Trid. ſeſſ. 7. canon 2. de Confir.

p Luca c. vlt. v. 49. & Act. c. 1. v. 4.

q Act. c. 2. v. 17.

r Ioël c. proferens illud Ioëlis teſtimonium [r]: 2.v.18. *Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper* s Act. c. *omnem carnem.* & infrà [s]: *Accipietis* 2.v.39. *donum Spiritus ſancti: vobis enim eſt promiſſio, & filiis veſtris, & omnibus, qui longe ſunt.* Nec dicat ad hæc Caluinus, promitti Spiritum ſanctum, ſed dandum per Baptiſmũ, ideò Confirmationem à nobis inductam in Baptiſmi contumeliam: nam ea promiſſio, vt ipſe agnoſcit, potiſſimùm ad Apoſtolos pertinebat, qui tamen, quando in die Pentecoſtes acceperũt Spiritum ſanctum, iam omnes erant baptizati: imò etiam quando tales promiſſiones à Chriſto audiebant: non igitur Sacramento Baptiſmi, ſed alia ratione repleri Spiritu ſancto debebant. Erant etiam ipſo Paulo præcipiente, viri illi duodecim baptizati, quibus tamen poſt Baptiſmum ipſe manus impoſuit, & tunc non anteà t Act. c. *venit Spiritus ſanctus ſuper eos* [t], *&* 19.v.6. *loquebantur linguis, & prophetabant.* Erant quoque baptizati à Philippo u ibid c. Diacono Samaritani illi [u], quibus 8.v.17. Petrus, & Ioannes Ieroſolyma profecti manus ſuas imponebant, & Spiritum ſanctum accipiebant, ipſo etiam Simone Mago vidente, & agnoſcente cœleſtis doni virtutem; ideò tentauit, quamuis per ſimoniam, eam poteſtatem ab Apoſtolis obtinere. Habent igitur aduerſarij tria illa, quæ poſtulabant circa hoc Sacramentum; nempe, Dei promiſſionem de gratia per illud conferenda; ſignum ſenſibile, ſub quo Spiritus ſanctus accipiebatur, & mandatum de illius vſurpatione. Neque enim iret illud in Samariam Petrus, & Ioannes ſuſcepiſſent, ad hanc baptizatis cæremoniam exhibendam, niſi diuina ordinatione ac mandato conferendam intellexiſſent. Nec Paulus ab Epheſiis idipſum ante omnia poſtulaſſet, & cùm eos nondum eſſe baptizatos inueniſſet, iuſſit baptizari, tum impoſitione manus ipſe confirmauit. Quare Sanctus Clemens I. in epiſtola quarta: *Omnibus* (inquit) *eſt feſtinandum ſine mora renaſci Deo per Baptiſmum, & demum conſignari ab Epiſcopo; id eſt, ſeptiformis Spiritus gratia confirmari. Quia alias eſſe perfectus Chriſtianus nunquam poterit, nec ſedem habere inter perfectos, ſi non neceſſitate, ſed incuria, aut voluntate remanſerit: vt à B. Petro accepimus, & cæteri ſancti Apoſtoli, præcipiente Domino, docuerunt.* Et Sanctus Vrbanus in ſua epiſtola decretali: *Omnes* (inquit) *fideles per manuum impoſitionem Epiſcoporum, Spiritum ſanctum poſt Baptiſmum accipere debent.* Sed accuſant nos aduerſarij, propterea quòd impoſitionem manus mutauerimus in chriſmatis vnctionem, de qua audet Caluinus aſſerere, nullum ex veteribus Patribus inueniri, qui fecerit mentionem. Sed reſpondemus, falſum eſſe, manus impoſitionem ab hoc Sacramento vnquam eſſe reiectam: nam bis Epiſcopus imponit manum confirmandis, vt videri ſemper poteſt in praxi, & habetur in Romano Pontificali; ſemel, cùm ſuper eos manus extendit & orat; & iterum, cùm ſignat in fronte ſacro chriſmate vngens, ac dicens: *Conſigno te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis*, &c. non enim minùs ſuas manus imponit, qui vt frontem vngat, id facit, quàm qui ad alium finem imponit. Quamuis autem nonnulli Theologi dubitauerint abſque errore in fide, an interdum Apoſtoli ſine chriſmate, per ſolam manus impoſitionem contulerint hoc Sacramentum ex aliquo diuino priuilegio, ſicut ipſi ſine impoſitione manus in die Pentecoſtes effectum Confirmationis obtinuerũt;

imò

multò tamen probabilius eſt, vt probat Bellarminus [x], ſemper illos imponendo manum coñfirmandis, chriſma & Crucis ſignaculum in fronte adhibuiſſe. Nec refert, à Sancto Luca ſolam manus impoſitionem expreſsè nominatam: nam ibidem etiam dixit, viros illos duodecim Epheſi baptizatos in Chriſti nomine fuiſſe; cùm tamen etiam alias ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas fuiſſe expreſſas minimè dubitemus. Quare S. Dionyſius [y], qui floruit ipſo tempore Apoſtolorum: *Eſt*, inquit, *quædam perfectiua operatio, quam duces noſtri* (hoc eſt, Apoſtoli) *chriſmatis hoſtiam nominant*. Et ibidem vocat vnguentum, quod eſt materia huius Sacramenti, Deificum, & ſacroſanctam perfectionem diuinæ regenerationis, vt S. Baſilius in libro de Spiritu ſancto [z], ponit inter traditiones non ſcriptas, hoc eſt, non expreſſas diuinis Scripturis, chriſma pro Sacramento Confirmationis, de quo longum eſſet omnia aliorum Patrum & Conciliorum hìc afferre teſtimonia, quæ congeſta apud recentiores legi poſſunt [a]. Solùm aduerto, varia nomina huius Sacramēti, tam apud antiquos, quàm apud recentiores inueniri: nam interdum appellatur manus impoſitio, à cæremonia ſæpiùs in Scripturis expreſſa; interdū chriſma, propter materiam; aliquādo frontis conſignatio, à forma impoſitionis manus; ab effectu autem dicitur Confirmatio, ſiue donatio, aut acceptio Spiritus ſancti.

Hoc epiſcopale miniſterium vbi Paulus expléuiſſet, aliud aggreditur euangelicæ prædicationis, de quo S. Lucas ita ſcribit [b]: *Introgreſſus autem Paulus Synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menſes, diſputans, & ſuadens de regno Dei.* Sæpiùs obſtinatos Iudæos deſerturus videbatur: vix tamen induci potuit, vt ſuos deſereret

x Bellar. de Sacr. Confirm. c. 9.
y Dion. cap. 4. de eccleſ. Hierarc.
z S. Baſ. lib. de Spiritu ſancto, c. 27.
a Bellar. lib. de Confirm. Baron. an. 55. Suarez de Sacr. diſp. 32. & ſeq.
b Act. c. 19. v. 8.

deſertores aliquando, vbique captans primas occaſiones eos ad Euangeliū adducendi, memor illius Chriſti præceptionis, cùm ſuos diſcipulos mitteret ad prædicandum [c]: *Potius ite ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.* Vnde materiam quoque prædicationis ibi à Domino præſcriptam, dicente: *Euntes autem prædicate, quia appropinquauit regnum cælorum*. hìc modò Apoſtolus tractandam ſuſcepit. *Quis autem* (inquit Chryſoſtomus [d]) *Paulum concionantem de regno cælorum non libenter audiſſet?* Quare ait S. Lucas: *Introgreſſus Synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menſes, diſputans, & ſuadens de regno Dei.* Non enim illi agendum iam fuerat cum Iudæis de terrena migratione ab Ægypto, de tranſitu maris rubri ad Palæſthinam, & Iudææ regiones: ſed de fuga peccati, liberatione à Dæmonis ſeruitute, tranſitu per aquas ſacri Baptiſmi ad nouam Eccleſiam à Chriſto fundatam, eius ſanguine reparatam, ſiue militantem in terris, ſiue in cœlis eo duce triumphantem. Sed, etiamſi multi intererant Iudæorū attentè audiêtes, quos credere par eſt, illos extitiſſe, qui ante annum, cùm primùm Paulus Epheſum aduenifſet, & in eadem Synagoga concionatus fuiſſet [e], eum rogauerunt, vt ampliori tempore ibi maneret: tamen alij terrenis, & tēporalibus Dei promiſſionibus obſtinato animo addicti, ſpiritualia, quę per hæc veluti materialia ſymbola ſignificata Paulus prædicabat, capere non poterant: ſed videbantur illis veluti ſomnia hominis delirantis. Vnde inquit S. Lucas [f]: *Cùm quidam indurarentur, & non crederent, maledicētes viam Domini coram multitudine, diſcedens Paulus ab eis ſegregauit diſcipulos à multitudine, quotidie diſputans in ſchola Tyranni cuiuſdam.* Malum quidem erat, & valdè

c Matt. c. 10. v. 6. & 7.
d homil. 40. in Acta. Act. c. 19. v. 8.
e Act. c. 18. v. 20.
f ibid. c. 19. v. 10.

perniciosum, fidem Paulo non præſtare talia diſſerenti: at maledicta, & blaſphemias addidiſſe hoc Apoſtolus cenſuit non ferendum; eóque magis, quòd publicè, & coram populi multitudine res agebatur. Quapropter non ipſe tantùm inde ſeceſſit; ſed ſuos etiam diſcipulos, id eſt, eos, qui vel Chriſti fidem iam ſuſcepiſſent, vel ſuſcepturi propediem videbātur, inde auocauit, ne ſcandalum à tam perfidis paterentur: & ſicut anteà, cùm in Synagoga Iudæorum Corinthi diſputaret g, contradicentibus Iudæis & blaſphemantibus, inde ſe ſubduxit, & in domum cuiuſdam nomine Titi Iuſti commigrauit, vbi diu, & magno cum fructu concionatus eſt; ita nunc Synagogam cum ſchola Tyranni cuiuſdam pro bono plurimorum commutauit.

g *ibid. c. 18. v. 6. & 7.*

Sed, quis fuerit ille Tyrannus, non parum controuertitur: placet enim multis, Tyrannū hìc ſignificare Principem virum, veluti Regulum, aut Dynaſtam, qui ſiue iam fidelis, ſiue propenſus ad fidem, vltrò Paulum in ſuas aliquas ædes inuitauerit, vel petenti non negauerit, aut etiam locatione vtendas accommodauerit. Et facit pro hac ſententia, quod ex Pherecyde quodam antiquo auctore ſcribit Strabo h, Androclum quendam Codri Regis Athenienſium filium, ciuitatem Epheſum condidiſſe, quæ olim Ionum Regia fuerit, & adhuc, qui ex tali ſunt genere Reges nominari, & honoris quaſdam prærogatiuas obtinere, vt præſidentiā in ſpectaculis, in certaminibus, & in ſacris Cereris Eleuſinæ, tū purpuram regij generis inſigne, & pro ſceptro elegantem ſcipionem. Fortaſſis igitur huius erat generis vir iſte Tyrannus, proptereà nominatus, quaſi Regulus, vt ille, de quo dicitur in Euangelio i: *Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.* *Tyrannus enim à Rege diſtat* (ait Seneca k) *non tam nomine, quàm factis.* Vnde, quamuis in malam partem Tyranni appellatio ſæpè accipiatur; nonnunquam tamen in bonam etiam apud bonos Auctores accipitur. Hinc illud Virgilianum l:

h *Strabo lib. 14. in princ.*

i *Ioann. cap 4. v. 46.*

k *Seneca l. 1. de clem. c. 12.*

l *Virg. lib. 7. Æneid.*

Pars mihi pacis erit, dextram tetigiſſe Tyranni.

Imò etiam in ſacris Literis id legimus, vt apud Danielem m, vbi fertur mandatum Præfecto Eunuchorū, vt introduceret de filiis Iſraël, & de ſemine regio ac Tyrannorum pueros, in quibus nulla eſſet macula. Et in libro Eſther dicitur n: *Primus de regiis Principibus, ac Tyrannis teneat equum eius.* Addit Eraſmus aliam coniecturam ex eo, quòd non dixerit S. Lucas abſolutè Tyrannum, quaſi eſſet proprium viri nomen, ſed Τυράννου τινὸς, id eſt, Tyranni cuiuſdam, per hoc ſignificans, vocabulum eſſe cuiuſdam dignitatis appellatiuum. Sed hæc Eraſmi obſeruatio magis probabilem reddit oppoſitam opinionem exiſtimantium, id eſſe proprium viri nomen: nam paſſim in hac ſacra Lucæ Hiſtoria, nomina propria, præſertim hominum ignotorum, cum illo adiuncto, *quidam*, inueniuntur. Sic infrà in hoc ipſo capite o, dicitur: *Demetrius quidam.* & capite vigeſimoprimo p: *Mnaſon quidam.* & capite vigeſimoſecundo q: *Ananias aut m quidam.* Sicut etiā in Marci Euangelio r: *Angariauerunt Simonem quendam Cyrenæum.* Et in S. Ioanne s: *Erat quidam languens Lazarus à Bethania.* Quare ſic vertit Syrus Interpres: *Erat Paulus per tres menſes diſputans in ſchola cuiuſdam, nomine Tyrannus.* Et hoc nobis videtur eſſe veroſimilius: neque enim inauditum eſt appellari quempiā nomine proprio Tyrannū, vel Tyrannionem, de quo meminit Strabo

m *Dan. c. 1. v. 3.*

n *Eſther c. 6 v. 9.*

o *Act. c. 19 v. 24.*

p *ibid. c. 21. v. 16.*

q *ibid. c. 22. v. 12.*

r *Marci cap. 15. v. 21.*

s *Ioann. c. 11. v. 1.*

t Strabo lib. 13. Strabo [t] fuiſſe celebrem Grammaticum. Imò ſunt, qui ſuſpicentur [u], u Baron. an 55. hunc à Luca Tyrannum nominatum fuiſſe Sophiſtam illum, cui nomen x Suid. Tyrannus, qui à Suida [x] refertur edidiſſe decem libros de ſtatu & diuiſione orationis. Quòd ſi res ita ſe habuiſſet, facilè intelligeremus, qualis eſſe ſchola Pauli nunc potuerit: cùm enim Epheſi, vt ex Chryſoſtomo ſuprà narrauimus, florerent omnis generis diſciplinæ, ſiue hic Ludimagiſter à Paulo ad fidem iam inductus ex toto illi ceſſerit, ſiue ex parte, vt in ipſius ſchola altiorem doctrinam ſuam profiteretur, Deo benè omnia diſponente, habuit, vbi commodè poſſet certa hora quotidie per biennium, quaſi in Eccleſia Euangelium explicare. Si verò, quod alij volunt, per Tyrannum, Regulum aliquem intelligeremus, præterquàm quòd inuſitata in nouo Teſtamento in bonam partem hæc appellatio, non apparet, quid per eius ſcholam ſacer Hiſtoricus voluerit indicare, cùm ait, diſputaſſe per biennium in ſchola cuiuſdam Tyranni. Nam, quod aliqui dicunt, fortaſſe domum fuiſſe, vbi filij huius Principis inſtituebantur, quis credat, illam fuiſſe ſcholam tam amplam, vt Paulus ibi tanquam in Eccleſia magnæ multitudini Gentilium, & Iudæorum duobus annis concionaretur? *Ita vt omnes* (inquit y Act. c. 19. v. 10. S. Lucas [y]) *qui habitabant in Aſia, audirent verbum Domini, Iudæi, atque Gentiles.* Alij per ſcholam Tyranni putant ſignificatum eſſe locum, porticum, aut receſſum aliquem ſuburbanum ad Principis otium ac voluptatem, quod non magis eſt credibile. Qua enim ratione homini peregrino id conceſſiſſet, ad quem quotidie frequentiſſimi conuenirent ex Aſia vniuerſi pro doctrina adeò noua, & inaudita, niſi fortè Dominus hic Tyrannus iugo Chriſti ceruices ante alios ſubmiſiſſet, de quo profectò Lucas aliquid aliud exponere, ſicut de Proconſule Cypri, de Cornelio Centurione, & de Proconſule Achaïæ non omiſiſſet.

CAPVT V.

Sana patitur Apoſtolus à Iudæis: edit inſignia miracula: eius ſudaria, & ſemicinctia curant infirmos; Dæmonia expellunt: vnde cultus ſacrarum Reliquiarum contra Caluinum, & Nouatores defenditur.

Hoc eodem anno Domini quinquageſimoquinto, & Claudij Imperatoris decimotertio, qui Paulo Epheſi fuit primus, qualianam à Iudæis pro Chriſti Euangelio Apoſtolus ſuſtinuerit, paucis verbis Lucas complexus eſt, narrans tantùm obſtinationem Iudæorum maledicentium viam Domini coram multitudine. Hinc Paulus eſt compulſus recedere à Synagoga, & migrare ad Tyranni domum, quæ illi duobus annis ſequentibus fuit pro ſchola: ſicut accidit eidem Corinthi primùm, cùm eiectus à Synagoga contradictionibus, & blaſphemiis Iudæorum [a]: *Migrans inde* (inquit S. Lucas) *intrauit in* a Act. c. 18. v. 7. *domum cuiuſdam nomine Titi Iuſti colentis Deum*, vbi diu Euangelium magno cum fructu prædicauit. Talis videtur hic alter hoſpes Apoſtoli extitiſſe, nomine quidem Tyrannus, ſed moribus pius, ac iuſtus: vt proptereà multò diutiùs apud ipſum Paulus manſerit, publicè docens magna diſcipulorum vndique ad eam ſcholam confluentium multitudine ac frequentia [illegible] omnis [illegible]

grauibus illatis, potiſſimùm à Iudæis tribulationibus ac moleſtiis. Hæc Epheſi, quæ Aſiæ minoris erat metropolis à ſe tolerata ſignificare videtur Paulus voluiſſe in ſecunda epiſtola ad Corinthios ita ſcribens [b]: *Non enim volumus ignorare vos, Fratres, de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia: quoniam ſupra modum grauati ſumus ſupra virtutem, ita vt tæderet etiam nos viuere. Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos: qui de tantis periculis nos eripuit.* Quæ, licèt ab aliquibus in tertium annum, quo Epheſi Paulus manſit, referantur; tamen in hunc primum incidiſſe multò veriſimilius eſt, cùm in prima, quam ad eoſdem Corinthios ſcripſit, Epiſtola, de eadem perſecutione fecerit mentionem, & eam Epiſtolam anno ſecundo, quo Epheſi morabatur, ab ipſo datam poſteà oſtenſuri ſimus. Si igitur ſecundo anno, quo Epheſi manſit, talia ſe paſſum eſſe ſignificabat, potiùs primo anno, vel ſecundo ineunte, quàm tertio, hæc illi contingere debuerunt. De his autem ibi ſic ſcripſit [c]: *Quotidie morior per veſtram gloriam, Fratres, quam habeo in Chriſto* IESV *Domino noſtro. Si ſecundùm hominem ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt?* Ac ſi dixiſſet: Si ſpe beatæ reſurrectionis, & illius gloriæ, quam etiam vobis ſpero, non ſuſtentarer; cur vitam meam hìc Epheſi tot periculis expoſuiſſem? nam, vt de rebus meis loquar humano more, quotidie noua mihi certamina potiùs cum feris beſtiis, quàm cum hominibus proponuntur. Vnde aliquorum fuit opinio [d], & placet nonnullis recentioribus, Paulum reipſa Epheſi ad beſtias fuiſſe damnatum: ſed diuino miraculo ab eorum inſultibus liberatum, cùius ſententiæ putatur fuiſſe S. Chryſoſtomus; qui tamen, vt infrà oſtendemus, contrarium ſentit. Rem geſtam ex quibuſdam Pauli Actis, quorum meminit Origenes [e], narrat Nicephorus in ſua hiſtoria his verbis [f]: *Verùm enimuerò, qui profectiones Pauli deſcripſerunt, eum quamplurima alia & feciſſe, & paſſum eſſe, tum hoc quoque cùm Epheſi eſſet, de eo memoriæ mandariit. Cùm ibi principem locum Hieronymus obtineret, multa cum libertate Paulus eſt concionatus. Quare Hieronymus benè illum & diſertè dicere; ſed orationem eius non eſſe eorum temporum teſtatus eſt. Plebs quidem certè per inſolentiam, Paulo compedibus iniectis, carceri eum includit, vt leonibus vorandus obiiceretur. Vbi tum Eubula, & Artemilla, clarorum Epheſi virorum coniuges, fidem edoctæ à Paulo, (noctu enim ad eum veniebant,) diuini lauacri gratiam ab eo petunt. Itaque virtute diuina, atque angelici ſatellitij miniſterio, caliginem noctis exuberantia ſplendoris illuſtrante, Paulus ferreis compedibus liberatus, illas diuino Baptiſmo ad littus maris initiat: & cùm id nemo omnium, quibus cuſtodia cura demandata fuerat, ſenſiſſet, ad vincula rurſum ſua, in quibus eſca leonibus aſſeruabatur, redit. Sed enim ingenti magnitudine leo contra ipſum immiſſus, in arenam quidem ille procurrit; ſed ad Pauli pedes conſedit. Et cùm itidem aliæ immanes feræ immitterentur, ne tangere quidem vlla ſacrum corpus ad orationem erectum atque compoſitum ſuſtinuit. His ita actis, de repentè fragore multo vehemens quædam ſupra naturæ ordinem grando decidens, multorum ſimul & virorum, & ferorum animalium comminuit capita: ipſiuſque Hieronymi* *aurem*

b 1. Cor. c. 1. v. 8. 9.
c 1. Cor. c. 15. v. 31.
d Comment. Ambroſ adſcripta 1. Cor cap. 15 ... ibid. Cornel. à Lapide ibid.
e Orig. lib. Periarchon. 1. c. 2.
f Niceph. lib. 2. c. 25.

autem amputat: qui deinde cum ſuis per Paulum Deo conciliatus ſalutiferum ſuſcepit lauacrum. Leo autem ille profugus in montes proximos euadit: & Paulus inde in Macedoniam, & Græciam tranſmiſit. Addit Nicephorus, mirum non eſſe hanc Pauli pugnam cum belluis, à Luca prætermiſſam: *nam* (inquit) *etiamſi ex Euangeliſtis ſolus Ioannes Lazari ſuſcitationem commemorat, minùs tamen de fide, veritatéque ambigendum.* At longè diuerſa ratio eſt, cùm hæc narratio à nullo Euangeliſtarum, vel canonico Auctore habeatur; ſed tantùm ab apocrypho, & ſuſpectæ fidei, vt alibi fatetur etiam ipſe Nicephorus [g]. Deinde, vt omittam eam magis videri fabulam ex contextu narrationis, quàm Hiſtoriam, cùm dicat, Paulum ſtatim poſt hanc pugnam cum beſtiis Epheſo diſceſſiſſe, oporteret Epiſtolam priorem ad Corinthios datam, vt poſteà videbimus, anno ſecundo, quo Epheſi manſit Apoſtolus, eſſe ſcriptam ante hanc pugnam: quomodo igitur in illa diceret, ſe Epheſi pugnaſſe ad beſtias? Siquidem nondum pugnauerat, dũ ea deſcriberet. Contrà verò cùm ſecundã ad Corinthios Epiſtolam dederit, poſteaquàm Epheſo diſceſſerat, & in illa [h] valdè longã ſuorũ certaminum habeat catalogũ, multa ibi enumerãs his minora, quæ pro Euangelio ſuſtinuerat, cur, quæſo, rem adeò præclaram, & quæ omniũ præcipua videretur, cõmemorare prætermiſiſſet? Præterea obſeruandũ eſt, nõ dixiſſe Apoſtolũ ſe damnatum ad beſtias, ſed pugnaſſe cum beſtiis, vno verbo, ἐθηριομάχησα. quod valdè diuerſum eſt: nã pugnaturi cum beſtiis, vt gladiatores, armati procedebant in theatrũ: quod nemo ſibi poterit de Apoſtolo perſuadere. Quòd ſi dicatur, non quidem Paulum cum beſtiis pugnaſſe: tamen oppugnatum ab illis fuiſſe, quibus dilaniandus ac vorãdus proiiciebatur, vt ſæpè cum Martyribus factum ſcimus ad beſtias condemnatis, id verbum, ἐθηριομάχησα, non ſignificat, quod actiuè ſumitur, id eſt, pugnaui, non autem paſſiuè, nempe, oppugnatus ſum. Deinde conſtat ex iure Cæſareo in lege tertia, ff. *ad legem Corneliam*, de ſicariis, id genus ſupplicij vilioribus tantùm hominibus ſolitum irrogari: cùm ergo Paulus ciuis eſſet Romanus, & eo iure aliàs minora verberũ ſupplicia deuitaſſet, eximi ab hoc potiori iure debuiſſet, quod ius ipſe tueri nõ neglexiſſet, cũ ad Romanos ſcribit [i], & ad Corinthios [k], idémque teſtatur hic S. Lucas in Actis apoſtolicis [l], propoſitũ ei fuiſſe omninò Ieroſolymã Corintho proficiſci, tũ inde Romã. Quare veriùs putamus, per beſtias, cum quibus hic Apoſtolus indicat ſe pugnaſſe, homines ferinis ac belluinis moribus præditos ſignificare voluiſſe. *Quid eſt* (inquit S. Ioãnes Chryſoſt. [m]) *quod ait Paulus, ſecundùm hominẽ, cum beſtiis pugnaui Epheſi? quãtùm feritatis in homines cadit, depugnaui cum beſtiis.* Clariùs S. Anſelmus [n]: *Cũ beſtiis, ait, id eſt, cõtra Demetriũ, & cæteros beſtiales, qui cum eo mouebant aduerſum me ſeditionem populi propter idolum Dianæ, cuius culturam deſtruebam.* Idẽ volunt Theodoretus, & Theophylactus [o], & ante hos Tertullianus [p]: *Depugnaui, inquit, ad beſtias Epheſi, illas ſcilicet, beſtias Aſiaticæ preſſuræ, de qua in ſecunda ad eoſdem Corinthios ait* [q]: *Nolumus enim vos ignorare, Fratres, de preſſura noſtra apud Aſiam.* Neque verò nouum eſt, aut minùs vſitatum, huiuſmodi barbaros & crudeles homines belluarum nomine in Scripturis deſignari: ſic enim in Pſalmo dicitur [r]: *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi.* Et alibi [s]: *Congregatio taurorum*

g Niceph. lib. 3. c. 46.

h 2. Cor. c. 11. v. 23.

i Rom. c. 15. v. 23.

k 1 Cor. c. 16. v. 4.

l Act. c. 19. v. 21

m Chryſoſt. hom. 40. in 1. Cor. cap. 15.

n Anſel. in c. 15. 1. Cor.

o Theod. & Theophyl. in cap 15. 1. Cor.

p Tertul. lib de reſurr. carnis, c. 48.

q 2 Cor. c. 1 v. 8.

r Pſ. 73. v. 19

s Pſ. 67. v. 31.

taurorum in vaccis populorum. Quin ipſe Apoſtolus in ſecunda Epiſtola ad Timotheum [t], Neronem ſignificans: *Liberatus ſum* (inquit) *de ore leonis.* Et Christus Dominus Herodem notans [u]: *Dicite* (ait) *vulpi illi.* Sed S. Ignatius in epiſtola ad Romanos plane, vt hic Apoſtolus, eſt locutus, explicans ſe de hominibus crudelibus id aſſerere: *Pugno* (inquit) *ad beſtias ligatus cum decem Leopardis, id eſt, militibus, qui me cuſtodiunt.* Molit interim S. Paulus locutionem ſuam illa parentheſi (*ſecundùm hominem*,) quaſi dixiſſet, humano more loquendo, & ſpectatis hominum moribus, nõ natura, quando omnẽ exuiſſe humanitatem, rationémque, & in belluas degeneraſſe videbãtur. Quãuis neque per omnia illorum interpretationi poſſumus acquieſcere, qui per huiuſmodi feros homines Demetrium Argentarium putant eſſe ſignificatum, & eos, qui cum ipſo contra Paulum extremam Epheſi perſecutionem concitarunt, tertio, videlicet, anno, quo ibi fuit prope iam diſceſſurus. Nam, quando ſuam priorem Epiſtolam ad Corinthios ſcripſit, in qua teſtatur, ſe cum beſtiis Epheſi decertaſſe, nondum illa exciterat perſecutio. Itaque potiùs ad hunc primum annum reſpexit, & ad illatas ſibi hoc tempore grauiſſimas moleſtias à Iudæis, quorum proptereà Synagogam deſerere, & procaces inſultus declinare, migrando ad alias ędes compulſus fuit, & aliam ibi ſcholam aperire, auocatis auditoribus ac diſcipulis, & eò ſecum in multo maiori numero adductis.

[t] 2. *Tim.* c. 4. v. 17.
[u] *Luca* c. 13. v. 32.

Quantò igitur iniquiùs tractabatur ab hoſtibus veritatis, & Chriſtianæ pietatis, tantò à Deo magis omnibus conſpicuus reddebatur. Nam, cùm in Iudaïca Synagoga tribus tantùm menſibus permiſſus fuiſſet concionari, & non niſi ſemel in hebdomada per diem Sabbati, poſteà duobus annis ſingulis diebus in ſchola hominis gentilis, frequenti populo, & magna commendatione audiebatur: *Ita vt* (inquit S. Lucas [b]) *omnes, qui habitabant in Aſia, audirent verbum Domini, Iudæi, atque Gentiles: virtutéſque non quaſlibet faciebat Deus per manum Pauli*, id eſt, maximas, & inauditas, iuxta Chriſti Domini promiſſionem [x]: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Hæc pergit exponere S. Lucas, dicens: *Ita vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & Spiritus nequam egrediebantur.* Ita munificẽtiſſimus Deus Pauli labores, ſudores, atq; lacrymas honorabat, virtutẽ miraculorũ impertiens illius ſudariis, & ſemicinctiis, quibus inter laborandum, vt victum ſibi propriis manibus compararet, operi accinctus, pulueres, ſudores, & lacrymas detergebat. *Vos ſcitis*, dicebat ipſe Epheſiis aliquando [y], *à prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſeruiens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidiis Iudæorum.* Et infrà: *Argentum* (inquit) *& aurum, aut veſtem nullius concupiui, ſicut ipſi ſcitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, miniſtrauerunt manus iſtæ.* Quare placet eorum in hac parte ſententia, qui Pauli ſemicinctia zonam interpretantur, qua circa medium corpus veſtes adſtringuntur alioqui fluentes, qualibus Iudæi tunc vtebantur, vt proinde manibus expeditè operaturi deberent accingi; ſicut ſeruis diligenter Domino ſuo miniſtraturis dicebat Chriſtus [z]: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Per ſudarium verò capitis faſciam, aut integumentum aptè

[b] *Act.* c. 19. v. 10.
[x] *Ioan.* c. 14. v. 12.
[y] *Act.* c. 20. v. 18. 33.
[z] *Luca* c. 12. v. 35.

aptè intelligemus, quo indigebant opifices ad velandum caput, cùm Iudæi detectis capitibus ſolerent incedere, & vt crines defluentes cohiberent, ne in opera manualia inclinatis ante oculos dilaberentur, iis præſertim, qui more Nazaræorū cæſariem nutriuiſſent, vt de Paulo iam anteà narrauimus, qui fortè à duobus iam annis,quando caput totondit in Cenchreis [a],comam nō depoſuerat.Quapropter facilè fieri potuit, vt ipſo Apoſtolo non aduertente, dum à labore ceſſaret manuali, & ea ſemicinctia, & ſudaria deponeret, ex deuotione ſurriperentur, tum ibidem reponerentur. Et hoc apparet eſſe veroſimilius, quàm quod alij ſentiunt, ob id plurali numero vocata ſemicinctia, quia plura, & à pluribus deferrentur propria diuerſi generis linteola,& velamina, vt contactu ſacri corporis virtutem attraherent miraculorum. Sed & hoc etiā fieri potuit:nam inde putat inductam Baronius [b] piam illam conſuetudinem, ſudaria, vel aliud velum Sanctorum corporibus admouendi, quod ſanctuarium dicebatur,ſiue brandeum: vt eſt apud S. Gregorium in quadam epiſtola ad Conſtantinā Auguſtam [c], poſtulantē ſibi tale velum mitti, quod S. Pauli corpus tetigiſſet:ſed loquitur de corpore S. Pauli ſepulti Romæ, & ſacris eius Reliquiis; non autem de contactu olim Apoſtoli nobiſcū viuentis.

a *Act. c. 18 v. 18.*

b *Baron in Notis Martyr. 25 Iun & tom. 1. Ann 55.*

c *S Gregor. l. 3. ep. 30.*

Siue autem propria eſſent ipſius S. Pauli ſudaria illa, & ſemicinctia, illo non aduertente, ſurrepta; ſiue eſſent aliorum, illaque non tenuerint corporis eius attactu conſecrata; etiam ipſi Dęmones ea reuerebantur,eorūque admirabilem virtutem,proripiēdo ſe ſtatim ab obſeſſis corporibus, agnoſcebāt. Et tamen hanc virtutem Hæretici noſtri tēporis nolunt agnoſcere, præſertim Caluinus, qui Dæmones propterea fugiſſe interpretatur, vt ſimplices illos homines in ſuperſtitione detineret:cultū enim Reliquiarum ipſe ſuperſtitionem vocat; imò & meram idololatriam [d]. Eadem ratione,ait Hæreticus,etiā Diabolum altercatum eſſe cū Michaele Archangelo de Moyſi corpore, vt eſt in Epiſtola Iudæ Apoſtoli [e], non niſi quia illud diuinitùs abſconditum voluiſſet Dæmon Iudæis manifeſtare, vt eius cultu Iudęos redderet idololatras. Mirum,cur non tantùm Dæmones; ſed etiā febres & alias ęgritudines,vt nos deciperēt,& in errore detinerēt,dicat impoſtor, ab humanis corporibus receſſiſſe:quin etiā Lucā ita ſcripſiſſe [f], vt nos in eodē errore haberet implicitos: & Matthæum [g],& Marcum [h], qui deuotionē illius mulieris cōmendant, quæ fimbriā Chriſti tangere,vt ſanaretur,quęrebat,& Chriſtū ipſum, qui eā propterea ſanauit à profluuio ſanguinis,& laudauit dicens: *Confide, filia, fides tua te ſaluam fecit*. vt, videlicet, omnes fideles à vero Dei cultu ad vanā ſuperſtitionem traducerentur. Primus auctor huius hæreſis improbantis cultū ſacrarum Reliquiarum cēſetur fuiſſe Eunomius impugnator diuinitatis Spiritus ſancti, quē ſecutus eſt Vigilātius, vt tradit S. Hieron. in libro contra Vigilantiū [i]: *Dolet*, inquit, *Martyrū Reliquias pretioſo velamine operiri, & non proiici in ſterquilinium, vt ſolus Vigilantius ebrius, & dormiens adoretur*. Addit, contra hanc hæreſim olim ſcriptū a Tertulliano librū, quē Scorpiacū appellauit, quaſi contra venenatos ſcorpiones: quamuis Gnoſtici, cōtra quos illū librū edidit Tertullianus, non ita expreſſè diſputarēt cōtra cultum ſacrarū Reliquiarū, ſicut hoc tēpore faciunt Hæretici, maximè Caluiniſtæ, qui non ſolū blaſphemiis, & cōtumeliis illas ſacras Reliquias inſectantur, ſed etiā ferro & flammis,

d *Calu. in a tract. de Reliquiis.*

e *Iudas ep. v. 9.*

f *Act. c. 19 v 12.*

g *Matt. c. 9. v. 20.*

h *Marci c. 5. v. 24.*

i *S. Hier. lib. cōtra Vigilantiū, c. 2.*

ſpectantibus, quòd reliquiſſet hominem. Quo facto nemini dubium erat, quanta fuiſſet Salomonis ſcientia, & ſapientia. Huc vſque Ioſephus, qui ſimilia quædam adiungit in libro ſeptimo belli Iudaïci [c]: ſed meritò viri eruditi [d] dubitant, an libros illos de incantationibus Salomon ſcripſerit, vel potiùs Rabbini aliqui poſteriores eos cõpoſuerint, Salomoni falsò adſcribentes: vnde Ioſephus in hoc, vt in aliis multis, ſit deceptus. Certè S. Thomas [e], ſi tales, ait, incantationes Salomon edidiſſet, non illo tẽpore ab ipſo edi potuiſſe, quo erat in gratia & ſtatu ſalutis; ſed cùm ad idola colenda, artéſque magicas declinaſſet. Quaproprer neque in illis exorciſmis vim fuiſſe Dæmones conſtringendi, niſi quatenus poſſunt Dæmones inferiores cõpelli à ſuperioribus inuocatis, & magicis incantationibus allectis. Alium prætereà modũ eiiciendi Dæmones apud Iudæos fuiſſe per inuocationẽ nominis Dei tetragrãmaton, refert S. Epiphanius [f]. Sed, ſiue hoc, ſiue illo à Ioſepho narrato, vel alio modo id aſſequerentur Iudæi, fuiſſe apud eos aliquos Exorciſtas, videtur ſignificaſſe in Euangelio Chriſtus Dominus, vbi Phariſæis obiicientibus, in Beelzebub Principe Dæmoniorum illum eiicere Dæmonia reſpondit [g]: *Si ego in Beelzebub eiicio Dæmonia, filij veſtri in quo eiiciũt? Ideò ipſi Iudices veſtri erũt.* Quod etiamſi aliqui de Apoſtolis dictum interpretentur, diuina virtute Dæmonia expellentibus; plùs tamen videtur Chriſtus Dominus ſignificare voluiſſe. Prætereà, varias habuiſſe illos Iudaïcos Exorciſtas, abiurandi ſpiritus, & exorcizãdi formas, per inuocationes nominũ diuerſorum, etiam ex Euangelio coniicimus, vbi Chriſto aliquando dixerunt Apoſtoli [h]: *Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eiicientem Dæmonia, & prohibuimus eum, quia non ſequitur nobiſcum. Et ait* IESVS: *Nolite prohibere: qui enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt.* Tales igitur erant vagi iſti à S. Luca recenſiti Exorciſtæ [i]: *Qui tẽtauerunt*, inquit, *inuocare ſuper eos, qui habebant Spiritus malos, nomen Domini* IESV, *dicentes: Adiuro vos per* IESVM, *quem Paulus prædicat.* Sed malè illis ſucceſſit: nam ait S. Lucas: *Reſpondens Spiritus nequam, dixit eis:* IESVM *noui, & Paulum ſcio: vos autem, qui eſtis? Et inſiliens in eo homo, in quo erat Dæmonium peſſimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos; ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa.* Vnde agnoſcimus, non omnes ſeptem filios Sceuæ illud abiurandi miniſterium tunc vſurpaſſe, niſi tantùm duos, cùm dicatur Dæmon contra ambos inualuiſſe. Et quamuis in aliquibus Græcis codicibus amborum nulla ſit mentio; ſed tantùm dicatur Dæmon dominatus ipſorũ: minùs tamen apparet veriſimile, omnes illos ſeptem filios Principis Sacerdotũ ſimul eodẽ tempore circa eandem perſonã energumenam Exorciſtæ munus exercere voluiſſe, omnéſque pariter nudos & vulneratos ab ea domo aufugiſſe.

Magis dubitare quis poſſet, cur Dæmoni permiſſum à Deo fuerit; neque enim ſine diuina permiſſione lædere quenquam potuiſſet; vt adeò crudeliter eos vexaret, qui nomen Chriſti & Pauli vſurpare piè, & honorificè videbantur, cùm præſertim Chriſtus Dominus, vt ex Euangelio ſuprà referebamus, Apoſtolos vetuerit, ne ſimiles Exorciſtas in ipſius nomine Dæmonia eiicientes impedirent, dicens [k]: *Nolite prohibere: qui enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt.* Sed horum Sceuæ filiorũ magis deprauata intentio videbatur; ſiue, quia erãt irriſores, vt ait Chryſoſtomus [l], à quibus diſcere alij debuerũt nomẽ diuinũ temerè non

c Ioſ. lib. 7. belli Iud. cap. 25.
d Bellar. de Script. eccleſ. in Salomone. Pererius lib. de Magia, c. 3.
e S. Th. 2. 2. q. 96. a. 1. ad 1. [margin partly illegible: "6. a. 1?. de poten. c. 2, a. 1 3."]
f S. Epiphan hæreſ. 30. contra Ebionitas.
g Matt. cap. 12. v. 27.
h Luce cap. 9. v. 49.
i Act. c. 19 v. 13. 14. 15.
k Luce cap. 9. v. 50.
l Chryſ. hom. 51. in Acta.

non aſſumendum ; ſiue,quia ex vana curioſitate , vt tentarent,an ſuccederet , & niſi ſucceſſiſſet accuſaturi : ſi autem ſortiretur effectum, nihilominus in ſua perfidia manſuri,Iudaïſmo potiùs,quàm Chriſti virtuti miraculum adſcribentes.Deus autem declarare ſic voluit,ait ibidem Chryſoſtomus , magnam quandam eſſe vim Dæmonum contra infideles. Ex quo numero cenſeri meritò Caluinus debet[m],qui planè Satanico Spiritu exagitatus,hic in ſuis Commentariis cõtra Ordinem clericalem Exorciſtarum à Chriſto in Eccleſia inſtitutum furioſè debacchatur quatuor potiſſimùm obiiciens. Primum eſt, in Eccleſia introductos Exorciſtas ex ambitioſa æmulatione Iudaïcorũ Exorciſtarum. Secundò, Papam ſuo arbitratu id munus feciſſe commune omnibus ſuis Clericis ad maiores gradus promouendis.Tertiò,titulum eſſe otioſum, & ſine vllo effectu , aut virtute prorſus inanem. Quartò, ſi quando pellantur Dæmones , vidit enim Hæreticus id negari omninò non poſſe , tunc ait fieri per colluſionem Dæmonum , non autem diuina vlla virtute miniſtris Eccleſiæ impertita. *Itaque* , inquit, *ambitio fecit , vt Chriſtiani cum Iudæis in exorciſmis certarent.* & hoc eſt primum mendacium, quod magis illuſtrans alio Cõmentario ad illa Chriſti verba [n] : *Si ego in Beelzebub eiicio Dæmonia , filij veſtri in quo eiiciunt. Non dubito* , inquit,*quin veteres Exorciſtas notet,quorum tunc vulgaris erat vſus apud Iudæos:poſteà Papiſtæ , ne ſua conditio eſſet inferior , illos æmulati ſunt in creandis Exorciſtis;atque hoc modo ſimiarum ſimiæ fuerunt.* Addit ſecundum mẽdaciũ,dicens : *Deinde, vt ſemper in deterius delabi ſolet ſuperſtitio, hoc Clericis ſuis omnibus cõmune eſſe voluit Papa, qui ad maiorem gradum promouendi erant.* Addit tertium:*nam ipſa*,inquit, *experientia planè ſe ridiculos faciunt: fateri enim coguntur,inanem,& ſine effectu ſe titulum conferre Nam,vbi facultas, qua Diabolos adiurent ?* Addit denique quartum , quod non ſolum mendacium,ſed planè blaſphemia in Spiritum ſanctum verè dici poteſt. *Exorciſmi*,inquit,*in papatu nihil aliud ſunt , quàm vmbratiles & fictitij Satanæ contra ſeipſum conflictus.* Ita Caluinus prorſus vt Iudæi Chriſto expellenti Dæmones obiiciebant,in Beelzebub Principe Dęmoniorum illum eiicere Dæmonia. Quibus ipſe reſpondit [o], nimis grauem hanc eſſe calumniam, & peccatum blaſphemię in Spiritum ſanctum,quod non remittetur,neque in hoc ſæculo, neque in futuro:nempe , ſancti Spiritus proprias operationes eius aduerſario cacodæmoni iniquiſſimè tribuere.

m Calu. in Com. ad c. 9. Act. & ad c. 12. Matth. & lib 4. Inſt. c. 19. § 24.

n Matth. c. 12. v. 27.

o Matth. c. 12. v. 31.

Sed in primis,quàm falſum ſit dicere inductũ in Eccleſia Chriſti munus Exorciſtarũ ex ambitioſa ęmulatione rituum Iudaïcorũ,aut Romani Pontificis arbitratu, diſcere Caluinus facilè ab ipſo Chriſto potuiſſet , qui ſuo nos exẽplo,doctrina & præcepto ea de re ſæpiùs inſtituit.Nã ſolo verbo , aut voluntate Dæmonem quencunque eiicere potuiſſet ; tamen ſanaturus quendam habentem Dęmonium ſurdum & mutum,vt narrat S. Marcus [p] , aliquas placuit adhibere cæremonias,quę vim exorciſmorum præferrent : *Apprehendens enim eũ de turba ſeorſim*,inquit Euangeliſta, *miſit digitos ſuos in auriculas eius, & expuẽs tetigit linguam eius,& ſuſpiciens in cœlũ ingemuit,& ait illi, Ephpheta,quod eſt,adaperire.* Docuit præterea diſcipulos ſuos , qua ratione Dæmones pertinaciùs obſeſſis corporibus inhęrentes ab ipſis debeant expelli : nam inte rogantibus , quare Dæmonium quoddam ipſi eiicere non potuiſſent,

p Marci c. 7. v. 33.

reſpondit [q]: *Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & ieiunio.* Mandauit etiam illis, cùm eos ad prædicandum mitteret [r]: *Dæmones eiicite.* dans omnibus immundorum Spirituum poteſtatem. Denique Eccleſiæ ſuę hanc eandem poteſtatem eſt pollicitus, cum in cœlum aſcenſurus dixit [s]: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo Dæmonia eiicient.* Et quamuis gratia expellendi Dæmones in Eccleſia primitiua eſſet vniuerſalior, ſicut gratia curationum, donum linguarum, & ſimilium miraculorum, quia ſic expediebat eo tempore, vt ſancti Patres ſæpè docuerunt [t], vnde etiam laïcis quandiu ſic Deo placuit, facultas illa dabatur: tamen fuiſſe peculiare miniſterium certi Ordinis clericalis, conſtat apertiſſimis antiquorum Patrum, & Conciliorum teſtimoniis Nã S. Ignatius Apoſtolorum diſcipulus in Epiſtola ad Antiochenos, inter alios Ordines eccleſiaſticos enumerat Exorciſtas. Et Cornelius Papa ſcribens ad Fabium Antiochenum [u], ait, in Eccleſia Romana inſtitutos fuiſſe Exorciſtas, & Lectores, vnà cum Oſtiariis, quinquaginta duos. Concilia ſimiliter antiquiſſima, Laodicenum [x], Carthaginenſe [y], & Antiochenum [z], de ordine, munere, ac ritibus Exorciſtarum expreſsè meminerunt. Præter Romanum poſtea ſub S Syluestro Papa [a], & alia quamplurima Concilia ſubſequentia. Fuit autem ſtatutum in prędicto Laodiceno Concilio, ne qui nõ ſunt ab Epiſcopis ordinati, tam in Eccleſiis, quàm in domibus, præſumant exorcizare. Mãdatur quoque, vt is, qui ordinatur Exorciſta, accipiat ex manu Epiſcopi librũ, in quo ſcripti habeantur exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: *Accipe, & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum, ſiue baptizatum, ſiue catechumenum.* Quod etiam hoc tempore pro collatione talium Ordinum in Eccleſia obſeruatur.

q Marci c. 9. v. 28.

r Matth. c. 10 v. 10. Marci c. 6. v. 7.

s Marci c. 16. v. 17.

t S. Greg. hom. 29. in Euãg. S Aug. lib. de vera relig c. 25. & lib. 16 de vtilit. credendi, c. 16. S Bern. ſerm. 1. de Aſcenſione.

u apud Euſeb. lib. 6 c. 33.

x Conc. Laod. c. 29.

y Carthag. 4. cap 6.

z Antiochenum cap. 10.

a Concil. Rom c. 3. & 7.

Quàm deinde falſum & calũnioſum illud ſit, quod adeò impudenter adiunxit Caluinus, otioſam eſſe apud nos Exorciſtarum poteſtatẽ, & titulum ſine effectu prorſus inanem, productis plurimis experientiis Patres ſcribentes cõtra ethnicos & infideles ſæpè conuicerunt. S. Iuſtinus in Dialogo contra Tryphonem: *Per nomen* (inquit) *iſtius ipſius Filij Dei, & primogeniti creaturæ omnis, & ex virtute geniti, perpeſſionibúſque obnoxij hominis facti, & ſub Pontio Pilato crucifixi, & mortui, qui & a mortuis reſurrexit, & in cœlum aſcendit, Dæmonij omne adiuratum vincitur, & in ditionem redigitur.* S. Cyprianus ad Demetrianum virum Gentilem Africæ Proconſulem ſic ſcribit. *O ſi audire velles, & videre, quando à nobis adiurantur, & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis ab obſeſſis corporibus eiiciuntur: quando eiulantes, & gementes, voce humana, & poteſtate diuina flagella & verbera ſentientes venturum Iudicem confitentur. Veni, & agnoſce vera eſſe, quæ dicimus: & quia ſic Deos colere te dicis, vel ipſis, quos colis, crede; aut etiamſi volueris & tibi credere de teipſo, loquetur audiente te, qui nunc tuum pectus obſedit, qui nunc mentem tuam ignorantiæ nocte cæcauit. Videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas; timeri ab eis, quos tu adoras: videbis ſub manu noſtra ſtare vinctos, & tremere captiuos, quos tu ſuſpicis & veneraris vt Dominos. Certè vel ſic confundi in iſtis erroribus tuis poteris, quando conſpexeris, & audieris Deos tuos, quid ſint, interrogatione noſtra ſtatim prodere, & præſentibus licèt vobis, præſtigias illas ſuas & fallacias non poſſe celare.* Similia habet in libro de vanitate idolorũ. Eadẽ ſępè

inculcat

inculcat Tertull.[b] *Dæmones* (inquit) *nõ tantum reſpuimus: verùm & reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut plurimis notũ eſt*. Idẽ pluribus confirmat in Apologetico aduerſùs Gentes[c]. Præclarè quoque Minutius Felix[d], agens cõtra Gentiles: *Ipſe Saturnus* (inquit) *& Serapis, & Iupiter, & quidquid Dæmonum colitis, victi dolore, quod ſunt, eloquuntur; nec vtique in turpitudinem ſui, nonnullis præſertim veſtrûm aſſiſtẽtibus mentiuntur. Ipſis teſtibus eſſe eos Dæmonas, de ſe verum confitentibus credite: adiurati enim per Deum verum & ſolum, inuiti miſeris corporibus inhorreſcunt, & vel exiliunt ſtatim, vel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aſpirat.* Habemus etiam formam, & vim noſtrorum exorciſmorum verſibus à Prudentio eleganter expreſſam in Apotheoſi contra Iudæos, vbi inter alia ſic ait:

——— Torquetur Apollo
Nomine percuſſus Chriſti, nec fulmina verbi
Ferre poteſt, agitant miſerum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei reſonant miracula Chriſti.
Intonat Antiſtes Domini: Fuge, callide ſerpens:
Exue te membris, & ſpiras ſolue latentes:
Mancipium Chriſti, fur corruptiſſime, vexas,
Deſine, Chriſtus adeſt humani corporis vltor;
Non licet, vt ſpolium rapias, cui Chriſtus inhæſit.
Has inter voces medias Cyllenius ardens
Eiulat, & notos ſuſpirat Iuppiter ignes.

Hinc eſt illud obſeruatum à Ioanne Micrologo in libro de obſeruationibus eccleſiaſticis[e], quòd exorciſmi non concluduntur, vt aliæ preces & orationes Eccleſiæ, *per Chriſtum Dominum noſtrum; ſed per eum, qui venturus eſt iudicare ſæculum per ignem.* Quia Dæmones maximè timent diem extremi Iudicij, horrentes illam Chriſti maledictionem[f]: *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius.* Quàm autem ſit frequens in Eccleſiis orbis Chriſtiani quamplurimis Dęmones expelli eccleſiaſticis exorciſmis à corporibus obſeſſorum, nemo eſt, qui neſciat: multi vident, & propè ſingulis annis, ne dicã diebus, alicubi experimur. Vt non appareat, quid ſibi voluerit Caluinus, dicens, munus exorcizandi nunc eſſe titulũ prorſus inanem, & rem planè otioſam: niſi fortè hoc intellexit de ſuis Synagogis, vel ab ipſis profanatis Eccleſiis; in quibus tamen aliqui eorum non ſunt veriti tentare, ſicut hi Iudęi, filij Sceuæ, an fortè miniſterium hoc eis ſuccederet, & infelicẽ, vt illi, exitũ, Dęmonibus in tales Exorciſtas inſiliẽtibus ſortiti ſunt. Ita referunt fide digni Auctores, quorum aliqui ſe etiã præſentes adfuiſſe teſtantur[g], cùm Lutherus Vvitembergæ puellam è Miſnia ad ſe adductam energumenã exorcizare aggreſſus eſt in Sacrario Eccleſiæ patriarchalis multis pręſentibus: ſed Dæmoni malè exorcizatus Sacrarij fores ita clauſit, vt à nullo poſſent aperiri; tum Lutherum inuaſit, & profani Exorciſtæ intrans femoralia, hominem vix iam mentis compotẽ in eas anguſtias redegit, vt deiicere ſe quæreret ex Sacrarij feneſtra, quã inueniẽs ferreis clathris munitã, expectare ſumma cũ trepidatione coactus fuit, donec inſtrumẽto fabrili ſubmotis ex parte cãcellis, euaſit miſer ex illa feneſtra: neque enim poterat aliunde. Idẽ igitur illi contigit,

b Tertul. ad Scapulam, cap. 2.
c Tertull. in apologet. c. 23.
d Minutius Felix in Octau.
e Microlog. lib. de obſeru. eccleſ. c. 7.
f Matth. c. 25 v. 41.
g Fridericus Stap. in reſponſ. contra Smedelinum. Lindanus in Dubitãtio dial. 3. c. 1. Brandeiach lib. 7. cellat. cap. 40.

quod temerariis Iudæis Sceuæ filiis, de quibus ait S. Lucas [h], inſiluiſſe in illos Dæmonium peſſimum, *Et inualuit* (inquit) *contra eos; ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Fortaſſis autem* (inquit Chryſoſtomus [i]) *Dæmon diſrupit illorum veſtes, & dedolauit illorum capita.* Notat præterea idem Auctor, quod hic eſt valdè obſeruatione dignum, minori cum irreuerentia ipſos Dæmones ſolitos ſe gerere erga Deum, res diuinas, & Sanctos, quàm ſæpe faciant perfidi Iudæi & infideles; addamus præcipuè Hæreticos. Siquidem partes Dei nunc Dæmon tuebatur contra illius aduerſarios dicens [k]: IESVM *noui, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis?* Neque interim hi viſo tanto miraculo, & experti malo ſuo iram Dei reſipiſcunt: ſed obdurantur magis, vt etiam Luthero tunc contigit. *Sed ne mireris,* (inquit Chryſoſtomus:) *malitia enim nihil eſt, quod perſuadeat.* Ex aliis tamen non paucos inde profeciſſe narrat S. Lucas his verbis [l]: *Hoc autem notum factum eſt, omnibus Iudæis, atque Gentibus, qui habitabāt Epheſi: & cecidit timor ſuper omnes illos, & magnificabatur nomen Domini* IESV. Sed & alia ex tali prodigio ſecuta ſunt, quæ ſequenti capite cō nodius exponētur.

h *Act. c. 19. v. 16.*

i *Chryſoſt. hom. 41. in Acta.*

k *Act. c. 19. v. 15.*

l *ibid. v. 17.*

CAPVT VII.

Sacramentum Confeſsionis perfidè negatum à Caluino, & aliis Nouatoribus ab Apoſtolo Paulo pœnitentibus Epheſiis adminiſtratur: ingentis pretij libri magicæ artis publicè comburuntur.

PArum fuiſſet, tum Gentiles, tum Iudæos, qui prodigio ſuperiùs expoſito interfuerunt, timore aliquo tātum cōmotos, niſi etiam fructus veræ fidei, & perfectæ pœnitētię in pluvrimis extitiſſent. Itaque ait S. Lucas [a]: *Cecidit timor ſuper omnes illos, & magnificabant nomen Domini* IESV, *multique credentium veniebant, confitentes & annunciantes actus ſuos. Multi autē ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum, inuenerunt pecuniam denariorū quinquaginta milliū.* Hæc S. Lucas. Poſſumus autē ad rei totius clariorē explicatū, quatuor hîc diſtinguere hominū claſſes: aliqui tantùm ſeruili ac ſterili timore permoti, nihil prætereà viſo tali miraculo profecerunt, inter quos primo loco filij Sceuæ Principis Sacerdotū debent numerari, de quibus aliud non habemus, niſi malè ab inſiliēte in eos Dæmone vexatos ex illa domo aufugiſſe, vbi munus exorcizādi ſacrilega temeritate aſſumpſerunt: ſicut etiā in ſimili cum malo Exorciſta Luthero contigiſſe anteà referebamus. Secundò, alij fuerunt, qui ex concepto timore in quandā facti admirationem & ſtuporem mentis venerūt, Dei eſſe opus agnoſcentes; ſed ſuſpenſo, incertóque animo viciniora ſaluti conſilia non ſuſceperunt. Tertij prudentiores, qui ex alieno ſupplicio nō ſolùm timere, & admirari diuinā virtutem; verùm etiam quam ſanctè tractari ſancta debeant, didicerunt; conſiderantes Pauli ſudaria deuotè applicata expellere Dæmones; Chriſti verò, & Pauli ſimul nomina indignè prolata nō ſolum malignos Spiritus non expellere; ſed potius aduocare, & contra ſacrilegos ac irreuerentes cōcitare, & armare. Quare fide Chriſtiana, qua iam erant imbuti, magis compungebantur, & errata, quæ poſt Baptiſmum non pridem ſuſceptum admiſerant, pœnitentiæ Sacramento expiare feſtinabant. Quarti quicquid laboris, quicquid pretij in magicę profana curioſitate collocauerant, pœnitentia

a *Act. c. 19. v. 17. 18. & 19.*

pœnitentia ducti omninò perdere, ne perderent ſeipſos ſapienti conſilio ſtatuerunt: ideo libros omnes illius execrandæ artis in vnum congerentes voluerunt igni tradi; idque publicè factum eſt, vt omnes intelligerent, agere cum Dæmonibus nimis eſſe perniciosum, artem illam, quam profeſſi anteà fuerant, ſe ſummoperè deteſtari, tales libros nequaquam diuédere, ſed exurere oportere, ne quiſquam illius peſtilentis & contagioſæ doctrinæ particeps redderetur, ac demum ne lucrum qualecunque ex re adeò turpi quæſitum eſſe videretur. Nam, quemadmodum vetabatur in lege veteri [b], ne proſtibuli merces, aut canis pretium in domo Dei offerretur: ita cauendum fuit, ne pecunia ex illis libris comparata, etiamſi multorum millium eſſe potuiſſet, ante pedes Apoſtolorum poneretur. Idem quoque factum narrat S. Auguſtinus, cùm ſuo tempore quidam Magus ad publicam pœnitentiam & ſatisfactionem eſſet adductus [c]: *Hoc vtique*, inquit, *propter gloriam Dei, ne tales etiam perditi deſperarentur ab illo, qui nouit quærere, quod perierat. Perierat ergo iſte nunc quæſitus, adductus eſt, portat ſecum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, vt illis in ignẽ miſſis, ipſe in refrigerium tranſeat.* Et id factum exemplo apoſtolico addit ibidem S. Auguſtinus, dicens: *Noſtis in Actis Apoſtolorum eſſe ſcriptum, quia multi perditi, id eſt, talium artium homines, & doctrinarum nefariarum ſectatores omnes codices ſuos ad Apoſtolos detulerũt; & incenſi ſunt libri tam multi, vt pertineret ad Scriptorem æſtimationem eorum facere, & ſummam pretij conſcribere.* Sed Magus ille, de quo S. Auguſtinus loquebatur, fuerat, vt ipſe ait, anteà baptizatus: hos verò, de quibus hîc agimus, fuiſſe baptizatos, minùs eſt veriſimile. Quomodo enim illi neophyti Chriſtiani, qui non pridem hortante Apoſtolo Chriſtiana ſacra Epheſi ſuſcepiſſent, illo præſente, & quotidie de obſeruantia, integritate, ac pe... tione euangelica concionante, in eo feruore ſpiritus Eccleſiæ primitiuæ, tam ſubitò ad artes adeò nefarias redire tanto librorum magicorum apparatu potuiſſent? Quòd ſi ethnici illi fuerunt, & nondum Sacramento Baptiſmi expiati, neque de ſacramentali confeſſione verba illa poterunt explicari [d]: *Veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos.* de quibus magna eſt controuerſia: non enim ad ſacramentalem confeſſionem veniunt, qui ad Sacramentum anteà Baptiſmi, quod porta dicitur Sacramentorum, non ſunt admiſſi. Sed obſeruare illud oportet, quod anteà dicebamus, quatuor illas hominum claſſes propterea diſtinguentes, ne tertiam & quartam, vt aliqui faciunt, confundamus. Nam illos tantummodò tertij ordinis, quos Lucas credentes appellauit, ſignificans de numero fuiſſe fidelium, intelligere debemus ad Confeſſionis Sacramentum nunc acceſſiſſe: ſic enim ipſe ait: *Multique credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos.* Atque hos fuiſſe diſtinctos ab aliis quarti ordinis magicis artibus deprauatos, ſatis illa particula aduerſatiua Lucas ſignificauit, cùm dixit [e]: *Multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus.* Et hos fatemur multò eſſe veriſimilius Chriſtianos anteà non fuiſſe, ac proinde cùm nondum eſſent baptizati pœnitentia quidem virtute, quæ diſpoſitio eſſet ad Baptiſmum, non verò Sacramento Confeſſionis inductos, vt libros magicæ artis concremarent.

Quare ceſſat præcipuum argumentum negantium de Confeſſione

[b] Deut. c. 23. v. 18.

[c] S. Aug. enarr. in Pſ. 61. ad fin.

[d] Act. c. 19. v. 18.

[e] ibid. v. 19.

ſacramentali S. Lucam verbis illis loqui potuiſſe:quo argumento non ſolum vtuntur Hæretici;ſed etiam eruditi quidã & pij Interpretes Catholicorum [f],ſed intentione prorſus Hęreticis contraria: nam illi vellent, nullum eſſe Cõfeſſionis Sacramentum: hi verò adeò firmam, & tectam habent contrariam illi hæreſi catholicã veritatem, vt quãdoquidem ſatis poteſt aliis irrefragabilibus Scripturæ ſacræ teſtimoniis, Cõciliorum ac Patrũ auctoritatibus conuinci, non cenſeant expedire, vti minùs certo ad id probãdum teſtimonio,quale hoc eſſe videtur, ne detur occaſio aduerſariis calũniandi nos, quaſi minimè firmis contra illos argumentis vteremur. Nihilominùs tamen,etiamſi alia non deſint quamplurima teſtimonia clariora,quibus veritas Sacramẽti Confeſſionis oſtenditur, vt infrà attingemus, non proptereà debemus probabilitatem huius teſtimonij diſſimulare:cùm nihil planè obſtet, quominùs de Confeſſione ſacramentali dictum intelligatur:multa verò non aliter eſſe intelligendum ſuadeant. Et in primis vox illa, qua vtitur S. Lucas dicens [g]: *Veniebant* ἐξομολογούμενοι,id eſt,*confitentes*, non dixit tantùm pœnitentes, Sacramentum omninò videtur exprimere.Nam ex vſu Græci vocabuli exomologeſis,non ſolùm in antiquis Conciliis,& apud Græcos Patres;ſed etiam apud Latinos conſtat propriè ſacramentalem Confeſſionem ea voce ſignificari. Vt videre inter alios licet ſæpiſſimè apud Tertullianum [h], Irenæum, & Cyprianum:ductum eſt enim nomen exomologeſis ab ἔξω, quod *extra* ſignificat, & ὁμολογεῖν,id eſt,*confiteri*,quaſi non tantùm interiùs in corde coram Deo; verùm etiam exteriùs homini Dei vices gerenti ſua delicta manifeſtare, vt benè Suidas [i] obſeruauit Deinde,quoniam ad-

f *Caiet. in c. 19. Act. Petrus Limrenſ. ibid. & aly apud Lorinũ, ibid. c. 19. v. 18 quos ipſe ſequitur.*

g *Act. c. 19 v. 18.*

h *Tertul. lib. de pœnit. Iren lib. 5. c. 9. & lib. 3. c. 4 Cypr. ſer. de lapſis, & ep. 11 3. 52. 62.*

i *Suidas in voce* ἐξομολογ.

dit S.Lucas huiuſmodi cõfitentes nõ quoſcunque fuiſſe; ſed credentes: at nomine credentium,tum apud ipſum Lucam,tum apud alios Euangeliſtas, & S.Paulum ſignificari ſolere fideles potiſſimùm baptizatos,eſt manifeſtũ. Ita ſtatim atque in Actis apoſtolicis primi Chriſtiani deſcribuntur, ait S. Lucas [k]: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.* Et infrà [l]: *Magis autem augebatur credẽtium in Domino multitudo virorum, atque mulierum.* Neque eſt,quòd aliquis dicat, nomine credentium poſſe etiã ſignificari Catechumenos, qui ante Baptiſmum debẽt inchoare fidem,& credere incepiſſe:nam hi, qui dicuntur modò confeſſi, non ſignificantur nunc primùm credere incepiſſe, ſed anteà crediđiſſe:non enim appellãtur πιστεύοντες,*credentes*,participio præſẽtis;ſed præteriti, πολλοὶ τῶν πεπιστευκότων,id eſt,multi ex iis, qui iam anteà erant credẽtes;ſeu,qui iã priùs crediderant, atque adeò Chriſtiani erant baptizati,& hi veniebant, & confitebãtur. Non igitur erat eorũ confeſſio, qualis audientiũ pręedicationẽ Ioannis Baptiſtæ in deſerto,de quibus S Matthæus ait [m]: *Omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanẽ exibat,& baptizabãtur ab eo, confitentes peccata ſua.* Illa enim cõfeſſio Baptiſmũ antecedebat, hæc ſequebatur:deinde,ſi ille Ioannis Baptiſmus non fuit Sacramentum,vt alibi eſt oſtenſum, multò minùs illa confeſsio potuit eſſe ſacramentalis, quæ nec dũ erat eo tẽpore à Chriſto inſtituta. Quare, licèt omnia eorum peccata S. Ioannes percepiſſet;impẽdere tamen illis abſolutionem ſacramentalem non potuiſſet. At potuit,ac debuit modò S.Paulus, propterea dicebat ad Corinthios ſcribens [n]: *Dedit nobis Deus miniſterium recõciliationis.* & infrà: *Poſuit*,inquit, *in nobis verbum reconciliationis:pro Chriſto ergo legatio-*

ne

k *Act. c. 4. v. 32.*

l *ibid. c. 5. v. 14.*

m *Matt. c. 3 v. 5.*

n *2. Cor. c. 5. n. 18. 19.*

ne fungimur. Quæ verba etiã ipſe Caluinus [o] fatetur de poteſtate clauium eſſe intelligẽda, ſed callidè poſteà detorquet ad poteſtatẽ quandã prædicãdi,& annunciandi remiſſa nobis eſſe peccata, ſicut & illa Chriſti verba [p]: *Quorum remiſeritis peccata, remittũtur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Cùm propterea non dixerit Chriſtus Dominus: quorum remiſeritis peccata, erant remiſſa; ſed, *remittuntur eis.* Et addidit: *Quorum retinueritis, retenta ſunt*: ſicut alibi dixerat Apoſtolis [q]: *Quacunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* non dixit, erant; ſed, erunt: non igitur poſſunt intelligi dicta de miniſterio tantùm annunciandi peccata iam fuiſſe remiſſa; non enim erant remiſſa ante ſacramentalem abſolutionem: ſed per illã remittuntur,& ſine illa manet peccator ſua culpa ligatus,& obligatus poteſtati clauium ſe ſubiicere, de quibus S. Petro dixerat Chriſtus [r]: *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris, erit ligatum; & quodcunque ſolueris, erit ſolutum,* &c. Quis autem non videat, officium clauium non eſſe oſtendere, apertam eſſe portam; ſed eam reipſa aperire, nec oſtẽdere clauſam, ſed claudere? Imò non poteſt intelligi, qua ratione poteſtas ſacerdotalis habeatur claudendi, ligandi,& retinendi peccata, quæ non ſunt vincula phyſica, ſed moralia, niſi quatenus peccatori negat abſolutionem. Vnde S. Auguſtinus circa illa S. Pauli verba: *Legatione fungimur pro Chriſto* [s]. ſic ait: *Nemo tibi dicat: Occultè ago, apud Deum ago: nouit Deus, qui mihi ignoſcit; quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt: Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erũt in cœlo. Ergo ſine cauſa claues datæ sũt Eccleſiæ Dei. Fruſtramus Euangeliũ Dei: fruſtramus verba Chriſti.* Tum infrà inuehitur acriùs in quoſdam aulicos, qui nolebant cõfiteri, dicens: *Reſiſtit mihi filius peſtilentiæ, & erubeſcit genu figere ſub benedictione Dei, quod non erubuit Imperator,* Theodoſium intelligit, *nec erubeſcit Senator; ſed tãtùm curialis ſuperba ceruix, mens tortuoſa,* &c. Cùm igitur non appareat veriſimile, primos illos fideles, qui Epheſi ſub S. Pauli cura & inſtitutione tunc inueniebantur Sacramento Confeſſionis interdum nõ indiguiſſe, aut illud renuiſſe, aut in vſu nondum fuiſſe, cur, quæſo, dictos à S. Luca confitentes non ſacramẽtaliter eſſe confeſſos intelligimus? Accedit etiam illa maior Lucæ explicatio, dicentis: *Veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos.* Græcè, ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν. quaſi diceret, enarrantes diſtinctè, quæ cõmiſerant: vnde Syriaca interpretatio vertit: *Enumerantes offenſas ſuas.* Hinc exploditur planè ridicula Lutheri interpretatio ab aliquibus etiam Lutheranis improbata, ab aliis admiſſa, dum in Germanica verſione legunt: *Veniebant confitentes, & enarrantes miracula ſua.* Niſi fortè miracula fuiſsẽt, quale illud fuit narratum à nobis ſuperiùs ipſius Lutheri temerè aggreſsi miniſterium Exorciſtæ, ex quo à Deo per Dæmonem, admirãtibus omnibus, qui aderant, eſt punitus: ſicut etiam ob eandẽ temeritatem idem Sceuæ filij experti ſunt, de quibus rectè ait Venerabilis Beda [t]: *Quia non credendo, ſed tentando, Chriſti & Apoſtolorum nomen inuocant, non à Deo tantùm, verùm ab ipſis Dæmonibus ſubdola falſitatis merito condemnantur. Qui benè filij Sceuæ dicuntur, qui interpretatur vulpecula clamãs. Hoc enim animal doli & aſtutiæ ſagaciſſimum Iudæos, Gentiles, & Hæreticos Eccleſiæ Dei ſemper inſidiantes, & quaſi garrula voce obſtrepentes oſtendit.* Hæc Beda. Et eſt prorſus

[o] Calu. lib. 4. Inſtit. c. 1. §. 22.
[p] Ioan. c. 20. v. 23.
[q] Matt. c. 18. v. 18.
[r] Matth. c. 16. v. 19.
[s] S. Aug. lib. 50. homil. hom. 49.
[t] Beda in c. 19. Act.

grauibus illatis, potiſſimùm à Iudæis tribulationibus ac moleſtiis. Hæc Epheſi, quæ Aſiæ minoris erat metropolis à ſe tolerata ſignificare videtur Paulus voluiſſe in ſecunda epiſtola ad Corinthios ita ſcribens [b]: *Non enim volumus ignorare vos, Fratres, de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia: quoniam ſupra modum grauati ſumus ſupra virtutem, ita vt tæderet etiam nos viuere. Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis; ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos: qui de tantis periculis nos eripuit.* Quæ, licèt ab aliquibus in tertium annum, quo Epheſi Paulus manſit, referantur; tamen in hunc primum incidiſſe multò veriſimilius eſt, cùm in prima, quam ad eoſdem Corinthios ſcripſit, Epiſtola, de eadem perſecutione fecerit mentionem, & eam Epiſtolam anno ſecundo, quo Epheſi morabatur, ab ipſo datam poſteà oſtenſuri ſimus. Si igitur ſecundo anno, quo Epheſi manſit, talia ſe paſſum eſſe ſignificabat, potiùs primo anno, vel ſecundo ineunte, quàm tertio, hæc illi contingere debuerunt. De his autem ibi ſic ſcripſit [c]: *Quotidie morior per veſtram gloriam, Fratres, quam habeo in Chriſto* IESV *Domino noſtro. Si ſecundùm hominem ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt?* Ac ſi dixiſſet: Si ſpe beatæ reſurrectionis, & illius gloriæ, quam etiam vobis ſpero, non ſuſtentarer; cur vitam meam hic Epheſi tot periculis expoſuiſſem? nam, vt de rebus meis loquar humano more, quotidie noua mihi certamina potiùs cum feris beſtiis, quàm cum hominibus proponuntur. Vnde aliquorum fuit opinio [d], & placet nonnullis recentioribus, Paulum reipſa Epheſi ad beſtias fuiſſe damnatum: ſed diuino miraculo ab eorum inſultibus liberatum, cùius ſententiæ putatur fuiſſe S. Chryſoſtomus; qui tamen, vt infrà oſtendemus, contrarium ſentit. Rem geſtam ex quibuſdam Pauli Actis, quorum meminit Origenes [e], narrat Nicephorus in ſua hiſtoria his verbis [f]: *Verùm enimuerò, qui profectiones Pauli deſcripſerunt, eum quamplurima alia & feciſſe, & paſſum eſſe, tum hoc quoque cum Epheſi eſſet, de eo memoriæ mandarũt. Cùm ibi principem locum Hieronymus obtineret, multa cum libertate Paulus eſt concionatus. Quare Hieronymus benè illum & diſertè dicere; ſed orationem eius non eſſe eorum temporum teſtatus eſt. Plebs quidem certè per inſolentiam, Paulo compedibus iniectis, carceri eum includit, vt leonibus vorandus obiiceretur. Vbi tum Eubula, & Artemilla, clarorum Epheſi virorum coniuges, fidem edoctæ à Paulo, (noctu enim ad eum veniebant,) diuini lauacri gratiam ab eo petunt. Itaque virtute diuina, atque angelici ſatellitij miniſterio, caliginem noctis exuberantia ſplendoris illuſtrante, Paulus ferreis compedibus liberatus, illas diuino Baptiſmo ad littus maris initiat: & cùm id nemo omnium, quibus cuſtodiæ cura demandata fuerat, ſenſiſſet, ad vincula rurſum ſua, in quibus eſca leonibus aſſeruabatur, redit. Sed enim ingenti magnitudine leo contra ipſum immiſſus, in arenam quidem ille procurrit; ſed ad Pauli pedes conſedit. Et cùm itidem alia immanes feræ immitterentur, ne tangere quidem vlla ſacrum corpus ad orationem erectum atque compoſitum ſuſtinuit. His ita actis, de repentè fragore multo vehemens quædam ſupra naturæ ordinem grando decidens, multorum ſimul & virorum, & ferorum animalium comminuit capita: ipſiuſque Hieronymi aurem*

b 1. Cor. c. 1. v. 8. 9.

c 1. Cor. c. 15. v. 31.

d Comment. Ambroſ. aſcripta, 1. Cor cap. 15 ... iet. ibid. Cornel. à Lapide ibid.

e Orig. lib. Periarchon. 1. c. 2.

f Niceph. lib. 2. c. 25.

aurem amputat: qui deinde cum ſuis per Paulum Deo conciliatus ſalutiferum ſuſcepit lauacrum. Leo autem ille profugus in montes proximos euadit: & Paulus inde in Macedoniam, & Græciam tranſmiſit. Addit Nicephorus, mirum non eſſe hanc Pauli pugnam cum belluis, à Luca prætermiſſam: *nam* (inquit) *etiamſi ex Euangeliſtis ſolus Ioannes Lazari ſuſcitationem commemorat, minus tamen de fide, veritatéque ambigendum.* At longè diuerſa ratio eſt, cùm hæc narratio à nullo Euangeliſtarum, vel canonico Auctore habeatur; ſed tantùm ab apocrypho, & ſuſpectæ fidei, vt alibi fatetur etiam ipſe Nicephorus [g]. Deinde, vt omittam eam magis videri fabulam ex contextu narrationis, quàm Hiſtoriam, cùm dicat, Paulum ſtatim poſt hanc pugnam cum beſtiis Epheſo diſceſſiſſe, oporteret Epiſtolam priorem ad Corinthios datam, vt poſteà videbimus, anno ſecundo, quo Epheſi manſit Apoſtolus, eſſe ſcriptam ante hanc pugnam: quomodo igitur in illa diceret, ſe Epheſi pugnaſſe ad beſtias? Siquidem nondum pugnauerat, dũ ea deſcriberet. Contra verò cùm ſecundã ad Corinthios Epiſtolam dederit, poſteaquàm Epheſo diſceſſerat, & in illa [h] valdè longã ſuorũ certaminum habeat catalogũ, multa ibi enumerãs his minora, quæ pro Euangelio ſuſtinuerat, cur, quæſo, rem adeò præclaram, & quæ omniũ præcipua videretur, cõmemorare prætermiſiſſet? Præterea obſeruandũ eſt, nõ dixiſſe Apoſtolũ ſe damnatum ad beſtias, ſed pugnaſſe cum beſtiis, vno verbo, ἐθηριομάχησα, quod valdè diuerſum eſt: nã pugnaturi cum beſtiis, vt gladiatores, armati procedebant in theatrũ: quod nemo ſibi poterit de Apoſtolo perſuadere. Quòd ſi dicatur, non quidem Paulum cum beſtiis pugnaſſe: tamen oppugnatum ab illis fuiſſe, quibus dilaniandus ac vorãdus proiiciebatur, vt ſæpè cum Martyribus factum ſcimus ad beſtias condemnatis, id verbum, ἐθηριομάχησα, non ſignificat, quod actiuè ſumitur, id eſt, pugnaui, non autem paſſiuè, nempe, oppugnatus ſum. Deinde conſtat ex iure Cæſareo in lege tertia, ff. *ad legem Corneliam*, de ſicariis, id genus ſupplicij vilioribus tantùm hominibus ſolitum irrogari: cùm ergo Paulus ciuis eſſet Romanus, & eo iure aliàs minora verberũ ſupplicia deuitaſſet, eximi ab hoc potiori iure debuiſſet, quod ius ipſe tueri nõ neglexiſſet, cũ ad Romanos ſcribit [i], & ad Corinthios [k], idémque teſtatur hic S. Lucas in Actis apoſtolicis [l], propoſitũ ei fuiſſe omninò Ieroſolymã Corintho proficiſci, tũ inde Romã. Quare veriùs putamus, per beſtias, cum quibus hic Apoſtolus indicat ſe pugnaſſe, homines ferinis ac belluinis moribus præditos ſignificare voluiſſe. *Quid eſt* (inquit S. Ioãnes Chryſoſt. [m]) *quod ait Paulus, ſecundum hominẽ, cum beſtiis pugnaui Epheſi? quãtùm feritatis in homines cadit, depugnaui cum beſtiis.* Clariùs S. Anſelmus [n]: *Cũ beſtiis, ait, id eſt, cõtra Demetriũ, & cæteros beſtiales, qui cum eo mouebant aduerſum me ſeditionem populi propter idolum Dianæ, cuius culturam deſtruebam.* Idẽ volunt Theodoretus, & Theophylactus [o], & ante hos Tertullianus [p]: *Depugnaui*, inquit, *ad beſtias Epheſi, illas ſcilicet, beſtias Aſiaticæ preſſuræ, de qua in ſecunda ad eoſdem Corinthios ait* [q]: *Nolumus enim vos ignorare, Fratres, de preſſura noſtra apud Aſiam.* Neque verò nouum eſt, aut minùs viſitatum, huiuſmodi barbaros & crudeles homines belluarum nomine in Scripturis deſignari: ſic enim in Pſalmo dicitur [r]: *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi.* Et alibi [s]: *Congregatio*

taurorum

[g Niceph. lib. 3. c. 46.]
[h 2. Cor. c. 11. v. 23.]
[i Rom. c. 15. v. 23.]
[k 1. Cor. c. 16. v. 4.]
[l Act. c. 19. v. 21]
[m Chryſoſt. hom. 40. in 1. Cor. cap. 15.]
[n Anſel. in c. 15. 1. Cor.]
[o Theod. & Theophyl. in cap. 15. 1. Cor.]
[p Tertul. lib. de reſurr. carnis, c. 48.]
[q 2. Cor. c. 1. v. 8.]
[r Pſ. 73. v. 19.]
[s Pſ. 67. v. 31.]

taurorum in vaccis populorum. Quin ipſe Apoſtolus in ſecunda Epiſtola ad Timotheum [t], Neronem ſignificans: *Liberatus ſum* (inquit) *de ore leonis.* Et Chriſtus Dominus Herodem notans [u]: *Dicite* (ait) *vulpi illi.* Sed S.Ignatius in epiſtola ad Romanos plane, vt hîc Apoſtolus, eſt locutus, explicans ſe de hominibus crudelibus id aſſerere: *Pugno* (inquit) *ad beſtias ligatus cum decem Leopardis, id eſt, militibus, qui me cuſtodiunt.* Mollit interim S.Paulus locutionem ſuam illa parentheſi (*ſecundùm hominem,*) quaſi dixiſſet, humano more loquendo, & ſpectatis hominum moribus, nō natura, quando omnē exuiſſe humanitatem, rationémque, & in belluas degeneraſſe videbātur. Quāuis neque per omnia illorum interpretationi poſſumus acquieſcere, qui per huiuſmodi feros homines Demetrium Argentarium putant eſſe ſignificatum, & eos, qui cum ipſo contra Paulum extremam Epheſi perſecutionem concitarunt, tertio, videlicet, anno, quo ibi fuit prope iam diſceſſurus. Nam, quando ſuam priorem Epiſtolam ad Corinthios ſcripſit, in qua teſtatur, ſe cum beſtiis Epheſi decertaſſe, nondum illa extiterat perſecutio. Itaque potiùs ad hunc primum annum reſpexit, & ad illatas ſibi hoc tempore grauiſſimas moleſtias à Iudæis, quorum propterea Synagogam deſerere, & procaces inſultus declinare, migrando ad alias ędes compulſus fuit, & aliam ibi ſcholam aperire, auocatis auditoribus ac diſcipulis, & eò ſecum in multo maiori numero adductis.

t 2. Tim. c.4. v.17.

u Luc. c.13. v.32.

Quantò igitur iniquiùs tractabatur ab hoſtibus veritatis, & Chriſtianæ pietatis, tantò à Deo magis omnibus conſpicuus reddebatur. Nam, cùm in Iudaïca Synagoga tribus tantùm menſibus permiſſus fuiſſet concionari, & non niſi ſemel in hebdomada per diem Sabbati, poſteà duobus annis ſingulis diebus in ſchola hominis gentilis, frequenti populo, & magna commendatione audiebatur: *Ita vt* (inquit S. Lucas [u]) *omnes, qui habitabant in Aſia, audirent verbum Domini, Iudæi, atque Gentiles: virtutéſque non quaſlibet faciebat Deus per manum Pauli*, id eſt, maximas, & inauditas, iuxta Chriſti Domini promiſſionem [x]: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Hæc pergit exponere S. Lucas, dicens: *Ita vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & Spiritus nequam egrediebantur.* Ita munificētiſſimus Deus Pauli labores, ſudores, atq; lacrymas honorabat, virtutē miraculorū impertiens illius ſudariis, & ſemicinctiis, quibus inter laborandum, vt victum ſibi propriis manibus compararet, operi accinctus, pulueres, ſudores, & lacrymas detergebat. *Vos ſcitis*, dicebat ipſe Epheſiis aliquando [y], *à prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſeruiens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidiis Iudæorum.* Et infrà: *Argentum* (inquit) *& aurum, aut veſtem nullius concupiui, ſicut ipſi ſcitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, miniſtrauerunt manus iſtæ.* Quare placet eorum in hac parte ſententia, qui Pauli ſemicinctia zonam interpretantur, qua circa medium corpus veſtes adſtringuntur alioqui fluentes, qualibus Iudæi tunc vtebantur, vt proinde manibus expeditè operaturi deberent accingi, ſicut ſeruis diligenter Domino ſuo miniſtraturis dicebat Chriſtus [z]: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Per ſudarium verò capitis faſciam, aut integumentum

u Act. c.19 v.10.

x Ioan. c.14. v.12.

y Act. c.20 v.18. 33.

z Luca c.12. v.35.

aptè

aptè intelligemus, quo indigebant opifices ad velandum caput, cùm Iudæi detectis capitibus ſolerent incedere, & vt crines defluentes cohiberent, ne in opera manualia inclinatis ante oculos dilaberentur, iis præſertim, qui more Nazaræorũ cæſariem nutriuiſſent, vt de Paulo iam anteà narrauimus, qui fortè à duobus iam annis, quando caput totondit in Cenchreis [a], comam nõ depoſuerat. Quapropter facilè fieri potuit, vt ipſo Apoſtolo non aduertente, dum a labore ceſſaret manuali, & ea ſemicinctia, & ſudaria deponeret, ex deuotione ſurriperentur, tum ibidem reponerentur. Et hoc apparet eſſe veroſimilius, quàm quod alij ſentiunt, ob id plurali numero vocata ſemicinctia, quia plura, & à pluribus deferrentur propria diuerſi generis linteola, & velamina, vt contactu ſacri corporis virtutem attraherent miraculorum. Sed & hoc etiã fieri potuit: nam inde putat inductam Baronius [b] piam illam conſuetudinem, ſudaria, vel aliud velum Sanctorum corporibus admouendi, quod ſanctuarium dicebatur, ſiue brandeum: vt eſt apud S. Gregorium in quadam epiſtola ad Conſtantinã Auguſtam [c], poſtulantẽ ſibi tale velum mitti, quod S. Pauli corpus tetigiſſet: ſed loquitur de corpore S. Pauli ſepulti Romæ, & ſacris eius Reliquiis; non autem de contactu eius Apoſtoli nobiſcũ viuentis.

a Act. c. 18 v. 18.
b Baron. in Not. in Martyr. die 25. Iun. & tom. 1. Ann. 55.
c S. Gregor. l. 3. ep. 30.

Siue autem propria eſſent ipſius S. Pauli ſudaria illa, & ſemicinctia, illo non aduertente, ſurrepta; ſiue eſſent aliorum, illoque non renuente corporis eius attactu conſecrata; etiam ipſi Dęmones ea reuerebantur, eorũque admirabilem virtutem, proripiẽdo ſe ſtatim ab obſeſſis corporibus, agnoſcebãt. Et tamen hanc virtutem Hæretici noſtri tẽporis nolunt agnoſcere, præſertim Caluinus, qui Dæmones propterea fugiſſe interpretatur, vt ſimplices illos homines in ſuperſtitione detineret: cultũ enim Reliquiarum ipſe ſuperſtitionem vocat; imò & merum idololatriam [d]. Eadem ratione, ait Hæreticus, etiã Diabolum altercatum eſſe cũ Michaele Archangelo de Moyſi corpore, vt eſt in Epiſtola Iudæ Apoſtoli [e], non niſi quia illud diuinitùs abſconditum voluiſſet Dæmon Iudæis manifeſtare, vt eius cultu Iudęos redderet idololatras. Mirum, cur non tantùm Dæmones; ſed etiã febres & alias ęgritudines, vt nos deciperẽt, & in errore detinerẽt, dicat impoſtor, ab humanis corporibus receſſiſſe: quin etiã Lucã ita ſcripſiſſe [f], vt nos in eodẽ errore haberet implicitos: & Matthæum [g], & Marcum [h], qui deuotionẽ illius mulieris cõmendant, quæ fimbriã Chriſti tangere, vt ſanaretur, quærebat, & Chriſtũ ipſum, qui eã propterea ſanauit à profluuio ſanguinis, & laudauit dicens: *Confide, filia, fides tua te ſaluam fecit.* vt, videlicet, omnes fideles à vero Dei cultu ad vanã ſuperſtitionem traducerentur. Primus auctor huius hæreſis improbantis cultũ ſacrarum Reliquiarum cẽſetur fuiſſe Eunomius impugnator diuinitatis Spiritus ſancti, quẽ ſecutus eſt Vigilãtius, vt tradit S. Hieron. in libro contra Vigilantiũ [i]: *Dolet,* inquit, *Martyrũ Reliquias pretioſo velamine operiri, & non proiici in ſterquilinium, vt ſolus Vigilantius ebrius, & dormiens adoretur.* Addit, contra hanc hæreſim olim ſcriptũ a Tertulliano librũ, quẽ Scorpiacũ appellauit, quaſi contra venenatos ſcorpiones: quamuis Gnoſtici, cõtra quos illũ librũ edidit Tertullianus, non ita expreſſè diſputaret cõtra cultum ſacrarũ Reliquiarũ, ſicut hoc tẽpore faciunt Hæretici, maximè Caluiniſtæ: qui non ſolũ blaſphemiis, & cõtumeliis illatis ſacras Reliquias inſectantur; ſed etiã ferro & flammis,

d Calu. in admo. de Reliquiis.
e Iudas ep. v. 9.
f Act. c. 19 v. 12.
g Matt. c. 9. v. 20.
h Marci 5. v. 24.
i S. Hier. lib. cotra Vigilantiũ, c. 2.

vbi poſſunt, deſtruunt, & exterminãt. Quid igitur iſti feciſſent, ſi hæc ipſa Pauli ſudaria & ſemicinctia, Dæmonibus quoque formidanda, obtinuiſſent? Neque ſolum oſſa & veſtiméta Sanctorũ, ſed etiã inſtrumenta, quibus Martyres ſupplicio ſunt affecti, Deus ſæpe miraculis honorauit: ſicut de lapide refert S. Auguſt.[k] quo S. Protomartyris Stephani brachium percuſſum eſt, & de pulueribus ſepulctorũ, vt refert Gregor. Nicænus[l], & alter Gregor. Turonenſis[m], tanquam ipſemet expertus; & Greg. Magnus[n], qui ex fideli, & certa relatione teſtatur mortuum ad vitam fuiſſe reuocatum ex puluere collecto à crepidine ſacri altaris, facie cadaueris eo puluere confricata. De floribus, qui ſacras Reliquias attigiſſent, ita ſcribit S. Auguſtinus ſuo tempore accidiſſe[o]: *Ad aquas Tibilitanas, Epiſcopo afferente Proiecto Reliquias Martyris glorioſiſſimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus & occurſus. Ibi cæca mulier, vt ad Epiſcopum portantem pignora ſacra duceretur, orauit: flores, quos ferebat, dedit: recepit, oculis admouit, protinus vidit, ſtupentibus, qui aderant; præibat exultans, viam carpens, & via ducẽ vlterius non requirens.* Addit S. Auguſt. etiam ex oleo, quo lampades, circa ſepulcra Martyrum ſolent incẽdi, ingentia fieri miracula; ita vt illo perunctum cadauer filij cuiuſdam Irenæi, ad vitã fuerit reuocatum. Ex quo ſimiliter oleo lampadarum pendentiũ ante ſepulcra Martyrum plura, & ſtupenda facta miracula retulit Theodoretus[p]: alia ſimilia tãquam in ſe expertus, cecinit verſibus Venantius Fortunatus[q]. Ex his duo cõtra Caluini calumnias obiter adnotabimus: alterum eſt, non eſſe (vt ipſe ait) ſuperſtitioſum abuſum à nobis inductum, lampades & cereos incendere ad aras & ſepulcra Sanctorum: ſiquidem ante tot Eccleſiæ ſæcula piè obſeruabatur, & eam pietatem Deus tot tantiſque miraculis approbauit. Alterum eſt, in quo idem Calumniator nimiùm impudenter mentitur, dicẽs, miracula non eſſe, quòd nos iactemus: quia, inquit, etiamſi Chriſti, & Apoſtolorum tẽporibus ea fierent; tamen apud nos fieri omninò deſiiſſe. Et tamen, vt alios Auctores omittamus, vnus S. Auguſtinus[r], cùm plurima, varia, & ſuo tempore celebratiſſima in vno capite libri vigeſimiſecũdi de ciuitate Dei narraſſet miracula, quibus nõnullis etiam ipſe interfuit, addit dicens: *Si miracula ſanitatum, vt alia taceam, velim ſcribere, quæ per hunc Martyrem, id eſt, glorioſiſſimum Stephanum facta ſunt in Colonia Calamenſi, & in noſtra, plurimi conficiendi ſunt libri.* Scripſit poſt hæc libros quatuor Dialogorum S. Gregorius, in quibus miracula ſui temporis, quæ tantùm per Italiam contigerunt, complexus eſt omnia accepta à teſtibus fideliſſimis, & probatiſſima, vt oſtenderet, non ceſſaſſe diuinitùs edi talia ſigna antiquis ſimilia[s]. Et ſtatim inter prima narrat ſimile, vel quodãmodo maius illis, quæ fiebant ſudariis, & ſemicinctiis S. Pauli: videlicet, mortuum ad vitam eſſe reuocatum caligula S. Honorati Abbatis, quam eius diſcipulus Libertinus ex magna deuotione ac fide ſecum circunferebat.

Poſtremò, vt hoc tandem caput concludamus, circa Pauli ſudaria, & ſemicinctia notabimus, ita ſcriptum à Venerabili Beda[t], in ſuis ſuper Acta Apoſtolorũ Retractationibus: *Multi noſtrùm, quid ſemicinctia ſignificent, ignorant: verùm Gregorius, qui nunc eſt apoſtolicæ Sedis Antiſtes,* (fuit hic Gregor. II. vir ſanctiſſimus & eruditiſſimus,) *cùm eſſet adhuc Archidiaconus, ſciſcitanti clerico de Britannia, &* hoc

k S. Aug. ſerm. 31. aliàs 32. de diuerſis.
l Nican. orat. de laudibus magni Theodoſij.
m Greg. Turon. de miraculis S. Martini.
n S. Gregor. l. 3. Dialog. c. 17.
o S. Aug. l. 22. de ciu. c. 8.
p Theod. in Hiſt. SS. Patrũ c. 21. in Ia. be.
q Fort. in vita S. Martini lib. 4.
r S. Aug. l. 22. c. 8.
s S. Greg. l. 1. Dialog. c. 2.
t Beda in Retr. Act. c. 19.

hoc inter alia ſcriptſit, genus eſſe ſudarij, quo Hebræi vtuntur in capite. Quæ bene conſentiunt dictis nobis hac de re ſuperiùs, niſi quòd pro eodem videtur Gregorius ſumpſiſſe ſudaria, & ſemicinctia: fortè, quia Græce non legitur cum particula cõiunctiua, *&*: ſed cum diſiunctiua, *ſiue*, σουδάρια, ἢ σιμικίνθια, ſudaria, ſiue ſemicinctia: nam, vt diximus, tam hæc, quàm illa, videntur ligamenta vel faſciæ ad caput obuelandum, & fluentes capillos cohibendós, aut laxas veſtes infra pectus conſtringendas.

CAPVT VI.

Mali Exorciſtæ, abuſi auctoritate Pauli à Dæmone corripiuntur: Caluinus inde malè ſentiens de exorciſmis Eccleſiæ catholicæ confutatur.

ANnus iam præterierat, ex quo Paulus Epheſi morabatur, & ſecundus aduenerat, qui fuit humanæ ſalutis quinquageſimusſextus; Claudij verò Imperatoris decimuſquartus, & imperij eius poſtremus, cùm Pauli virtus contra Dæmones in admiratione omnium poſita quoſdam permouit inanis gloriæ captandæ cupidos, aut ſtudio vanæ curioſitatis inductos, ſine vera in Chriſtum fide, Chriſti, & Pauli nominibus abuti pro ſuis exorciſmis, ad Dæmones ab humanis corporibus expellendos. Erant hi filij Scenæ cuiuſdam Principis Sacerdotum, de quibus ita ſcribitur in Actis apoſtolicis [a]: *Tentauerunt autem quidam de circumeuntibus Iudæis Exorciſtis inuocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos nomen Domini IESV dicentes: Adiuro vos per IESVM, quem Paulus prædicat. Erant autem Iudæi Sceuæ Principis Sacerdotum ſeptem filij qui hoc faciebant.* Cùm itaque homines non vulgares, ſed tot filij Principis Sacerdotum agerent Exorciſtas, idque publicè, & varia loca obeuntes, ſatis apparet haud ignobile fuiſſe, nec omnibus commune apud Iudæos miniſterium Dæmones exorciſmis eiiciendi. Et quamuis hoc tempore non ſint inter Hebræos Exorciſtæ; antiquitùs tamen eam artem apud eos viguiſſe, & à Salomone traditam ſcribit Ioſephus in libro octauo Iudaïcarum Antiquitatum his verbis [b]: *Eam quoque rem Salomon diuinitùs eſt conſecutus ad vtilitatem & medelam hominum, quæ aduersùs Dæmones eſt efficax. Incantationes enim compoſuit, quibus morbi pelluntur, & coniurationum modo ſcriptas reliquit, quibus cedentes Dæmones ita fugantur, vt in poſterum nunquam reuerti audeant: atque hoc ſanationis genus nunc vſque plurimùm apud noſtrates pollet.* Hæc Ioſephus. Tum ſubdit à ſe viſam huiùs artis experientiam, dicens: *Vidi enim ex popularibus meis quendam Eleazarum, in præſentia Veſpaſiani, & filiorum, & Tribunorum, reliquorúmque militum multos arreptitios percurantem. Modus vero curationis erat hic. Admoto naribus Dæmoniaci annulo, ſub cuius ſigillo erat radicis ſpecies à Salomone indicata, ad eius olfactum per naſum extrahebatur Dæmonium: & collapſo mox homine adiurabat id, ne ampliùs rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inuentas recitans. Volens deinde Eleazarus his, qui aderant, oſtendere ſuæ artis efficaciam, non longè inde ponebat poculum, aut peluibrum aquæ plenum: & imperabátque Dæmonio hominem exeunti, vt his ſubuerſis ſignum daret,*

a *Act. c. 19. v. 13.*

b *Ioſeph. 18 Antiquit. c. 2.*

ſpectantibus, quòd reliquiſſet hominem. Quo facto nemini dubium erat, quanta fuiſſet Salomonis ſcientia, & ſapientia. Huc vſque Ioſephus, qui ſimilia quædam adiungit in libro ſeptimo belli Iudaïci [c]: ſed meritò viri eruditi [d] dubitant, an libros illos de incantationibus Salomon ſcripſerit, vel potiùs Rabbini aliqui poſteriores eos cõpoſuerint, Salomoni falsò adſcribentes: vnde Ioſephus in hoc, vt in aliis multis, ſit deceptus. Certè S. Thomas [e], ſi tales, ait, incantationes Salomon edidiſſet, non illo tẽpore ab ipſo edi potuiſſe quo erat in gratia & ſtatu ſalutis; ſed cùm ad idola colenda, artéſque magicas declinaſſet. Quaproptet neque in illis exorciſmis vim fuiſſe Dæmones conſtringendi, niſi quatenus poſſunt Dæmones inferiores cõpelli à ſuperioribus inuocatis, & magicis incantationibus allectis. Alium prætereà modũ eiiciendi Dæmones apud Iudæos fuiſſe per inuocationẽ nominis Dei tetragrãmaton, refert S. Epiphanius [f]. Sed, ſiue hoc, ſiue illo à Ioſepho narrato, vel alio modo id aſſequerentur Iudæi, fuiſſe apud eos aliquos Exorciſtas, videtur ſignificaſſe in Euangelio Chriſtus Dominus, vbi Phariſæis obiiciẽtibus, in Beelzebub Principe Dæmoniorum illum eiicere Dæmonia reſpondit [g]: *Si ego in Beelzebub eiicio Dæmonia, filij veſtri in quo eiiciũt? Ideò ipſi Iudices veſtri erũt.* Quod etiamſi aliqui de Apoſtolis dictum interpretentur, diuina virtute Dæmonia expellentibus; plùs tamen videtur Chriſtus Dominus ſignificare voluiſſe. Prætereà, varias habuiſſe illos Iudaïcos Exorciſtas, abiurandi ſpiritus, & exorcizãdi formas, per inuocationes nominũ diuerſorum, etiam ex Euangelio coniicimus, vbi Chriſto aliquando dixerunt Apoſtoli [h]: *Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eiicientem Dæmonia, & prohibuimus*

c Ioſeph. l. 7. belli Iud. cap. 25.
d Bellar. de Script. eccleſ. in Salomone. Pererius lib. de Magia, c. 3.
e S. Th. 2. 2. q. 96. a. 10. ad 3.
f S. Epiphan. hæreſ. 30. contra Ebionitas.
g Matt. cap. 12. v. 27.
h Lucæ cap. 9. v. 49.

eum, quia non ſequitur nobiſcum. Et ait Iesvs: *Nolite prohibere: qui enim non eſt aduersùm vos, pro vobis eſt.* Tales igitur erant vagi iſti à S. Luca recenſiti Exorciſtæ [i]: *Qui tẽtauerunt*, inquit, *inuocare ſuper eos, qui habebant Spiritus malos, nomen Domini* Iesv, *dicentes: Adiuro vos per* Iesvm, *quem Paulus prædicat.* Sed male illis ſucceſſit: nam ait S. Lucas: *Reſpondens Spiritus nequam, dixit eis:* Iesvm *noui, & Paulum ſcio: vos autem, qui eſtis? Et inſiliens in eo homo, in quo erat Dæmonium peſſimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos; ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa.* Vnde agnoſcimus, non omnes ſeptem filios Sceuæ illud abiurandi miniſterium tunc vſurpaſſe, niſi tantùm duos, cùm dicatur Dæmon contra ambos inualuiſſe. Et quamuis in aliquibus Græcis codicibus amborum nulla ſit mentio; ſed tantùm dicatur Dæmon dominatus ipſorũ: minùs tamen apparet veriſimile, omnes illos ſeptem filios Principis Sacerdotũ ſimul eodẽ tempore circa eandem perſonã energumenam Exorciſtæ munus exercere voluiſſe, omnéſque pariter nudos & vulneratos ab ea domo aufugiſſe.

Magis dubitare quis poſſet, cur Dæmoni permiſſum à Deo fuerit; neque enim ſine diuina permiſſione lædere quenquam potuiſſet; vt adeò crudeliter eos vexaret, qui nomen Chriſti & Pauli vſurpare piè, & honorificè videbantur, cùm præſertim Chriſtus Dominus, vt ex Euangelio ſuprà referebamus, Apoſtolos vetuerit, ne ſimiles Exorciſtas in ipſius nomine Dæmonia eiicientes impedirent, dicens [k]: *Nolite prohibere: qui enim non eſt aduersùm vos, pro vobis eſt.* Sed horum Sceuæ filiorũ magis deprauata intentio videbatur; ſiue, quia erãt irriſores, vt ait Chryſoſtomus [l], à quibus diſcere alij debuerũt nomẽ diuinũ temerè

non

i Act. c. 19 v. 13. 14. 15.
k Lucæ cap. 9. v. 50.
l Chryſ. hom. 51. in Acta.

non aſſumendum; ſiue, quia ex vana curioſitate, vt tentarent, an ſuccederet, & niſi ſucceſſiſſet accuſaturi: ſi autem ſortiretur effectum, nihilominus in ſua perfidia manſuri, Iudaïſmo potiùs, quàm Chriſti virtuti miraculum adſcribentes. Deus autem declarare ſic voluit, ait ibidem Chryſoſtomus, magnam quandam eſſe vim Dæmonum contra infideles. Ex quo numero cenſeri meritò Caluinus debet[m], qui planè Satanico Spiritu exagitatus, hic in ſuis Commentariis cõtra Ordinem clericalem Exorciſtarum à Chriſto in Eccleſia inſtitutum furiosè debacchatur quatuor potiſſimùm obiiciens. Primum eſt, in Eccleſia introductos Exorciſtas ex ambitioſa æmulatione Iudaïcorũ Exorciſtarum. Secundò, Papam ſuo arbitratu id munus feciſſe commune omnibus ſuis Clericis ad maiores gradus promouendis. Tertiò, titulum eſſe otioſum, & ſine vllo effectu, aut virtute prorſus inanem. Quartò, ſi quando pellantur Dæmones, vidit enim Hæreticus id negari omninò non poſſe, tunc ait fieri per colluſionem Dæmonum, non autem diuina vlla virtute miniſtris Eccleſiæ impertita. *Itaque*, inquit, *ambitio fecit, vt Chriſtiani cum Iudæis in exorciſmis certarent.* & hoc eſt primum mendacium, quod magis illuſtrans alio Cõmentario ad illa Chriſti verba [n]: *Si ego in Beelzebub eiicio Dæmonia, filÿ veſtri in quo eiiciunt. Non dubito*, inquit, *quin veteres Exorciſtas notet, quorum tunc vulgaris erat vſus apud Iudæos: poſteà Papiſtæ, ne ſua conditio eſſet inferior, illos æmulati ſunt in creandis Exorciſtis; atque hoc modo ſimiarum ſimiæ fuerunt.* Addit ſecundum mẽdaciũ, dicens: *Deinde, vt ſemper in deterius delabi ſolet ſuperſtitio, hoc Clericis ſuis omnibus cõmune eſſe voluit Papa, qui ad maiorem gradum promouendi erant.* Addit tertium: *nam ipſa*, inquit, *experientia planè ſe ridiculos faciunt: fateri enim coguntur, inanem, & ſine effectu ſe titulum conferre. Nam, vbi facultas, qua Diabolos adiurent?* Addit denique quartum, quod non ſolùm mendacium, ſed planè blaſphemia in Spiritum ſanctum verè dici poteſt. *Exorciſmi*, inquit, *in papatu nihil aliud ſunt, quàm vmbratiles & fictitÿ Satanæ contra ſeipſum conflictus.* Ita Caluinus prorſus vt Iudæi Chriſto expellenti Dæmones obiiciebant, in Beelzebub Principe Dęmoniorum illum eiicere Dæmonia. Quibus ipſe reſpondit [o], nimis grauem hanc eſſe calumniam, & peccatum blaſphemię in Spiritum ſanctum, quod non remittetur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro: nempe, ſancti Spiritus proprias operationes eius aduerſario cacodæmoni iniquiſſimè tribuere.

[m] *Calu. in Com. ad c. 9. Act. & ad c. 12. Matth. & lib 4. Inſt. c. 19. § 24.*

[n] *Matth. c. 12. v. 27.*

[o] *Matth. c. 12. v. 31.*

Sed in primis, quàm falſum ſit dicere inductũ in Eccleſia Chriſti munus Exorciſtarũ ex ambitioſa ęmulatione rituum Iudaïcorũ, aut Romani Pontificis arbitratu, diſcere Caluinus facilè ab ipſo Chriſto potuiſſet, qui ſuo nos exẽplo, doctrina & præcepto ea de re ſæpiùs inſtituit. Nã ſolo verbo, aut voluntate Dæmonem quencunque eiicere potuiſſet; tamen ſanaturus quendam habentem Dęmonium ſurdum & mutum, vt narrat S. Marcus [p], aliquas placuit adhibere cæremonias, quę vim exorciſmorum præferrent: *Apprehendens enim eũ de turba ſeorſim*, inquit Euangeliſta, *miſit digitos ſuos in auriculas eius, & expuẽs tetigit linguam eius, & ſuſpiciens in cœlũ ingemuit, & ait illi, Ephphetha, quod eſt, adaperire.* Docuit præterea diſcipulos ſuos, qua ratione Dæmones pertinaciùs obſeſſis corporibus inhęrentes ab ipſis debeant expelli: nam interrogantibus, quare Dæmonium quoddam ipſi eiicere non potuiſſent,

[p] *Marci c. 7. v. 33.*

reſpondit [q]: *Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & ieiunio.* Mandauit etiam illis, cùm eos ad prædicandum mitteret [r]: *Dæmones eiicite.* dans omnibus immundorum Spirituum poteſtatem. Denique Eccleſiæ ſuę hanc eandem poteſtatem eſt pollicitus, cùm in cœlum aſcenſurus dixit [s]: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo Dæmonia eiicient.* Et quamuis gratia expellendi Dæmones in Eccleſia primitiua eſſet vniuerſalior, ſicut gratia curationum, donum linguarum, & ſimilium miraculorum, quia ſic expediebat eo tempore, vt ſancti Patres ſæpè docuerunt [t], vnde etiam laïcis quandiu ſic Deo placuit, facultas illa dabatur: tamen fuiſſe peculiare miniſterium certi Ordinis clericalis, conſtat apertiſſimis antiquorum Patrum, & Conciliorum teſtimoniis Nã S. Ignatius Apoſtolorum diſcipulus in Epiſtola ad Antiochenos, inter alios Ordines eccleſiaſticos enumerat Exorciſtas. Et Cornelius Papa ſcribens ad Fabium Antiochenum [u], ait, in Eccleſia Romana inſtitutos fuiſſe Exorciſtas, & Lectores, vnà cum Oſtiariis, quinquaginta duos. Concilia ſimiliter antiquiſſima, Laodicenum [x], Carthaginenſe [y], & Antiochenum [z], de ordine, munere, ac ritibus Exorciſtarum expreſsè meminerunt. Præter Romanum poſtea ſub S Sylueſtro Papa [a], & alia quamplurima Concilia ſubſequentia. Fuit autem ſtatutum in prędicto Laodiceno Concilio, ne qui nõ ſunt ab Epiſcopis ordinati, tam in Eccleſiis, quàm in domibus, præſumant exorcizare. Mãdatur quoque, vt is, qui ordinatur Exorciſta, accipiat ex manu Epiſcopi librũ, in quo ſcripti habeantur exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: *Accipe, & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum, ſiue baptizatum, ſiue catechumenum.* Quod etiam hoc tempore pro collatione talium Ordinum in Eccleſia obſeruatur.

q Marci c. 9. v. 28.
r Matth. c. 10 v. 10. Marci c. 6. v. 7.
s Marci c. 16. v. 17.
t S. Greg. hom. 29. in Euãg. S Aug. lib. de vera relig c. 25. & lib. 16 de vtilit. credendi, c. 16. S Bern. ſerm. 1. de Aſcenſione.
u apud Euſeb. lib. 6 c. 33.
x Conc. Laod. c. 29.
y Carthag. 4. cap 6.
z Antiochenum cap. 10.
a Concil. Rom c. 3. & 7.

Quàm deinde falſum & calũnioſum illud ſit, quod adeò impudenter adiunxit Caluinus, otioſam eſſe apud nos Exorciſtarum poteſtatẽ, & titulum ſine effectu prorſus inanem, productis plurimis experientiis Patres ſcribentes cõtra ethnicos & infideles ſæpè conuicerunt. S. Iuſtinus in Dialogo contra Tryphonem: *Per nomen* (inquit) *iſtius ipſius Filij Dei, & primogeniti creaturæ omnis, & ex virtute geniti, perpeſſionibúſque obnoxij hominis facti, & ſub Pontio Pilato crucifixi, & mortui, qui & à mortuis reſurrexit, & in cœlum aſcendit, Dæmonii omne adiuratum vincitur, & in ditionem redigitur.* S. Cyprianus ad Demetrianum virum Gentilem Africæ Proconſulem ſic ſcribit. *O ſi audire velles, & videre, quando à nobis adiurantur, & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis ab obſeſſis corporibus eiiciuntur: quando eiulantes, & gementes, voce humana, & poteſtate diuina flagella & verbera ſentientes venturum Iudicem confitentur. Veni, & agnoſce vera eſſe, quæ dicimus: & quia ſic Deos colere te dicis, vel ipſis, quos colis, crede; aut etiamſi volueris & tibi credere de teipſo, loquetur audiente te, qui nunc tuum pectus obſedit, qui nunc mentem tuam ignorantiæ nocte cæcauit. Videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas; timeri ab eis, quos tu adoras: videbis ſub manu noſtra ſtare vinctos, & tremere captiuos, quos tu ſuſcipis & veneraris vt Dominos. Certè vel ſic confundi in iſtis erroribus tuis poteris, quando conſpexeris, & audieris Deos tuos, quid ſint, interrogatione noſtra ſtatim prodere, & præſentibus licèt vobis, præſtigias illas ſuas & fallacias non poſſe celare.* Similia habet in libro de vanitate idolorũ. Eadẽ ſępè

inculcat

b Tertul. ad Scapulam, cap. 2. inculcat Tertull.[b] *Dæmones* (inquit) *nõ tantum reſpuimus: verũ & reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut plurimis notũ eſt.* Idẽ pluribus confirmat in Apologetico aduersùs Gentes[c]. c Tertull. in apolo. get. c. 23. Præclarè quoque Minutius Felix[d], agens cõtra Gentiles: d Minutius Felix in Octau. *Ipſe Saturnus* (inquit) *& Serapis, & Iupiter, & quidquid Dæmonum colitis, victi dolore, quod ſunt, eloquuntur; nec vtique in turpitudinem ſui, nonnullis præſertim veſtrûm aſſiſtẽtibus mentiuntur. Ipſis teſtibus eſſe eos Dæmonas, de ſe verum confitentibus credite: adiurati enim per Deum verum & ſolum, inuiti miſeris corporibus inhorreſcunt, & vel exiliunt ſtatim, vel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aſpirat.* Habemus etiam formam, & vim noſtrorum exorciſmorum verſibus à Prudentio eleganter expreſſam in Apotheoſi contra Iudæos, vbi inter alia ſic ait:

——— Torquetur Apollo
Nomine percuſſus Chriſti, nec fulmina verbi
Ferre poteſt, agitant miſerum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei reſonant miracula Chriſti.
Intonat Antiſtes Domini: Fuge, callide ſerpens:
Exue te membris, & ſpiras ſolue latentes:
Mancipium Chriſti, fur corruptiſſime, vexas,
Deſine, Chriſtus adeſt humani corporis vltor;
Non licet, vt ſpolium rapias, cui Chriſtus inhæſit.
Has inter voces medias Cyllenius ardens
Eiulat, & notos ſuſpirat Iuppiter ignes.

Hinc eſt illud obſeruatum à Ioanne Micrologo in libro de obſeruationibus eccleſiaſticis[e], quòd exorciſmi e Microlog. lib. de obſeru. eccleſ. c. 7. non concluduntur, vt aliæ preces & orationes Eccleſiæ, *per Chriſtum Dominum noſtrum; ſed per eum, qui venturus eſt iudicare ſæculum per ignem.* Quia Dæmones maximè timent diem extremi Iudicij, horrentes illam Chriſti maledictionem[f]: f Matth. c. 25. v. 41. *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius.* Quàm autem ſit frequens in Eccleſiis orbis Chriſtiani quamplurimis Dæmones expelli eccleſiaſticis exorciſmis à corporibus obſeſſorum, nemo eſt, qui neſciat: multi vident, & propè ſingulis annis, ne dicã diebus, alicubi experimur. Vt non appareat, quid ſibi voluerit Caluinus, dicens, munus exorcizandi nunc eſſe titulũ prorſus inanem, & rem planè orioſam: niſi fortè hoc intellexit de ſuis Synagogis, vel ab ipſis profanatis Eccleſiis; in quibus tamen aliqui eorum non ſunt veriti tentare, ſicut hi Iudæi, filij Sceuæ, an fortè miniſterium hoc eis ſuccederet, & infelicẽ, vt illi, exitũ, Dæmonibus in tales Exorciſtas inſiliẽtibus ſortiti ſunt. Ita referunt fide digni Auctores, quorum aliqui ſe etiã præſentes adfuiſſe teſtantur[g], cùm g Fridericus Stap. in reſponſ. contra Smideli num. Lindanus in Dubitãtio dial. 3. c. 1. Brandeca. h lib. 7. eclſ at. cap. 40. Lutherus Vvitembergæ puellam è Miſnia ad ſe adductam energumenã exorcizare aggreſſus eſt in Sacrario Eccleſiæ patriarchalis multis præſentibus: ſed Dæmon malè exorcizatus Sacrarij fores ita clauſit, vt à nullo poſſent aperiri; tum Lutherum inuaſit, & profani Exorciſtæ intr. ns femoralia, hominem vix iam mentis compotẽ in eas anguſtias redegit, vt deiicere ſe quæreret ex Sacrarij feneſtra, quã inueniẽs ferreis clathris munitã, expectare ſumma cũ trepidatione coactus fuit, donec inſtrum ẽto fabrili ſubmotis ex parte cãcellis, euaſit miſer ex illa feneſtra: neque enim poterat aliunde. Idẽ igitur illi contigit,

quod

quod temerariis Iudæis Sceuæ filiis, de quibus ait S. Lucas [h], inſiluiſſe in illos Dæmonium peſſimum, *Et inualuit* (inquit) *contra eos; ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Fortaſſis autem* (inquit Chryſoſtomus [i]) *Dæmon diſrupit illorum veſtes, & dedolauit illorum capita.* Notat prætereà idem Auctor, quod hîc eſt valdè obſeruatione dignum, minori cum irreuerentia ipſos Dæmones ſolitos ſe gerere erga Deum, res diuinas, & Sanctos, quàm ſæpè faciant perfidi Iudæi & infideles; addamus præcipuè Hæreticos. Siquidem partes Dei nunc Dæmon tuebatur contra illius aduerſarios dicens [k]: IESVM *noui, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis?* Neque interim hi viſo tanto miraculo, & experti malo ſuo iram Dei reſipiſcunt: ſed obdurantur magis, vt etiam Luthero tunc contigit. *Sed ne mireris,* (inquit Chryſoſtomus:) *malitiæ enim nihil eſt, quod perſuadeat.* Ex aliis tamen non paucos inde profeciſſe narrat S. Lucas his verbis [l]: *Hoc autem notum factum eſt, omnibus Iudæis, atque Gentibus, qui habitabãt Epheſi: & cecidit timor ſuper omnes illos; & magnificabatur nomen Domini* IESV. Sed & alia ex tali prodigio ſecuta ſunt, quæ ſequenti capite cõ nodius exponẽtur.

h *Act. c. 19. v. 16.*

i *Chryſoſt. hom. 41. in Acta.*

k *Act. c. 19. v. 15.*

l *ibid. v. 17.*

CAPVT VII.

Sacramentum Confeſſionis perfidè negatum à Caluino, & aliis Nouatoribus ab Apoſtolo Paulo pœnitentibus Epheſiis adminiſtratur: ingentis pretij libri magicæ artis publicè comburuntur.

PArum fuiſſet, tum Gentiles, tum Iudæos, qui prodigio ſuperiùs expoſito interfuerunt, timore aliquo tãtum cõmotos, niſi etiam fructus veræ fidei, & perfectæ pœnitẽtię in plurimis extitiſſent. Itaque ait S. Lucas [a]: *Cecidit timor ſuper omnes illos, & magnificabant nomen Domini* IESV, *multique credentium veniebant, confitentes & annunciantes actus ſuos. Multi autẽ ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum, inuenerunt pecuniam denariorũ quinquaginta milliũ.* Hæc S. Lucas. Poſſumus autẽ ad rei totius clariorẽ explicatũ, quatuor hîc diſtinguere hominũ claſſes: aliqui tantùm ſeruili ac ſterili timore permoti, nihil prætereà viſo tamore permoti, nihil prætereà viſo miraculo profecerunt, inter quos primo loco filij Sceuæ Principis Sacerdotũ debent numerari, de quibus aliud non habemus, niſi malè ab inſiliẽte in eos Dæmone vexatos ex illa domo aufugiſſe, vbi munus exorcizãdi ſacrilega temeritate aſſumpſerunt: ſicut etiã in ſimili cum malo Exorciſta Luthero contigiſſe anteà referebamus. Secundò, alij fuerunt, qui ex concepto timore in quandã facti admirationem & ſtuporem mentis venerũt, Dei eſſe opus agnoſcentes; ſed ſuſpenſo, incertóque animo viciniora ſaluti conſilia non ſuſceperunt. Tertij prudentiores, qui ex alieno ſupplicio nõ ſolùm timere, & admirari diuinã virtutem; verùm etiam quam ſanctè tractari ſancta debeant, didicerunt; conſiderantes Pauli ſudaria deuotè applicata expellere Dæmones; Chriſti verò, & Pauli ſimul nomina indignè prolata nõ ſolum malignos Spiritus non expellere; ſed potius aduocare, & contra ſacrilegos ac irreuerentes cõcitare, & armare. Quare fide Chriſtiana, qua iam erant imbuti, magis compungebantur, & errata quæ poſt Baptiſmum non pridem ſuſceptum admiſerant, pœnitentiæ Sacramento expiare feſtinabant. Quarti quicquid laboris, quicquid pretij in magicę profana curioſitate collocauerant, pœnitentia

a *Act. c. 19. v. 17. 18. & 19.*

pœnitentia ducti omninò perdere, ne perderent ſeipſos ſapienti conſilio ſtatuerunt:ideo libros omnes illius execrandæ artis in vnum congerentes voluerunt igni tradi;idque publicè factum eſt, vt omnes intelligerent, agere cum Dæmonibus nimis eſſe perniciosum,artem illam, quam profeſſi antea fuerant,ſe ſummoperè deteſtari, tales libros nequaquam diuédere,ſed exurere oportere, ne quiſquam illius peſtilentis & contagioſæ doctrinæ particeps redderetur, ac demum ne lucrum qualecunque ex te adeò turpi quæſitum eſſe videretur. Nam, quemadmodum vetabatur in lege veteri [b], ne proſtibuli merces, aut canis pretium in domo Dei offerretur: ita cauendum fuit,ne pecunia ex illis libris comparata, etiamſi multorum millium eſſe potuiſſet,ante pedes Apoſtolorum poneretur. Idem quoque factum narrat S. Auguſtinus, cùm ſuo tempore quidam Magus ad publicam pœnitentiam & ſatisfactionem eſſet adductus [c]: *Hoc vtique*,inquit,*propter gloriam Dei, ne tales etiam perditi deſperarentur ab illo,qui nouit quærere, quod perierat. Perierat ergo iſte nunc quæſitus, adductus eſt,portat ſecum codices incendendos,per quos fuerat incendendus, vt illis in ignē miſſis,ipſe in refrigerium tranſeat.*Et id factum exemplo apoſtolico addit ibidem S. Auguſtinus,dicens: *Noſtis in Actis Apoſtolorum eſſe ſcriptum, quia multi perditi, id eſt, talium artium homines, & doctrinarum nefariarum ſectatores omnes codices ſuos ad Apoſtolos detulerūt;& incenſi ſunt libri tam multi, vt pertineret ad Scriptorem æſtimationem eorum facere, & ſummam pretij conſcribere.* Sed Magus ille, de quo S. Auguſtinus loquebatur, fuerat, vt ipſe ait,anteà baptizatus:hos verò, de quibus hic agimus, fuiſſe baptizatos, minùs eſt veriſimile.Quomodo enim illi neophyti Chriſtiani, qui non pridem hortante Apoſtolo Chriſtiana ſacra Epheſi ſuſcepiſſent,illo præſente, & quotidie de obſeruantia, integritate, ac pe... tione euangelica concionante, in eo feruore ſpiritus Eccleſiæ primitiuæ,tam ſubitò ad artes adeò nefarias redire tanto librorum magicorum apparatu potuiſſent? Quòd ſi ethnici illi fuerunt, & nondum Sacramento Baptiſmi expiati, neque de ſacramentali confeſſione verba illa poterunt explicari [d]:*Veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos.* de quibus magna eſt controuerſia:non enim ad ſacramentalem confeſſionem veniunt,qui ad Sacramentum anteà Baptiſmi, quod porta dicitur Sacramentorum, non ſunt admiſſi. Sed obſeruare illud oportet, quod antea dicebamus, quatuor illas hominum claſſes propterea diſtinguentes, ne tertiam & quartam, vt aliqui faciunt,confundamus.Nam illos tantummodò tertij ordinis, quos Lucas credentes appellauit, ſignificans de numero fuiſſe fidelium,intelligere debemus ad Confeſſionis Sacramentum nunc acceſſiſſe: ſic enim ipſe ait: *Multique credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos.* Atque hos fuiſſe diſtinctos ab aliis quarti ordinis magicis artibus deprauatos, ſatis illa particula aduerſatiua Lucas ſignificauit,cùm dixit [e]: *Multi autem ex eis,qui fuerant curioſa ſectati,contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus.* Et hos fatemur multò eſſe veriſimilius Chriſtianos anteà non fuiſſe,ac proinde cùm nondum eſſent baptizati pœnitentiæ quidem virtute, quæ diſpoſitio eſſet ad Baptiſmum, non verò Sacramento Confeſſionis inductos, vt libros magicæ artis concremarent.

Quare ceſſat præcipuum argumentum negantium de Confeſſione

b Deut. c. 23. v. 18.

c S. Aug. enarr. in Pſ. 61. ad fin.

d Act. c. 19. v. 19.

e ibid. v. 19.

 ſacra

ſacramentali S. Lucam verbis illis loqui potuiſſe:quo argumento non ſolùm vtuntur Hæretici;ſed etiam eruditi quidã & pij Interpretes Catholicorum [f],ſed intentione prorſus Hęreticis contraria : nam illi vellent , nullum eſſe Cóſeſſionis Sacramenrum: hi verò adeò firmam , & rectam habent contrariam illi hæreſi catholicã veritatem, vt quãdoquidem ſatis poteſt aliis irrefragabilibus Scripturæ ſacræ teſtimoniis, Cóciliorum ac Patrũ auctoritatibus conuinci, non cenſeant expedire, vti minùs certo ad id probãdum teſtimonio,quale hoc eſſe videtur , ne detur occaſio aduerſariis calũniandi nos , quaſi minimè firmis contra illos argumentis vteremur. Nihilominùs tamen,etiamſi alia non deſint quamplurima teſtimonia clariora,quibus veritas Sacraméti Confeſſionis oſtenditur , vt infrà attingemus, non propterea debemus probabilitatem huius teſtimonij diſſimulare:cùm nihil planè obſtet, quominùs de Confeſſione ſacramentali dictum intelligatur:multa verò non aliter eſſe intelligendum ſuadeant. Et in primis vox illa, qua vtitur S. Lucas dicens [g]: *Veniebant* ἐξομολογούμενοι,id eſt,*confitentes* , non dixit tantùm pœnitentes, Sacramentum omninò videtur exprimere.Nam ex vſu Græci vocabuli exomologeſis,non ſolùm in antiquis Conciliis,& apud Græcos Patres;ſed etiam apud Latinos conſtat propriè ſacramentalem Confeſſionem ea voce ſignificari. Vt videre inter alios licet ſæpiſſimè apud Tertullianum [h], Irenæum, & Cyprianum:ductum eſt enim nomen exomologeſis ab ἔξω, quod *extra* ſignificat , & ὁμολογεῖν,id eſt,*confiteri*,quaſi non tantùm interiùs in corde coram Deo ; verùm etiam exteriùs homini Dei vices gerenti ſua delicta manifeſtare , vt benè Suidas [i] obſeruauit. Deinde,quoniam addit S.Lucas huiuſmodi cõfitentes nó quoſcunque fuiſſe ; ſed credentes : at nomine credentium,tum apud ipſum Lucam,tum apud alios Euangeliſtas, & S.Paulum ſignificari ſolere fideles potiſſimùm baptizatos,eſt manifeſtũ. Ita ſtatim atque in Actis apoſtolicis primi Chriſtiani deſcribuntur , ait S. Lucas [k] : *Multitudinis autem credentium erat cor vnum , & anima vna.* Et infrà [l]:*Magis autem augebatur credẽtium in Domino multitudo virorum,atque mulierum.* Neque eſt,quòd aliquis dicat , nomine credentium poſſe etiã ſignificari Catechumenos , qui ante Baptiſmum debẽt inchoare fidem,& credere incepiſſe:nam hi , qui dicuntur modò confeſſi , non ſignificantur nunc primùm credere incepiſſe , ſed anteà credidiſſe:non enim appellãtur πιστεύοντας,*credentes*,participio præſẽtis;ſed pręteriti, πολλοὶ τῶν πεπιστευκότων,id eſt,multi ex iis , qui iam anteà erant credẽtes;ſeu,qui iã priùs crediderant , atque adeò Chriſtiani erant baptizati,& hi veniebant , & confitebãtur. Non igitur erat eorũ confeſſio, qualis audientiũ pręedicationé Ioannis Baptiſtæ in deſerto,de quibus S Matthæus ait [m]:*Omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanẽ exibat,& baptizabãtur ab eo , confitentes peccata ſua.* Illa enim cófeſſio Baptiſmũ antecedebat, hæc ſequebatur:deinde,ſi ille Ioannis Baptiſmus non fuit Sacramentum,vt alibi eſt oſtenſum , multò minùs illa confeſsio potuit eſſe ſacramentalis, quæ nec dũ erat eo tẽpore à Chriſto inſtituta. Quare, licèt omnia eorum peccata S. Ioannes percepiſſet;impédere tamen illis abſolutionem ſacramentalem non potuiſſet.At potuit,ac debuit modò S.Paulus , propterea dicebat ad Corinthios ſcribens [n]:*Dedit nobis Deus miniſterium recõciliationis.* & infrà:*Potuit*,inquit, *in nobis verbum reconciliationis:pro Chriſto ergo legatio-*

ne

f *Caiet. in c. 19. Act. Petrus Lintrenſ. ibid. & alij apud Lorinũ, ibid. c. 19. v. 18 quos ipſe ſequitur.*

g *Act. c. 19. v. 18.*

h *Tertul. lib. de pœnit. Iren lib. 5. c. 9. & lib. 3. c. 4. Cypr. ſer. de lapſis, & ep. 11 3. & 52. 61.*

i *Suidas in voce* ἐξομολογ.

k *Act. c. 4. v. 32.*

l *ibid. c. 5. v. 14.*

m *Matt. c. 3 v. 5.*

n *2. Cor. c. 5. n. 18. 19.*

ne fungimur. Quæ verba etiã ipſe Caluinus [o] fatetur de poteſtate clauium eſſe intelligẽda, ſed callidè poſteà detorquet ad poteſtatẽ quandã prædicãdi, & annunciandi remiſſa nobis eſſe peccata, ſicut & illa Chriſti verba [p]: *Quorum remiſeritis peccata, remittũtur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Cùm propterea non dixerit Chriſtus Dominus: quorum remiſeritis peccata, erant remiſſa; ſed, *remittuntur eis.* Et addidit: *Quorum retinueritis, retenta ſunt*: ſicut alibi dixerat Apoſtolis [q]: *Quacunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; & quacunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* non dixit, erant; ſed, erunt: non igitur poſſunt intelligi dicta de miniſterio tantùm annunciandi peccata iam fuiſſe remiſſa; non enim erant remiſſa ante ſacramentalem abſolutionem: ſed per illã remittuntur, & ſine illa manet peccator ſua culpa ligatus, & obligatus poteſtati clauium ſe ſubiicere, de quibus S. Petro dixerat Chriſtus [r]: *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris, erit ligatum; & quodcunque ſolueris, erit ſolutum,* &c. Quis autem non videat, officium clauium non eſſe oſtendere, apertam eſſe portam; ſed eam reipſa aperire, nec oſtẽdere clauſam, ſed claudere? Imò non poteſt intelligi, qua ratione poteſtas ſacerdotalis habeatur claudendi, ligandi, & retinendi peccata, quæ non ſunt vincula phyſica, ſed moralia, niſi quatenus peccatori negat abſolutionem. Vnde S. Auguſtinus circa illa S. Pauli verba: *Legatione fungimur pro Chriſto* [s]. ſic ait: *Nemo tibi dicat: Occultè ago, apud Deum ago: nouit Deus, qui mihi ignoſcit; quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt: Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erũt in cœlo. Ergo ſine cauſa claues datæ sũt Eccleſiæ Dei. Fruſtramus Euangeliũ Dei: fruſtramus verba Chriſti.* Tum infrà inuehitur acriùs in quoſdam aulicos, qui nolebant cõfiteri, dicens: *Reſiſtit mihi filius peſtilentiæ, & erubeſcit genu figere ſub benedictione Dei, quod non erubuit Imperator,* Theodoſium, intelligit, *nec erubeſcit Senator; ſed tãtùm curialis ſuperba ceruix, mens tortuoſa,* &c. Cùm igitur non appareat veriſimile, primos illos fideles, qui Epheſi ſub S. Pauli cura & inſtitutione tunc inueniebantur Sacramento Confeſſionis interdum nõ indiguiſſe, aut illud renuiſſe, aut in vſu nondum fuiſſe, cur, quæſo, dictos à S. Luca confitentes non ſacramẽtaliter eſſe confeſſos intelligimus? Accedit etiam illa maior Lucæ explicatio, dicentis: *Veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos.* Græcè, *ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν.* quaſi diceret, enarrantes diſtinctè, quæ cõmiſerant: vnde Syriaca interpretatio vertit: *Enumerantes offenſas ſuas.* Hinc exploditur planè ridicula Lutheri interpretatio ab aliquibus etiam Lutheranis improbata, ab aliis admiſſa, dum in Germanica verſione legunt: *Veniebant confitentes, & enarrantes miracula ſua.* Niſi fortè miracula fuiſſẽt, quale illud fuit narratum à nobis ſuperiùs ipſius Lutheri temerè aggreſſi miniſterium Exorciſtæ, ex quo à Deo per Dæmonem, admirãtibus omnibus, qui aderant, eſt punitus: ſicut etiam ob eandẽ temeritatem idem Sceuæ filij experti ſunt, de quibus rectè ait Venerabilis Beda [t]: *Quia non credendo, ſed tentando, Chriſti & Apoſtolorum nomen inuocant, non à Deo tantùm, verùm ab ipſis Dæmonibus ſubdolæ falſitatis merito condemnantur. Qui benè filij Sceuæ dicuntur, qui interpretatur vulpecula clamãs. Hoc enim animal doli & aſtutiæ ſagaciſſimum Iudæos, Gentiles, & Hæreticos Eccleſiæ Dei ſemper inſidiantes, & quaſi garrula voce obſtrepentes oſtendit.* Hæc Beda. Et eſt prorſus

o Calu. lib. 4. Inſtit. c. 1. §. 22.
p Ioan. c. 20. v. 23.
q Matt. c. 18. v. 18.
r Matth. c. 16. v. 19.
s S. Aug. lib. 50. homil. hom. 49.
t Beda in c. 19. Act.

inauditum, vt miracula, quæ opera ſunt diuina, ſic aliquis referat, vt ea narrando dicatur confiteri actus ſuos. Sed & illius Confeſſionis cauſa cùm fuerit vehemens quidam timor excitatus ob viſam diuinam vltionem in eos, qui temerè IESV, & Pauli nomina vſurpauerunt, nemo ſanæ mentis non intelligit illos credentes non inde moueri debuiſſe ad laudes proprias, & miracula à ſe facta prædicanda; ſed ad culpas humili pœnitentia, & plena confeſſione diluendas.

Hinc etiam altera Caluini reſponſio confutatur aſſerentis, fuiſſe quidẽ illam confeſſionem erratorum, non, vt Lutherus cenſuit, miraculorum; tamen non omnium peccatorum, ſed quorundam tantùm, vt cuique placuit, ideò minimè ſacramentalem. At vnde, quæſo, id Caluinus intulit? Si enim ita liceat Scripturas interpretari, vt vbi peccata dicuntur confeſſa, vel dimiſſa, non omnia, ſed aliqua tãtùm intelligantur, abſurdiſſima ſequerentur. Vt cùm dixit Christus Magdalenæ [u]: *Remittuntur tibi peccata tua.* aliqua tantùm: non verò omnia dimiſſa ſignificentur. Et Paralytico [x]: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et de Chriſto dicitur [y]: *Ecce Agnus Dei: ecce, qui tollit peccata mundi.* & alibi [z]: *Ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* De aliquibus tantùm, non de omnibus dictum intelligamus. Similiter hic in Actis apoſtolicis Ananias Paulo dixit [a]: *Ablue peccata tua.* procul dubio omnia, & non aliqua tantùm: & alia paſſim occurrunt in ſacra Scriptura teſtimonia, quibus peccata etiam ſine ſigno vniuerſali nominata, nemo dubitat eſſe omnia ſine vlla exceptione intelligenda.

u *Luca c. 7. v. 48.*
x *Matth c. 9. v. 2.*
y *Ioan. c. 1. v. 36.*
z *Matth. c. 1. v. 21.*
a *Act. c. 22. v. 16.*

Sed nihil his perſuaſus Caluinus, vt oſtendat ex Epheſiorum Cõfeſſione nihil poſſe nos inferre pro noſtra ſacramentali Confeſſione, addit per quãdam cõtra nos gradationem plures antitheſes, ſic dicens [b]: *Hos Epheſios ſemel legimus eſſe confeſſos: Papa lex quotannis, vt minimùm, repeti iubet. Iſti ſponte prodierunt: Papa neceſſitate omnes obligat. Lucas multos veniſſe dicit, non omnes: in lege Papa nulla exceptio. Iſti coram fidelium cœtu ſe humiliarunt: Papa lõgè aliud mandatũ, vt clancularijs ſuſurris in aurẽ proprij Sacerdotis obmurmuret peccator. En quàm dextrè Scripturas ad probandas ſuas fallacias accommodent.* Hactenus Calumniator, qui, ſicut ineptè deducebat, non omnia peccata Epheſios tunc eſſe confeſſos, eò quòd Lucas particulam, *omnia*, non addiderit; ita nunc potiùs nugatur, quàm argumentatur, dicens, Non eſſe illos niſi ſemel confeſſos: quia Lucas id ſemel factum narrauit. Hac ratione nunquam eos baptizatos poterit inferre, nec vnquam Euchariſtiam ſumpſiſſe, quia nunquam id factum legimus in S. Luca. Quod addit illos ſponte prodiiſſe ad confitendum; Papam verò præcepti neceſſitate compellere; nihil eſt mirum: nondum enim lex eccleſiaſtica de annua Confeſſione habebatur, cùm ſatis per ſe prompti fideles eo tempore inuenirentur ad hoc Sacramentum, ſicut etiam Euchariſtiæ, quod ferè quotidianum erat. Sed neque præceptum Eccleſiæ, niſi pro aliquo anni tempore compellit, extra quod ſponte quamplurimos confiteri quotidie videmus. Eadem facilitate ſequens oppoſitio euaneſcit, qua dicitur Lucas affirmare, multos, non omnes veniſſe: Papæ legem nullos excipere. Nam ea lex tunc non extabat: deinde, etiamſi lata iam fuiſſet, vt nũc eſt, non erat tunc tempus: præterea, etiamſi fuiſſet tempus lege præceptum, nullos excipi falſum eſt: qui enim conſcientiam non habent le-

b *Calu. in c. 19. Act.*

thalis

thalis peccati, à lege illa eximuntur. Itaque non erat, quòd omnes venirent, imò neque multi: quia neque multos ex illis neophytis vrgeri ſolitos lethalibus criminibus eſt veriſimile, ſed tamen ex abundanti pietate culpas quoque optaſſe deponere leuiores. Nec minùs eſt vanum, quod poſtremò Caluinus opponit, Epheſios illos coram cœtu fidelium ſe humiliaſſe; nos autem id non facere, dum confitemur. Imò verò id nos cõmuniter facere omnibus eſt manifeſtum, qui catholicas Eccleſias intrantes, vbique videre poſſunt proiectos ad pedes Sacerdotum, vt illis ſua peccata confiteantur. Contra verò id Epheſios publicè feciſſe, cùm Eccleſię nondum eſſent ædificatæ, non eſt ita manifeſtum; ſolùm enim ſic ait S. Lucas [c]: *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciabant actus ſuos.* An autem ad Pauli pedes ita publicè ſe abiecerint, vt aſpiceret cœtus fidelium, hoc non exprimitur in ſacra Hiſtoria. Non deſunt tamen viri eruditi [d], qui, licèt minùs ſit certum, tamen non improbabiliter arbitrentur, illo duplici loquendi modo S. Lucæ: *Veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos.* duplicem modum confitendi videri ſignificatum, vtrunque in Eccleſia vſitatum; vnum ſecretum ordinarium à Chriſto Domino inſtitutum; alterum publicum ex deuotione aliquando permiſſum ad maiorem pro peccatis ſatisfactionem, & aliorum exemplum, ac ædificationem. De his enim apertum eſt Origenis teſtimonium circa illa verba Pſal. trigeſimiſeptimi [e]: *Quoniam iniquitatem meam annunciabo. Circumſpice* (inquit) *diligenter, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba priùs Medicum, cui debeas cauſam languoris aperire.* Tum ſubdit: *Si ipſe intellexerit, talem eſſe languorem tuum, qui in conuentu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo cæteri ædificentur, curandum eſt,* &c. Sed de modo, quo hi credentes Epheſi confeſſi ſunt, cùm Lucas aliud magis non explicet, nihil definimus: tantùm dicimus, nihil defuiſſe, quominùs eorum confeſſio potuerit eſſe ſacramentalis; & propterea talem fuiſſe meritò exiſtimant plurimi & doctiſſimi Auctores [f]. Imò illi pauci, qui pro contraria ſententia proferuntur, nihil aliud velle videntur, quàm illos Epheſios, quorum libri magici combuſti ſunt, pœnituiſſe, & graues ſuas culpas eſſe confeſſos extra pœnitentiæ Sacramentum, eò quòd Gentiles adhuc, & nondum baptizati arti magicæ operam dediſſent; quos propterea S. Auguſtin. [g] vocauit homines perditos, & artis nefariæ ſectatores. Quare priùs debebant illa pœnitentia ſe diſponere ad Baptiſmum: quod totum etiam nos libenter admittimus. Idémque Arator, non aliud in ſacro Poëmate voluit pro contraria ſententia prolatus, vbi ait:

> *Aſt alij magicis ponunt incendia libris,*
> *Vt mereantur aquas, & vitent ignibus ignes.*

Quamuis autem non exprimat S. Lucas, illos tanti pretij libros publicè concrematos fuiſſe artis magicæ; ſed ſolùm dicat fuiſſe hominum curioſa ſectãtium: nemo tamen dubitat, fuiſſe magiæ, tum quòd ars illa maximè ſit curioſa, tum etiam quia Epheſi, teſte S. Hieronymo [h], hæc dæmoniaca diſciplina valdè colebatur, & in pretio habebatur: vt propterea nullibi chariùs, quàm Epheſi Apollonius Tyanæus ſuæ magicæ artis merces nundinatus ſit, quod refert de illo Philoſtratus [i]. Vnde, cùm circa hæc tẽpora Epheſum veniſſet [i] Tyaneus, tantam ab Epheſiis iniuit gratiam, eamque

c Act. c. 19. v. 18.

d Staplet. in Antid. ad c. 19. Act.

e Pſ. 37. v. 19.

f Baron. an. 56. Bellar. l. 3. de pœnit. c. 4. Salm. tõ. 12. trac. 43. in Acta, & in præ. Ep. ad Epheſ. tom. 14. Valent. 3. p. d. 7. q. 9. puncto 2. Henriq. lib. 1. de pœnit. c. 1. Hoſius de pœnit. c. 47. Caniſ. lib. de corrupt. c. 8. Lindan. in panopl. l. 4. c. 66. Sancius in c. 19. Act. Staplet. in c. 19 Act.

g S. Aug. in Pſ. 61.

h S. Hie. in Præ. epiſt. ad Epheſ.

i Philoſt. lib. 4.

eámque ſibi apud illos cōparauit exiſtimationem, vt ſtatuam ei tanquam Diuo erexerint, & pro Numine adorarent [k]. Fieri etiā potuit, vt quamuis & artem illam execrabilem tunc neophyti Christiani nō profiterentur, nec vllo modo exercerent; libros tamen nonnullos illius diſciplinæ anteà magno pretio comparatos, nulla tunc id vetante eccleſiaſtica cēſura (vt vetuit poſteà) minùs cautè apud ſe eſſe permitterent; præſertim aliis ex eadē familia nondum ab idololatria reuocatis id procurantibus, & mordicùs eos retinentibus. Qui tamen omnes viſis S. Pauli tam multis & tā magnis miraculis, maximè in expulſione malignorū ſpirituum, intelligentes, quanti eſſet diſcriminis velle cum Dæmonibus aliquod habere commercium, partim ſpōte, partim vrgentibus ipſis cōtubernalibus Christianis. Fortè etiam Apoſtolo ita præcipiente protulerunt omnes huiuſmodi libros incendio publico exurendos. Vnde meritò poſteà mos in Eccleſia eſt inductus, ne quis præſertim Magus recipiatur, niſi libros omnes de magia combuſſerit: idémque legibus piorum Imperatorum ſancitum eſt [l], vt huiuſmodi nefaria ſcripta, tum Magorum, tum Hæreticorum ante oculos Epiſcoporum concrementur.

k *Phil. ibid. & Lact. Firm. lib. 5. c. 3.*

l *l. Mathemat. c. de Epiſ. audit. & l. vlt. de Hæret. c. Theodoſ.*

Quanti autem pretij iuxta noſtram pecuniam libri tunc exuſti computarentur, non ſatis conuenit inter Auctores: & quidem Græcè, ſicut etiam in Syriaca interpretatione, dicitur pretium ad quinque myriadas argenti perueniſſe: conſtat autem vnam myriadem decem chiliades, ſeu millenaria continere, vt propterea benè vulgatus Interpres reddiderit, quinquaginta millia denariorum. Conſtat prætereà denarios illos argenteos fuiſſe: nam Græcè dicuntur ἀργυρίῳ, varia tamen erat argentea pecunia, & nummi pro locorum ac temporum diuerſitate non ſemper & vbique eiuſdem pretij habebantur, ideò certi aliquid ſtatuiſſe videtur difficile. Nam, quod aliqui computāt, fuiſſe quinque millium noſtrorum ſcutatorum, hoc aliis non placet, & magis putant fuiſſe decem millium, alij ad longè maiorem valorem exiſtimant perueniſſe. Quidquid fuerit magis determinatè cognoſcere, parum refert, niſi, (vt inquit S. Auguſtinus [m]) *incenſos libros eſſe illius nefariæ doctrinæ tā multos, vt pertineret ad Scriptorem æſtimationem eorum facere, & ſummam pretij conſcribere: hoc vtique propter gloriam Dei, ne tales etiam perditi deſperarent.* Hac de malis artibus, & ſpiritibus malignis illuſtri victoria ab Apoſtolo reportata, quid inde ſecutum ſit ad eiuſdem veri Dei maiorem gloriam, & honorem paucis S. Lucas complexus eſt, dicens [n]: *Ita fortiter creſcebat verbum Dei, & confirmabatur;* hoc eſt, non tantùm longè, latéque veritas euangelica diffundebatur: ſed etiam altas agebat, profundáſque radices in animis plurimorum eam toto corde, & ſtudio ardentiſſimo excipientium.

m *S. Au. in Pſ. 61.*

n *Act. c. 12. v. 20.*

CAPVT VIII.

Qua occaſione ſcripſerit priorem epiſtolam ad Corinthios, dum Epheſo cogitat iterum Ieroſolymam, & inde Romam proficiſci.

Dvos iam annos Epheſi complecuerat Apoſtolus, & tertium ingrediebatur, qui humanæ ſalutis erat quinquageſimuſſeptimus, cū Octobri mēſe anni ſuperioris Claudio Imperatore

tatore veneno ſublato, opera Agrippinæ matris Domitij Neronis, & eadem Agrippina procurante, ſtatim ſubſtituto in imperio Nerone adoleſcente annorum octodecim, extinctum fuit cum Claudio illud eius edictum, quo Iudæi, ne in vrbe agerent, prohibebantur. Quapropter etiam Chriſtianis, qui ex Iudæis legem euangelicam ſuſceperant, libera facultas Romam redeundi conceſſa eſt. Hinc Paulo immiſſum à diuino Spiritu conſilium Epheſi vltrà non manere, niſi vſque ad Feſtum Pentecoſtes, tum viſitatis Eccleſiis Macedoniæ & Achaïæ ire Ieroſolymam, & tandem Romam ſe conferre. Narrat id Sanctus Lucas in Actis apoſtolicis, dicens [a]: *His autem expletis propoſuit Paulus in Spiritu, trāſita Macedonia & Achaia ire Ieroſolymam, dicens: Quoniam, poſtquàm fuero ibi, oportet me & Romam videre.* Hæc Sanctus Lucas, quibus optimè conſentiunt, quæ de hoc ſuo conſilio poſteà in literis, tum ad Corinthios, tum ad Romanos ſcriptis poſteà ſignificauit: nam ad Corinthios Epheſo diſceſſurus circa hoc tempus ita ſcripſit [b]: *Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam pertranſiero: nam & Macedoniam pertranſibo. Permanebo autem Epheſi vſque ad Pentecoſten.* De ſuo verò ſancto deſiderio veniendi Romam ſic non multò pòſt ſcripſit ad Romanos [c]: *Teſtis eſt mihi Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo, in Euangelio Filij eius, quòd ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis: obſecrans, ſi quomodo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Deſidero enim videre vos: vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos: id eſt, ſimul conſolari in vobis, per eam, quæ inuicem eſt, fidem veſtram atque meam.* In fine verò eiuſdem epiſtolæ iterum ea de re loquens ſignificat, ſe iam in Macedonia & Achaïa, ſecundùm quod anteà propoſuerat, fuiſſe, & eleemoſynas collegiſſe, vt eas deferret, quod & aliàs fecit, in Ieruſalem pauperibus Chriſtianis à Iudæis vexatis, à quibus etiam ipſe vix ampliùs poſſet ſibi cauere [d]. *Propter quod*, inquit, *impediebar plurimùm venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhuc. Nunc verò vlteriùs locum non habens in his regionibus; cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis, proficiſcar in Ieruſalem miniſtrare Sanctis. Probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui ſunt in Ieruſalem.* Et infrà: *Scio*, inquit, *quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Euangelij Chriſti veniam. Obſecro ergo vos, Fratres, per Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum, & per charitatem Sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus, qui ſunt in Iudæa, & obſequij mei oblatio accepta fiat in Ieruſalem Sanctis, vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei.* Hæc Sanctus Paulus, ex quibus agnoſcimus, quàm ratum ipſe ſemper habuerit ac certum, quod ſibi à Deo ſemel fuerat inſpiratum, oportere tandem in arce primaria Chriſtianæ religionis firmanda, Eccleſia, videlicet, Romana, ſuam operam cum Petro collocaret. Hoc illa eius verba ſignificant [e]: *Quoniam oportet me Romam videre. Iam*, inquit Chryſoſtomus [f] expendens hæc Pauli verba, *prophetat Apoſtolus, & prophetia ſua diſcipulorum excitat mentes.* Sed,

vt

a *Act. c.* 19. *v.* 21.
b 1. *Cor. c.* 16. *v.* 9.
c *Rom. c.* 1. *v.* 9.
d *Rom. c.* 15. *v.* 22. 23. 25. 29. 30.
e *Act. c.* 19. *v.* 21.
f *Chryſ. hom.* 42. *in Acta.*

vt interdum ſolet euenire Prophetis, qui non omnes diuinæ prouidentiæ rationes ac modos præuident circa rei prophetatæ adimpletionem: ita Paulus nihil quidem dubitabat ſe Romam aliquando peruenturum; ſed viam ac modum id exequendi à Deo expectabat. Vnde, cùm Ieroſolymis à Iudæis coniuratis, vt eum omninò interficerent, accuſaretur apud Præſidem Feſtum, & vrgerent in regio Agrippæ tribunali, ne ampliùs viuere permitteretur [g]: *Ad tribunal* (inquit) *Cæſaris ſto, ibi me oportet iudicari: Cæſarem appello.* Atque ita Romam cum militum cuſtodia, ne quid grauius pateretur ex tot inſidijs Iudæorum, tranſmiſſus fuit. Sed anteà, ſicut ſtatuerat, venit Ieroſolymam, vt collectas eò deferret eleemoſynas; & præterea, vt loca illa ſancta, quæ à tribus iam annis non viſitauerat, nunc vltimò veneraretur: diuino inſtinctu præſagiens ea ſe ampliùs in hac vita non eſſe viſurum: fortaſſis etiam vt de inſpirato ſibi à Deo conſilio eundi Romam cum S. Iacobo Ieroſolymorum Epiſcopo conferret, & ſi quę ad Petrum in vrbe Roma ſibi committeret ſignificâda pro illius, & aliarum Iudææ Eccleſiarum bono pleniùs exponeret. De hac igitur ſua peregrinatione tam longinqua propediem ſuſcipienda cùm Epheſi hoc tẽpore cogitaret, de ortis in Eccleſia Corinthiorum diſſenſionibus intellexit: omnem perturbationis cauſam fideliter Paulo exponentibus quibuſdam Epheſinis ex familia Chloës. Ita verò ſe res habuit, dum Epheſi Paulus tertio iam anno notaretur, Apollo diu concionabatur Corinthi, eò profectus, cùm primùm Apoſtolus Paulus Epheſum perueniſſet: hic etiamſi per omnia cum Paulo in euangelica doctrina conueniret; in modo tamen concionandi non parum differre obſeruabatur. Erat enim (ſicut ex S. Luca ſuperiùs enarrauimus [h]) Apollo vir eloquens valdè, & potens in Scripturis, admodùm diſertè concionabatur. At verò Paulus elegantiam ſermonis contemnebat: vnde ſic ipſe ad eoſdem Corinthios hac de re ſcripſit [i]: *Et ego cùm veniſſem ad vos, Fratres, veni nō in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuncians vobis teſtimonium Chriſti. Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi* IESVM *Chriſtum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate & timore, & tremore multo fui apud vos: & ſermo meus prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus, & virtutis.* Et in altera Epiſtola ad eoſdem [k], vocat ſe imperitum ſermone, Græcè, idiotam in verbis, quaſi rudi & plebeio vtentem genere loquendi. Non, quia, ſi voluiſſet oſtentare humanam eloquentiam, & orationis elegantiam, non potuiſſet, cùm referat de illo S. Lucas [l], aliquando in Lycaonia tanto plauſu concionatum, vt voce illius Gentilis populi altet Mercurius fuerit proclamatus, qui Deus eloquentiæ ab ipſis habebatur; ſed quòd humanam eloquẽtiam plerunque aſpernaretur: *Et non in ſapientia verbi* (aiebat ipſe [m]) *vt non euacuetur Crux Chriſti. Nam, quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes?* Hinc orta diſſenſio inter Corinthios, apud quos oratoria facultas & eloquentia magno erat in pretio, aliis Apollo propter magis excul um dicendi genus Paulo anteponentibus; aliis verò, vt æquum erat, Paulum ob ſapientiæ profunditatem magis commendantibus: Ita vt aliqui gloriarentur, ſe à Paulo, dum ibi ſeſquianno docuiſſet, fuiſſe inſtitutos; alij potius, quia eos Apollo erudiuiſſet, huius ſe malebant

g *Act. c.* 25. v. 10. 11. 24.

h *Act. c.* 18. v. 25.

i 2. *Cor. c.* 2. v. 1. 2. & 3.

k 1. *Cor. c.* 11. v. 6.

l *Act. c.* 14. v. 11.

m 1. *Cor. c.* 1. v. 18. 21.

malebant appellare diſcipulos: alij neutrius, ſed dicebant eam ſe doctrinam ac diſciplinam ſequi, quam Princeps Apoſtolorum, & Chriſti Vicarius Petrus tradidiſſet: alij denique, quam ipſe Chriſtus. Atque hoc eſt, quod illis in principio Epiſtolæ
a 1. Cor. c. 1. v. 11. Paulus obiicit, dicens [a]: *Significatum eſt mihi de vobis, Fratres mei, ab iis, qui ſunt Chloes, quia contentiones ſunt inter vos. Hoc autem dico, quod vnuſquiſque veſtrûm dicit: Ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ, ego autem Chriſti.* Hæc igitur prima huius ad Corinthios ſcribendæ Epiſtolæ ratio fuit, vt, nimirum, eorum ſedaret contentiones.

Sed & plures aliæ acceſsêre cauſæ momenti ſanè haud minoris: grauia enim quædam ſcandala inter fideles extabant: multi circa ritus eccleſiaſticos nondum ſatis firmatos, abuſus irreperant: lites in tribunalibus Iudicum Gentilium inter ipſos Chriſtianos frequentes agitabantur: varia dubia & quæſtiones fuerant per literas Apoſtolo propoſitæ circa iura matrimonij, de cœlibatu & virginitate, de eſu carnium idolis antea immolatarum, de velatione mulierum: de Cœna euchariſtica: de reſurrectione corporum, & illorum dotibus poſt reſurrectionem: de donis & gratiis, quas Theologi vocant gratis datas. Hæc omnia planiſſimè, & ſapientiſſimè S. Paulus in hac Epiſtola pertractat, quæ ad decem rerum capita reuocantur. Primùm enim illos ad ſanctam concordiam, amabilem vnionem, & Chriſtianam animi ſubmiſſionem adhortatur. Secundò, grauiter inuehitur in quendam publicum peccatorem inceſtuoſum, & minatur illi excommunicationem: hortatúrque Corinthios, caueant maximè huius generis delicta. Tertiò reprehendit eorum de rebus temporaneis contentiones, ac lites forenſes, præſertim apud ethnicos Magiſtratus, & oſtendit, quàm ſint indignæ hominibus Chriſtianæ profeſſionis. Quartò, reſpondet quæſitis de iure matrimonij, de conſilio virginitatis & cœlibatus, an liceat in aliquo caſu dimittere propriam vxorem, vel ad tempus diuortium facere, habere connubia cum infidelibus, & quanta ſit dignitas virginei ſtatus. Quintò, reſpondet quæſtioni de idolothytis, non eſſe illicitum illis veſci, dummodo non fiat repugnante conſcientia, vel cum ſcandalo aliorum. Sextò, quantopere fugienda ſit idololatria, & quàm ſeuerè à Deo punita fuerit in antiquis Iudæis. Septimò, corrigit duos abuſus circa ſacras cæremonias; vnum, de modo orandi, & prophetandi à viro & muliere obſeruando in Eccleſia, vel cœtu fidelium; alterum, circa dignam, & decentem Euchariſtiæ perceptionem. Octauò, diſputat de donis Spiritus ſancti, & gratiis gratis datis, de charitatis natura, proprietatibus, excellentia ſupra omnes alias virtutes, chariſmata, & dona. Nonò, probat efficacibus rationibus mortuorum futurã reſurrectionem, ſine qua vana eſſet fides noſtra, & ſpes inanis. Decimò, collectas mandat fieri pro pauperibus Ieroſolymitis, & modum præſcribit: ac tandem concludit Epiſtolam exceſſu quodam amoris diuini; tum ei, qui non diligit Chriſtum Dominum, denunnunciat anathema, & maranatha. Quare nulla eſt S. Pauli Epiſtola, quæ tam multa eccleſiaſtica dogmata complectatur, & diſcutiat, ſiue fidei, ſiue morum grauiſſimas quæſtiones: ita vt omnia quodammodo, quæ poteſt Prælatus abſens in bonum Eccleſiæ ſuæ quaſi redacta in compendium vna hæc Epiſtola comprehendat.

Dubitatur autem ab aliquibus, an hæc fuerit prima, quã ad Corinthios Paulus dederit Epiſtola: propterea quòd in eius capite quinto [o] hæc verba legantur: *Scripſi vobis in Epiſtola, ne commiſceamini fornicariis*, &c. quibus verbis videtur omninò ſupponere, aliam ante hãc à ſe ſcriptam, vt in illius loci Cõmentariis affirmãt S. Ambroſius, S. Thomas, & alij quidã Interpretes recentiores [p]. Alij tamen ſecuti Chryſoſtomũ, & Theodoretũ cõtradicũt [q]: eò quòd illa verba poſſent intelligi de ſcriptis, nõ in alia, ſed in hac ipſa Epiſtola, vbi ait ſuperiùs loquẽs de inceſtuoſo [r]: *Tollatur de medio veſtri, qui hoc opus fecit.* & infrà: *Expurgate vetus fermentũ.* Et eſt aliquo modo probabile, præſertim quia nullo alio teſtimonio, vel leuiter indicatur, præter duas, quas habemus Epiſtolas, aliam ad Corinthios ab hoc Apoſtolo eſſe ſcriptam. Sed tamen attentiùs rem conſideranti, videbitur aliquantò probabilius, alias ante hanc dediſſe literas ad Corinthios in quibus fuſiùs ageret contra impudicitiam. Cur enim potiùs non dixit: Scripſi vobis ſuperiùs, vel ſcripſi vobis in hac Epiſtola, ſed in Epiſtola? Deinde, quæ ſuperiùs ſcripſit in hac Epiſtola, non niſi pauca fuerunt, & de vno tantùm inceſtuoſo, non de pluribus fornicariis. Prætereà, quia in Epiſtola ſecunda ad eoſdem Corinthios capite ſecundo, bis, vel ter ait: Scripſi vobis, & ſemper ſignificat non in illa, ſed in alia priore ſe id ſcripſiſſe: vt capite ſeptimo [s]: *Etiamſi* (inquit) *contriſtaui vos in Epiſtola, non me pœnitet.* intelligens aliam ſuam Epiſtolam ad Corinthios priorem, non illam præſentem, vt magis poſteà explicat. Denique in capite decimo innuens, quid ſentirent Corinthij de Epiſtolis ad eos à ſe miſſis: [t] *Vt autẽ* (inquit) *non exiſtimer tanquã terrere vos per Epiſtolam, quoniam quidem Epiſtolæ* (inquiunt) *graues ſunt, & fortes; præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis: hoc cogitet, qui huiuſmodi eſt, quia quales ſumus verbis per Epiſtolas abſentes*, &c. Igitur nõ vnam tantùm priorem ante illam, ſed plures miſerat Epiſtolas, niſi quis dicat, vſum eſſe figuratè numero multitudinis. Sed neque mirum videri deberet, alias datas præter duas, quas nunc habemus ad Corinthios Epiſtolas, ita vt quam nos ſecundam dicimus, eſſet tertia, & quam primam numeramus, eſſet ſecunda: ante ipſã verò ſaltem vna prior ſcripta fuerit contra vitium potiſſimùm impudicitiæ: nam hoc illa verba ſignificãt: *Scripſi vobis in Epiſtola, ne commiſceamini fornicariis.* πόρνοις, id eſt, ſcortatoribus, & libidini deditis. Hoc enim vitium Corinthi maximè dominabatur, vbi propterea, ſicut refert Suidas [u], Cothys Dæmon colebatur, tanquam præſes effeminatorum, & impudicorum. Quod magis confirmat Herodotus [x], & Iuſtinus [y]. Et Fanũ Veneris, ait Strabo [z], ita ibi fuit locuples, vt plures quã mille habuerit famulas ſacrorum meretrices, quas illi Deæ viri & mulieres dedicabant. Dio quoque Chryſoſtomus, qui his viuebat temporibus, teſtatur in ſua Corinthiaca, præ cæteris Græciæ ciuitatibus Corinthum fuiſſe veneream. Vnde abiit in prouerbiũ, κορινθιάζειν, id eſt, laſciuire, genio & libidini vacare. Quod malum ab opulentia, & deliciarum omnis generis affluentia ibi maximè fouebatur, propter commodum duorum marium Ionij, & Ægæi, inter quę ciuitas erat conſtituta: vnde non ſolùm copia mercium quarumcunque, ſed etiam hominum ſumma colluuies aduehebatur. Neque dignum videtur, magis exprimere Chriſtiano ſtylo, quãm honeſta & turpia

o 1. Cor. c. 5. v. 9.

p Caietanus, Lyranus, Gloſa, Iuſtinianus in c. 5. 1. Cor.

q Baron. an. 57. Salmerõ dubitat diſp. 8. in 1. ad Cor. Cornel. in c. 5. 1. Cor.

r 1. Cor. c. 5. v. 2. & 8.

s 2. Cor. c. 7. v. 8.

t 2. Cor. c. 10. v. 9.

u Suidas in verbo, Cothys.

x Herod. in Clio.

y Iuſt. l. 21.

z Strabo lib. 8.

pia; quaſi tamẽ honeſta, imò & religioſa pro cultu impudiciſſimæ Veneris ibi à Gentilibus celebrarẽtur: quæ proinde præſtat ethnicis Hiſtoricis & Poëtis relinquamus. Eam ob cauſã fortaſſis nõ curauit Apoſtolus, primã ſuã ad Corinthios Epiſtolã talia illorũ propria dedecora inſectantẽ eſſe aliis Eccleſiis cõmunẽ, ideóque literas illas facilè intercidiſſe. Quò tamẽ fuerat maior luxus Corinthiorũ, & intẽperãtia, eò cõmendabilior extitit Apoſtoli cultura, qui diuina iuuãte gratia perfecit, vt quod eſt apud Iſaiã [a]: *Quæ erat arida fieret in ſtagnum, & ſitiẽs in fõtẽ aquarũ. In cubilibus, in quibus dracones habitabant, oriretur viror calami & iunci; pro ſaliunca aſcenderet abies, & pro vrtica creſceret myrtus.* Nã Corinthi cœperũt ex Pauli inſtitutione ſacro velo, quod inſigne fuit virginitatis, dedicari Deo plurimæ virgines, & exemplo Corinthiorum cõplures Græcorum, aliarũque nationum Eccleſiæ idẽ fecerunt: de quo multa in ſuo de velandis virginibus libro Tertullianus. Tales præteteà progreſſus in omni genere virtutũ Corinthij habuerunt, vt ad eos poſteà ſic ſcripſerit Apoſtolus [b]: *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto* IESV*: quòd in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatũ eſt in vobis: ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia.* Qua commendatione vix aliqua maior eſſe poteſt. Erant prætereà inter illos multi inſignibus Dei donis, & virtutibus admirandis exornati, de quibus in eadẽ Epiſtola ſic ait[c]: *Cùm cõuenitis, vnuſquiſque veſtrûm Pſalmũ habet, doctrinã habet, apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet.* Quapropter Dæmon tot, tãtiſque progreſſionibus Corinthiorũ cũ inuideret, ſuperſeminare zizania diſcordiarũ & ſcãdalorũ florẽtiſſimæ illi, & adhuc nouæ Eccleſiæ nõ diſtulit, ad quæ protinus euellẽda Epiſtolam hãc omnibus, vt diximus, refertiſſimã documentis, & locupletiſſimã S. Paulus ſcripſit; ſiue prima fuerit, vt cõmuniter inſcribitur, quia alia prior nobis non apparet; ſiue, quod nõ eſt improbabile ex iis, quę anteà dicebã, hęc ſit ſecũda, quã tertia ſubſequatur.

[a] Iſai. c. 35. v. 7.

[b] 1. Cor. c. 1. v. 4. 5. 6.

[c] 1. Cor. c. 14. v. 26.

Illud haberi pro certo poteſt, Epheſi, non alibi, & hoc tẽpore, non anteà, vel pòſt, fuiſſe ſcriptam hanc Epiſtolam, anno, videlicet, Saluatoris quinquageſimoſeptimo, Epheſo, vbi iam anno tertio inchoato Paulus morabatur, cùm eſſet diſceſſurus Nã in capite illius poſtremo ſic ait[d]: *Permanebo Epheſi vſque ad Pentecoſten: oſtium enim mihi apertum eſt magnum & euidens.* Quare, quod habent Græca & Syriaca exemplaria, & nonnulla etiam Latina, ſcriptam hanc Epiſtolam Philippis, & per Timotheum miſſam, ſtare omninò non poteſt: nam Philippi sũt in Macedonia: quando autem hæc Paulus ſcripſit, nondum venerat in Macedoniam, ſiquidem in illo capite Epiſtolæ poſtremo ſic ait:[e] *Veniam autem ad vos, cùm Macedoniã pertranſiero: nã Macedoniã pertranſibo.* Igitur ita ſcripſit, quando tantũ in animi propoſito habuit ire in Macedoniã: quod tum, cũ Epheſi expectaret feſtũ Pentecoſtes, vt ibidẽ ipſe ſcribit, & conſentit Hiſtoria in Actis apoſtolicis, in qua dicitur[f], quòd Paulus manens Epheſi propoſuit Macedoniam pertranſire, vt inde iret Ieroſolymam. Deinde in fine eiuſdem Epiſtolæ ad Corinthios: [g] *Salutãt vos* (inquit) *Eccleſiæ Aſiæ.* At Philippi ſunt in Macedonia, non in Aſia, vbi tamen eſt Epheſus. Addit eandẽ concludens Epiſtolã: *Salutãt vos in Domino multùm Aquila, & Priſcilla cum domeſtica ſua Eccleſia,*

[d] 1. Cor. c. 16. v. 8.

[e] 1. Cor. c. 16. v. 5.

[f] Act. c. 19. v. 21.

[g] 1. Cor. c. 16. v. 19.

apud quos & hoſpitor. At Aquila cum Priſcilla Paulum hoſpitio exceperunt Epheſi, non verò vnquam Philippis, & quando primùm Paulus Epheſum venit, eos ſecum habuit comites itineris vſque Epheſum, ibique eos reliquit, vt habet Acta Apo-
h *Act. c.* ſtolorum [h]. Nec minùs à vero eſt
19.v 9. alienum, quod addebatur, videri miſſam hanc Epiſtolã per Timotheum. Quamuis enim in illius capite quar-
i 1. *Cor. c.* to ita legamus [i]: *Miſi ad vos Timo-*
4.v.17. *theum, qui eſt filius meus chariſſimus, & fidelis in Domino.* Tamen hinc non ſequitur, vt benè Theodoretus ad-
k *Theod.* uertit [k], fuiſſe ipſum huius Epiſtolæ
in c. 4.1. tabellarium: nam in alio capite ſic ad-
Cor. l 1. *Cor. c.* ditur [l]: *Si autem venerit Timotheus,*
16.v.10. *videte, vt ſine timore ſit apud eos.* Potiùs igitur credere debemus miſſum quidem ad Corinthios fuiſſe, non tamen cum hac Epiſtola, ſed ſeparatim, vt poſſet affirmare, ſi opus eſſet, à Paulo has literas eſſe profectas: vel anteà fuerat ad alia negotia præmiſſus, ad illos poſteà ſuperuenturus, vt conſolaretur & confirmaret. Atque hoc magis illa verba videntur ſigni-
m 1. *Cor.* ficare [m]: *Ideò miſi ad vos Timotheum,*
c. 4.v.7. *qui eſt filius meus chariſſimus, & fidelis Domino: qui vos commonefaciat vias meas, quæ ſunt in Chriſto* IESV, *ſicut vbique in omni Eccleſia doceo.* Tabellarios itaque huius Epiſtolæ non alios eſſe arbitramur, quàm illos ipſos, qui datas à Corinthiis ad Paulum literas pertulerunt: nempe, Stephanum Fortunatum, & Achaïcum, qui reſponſum Epheſi à Paulo præſtolabantur.

* * *

CAPVT IX

Documenta prioris Epiſtolæ ad Corinthios breui paraphraſi expoſita.

MIra Pauli ſapientia elucet in tota hac Epiſtola, prudentia ſingularis, cura paterna, & materna charitas. Docet in primo capite, qua ratione vtilis correctio ſit futura, primùm bona commendando, deinde mala oſtendendo, tum radices malorum euellendo. Sic itaque orditur Epiſtolam ſuam Apoſtolus [a]: a 1. *Cor.*

Paulus Apoſtolus IESV Chriſti, *c.* 1.v.1. Eccleſiæ ſanctæ Corinthiorum gra- *&c.* tiam precatur & pacem. Gratias teneor agere Deo perpetuas, & immortales, dum conſidero, quanto cum fructu Euangelium vobis per me, & Apollo fuerit prædicatum, & qualis ſpes maioris in dies profectus, ac tandem conſummatæ perfectionis in pleriſque veſtrûm appareat. Fidelis talia de vobis pro ſua parte promittens Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem Filij eius IESV Chriſti. Sed obſecro vos, Fratres, non ſint vllæ diſcordiæ inter vos: audiui enim non ſine multo animi mei dolore, quoſdam veſtrûm affectare, Pauli diſcipulos, non alterius appellari: alios potiùs Apollo; alios Petri; alios autem Chriſti. Quaſi verò à Chriſto Petrus, Apollo, vel ego diuidamur: aut attendere vos multùm debeatis, à quo noſtrũ, Chriſti acceperitis Baptiſmum, aut quæ magis in vno, quàm in alio noſtrorũ humana præſidia diſcernantur oratoriæ facultatis, mundanæ ſapiẽtiæ, vel prudentię: Chriſti interim, quæ in myſterio Crucis abſcondita eſt, diuina virtute poſthabita. Videte, Fratres, vocationis veſtræ rationes; tũ in vobis, qui vocati eſtis; tum in iis, à quibus vocati ad Euangelium fuiſtis

Apoſto

Apoſtolis Chriſti: quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia; vt non ſit, vnde quicquam vanè glorietur in conſpectu eius: ſed, qui volunt inter vos dignè gloriari, non in ſuis viribus, aut naturæ donis, non in Paulo, vel Apollo præceptoribus ſuis, ſed in Domino glorietur. Hinc tranſit ad ſecundum Epiſtolæ caput, à theſi ſuperiori hypotheſim ſubducendo, circa modum, quo ipſe obſeruauit in altiſſimis fidei myſteriis ſimplici ſtylo proponendis [b].

Et ego (inquit) cùm veniſſem ad vos, ô Corinthij, non veni in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ: quia venditare aliam ſcientiam minimè curaui, niſi profiteri, ſiue priuato ſermone, ſiue publica prædicatione humiliter ac ſimpliciſſimè ſummam Saluatoris IESV Chriſti crucifixi virtutem, vt veſtra ad fidem conuerſio non tribuatur humanæ ſapientiæ, vel eloquentiæ; ſed diuinæ virtutis efficacitati. Neque verò debui ego proferre ſtatim omnibus arcana ſublimiſſima noſtræ religionis, & ſapientiam illam velle diuulgare, de qua loqui tantùm expedit inter perfectos; ſapientiam, inquam, in myſterio abſconditam, iis magis ignotam, quos magis æſtimat mundus: nobis autem, qui mundo vileſcimus, diuino Spiritu reuelatam. De qua proinde cùm loquimur, non compta & fucata vtimur oratione, qualem exigit humana ſapientia; ſed ſimplici, graui, & efficaci, qualem ſuggerit diuinus Spiritus, & materia atque auditor ſpiritualis requirit. Sed pauci admodum hoc diuino Spiritu prædi ti inueniuntur. Plerique autem ſenſu potiùs ducuntur animali, qui propter eà rectè iudicare de rebus ſpiritualibus minimè poſſunt: imò quia carent ſenſu Chriſti, quem nos eius beneficio obtinemus, Dei ſapientiam ipſi exiſtimant eſſe ſtultitiam. Pergit capite tertio declarare, cur ſimplici, licèt ſolida doctrina, non autem vana ſcientia Corinthios inſtituerit, dicens [c]: c c. 3. v. 1. &c.

Et ego, Fratres, non potui vobis loqui tanquam in ſpiritu iam perfectis; ſed vt imperfectis & paruulis in Chriſto, quales etiam adhuc eſtis: quod inde apertè deprehenditur, quia diſcordiæ & contentiones ſunt inter vos. Siquidem vanè gloriantur aliqui veſtrûm, & iactant: Ego ſum Pauli diſcipulus. alij verò: Ego ſum Apollo. Sed, quid tandem eſt Apollo, quid Paulus? nónne inſtrumenta Dei, à quo motum, & virtutem omnem ſortiuntur? Ego plantaui, Apollo rigauit: ſed hoc nihil fuiſſet, niſi dediſſet incrementum Deus. Eſtis Dei agricultura, eſtis eius ædificatio: ego ſecundùm impertitam mihi à Deo gratiam, vt ſapiens architectus ieci prædicatione mea in vobis fidei noſtræ prima fundamenta, nec aliud primarium fundamentum, præter iam petitum, quod eſt Chriſtus, apponi poteſt. Alij venerunt ſuperædificantes: viderint ipſi veſtri Concionatores, ac Doctores, quid doceãt: videte & vos, Corinthij, quid doceamini, vtrùm ſupra iactum fundamentum ponantur lapides ſolidi & pretioſi, aurum, vel argentum firmæ ac ſanctæ doctrinæ: an ligna, fœnum, ſtipulæ, ſciẽtiæ vanæ, ventoſæ, & curioſæ. Quia ignis Purgatorij Chriſto Iudici explorator aſſiſtẽs probabit opus vniuſcuiuſque poſt mortem in iudicio particulari, & conſequenter ignis conflagrationis mundi, in quem deſinet ignis Purgatorij pro extremo

Iudicio vniuerſali, magis opera cuiuſcunque declarabit. Quæ ſi vana extiterunt, marceriam illi ſubminiſtrabunt, vnde puniatur vanus concionator, & Doctor nimis curioſus: quamuis, niſi grauiùs offendiſſet, tandem ſaluus euadet. Offendunt autem grauiùs illi, quos vtinam non diſperdat Deus, qui non ſolùm ædificio veſtro ſpirituali, quo debetis conſtitui templa Spiritus ſancti, vana & leuia docendo commiſcent; verùm etiam rixas, & ſchiſmata ſuſcitando deſtruunt, quod hactenus eſt ædificatum. Tollantur igitur omnes diſſétiones, ceſſet vana de hominibus gloriatio: quia ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Petrus, ſiue mundus totus, omnia inſeruient vobis, vt Domino Ieſu Chriſto perfectiùs obſequi valeatis. Capite quarto ſequenti magis aggrauat obiurgationem dicens [d].

d c. 4. v. 1. &c. Cogitare interim debetis, verè nos eſſe Chriſti miniſtros, & diſpenſatores myſteriorum Dei. An autem fideliter officio noſtro fungamur, mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut à mortali Iudice in vita præſenti. Neque iudico ego meipſum: nam, ſicut non ideò iuſtus ſum, quia nullius me culpæ redarguit propria conſcientia; ita neque iniuſtus, ſi damner ab hominibus. Expectemus igitur infallibile iudicium Dei. Quod pro exemplo dictum ſit de me, & Apollo, vt diſcant alij, nec dare, nec accipere occaſionem contentionum, arrogantiæ, deſpicientiæ quorundam, & aliorum nimiæ commendationis. Nam, quid eſt, vnde tantoperè vnus extolli ſupra alium poſſit? cùm & falli hac in re ſit facillimum, & quando benè aduerteret aliquis in ſeipſo eminere aliquod, ſiue naturæ, ſiue gratiæ donum, non tam ſibi, quàm Deo id acceptum referre iure optimo teneretur. Sed iam vos reputatis omnibus Dei donis cumulatós, iam regnare, iam triumphare. Vtinam eſſet ita, nec ampliùs opera & labore noſtro indigeretis. Equidē, quod ad me attinet, puto nos Apoſtolos à Deo non iam huiuſmodi triumphis deſtinatos; ſed extremis huius ſæculi ſuppliciis tanquam in theatro præſentis vitæ, ſpectatoribus cum Deo ſimul Angelis, & hominibus. Habeamur nos ſtulti propter Chriſtum, vos prudentes: nos infirmi, vos fortes: vos nobiles, nos ignobiles. Certè hactenus vbique miſerias experimur, eſurimus, ſitimus, nudi ſumus, cædimur, eiicimur; vitam, laborando manibus noſtris, ne vllū grauemus, ægrè ſuſtentamus: & dum benè mereri de omnibus ſatagimus, tanquam purgamenta mundi huius, & reiectamenta viliſſima facti ſumus. Hæc vt filios meos chariſſimos admoneā, non verò vt confundam, ſcribo. Nam ego Pater veſter ſum in Chriſto, cùm per Euangelium vos genuerim, quātumlibet alios præter me multos non tam patres, quàm pædagogos, vſque ad decem millia numeraretis. Rogo, eſtote imitatores mei, ſicut ego ſum Chriſti. Miſi propreteà Timotheum ad vos chariſſimum mihi, fideliſſimum Chriſto: ſequar ego poſteà. Sed, quid vultis? iratúsne veniam ad vos? vt inflatos iſtos, qui me non expectant, ſeueriùs corrigam: an, quod mallem, in ſpiritu veniam māſuetudinis, & paternæ maternæque charitatis. Tum capite quinto proximè ſequenti acriter reprehendit notorium flagitium hominis inceſtuoſi, declarans illum excommunicatione dignum, & Dæmonis corporali vexatione, dicens [e]:

Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis, qualem etiam ethnici execran e c. 5. v. 1. &c.

execrantur, vt nouercam habeat ſibi aliquis concubinam;& altos interim geritis ſpiritus, qui lugere potiùs maximè deberetis,& huiuſmodi ſcandala inter vos nullo modo tolerare. Ego certè,quamuis abſens, iudico ac ſi eſſem præſens, vt vos in Eccleſia congregati denũcietis meo nomine, in virtute Domini IESV Chriſti eum, qui tale ſcelus perpetrauit,excommunicatum à veſtra congregatione, vt tradatur Satanæ, ſi fortè hac vexatione corporis, animus reſipiſcat, & ſpiritus eius ſaluus fiat. Sit iſte de cætero ſapiens, nobilis, primarius inter vos,tantò magis humiliari, nõ extolli deberetis.Eiicite tã putidũ concubinariũ quamprimùm è veſtro cœtu,& ſi quis eſt ei ſimilis,ne quaſi fermentũ totã multitudinis maſſam inficiat. Vt dignè Chriſtianũ Paſcha in azymis ſynceritatis,& veritatis,nõ in fermento malitiæ,& nequitiæ,celebretis. Scripſi vobis in alia Epiſtola,ne cũ huiuſmodi ſcandaloſis commercium habeatis: aliqui non benè intellexerunt,putantes me locutũ de paganis, nõ de fratribus Chriſtianis, imò verò de his loquebar,qui Eccleſię poteſtati ſubiacẽt,& corrigi noſtra cẽſura poſſunt,ac debẽt: nã infideles, quia extra Eccleſiam ſunt,& propter multitudinem incorrigibiles, diuino iudicio ſunt relinquendi.Tranſit poſt hæc capite ſexto ad litigia & iudicia fidelium coram ethnico Iudice inſtituta redarguenda [f].

f cap. 6. v. 1. &c.

Audet aliquis veſtrûm habens litẽ cum altero,vocare illum ad Iudicẽ ethnicum potiùs, quàm Chriſtianũ. An ignoratis Sanctos,quales eſſe vos conuenit,in extremo Iudicio totum mundũ,hoc eſt,tũ homines,tum Angelos ſimul cũ Chriſto tanquã illius aſſeſſores eſſe iudicaturos?Quomodo igitur nõ poteſtis de vilibus rebus iudicare, & lites huiuſmodi cõponere inter vos?At idoneũ forſaſſe arbitrum neminem habetis? hoc veſtrũ profectò eſt dedecus:præſtaret tamẽ quantumuis ineptũ ex vobis, quàm vllũ ex ethnicis Iudicem talibus litibus conſtituere.Sed meliùs omninò non litigare,præſertim cũ iniuria & oppreſſione fratris. Illud certum habete, pro huiuſmodi iniquis litigatoribus non eſſe regnum Dei,ſicut neque pro furibus,pro impudicis, pro ebrioſis, pro blaſphemis,aut idola colentibus. Quæ quidẽ crimina ſi aliquando cõmiſiſtis, nunc ſanctificati per Chriſti gratiã ampliùs admittere nõ debetis. Non nego licere interdum ſua in iudicio repetere; ſed non expedit vos talibus Iudicibus ſubiicere, præſertim ob res tã viles,& corpori tantùm mortali deſeruientes,quod cedere tãdem debet in eſcam vermiũ;nec pro eo,dum viuit, adeò debetis eſſe ſolliciti,atque ita molliter illud tractare, vt ſpiritui rebellans, non Deo, ſed fornicationi ſeruire doceatur. Quia corpus non eſt noſtrũ, ſed Domini, à quo,ſi vixerit in caſtimonia, ſuſcitabitur gloria beatitudinis exornatum. Neque deberemus conſiderare,quaſi corpora ſint noſtra, ſed tanquam Chriſti eſſent membra: quæ proinde abſit,vt ei ſurripiãtur, & membra fiant meretricis. Nam, quemadmodum qui adhæret meretrici, vnum cum ea fit corpus: ita qui adhæret Deo,vnus cũ eo fit ſpiritus. Et ſicut vitio impudicitiæ corpus maximè dedecoratur, & inficitur: ita virtute oppoſita caſtitatis templum conſtituitur Spiritus ſancti nobiliſſimum, ſacratiſſimum, emptum pretio magno Sanguinis Chriſti. Glorificate igitur, & portate Deum in corpore veſtro.Hinc ad ſeptimum tranſit epiſtolæ caput,in quo plures ſoluit propoſitas ſibi à Corinthiis circa matrimonium quæſtiones [g].

g cap. 7. v. 1. &c.

Quod verò (inquit) ſpectat ad quæſtiones, quas mihi de matrimonio, cœlibatu, & virginitate propoſuiſtis, ita reſpondeo. Bonũ quidẽ eſt à coniugio protſus abſtinere; ſed, ne quis incidat in fornicationem, habeat ſibi vir eam, quam duxit, vxorem; & mulier ſuum virum, & debitum coniugale ſibi inuicem non negent, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacent orationi, ſtatuant continere, quo tranſacto redeant ad vitam coniugalem: quod tamen indulgeo, non præcipio fieri, ne propter incontinentiam à Satana decipiantur. Vtinam enim omnes velint, ſicut ego Dei gratia & dono, perfectam obſeruare continentiam. Sed, quia non omnes reddunt ſe tali gratia dignos, ideò quibus aliunde non eſt nubendi impedimentum, ſatius videtur pro remedio concupiſcentiæ nubere, quàm vaga libidine aduri [d]. Quod verò pertinet ad alterum veſtrum quæſitum, an liceat facere diuortium: reſpondeo, non tam meo, quàm Chriſti præcepto, vxorem à viro non debere diſcedere, quòd ſi diſceſſerit, teneri innuptam manere, aut viro ſuo reconciliari. Cæteris ego dico, non Dominus, virum fidelem non debere vxorem dimittere infidelem, dummodo coniux infidelis conſentiat pacificè habitare cum coniuge fideli: fieri enim poteſt, vt coniux infidelis ad fidem & ſanctitatem inducatur, per ſuum coniugem fidelem [i]. Ad illam alteram quæſtionem, an mutari ſtatus debeat propter Chriſtianã religionem, ita vt coniux, qui fuit ſeruus in paganiſmo, factus Chriſtianus, liber efficiatur, & qui fuit ethnicus, anteà quàm Chriſtianus fiat, debeat ſuſcepta circunciſione fieri Iudæus. Reſpondeo non debere. Ad poſtremam de virginibus quæſtionem, an, videlicet, quæ ad Chriſtum virgines cõuertuntur, debeant in eo ſtatu perſeuerare [k]: dico, me de huiuſmodi virginibus præceptum Domini non habere; ſanctum tamen eſſe conſilium, tanquam de re excellentiori, quàm ſit matrimonium, ob ſex potiſſimum rationes [l]. Primùm, propter præſentis temporis vrgentem neceſſitatem comparandi nobis lucra & commoda ſpiritualia, & æterna magis quàm temporalia [m]. Secundò, quia coniugati iugo ſui ſtatus, & vinculis inſolubilibus, quibus liberantur virgines, ſunt alligati [n]. Tertiò, quoniam quamplurimæ ſunt in ſtatu matrimonij tribulationes carnis, moleſtiæ, & afflictiones [o]. Quartò, nam Virgo non eſt, quòd aliud cogitet, niſi quomodo placeat Deo: at coniugatus habet cor ſuum & curas, partim in Deum, partim in coniugem diſpertitas [p]. Quintò, mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Nupta neque corpore ſæpè, neque ſpiritu [q]. Sextò denique cœlibatus facultatem præbet virgini ſine impedimento Dominum obſecrandi: matrimonium autem mille habet impedimenta deuotioni & pietati aduerſantia. Pergit capite octauo aliam ſoluere quæſtionem, an liceat veſci cibis idolothytis, id eſt idolo immolatis, vel oblatis, & ita reſpondet [r].

De iis quæ idolis ſacrificantur, nemo eſt fide Chriſtiana imbutus, qui neſciat, idola res eſſe vaniſſimas & nihili faciendas, vnúmque eſſe verum Deum, & Dominum IESVM Chriſtum. Quapropter idolis oblata cibaria perinde comedi poſſunt, ac ſi nulli fuiſſent oblata. Sed hoc aliqui veſtrûm non benè adhuc intelligunt, aut vti hac ſcientia ad ædificationem, defectu charitatis neſciunt, dum

d *ibid. c. 7. v. 10. &c.*
i *ibid. v. 17. &c.*
k *ibid. v. 25. &c.*
l *ibid. v. 26.*
m *ibid. v. 27.*
n *ibid. v. 28. &c.*
o *ibid. v. 23. &c.*
p *ibid. v. 34.*
q *ibid. v. 35. &c.*
r *cap. 8. v. 1. &c.*

dum idolothyta comedunt, repugnāte conſcientia, vel cum ſcandalo aliorum. Ego verò mallem carnes quaſcunque etiam idolis non oblatas in æternum non guſtare, quàm fratrem meum eas edendo ſcandalizare. Pergit capite nono declarare, quanto ſtudio ſcandala Fratrum ſint euitanda, etiam cum propria incommoditate, afferens exemplum ſui, & ſic dicens[s]:

s cap. 9. v. 1. &c. Nunquid ego non ſum Apoſtolus, ſicut alij? cùm tot ſigna extent Apoſtolatus mei, maximè apud vos. Liceret itaque mihi, ſicut & aliis Apoſtolis, vitam ſuſtentare alimentis à fidelis & ſequacibus perſonis ſubminiſtratis. Quis enim vnquam cogitur ſuis tantùm ſtipendiis militare? Quis de vinea, quam plantauit, edere prohibetur? Quis gregem paſcens, de lacte non edit? Siquidem non humano tantùm, ſed etiam diuino id conceditur iure: cùm dicat Scriptura[t], boui *t Deut. c. 25. v. 4.* trituranti non eſſe os alligandum. Et tamen vti hac poteſtate noluimus, ne vllum daremus offendiculum Euangelio Chriſti. Neque hæc ſcribo, vt à vobis talia exigam: opto mori magis, quàm in hac, vel alia re minuere gloriam Euangelij. Teneor quidē euangelizare, non tamen gratis id facere; ſed gratis facio nihilominùs, vt hæc ſit merces mea: Euangelium prædicando ſine ſumptu ponere Euangelium: omnibus omnia fieri propter Chriſtum, vt omnes Chriſto lucrifaciam, omnes ſaluos Saluatori meo pro mea parte reddam. Neſcitis vitam hanc noſtram eſſe veluti ſtadium, & agonem, in quo ſemper ad meliora progredi, & ad brauium æternæ felicitatis contendere oporteat omnium virtutum exercitatione, ieiunio, abſtinentia, & aſſidua corporis caſtigatione[u]? Ego igitur ſic cur- *u ibid. v 26.* ro, non quaſi ad metam incertam; ſic pugno, non quaſi aërem tantummodo verberans: ſed caſtigo flagris, ieiuniis & variis afflictionibus corpus meum, atque in ſeruitutem redigo; ne forte cum aliis prædicauerim ipſe reprobus efficiar. Terret deinde illos capite decimo ab omni ſuperſtitione & cultu idolorum, & de idolothytis pleniùs inſtruit, dicens[x]: *x cap 10. v 1. &c.*

Quapropter obliuiſci vos nolo Patres noſtros omnes duce Moyſe ab Ægypto liberatos, nube per diem eos præeunte, & omnes mare rubrū tranſiuiſſe, omnes manna manducaſſe, quæ myſticè figurabat Euchariſtiam, bibiſſe aquam typicam de petra Chriſtum figurante, cuius virtus & gratia eos proſequebatur: & tamen ipſorum culpa in deſerto perierunt, nec ad terram promiſſionis, exceptis paucis, peruenire potuerunt. Vt eorū exemplo diſcamus cauere vanū cultum idolorum, fornicationem, intemperantiam, murmurationem, indomitas concupiſcentias. neque permittamus nos à tentationibus ſuperari, quia Deus non ſinet vnquam nos tētari ſupra id, quod grati a ipſius poſſumus. Idolis immolata quaſi ſacra guſtare vobis non licet, qui de Chriſti Corpore & Sanguine in anguſtiſſimo Euchariſtiæ myſterio participatis. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum, menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum. Licebit tamen vobis emere carnes quaſcunque venales expoſitas in macello, vel eas edere etiam inuitati ab infidelibus, dummodo non interrogetis, vel non audiatis aliquem proteſtantem fuiſſe idolis ſacrificatas: quia, ſi Gentilis eſt, qui hoc teſtatur, videbimini velle illius ſuperſtitioni conſentire; ſi vero ſit Iudæus, aut fidelis quiſpiam ſcrupuloſus, facile ſcandalizabitur. Sine offenſione autem, quantum fieri poteſt,

vos eſſe oportet, cum Gētilibus, tum Iudæis, & toti Eccleſiæ Dei, ſicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant. Tranſit capite vndecimo ad aliud quæſitum de velandis mulieribus, & conſuetudinibus quibuſdam per abuſum inductis in celebranda Cœna euchariſtica, atque ita reſpondet quæſitis [y].

y cap. 12. v. 1. &c.

Omninò debēt mulieres velare inter orandū capita ſua, præſertim dum publicè orant. Primùm, quia id exigit honeſtas & verecundia mulieris. Secundò, in ſignum ſubiectionis, qua ſunt in viri poteſtate tanquam capitis ſui, cui propterea dicuntur nubere, cū traduntur in matrimonio. Tertiò, quia ſi aperto capite appareant in Eccleſia, non homines modò, ſed etiā Angeli in magno numero ibi vagantes, offenduntur. Quartò, ex eo quòd ipſa natura comam mulieri pro velamine dediſſe videatur. Sextò denique, propterea quòd hæc eſt Eccleſiæ Dei laudabilis conſuetudo [z]. Tum in reliquo capite abuſus reprehendit in Cœna euchariſtica; nempe, diuitum quorūdā excludentium pauperes ab antecedēti cœna cōmuni, vt genio, & ebrietati liberius indulgerēt [a]. Recēſet auguſtiſſimi Euchariſtiæ myſterij inſtitutionem, & ſcelus ac pœnam indignè ad illud accedentium, mandans, vt prius vnuſquiſque ſeipſum probet; qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicās Corpus Domini. Hinc trāſit capite duodecimo ad gratias gratis datas, variè a Spiritu sācto diſtributas [b].

z ibid. v. 17. &c.

a ibid. v. 23. &c.

b cap. 12. v. 1. &c.

Diuiſiones (inquit) gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. Alij quidē per Spiritum datur ſermo ſapientiæ; alij autem ſermo ſcientiæ, alteri fides, alij gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum, interpretatio ſermonum. Quod deinde explicat ſimilitudine corporis humani, cuius varia ſunt membra, & operationes: atque inde concludit, quencūque in Eccleſia debere eſſe ſuo gradu contentum, ſuo munere fungi, ſeque inuicem, vt eiuſdem corporis membra omnes iuuare. Deum altiſſimo conſilio Eccleſiæ prouidiſſe de ſtatibus hominum diuerſis, vt alij ſint Apoſtoli, alij Prophetæ, alij Doctores. Æmulamini autem chariſmata meliora. Quę verò ſint hæc meliora chariſmata, docet capite ſequenti [c].

c cap. 13. v. 1. &c.

Potiſſimum eſſe chariſma ait, Dei & proximi charitatem, ſine qua nulla alia virtus proſit, nullum donū quidquam valeat. Eius ergo conditiones, ſiue officia in proximos enumerat vſque ad ſexdecim: Charitas (inquit) patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, &c. Denique charitatis etiam excellentiam inde manifeſtat, quòd fide mutata in beatā viſionem, ſpe in æternam fruitionem, atque ita ſolū in hac vita durantibus, vna charitas, & in hac & in alia vita eadē perſeueret. Poſt hæc de aliis donis, & gratiis gratis datis diſſerit capite decimoquarto, oſtendēs prophetiæ donū eſſe dono linguarū præferēdū [d].

d cap. 14. v. 1. &c.

Primū, quia prophetia vtilior eſt ad ædificationem aliorū; linguæ verò aliis non proſunt, niſi eas aliquis interpretetur. Secundò, ex eo quòd prophetia magis propriè ſit pro fidelibus; linguæ autem potius datæ ſunt in ſignum infidelibus. Deinde, modum & formam præſcribit his donis conuenienter vtendi: ordinem prætereà tradit, qui ſeruari debeat in ſacris Eccleſiæ conuentibus, vbi omninò mulieres tacere iubentur [e].

e cap. 15. v. 1. &c.

Capite decimoquinto efficaciter probat futuram mortuorum reſurrectionem aduersùs quoſdam perfidos contradicentes: primùm ex eo quòd

Chriſtum

Chriſtum reſurrexiſſe manifeſtiſſimũ eſt. Deinde ordinem reſurrectionis exponit. Tertiò, cõfirmat reſurrectionem ex cõmuni ſenſu piorum, à Baptiſmo ſuſcepto, præſertim in extremo vitæ, ex ærumnis Sanctorum tam hilari animo toleratis, ex conſtantia Martyrum in tormentis. Quartò docet, quale ſit futurum corpus humanum in reſurrectione. Quintò, dotes corporis glorioſi magis exponit. Sextò, docet omnes quidem eſſe reſurrecturos, ſed nõ omnes feliciter immutandos. Ac demum, qua ratione futura ſit reſurrectio in momento, tuba mortuos ad iudicium conuocante, perfecta verò reſurrectione mortem æterna victoria eſſe abſorbẽdam [g]. In decimoſexto Epiſtolę capite, quod eſt illius poſtremum, collectam mandat fieri pro pauperibus Ieroſolymitis. Deinde commendat eis Timotheum ad illos miſſum, poſteà Stephanum, Achaïcum, & Fortunatum: pluréſque alios, tum ſuo nomine, tum aliorum poſtulat ſalutari: & ad extremum iis, qui non diligunt Dominum IESVM intentat anathema, & denunciat maranatha, de quo dicetur inferiùs.

g *cap. 16. v. 1. &c.*

CAPVT X.

Sexdecim quæſita circa ſexdecim capita prioris Epiſtolæ ad Corinthios.

NOn omnia expendere dubia debemus, ſed pręcipua quędam ad noſtram Hiſtoriam expeditius proſequendam magis pertinentia. Primum igitur quæri poſſet circa caput primum, quid ſibi vellent Corinthij diſſidentes, & inter ſe dicẽtes [i]: *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ: ego autem Chriſti.* Nam, etiamſi Paulus, & Apollo haberẽt Corinthi diſcipulos, qui gloriari de talibus Magiſtris potuerunt; non tamen habuit Petrus, qui nondũ fuerat Corinthi. Aliqui reſpondent, etiamſi Petrus nondũ Corinthi fuerat, cũ hę diſſenſiones acciderunt; tamẽ ex iis, qui erant Corinthi hoc tempore potuiſſe anteà, ſiue Antiochiæ, ſiue Romæ S. Petri diſcipulos extitiſſe, quin etiã ab ipſo Sacramẽtũ Baptiſmatis accepiſſe, ſicut de Aquila, & Priſcilla ſuperius narrabamus. Sed manet eadẽ difficultas de aſſerentibus ſe eſſe Chriſti, quos veriſimile nõ eſt ſignificare voluiſſe, ſe Chriſti fuiſſe diſcipulos, prędicationẽ eius audiuiſſe, atque ab eo baptizatos fuiſſe. Quare potiùs dicendum eſt, qui iactabãt ſe Pauli, vel Apollo fuiſſe diſcipulos, ambitioſa contentione id feciſſe; non verò, qui dicebant ſe Petri, vel Chriſti; potiùs ita loquentes, vt ſchiſma declinarent, ac ſi dixiſſent: Nos ſumus Chriſti, hoc eſt, ſumus Chriſtiani: nos ſumus Petri, id eſt, Vicarij Chriſti, qui, ſiue per Paulum, ſiue per Apollo nos inſtruxerint, ſub eodẽ capite mẽbra vnita eſſe volumũs. Ita Baronius [k], qui proptereà benè obſeruauit, S. Paulũ, vbi ageret inferiùs de hac ipſa inter Corinthios orta diſſenſione aliquãtò clariùs, nullã amplius de Chriſto, vel Petro facere mentionẽ; ſed tantùm de ſe, & Apollo, quorũ occaſione fuerat excitata contentio [l]: *Cùm enim* (inquit) *quis dicat: Ego ſum Pauli: alius autẽ: Ego verò Apollo. nónne homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo? quid verò Paulus miniſtri eius, cui credidiſtis? Ego plãtaui, Apollo rigauit: Deus autem incrementum dedit.*

i *1. Cor. c. 1. v. 12.*
k *Baron. an. 57.*
l *1. Cor. c. 3. v. 4. 5.*

Secũdò quæri poteſt, quid illud ſit, quod in capite ſecundo Corinthiis ſcribit Apoſtolus [m]: *Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos.* cũ tamẽ ipſe valde eſſet excelſo animo, & generoſiſſimo. Reſpõdeo, per infirmitates non intellexiſſe S. Paulũ ęgritudines animi, vel corporis; ſed, vt ſæpè alibi loquitur [n], illatas moleſtias, perſecutiones, ærumnas,

m *1. Cor. c. 2. v. 3.*
n *2. Cor. c. 11. v. 30 &c. 12. v. 5. 9. 10.*

pericula:ex quibus angores oriebantur, non tam quia vitæ ſuæ timeret, quàm Chriſti cauſæ, & ſaluti animarum procurandæ. Vnde propter multa huiuſmodi aduerſa cogitabat Corintho diſcedere quamprimùm, & debuit à Chriſto per viſionem animari, dicente illi [o]: *Noli timere, ſed loquere, & ne taceas: propter quod ego ſum tecum, & nemo apponetur tibi, vt noceat te: quoniam populus eſt mihi multus in hac ciuitate.*

o *Act. c.* 18. *v.* 9.

Quęritur tertiò circa tertium eiuſdem Epiſtolę caput, cur ibi dicatur [p]: *Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat, & qui rigat, vnum ſunt. Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Hæc enim tria non videntur cohærere: nam, ſi neque qui plantat, eſt aliquid; neque qui rigat, quomodo vnum ſunt? Siquidem aliquid diuerſum inter ſe ſunt; & ſi diuerſa non ſunt, quomodo accipiet vnuſquiſque ſecundùm ſuum laborem? Reſpondetur, non eſſe aliquid, hoc eſt, valdè parùm, & ferè nihil id, quod miniſter Euangelij facit, comparatum cum eo, quod facit Deus. Primò, quia Deus in huiuſmodi operibus habet primas & præcipuas partes. Deinde, quia noſtra cooperatio eſt etiam effectus diuinæ gratiæ ob id appellatæ cooperantis. Præterea, quia dignitas operis, & meritum in eſſe ſupernaturali non eſt a libero noſtro arbitrio, ſed à gratia & auxilio Dei. Denique, quia ſicut agricola plãtans, aut rigans arborem, nihil intrinſecum operatur in plantã; ſed germen, flores, & fructus ſunt à terræ fœcunditate, ab influxu cœlorum, à Deo dante illis virtutem, & arbori vigorem poma gignendi: ita Concionator extrinſecus tantùm, & circa aures corporis potiùs, quàm cordis operatur. Quod verò addit Apoſtolus [q]: *Qui autem plantat, & qui rigat, vnum ſunt.* ſignificat eſſe vnum, idémque miniſterium, ad eundem finem, eiuſdem Chriſti miniſtros, vnitos perfecto vinculo charitatis. Quare non debere propter ipſos ſchiſmata fieri, vnum extollendo nimis ſupra alterum, aut infrà deprimendo. Quàm autem vnuſquiſque mercedem meritus ſit, Dominus iudicabit, non ſecundùm fructum, plauſum, & commendationem hominum: *Sed vnuſquiſque*, inquit, *propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*.

p 1. *Cor. c.* 3. *v* 7.

q 1. *Cor. c.* 3. *v.* 8.

Quæſitum quartum occurrit circa illa verba capitis quarti [r]: *Mihi autem pro minimo eſt, vt a vobis iudicer, aut ab humano die.* Videtur enim hoc ipſi Paulo contradicere ſcribenti in altera Epiſtola ad eoſdem Corinthios [s]: *Prouidemus bona non ſolùm coram Deo; ſed etiam coram hominibus.* Et addit rationẽ, dicens: *Deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ miniſtratur à nobis.* Deinde, quid intelligit per humanum diem? Reſpondeo, per humanum diem, vt hinc ordiamur, ſignificare humanum iudicium: vnde Latino loquendi modo, diem alicui dicere, eſt in iudicium illum vocare. Et putat S. Hieronymus in epiſtola ad Algaſiam [t], vſitatam fuiſſe Cilicum phraſim, qua Paulus, qui ex Tarſo Ciliciæ erat oriundus, libenter vteretur: ſed magis videtur reſpexiſſe Hebraïcam locutionem, de qua Ieremias [u]: *Diem* (inquit) *hominis non deſideraui; Domine, tu ſcis*: id eſt, humani fauoris & mundanæ felicitatis: quaſi diceret: Quòd me homines, vel magni, vel parui faciant, vtrumque parui facio: non dixit, nihili facio; ſed, *mihi pro minimo eſt, vt a vobis iudicer*, id eſt, commender, aut condemner, cùm expectem illũ Domini diem Iudicij

r 1. *Cor. c.* 4. *v.* 3.

s 2. *Cor. cap.* 8. *v.* 20.

t *S. Hier. in ep. ad Algaſiã, q.* 10.

u *Ier. c.* 17. *v.* 16.

dicij vniuerſalis, de quo dixerat capite præcedenti [x]: *Dies Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.* Et S. Petrus [y]: *Adueniet* (inquit) *dies Domini, in quo cœli magno impetu tranſient: elementa verò calore ſoluentur.* Et illius diei condemnatio erit ęterna damnatio, commendatio felicitas ſempiterna. Ideò in comparatione illius magni diei, humani diei laudes, & vituperationes minimi faciendas: nulla interim data occaſione, vt non ſolùm à Deo, qui non fallitur; verùm neque ab hominibus condemnari, quantùm in nobis eſt, meritò debeamus. Propterea dixit: *Prouidemus bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.*

x 1. *Cor.* c.3.v.13.
y 1. *Petri* c.3.v.10.

Quæritur quintò circa ſequens caput quintum, quis ille fuerit inceſtuoſus [z], quem Apoſtolus Satanæ tradendum mandauit: & vtrùm illa cenſura propriè fuerit excommunicatio, & quid ſit tradere Satanæ in interitum carnis? Reſpondeo exiſtimaſſe S. Chryſoſtomum [a], Theodoretum, & alios, illum inceſtuoſum fuiſſe hominem non vulgarem; ſed ex primariis, potentem & humanis ſciẽtiis pereruditum, qui ducẽ ſe præberet factionis & ſchiſmatis inter Corinthios. Et hoc eſt valdè veriſimile: nam S. Paulus ſtatim à reprehenſo ſchiſmate tranſit ad huius correctionem, qui, ſi fuiſſet vilis & infimæ ſortis, non tam facilè à Corinthiis tolerari debuiſſet. Vnde neque illum S. Paulus nominat, eò quòd eſſet omnibus conſpicua & nota perſona. Fuiſſe verò mandatum à S. Paulo, vt à Prætis Eccleſię publicè excommunicaretur cenſura excommunicationis propriè dictæ, quali nunc vtitur Eccleſia; omnes ferè Patres conſentiunt apud Baronium [c], qui etiam docent, propterea Paulum noluiſſe per ſe illũ excommunicare; ſed mandaſſe Prælatis Eccleſiæ Corinthiorum, conuocatis ſimul aliis fidelibus; vt, quia res erat odioſa, trahẽs etiam aliquod periculum ſeditionis, cautiùs fieret aſſenſu, aſſiſtentia, & quaſi communi approbatione totius Eccleſiæ. Dicebantur autem tradi Satanæ huiuſmodi excommunicati, quia extra Eccleſiam, & Chriſti ſocietatem expulſi, priuati fidelium ſuffragiis, orationibus, Sacramentis, Dei protectione, Paſtorum cura, Diaboli tyrannidi & incurſibus maximè erant expoſiti, à quibus etiam ſæpè illis primis Eccleſiæ temporibus corporaliter obſidebantur, donec reſipiſcerent. Et hoc ſignificare S. Paulus videtur illis verbis: *Iudicaui tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat.*

z 1. *Cor.* c.5. v.1. &c.
a S. *Chry.* hom. 15. in 1. ad *Corinth.*
c *Baron.* an. 57.

Quæritur ſextò, cur S. Paulus capite ſexto reprehendat in Corinthiis acceſſum ad ſæcularia Gentilium tribunalia, cùm ipſe aliquando appellauerit ad tribunal Cæſaris [d]; & vniuerſaliter in Epiſtola ad Romanos dicat [e]: *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo.* Quòd ſi volebat lites rerũ temporalium ad eccleſiaſtica tribunalia reduci, cur non potiùs conſuluit ad Epiſcopos, quàm ad alios deferri? Reſpondeo, fuiſſe Apoſtolum coactum appellare Cęſarem, non tam ſuum, quàm eorũ, à quibus iniuriam patiebatur, Iudicem. Neque erat vllus tunc Iudex eccleſiaſticus, à quo poſſet eius innocentia defendi, qua ratione licet Eccleſiaſticis in huiuſmodi neceſſitatibus aduocare auxilium brachij ſecularis. Deinde, inſtinctu diuino Romam, vt anteà prædixerat, vocabatur. Quod verò ait, omnem animam poteſtatibus ſublimioribus debere eſſe ſubiectam; intelligitur de iis, in quibus iure ſubditi tenentur obedire, & obſeruare iuſtas Principũ,

d *Act.* c. 25.v.10.
e *Rom.* c. 13. v.1.

ac Superiorum ſuorum leges, ſiue ciuiles, ſiue eccleſiaſticas. Non tamē tenetur propterea Chriſtianus cauſas eccleſiaſticas deferre ad ſæcularia tribunalia, & ad ethnicos Iudices multò minùs. Præterea, nolebat Apoſtolus, vt lites de temporalibus, quas liberè agitabant, proponerēt alibi, quā apud eccleſiaſtica Tribunalia, quod inductū poſteà fuit; & aliquādiu obſeruatū legimus in Clemente libro ſecūdo Conſtitutionū apoſtolicarū [f], & epiſtola prima ad Iacobū Fratrē Domini, vbi ſic habetur: *Si qui Fratres negotia habēt inter ſe, apud cognitores ſæculi ne iudicētur: ſed apud Presbyteros Eccleſiæ, quidquid illud eſt, dirimatur.* Cur autē ad Tribunal epiſcopale Corinthios modò Apoſtolus non remiſerit, cauſā affert S. Ambroſ.[g] quia nondū Corinthi erat certus conſtitutus Epiſcopus.

Quæritur ſeptimò circa id, quod habetur in capite ſeptimo [h], de cóiuge infideli deſerente fidelē: *Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, vel ſoror in huiuſmodi.* an id accipiendū ſit dictū de totali diſſolutione matrimonij? Reſpódeo, exiſtimaſſe Dominicū Sotū [i], non concedi niſi diuortium thori. Sed meliùs alij cenſent, dari facultatē ſoluendi matrimoniū, ita vt poſſit fidelis relicto coniuge infideli, matrimonium inire cū altero fideli, ſi nolit ille infidelis cohabitare ſine offenſione & iniuria Creatoris. Ita S. Auguſtinus in primo libro de adulterinis cóiugiis [k], & in huius loci Commētariis S. Ambroſius: *Non enim*, inquit, *debetur ei reuerentia coniugij, qui horret auctorē coniugij; ſed poteſt alteri ſe iungere.* Imò plùs videtur S. Auguſtinus voluiſſe [l], quem alij ſequuntur [m]; nempe, licere coniugi fideli relinquere coniugem infidelē, etiamſi velit cohabitare ſine iniuria Creatoris, & fidelē habere ius ineundi aliud matrimonium. Hoc tamen non ſatis colligitur ex Apoſtoli verbis, niſi quòd Eccleſia poſteà multiplicatis fidelibus, eis ius cōceſſit infidelē coniugem deſerēdi hoc ipſo, quòd ad fidem ille infidelis conuerti recuſaret. An autem nō ſolùm poſſit, ſed etiam teneatur coniux fidelis relinquere infidelem, dubium eſt: aliqui enim affirmant, cùm tamen lex vniuerſaliter prohibens nō habeatur; niſi quòd in Concilio Toletano quarto, cum diſtinctione dicitur, ſi alter coniux ſit Iudæus, çùm ſoleant Iudæi eſſe peruicaciores, tale coniugiū prohiberi; non autem ſi coniux ſit Gentilis. Et quamuis illud Conciliū Toletanū nō ſit generale; tamē ita ferè habetur vſu receptū, vt nullibi permittatur Chriſtianis retinere coniuges Iudęos: Gentiles autem vſque ad hęc tempora in Iapponia & Indiis permittuntur, ne fidei propagatio difficilior reddatur.

Quæritur octauò, quid ſit illud dictum in capite octauo [n]: *Eſca autē nos non commendat Deo:* nā Hæretici abutuntur hoc teſtimonio contra delectum ciborū, abſtinentiam, & ieiunia eccleſiaſtica. Sed valdè falluntur: potiùs enim hinc deducimus contrariū. Nam erant aliqui Corinthij, qui nimis liberè comedebant idolothyta, fidentes ſcientiæ, quod nihil eſſet idolum, ideò poſſe illi oblata manducari ſine ſcrupulo, & ita infirmiores ſcandalizabant. Hoc igitur carpit Apoſtolus, dicens [o]: *Eſca nos non commendat Deo: neque enim, ſi manducauerimus, abundabimus; neque, ſi nō manducauerimus, deficiemus. Videte autē, ne hæc licētia veſtra offendiculum fiat infirmis.*

Quæritur nonò, cur dicat in capite nono S. Paulus [p]: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte, cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Videtur enim dubius de ſua ſalute, cùm tamen antea dixerit: *Sic curro, non quaſi in incertum.* & in Epiſtola

ad

[f] Clem. l. 2. Conſt. c. 49. 50. 51.
[g] S. Ambroſ. in c. 6. ep. 1. ad Cor.
[h] 1. Cor. c. 7. v. 15.
[i] Sot. in 4. d. 39. a. 4.
[k] S. Aug. l. 1. c. 13. & habetur cap. Quanto. & cap. Gaudemus. de diuortiis, & c. Infidelis. 28. q. 2.
[l] 1. lib. de adult. coniug. c. 19. & ſ. q.
[m] apud Henriquez lib. 11. de matrim. c. 8.
[n] 1. Cor. c. 8.
[o] 1. Cor. c. 8. v. 6.
[p] 1. Cor. c. 9. v. 27.

q Rom. c. 8. v. 38. ad Romanos [q]: *Certus ſum*, inquit, *quia neque mors, neque vita poterit nos ſeparare a charitate Dei*, &c. Deinde erat iam, quod alibi oſtendimus, in gratia confirmatus: igitur eſſe reprobus non potuit. Reſpondeo, non ſolum confirmatos in gratia; verùm etiam alios quoſcunque prædeſtinatos certum eſſe non damnandos: poſſent tamen damnari, ſi ea, per quæ Deus ſtatuit ſaluare, tranſgrederentur: an autem has conditiones ſint impleturi, & in nullo tranſgreſſuri, certò illis conſtare non eſt neceſſe, quamuis in gratia eſſent confirmati. Quare, quod ait S. Paulus: *Sic curro, non quaſi in incertum*, firmitatē propoſitis ſuis maximā in currendo, non verò abſolutam perueniendi certitudinē ſignificat, niſi fortè diuinā ea de re obtinuit reuelatioнē. Ideò ſuperiùs dixit [r]: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed nō in hoc iuſtificatus ſū.* r 1. Cor. c. 4. v. 4.

Et quod aſſeruit in Epiſtola ad Romanos: *Certus ſum, quia neque mors, neque vita poterit nos ſeparare à charitate Dei*. Græcè ſignificat, *perſuaſus ſum.* & ita legit S. Ambroſius, quaſi eſſet magna quædā probabilitas, & ad ſummū certitudo moralis, non tamē niſi poſt diuinā reuelationem infallibilis. Vnde circa hæc verba ſic ſcribit Origenes: *Habuit aliquando ipſe Paulus metum, & timuit, ne fortè caderet: & iſte, qui modò cæleſtium virtutum aduerſum ſe, ſi commoueantur, bella non metuit, aliquādo vel carnem ſuam metuit, & ex ea conſurgentes inſidias formidauit, quando dicebat ſcribens ad Corinthios: Macero corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Quibus verbis alia duo rectè ab Origene inſinuātur: vnū eſt, ſcriptam hanc Epiſtolam ad Corinthios priùs, quàm Epiſtolā ad Romanos, de quo poſteà dicemus ſuo loco: alterū eſt, in hac Epiſtola priori ad Corinthios timuiſſe quodammodo, quaſi proficientē; poſteà in Epiſtola ad Romanos, vt perfectū iā timorem abieciſſe, quia perfecta charitas foras mittit timorem. Sed, neque adhuc ad infallibilē certitudinem ſalutis ſuæ ſe perueniſſe ſignificat in ſecūda Epiſtola ad Corinthios, quam ſcripſit poſt Epiſtolam ad Romanos: ſic enim ibi ait [s]: *Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* s 2. Cor. c. 12. v. 7.

Circa quæ verba S. Auguſt. [t] *Quis* (inquit) *ex multitudine fideliū, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorū ſe eſſe præſumat? quia id occultari opus eſt in hoc loco, vbi ſic cauēda eſt elatio, vt etiā per Satanæ Angelū tātus colaphizaretur Apoſtolus.* t S. Aug. l. de corr. & gratia, c. 13. Quare vt affligētes ipsū Dæmones fortiùs ſe repercutere ſignificaret, hic ait: *Sic pugno, nō quaſi aërem verberās; ſed caſtigo corpus meum.* id eſt, aëreas Poteſtates, quia in ſe ferire nō poſsū, eas in corpore illis confœderato repercutio, & rāquā in luſtro carnis deliteſcētes flagellare nō ceſſo. Grecè, ὑποπιάζω. S Paulinus vertit in quadā epiſtola ad S. Auguſt. [u], *liuidū facio, & quaſi oculos ipſos liuoris & ſanguinis nota ſugillo.* u S. Paulinus ep. 58. ad S. Aug. Græci enim ὦπας, oculos appellāt, & ὑπώπια tales oculorū notas, quales pugnis imprimere pugiles ſolēt: ſi tamē ſcribatur per o micron, nō per ω, ὑποπιάζω, vt plures legunt, generalius accipitur pro caſtigatione corporis, quę fiat, ſiue flagellis, ſiue ciliciis, ſiue ieiuniis, aliiſque carnis afflictionibus, & macerationibus. Quod notare maximè deberent Hæretici huius temporis, hæc omnia carni aſpera & moleſta reiicientes, & ſola fide, ac certa ipſis, ſed in ſe vaniſſima perſuaſione, quòd homo ſit iuſtus, iuſtificari, & eſſe prædeſtinatum volunt.

Quæſitum decimum eſt circa illa verba capitis decimi [x]: *Biberunt autem de ſpiritali conſequente eos petra:* x 1. Cor. c. 10. v. 4.

petra

petra autem erat Chriſtus. Quomodo petra illa, ex qua Moyſes virga percutiente, aquas eduxit, ſpiritalis dicitur, cùm valdè materialis eſſet, & quid ſignificat: *Conſequente eos petra: & petra erat Chriſtus?* Reſpondeo, appellatam illam petram ſpiritalem, id eſt, typicam; nempe, in ſenſu myſtico atque ſpirituali Chriſtum ſignificãtem. Quod autem additur, hanc petram fuiſſe ſequentem, aliqui Rabbinorum fabuloſè interpretati ſunt, quaſi petra illa ſequeretur Iudæos per deſertum, vt aquam illis ſubminiſtraret vſque ad terram Chanaan: alij dixerunt, nõ petram, ſed riuos aquarũ ex illa promanantes inſecutos eſſe Iudæos, ex magno Dei miraculo ſic operantis. Sed hæc dicuntur ſine fundamento, & contrarium deducitur ex Scriptu-
y Num. c. 20. v. 11. & c. 21. v. 5. ra narrante [y], poſt hoc miraculum eductionis aquæ de petra iterum Iudæos murmuraſſe propter inopiam aquæ, & Deum illis puteum dediſſe. Quare potiùs dicẽdum eſt, illam particulam, *de*, vbi dicitur: *Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra.* non ſignificare cauſam materialem, ſed efficientem potius, ac ſi dixiſſet: Bibebant aquam manantem ex illa petra ſignificanteChriſtum, ex cuius diuina virtute inſequente illos, & adiuuante variis beneficiis per deſertum, & per totam illam peregrinationem, talia miracula fiebant. Ideò ſubditur: *Petra autem erat Chriſtus.* figurata, videlicet, & illo miraculo myſterioſè expreſſa.

Quæritur vndecimò, quomodo verba illa capitis vndecimi ſint acci-
z 1. Cor. c. 11. v. 4. pienda [z]: *Omnis vir orans, aut prophetans capite velato, deturpat caput ſuũ: omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum.* & quid intelligatur verbo illo prophetandi. Aliqui putant ſignificari prædictionem futurorum in viris: in feminis verò auditionem talium prædictionum. Sed, cur in illis actiuè, in his paſſiuè ſumitur prophetia? Deinde, quid refert in ea re caput velatum, aut non velatum habere? Loquitur itaque S. Paulus de publico cœtu fidelium in Eccleſia, vbi mulieri loqui, vel docere non permittitur; ſed tantùm permittebatur canere, dum alij Pſalmos, preces, & alios ſacros Hymnos decantarent: id ergo per verbum prophetandi hoc loco ſignificatur. Sic in libro Paralipomenon pri-
a 1. Paralip. c. 25 v. 1. mo [a], dicuntur Aſaph, & Heman, & Idithun in citharis prophetaſſe, & in pſalteriis, ac cymbalis. Et Saül dici-
b 1. Reg. c. 10. v. 10. tur [b] fuiſſe inter Prophetas, id eſt, inter cantores laudes Dei celebrantes. Hoc autem conueniebat fieri à viris detecto capite ob reuerentiam; mulieribus autem velatis propter honeſtatem.

Quæritur duodecimò circa duo-
c 1. Cor. c. 12. v. 10. & 13. v. 2. & c. 14. v. 1. 5. 24. 29. decimum caput [c], & alia duo ſequentia, nempe, decimumtertium, & decimumquartum, in quibus iterum fit mentio prophetiæ, & Prophetarum, & miniſterij prophetandi; an id ſicut ſuprà ſumatur pro miniſterio cantandi Pſalmos, aut Hymnos ſacros? Reſpondeo, non ita latè ſumi; ſed, ſiue pro notione futurorũ, vt capite duodecimo, vbi ſtatim diſtinguitur prophetia, & diſcretio ſpirituum, ſiue pro cognitione abditorum myſteriorum, vt capite decimotertio, vbi tanquam pro explicatione dicitur *Si habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia.* ſiue pro notitia internarum cogitationum, vt capite decimoquarto, nam dicitur, prophetantibus fieri occulta cordis manifeſta: ſiue pro his omnibus, vt cum inferiùs in eodem capite ſubditur: *Poteſtis omnes per ſingulos prophetare, vt omnes diſcant, & omnes exhortentur, & ſpiritus prophetarum Prophetis ſubiecti ſunt.* Id eſt,

libere,

liberè,moderatè, & ordinatè illo vti poſſunt, ac debent ad Eccleſiæ totius ædificationem.

Quæritur circa dictum illud capite decimoquinto [d]: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis,ſi omninò mortui non reſurgunt?vt quid & baptizantur pro illis?* quiſnam ſit ſenſus horum verborum? Reſpondeo, multas & diuerſiſſimas eſſe interpretationes, quibus omiſſis,vna illa S.Chryſoſtomi contenti ſumus [e], argumentari Apoſtolum ex communi Baptiſmo, quem omnes fideles curant accipere, non tam propter præſentem, quàm ob futuram vitam: & regnum cœlorum, quod,vt Chriſtus teſtatus eſt [f], nemo poteſt introire, niſi renatus ex aqua, & Spiritu ſancto. Quare non deerant,qui Baptiſmum differrent vſque ad finem vitæ, vt illo liberati ab omni culpa & pœna, ſtatim cœlum ingrederentur.Ex hoc igitur communi fidelium ſenſu argumentum eos conuincens futuræ reſurrectionis S. Paulus induxit. Et eſt idem dicere, baptizari pro mortuo,ac baptizari, vt homini profit non tam viuo, quàm mortuo: dum enim Baptiſmi Sacramentum impenditur corpori moribundo,corpus conſecratur immortalitati, ait, in libro de reſurrectione carnis,Tertullianus.

d 1. Cor. c. 15. v. 29.
e S.Chryſ. in c. 15. 1. Corinth.
f Ioan. c. 3. v. 5.

Quęritur poſtremò circa vltimum Epiſtolæ caput,quid extrema illa verba ſignificent [g]: *Si quis non amat Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum,ſit anathema,marā atha.* Reſpondeo,non eſſe,vt aliqui putant, excommunicationem, ſed denunciationem meritæ & imminentis pœnæ. Sit anathema, hoc eſt,execrabilis habeatur,quia ſeiunctus eſt à Chriſto,neque per dilectionem tot titulis debitam ei vult eſſe coniunctus. Maran atha verò non eſt idem, quod anathema, nec vnum,ſed duo ſunt verba Hebræoſyriaca: Maran,ſignificat Dominus noſter;atha,venit.Quaſi(ait Chryſoſtomus)venia non ſit dignus, qui Chriſtum non amat, quando indutus carne noſtra iam venit, pro nobis eſt paſſus,mortuus, & nos redemit. Sed videtur etiam reſpicere ſecūdum aduentum ad extremum vniuerſale Iudicium,vt *venit*,Hebraïca phraſi ponatur pro,veniet.Atque ita planè interpretari videtur S. Petrus apud S. Clementem in Epiſtola ſecunda ad Iacobum fratrem Domini. *Nam* (inquit) *hæc,frater Iacobe, de ore S. Petri iubentis audiui: ſi quis præcepta hæc integra non cuſtodierit,ſit anathema vſque ad aduentum Domini noſtri* IESV *Chriſti.*

g 1. Cor. c. 16. v. 22.

CAPVT XI.

Demetrius argentarius grauem ſeditionem in Paulum concitat, quæ non ſine magna difficultate ſedatur.

TOto biennio ſuperiori, & aliquot menſibus cùm Epheſi Paulus manſiſſet, adeò fidelium Eccleſia multiplicata eſt in ea ciuitate, & idolorum impia ſuperſtitio ita decreuit, vt Dianæ cultus ob illius famoſiſſimum templum celeberrimus iam in multis deficeret, & deſpectui magna ex parte haberetur. Hoc Dæmon ferre nullo modo potuit: & quia radix omnium malorum eſt cupiditas,ſiue φιλαργυρία, id eſt, amor argenti, & auaritia,vt ſcripſit ad Timotheum S. Paulus [a],permouit in primis Dæmon quendam Demetrium argentarium, non tam zelo ſuæ falſæ religionis, quàm propter auaritiam, vt alios ſui ſimiles cōcitaret,& deinde reliquum vulgus Epheſinum,ad magnam ſeditionem contra Paulum faciendam.

a 1. Tim. c. 6. v. 10.

b *Act. c. 19 v. 23. 24. 25. 26.* Rem geſtam ita S. Lucas exponit [b]: *Facta eſt autem illo tempore turbatio non minima in via Domini: Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præſtabat artificibus non modicum quæſtum, quos conuocans, & eos, qui huiuſmodi erant opifices, dixit: Viri, ſcitis, quia de hoc artificio eſt nobis acquiſitio, & videtis, & auditis, quia non ſolùm Epheſi; ſed penè totius Aſiæ, Paulus hic ſuadens euertit multam turbam, dicens: Quoniam non ſunt Dij, qui manibus fiunt.* Inde qualis, & quantus in ciuitate tumultus excitatus ſit, mox videbimus. Interim obſeruare oportet, hunc Demetrium non ideò argentarium hîc fuiſſe appellatum, quaſi eſſet nummularius, vel trapezita: ſed, vt magis Græca vox indicat, ἀργυροκόπος, ſculptor, ſiue inciſor argenti. Qualia verò ex argento fabricaretur opificia, ſubdit ſacer Hiſtoricus, cùm ait: *Argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ.* Putant aliqui fuiſſe argenteas imagunculas illius ſuperbiſſimi templi Dianæ ſpeciem referentes, quas ethnici ex ſuperſtitione circunferrent, aut eidem templo offerrent pro anathemate ſuſpendendas: qua ratione legimus apud M. Tullium [c], ædes Mineruæ poſitas in templo Apollinis. Alij tamen cenſent, illas ædiculas potiùs fuiſſe ipſas argenteas ſtatuas ſuis thecis, ſiue loculamentis incluſas. Et vtrunque indicat S. Chryſoſtomus [d], dicens: *Faciebat delubra argentea. Et quomodo poſſibile erat fieri delubra argentea? Fortaſſis ædiculas, & coopercula, quæ ciboria vocant.* Ita Chryſoſtomus: idque videtur veroſimilius, vt ſicut templum illud includebat celebre Dianæ ſimulactum, quod è cœlo lapſum falsò credebatur, vt magis infrà exponemus; ita vtrunque, nempe; tam fanum includens, quàm incluſum ſimulacrum argenteis illis icunculis repræſentaretur. Idque Demetrius ipſe videtur innuere, dum ſollicitus ob diminutum in tali opificio lucrum, de Paulo queritur ſuadente non eſſe Deos, qui manibus fiunt. Erat autem tanta Epheſi in hoc genere ſuperſtitio Gentilium confluentium, vt multi opifices argentarij circa talia opera fabricanda occupati plurimùm diteſcerent. Sed Paulo diu ibi concionante, cùm diuendi votiua illa delubra minùs poſſent, multùm artificibus de quotidiano quæſtu detrahebatur. Quare non fuit Demetrio difficile his lucris maximè omnium intento perſuadere cæteris artificibus, primùm iis, quos ſecum in eadem officina ſibi ſubſeruientes habuiſſet; deinde aliis pluribus in eadem, ſiue via, ſiue vrbis parte argentariam facientibus, vt nulla ratione tantum damnum inuehi ab homine peregrino, & ſeductore paterentur. Quapropter veriſſimè in libro Sapientiæ [e] quaſi de huiuſmodi artificibus dictum eſt: *Æſtimauerunt luſum eſſe vitam noſtram, & conuerſationem vitæ compoſitam ad lucrum, & oportere vndecunque etiam ex malo acquirere.* Ne tamen Demetrius videretur tantùm de quæſtu fuiſſe ſollicitus, zelum prætexuit ſuæ ſeditioſæ concioni, fictæ religionis, dicens [f]: *Sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, & deſtrui incipiet maieſtas eius, quam tota Aſia & orbis colit. His auditis, repleti ſunt ira, & exclamauerunt, dicentes: Magna Diana Epheſiorum.* Addunt aliqua Græca exemplaria,

c *M. Tull. Verr. 7.*

d *S. Chryſ. hom. 42. in Act.*

e *Sap. c. 15. v. 12.*

f *Act. c. 19. v. 27. 28.*

ria, diſcurriſſe opifices per vicos ciuitatis: & eſt valdè veriſimile, vt ita vociferantes vniuerſam ciuitatem contra Paulum, eiúſque ſocios commouerent. Quare (inquit S. Lucas [g]) *impleta eſt ciuitas confuſione, & impetum fecerunt vno animo in theatrum, rapto Gaio, & Ariſtarcho comitibus Pauli.* Erat prope Dianæ templum Aſylum libertatis ad vnius ſtadij ſpatium ab Alexandro protenſum, ait Strabo in ſua Geographia [h]: ſed Auguſtus poſteà loci illius immunitatem ſuſtulit, ne illa nimia licentia & impunitate multorum libido ad malum incitaretur. Manſit tamen theatrum, quod aliqui [i] ſuſpicantur locum fuiſſe, vbi rei punirentur: fortaſſis ea ducti coniectura, quòd furens multitudo eò Gaium, & Ariſtarchum Pauli ſocios, tanquam ad ſupplicium, pertraxerunt. Alij malunt, fuiſſe locum, vbi ludi & ſpectacula exhiberentur, quod ipſum nomen theatri magis ſignificat, & talia ſpectacula in honorem Dianæ potiſſimùm exhibebantur: *Non illius venatricis*, (ait S. Hieronymus [k]:) *ſed multimammiæ, quam Græci πολυμάσθον vocant, vt, ſcilicet, ex ipſa effigie mentirentur, eam, non ſolùm omnium hominum, ſed etiam beſtiarum eſſe nutricem.* Ad hanc igitur obſcœnitatis aream capaciſſimam conuenit inſana multitudo opificum clamoribus, & maximè Demetrij concitata: quod totum Arator in ſacro Poëmate ſic deſcripſit:

His dictis plebs mota fremit, magnámque Dianam
Communi clamore vocat, ac prepete curſu
Itur in obſcœnum cum ſeditione theatrum:
Non alio decuit meritum, cauſáſque Dianæ,
Quàm fœdo tractare foro: capit area turpis
Concilij deformis opus.

Quis autem fuerit ille Gaius Pauli comes, quem violenter pertrahebant furioſi opifices in theatrum ſimul cum Ariſtarcho, aliqui dubitant, ne fortè ille idem ſit, de quo ita meminit S. Paulus ad Corinthios ſcribens [l]: *Neminem veſtrûm baptizaui, niſi Criſpum & Caium*, ſignificans fuiſſe ciuem Corinthienſem: vnde cùm Epheſo diſcedens Apoſtolus Corinthum rediiſſet, ibique ſcriberet Epiſtolam ad Romanos, vt poſteà ſuo loco narraturi ſumus, apud hunc hoſpitari ſe ſcripſit his verbis [m]: *Salutat vos Caius, hoſpes meus.* Sed ſine dubio alter eſt hic Gaius Pauli comes, qui non Corinthius, ſed Macedonius agnominatur [n], & fortè idem eſt cum Gaio illo à Luca ſequenti capite nominato [o]: nam & Pauli comes aſſeritur, & per Macedoniam eſt Apoſtolum comitatus, & ſimul erat cum Ariſtarcho. Niſi aliquis ſuſpicetur, quia Derbæus ibi dictus eſt, à Derbe fuiſſe, quæ ciuitas eſt in Lycaonia, non in Macedonia, atque ideò alium à Gaio Macedonico eſſe debuiſſe. Quod ſi ita eſt, tres Caios, ſiue Gaios Pauli diſcipulos diſtinguere oportebit; vnum Achaïcum ex Corintho; alterum Macedonicum, de quo hìc agitur; & tertium ex Derbe Lycaonicum. Id autem nobis mirum videri minimè deberet in tanto numero, tum Gentilium, tum Iudæorum ab Apoſtolo per tot prouincias ad Chriſti fidem perductorum. De alio verò Gaij ſocio Ariſtarcho, ſimiliter Macedonico, & Pauli comite

g *ibid. v.* 29.
h *Strabo lib.* 14. *Geogr.*
i *Hiſt. ſcholaſt. & Gloſſ. interl.*
k *in præm. Com. ep. ad Eph.*
l 1. *Cor. c.* 1. *v.* 14.
m *Rom. c.* 16. *v.* 23.
n *Act. c.* 19. *v.* 29.
o *ibid. c.* 20. *v.* 4.

Rem geſtam ita S. Lucas expo-
b *Act. c. 19 v. 23. 24. 25. 26.*
nit [b]: *Facta eſt autem illo tempore turbatio non minima in via Domini: Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præſtabat artificibus non modicum quæſtum, quos conuocans, & eos, qui huiuſmodi erant opifices, dixit: Viri, ſcitis, quia de hoc artificio eſt nobis acquiſitio, & videtis, & auditis, quia non ſolùm Epheſi; ſed penè totius Aſiæ, Paulus hic ſuadens euertit multam turbam, dicens: Quoniam non ſunt Dij, qui manibus fiunt.* Inde qualis, & quantus in ciuitate tumultus excitatus ſit, mox videbimus. Interim obſeruare oportet, hunc Demetrium non ideò argentarium hîc fuiſſe appellatum, quaſi eſſet nummularius, vel trapezita: ſed, vt magis Græca vox indicat, ἀργυροκόπος, ſculptor, ſiue inciſor argenti. Qualia verò ex argento fabricaretur opificia, ſubdit ſacer Hiſtoricus, cùm ait: *Argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ.* Putant aliqui fuiſſe argenteas imagunculas illius ſuperbiſſimi templi Dianæ ſpeciem referentes, quas ethnici ex ſuperſtitione circunferrent, aut eidem templo offerrent pro anathemate ſuſpendendas: qua ratione legimus apud M. Tullium [c], ædes Mineruæ poſitas in templo Apollinis. Alij tamen cenſent, illas ædiculas potiùs fuiſſe ipſas argenteas ſtatuas ſuis thecis, ſiue loculamentis incluſas. Et vtrunque indicat S. Chryſoſtomus [d], dicens: *Faciebat delubra argentea. Et quomodo poſſibile erat fieri delubra argentea? Fortaſſis ædiculas, & coopercula, quæ ciboria vocant.* Ita Chryſoſtomus: idque videtur veroſimilius, vt ſicut templum illud includebat celebre Dianæ ſimulacrum, quod è cœlo lapſum falsò credebatur, vt magis infrà exponemus; ita vtrunque, nempe; tam fanum includens, quàm incluſum ſimulacrum argenteis illis icunculis repræſentaretur. Idque Demetrius ipſe videtur innuere, dum ſollicitus ob diminutum in tali opificio lucrum, de Paulo queritur ſuadente non eſſe Deos, qui manibus fiunt. Erat autem tanta Epheſi in hoc genere ſuperſtitio Gentilium confluentium, vt multi opifices argentarij circa talia opera fabricanda occupati plurimùm diteſcerent. Sed Paulo diu ibi concionante, cùm diuendi votiua illa delubra minùs poſſent, multùm artificibus de quotidiano quæſtu detrahebatur. Quare non fuit Demetrio difficile his lucris maximè omnium intento perſuadere cæteris artificibus, primùm iis, quos ſecum in eadem officina ſibi ſubſeruientes habuiſſet; deinde aliis pluribus in eadem, ſiue via, ſiue vrbis parte argentariam facientibus, vt nulla ratione tantum damnum inuehi ab homine peregrino, & ſeductore paterentur. Quapropter veriſſimè in libro Sapientiæ [e] quaſi de huiuſmodi artificibus dictum eſt: *Æſtimauerunt luſum eſſe vitam noſtram, & conuerſationem vitæ compoſitam ad lucrum, & oportere vndecunque etiam ex malo acquirere.* Ne tamen Demetrius videretur tantùm de quæſtu fuiſſe ſollicitus, zelum prætexuit ſuæ ſeditioſæ concioni, fictæ religionis, dicens [f]: *Sed & magna Dianæ templum in nihilum reputabitur, & deſtrui incipiet maieſtas eius, quam tota Aſia & orbis colit. His auditis, repleti ſunt ira, & exclamauerunt, dicentes: Magna Diana Epheſiorum.* Addunt aliqua Græca exemplaria,

c *M. Tull. Verr. 7.*
d *S. Chryſ. hom. 42. in Act.*
e *Sap. c. 15. v. 12.*
f *Act. c. 19. v. 27. 28.*

tia, diſcurriſſe opifices per vicos ciuitatis: & eſt valdè veriſimile, vt ita vociferantes vniuerſam ciuitatem contra Paulum, eiúſque ſocios commouerent. Quare (inquit S. Lucas [g]) *impleta eſt ciuitas confuſione, & impetum fecerunt vno animo in theatrum, rapto Gaio, & Ariſtarcho comitibus Pauli.* Erat prope Dianæ templum Aſylum libertatis ad vnius ſtadij ſpatium ab Alexandro protenſum, ait Strabo in ſua Geographia [h]: ſed Auguſtus poſteà loci illius immunitatem ſuſtulit, ne illa nimia licentia & impunitate multorum libido ad malum incitaretur. Manſit tamen theatrum, quod aliqui [i] ſuſpicantur locum fuiſſe, vbi rei punirentur: fortaſſis ea ducti coniectura, quòd furens multitudo eò Gaium, & Ariſtarchum Pauli ſocios, tanquam ad ſupplicium, pertraxerunt. Alij malunt, fuiſſe locum, vbi ludi & ſpectacula exhiberentur, quod ipſum nomen theatri magis ſignificat, & talia ſpectacula in honorem Dianæ potiſſimùm exhibebantur: *Non illius venatricis*, (ait S. Hieronymus [k]:) *ſed multimammiæ, quam Græci πολυμάσθον vocant, vt, ſcilicet, ex ipſa effigie mentirentur, eam, non ſolùm omnium hominum, ſed etiam beſtiarum eſſe nutricem.* Ad hanc igitur obſcœnitatis aream capaciſſimam conuenit inſana multitudo opificum clamoribus, & maximè Demetrij concitata: quod totum Arator in ſacro Poëmate ſic deſcripſit:

His dictis plebs mota fremit, magnámque Dianam
Communi clamore vocat, ac prapete curſu
Itur in obſcœnum cum ſeditione theatrum:
Non alio decuit meritum, causáſque Dianæ,
Quàm fœdo tractare foro: cœpit area turpis
Concilij deformis opus.

Quis autem fuerit ille Gaius Pauli comes, quem violenter pertrahebant furioſi opifices in theatrum ſimul cum Ariſtarcho, aliqui dubitant, ne fortè ille idem ſit, de quo ita meminit S. Paulus ad Corinthios ſcribens [l]: *Neminem veſtrûm baptizaui, niſi Criſpum & Caium*, ſignificans fuiſſe ciuem Corinthienſem: vnde cùm Epheſo diſcedens Apoſtolus Corinthum rediiſſet, ibique ſcriberet Epiſtolam ad Romanos, vt poſteà ſuo loco narraturi ſumus, apud hunc hoſpitari ſe ſcripſit his verbis [m]: *Salutat vos Caius, hoſpes meus.* Sed ſine dubio alter eſt hic Gaius Pauli comes, qui non Corinthius, ſed Macedonius agnominatur [n], & fortè idem eſt cum Gaio illo à Luca ſequenti capite nominato [o]: nam & Pauli comes aſſeritur, & per Macedoniam eſt Apoſtolum comitatus, & ſimul erat cum Ariſtarcho. Niſi aliquis ſuſpicetur, quia Derbæus ibi dictus eſt, à Derbe fuiſſe, quæ ciuitas eſt in Lycaonia, non in Macedonia, atque ideò alium à Gaio Macedonico eſſe debuiſſe. Quod ſi ita eſt, tres Caios, ſiue Gaios Pauli diſcipulos diſtinguere oportebit; vnum Achaïcum ex Corintho; alterum Macedonicum, de quo hîc agitur; & tertium ex Derbe Lycaonicum. Id autem nobis mirum videri minimè deberet in tanto numero, tum Gentilium, tum Iudæorum ab Apoſtolo per tot prouincias ad Chriſti fidem perductorum. De alio verò Gaij ſocio Ariſtarcho, ſimiliter Macedonico, & Pauli comite

g ibid. v. 29.
h Strabo lib. 14. Geogr.
i Hiſt. ſcholaſt. & Gloſſ. interl.
k in præm. Com. ep. ad Eph.
l 1. Cor. c. 1. v. 14.
m Rom. c. 16. v. 23.
n Act. c. 19. v. 29.
o ibid. c. 20. v. 4.

hic à Luca nuncupato certiùs poſſumus affirmare, illum eundem eſſe, de quo fit mentio in capite ſequenti [p], & dicitur Theſſalonicenſis: nam iterum inferiùs de ipſo ſic Lucas ait [q]: *Nauigauimus perſeuerante nobiſcum Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſi.* Eundem vocat Paulus ad Coloſſenſes ſcribens [r], concaptiuum ſuum: & ad Philemonem [s], nominat adiutorem: hunc poſteà fuiſſe à Paulo Epiſcopum Theſſalonicenſium conſtitutum, & martyrium ſub Nerone conſummaſſe, legitur in Romano Martyrologio ſub quarta die Auguſti mẽſis, his verbis [t]: *Theſſalonicæ natalis B. Ariſtarchi diſcipuli, & comitis indiuidui S. Pauli Apoſtoli, de quo ipſe ad Coloſſenſes ſcribit: Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus. Is ab eodem Apoſtolo Theſſalonicenſium Epiſcopus ordinatus, poſt longos agones ſub Nerone martyrio eſt coronatus.* Ergo veluti quoddam initium martyrij ſui ducẽs hinc Ariſtarchus trahebatur, vt reus, ſimul cum Gaio ad publicum forum: hos enim duos Pauli adiutores obuios primùm habuit exacerbata multitudo, quæ multò magis Paulo ipſi, ſicubi fuiſſet inuentus, violentas manus inieciſſet. Vnde mira ſanè apparet celſitudo animi Pauli Apoſtoli, qui vbi primùm tantam propter ſe totius ciuitatis ortam perturbationem intellexiſſet, non latebras quærere; ſed vltrò obiicere ſe furentibus, &, vt credi poteſt, etiam armatis, nihil eſt verius. Sed inquit S. Lucas [u]: *Paulo volente intrare ad populum, non permiſerunt diſcipuli. Quidam autem & de Aſia Principibus, qui erant amici eius, miſerunt ad eum rogãtes, ne ſe daret in theatrum.* Quare conuenientiſſimè S. Gregorius illa verba Iob tanquam per ſimilitudinem equi valdè generoſi dicta de S. Paulo hic exponit [x]: *Exultat audacter, in occurſum pergit armatis, ſupra ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta & clypeus* [y]. *Nam intueri libet* (ait S. Gregorius) *Paulum quaſi prepotentis Dei portitorem equum, ſeſſoris ſui calcaribus excitatum contra armatos hoſtes, quantus feruor accenderet, quando eum Epheſi ad irrumpẽdas theatri turbas zeli flamma rapiebat, & quo impetu contra aduerſantes cuneos irrueret, niſi eum per amicos & diſcipulos charitatis fræna tenuiſſent.* & infrà: *Contra equum quippe Dei, quia prauorum conſilia perſtrepunt, pharetra ſonat: quia aperta pœna exquiritur, haſta vibratur: quia verò ei etiam diſputatione reſiſtitur, clypeus antefertur. Sed nunquid à feruore ſuo per iſta compeſcitur? Vir enim ſanctus, quo maiore perſecutione premitur, eò ad prædicandam veritatem acriùs inſtigatur.*

Qui verò fuerint illi Aſiæ Principes, & Pauli amici, qui eum detinebant, ne ſe daret in theatrum, licèt neſciamus; credere tamen debemus, aut fuiſſe iam Chriſtianos, aut Catechumenos, aut propter beneficia à Paulo ſuſcepta, ſiue agnita fieri ab eo miracula, benè erga noſtrã Religionem affectos. Qua ex re magna Pauli, tum in Deum, tũ in proximos charitas coniuncta cum multa prudentia & ſapientia declaratur: nam, etiamſi vitam ſuam pro diuina gloria effundere maximè incitabatur; tamen vt ſaluti conſuleret plurimorum, ſibi parcere non tam ſuo, quàm aliorum bono exoratus haud potuit recuſare. Interim, inquit Lucas [z], *alij aliud clamabant: erat enim Eccleſia confuſa, & plures neſciebant, qua ex cauſa conueniſſent.* Quid hîc per Eccleſiam ſacer Hiſtoricus intellexerit, Syrus Interpres optimè declarauit, cùm ſic ea verba reddidit: *Turbæ autem, quæ erant in theatro, valdè tumultuabantur, & alij aliud clamabant.* Itaque falluntur, qui eam Eccleſiam catholicam inter

p *ibid. c.* 20. v. 4.
q *ibid. c.* 27. n. 2.
r *Coloſſ. c. vlt. v.* 10.
s *I. Phil. v.* 24.
t *Mart.* 4. *Aug.*
u *Act. c.* 19. *v.* 30. 31.
x *Iob c.* 39. *v.* 21. 22.
y *S. Greg. l.* 31. *Mor. c.* 14. *aliàs* 23.
z *Act. c.* 19. *v.* 32.

interpretãtur, quaſi à cultoribus Dianæ perturbatam, atque confuſam: neque enim Chriſti fideles decuiſſet inconditis clamoribus ita vociferari, & inter ſe diſceptare: immiſcere autem ſe furenti illi multitudini temerariũ, & nimis periculoſũ. Quare alij aliud clamantes in illa turba ſeditioſa; partim erant Gentiles, qui Paulum blaſphemarẽt, eius doctrinam carperẽt, cultum Dianæ imminutum lamentarentur; partim, qui neſcientes, vnde talis oriretur tumultus, cauſas tantæ nouitatis expoſtulabant; partim erant Iudæi, qui Paulum, alioſque fideles de medio ſublatos magis quàm ipſi Gentiles voluiſſent. Nonnulli tamen ex Iudæis moderatiores, cùm aduerterent ipſis quoque tumultum illum eſſe periculoſum, eò quòd Dianæ cõtemptus, & omnis ethnicæ ſuperſtitionis improbatio, ferè illis cũ Chriſtianis eſſet communis, tantam Gentilis populi perturbationem componi maluiſſent. Ex quibus facile erit intelligere, quæ à S. Luca ſtatim ſubdũtur, aliquantulùm obſcura & implicata, & in alienos ſenſus ab Interpretibus

a *Act.* c. 19. v. 33. 34. explicata: ſic enim refert S. Lucas [a]: *De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis: Alexander autem manu ſilentio poſtulato volebat reddere rationem populo. Quem vt cognouerunt Iudæum eſſe, vox facta vna eſt omnium, quaſi per horas duas clamantium: Magna Diana Epheſiorum.* Quid Alexander ille intenderet ad confuſam multitudinem verba facturus, & cur à turba ſit detractus, propellentibus Iudæis, non conſentiunt Auctores. Aliqui dicunt, ſubtractum Alexandrum, ne à Gentili populo interficeretur, dum Pauli, & Chriſtianorum cauſam importuno tempore defendendam ſuſcepiſſet: alij, ne omninò defenderet Chriſtianos, tum Gentilibus, tum Iudæis in cultu religioſo contrarios. Sed potiùs credere debemus, Alexandrum hunc Iudæum hominem alicuius auctoritatis in ciuitate, & notæ in dicendo facultatis, non Paulum, neque Chriſtianos defendendos ſuſcepiſſe; ſed ſuos ipſos Iudæos, ne quid propter Chriſtianos à Gentilibus paterentur. Neque detractus dicitur à Iudæis, vt impediretur: ſed, quod magis Græca lectio ſignificat, vt expediretur ab ea turba, ideò à ſuis Iudæis extrahebatur, & vt in opportuno eminentiori loco pro ipſis loqueretur, impellebatur. Quare Syrus Interpres conuenienter ea Lucæ verba ſic reddidit: *Plebs autem Iudæorum, qui illic erant, ſtatuerunt ex ſeipſis virum Iudæum, cui nomen erat Alexander,* &c. vt, nimirum, ipſorum eſſet Cauſidicus & Patronus. Aliquam verò Dei prouidentiam in eo licet agnoſcere, quòd hic Iudæorum Patronus Alexander, loqui ad populum non eſt permiſſus, omnibus Gentilibus reclamantibus, & per duas horas contrà vociferantibus: eſt enim valdè veriſimile, cauſam Iudæorum apud idololatras ob cultum Dianæ imminutum irritatos ac frementes, ita ipſum fuiſſe defenſurum, vt totum odium in Paulum, eiúſque ſocios, & alios Chriſtianos deriuaret. Meritò etiam Gentilium cæcitatem, atque dementiam Chryſoſtomus admiratur [b], qui tam indignè ferrent, negari Deos eſſe, qui manibus fiunt, vt per duas horas vociferantes nunquam permiſerint homini Iudæo contrà pro concione quidquam loqui, formidantes, ne cultus magnæ Dianæ, vt Demetrius aſſerebat, in nihilum breui tempore redigeretur: cùm tamen per duos annos, Paulo ferè quotidie ibi concionante, adhuc tanta eſſet Epheſi ſuperſtitio, & Gentilium multitudo. Sed quid ſecutum ſit, à S. Luca iam audiamus [c]:

b *hom.* 42. *in Act.*

c *Act.* c. 19 v. 35. &c. uſque ad 40.

LLl 3 *Et*

Et cùm ſedaſſet Scriba turbas, dixit: Viri Epheſij, quis enim eſt hominum, qui neſciat, Epheſiorum ciuitatem cultricem eſſe magnæ Dianæ, Iouiſque prolis? Cùm ergo his contradici non poſſit, oportet vos ſedatos eſſe, & nihil temerè agere: adduxiſtis enim homines iſtos, neque ſacrilegos, neque blaſphemantes Deam veſtrã. Quòd ſi Demetrius, & qui cum eo ſunt artifices, habent aduersùs aliquem cauſam, conuentus forenſes aguntur, & Proconſules ſunt, accuſent inuicem. Si quid autem alterius rei quæritis; in legitima Eccleſia poterit abſolui: nam & periclitamur argui ſeditionis hodiernæ. Cùm nullus obnoxius ſit, de quo poſſimus reddere rationem concurſus iſtius. Hęc tota concio Scribæ fuit, circa quam erunt nobis quatuor obſeruanda. Primum, aliquos exiſtimaſſe [d], hunc Scribam non fuiſſe alium, quàm Alexandrum illum Iudæum, de quo ſuperiùs eſt dictum: nam Scriba Iudęorum eſt officium, & ſe non eſſe Gentilem hic innuit, dum Gentiles alloquens Dianam vocat, Deam veſtram. Sed tamē apud Gentiles quoque Scribę erat officium, & non contemnendum. Potuit quoque homo, quamuis Gentilis ad emphaſim Dianam dicere, Deam veſtram, cùm de cætero tota concio planè Gentilis eſſe videatur: laudat enim non parum Deam Dianam, & ad eius cultum hortatur Epheſios: loquitur de Paulo, & comitibus, tanquam de hominibus ſibi extraneis; de Gentilibus verò tanquam ſui generis: & tota oratio virum oſtendit tantæ auctoritatis, quantam habuiſſe hominem Iudæum in tali ciuitate cultui Deorum addictiſſima non eſt admodum veriſimile. Quare, quod dixit de eo S. Lucas [e]: *Et cùm ſedaſſet Scriba turbas, dixit: Viri Epheſij*, &c. Syra editio ſic reddidit: *Cæterùm cõpeſcuit eos Princeps ciuitatis, cùm diceret: Viri Epheſij*, &c. Videtur autem fuiſſe miſſus à ciuitatis Magiſtratu, ſiue Cācellarius eſſet, ſiue in alio publico officio conſtitutus, aut primarius aliquis Iuriſperitus, quem proptereà S. Chryſoſtomus ſapientem vocat, ſed infidelem.

d *Baron. an. 57. Gloſſa, Emmanuel Sà, Gagnæus & alij in cap. 19. Act. Cornel. in c. 4. Ep. 2. ad Tim. v. 14.*

e *Act. c. 19. v. 35.*

Secundò eſt obſeruandum, quod in gratiam Gentilium hic Scriba dixit pro concione, notiſſimum eſſe toti mundo, ciuitatem Epheſiorum cultricem eſſe magnæ Dianæ, Iouiſque prolis, hoc dixiſſe alludendo ad fabulam Gentilibus decantatam de Diana à Ioue ex Latona progenita: idque iuxta noſtrum vulgatum Interpretem, qui legiſſe videtur: τῦ Διὸς παιδὸς, id eſt, Iouis filiæ; ſiue, quod eſt aliquantò veroſimilius, ſine articulo, τῦ, vna voce Διοπετῦς, id eſt, à Ioue prolapſæ, vel deſcendentis. Sed modò Græci codices omnes habent: τῦ Διοπετὺς, quod propter articulum τῦ, referri non poteſt ad Dianam, niſi legiſſet noſter Interpres fœmininum τῆς; alioquin alluſio eſt ad aliam fabulam de lapſo è cœlo aliquo ſimulacro, ſiue Iouis, ſiue Dianæ, ſiue alterius ficti Numinis. Quaſi dicere Scriba ille voluiſſet: Quorſum tanti clamores? & quid toties replicatis: Magna Diana Epheſiorum? Quis hoc neſciat? cùm tanto ſit apud vos in honore Diana, & hoc templum eius celeberrimum, maximè autem ſimulacrum è Ioue delapſum, & ad nos è cœlo demiſſum. Vnde Chryſoſtomus [g]: *Cultricem (inquit) magnæ Dianæ, & Diopeti Epheſum dixit: ſacrum autem illud Diopetes vocabatur, vel idolum Dianæ ſic dictum, quòd ex Ioue teſta illa delapſa, & non ab homine facta, vel aliud idolum apud illos ſic dicebatur.* Ita Chryſoſtomus: & conſtat ex Suida [h] ſoliros Gentiles ad famā aliquibus ſimulacris conciliandam talium idolorum abſcōditos opifices

g *homil. 42. in Acta.*

h *Suidas verbo Διοπετῆς.*

ſtatim

ſtatim occultè interimere,vt è cœlo delapſam ſtatuam non humana arte fabricatam ſimplici populo perſuaderent. Vnde Clemens Alexandrinus [i], diſputans contra Gentiles de Palladis ſimulacro, quod Palladium dicebatur, & per illud ſtetiſſe diu Ilium ethnici crediderunt, ait ideò vocatum Διοπετὲς, vt cœlitùs à Ioue demiſſum putaretur.

i *Clem. Alex. in paræn. ad Gentes.*

Tertium in hac Scribæ concione obſeruandū illud eſt, quod ait Chryſoſtomus, mentitum hunc Gentilem officioſo mendacio,cùm dixit [k]: *Adduxiſtis homines iſtos, neque ſacrilegos, neque blaſphemãtes Deam veſtram.Hoc igitur totum* (inquit Chryſoſtomus) *mendacium eſt:ſed hæc ad populũ ſedandum dicebat*.Quamuis,dum hęc Scriba mentiebatur,mendacium quidem proferebat,quod formale vocant;ſed non materiale: nam conſtare illi benè potuit,duobus, & eò ampliùs annis Paulum Epheſi contra vanitatem idolorum ferè quotidie diſputaſſe, & cultum Dianæ, tanquam dæmoniacum, inſectatum fuiſſe, vt propterea vileſcerent eius argenteæ imagines anteà pretioſæ. Attamen erant, quæcunque dixit,veriſſima,non ſacrilega, vel blaſphema; etiamſi talia cultoribus idolorum videri potuerunt.

k *Act. c. 19. v. 37.*

Quartum denique in eadem concione obſeruandum eſt, validum ex multis capitibus argumentum huius Scribæ extitiſſe ad ſedandum populum, & ad ſuum propoſitum rectè concludendum: vſus enim eſt primùm ſufficienti diſtinctione, dicens: Vel cauſa hæc propria eſt Demetrij de iniuſtitia, quam fortè patitur in damno ſibi illato; & ita rem deferre oportebat ad conuentus forenſes, vbi cauſæ huiuſmodi apud Proconſulem decernuntur:vel præter cauſam artificum, qui auctores extiterunt huius ſeditionis, aliquid aliud in ius vocatur, vt de violata religione, ſiue cultu Dianæ, & id proponi debuit legitimæ Gentilium Eccleſiæ, non Iudæorum, vt aliqui perperam expoſuerunt:quid enim hîc faceret Synagoga Iudęorum?Sed conuentui Gentilium propriè conueniebat, qui conſientus, ſicut ait Chryſoſtomus, fieri ſolebat tertio quoque menſe,& in eo cauſæ de rebus grauioribus iudicabantur. Ille autem conuentus tumultuarius planè fuit illegitimus; vnde arguit Scriba ex indignitatẽ rei, & addit metum pœnæ grauioris, ne à Præſide, ſiue Proconſule, aut etiam ab Imperatore ſeuerè punirentur ob excitatam nulla iuſta cauſa tam magnam in ea ciuitate ſeditionem. *Hæc cum Scriba dixiſſet*, inquit S. Lucas [l], *dimiſit Eccleſiam*, nempe, totam illam in theatro per tumultum congregatam multitudinem. Paulus verò extremo hoc periculo liberatus eſt, Epheſo propediem diſceſſurus.

l *Act. c. 19. v. 40.*

LIBER

LIBER NONVS.

Epheſo Paulus diſcedens peragrat Macedoniam; venit in Græciam; ſcribit per varia loca varias Epiſtolas, primam ad Timotheum, deinde ad Titum, poſteà ſecundam ad Corinthios.

CAPVT I.

Epheſo diſcedens Timotheum illius vrbis Epiſcopum & Primatem conſtituit.

EODEM anno humanæ ſalutis quinquageſimo-ſeptimo, & Neronis imperij primo, cùm Epheſi Paulus duos annos,& tres menſes peregiſſet [a],maximis laboribus, ſummíſque periculis, fructu quoque plurimorum, quos Chriſti Eccleſiæ aggregauerat, ne quid grauius propter ipſum fideles ibi paterentur à tot infidelibus, ſiue Gentilibus,ſiue Iudæis, qui ad ſolum Pauli nomenquocunque ſe verteret, inſtigantibus Dæmonibus,turbabantur; ſtatuit inde pro tempore ſe ſubducere,& ad aliarum ciuitatum iuuãdas Eccleſias proficiſci. Hoc enim & Chriſtus Dominus aliquando cedens iræ Iudæorum faciebat,& Apoſtolis ſuis,idem vt opportunè facerent,ſuadebat, dicens [b]:*Cùm autem perſequentur vos in ciuitate hac, fugite in aliam. Amen dico vobis, nõ conſummabitis ciuitates Iſrael,donec veniat Filius hominis.* Præmiſerat autem S. Paulùs in Macedoniam Timotheum, & Eraſtũ ante non multos dies: ſic enim ait S. Lucas [c]: *Mittens Paulus in Macedoniam duos ex miniſtrantibus ſibi,Timotheum, & Eraſtum, ipſe remanſit ad tempus in Aſia.* Et hoc eſt illud tempus,à quo ſcripta fuit,vt anteà oſtendimus, Epiſtola prior ad Corinthios, in qua teſtatur [d], ſe ad illos mittere Timotheum, nec multò pòſt ſe quoque in Macedoniam venturum, ſed manſurum adhuc Epheſi vſque ad Pentecoſten. Videtur tamen poſteà coactus mutare ſententiam, nempe, citiùs quàm propoſuerat inde propter exortas turbas diſcedere, Timotheo & Eraſto Epheſum reuocatis. Hunc Eraſtum in Epiſtola,quam non multò poſt hoc tempus ſcripſit ad Romanos [e], appellat arcarium ciuitatis, illius,videlicet,vnde ſcribebat, nempe,Corinthi:eò quòd illi, vt publico œconomo, vel quæſtori, commiſſa eſſet cura publici ærarij. Quare vir erat probatæ fidei, & auctoritatis, quem poſteà S. Paulus creauit Epiſcopum Philippenſium, & relatus demum

a *Act. c.* 19. v. 8. & 10.

b *Ioan. c.* 10. v. 23.

c *Act. c.* 19. v. 22.

d 1. *Cor. c.* 4. v. 17. & c. 16. v. 8.

e *Rom c.* 16. v. 23.

demum inter Sanctos legitur die vigeſimaſexta Iulij in Romano Martyrologio. Miſſus itaq; fuerat in Macedoniam cum Timotheo Eraſtus, vt eleemoſynas Ieroſolymã deferendas, antequàm Paulus eò veniret, collectas & paratas haberet, ſicut ipſe ad Corinthios ſcripſit his verbis [f]: *De collectis autẽ, quæ fiunt in Sanctos, ſicut ordinaui Eccleſiis Galatiæ; ita & vos facite. Per vnam Sabbati vnuſquiſque veſtrũm apud ſe reponat, recõdens quod ei benè placuerit, vt non cùm venero, tunc collectæ fiant. Cùm autem præſens fuero, quos probaueritis per Epiſtolam, hos mittam perferre gratiam veſtram in Ieruſalem. Quòd ſi dignum fuerit, vt & ego eam, mecum ibunt.* Neque ſolùm propter collectas eò fuerant deſtinati: ſed etiam, vt illos fideles conſolarentur, in fide confirmarent, & animarent, quod de Timotheo ad eoſdem Corinthios ſcribens illis verbis expreſſit [g]: *Rogo ergo vos, imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Ideò miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus chariſſimus, & fidelis Domino, qui vos commonefaciet vias meas, quæ ſunt in Chriſto* IESV, *ſicut vbique in omni Eccleſia doceo.* Prætereà, cùm in illa ad Corinthios Epiſtola iuberet, vt congregata Eccleſia publicè denunciaretur excommunicatus ille inceſtuoſus, & excluderetur à cœtu fidelium; voluit etiam, hos adeſſe præſentes; tum vt redderent Corinthios de mente ipſius certiores, ne quis auderet in dubium eius Epiſtolam reuocare; tum ad animos fortaſſis aliquorum ex illa ſeueritate turbatos mitigandos, & in officio continendos. Quibus ritè peractis Timotheus Epheſum eſt reuerſus; ſic enim ab eo debere fieri, Paulus in eadem Epiſtola præſcripſerat dicens [h]: *Timotheus, videte, vt ſine timore ſit apud vos: opus enim Domini operatur, ſicut & ego. Ne quis ergo illum ſpernat: deducite autem illum in pace, vt veniat ad me: expecto enim illum cum Fratribus.*

f 1. Cor. c. 16. v. 1. 2. 3.

g 1. Cor. c. 4. v. 16. 17.

h 1. Cor. c. 16. v. 10.

Timotheus igitur Epheſum reuerſus forte ſimul cũ Eraſto, quamuis de hoc non ſatis conſtet, deſignabatur a Paulo Præſul Eccleſiæ Epheſinæ tunc relinquendus, cùm Eccleſia illa nondum proprium Epiſcopum obtinuiſſet. Sunt quidem, quod diſſimulare non debemus, nonnulli, tum antiquiores, tum recentiores Scriptores, qui dubitant de tempore, quo Timotheus Epiſcopus à Paulo ſit ordinatus, quin etiam, vtrùm aliquando Epheſinæ Eccleſiæ proprius Pontifex fuerit. Sed in primis illud extra omnem controuerſiam poni debet, Timotheum hunc Pauli diſcipulum, dilectiſſimum, & ſi Origeni credimus [i], etiam cognatum, ac nepotem ex ſorore, ait Chryſoſtomus, fuiſſe aliquando Epiſcopum. Nam, præterquàm quòd vtraque ad eum ſcripta Pauli Epiſtola id apertè ſupponit, vbique præcepta continens epiſcopalis muneris, & officij, extant plura S. Dionyſij Areopagitæ Opera huic Timotheo inſcripta, vbi Pontifex appellatur, & Epiſcopus. Sed hoc magis ea confirmabunt, quæ ſubiiciemus.

i Orig. in c. 16. Rom. Chry. eſt. l. ...? Ne fidamus virtutibus propriis ... tom. 5.

Itaque dicimus ſecundò, non minùs certum haberi debere, Timotheum hunc ab ipſo S. Paulo fuiſſe Epiſcopum ordinatum. Hoc verba illa prioris Epiſtolæ ad Timotheum ſignificant [k]: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, & impoſitionem manuum Presbyterij.* & alibi dixit [l]: *Per impoſitionem manuum mearum.* quamuis ad Epiſcopum ordinandum plures Epiſcopi ſoleant manus imponere; ideò aliud dixit: *Per impoſitionem manuum preſbyterij.* Quanta verò id

k 1. Tim. cap. 4. v. 14.

l 2. Tim. c. 1. v. 6.

ſo ennitate cum Timotheo ſit peractum, rurſus ſignificat, cùm ait [m]: *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, ſecundum præcedentes in te prophetias, vt militet in illis bonam militiam*, id eſt, ſecundùm reuelationes diuinas de te habitas, vt Epiſcopus ordinareris: *Tunc enim* (inquit ad hæc verba Chryſoſtomus [n]) *nihil fiebat humanum, & Sacerdotes ex prophetia veniebant.* ſiue, vt alij exponunt, *ſecundum præcedentes in te prophetias*, id eſt, acclamantis populi prædictiones, & bene ominantis, dum Epiſcopus ordinareris, nempe, omninò futurum, vt optime tuo officio fungereris: vox enim populi, vox Dei.

m 1. Tim. c. 1. v. 18

n hom. 5. in 1. ad Tim.

Tertiò, certum ſimiliter exiſtimamus, Timotheum, Epiſcopum fuiſſe Epheſinæ ciuitatis. Nam S. Dionyſius [o], propterea illum appellat Epiſcopum Epheſiorum: & S. Ignatius in epiſtola, quam ad Epheſios ſcripſit, eorum commendans Eccleſiam florentiſſimam ſub paſtorali cura Sanctorum Pauli, & Ioannis Apoſtoli, ac Timothei: *Faxit* (inquit) *Deus, vt aſſequar & inueniar in ſortem Epheſiorũ Chriſtianorum, qui & cum Apoſtolis in virtute* IESV *Chriſti ſemper conuerſati ſunt, Paulo, Ioanne, ac fideliſſimo Timotheo. Socio qui ſum, & quæ ſcribo ego minimus Ignatius.* Numerat autem poſt Paulum, & Ioannem tertio loco Timotheum, non quaſi tertius fuerit à Paulo, & Ioanne Epiſcopus; ſed propter duorum Apoſtolorum reuerentiam, qui non fuerunt proprij illius Eccleſię Epiſcopi; ſed S. Paulus triennij prædicatione illam fundauit, tum ei Timotheum præfecit: ſanctus autem Ioannes Euangeliſta poſt necem Apoſtolorum Petri & Pauli, quorum prædicatione Eccleſiæ Aſiæ fuêre fũdatæ, cum in ea regione multæ hæreſes eſſent exortæ, ne ibi ſync[illegible] fidei pateretur irreparabilia detrimenta, inſtinctu S. Spiritus in ſua ſenectute illas Aſiæ Eccleſias adminiſtrandas cura quaſi patriarchali ſuſcepit. Vnde S. Epiphanius de Aſia loquens hæreſibus eo tempore infecta [p]: *Illic* (inquit) *S. Ioannes poſt ætatem ſenectam iubetur à Spiritu ſancto prædicare, & reflectere errantes à via.* Quod autem multi teſtantur, cùm poſt Chriſti mortem Ieroſolyma fideles expellerentur, Ioannem vnà cum Dei Genitrice Epheſum aduenisse, non eſt intelligendum, quaſi Euangelium tunc ibi prædicauerit, & Eccleſiam illam fundauerit: nam, propterea S. Ignatius in allegato iam teſtimonio priùs Paulum poſuit, quàm Ioannem; & S. Irenæus [q] expreſsè affirmat Eccleſiam Epheſinam à Paulo fuiſſe fundatam, à Ioanne autem poſteà gubernatam. Sed Timotheum primum illius vrbis Epiſcopum extitiſſe teſtatur Euſebius in eccleſiaſtica hiſtoria, dum Pauli ſocios enumerans ſic ait [r]: *Ex quorum numero fuit Timotheus, qui Eccleſia, quæ eſt Epheſi, primus epiſcopatum obtinuiſſe traditur: cui Oneſimum ſucceſſiſſe ſcribit Ignatius in Epiſtola ad Epheſios.* Sed & ipſe S. Ioannes initio ſuæ Apocalypſis, quam ſcripſit in ſenectute, referens commendatas ſibi à Chriſto Domino ſeptem Aſiæ primarias Eccleſias reformandas, de Eccleſia Epheſina primo loco ſic ait [s]: *Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe: Scio opera tua, & laborem, & patientiam, & quia non potes ſuſtinere malos: & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & inueniſti eos mendaces, & patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti. Sed habeo aduersùm te, quòd charitatem tuam primam reliquiſti.* Per Angelum autem Epiſcopum communiter Epiſcopum interpretantur, & hunc dicunt [t], fuiſſe Timotheum, qui

o S. Dion. in tit. libri de diuin. nom.

p S. Epiph. contra hær. cap. 51.

q S. Irenæus, lib. 3. c. 3. in fine.

r Euſeb. lib. 3. cap. 4.

s Apoc. c. 2. v. 1.

t in Apocalypſ. Rupert. Abbas, Lyranus, Hugo Card. Pererius, Viega, Magallianus, Alcaſar, & alij.

multis

multis annis illam Eccleſiam gubernauit. Hic enim in iuuentute, præſertim viuente S. Paulo, fuit feruentiſſimus, & potiùs acer ac rigidus nimis in diſciplina: poſteà verò tranſactis annis vltra quadraginta, quando ex Apoſtolis ſolùm ſuperuiuebat S. Ioannes, videns Timotheus propter corruptos improborum mores, parùm ſe in concionando proficere, & valdè ſibi obſiſtere Iudaïzantes, cœpit à munere concionandi proprio Epiſcoporum ceſſare, & remittere aliquid de zelo ac priſtina in proximos charitate. Idque ſpiritu prophetico præuidens S. Paulus in poſtrema, quam ei ſcripſit, epiſtola, [u 2. Tim. c. 4. v. 2.] ſic eum eſt adhortatus [u]: *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina: erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt.* Fuit autem hęc aliqua tantùm venialis Timothei culpa, quam inter multas virtutũ eius laudes S. Ioannes Chriſti nomine illi ſignificauit: à qua tamen ita reſipuit, vt zelo diuini honoris abreptus, cùm Epheſi acriùs argueret idololatras, illuſtrem martyrij coronã ibi adeptus ſit. Habetur id paucis comprehenſum in Romano Martyrologio, vbi die vigeſimaquarta Ianuarij ſic legitur: *Natalis S. Timothei, diſcipuli B. Pauli Apoſtoli, qui ab eodem Epheſi ordinatus Epiſcopus, poſt multos pro Chriſto agones, cùm Dianæ immolantes argueret, lapidibus obrutus paulò pòſt obdormiuit in Domino.*

Ex his facilè deducemus id, quod hìc potiſſimùm quærebatur, quomodo hoc anno Chriſti quinquageſimoſeptimo Timotheus Epiſcopus Epheſinus à S. Paulo fuerit ordinatus. Nam procul dubio, cùm ad illum Paulus priorem ſuam ſcripſit Epiſto-[illegible], iam erat Epi[illegible]copus: agit enim in ea cum illo ſemper vt cum Epiſcopo: & in illius primo capite ſic habet: *Rogaui te, vt remaneres Epheſi, cùm irē in Macedoniā, vt denunciares quibuſdam, ne aliter docerent.* Græcè legitur, παραγγείλῃς μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν. quaſi diceret, vt Angeli fungaris officio contra alios magiſtellos, iuxta datum Angelo Epheſi documẽtum in Apocalypſi. Quare S. Chryſoſtomus hæc Pauli verba ſcripta ad Timotheum exponens [x]: *Dignum verò* (inquit) *eſt inquiſitione, an modo,* videlicet, *poſt exortam Epheſi propter Demetrium argentarium ſeditionem, illic Timotheum Præſulem Paulus conſtituerit.* [x Chryſoſt. homil. 1. in 1. ad Tim.] Et in hanc ſententiam magis inclinat S. Ioannes Chryſoſtomus. Ambroſius [y] [y S. Ambroſ. in c. 1. Ep. 1. Tim.] verò expendens ea verba: *Rogaui te, vt remaneres Epheſi.* notat, non debuiſſe à Paulo rogari Timotheum, vt maneret; ſed præceptum potuiſſe illi benè imponi; tamen maluiſſe Apoſtolum agere cum illo tanquam cum Coepiſcopo. Neque ſolùm in rogando Pauli modeſtia declaratur; ſed etiã Timothei, qui, ſicut facilè credi poteſt, onus huiuſmodi recuſabat etiam cũ lacrymis, vt in ſua ad eũ Epiſtola S. Paulus indicauit dicẽs [z], ſe lacrymarũ [z 2. ad Tim. c. 1. v. 4.] eius non eſſe immemorem. Addebat prætereà Timotheus, aliquã fortaſſe ab immatura ſua ætate, & à natura timidiori excuſationē: cui aliqua ratione proſpiciẽs Apoſtolus per hos dies ſcripſerat Corinthiis [a]. *Si venerit Timotheus, videte, vt ſine timore ſit apud vos: opus enim Domini operatur, ſicut ego. Ne quis ergo illũ ſpernat: deducite autem illum in pace, vt veniat ad me.* [a 1. Cor. cap. 16. v. 10.] Et poſt hæc ad ipſũ Timotheũ ſcribẽs [b]: *Nemo* (inquit) *adoleſcentiam tuam contemnat.* [b 1. Tim. c. 4. v. 12.] Quamuis non erat, vt aliqui arbitrati ſunt, annorũ tantùm [illegible]iginti-trium: nam Græcè quod dixi[illegible] νεότητος, ſumitur etiam pro iuuentute, quæ ad annum [illegible]ige[illegible]imum, & vltrà protenditur: & eſt ætas epiſcopalis.

Vnde, cùm Paulus neci S. Stephani veſtimenta cuſtodiens lapidantium intereſſet [c], eodem vocabulo dictus eſt adoleſcens; qui tamen, vt vidimus ſuo loco, annorum eſſe debuit non minùs, quàm triginta trium; ſed Timotheus fortaſſe floridæ apparens ætatis, tot annos nō oſtendebat, & iunior quàm eſſet, reputari à neſcientibus potuiſſet.

c *Act. c. 7. v. 57.*

His igitur attentè conſideratis, nullam aduertimus obſtare alicuius momēti rationem, quominùs credamus, hoc ipſo tēpore Timotheū fuiſſe à S. Paulo Eccleſiæ Epheſinæ Præſidē conſtitutum, maximè ſi conferamus hæc tria ſacræ Scripturæ teſtimonia. Primū, quòd S. Paulus ſcribēs hoc tempore ad Corinthios Timotheum ad ſe vocauerit [d], vt Epheſum veniret, & mandauit à Corinthiis honorificè deduci. Secundò, nam ob id videtur Apoſtolus Epheſo diſceſſurus Eccleſiam congregaſſe, & hortari omnes voluiſſe, vt inter alia Paſtorē ſuum agnoſcerent, ac reuererentur: quomodo enim illos ſine aliquo Superiore & Capite reliquiſſet? *Poſtquā autē ceſſauit tumultus* (inquit S. Lucas de Paulo Epheſo nunc diſcedente [e]) *vocatis Paulus diſcipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus eſt, vt iret in Macedoniam.* Tertiò, his adiungendū eſt, quod ait S. Paulus Timotheo ſcribens [f]: *Rogaui te, vt remaneres Epheſi, cùm irem in Macedoniam.* Nec incongruè quidam [g] ex verbo illo remanendi, debitam reſidentiam Epiſcoporum in propriis Eccleſiis, ſi non conuicerunt, cuiuſcunque illa iuris ſit, ſiue eccleſiaſtici, ſiue etiam diuini; ſaltem apparenti ratione collegerunt. Quare, quòd Timotheus iuſſus nunc Epheſi remanere aliàs à Paulo ſecum ducebatur, Romam vocabatur, & ad alias Eccleſias adiuuādas mittebatur; inferūt eruditi iuris eccleſiaſtici, non ita eſſe diuini iuris Epiſcopū in propria Eccleſia reſidere, quin poſſit iure canonico, & pontificio quoad modum determinari, & legitimis de cauſis pro communi bono, aliis Eccleſiæ neceſſitatibus attemperari. Sicut confeſſio peccatorum diuino quidem iure præcipitur, & ſimiliter ſumptio Euchariſtiæ; tempus tamen, & modus ab Eccleſia determinatur. Prætereà, quamuis ſtatuere ita certò non poſſimus, quando, an, videlicet, ſtatim cum epiſcopali gradu & poteſtate pontificia Timotheo collata, vel aliquantò pòſt, Eccleſiis aliis per Aſiam multiplicatis, & meliùs ordinatis, Epheſina tanquam maior aliis ſit prælata; nihilominùs tamen, cùm eſſet Epheſus metropolis omniū Aſiæ minoris ciuitatum, ſiue modò, ſiue non multò pòſt Timotheum Archiepiſcopum & Primatem fuiſſe à Paulo conſtitutum, valdè eſt veriſimile. Teſtatur id apertè Ioannes Eucherius [h]: *Nam* (inquit) *duos ad ſtudium euangelicæ ſapientiæ omnium veluti Corypheos prouocat, Timotheum dico, & Titum. Priorem enim iā tum Epheſinæ vrbis, totiùs Aſiæ inferioris Metropoli clariſſimæ deſignarat Primatem, ætate licèt tum flore pubeſcentem; ſed prematura canitie ſenſuum modis omnibus venerabilem: alterum rurſus Cretæ Inſulæ*, &c. Tradit quoque Clemēs Romanus in Epiſtola prima ad Iacobum fratrē Domini, Petrum inſtituiſſe, vt vbi olim apud Ethnicos, maiores Archiflamines habebantur, ibi cōſtituerētur Patriarchæ, ac Primates; & vbi minores erāt Archiflamines, ponerētur, qui eſſent Archiepiſcopi; vbi verò Flamines, ibi Epiſcopi; ſimúlque cauiſſe, ne in caſtellis, aut minoribus ciuitatibus Epiſcopi crearētur, ne illorū auctoritas inde vileſceret. Si autē ea omnia conſiderētur, quæ in primā ad Timotheū Epiſtola ei ab Apoſtolo præſcri-

d 1. *Cor. c. 16. v. 10.*

e *Act. c. 20. v. 1*

f 1. *Tim. c. 1. v. 3.*

g *Salmeron. tom. 15 d. 2.*

h *Ioan. Eucher. in ep. quæ præponitur tom. 1. Operū S. Chryſ.*

præſcri

præſcribuntur, apparebit eſſe admodum probabilem, Primatum Eccleſiarum illius regionis Timotheo non diu fuiſſe dilatum: nam Paulus illum inſtruit, non tantùm qualis ipſe eſſe debeat in Epiſcopatu; ſed etiam quales oporteat ſint alij Epiſcopi ex inſtitutione & cura ipſius tanquam ei ſubordinati. Itaque quod illi ſcribit Apoſtolus, oportere Epiſcopũ vnius vxoris eſſe virum, id eſt, qui tantùm vnam duxiſſet vxorem, & qui ſi primas, non tamen ſecundas nuptias eſſet expertus, & ſobrium, non vinolentum, neque neophytum, non potuit dici pro ipſo Timótheo: quippe qui, teſte S. Ignatio in epiſtola ad Philadelphios, vixit ſemper virgo, & tam ſobrius, vt ei S. Paulus prohibuerit ampliùs puram aquam bibere, propter malè affectum nimia vini abſtinentia ſtomachum: neque erat neophytus, ſed pridem adhuc à pueritia in fide educatus, & ſacris Literis eruditus. Deinde, quia ſubiicit eius tribunali S. Paulus cauſas & perſonas quaſcunque eccleſiaſticas, etiam Epiſcopos, ſic illi ſcribens [k]: *Aduerſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.* Intelligit autem per Presbyteros, non tantum ſimplices Sacerdotes; ſed etiam Epiſcopos, vt plerique exponunt, & colligitur ex antecedentibus. Denique monet illum in vniuerſum, ne ſit facilis in Ordinibus eccleſiaſticis conferendis [l]: *Manus* (inquit) *citò nemini impoſueris.* Quare S. Chryſoſtomus in proœmio ſuorum Commentariorum prioris Epiſtolæ ad Timotheum, quærens cauſam, cur Apoſtolus ex tam multis inſignibus, quos habuit diſcipulos, & inter hos Lucam quoque Euangeliſtam, Timotheo ſolùm, ac Tito literas dederit, reſpondet; quia hi duo erant ad Eccleſiæ gubernacula præ cæteris conſtituti.

k 1. Tim. c. 5. v. 19.

l 1. Tim. c. 5. v. 22.

Fuiſſe verò Titum Cretæ ordinatum à Paulo non ſolùm Epiſcopum, ſed etiam Primatem, oſtenſuri ſumus poſteà ſuo loco: de Timotheo verò alia ſtatim in ſequentibus.

CAPVT II.

Proficiſcitur in Macedoniam: inde ſcribit primam Epiſtolam ad Timotheum, quam aliqui Laodicea datam putant, & de quadam ad Laodicenos epiſtola ſuppoſititia.

PAuli Epheſo diſcedentis propoſitum, & animi eius intentionem paucis tantùm verbis ita Lucas expreſſit [a]: *Diſcipulis valedixit, & profectus eſt, vt iret in Macedoniam.* Quo autem itinere, vtrùm rectà Ægæo mari tranſmiſſo ab Aſia ſtatim migrans in Europám, in cuius finibus adiacet Macedonia, an aliò priùs circumiens Aſiam diuerterit, S. Lucas non explicuit. Sed ipſe S. Paulus in ſecunda, quam ad Corinthios ſcripſit, Epiſtola, & ex Macedonia ſequenti anno tranſmiſit, pluribus iter hoc ſuum, & quæ in eo illi contigerunt ſic exponit [b]: *Cùm veniſſem autem Troadem propter Euangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino, non habui requiem ſpiritui meo, eò quòd non inueniſſem Titum fratrem meum; ſed valefaciens eis profectus ſum in Macedoniam.* Itaque non ſtatim recto nauigationis curſu iuit in Macedoniam; ſed adhuc Aſiam circumiens diuertit Troadem; nimirum, quia ſoluendo ab Epheſino portu, & versùs Septentrionem nauigãdo, circa littora minoris Aſiæ, vſque ad portum Troadis, ſecurior erat nau[...] à Troade verò in Macedon[...] uis eſt tractus maris, min[...]

a Act. c. 20. v. 1.

b 2. Cor. c. 2. v. 12.

MMm 3 duorum

duorum dierum nauigatione ſuperabilis, ſicut expertum ſe fuiſſe Lucas teſtatur [c], cùm ante quatuor annos Pauli eſſet comes, & a Troade in Macedoniam ab Angelo inuitati fuiſſent. Tres alias aſſignat ipſe Paulus huius ſui itineris rationes, dicens [d], ſe veniſſe Troadem propter Euangelium Chriſti, id eſt, vt ibi Euangelium prædicaret. Deinde addit: *Et oſtium mihi apertum eſt in Domino.* quia, videlicet, opportunitas prædicandi Euangelium ſe offerebat. Prætereà, quoniam Titum, quem Corinthum præmiſerat, expectabat, vt Troadem veniret, à quo priùs cognoſcere voluiſſet ſtatum Eccleſiæ Corinthiorum, antequàm eò reuerteretur, ſicut ſe reuerſurum in prima ad Corinthios Epiſtola promiſerat: in qua mandabat excòmmunicari inceſtuoſum, & alia quædam corrigi circa exortas inter ipſos diſſenſiones, & abuſus nonnullos in Eccleſia introductos. Miratur autem S. Chryſoſtomus [e], cur Apoſtolus non inuento ibi Tito tantam conceperit mœſtitiam, & animi afflictionem; &, quod plus eſt, deſideratam, & oblatam ibi prædicandi Euangelij occaſionem ſtatim inde recedens prætermiſerit. Tum ad vtrunque reſpondet, & in primis illum animi mœrorem non fuiſſe ab Apoſtolo propria cauſa ſuſceptum, ſed propter Corinthios, de quibus erat maximè ſollicitus, & cupiebat de ſtatu illius Eccleſiæ interturbato audire quamprimùm meliora. Multùm enim in fundanda, & benè inſtituenda Eccleſia illa Corinthiorum propè duobus annis laborauerat. Atque id volebat, vt Corinthij cognoſcerent: vnde ſubdit in eadem Epiſtola, cùm Troade relicta perueniſſet in Macedoniam, & Titum tandem inuèniſſet, valdè ſe fuiſſe conſolatum, propterea quòd optima de Corinthiis nunciaſſet [f]: *Nam,* inquit, *& cùm veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra; ſed omnem tribulationem paſſi ſumus: foris pugnæ, intus timores. Sed, qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos in aduentu Titi: non ſolùm autem in aduentu eius, ſed etiam in conſolatione, qua conſolatus eſt in vobis, referens nobis veſtrum deſiderium, veſtrum fletum, & veſtram æmulationem pro me.* Ad aliam obiectionem reſpondet Chryſoſtomus, negando Paulum nihil Troadenſibus contuliſſe: *Non enim* (inquit) *hoc Paulus dicit, quòd, videlicet, Titi abſentia obſtiterit ſaluti eorum, qui fuerant ad euangelicam acceſſuri fidem, neque quòd hanc ob cauſam neglexerit eos, qui crediderant; ſed quòd non habuerit requiem, hoc eſt, quòd afflictus ſit, diſcruciatus ſit ob fratris abſentiam. Haud tamen ea res interrupit opus, quod agebatur.* Hæc Chryſoſtomus, & habet his ſimilia S. Hieronymus [g], fusè pertractans hunc locum, niſi quòd alias quaſdam addit maturati huius diſceſſus Pauli in Macedoniam rationes: *Veni* (*inquit Paulus*) *Troadem, quæ priùs Troia appellabatur, vt Euangelium Chriſti in Aſia prædicarem, cúmque mihi oſtium apertum eſſet in Domino, hoc eſt, plurimi credidiſſent, ſine per ſigna atque virtutes, quæ in me operabatur Deus, & ſpes eſſet naſcentis fidei, & in Domino ſuccreſcentis; non habui requiem ſpiritui meo, hoc eſt, ſperatam conſolationem inuenire non potui, eò quòd Titum fratrem meum non inuenerim, ſiue quem ibi reperiendum putabam, ſiue quem ibi audieram degere, vel qui venturum illuc ſe dixerat.* Tum addit rationes S. Hieronymus, quare Apoſtolus inde citiùs receſſerit: *Nam* (inquit)

c *Act.* c. 16. v. 11.

d 2. *Cor.* c. 2. v. 12.

e *Chryſ. hom.* 5. *in Ep. ad Cor.*

f 2. *Cor.* c. 7. v. 5. 6. 7.

g *S. Hieron. ep.* 150. q. 11. *ad Hedib.*

aliquo

aliquoties diximus, Apoſtolum Paulum virum fuiſſe doctiſſimum, & eruditum ad pedes Gamalielis, cùmque haberet ſcientiam ſanctarum Scripturarum, & ſermonis diuerſarum linguarum gratiam poſſideret: vnde ipſe gloriatur in Domino, & dicit [h]: *Gratias ago Deo, quòd omnium veſtrûm linguis magis loquor. diuinorum ſenſuum maieſtatem digno non poterat Græci eloquij explicare ſermone. Habebat ergo Titum Interpretem, ſicut & B. Petrus Marcum, cuius Euangelium, Petro narrante, & illo ſcribente, compoſitum eſt. Ergo Paulus Apoſtolus contriſtatur, quia prædicationis ſuæ in præſentiarum fiſtulam, organúmque, per quod Chriſto caneret, non inuenerat: perrexitque in Macedoniam: apparuerat enim ei vir Macedo, dicens. Tranſiens adiuua nos. vt ibi inueniret Titum, & viſitaret fratres, vel perſecutionibus probaretur.* Hactenus Hieronymus; in cuius tamen verbis duo quædam aliquibus minùs probantur: primum, quòd dicat, Paulum indiguiſſe Interprete Tito, cùm tamen haberet Apoſtolus donum perfectum omnium linguarum: alterum eſt, videri Hieronymum memoria lapſum, aſſerendo, Angeli viſionem in habitu viri Macedonis nunc Paulo accidiſſe; quam tamen habuit ante quatuor annos, cùm Troadem veniſſet, & inde nauigaſſet in Macedoniam. Sed, quod ad primum attinet, etiam obtento perfecto dono linguarum, vti Paulus adiutore aliquo, tum ex neceſſitate, tum ex congruitate potuiſſet: vt quod ab vno fieri nequibat, aut non niſi difficulter, id à duobus, aut pluribus expeditè perficeretur. Neque donum linguarum eandem omnibus præbet loquendi prorſus eodem ſtylo venuſtatem, præſertim ſi quis ea vti, ſollicitus magis de rebus, quàm de verborum elegantia, noluerit; quod S. Paulus, vt alibi retulimus, facere conſueuit: ſed fortè etiam Titum aliquandiu ibi ſuo loco relinquere voluiſſet, vt quæ ipſe inchoauerat, poſt ſuum diſceſſum ille perficeret. Neque lapſum memoria S. Hieronymum, quod erat obiectum ſecundo loco, affirmare neceſſe eſt: quia, etiamſi Apoſtolus, cùm primùm ante quatuor annos Troadem veniſſet, inuitatus ab Angelo fuerit, vt iret in Macedoniam; tamen non inuitabatur, vt ſemel tantùm illàc tranſiret: ſed, vt Euangelium in illis partibus accuratè prædicaret, Eccleſias ibi fundaret, fundatas benè inſtitueret, & confirmaret. Ideò S. Lucas, qui tunc erat in Pauli comitatu [i]: *Vt*, inquit, *viſum Paulus vidit, ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam, certi facti, quòd vocaſſet nos Deus euangelizare eis.* Et ipſe S. Paulus loquens de ſuo Troadem ſecundo aduentu [k]: *Cùm* (inquit) *veniſſem Troadem propter Euangelium Chriſti.* Quare primum aduentum cum ſecundo S. Hieronymus non confundit, ſed aptè componit, tanquam ad vnum finem, eandémque Dei vocationem pertinentem. Quam etiam ob cauſam Paulus Epheſo diſcedens, vt ſecundò iret in Macedoniam, eodem prorſus itinere profectus eſt, vt, quas ibi primùm fundauerat Eccleſias, viſitaret, fideles illos conſolaretur, & eorum numerum, quantùm poterat, augeret. Atque hoc eſt, quod ipſe ait ſcribens ea de re poſteà ad Corinthios [l], [illegible] nienti ſibi ſecundò Troadem ad Euangelium, oſtium in Domino apertum fuiſſe. nam, qui primum ad fidem fuerant intro[illegible] qu[illegible] ſecundis facti fu[illegible], [illegible]

h 1. Cor. c. 14. v. 18.

i Act. c. 16. v. 10.

k 2. Cor. c. 2. v. 12.

l 2. Cor. c. 2. v. 12.

exemplo

exemplo alij ad eandem Chriſti fidem introducerentur, & Eccleſiam ſuſcepto Baptiſmate ingrederentur. Sed fruſtratus Paulus Titi auxilio, per Helleſpontum venit in Macedoniam eadem, vt putamus, qua priùs vocatus ab Angelo venerat, via, quam Lucas tunc nauigationis comes, ita
m *Act. c. 16 v. 11.* deſcripſit [m]: *Nauigantes à Troade recto curſu venimus Samothraciam, & ſequenti die Neapolim, & inde Philippos, quæ eſt prima partis Macedoniæ ciuitas colonia.* Conſolatus eſt igitur Apoſtolus ſua præſentia Philippenſes primùm, deinde Theſſalonicenſes; ſi tamen vſque Theſſalonicam, quæ metropolis erat Macedoniæ, credimus perueniſſe, de quo ſatis non conſtat, niſi quòd circa illas regiones tranſiens miſtas habuerit ærumnis & perſecutionibus conſolationes: ſic
n *2. Cor. c. 7. v. 5. & c. 2. v. 14.* enim ipſe poſteà deſcripſit, dicens [n]: *Nam, cùm veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra; ſed omnem tribulationem paſſi ſumus: foris pugnæ, intus timores:* foris, nempe, ab Infidelibus & Iudæis apertas inimicitias exercentibus: intus verò in animo anxietates, multáſque ſollicitudines, tum ob falſos fratres, tum propter fideles infirmiores, ne inter tot aduerſa deficientes à ſuſcepta fide abducerentur. Sed, quanta interim animi conſtantia, & generoſitate Paulus hæc omnia ſuſtineret, ne quis abiectè propterea de collata illi virtute ſentiret, adiunxit dicens: *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto IESV, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis, qui ſalui fiunt, & in iis, qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam.*
o *S. Hieron. p. 150 ad Hedib. q. 11.* *Multa* (inquit S. Hieronymus [o]) *perpeſſus Paulus agit gratias Deo in Chriſto, quem Gentibus prædicabat, quòd dignum ſe elegerit, in quo ageret triumphum Filij ſui. Triumphus Dei eſt paſſio Martyrum, & pro Chriſti nomine ſanguinis effuſio, & inter tormenta lætitia. Cùm enim quis viderit tanta perſeuerantia ſtare Martyres, atque torqueri, & in ſuis cruciatibus gloriari, odor Dei notitiæ diſſeminatur in Gentes, & ſubit tacita cogitatio, quòd niſi verum eſſet Euangelium, nunquam ſanguine defenderetur.* Hæc ſunt in genere, quæ Paulo verſanti in Macedonia contigiſſe inuenimus. Sed antequàm ad eũ Titus veniſſet, alia præclara ipſum egiſſe, & pro Chriſto multa pertuliſſe, vt facilè credi poteſt, ita magis diſtinctè prodita non reperiuntur, niſi pauca, quæ ſubiiciemus.

Hoc igitur eodem tempore ſcriptam à Paulo priorem Epiſtolam ad Timotheum, & Epheſum illi ex Macedonia miſſam teſtantur S. Athanaſius in Synopſi, & in præfatione ad Pauli Epiſtolas Theodoretus, quos cum Baronio [p] ſequuntur docti recentiores. Alij tamen legentes in Theodoreti Commentariis primæ Epiſtolæ ad Timotheum pro vltimis verbis ſubſcriptum: *Scripta eſt ex Laodicea, quæ eſt metropolis Phrygiæ Pacatianæ,* ſicut etiam legitur in quibuſdam Græcis exemplaribus Epiſtolarum apoſtolicarum, exiſtimarunt, Theodoretum mutaſſe priorem ſententiam in hanc veluti probabiliorem, nempe, Laodiceæ ſcriptam Epiſtolam; non, ſicut primùm exiſtimauit Theodoretus, ex Macedonia. Nihilominùs tamen credibile eſt ex additamento illo ad finẽ epiſtolæ Pauli, quod Theodoreti non eſt, illud quoque ad finẽ Commentariorum ipſius fuiſſe adiunctum. Sed in emendatioribus Græcis exemplaribus ita legimus: [illegible], id eſt, [illegible] ex Macedonia, non [illegible] ex Laodicea. Vnde Theop[illegible] p *Baron. an. 57. Eſt. in 1. ad Tim. Guilliel. Eſtius ibid.*

quia

quia legit ſuppoſititium illud: ἐγράφη ἀπὸ Λαοδικείας, inductus eſt in eum errorem, vt putauerit hanc Epiſtolam primam ad Timotheum eſſe illam, de qua S. Paulus meminit in fine Epiſtolæ ſuæ ad Coloſſenſes, dicens [q]: *Facite, vt epiſtolam, quæ Laodicenſium eſt, vos legatis.* Græcè enim habetur: *Quæ ex Laodicea eſt.* Sed hoc nullo modo cum veritate conſiſtit: quorſum enim poſt tres annos, cùm Romæ Paulus maneret, & illam Epiſtolam ad Coloſſenſes, vt ſuo loco videbimus, ſcripſiſſet, iuberet Coloſſenſes tunc primùm legere Epiſtolã, quam ante tres annos ſcripſerat ad Timotheum? Et cur potiùs hanc epiſtolam eis legendam proponeret vni olim Timotheo ſcriptam ad eum in paſtorali officio inſtruendũ, quàm tot alias variis Eccleſiis datas: nempe, duas ad Theſſalonicenſes, duas ad Corinthios, vnam ad Romanos, alteram ad Galatas, tum ad Epheſios, & deinde ad Philippenſes, ad quos omnes ſcriptæ extabant prædictæ literæ apoſtolicæ.

q Coloſſ. c.4.v.16.

Imò verò non ſolùm hanc primam ad Timotheum, ſed nullam aliam prorſus ex Laodicea ſcriptam eſſe à Paulo Epiſtolam, ſiue ad Laodicenos, veriùs exiſtimamus. Nam, etiamſi mandauerit Coloſſenſibus legere eã Epiſtolam, quæ Laodicenſium eſt; nõ tamẽ ſignificare per hoc voluit ſe, vel ex Laodicea, vel ad Laodicẽſes quidquã ſcripſiſſe: ſed, vt benè exponit S. Chryſoſt. literas, quas ipſi Laodicenſes ad Paulum ſcripſerant: vt Coloſſenſes audiendo, quantæ pietatis Epiſtolam ad Paulum Laodicenſes dediſſent, ædificarentur; & fortè quædam continebant ad ipſos quoque Coloſſenſes pertinentia. Quòd autem Marcion, & alij Hæretici apud Tertullianum [r], & S. Epiphanium [s], voluerunt Epiſtolam Pauli ad Epheſios, non ad Epheſios, ſed ad Laodicenos fuiſſe ſcriptã; refellitur apertiſſimo S. Ignatij teſtimonio, qui ad ipſos Epheſios ſcribens ſic ait [t]: *Eſtis, ſicut Paulus vobis ſcripſit, vnum corpus, & vnus ſpiritus, qui vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ.* Meminit prætereà S. Hieronymus in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis [u], alterius cuiuſdã Pauli epiſtolæ ad Laodicenſes inſcriptæ, dicens: *Legũt quidã, & ad Laodicẽſes epiſtolã, ſed ab omnibus exploditur.* Cenſuit autem Philaſtrius in libro de hæreſibus, proptereà exploſam eam Epiſtolã, quòd ab Hæreticis fuerit deprauata. Hinc poſt Anſelmũ Siſtus Senenſis [x], Faber Stapulẽſis, & alij quidam recentiores proferunt Epiſtolã quandam Pauli ad Laodicenſes, quæ, etiamſi nullũ contineat errorẽ, tamen ab aliquo fuiſſe confictã, facilè poteſt agnoſci, tum ex ipſa ſtyli ſimplicitate, tum ex breuitate, tũ ex pleriſque verbis in aliis Pauli Epiſtolis ſparsè contentis, præſertim in Epiſtola ad Coloſſenſes, vt mirum ſit, voluiſſe Apoſtolum poſt propriã ad eos ſcriptam, hanc etiam legi, quæ nihil proprium, nihil nouũ, aut iterata conſideratione dignum contineret. His itaque omiſſis, ad Epiſtolam Timotheo nunc ſcriptam redeamus.

r Tertull. lib. 5. contra Marc. c. 11. & 17.
s S. Epiph. hær. 42.
t S. Ignat. ad Epheſ. ep. 14.
u S. Hier. de Script. eccleſ. in Paulo.
x Siſtus Sen. lib. 2. Bibl. in Paulo. Cornel. in Ep. ad Coloſſ. Ioan. Mariana in Scholiis 1 p. ad Coloſſ. ex Gothico exẽplari.

Hanc eſſe miſſam ex Macedonia ſatis inſinuat S. Paulus illis verbis initio poſitis [y]: *Sicut rogaui te, vt remaneres Epheſi, cùm irem in Macedoniam.* Nam, quod aliqui dicunt, hæc verba id nõn conuincere, verum eſt, ſi ſola per ſe cõſiderentur: ſed addere oportet, antequàm Paulus Epheſo diſcedens hoc tẽpore veniſſet in Macedoniã, ſine dubio hãc Epiſtolam Timotheo ſcribere non potuiſſe: agit enim in ea cũ illo tanquam cum Epiſcopo, neq; anteà fuit Epiſcopus, quàm illũ Epheſi Paulus hoc tẽpore reliquiſſet. Rurſus, neq; dici poteſt fortè ſcriptã Epiſtolam, vbi Paulus ex Macedonia

y 1. Tim. c.1.v.3.

receſſiſſet: nulla enim eſt alterius loci ſuſpicio, vnde mitti potuerit, niſi ex Laodicea, quod ſatis ſuprà refellebamus. Oſtenſuri prætereà ſumus, vbi de Epiſtola miſſa ad Coloſſenſes erit agendum[z], nunquam Paulum, neque Coloſſis, neque Laodiceæ fuiſſe. Deinde, verba illa Epiſtolæ: *Rogaui te, vt remaneres Epheſi, cùm irem in Macedoniam.* indicant de re non pridem geſta eſſe ſermonem: figurata enim eſt locutio, ac ſi dixiſſet: Sicut tunc rogaui, ita nunc iterum rogo, vt maneas, & rogaui, cùm irem, hoc eſt, non pridem veniens in has partes: eſt enim præſentis Græcum participium, πορευόμενος. Neque dubitare debemus, Paulum ob ſuã eximiam charitatem, & ſollicitudinem, quam gerebat de Eccleſia Epheſina, in qua fundanda tanto tempore laborauerat, diu hoc officium litterarũ differre voluiſſe: vnde Timotheus iuuenis haud ſatis expertus, de cura grauiſſima plurium Aſiæ Eccleſiarum pleniùs inſtrueretur. Nam ſimiliter demandata Tito cura plurium Cretæ Inſulæ Eccleſiarum, ei propriam non multò pòſt dedit Epiſtolam, monita continentem perfecti Eccleſiæ Paſtoris, vt ſuo loco referemus. Nunc, quæ ad Timotheum ſpectant, perſequamur.

z lib. 1. c. 10.

CAPVT III.

Quæ documenta contineat prior Pauli Epiſtola ad Timotheum.

Continẽt primum huius Epiſtolæ caput breuem, ſed efficacem exhortationem ad conuenientẽ Epiſcopo ſcientiam, & conſcientiam [a]. Paulus Apoſtolus Chriſti IESV ex delegatione Dei Patris per Filiũ ſuũ ſalutem & ſpẽ noſtram, dilecto filio Timotheo diuinã gratiam precatur, miſericordiã, & pacẽ. Rogo, ſubſiſtas Epheſi, ſicut rogaui te, cùm inde huc in Macedoniã paulò antè venirem, vt coërceas inutilia & fabuloſa contentioſè ibi docẽtes, quibus læditur charitas ab huiuſmodi imperitis, qui ſe interim magnos eſſe legis peritos arbitrantur. Bona eſt lex & impoſita nõ tam iuſtis, quàm iniuſtis, qui amore non mouentur, ſed cogendi ſunt pœnis atque timore: vt factũ nouimus in lege Moyſi: lex autem euãgelica beatior. Quare gratias ago benigniſſimo Deo, quas poſſum, maximas, qui me anteà blaſphemum, perſecutorẽ Eccleſię, atque oppreſſorem, per Chriſti merita deſtinauit fidelem fieri miniſtrum Euangelij ſui, contra quod tam grauiter ex quadam ignorantia delinquebam. Sed eius fides ſanauit cæcitatem mentis meæ; eius effuſa in me charitas emolliuit omnem cordis mei duritiem, & obſtinationem. Fidelis ſermo & omni approbatione digniſſimus: veniſſe in hunc mundum Chriſtum IESVM, vt ſaluos faceret peccatores, quorum ego eſſe me maximũ, quidquid ſit de aliis, ipſemet reputo: & cenſeo propterea tantã eſſe me conſecutum à Deo miſericordiã, vt in me vno potiſſimùm oſtenderet Chriſtus Dominus magnam ſuã patientiam, clementiam, & benignitatẽ. Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili ſoli Deo honor & gloria. Commendo tibi, Timothee, vt excitatæ diuinitùs de te in tuo munere expectationi perfectè reſpódeas, vita exẽplari, ſana doctrina, & bona conſciẽtia, quam aliqui deſpicientes, miſerabile naufragium in fide fecerunt: vt Hymenæus, & Alexander; quos proptereà excommunicatos ab Eccleſia, vexari à Satana permiſi, vt à ſua blaſphemia, & hæreſi reſipiſcant. In ſecundo capite monet Timotheum de præcipuo Epiſcopi munere, quod

a 1. Tim. c. 1. v. 1. &c.

eſt,orationi cum ſuis,pro ſuis, & pro omnibus vacare [b].

b 1.Tim. 2.v.1.&c.

Quare,ait, in primis te admoneo, cures fieri pro omnibus obſecrationes,orationes, poſtulationes, gratiarum actiones,pro Regibus, & omnibus,qui præſunt,tum Chriſtianis, tũ Gentilibus,vt quietam, & tranquillam vitam agamus, cum omni pietate,& honeſtate:ſic enim decet, & acceptum eſt coram Saluatore noſtro Deo, qui verè vult,quantùm ex ſe, omnes homines fieri ſaluos, & ad agnitionem veritatis peruenire. Siquidem vnus eſt Deus, & vnus mediator Dei, & hominum, Chriſtus IESVS,homo & Deus:qui pro omnibus obtulit ſemetipſum in pretium vniuerſalis redemptionis, argumentum certiſſimum,& adhuc magis tẽporibus ſuis declarãdum eximiæ Dei erga homines charitatis. Cuius rei gratia officium mihi demandatũ eſt euangelicæ prædicationis,& Apoſtolatus, fateor ſyncerè, vt ſim Doctor Gentiũ in fide, & catholica veritate. Volo itaque Chriſtianos in omni loco,& præſertim orationibus publicis deſtinato,puras in cœlũ manus attollere,& pacata mente deuotas ſupplicationes Deo fundere. Similiter mulieres in habitu honeſto, non vano, vel nimis pretioſo; ſed qualẽ mulieres decet.pietatem Chriſtianam præſeferentes.Sileant in templo cũ omni modeſtia ſubiectæ, vt à viris doceantur; ipſæ verò non doceant:ex Adamo enim Eua, non Adam ex Eua, quæ prima extitit in peccato, facilè à Dæmone decepta. Confert tamen illi ad æternam ſalutem, quos genuit, filios in Chriſtiana fide, dilectione, pietate,ac ſobrietate educare. Hæc habet capite ſecundo: tum capite tertio Epiſcoporum, & Diaconorum virtutes docet,dicens [c]:

c Cap 3. v.1.&c.

Non eſt autem dubium, eum, qui optat onus, non honorem Epiſcopatus,quantùm ex ſe præclarum opus, ſed valdè arduum deſiderare; cùm oporteat Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem, & talis caſtimoniæ, vt vel nullam vnquam vxorem duxerit, vel vnicam tantùm, & poſteà maneat cœlebs; ſit ſobrius, ſit prudens, perquàm benè moratus, toto habitu corporis compoſitus,pudicus, hoſpitalis, non mediocri doctrina præditus,non indulgẽtior ſibi, & erga alios aſper; ſed omnibus æquus, minimè cupidus,minimè litigioſus, qui benè in primis ſuam familiam regat, & filios, ſi quos anteà genuiſſet; qui honeſtiſſimæ ſint educationis. Nam, ſi propriã domum neſciat gubernare,quid poterit circa regimen Eccleſiæ de illo ſperari? Quare, nec expedit recenter eũ aggregatum Eccleſiæ fuiſſe,ne propter ſuperbiã à Dęmone illudatur,& talis ſit,vt nec illi,qui extra Eccleſiam ſunt, infideles audeant ei peccata, ſeu vitia aliqua exprobrare. Diaconos ſimiliter oportet eſſe pudicos,& qui non garrulitatis, non vinolentiæ, non auaritiæ notari vllo modo poſſint: digni, qui puris manibus,& mundiſſima conſcientia Sacerdotibus in arcano, ac tremendo Euchariſtiæ myſterio ſint miniſtri. Vnde hi quoque debent eſſe diu ſpectatę,&,antequã ordinentur,probatę virtutis.Qui ſi fuiſſent ante ſuſceptos Ordines coniugio alligati, ſaltem ne ſint experti ſecũdas nuptias:& ſi prima vxor viuat,& filios habeat, in fide & Chriſtianis virtutibus cum tota familia honeſtiſſimè gubernentur. Hæc tibi ſcribo interim, dum ad te redeo,vt cõſideres,& intelligas, qualem te eſſe oporteat in Eccleſia Dei, quæ columna eſt firmiſſima veritatis diuinorum myſteriorum,& maximè Verbi increati, in carne propter nos manifeſtati, in virtute Spiritus

confirmati, Angelis demonſtrati, Gentibus prædicati, mundo crediti, & in gloria cœleſti conſummati. Prædicit deinde in ſequenti quarto capite hæreſes ſecuturas, Timotheum inſtruens aduersùs illas, & vt omnes boni Paſtoris expleat partes, dicens [d]:

d Cap. 4 v. 1. &c. Eſt hæc Spiritus ſancti certa prædictio, futuros ſequentibus temporibus aliquos fidei Chriſtianæ deſertores à Dæmone in errores varios inductos, non tam corpore quàm animo ſtigmaticos, propter vitæ dedecora, & veluti cauterio inuſtam conſcientiam, vnde putredo ſcateat vitiorum: prohibentes nubere, & cibos quoſdam quaſi malos, & à malo Deo creatos deguſtare. Sed ineptas huiuſmodi aniléſque fabulas reiice: pietatem autem amplectere; in hac te exerceas, quę multò vtilior eſt, quàm exercitatio corporalis. Habet enim pietas, tum in hac vita, tum in futura, mercedem ſuam ex diuina promiſſione infallibili, atque adeò fide, acceptationéque digniſſima. Et hac ſpe in laboribus, & huius vitæ miſeriis maximè ſuſtentamur. Hæc velim à te alij diſcant; ita vt, quamuis adhuc ſis iuuenis, nemo te contemnat, ſed potiùs quaſi amantiſſimum patrem, & ſenili prudentia ac maturitate præditum omnes reuereantur. Attende, dum venio, doctrinæ ac diſciplinæ. Gratiam in ſacris Ordinibus pro tuo paſtorali munere tibi collatam diligenter exerce: videant omnes te proficere, & perfectioni ſimul aliorum inſiſtere: ſic enim te ipſum, & alios, qui te audiunt, ſaluos facies. Et hæc in genere monet capite quarto: tum capite quinto magis in ſpecie docet, quomodo Timotheus debeat ſe gerere circa perſonas

e Cap. 5. v. 1 &c. diuerſarum conditionum, ætatis, aut dignitatis, dicens [e]:

Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem, iuuenes vt fratres, anus quaſi matres, iuuéculas ſumma caſtimonia quaſi ſorores. Honora viduas honeſtas, & cura, vt ſi quam habeant familiam, eam benè regant, ſint gratæ parentibus, ſperent in Deum, die ac nocte inſtent orationibus. Quæ verò tales non ſunt, ſed in deliciis, moneas & doceas, quàm ſit eorũ conditio miſerabilis. Vidua deputanda piis miniſteriis deligatur, nõ minor ætate, quàm annorũ ſexaginta, quæ non tranſierit ad ſecundas nuptias, probata in bonis operibus, præſertim hoſpitalitatis erga peregrinos, miſericordiæ, & compaſſionis erga afflictos, obſeruantię erga omnes. Nõ autẽ debes in hæc miniſteria admittere viduas iuniores: ſolent enim eſſe leues, & facilè mutabiles: vnde aliquæ, ſicut experientia docuit, profeſſæ anteà caſtitatem, à propoſito reſilierũt, & ambire damnabiles nuptias inceperunt. Potiùs igitur huiuſmodi viduæ iuniores, anteà quàm admittantur ad collegium matronarum, & profeſſionem faciant caſtitatis, nuptui tradantur. Aliæ verò, quæ ſuſtentari extra collegium poſſunt, Eccleſiam non grauent, ſed alantur à ſuis ſeorſim. Curam habentes animarum, ſiue Epiſcopi, ſiue Parochi, qui benè ſe gerunt, maiori honore, & copioſiori ſuſtentatione digni ſunt. Aduersùs hos accuſationẽ ne admittas, niſi ſub duobus, vel tribus teſtibus. Publicè peccãtes publicè caſtiga; ſed cũ omni æquitate. Eccleſiaſticos Ordines nõ cõferas, niſi benè examinatis, & approbatis, ne communices peccatis alienis. Serua per omnia te innocentẽ. Aquam in poſterum niſi modico admixtã vino, ne bibas, propter tuas frequẽtes ſtomachi ægritudines. Aliorũ bona vt promoueas, mala vt corrigas, quantũ potes, obſerua:

quæ

quæ non potes, diuino iudicio committe. In poſtremo capite docet mores dominorum, & ſeruorum, quales eſſe debeant, vt ſalui fiant [f].

[f] *Cap. 6. v. 1. &c.*

Serui honorent dominos ſuos, etiamſi non Chriſtianos, ne Chriſtus propter ipſos blaſphemetur. Nihil verò minùs, ſed multò magis eos honorent, ſi domini fuerint Chriſtiani, & quidem propter communem fidem fratres; ſed tamen adhuc domini, & honorabiliores propter gratiæ beneficium. Qui autem aliter docet, aut ſentit, mentem habet corruptam, & ſuperbia obcæcatam. Nihil intulimus in hunc mundum, nec auferre quidquam poſſumus: ſimus igitur veſtitu, victúque moderato contenti. Nam, qui cupiunt, & quærũt diteſcere, incidunt in laqueos varios, quibus à Diabolo pertrahuntur ad interitum ſempiternum. Nullum enim eſt malum, quod oriri non poſſit ab immoderata cupiditate diuitiarũ: ob quam aliqui etiam à fide Chriſtiana defecerunt, & in mala plurima inciderunt. Tu autem, vir Dei, longè talia declinans, ſectare iuſtitiam, pietatem, aliáſque tuo muneri maximè neceſſarias virtutes. Certa bonum certamen fidei, ſicut profeſſus es, tum in Baptiſmi Sacramento, tum in curæ paſtoralis ſuſceptione. Imitare in hoc certamine ducem Chriſtum IESVM, qui profeſſus ſub Pontio Pilato, totóque Concilio, & populo Iudæorum, ſe in hunc mundum veniſſe, vt teſtimonium redderet veritati, in ſuæ paſſionis, & mortis mirifica tolerantia omnibus teſtatum fecit, & teſtimonium ſuo ſanguine conſignauit. Hæc ita obſerua, vt in nullo notari poſſis defeciſſe, memor aduentus extremi Iudicis temporibus ſuis manifeſtandi à Deo præpotente, Rege Regum, & Domino dominantium, qui ſolus obtinet perfectam immortalitatem, & lucem inhabitat naturæ viribus inacceſſibilem, quem propterea nullus mortalium vidit, nec videre poteſt: cui honor & imperium ſempiternum. Amen. Diuites huius ſæculi moneas, vt ſuperbiam caueãt, ne ſpem in diuitiis, ſed in Deo ponant, vt in virtutibus diteſcant, facilè tribuant, & pro æterna vita ſibi theſaurizent. O Timothee, ſacrum doctrinæ fidei noſtræ depoſitum cuſtodias diligentiſſimè: non enim deſunt oppugnatores, & inuaſores. Gratia diuina ſemper tecum ſit. Amen.

CAPVT IV.

Sex dubia examinantur circa ſex capita prioris Epiſtolæ ad Timotheum.

OCcurrit autem primùm quærere circa primum Epiſtolæ caput, quinam fuerit illi duo in fide naufragi, vnus dictus Hymenæus, & alter Alexander. Reſpondeo, Hymenæum eſſe illum Hæreticum, de quo iterum meminit idem S. Paulus in ſecundo capite ſecundæ Epiſtolæ ad Timotheum, adiungens illi ſocium Philetum, cùm ait [a]: *Profana autem, & vaniloqua deuita; multùm enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit: ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus, qui à veritate exciderunt: dicentes reſurrectionem eſſe iam factam, & ſubuertunt quorundam fidem.* De Alexandro verò in eadem Epiſtola, capite quarto, ſic ſcribit [b]: *Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit: reddet illi Dominus ſecundùm opera eius: quem & tu deuita: valdè enim reſtitit verbis noſtris.* Putant autem Baronius [c], & alij, hunc illum eſſe Alexandrum, de quo ait S. Lucas [d], in ſeditione contra Paulum

[a] *2. Tim. c. 2. v. 16. 17.*

[b] *2. Tim. c. 4 v. 14.*

[c] *Baron. an. 58.*

[d] *Act. c. 19 v. 33. Cornel. in c. 4. Ep. 2. Timoth. & in c. 1. Ep. 1.*

Epheſi concitata, tumultum populi ſua concione ſedare voluiſſe. Locus enim, & nomen ad hæc opinanda cùm ſuffragentur, non à remotis videtur petita coniectura. Nihilominùs tamen ſatis anteà oſtendimus [e], Alexandrum illum, Iudæum genere, alium eſſe diuerſum à Scriba miſſo à Magiſtratu ad populi tumultum reprimendum: hic enim ex narratione S. Lucæ conuincitur fuiſſe Gentilis, & idololatra, non autem Iudæus. Cæterùm, quòd Alexander ille, qui verè fuit Iudæus, ideò magis proſpiciens Iudæis, quàm Chriſtianis, ſit hic Alexander ærarius à Paulo appellatus, facilè credi poteſt; non enim ſolum nomen, & locus; ſed etiam genus, & mores videntur conuenire. Cùm enim eſſet origine Iudæus, audax & promptus in dicendo, & Iudæis magis, quàm Chriſtianis addictus, quamuis defendere Chriſtianorum cauſam velle videretur, faber quoque eſſet ærarius ſuis lucris maximè intentus, nihil mirum, ſi citò à ſuſcepta Chriſti fide, quam cum Iudaïſmo miſcuerat, reſiliit, & magnus euaſit Pauli aduerſarius, atque errorum proſeminator, cum Hymenæo ſimul, & Phileto. Videntur autem horum nomina moribus aptè conuenire: nam Hymenæus apud Gentiles nuptiarum Deus habebatur, & crapulæ, ac impudicitiæ patronus: Philetus verò amaſius interpretatur. Et profectò hi ſunt ad hæreſes gradus, ſeu præcipitia: vitæ libertas, carnis licentia, ambitio, auaritia, temeritas, & vanæ ſcientiæ ſuperba iactatio. Quæ paucis Apoſtolus eſt complexus dicens [f]: *Repellentes bonam conſcientiam, naufragauerunt à fide.*

e l. 8. c. vlt.

f 1. Tim. c. 1. v. 19.

Secunda difficultas grauiſſima occurrit capite ſecundo circa illa verba [g]: *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quomodo id accipiendum ſit, cùm voluntas Dei fruſtrari non poſſit; & tamen ſaluantur tam pauci, & tam multi manent alieni à veritatis agnitione, obuoluti cæcis tenebris infidelitatis. Prima expoſitio eſt S. Auguſtini [h] in libro de prædeſtinatione Sanctorum, & alibi: *Vult Deus omnes homines ſaluos fieri*; hoc eſt, nullus ſaluus ſit, quem Deus non velit ſaluum fieri, ſicut Ioannis capite primo dicitur [i]: *Deus lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: id eſt, quotquot illuminantur: & ſicut dicimus: Talis Magiſter ſcholæ docet omnes pueros huius ciuitatis. nempe, quotquot ſtudent, & ab aliquo docentur. Eſt enim tropus diſtributionis, quam vocant, accommodæ. Placet valdè Caluino, & Bezæ hæc expoſitio, qui addunt, propterea Deum nulli dare gratiam iuſtificantem, & auxilia ad ſalutem neceſſaria, niſi tantùm prædeſtinatis: quod damnatur expreſsè in Concilio Tridentino ſeſſione ſexta, canone decimoſeptimo, illis verbis: *Si quis iuſtificationis gratiam, non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos gratiam non accipere, vtpote prædeſtinatos ad malum; anathema ſit.* Nam, quamuis, quod dixit S. Auguſtinus, ſit veriſſimum, neminem ſaluari, niſi quem vult Deus; tamen ſine dubio plùs voluit ſignificare S. Paulus: ad quid enim præmiſiſſet orandum pro omnibus etiam infidelibus, ſi reipſa Deus vult paucos ſaluari? Et cur ibi addidiſſet: *Vnus enim Deus, & vnus mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus* IESVS, *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* pro omnibus vtique etiam, qui ſua culpa non ſaluantur: ſicut dicitur in Euangelio S. Ioannis: *Deus illuminat omnem hominem.* non tantùm

g 1. Tim. c. 2. v. 4.

h S. Aug. lib. de prædeſt. SS. c. 8. & lib. de corr. & grat. c. 14. & ep. 107.

i Ioan. c. 1. v. 9.

tùm qui illuminatur; ſed etiam quia pro ſua bonitate alios omnes illuminare paratus eſt, qui oculos claudunt. Ideò præmiſit dicens [k]: *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Et infrà queritur Chriſtus Dominus, dicens [l]: *Hoc eſt iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Quare aliam reſponſionem affert S. Auguſtinus [m], dicens, vocem, *Omnes*, accipi poſſe vniuerſaliùs: non tamen completa diſtributione pro ſingulis generum, ſed pro omnibus generibus ſingulorum, id eſt, quòd velit Deus ex omni hominum genere aliquos ſaluari: nempe, ex Iudæis, ex Gentilibus, ex pauperibus, ex diuitibus, ex maſculis, ex feminis, pueris, &c. ſicut etiam accipitur illud dictum in Euangelio [n]: *Decimatis omne olus.* id eſt, quamlibet oleris ſpeciem: & omne animal dicitur fuiſſe in arca Noë, id eſt, ex omni genere animalium. Hoc intellectum de voluntate Dei efficaci verum eſt: ſed profectò plùs adhuc voluit S. Paulus ſignificare, nempe, particulam, *Omnes*, eſſe diſtributiuam etiam pro ſingulis generum: nam ideò præmiſit, orandum eſſe pro omnibus, vt ſubdidit, dediſſe Chriſtum pro omnibus ſemetipſum, non generibus tantùm, vel ſpeciebus, ſed indiuiduis, vt magis expreſſit S. Petrus in ſua ſecunda epiſtola, dicens [o]: *Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Quare tertiam excogitauit S. Auguſtinus reſponſionem [p]: Vult Deus, hoc eſt, facit nos velle, vt omnes ſaluentur. Sicut ad Galatas capite quarto dicitur [q]: *Miſit Deus ſpiritum Filij ſui clamantem,* id eſt, clamare nos facientem. Et ad Romanos: *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis,* id eſt, poſtulare nos facit: vnde aliqui notant, ob id fortaſſe dictum non fuiſſe: vult omnes ſaluos facere; ſed, *vult omnes ſaluos fieri.* At, neque hæc interpretatio ſatisfacit, quia præmiſit S. Paulus orandum pro omnibus hominibus: *Hoc enim,* inquit, *bonum eſt, & acceptum coram Deo, qui vult omnes homines ſaluos fieri.* Non igitur, vt ipſo non volente, ſolùm nos velimus, quia ſic acceptum illi non diceretur, neque faceret nos velle, quod ipſe non vult. Quarta S. Thomæ [r] expoſitio, quam Caietanus, & alij plures ſequuntur, eſt, velle Deum omnes homines ſaluos fieri voluntate, quam appellant, ſigni; nempe, quia Deus talia operatus eſt, & operatur pro ſalute hominum, vt ſatis ſignificet, velle ſe omnium hominum ſalutem; ſicut, ſi Medicus pararet pharmacum aptiſſimum ad omnes ægritudines curandas, & ad illud ſumendum omnes inuitaret, diceretur velle omniū ſalutem. Atque hic non pauci ſubſiſtunt, nolentes vltrà concedere formalem in Deo voluntatem ſalutis hominum vniuerſorum, quam diuinæ Scripturæ vocant voluntatem beneplaciti, Græcè, εὐδοκίας, quia, dicunt, hanc S. Auguſtinus nunquam admiſit. Deinde, quia voluntas diuini beneplaciti ſemper debet impleri; alioquin eſſet aliquid in Deo imperfectum atque deficiens; ideò dicunt eſſe tantùm in ſignis, & appellari propterea voluntatem ſigni. Sed nos iam quærimus, illa diuina ſigna ſintne vera, an ſimulata & ficta? Si vera; igitur Deus ita ſignificans ſe velle, verè ita vult; ſi ficta, Deus fictè nobiſcum ageret, ac deceptoriè, quod de prima Veritate, & ſumma Dei bonitate pium non eſt credere, neque cogitare. Eſt igitur quinta expoſitio omnium optima, plurium Interpre

k Ioan. c.1. v.5.

l Ioan. c. 3. v. 19.

m S. Auguſt. loco cit. & in Enchir. c. 103.

n Luca c. 11. v. 42.

o 2. Pet. c. 3. v. 9.

p S. Aug. lib. de corr. & grat. c. 15. & lib. 22. de Ciu. c. 2. v. 2.

q Gal. c. 4. v. 6. & Rom. c. 8. v. 26.

r S. Th. in Com. Ep. 1. Tim. & 1. p. q 11. & 12. vbi Bannez a. 6. Aluarez d. 33. de auxiliis.

Interpretum [s], & Scholaſticorū, verè loqui S. Paulum de voluntate Dei formali, & beneplaciti; non tamen totaliter efficaci, ſed quodammodo inefficaci, nempe, conditionata, quæ nullam ex ſe dicit imperfectionem, vt præter alios benè oſtendit Franciſcus Suarez [t]. Neque contradicit S. Auguſtinus, qui, cùm in epiſtola ad Vitalem [u], varias ſuprà relatas expoſitiones attigiſſet, addit: vt ſi quo alio modo illa Pauli verba poſsűt intelligi, non repugnando veritati Scripturarum, intelligantur. Iam verò, quòd intellecta de formali voluntate, & beneplacito diuino minimè repugnent; ſed maximè congruant veritati, ſatis ſuadent antecedentia Pauli verba, dicentis, propterea ſe obſecrare Timotheum, vt curet pro omnibus hominibus diligenter orari: *Quia hoc* (inquit) *bonum eſt & acceptum coram Deo, qui vult omnes homines ſaluos fieri.* Neque enim Deus habet acceptas preces pro eis, quos ſaluare non vult, vt propterea diceret Ieremiæ [x]: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & non obſiſtas mihi; quia non exaudiam te.* & infrà: *Non eſt anima mea ad populum iſtum.* Quare S. Chryſoſtomus ea Pauli verba exponens ait [y]: *Imitare Deum tuum, qui omnes homines vult ſaluos fieri: illius & tu concorda voluntati.* Et in alia homilia [z] aſſerit, Deum valdè cupere, & vehementer deſiderare ſalutem omnium, etiam eorum, qui damnantur; diſtinguens duas in Deo voluntates; vnam vocat primam; aliam ſecundam: & priore ait, Deum velle omnium ſalutem, propter ſuam bonitatem: poſteriore autem, velle damnare peccatores, propter eorum culpas. Quam diſtinctionem alij cōmuniter admittunt cum Damaſceno libro ſecundo fidei orthodoxæ [a], vbi priorem voluntatē etiam antecedentem vocat, & conditionatam, & inefficacem; quia, non niſi poſita ex parte noſtri conditione ſuum abſolutè ſortitur effectum. Vnde in eandem ſententiam ait S. Hieronymus [b]: *Vult Deus ſaluari omnes, ſed nullus abſque propria voluntate ſaluatur: liberi enim arbitrij ſumus.* Et S. Ambroſius [c]: *Vult Deus omnes homines ſaluos fieri; ſed ſi accedant ad eum: non enim ſic vult, vt nolentes ſaluentur; ſed vult ipſos ſaluari, ſi & ipſi velint.* Quare addit in hoc Apoſtoli dicto: *Deus vult omnes ſaluos fieri.* latere conditionem. Oecumenius [d] quoque: *Si Deus vult,* inquit, *quare non fit? Quia illi nolunt: nihil enim ex neceſſitate facit in nobis Deus.* Neque diſſentit S. Auguſtinus: nam in tractatu decimoquinto de verbis Apoſtoli: *Qui fecit* (inquit) *te ſine te, non te iuſtificabit ſine te. Fecit neſcientem, iuſtificat volentem.* Et in libro de ſpiritu, & litera [e]: *Vult Deus omnes homines ſaluos fieri; ſic tamen vt eis non adimat liberum arbitrium.* Et in reſponſione ad articulos ſibi falsò impoſitos, cùm dixiſſet, non eſſe curiosè perueſtigandum, cur hi ſaluentur, illi damnentur, ita concludit [f]: *Remota ergo hac diſcretione, quam diuina ſcientia intra ſecretum iuſtitiæ ſuæ continet, ſynceriſſimè credendum, atque profitendum eſt, Deum velle, vt omnes homines ſalui fiant. Siquidem Apoſtolus, cuius iſta ſententia eſt, ſollicitiſſimè præcipit, quòd in omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtoditur, vt Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur:* Hæc S. Auguſtinus, ſiue, vt aliis videtur, Auguſtini nomine S. Proſper eius diſcipulus. Eſt denique præclarum S. Clementis teſtimonium in libro ſecundo Conſtitutionum apoſtolicarum, ſic aſſerentis [g]: *Nos ergo, qui digni facti ſumus, vt eſſemus teſtes aduentus ipſius cum Iacobo fratre Domini, & aliis*

Septua

s in 1. Tim. c. 2. Magal. Iuſtinian. Cornel. à Lap. Salmerō v. 6.

t Suarez relect. 1. diſp. 1. ſect. 2. n. 8.

u S. Aug. ep. 107. ad Vital.

x Ierem. c. 7. v. 16 & c. 15. v. 1.

y Chryſ. hom. 7. in 1. Tim.

z hom. 1. in Ep. Epheſ.

a Dam. l. 2. c. 29.

b Hier. in c. 1. Epheſ.

c S. Ambroſ. in c. 2. Ep. 1. Tim.

d Oecum. in 1. Tim. c. 2.

e S. Aug. lib. de ſpiritu, & lit. c. 21.

f S. Aug. lib. 2. reſponſ. obiect. 2. tom. 7.

g S. Clemens lib. 2. Conſt. c. 59. aliàs 55. ſecūdùm verſionē Turr. tom. 1. Concil.

Septuaginta duobus, & ſeptem Diaconis, ex ore Domini noſtri audiuimus, & perfectè ſcientes dicimus, quæ ſit voluntas Dei bona, placens, & perfecta, per IESVM *Chriſtum nobis demonſtrata, vt nullus intereat; ſed vniuerſi homines vnanimi ſententia credentes ei, & vnanimem laudem ferentes in eum, viuant in æternum.*

Quæritur tertiò, quid ſit quod ait Apoſtolus capite huius epiſtolæ tertio [h]: *Hæc tibi ſcribo, ſperans me ad te venire citò: ſi autem tardauero, vt ſcias, quomodo te oporteat in domo Dei conuerſari.* & iterum capite ſequenti: *Dum (inquit) venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.* Hoc enim videtur aduerſari dictis à nobis ſuperiùs de loco & tempore, in quo ſcripta eſt prior hæc Epiſtola ad Timotheum, nempe, in Macedonia non multò pòſt quàm Epheſo Apoſtolus diſceſſiſſet, ibique Timotheum Epiſcopum conſtitutum reliquiſſet. Non enim veriſimile videtur, feſtinare ipſum voluiſſe, vt Epheſum tam citò rediret, vnde nō pridem diſceſſiſſet. Reſpondeo, nihil id mirum videri oportere: nam Epheſo pro tempore diſceſſerat Apoſtolus cedens perſecutioni, & exortis propter ipſum ſeditionibus: quibus pacatis, rebúſque compoſitis, vt alias ſolebat, reuerti ad perficienda, quæ ad primariam illam Aſiæ Eccleſiam pertinebant, voluiſſet. Deinde, quia primum eius conſilium fuit, Epheſo cùm diſcederet, ire Romam, & antea Ieroſolymam: priuſquàm autem Ieroſolymam veniret, Eccleſias Macedoniæ viſitare: quibus viſitatis reuerti eadem via Epheſum voluiſſet, vt inde in Syriam nauigaret. Quòd autē ex parte cōſiliū mutauerit, id propterea fuit: quia paratas ſibi à Iudæis in itinere illo inſidias intellexit, ſicut magis infrà referemus. Et quia, ſiue ob hanc, ſiue ob alias cauſas iudicauit poſteà non expedire, vt iterum Epheſum reuerteretur, ideò cùm prope Epheſum acceſſiſſet, vocauit ad ſe Miletum Epheſinæ Eccleſiæ Optimates cum Timotheo, eóſque ad ſanctimoniam, & curam paſtoralem adhortatus, nauem intrauit, vt versùs Ieroſolymam nauigaret, quod magis poſteà exponetur.

[h] 1. Tim. c. 3 v. 14. & c. 4. v. 13.

Quæritur quartò circa caput quartum, cur ibi quidam Hæretici dicantur habentes cauteriatam conſcientiam, & quinā illi fuerint. Reſpōdeo, Apoſtolum prophetico ſpiritu ſcripſiſſe, tales Hæreticos poſteà venturos, nempe, Ebionitas, Encratitas, Gnoſticos, Carpocratianos, Manichæos, Saturnianos, & Marcionitas, qui dicebant, nuptias, vinum, & carnem, & alia quædam non eſſe à bono Deo, ſed à malo, ſiue à Diabolo creata; ideò cauenda, ne illorum vſu inficiamur. Addebant alias fabulas abſurdiſſimas, de quibus ſæpè Tertullianus, Irenæus, & alij Patres meminerunt. Dicit verò S. Paulus, hos & ſimiles Hæreticos habere conſcientias cauteriatas; id eſt, vt reddit Syrus Interpres, notatas & inuſtas indelebili cauterio infamiæ, ob notas eorum libidines, & ſcelera infamiſſima: alludens ad ſtigmata, quæ ferro candenti ſeruis fugitiuis, aut maleficis inuruntur. Fuerunt enim hi transfugæ apoſtatantes à fide, & interim ſimulatione continentiæ fœdiſſimè viuentes. Fortè etiam reſpexit S. Paulus id, quod referūt feciſſe Carpocratianos, & Gnoſticos, Sancti Irenęus [i], & Epiphanius [s]; nempe, ſuos diſcipulos docuiſſe auerſari procreationem liberorum, quos, vt ab aliis diſtinguerent, cauterio in ſuperiori dextrę auris parte notabant. Putant etiam alij per huiuſmodi cauterium non ſolùm ſignificatam prædictam infamiæ ſtigmaticam notam; ſed etiam morum

[i] S. Iren. l. 1 c. 24.
[s] Epiph. hær. Car.

corruptionem; nam ex cauterio continuò ſanies, & putredo emittitur: deinde ardorem concupiſcentiæ; quia cauterium ignito ferro conficitur: præterea immutabilē, & quaſi emortuam ad peccati ſenſum conſcientiā, inſtar partis cauterio inuſtę, quę indolētiā quādā inueterati vlceris acquirit.

Quæritur quintò, quænam eſſent illæ viduæ iuniores, de quibus dicitur capite quinto, habere damnationem, eò quòd nubere volentes, primam fidem irritam fecerūt. Reſpondeo eſſe hoc inſigne teſtimonium contra votifragos Hæreticos noſtri temporis, religioſa & ſacra vota impugnantes, necnon ſtatum continentiæ, & eccleſiaſticum cœlibatum. Quare ſciendū eſt, in Eccleſia primitiua, ſicut habetur ex Actis apoſtolicis [k], ſolitas mulieres viduas quotidiano miniſterio ſeruire pauperibus, & aliis indigentibus, qui relictis facultatibus viuebant in cōmuni: quamuis Apoſtoli deinde propter diſſidia, & murmur Græcorū aduerſùs Hebręos, eò quòd deſpicerētur, vt inquit S. Lucas, in miniſterio quotidiano viduæ eorum, elegerint ſeptem Diaconos huic miniſterio deputatos. Interim manſerunt viduæ aliquæ pro cura tantùm mulierum indigentium: poſteà Eccleſia redegit viduas huiuſmodi ad contubernium quoddā, & quaſi Monaſterium, cum delectu, vt eſſent matronæ graues, & probatæ virtutis, cum profeſſione ac voto ſeruandæ in poſterum caſtitatis, & erant veluti Diaconiſſæ, quarum officium in tribus potiſſimùm conſiſtebat, vt habetur ex S. Clemente [l], & S. Epiphanio. Primùm, præerant Baptiſmo mulierum, cùm eo tempore plurimæ in ætate matura conuerterentur ad Chriſtianam fidem, eáſque circa collum & ſcapulas nudabāt, vt aqua Baptiſmi perfunderētur: præerant ſimiliter mulieribus Sacramentū Confirmationis ſuſcipiētibus, & chriſma detergebant. Secundò, cū eſſet in templis porta propria, qua mulieres intrabant Eccleſiam, & loca vbi ſederent à viris ſeparatæ, ipſorum erat officium adeſſe pro foribus, & diſponere illam multitudinem. Vnde à S. Ignatio in epiſtola ad Antiochenos, vocantur Diaconiſſæ cuſtodes veſtibulorū. Tertiò, cùm tēpore perſecutionū Epiſcopi, Parochi, & Diaconi propter pericula, & ſuſpiciones iuuare non poterant mulieres fideles exhortationibus, cōſiliis, aliiſque ſubſidiis, mittebant Diaconiſſas, quę hoc præſtarent, & eas ſolarentur, ac iuuarent in paupertate, in morbo, & tandem corpora mortuarum ipſæ lauarent, & ad ſepulturam componerent: nullis tamen vnquam Ordinibus initiabantur, ſed laïcæ ſemper manebāt. De his igitur præſcribit S. Paulus, vt non eligantur, niſi viduæ probatiſſimæ virtutis, & quæ vnum tantùm coniugem habuiſſent, attingentes annum ętatis ſexageſimum: iuniores autem viduæ ad eorum conuictum, & profeſſionem non admitterentur, eò quòd à propoſito facilè reſilirent, & contra emiſſum caſtitatis votum ambire nuptias incitarentur. Et hoc eſt, quod ait Apoſtolus: *Cùm luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volūnt, habentes damnationem; quia primam fidem irritam fecerunt:* id eſt, cum libertati nimiæ, & luxui ſe tradiderūt, in Chriſti iniuriam nubere volunt, contra fidem promiſſæ caſtitatis, ſiue contra pactum, ait S. Chryſoſtomus [m], quod cum Chriſto ſponſo fecerunt: ſiue contra profeſſionem, ait S. Ambroſius [n]: contra promiſſionem, S. Epiphanius [o]: contra votum, S. Auguſtinus in libro de bono viduitatis [p]; & in Pſalmos: *Quid eſt,* inquit, *primam fidem irritam fecerunt? vouerunt, & non reddiderunt.* Et in libro de adulterinis coniugiis:

k *Act. c. 6. v. 1.*

l *Clemens lib. 3. Conſt. c. 15.* S *Epiph. hær. 79.*

m *S. Chr. in c. 5. Ep. 1 Tim.*

n *S. Ambroſ. in c. 5. Ep. 1. Tim.*

o *S. Epiphan. lib. 2. hær. 48.*

p *S. Aug. lib. de bono vidu. c. 8 & 9. & in Pſ. 75. & lib. de adult. coniug. c. c. 15. & 24.*

coniugiis: *In iis*, ait ᵖ, *qui vouerunt caſtitatem, non tantùm capeſcere nuptias; ſed nubere velle damnabile eſt.* Nec habent Hæretici, quantumuis conentur, quid reſpondeant, niſi meras ineptias. Lutherus ait illas viduas dici habuiſſe damnationem, non quia contra votum continentiæ feciſſent, nam eſſe nulla huiuſmodi vota ipſe contendit: ſed, quia fidem irritam fecerunt, id eſt, à fide catholica ad paganiſmum redierunt, & factæ ſunt meretrices, idque colligit, eò quòd præmiſerit Apoſtolus, dicens: *Cùm luxuriatæ fuerint, nubere volunt.* Sed nihil dicit veriſimile, ſibíque, & Scripturæ apertè contradicit. Nam, ſi nullum habebant continentiæ votum, cur illis nubere non licuiſſet? cur volentes nubere ad paganiſmum deficere debuiſſent? nam etiam in Chriſtianiſmo, niſi votum obſtitiſſet, nubere potuiſſent; & tamen ait Apoſtolus nubendo damnationē habuiſſe, & retrò Satanam iuiſſe, non quia à fide catholica receſſiſſent; ſed quia primam fidem irritam feciſſent, nempe, promiſſam Chriſto ſponſo continentiam irritantes per ſecūdam fidem ſponſo mortali ſacrilegè datā. Quòd autē anteà proſtitutas & meretrices eas Lutherus aſſeruit, magis contra ipſum eſt: ſi enim votum continentiæ non habebant, à ſtatu meretricio ad matrimonium tranſire non erat illis damnabile, ſed commendabile: non erat ire retrò Satanam, vt de ipſis ait Apoſtolus; ſed Satanam fugere magis fuiſſet. Quare Caluinus aliam reſponſionem affert, quam, tamen didicit à Luthero, per fidem irritam factam ab illis viduis iunioribus non intelligi aliud votum, niſi in Baptiſmo factum, abrenunciandi Satanæ, &c. at nulla mulier facit in Baptiſmo votum non nubendi. Hæ verò dicuntur damnabiles, & iuiſſe poſt Satanam, quia nubere volebant; nec velle nubere, niſi votum obſtitiſſet caſtitatis, fuiſſet velle ire poſt Satanam. Vnde S. Paulus ibidem loquens de aliis viduis, quæ tale votum non emiſerant q: *Volo* (inquit) *iuniores nubere, filios procreare, matresfamiliàs fieri.* Addit ergo aliam ſuam reſponſionem Caluinus, per fidem irritam intelligi debere, non votum propriè, ſed quandam promiſſionem Eccleſiæ factam non cogitandi de nuptiis, ad expeditiùs miniſtrandum iis, quibus tenebantur ex officio Diaconiſſarum. Hæc reſponſio, etiamſi acuta, & plauſibilis Hæreticis videatur; tamen eſt omnium ineptiſſima, ipsiſque maximè aduerſa. Nam, ſi licuit caſtitatem Eccleſiæ promittere, cur non liceat Deo? Si licuit Eccleſiæ caſtitatem ab illis viduis exigere, cur non liceat eam exigere à Sacerdotibus? Si continentia requirebatur pro temporalibus miniſteriis illarum viduarum, cur non maiori ratione pro altari, & ſacratis miniſteriis? Si damnabile erat fidem frangere Eccleſiæ datam ab illis mulieribus, cur non datam Deo à Sacerdotibus, Epiſcopis, & Religioſis Deo conſecratis? Quod tamen Hæretici rident, & nihili faciunt, & cælibatum Sacerdotum Caluinus vocat tyrannidem Romani Papatus: & addit, quòd, quantuncunque vouerit aliquis Deo caſtitatem; ſi tamen ſtimulos carnis patiatur, licitè nubet. Quòd ſi ita eſt, cur hæ viduæ iuniores, quæ, vt ipſe vult, non promiſerant Deo, ſed tantùm Eccleſiæ caſtitatem, volentes nubere habuerunt, vt ait Apoſtolus, damnationem? Reſpondet Caluinus, habuiſſe illas damnationem, quia luxuriatæ ſunt, id eſt, fornicatæ. At non dixit Apoſtolus, damnationem habuiſſe, quia luxuriatæ

q 1. ad Tim. c. 5. v. 14.

riatæ ſunt; ſed, quia volebant nubere, poſtquàm eſſent luxuriatæ: quare, ſi nubendo non peccabant, potiùs honeſto coniugio præteritam fornicationem emendabant: vnde non erant damnandæ, quia vellent nubere; ſed magis commendandæ. At neque per id, quod ait Apoſtolus, *Cùm luxuriatæ fuerint*, intelligere fornicationes & peccata luxuriæ debemus; ſed luxum nimium, & delicias, quod anteà notauimus, & in eundem ſenſum ipſe Apoſtolus dixit ſuperiùs [r]: *Vidua, quæ in deliciis eſt.* Nam ex his deliciis ad appetendas nuptias facilè inuitabantur, quas nuptias non ob aliam cauſam ait Apoſtolus illis viduis fuiſſe damnabiles, niſi quia primam fidem Chriſto ſponſo per votum caſtitatis datam irritare cogitabant fide noui matrimonij, vt præter Patres iam adductos alij omnes exponunt cum Concilio Carthaginenſi quarto [s] ducentorum & quatuordecim Epiſcoporum, & Toletano etiam quarto [t], ſeptuaginta Epiſcoporum. Soli Nouatores quærunt effugia: ſed nulla inuenient, ſicut hactenus non inuenerunt.

Quæſitum poſtremum circa vltimum epiſtolæ caput eſſe poſſet, qua ratione ibi dicatur [u]: *Radix omnium malorum cupiditas.* Nam hoc videtur contrarium illi ſententiæ Eccleſiaſtici [y]: *Initium omnis peccati eſt ſuperbia.* Reſpondet S. Auguſtinus [z], & alij ex ipſo, peccatum quoque ſuperbiæ quandam eſſe peruerſam cupiditatem, tanquam ſpeciem ſub genere ſignificatam. Sed, quamuis hoc verum ſit; tamen eſt difficultas, quia non tam latè videtur Apoſtolus ſumpſiſſe cupiditatem quaſi in genere, ſed ſolùm in ſpecie cupiditatem diuitiarum, cùm Græcè φιλαργυρία dicatur, id eſt, amor argenti. Quare S. Thomas ingenioſè hanc ſoluens contradictionem, dixit [a], ſuperbiam eſſe initium omnis peccati, ordine intentionis; auaritiam eſſe radicem omnis peccati, ordine executionis, quatenus auaritia ſubminiſtrat pecunias pro inſtrumento executionis omnis peccati, quod ſuperbus animo ſuo intendit, & patrare deſtinauit. Et hoc etiam ſæpè verum eſt: non rarò tamen ipſa auaritia, tam ordine intentionis, quàm executionis, præcedit ſuperbiam: multi enim ob diuitias in ſuperbiam extolluntur, & plurima perpetrant mala, atque adeò initium, tam ſuperbiæ, quàm aliorum peccatorum, ſæpè eſt auaritia. Itaque cùm dicitur auaritia radix omnis peccati, & ſuperbia initium omnis peccati, non eſt accipienda vox, *Omnis*, diſtributiuè pro ſingulis generum, quaſi ſingula omnis generis peccata ſint ex auaritia, & ſingula ex ſuperbia; quia falſum eſt, & contradictio: ſed pro generibus ſingulorum, id eſt, quia nullum eſt peccati genus, quod originem ducere ab auaritia non poſſit, & duxerit aliquando, & ſimiliter à ſuperbia. Sicut vice verſa humilitatem dicimus radicem eſſe omnium bonorum, & obedientiam dixit S. Gregorius eſſe virtutem, quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertáſque cuſtodit, quod etiam verè, & non minori ratione dici de charitate, & prudentia potuiſſet.

r 1. Tim. c. 5. v. 6.
s Conc. Carthag. 4. can. 104.
t Conc. Toletan. 4. c. 55.
u 1. ad Tim. c. 6. v. 10.
y Eccli. c. 19. v. 15.
z S. Aug. lib. 11. Gen. ad lit. c. 14.
a S. Th. 1. 2. q. 84. a. 1. & 2.

CAPVT V.

Ex Macedonia cum Tito nauigat in Cretam, ibique illum Epiſcopum conſtituit, & totius Inſulæ Primatem.

NOndum annus præterierat humanæ ſalutis quinquageſimus-ſeptimus,

ſeptimus, & Neronis primus, cùm Paulo Macedoniam peragrante expectatiſſimus Titus tandem aliquando aduenit Corintho, quo miſſus iam pridem fuerat ad eleemoſynas colligendas pauperibus Chriſtianis diſtribuendas. In qua parte Macedoniæ Titus Paulum nunc inuenerit, non ſatis conſtat, niſi quòd ipſe Apoſtolus refert in ſecunda epiſtola ad Corinthios, cùm Troadem veniſſet, vbi ſperabat illum propediem adfuturum, & ibi non appareret, vlteriùs in Macedoniam ſe progreſſum [a]: *Sed, qui conſolatur humiles*, inquit, *conſolatus eſt nos Deus in aduentu Titi. Non ſolùm autem in aduentu eius, ſed etiam in conſolatione, qua conſolatus eſt in vobis, referens nobis veſtrum deſiderium, veſtrum fletum, veſtram æmulationem pro me:* erat enim Paulus in magna animi ſollicitudine propter Eccleſiam Corinthiorum ſchiſmate, & ſcandalis aliquorum perturbatam. Igitur, cùm à Tito intellexiſſet verſari res illius Eccleſiæ in ſtatu meliori, & Epiſtolam, quam ad eos primò ſcripſerat, multùm eis profuiſſe; conſolatus eſt valdè, & animo quietiori differre cogitauit ad Corinthios reditum, vt poſſet, Euangelij propagandi cauſa, aliò priùs excurrere. Has omnes excurſiones expreſſas in ſacra Hiſtoria non habemus: ſolùm enim paucisſimis verbis S. Lucas multa complectens dixit [b]: *Profectus eſt Paulus, vt iret in Macedoniam: cùm autem perambulaſſet partes illas, & exhortatus eos fuiſſet multo ſermone, venit in Græciam.* Quare debemus, ſiue per ea, quæ in Pauli Epiſtolis inuenimus, ſiue ex aliis coniecturis rationes itinerum, locorum, ac temporum, ſi non certiſſimas, ſaltem veroſimillimas perueſtigare. Putamus itaque, vt etiam aliis [c] viſum eſt, Apoſtolum hoc tempore ex Macedonia in Græciam non pedeſtri itinere profectum, ſed per Ægæum mare Cycladas adnauigando in Cretam Inſulam cum Tito veniſſe. Id enim ipſe Paulus in exordio Epiſtolæ, quam non multò pòſt ad Titum ſcripſit, verbis illis videtur ſignificare voluiſſe [d]: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Nam ex ſimilibus illis verbis initio prioris Epiſtolæ ad Timotheum adſcriptis: *Rogaui te, vt remaneres Epheſi, cùm irem in Macedoniam.* colligebamus, iuxta expoſitionem Patrum, Timotheum Epheſi tunc Epiſcopum à Paulo conſtitutum, & vt Primatem in ea metropoli relictū. Vnde Chryſoſtomus [e] in caput primum Epiſtolæ ad Titum, ſic de ipſo ſcribit: *Vnus ex Pauli ſociis hic fuit, vir probatus: neque enim profectò illi integram Inſulam permiſiſſet, neque ea, quæ deerant, præcepiſſet implenda, & tam multorum Epiſcoporum iudicium ei commiſiſſet, niſi multùm illi confideret.* Hæc Ioannes Chryſoſtomus de Tito, Cretenſis Inſulæ Archiepiſcopo.

Eſt Creta, quæ hodie Candia dicitur, perampla Inſula, mari vndique circunfuſa, Carpatio ab ortu, Ionio ab occaſu, Africano à meridie, & Ægeo à ſeptentrione, media inter Atticam Græciæ, & Cyrenaïcam Africæ oram conſtituta, centum olim vrbibus celebrata, vnde ab Homero Ecatompolis dicta eſt, & à Latino Poëta [f]:

Creta Iouis magni medio iacet Inſula ponto,
Mons Idæus vbi, & gentis cunabula noſtræ:
Centum vrbes habitant magnas, vberrima regna.

In tanta rerum omnium copia & vbertate, & præſertim vini Cretici præſtantiſſimi, non modò luxus, ſed

OOo 3 etiam

a 2. Cor. c. 2. v. 12. & c. 7. v. 6.
b Act. c. 20. v. 1.
c Baron. an. 57. in fine.
d Tit. c. 1. v. 5.
e Chryſ. in c. 1. Tit.
f Virg. l. 3. Æ.

etiam obſcœniſſima, nec tamen probro habita luxuria ibi dominabatur. Nam, vt ait Strabo [g], mos inualuerat infamiſſimus licitè in pueros inſaniédi, quos etiã, quantumuis nobiles rapere, & apud ſe duos menſes retinere nihil vetabat. Imò, quod deterius eſt, turpe cenſebatur, ſpecioſos & nobili genere ortos, nulli eſſe in amoribus, ac deliciis, quaſi ruſticis moribus deſpicabiles. Contrà verò rapti habebãtur cunctis in honore, & tã in conſeſſu, quã ambulando, primarius illis locus tribuebatur, & veſte vti ſplendidiore ab amatore donata permittebatur. Videlicet, hoc illos edocuit magnus ipſorũ Rex, & primarius Deorũ Iupiter, cùm raptum à ſe Ganymedẽ inter cœlites collocauit. Sed tandem pudere ſapientiores Cretenſium cœpit tam abominandæ conſuetudinis, ac ob id legem tulerunt, vt ad hãc infamem pæderaſtiã, vagáſque alias libidines cohibendas, omnes Cretenſes ſtatim à pubertate in ſtatu matrimonij collocarentur. Ex his tria ad rem noſtrã facilè intelligemus, quæ in ſua ad Titum Epiſtola non ſine multa ſapiẽtia poſuit S. Paulus, alioquin à nobis hæc de Cretenſiũ moribus dedecora ætate Apoſtoli notiſſima, nunc diſſimulari debuiſſent. Primum eſt illud, quod Tito ait [h]: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſi quis ſine crimine eſt, vnius vxoris virum*, &c. cũ fuiſſet conuenientius cœlibes conſecrare, & qui nullam vnquam duxiſſent vxoré: hoc tamen vix fieri, aut omninò Cretæ fieri non poterat; non ſolùm, quia difficilè apud Gentiles in ætate virili inueniebãtur, qui vxorẽ non duxiſſent; verùm etiam ob leges proprias Cretenſiũ, quibus diximus cautum, ne puberes inire cõnubia differrent. Quare hoc ſaltẽ in ordinandis Sacerdotibus Apoſtolus requirebat, vt eſſent viri monogami, hoc eſt, vt non ſolũ plures ſimul vxores non haberent, ſicut peruerſè Hæretici interpretantur; talis enim polygamia, neque Gẽtilibus permittebatur: *non enim decet* (ait Euripides) *virũ vnum duabus praeſſe mulieribus.* ſed vt vnam tantũmodò vxorem duxiſſent, nullas ſecũdas nuptias vnquam experti. Præterea, non ſic eſt accipiendum, quòd dicitur Presbyter vir eſſe debere vnius vxoris, quaſi eã ducere in ſacerdotio, ſi anteà non habuiſſet, teneretur: hoc enim nunquam factũ, nec permiſſum in Eccleſia fieri apud vllum Auctorẽ inuenimus. Imò verò cùm neceſſitate vrgente vir cõiugatus ad ſacerdotium promouebatur, non niſi ea cõditione id fiebat, vt vxore cõſentiente, prorſus in poſterũ ab vſu coniugij abſtineret: quòd ſi liberis operam dare fuiſſet inuentus, de gradu ſuo decidebat, & tanquã adulter, etiamſi Epiſcopus eſſet, puniebatur. Idque adeò ratum & firmum in Eccleſia ex apoſtolica traditione ſemper eſt habitũ, vt neque ab impuriſſimo Iouiniano virginitatis & continẽtiæ acerrimo aduerſario negari potuerit, ſicut contra illum ſcribens S. Hieronymus atteſtatur [i]: *Nam certè* (inquit) *conſueris non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in epiſcopatu filios faciat: alioquin ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur.* Alterum, quod ex impuris Cretenſium moribus iam explicatis agnoſcimus, eſt, cur S. Paulus in Presbyteris & Epiſcopis à Tito conſtituendis per ciuitates Inſulæ Cretenſis, illas maximè requirat conditiones, vt non ſolùm ſint viri vnius vxoris, ſed etiam ſine crimine, filios habentes fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos: id eſt, vt nulla crimino ſa infamia notari poſſent, & ea præſertim, quę procederet à filiis immorigeratis, luxui, & impudicitiæ deditis,

g Strabo lib. 10. Hiſt.

h Tit. c. 1. v. 5.

i S. Hier lib. 1. cõtra Iou.

ditis, quod erat ibi valdè commune vitium adoleſcentium. Quapropter debere illos habere fideles, & ſubditos, nempe, in fide & diſciplina Chriſtiana benè inſtitutos, & obſequentes. Nam, ſi quis proprios filios reddere fideles, & in officio continere non potuiſſet, quomodo fuiſſet veriſimile, quòd creatus Epiſcopus alios infideles ad fidem poſſet conuertere, cohibere ab impudicitia, & habere ſibi tanquam communi parenti ſpirituali obſequentes? Tertium ex dictis colligendum, nihil mirum videri oportere, ſi Apoſtolus, qui alioqui paterno, maternoque affectu præditus tenerrimè omnes, & maximè in fide neophytos amplectebatur; tamen non molliter, ſed potiùs durè agendũ cum Cretenſibus Tito perſuadeat, & de illis ipſe loquatur aſperiùs, cùm ait [k]: *Dixit quidam ex illis, proprius ipſorum Propheta: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. Teſtimonium hoc verum eſt. Quamobrem increpa illos durè.* Sed hoc, inquam, videri nobis mirum non oportet: erant enim Cretenſium praui mores decantati etiam à propriis Poëtis, inter quos fuit Epimenides natione Cretenſis, Gnoſius Philoſophus, & Poëta, templi Myſiæ Sacerdos, cuius eſt ille verſiculus, à Callimacho etiam Cyrenenſi Poëta contra Cretenſes vſurpatus, & ab Heſiodo in Theogonia. Vocat autem Apoſtolus Epimenidem proprium Cretenſium Prophetam, ſiue per ironiam, ſiue etiam quia teſtimonium illud hic Poëta ediderat in quodam ſuo poëmate, cuius eſt inſcriptiò: περὶ χρησμῶν, hoc eſt, de oraculis. Quare teſtatur M. Tullius [l], in libris de diuinatione, inter eos, qui per furorem vaticinati ſunt, vnũ fuiſſe Cretenſem Epimenidem. Plato quoque, cùm in ſecundo libro de republica docuiſſet, videri Poëtas Deorũ eſſe filios, addit, propterea illorum aliquos factos eſſe Prophetas. Notantur autem illo verſu tria magis propria Cretenſium vitia: primum, conſuetudo mentiendi, adeò vt res abierit in prouerbium: *Cretizare cũ Cretenſi*, hoc eſt, mentiri mentienti, & decipere ſuum deceptorem. Alterum vitium eſt feritas motum, ſeu crudelitas, dum κακὰ θηρία, id eſt, malæ beſtiæ appellantur: nam θηρία animantia dicũtur propriè venenata, & Græcum eſt adagium: τρία κάππα κάκιστα, tria cappa ſunt peſſima, id eſt, tres gentes à cappa incipientes, nempe, Cilices, Cappadoces, & Cretenſes. Tertiò vocantur Cretenſes ventres pigri, hoc eſt, nimiùm edaces, atque bibaces, iuxta illud alterius Poëtæ [m]:

Viuite, lurcones, comedones; viuite, ventres.

Quæ ſanè vitia quantam habeant cum impudicitia propinquitatem, nemo non intelligit: neque tamen ea inſectari voluit S. Paulus, niſi producto alterius teſtimonio, & quidẽ Poëtæ celebris ac propriæ nationis: & ſcribendo priuatis literis ad eorum Epiſcopum, quem habere benè perſpectos Cretenſium mores plurimùm expediebat. Erat præterea Titus, vt aliqui tradunt, naturæ manſuetioris, & quaſi inſitam habebat morum ſuauitatem; contrà verò Timotheus rigidus, ac diſciplinæ ſeuerioris, cui proinde Paulus ſapienter ita præſcribit [n]: *Argue, obſecra, increpa, in omni patientia.* Tito verò contrà mandat [o]: *Increpa illos durè.* & infrà: *Argue* (inquit) *cum omni imperio.* Sic enim moti diuino Spiritu Prophetæ iuxta rerũ & perſonarũ exigẽtiã ſe geſſerunt. Vnde Iſaïas, Principes Sodomorum, & populum Gomorrhæ vocat Iſraëlitas, & Ioannes Baptiſta [p]: *Progenies* (inquit) *viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira?*

k Tit. c. 1. v. 11.

l Cic. l. 1. de diu.

m Lucil. apud Tull.

n 2. Tim. c. 4. v. 2.

o Tit. c. 1. v. 13. & c. 2. v. 15.

p Matth. c. 3. v. 7.

facite

facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Tales fructus cum diuina gratia Paulo ibi primum Euangelium prædicante protulit Eccleſia Cretenſium poſteà florentiſſima, & eò mirabilior, quò videbatur ager ille ſterilior, & obſitus vndique vitiorum ſpinis ac ſenticetis. Quare non ſicut aliæ Oriétis Eccleſiæ, ita Cretenſis variis hæreſum fœdata eſt corruptelis; ſed pluribus ſæculis quaſi virgo illibata permanſit, vt poſteà ipſi Cretenſes Epiſcopi teſtatum reliquerunt iis literis, quas ad Leonem Imperatorem ſcripſerunt, & leguntur poſt Concilium Chalcedonenſe [r]. *Paulus itaque* (ait S. Hieronymus, [s]) *vt ſapiens architectus, & omni labore contendens, ne in præparatis gloriaretur, ſiue vbi necdum Chriſtus fuerat annunciatus, poſtquàm dura Cretenſium ad fidē corda mollierat, & tam ſermone quàm ſignis edomuerat, & edocuerat eos, non in vernaculum Iouem, ſed in Deum Patrem, & in Chriſtum credere, reliquit Titum diſcipulum Cretæ, vt rudimenta naſcentis Eccleſiæ confirmaret, & ſi quid videbatur deeſſe corrigeret: ipſe pergens ad alias nationes, vt rurſus in eis Chriſti iaceret fundamentum.* Notat prætereà S. Hieronymus, quod Tito ſcripſit Apoſtolus, illum à ſe Cretæ relictum, vt ea, quæ deerant, corrigeret; ſatis oſtendere, non potuiſſe tam ſubitò Cretenſes ad plenam venire ſcientiam veritatis, & licèt ab Apoſtolo fuiſſent correcti, adhuc tamen indiguiſſe correctione. Quamuis in Græco exemplari adiectio, qua dicitur, ἐπιδιορθώσῃ, non idipſum ſonet, quod διορθώσῃ, id eſt, corrigeres, ſed quaſi ſupercorrigeres, vt, videlicet, ea, quæ à Paulo fuêre correcta, & nec dum plenè ad veri lineam eſſent retracta, à Tito corrigerentur, & perfectā normam æqualitatis acciperent. Præclarè itaque S. Chryſoſtomus [t]: *Intuere quæſo, inquit, animam Pauli omni inuidia liberam, & omnibus in locis vtilitati diſcipulorum conſulentem, nec ſatis curantem, ſiue id per ſe, ſiue per alium fiat. Nam ea quidem, in quibus periculi plurimum, & difficultatis erant, præſens ipſe peragebat: quæ verò honoris magis, quàm laboris habebant, locum diſcipulo permittebat, Epiſcoporum ſcilicet, ordinationes, & cætera talia, quæ aliqua correctione indigebant; atque, vt ita dixerim, perfectione maiore. Quid iſtud, oro, ſibi vult? num quæ ipſe egerat, correctione opus habent? an verò non eam rem turpem eſſe arbitraris, tibiq; verecundiam ferre? Minimè ſanè: nam commune tantùm intueor lucrum, id, ſiue per me, ſiue per alterum fiat, nihil mea intereſt. Ita prorſus, ita paſtorem affici neceſſe eſt, nec honorem proprium quærere, ſed communem proſequi debet vtilitatem.* Hactenus Chryſoſtomus, qui cùm verba illa S. Pauli Tito ſcripta: *Reliqui te Cretæ, vt conſtituas per ciuitates Presbyteros.* interpretetur de ordinatione non tantùm Presbyterorum, verùm etiam Epiſcoporum, & de aſſignanda ſingulis propria Eccleſia, & diœceſi, manifeſtè ſignificat, Titum non ſolùm Epiſcopum, ſed etiam Archiepiſcopum, & illius Inſulæ Primatem ab Apoſtolo conſtitutum, quippe qui aliis illius regionis Epiſcopis ſuperintenderet, & eorum diuideret, diſtribueret, ac ſtatueret Epiſcopatus. Nec refert Epiſcopos expreſsè à S. Paulo non fuiſſe nominatos, ſed tantùm dixiſſe conſtituendos Presbyteros per ciuitates: nam vtroſque, tum Presbyteros, tum Epiſcopos ſimplici appellatione Presbyterorum ſignificatos optimè Chryſoſtomus obſeruauit, cùm nullus poſſit eſſe conſtitutus Epiſcopus, niſi etiam ſit Presbyter ordinatus. Quare quod Paulus ad Timotheum ita ſcribit [u]: *Noli negligere gratiam,*

r Concil. Chalced. 2. nouæ edit.

s S. Hier. in c. 1. ep. ad Titū.

t Chryſ. hom. 2. in ep. ad Titum.

u 1. Tim. c. 4. v. 14.

gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi
per impoſitionem manuum Presbyterij.
de cœtu Presbyterorum, id eſt, Epi-
ſcoporum eſſe intelligendum alibi
oſtenſum eſt. Imò ipſimet Apoſtoli
Petrus,& Ioannes,cùm eſſent non tã-
tùm Epiſcopi,ſed etiã Patriarchæ &
Apoſtoli;tamẽ ſe Presbyteros ſimpli-
x 1.Petri citer aliquãdo legimus nominaſſe[x];&
c.5. v.1. quod eſt amplius, nõnunquã Presby-
2.Petri teros appellatos nomine Epiſcoporũ
v.1. 3.Ioan. in Actis apoſtolicis,& apud S. Paulũ
v.1. inuenimus:narrat enim S.Lucas[y],cũ
y Act. c. Paulus Presbyteros Eccleſiæ Epheſi-
20. v. næ alloqueretur, ſic eos compellaſſe:
28. *Attẽdite vobis & vniuerſo gregi, in quo*
vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos.&
ſcribens ad Philippẽſes, in ipſo exor-
z Philip. dio litterarũ[z]:*Omnibus,inquit,qui sũt*
c.1. v.1 *Philippis cũ Epiſcopis & Diaconibus,*
gratia & pax.Quid hoc (inquit Chry-
a Chry- ſoſtomus[a])*ſibi vult,cũ Epiſcopis?num*
ſoſt. in c. *vnius ciuitatis plures erãt Epiſcopi?ne-*
1. Phi- *quaquã:ſed hoc titulo deſignat Presbyte-*
lip. *ros:tũc enim temporis vocabulum adhuc*
*erat commune.*Ita Chryſoſtomus.

Hinc ſumpſit occaſionem Aërius
Hæreticus, cùm à presbyteratu non
potuiſſet, vt ambiebat, aſcendere ad
epiſcopatũ,dicendi,inter Presbyterũ,
& Epiſcopum nullum eſſe diſcrimẽ,
b S. Aug. ſicut de illo referunt S. Auguſtinus[b],
lib. de & Epiphanius[c].Eandémque hæreſim
hær. poſtea ſecutus eſt ſimiliter ob negatũ
c S. Epi-ph. hær. ſibi epiſcopatum Ioannes Vviclefus,
75 apud Thomam Vvaldenſem[d],& no-
d Vval- ſtris temporibus Lutherus,& Calui-
denſ l. 2. nus apud Bellarminum. Contra quos
doctr. fid. cap. 40 extat Canon Concilij Tridentini, ſic
Bellarm. decernentis[e]:*Si quis dixerit,Epiſcopos*
l. 1. de *non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non*
Cler. cap. *habere poteſtatẽ confirmandi,& ordinã-*
14. e Trid. *di:vel ea,quã habent,eſſe illis cũ Presby-*
ſeſſ. 23. *teris communem,&c. anathema ſit.* Et
can 7. quemadmodũ ex verbis S.Pauli per-
uersè intellectis hũc errorẽ inducere
prædicti Hæretici voluerũt:ita ex ma-
lè acceptis Cõmentariis S. Hierony-
mi circa prædicta verba S. Pauli,quí-
dã alioquin docti & Catholici[f] Scri- f Mi-
ptores immeritò huius erroris S.Hie- chael
ronymũ inſimularunt. Et ſanè verba Med.l.1.
S.Hieronymi eſſe aliquantulùm diffi- de ſacr. hom.c.5.
cilia negari nõ poteſt:ſic enim ſcribit Guil.
in Commentariis primi capitis epi- Eſtius in
ſtolæ ad Titum:*Idem eſt Presbyter,qui* c.1.Ep.
Epiſcopus,& antequàm Diaboli inſtin- ad Ti-
ctu ſtudia in religione fierent, & dicere- tum.
tur in populis:Ego ſum Pauli,ego Apol-
lo,ego verò Cephæ.communi Presbytero-
rum conſilio Eccleſiæ gubernabantur:
poſteaquàm verò vnuſquiſque eos, quos
baptizauerat,ſuos putabat eſſe,nõ Chri-
ſti,in toto orbe decretum eſt, vt vnus de
Presbyteris electus ſuperponeretur cæte-
ris, ad quem omnis Eccleſiæ cura perti-
neret,& ſchiſmatum ſemina tollerentur.
Et infrà:*Sicut*(inquit) *Presbyteri ſciunt*
ſe ex Eccleſiæ conſuetudine, ei, qui ſibi
prepoſitus fuerit,eſſe ſubiectos:ita Epi-
ſcopi nouerint,ſe magis cõſuetudine,quã
diſpẽſationis dominicæ veritate Presby-
teris eſſe maiores. Addũt aliqui S.Au-
guſtinũ,qui epiſtola decimanona,quę
eſt ad S.Hieronymũ:*In multis,*inquit,
rebus Auguſtinus Epiſcopus Hierony-
mo eſt inferior. At S.Hieronymus erat
tãtùm Presbyter,vnde illũ appellat S.
Auguſtinus in eadem epiſtola Con-
presbyterũ ſuum:nõ igitur illo maior
propter epiſcopatũ. Vnde S.Chryſo-
ſtomus in caput primum Epiſtolæ ad
Titũ ait:*Inter Presbyterum & Epiſcopũ*
intereſt ferè nihil. Reſpondet S.Tho-
mas[g], voluiſſe ſignificare S.Hierony- g S Th.
mũ,nomen Epiſcopi,quod eſt officij, 2. 2. q.
& operis,nõ honoris,ait S. Auguſt.[h] 184.art.
in Eccleſia primitiua, antequàm am- 6 ad 1.
bitio & ſchiſmata vexarent Eccleſiã, h S. Aug. lib. 19.
fuiſſe cõmune etiam Presbyteris. Et ciu.c.19.
hoc quidẽ verũ eſſe ſatis ſuperiùs eſt
oſtẽſum:ſed aliquid prætereà videtur

S. Hieronymus voluiſſe, cùm dicat, nó ſolùm nomen fuiſſe cómune, ſed addat cómuni quoq; Presbyterorũ conſilio Eccleſias olim gubernatas. Quare dicunt aliqui [i], primis illis Eccleſiæ temporibus quotquot ordinabantur Presbyteri, ſimul Epiſcopos ſolere ordinari, nó quaſi idẽ eſſet ordo, aut dignitas æqualis; ſed, quia in eadẽ perſona propter miniſtrorum paucitatẽ iungebantur, vt poſſent Presbyteri vtriuſq; muneris exercere fũctiones; & hoc S. Hieronymum voluiſſe. Id tamen potiùs contra intentionẽ & verba ipſa S. Hieronymi eſſe cóuincitur: nam ipſe intendebat oſtẽdere, dignitatem presbyteratus per ſe conſideratam eſſe maximam, quorũdam ſui temporis Diaconorum redarguẽs arrogantiam, qui aduersùs Presbyteros ſe extollebãt, vt patet ex eius epiſtola ad Euagrium [k]. At dicere antiquis tẽporibus omnes Presbyteros ſimul Epiſcopos extitiſſe, quales poſteà nó fuerunt, hoc fuiſſet ſimplices noſtros Presbyteros magis reddere contẽptibiles. Deinde nó omnes Presbyteros tũc fuiſſe Epiſcopos apertè S. Hieronymus profitetur, dum in eadem epiſtola ad Euagrium ita ſcribit: *Alexãdriæ à Marco Euãgeliſta vſque ad Heraclam, & Dionyſiũ Epiſcopos, Presbyteri ſemper vnum ex ſe electũ in excelſo gradu collocatum Epiſcopum nominãt, quomodo ſi exercitus Imperatorẽ faciat.* Clariſſimum etiam eſt S. Ignatij non vno in loco teſtimonium, qui à tempore Apoſtolorum Antiochenã Eccleſiam Epiſcopus gubernabat: ſic enim ſcribit in epiſtola ad Smyrnenſes [l]: *Laïci Diaconis ſubiiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Epiſcopo.* Et in alia epiſtola ad Tarſenſes [m]: *Presbyteri ſubiecti eſtote Epiſcopo, Diaconi Presbyteris, populus Presbyteris, & Diaconis. Qui hoc ordinis decorum ſeruauerint pro eorum animabus libens animam meam commutauero.* Quòd ſi proptereà dignitatem epiſcopalem omnibus Presbyteris Eccleſiæ primitiuæ fuiſſe communẽ ex S. Hieronymo liceret inferre, quia ipſe aſſerit, nomẽ Epiſcopi tũc omnibus Presbyteris fuiſſe cómune, & quia Epiſcopos nomine Presbyterorum à S. Paulo interdũ legimus fuiſſe ſignificatos, ſimiliter liceret inferre, omnes Presbyteros illius tẽporis fuiſſe Apoſtolos, imò & Summos Põtifices, vt S. Petrus: ſic enim ait in eo Cómentario Epiſtolæ ad Titũ Hieronymus [n]: *Et Petrus, qui ex fidei firmitate nomẽ accepit, in epiſtola ſua loquitur, dicẽs* [o]: *Presbyteros ergo in vobis, obſecro, Compresbyter, & teſtis Chriſti paſſionũ, paſcite eũ, qui in vobis, gregem Domini.* Addit S. Hieron. proptereà hæc à ſe dicta, *Vt* (inquit) *oſtenderemus, apud veteres eoſdẽ fuiſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos: paulatim verò, vt diſſenſionũ plãtaria euellerẽtur, ad vnũ omnem ſollicitudinem eſſe delatam.*

Quapropter, niſi valde falli in hac materia velimus, oportet hęc tria benè diſtinguere; poteſtatẽ Ordinis, ac iuriſdictionis epiſcopalis; vſum variũ huius duplicis poteſtatis; & nomina, ſeu appellationes. Et quod attinet ad poteſtatẽ Ordinis ac iuriſdictionis epiſcopalis, quãuis dubiũ ſit inter Doctores, vtrũ Ordo epiſcopalis ſit Sacramẽtum per ſe diſtinctũ à presbyteratu, & vtrũ imprimat diſtinctum à ſacerdotali characterẽ, & probabile ſit nó imprimere, nec eſſe diſtinctum Sacramentũ: Ordinem tamẽ eſſe, aut gradũ in eccleſiaſtica hierarchia diſtinctiſſimũ, & ab ipſo Chriſto Domino inſtitutũ, dubitari ſalua fide nó poteſt, ſicut pluribus locis in Tridẽtina Synodo legimus definitum [p]. Nec Hieronymus, aut vllus Patrũ in hac re contradicit. Similiter, quamuis inter

i Ioan. Antonius Delfinus: lib. 2. de Eccleſia.

k S. Hier. ep. 85. ad Euagriũ.

l S. Ign. ep. 11. ad Smyrn.

m ead. ep. 9. ad Tarſenſ.

n S. Hier. in c. 1. Ep. ad Titum.

o 1. Petri c. 5. v. 1.

p Trid. ſeſſ. 23. c. 4. & can. 6 & 7.

Scho

Scholaſticos dubitetur, an iuriſdictio epiſcopalis ſit immediatè à Deo, vel mediatè Vicario ipſius Sũmo Pontifice, & multò probabilius ſit eſſe mediatè Chriſti Vicario Romano Pőtifice: tamẽ propriam ex officio iuriſdictionẽ Epiſcopo cõpetere, quę nõ cõueniat Presbytero, dubitari nõ debet, vt magis inferiùs oſtẽdetur. Quare loquẽdo de vſu variarũ poteſtatũ, quod erat ſecũdum, inaudita planè res eſt, ſimplicẽ Presbyterum alios Presbyteros, aut Diaconos aliquando ordinaſſe. Vnde S. Epiphan. diſputans cõtra Hæreticum Aërium [q]: *Dicere* (inquit) *Epiſcopũ, & Presbyterum æqualem eſſe, quomodo erit poſſibile? Epiſcoporum enim Ordo Patrũ generator eſt: Patres enim generat Eccleſiæ: Presbyterorũ verò non potens generare Patres, per lauacri regenerationẽ filios generat Eccleſiæ, non tamen Patres.* Idémque fatetur S. Hieronymus in adducta ſuperiùs epiſtola ad Euagriũ, & in dialogo cõtra Luciferianos, agẽs de Sacramẽto Confirmationis, quod ab Epiſcopo, non à Presbytero cõferatur, ſic ait: *Quæris, quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manũ Epiſcopi nõ accipiat Spiritũ ſanctũ, quẽ nos aſſerimus in vero Baptiſmo tribui? Diſce hac obſeruationẽ ex ea authoritate deſcendere, quòd poſt aſcenſum Domini Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcẽderit.* De iure autẽ Epiſcopi agẽs Latinorũ antiquiſſimus Tertull.[r] *Ius habet* (inquit) *dandi Baptiſmum Sũmus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus: dehinc Preſbyteri, & Diaconi; ſed non ſine Epiſcopi facultate.* Sed, quodnã clarius, aut maius quærimus teſtimoniũ, quàm ſit illud Apoſtoli in prima Epiſtola ad Timotheũ [s]? *Aduerſus Presbyterũ accuſationẽ noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.* Quis autẽ neſciat, parẽ in parẽ non habere iuriſdictionẽ? Cũ igitur Timotheus in Presbyteros iudiciariã exerceret poteſtatẽ, fuiſſe illũ Presbyteris in hac parte ſuperiorẽ eſt manifeſtum. Sed tamẽ illius tẽporis Presbyteri in non paucis, quod modò nõ fit, Epiſcopis ęquabãtur. Nã propter Epiſcoporũ paucitatẽ ſedebãt cũ illis in Conciliis, ſententiã ſuam dicebant, & vota, ſicut illi, ferebant. Itaque in primo Concilio Ieroſolymitano, ait S. Lucas[t], *Conuenerunt Apoſtoli & Presbyteri videre de verbo hoc.* Deinde ſolebãt Presbyteri ob eãdẽ cauſam populo magis ſuperintendere, quod Græcè dicitur, ἐπισκοπεῖν, vt benè S. Auguſtinus [u] aduertit. Præterea, viuentibus Apoſtolis, primi illi Epiſcopi pleriq; non tã diœceſes epiſcopales nondũ ſatis diſtinctas, quàm parœcias tanquam Parochi adminiſtrabant, & iuriſdictio epiſcopalis in Apoſtolis tãtùm erat conſpicua, quia per totum orbem terrarũ vniuerſalis à ſingulis obtinebatur, & à Chriſto immediatè fuerat illis cõceſſa. Poſteà verò quam oriri in Eccleſia ſchiſmata inceperunt, & nullus ſuperſtes iam erat Apoſtolorum, oportuit declarare Epiſcopos Apoſtolorum eſſe ſucceſſores; Presbyteros verò, ſeptuaginta Chriſti diſcipulorum: vt teſtantur ferè omnes SS. Patres, ac ipſe S. Hieronymus in epiſtola ad Marcellam, & habetur expreſſum in Concilio Neocæſarienſi [x]. Neceſſe etiã fuit Epiſcopos nomine & re ab inferioribus Sacerdotibus magis diſtinguere; à Cõciliis, vbi ſatis multi iam cõueniebant Epiſcopi, Presbyteros eximere; adminiſtrationes eorũ coarctare; immediatis Epiſcopis magis eos ſubiicere: nõ quaſi anteà ex Chriſti inſtitutione ſubiecti non fuiſſent; ſed, quia nõ ſatis hęc diſtincta ſubiectio apparebat, cùm Epiſcopi ſine pompa & faſtu, Eccleſiarum gubernationem Presbyteris adiutoribus communem eſſe

q S. Epiph. hær. 75.

r Tertull. lib. de Bapt.

s 1. Tim c. 5. v. 19.

t Act. c. 15. v. 8.

u S. Aug. lib. 19. de ciu. cap. 19.

x Concil. Neocæſ. can. 13.

eſſe permitterẽt. Atque hoc eſt, quod S. Hieronymus dicebat: *Communi Presbyterorum conſilio Eccleſia gubernabantur.* nõ dixit poteſtate, aut iuriſdictione; ſed conſilio Presbyterorum. & infra: *Nouerint* (inquit) *Epiſcopi ſe magis conſuetudine, quam diſpenſationis dominicæ veritate Presbyteris eſſe maiores.* nõ dixit tantùm cõſuetudine, ſed magis conſuetudine, quàm dominica diſpẽſatione; quia multa communia priùs Presbyteris cum Epiſcopis, tanquam propria ſolis Epiſcopis ſunt reſeruata, vt ſedere in Conciliis, Eccleſiis ſuperintendere, & proprio dignitatis nomine Epiſcopi appellari.

Quare multùm illi decipiũtur, qui errorem Aërij ab Eccleſia cõdemnatũ S. Hieronymo adſcribũt, qui, ſicut oſtendimus, toties, & in tam multis eminere Epiſcopũ Presbyteris apertè profitetur: vnde ſcribẽs S. Auguſtino, epiſtolam ſuam ita concludit [y]: *Vale, amice chariſſime, ætate fili, dignitate parẽs.* Erat enim S. Hieronymus, quãuis ſenior, Presbyter tantùm; at verò S. Auguſtinus iunior, ſed Epiſcopus. Et multò minùs potuit in hoc errore verſari S. Auguſtinus, qui, etiãſi dixerit in illa ſua epiſtola ad S. Hieronymũ, ſe in multis rebus eſſe Hieronymo inferiorẽ, nẽpe, ætate, eruditione linguarũ, & in aliis, quæ illi ſuggerebat affectus ſanctæ humilitatis; tamẽ nullo modo id potuit intelligere facta cõparatione dignitatis epiſcopalis cũ Presbyteratu: alioquin fuiſſet in errore grauiori, quàm Aërius, qui nõ inferiorem, ſed æqualem Presbytero Epiſcopũ faciebat; & tamẽ ob id inter Hæreticos ab ipſo S. Auguſtino in Catalogo hæreſum numeratur. S. Ioãnes Chryſoſtomus in eo, quod dixit, inter Presbyterũ & Epiſcopũ differre ferè nihil, nõ negauit, ſed cõceſſit aliquã eſſe inter hos differentiam, quam ſtatim expreſſit, dicens de Epiſcopis: *Ordinatione ſuperiores illi ſunt.* quod certè multũ eſt: ſed dixit eſſe ferè nihil, tũ in cõparatione altiſſimæ poteſtatis cõſecrãdi corpus & ſanguinem Chriſti Domini, & magnũ illud ſacrificiũ offerẽdi, in quo tã infimi, quàm Sũmi Sacerdotes inueniũtur æquales; tũ in poteſtate à peccatis abſoluendi; tũ deniq; vt ab Epiſcopis omnẽ animi elationẽ, & arrogantiã remoueret, ne ſint, vt eos monuit S. Petrus [z], *quaſi dominãtes in Clero, ſed forma facti gregis ex animo. Vt cũ apparuerit Princeps Paſtorũ, percipiant immarceſcibilẽ gloriæ coronã:* Atq; hæc de poteſtate & dignitate Epiſcopi ſupra Presbyteros hoc loco fuerũt explicãda, vt oſtẽderemus, Titũ à Paulo non ſolũ Epiſcopũ ordinatum; ſed etiã Archiepiſcopũ ac Primatẽ totius Inſulæ Cretẽſis, imò etiã circun iacentiũ Inſularum, in quibus Euangelium poſteà prædicauit, vt in libro de Viris illuſtribus S. Hieronymus adnotauit. Sed hæc pertinent ad tempora ſubſequentia.

y S. Hier. ep. 92.

z 1. Petri c. 5. v. 3.

CAPVT VI.

Qua occaſione, ex quo loco, & quo tempore Creta diſcedens, Apoſtolus ſuam Epiſtolam ad Titum ſcripſerit.

QVãdiu in Inſula Creta S. Paulus cũ Tito permãſerit, compertum ſatis nõ habemus, niſi nõ fuiſſe tẽpus adeò breue, vt, quod reliquũ erat anni ſuperioris, non elaberetur. Itaq; annus aduenerat humanæ ſalutis quinquageſimusoctauus, & imperij Neroniani ſecũdus, cùm iactis fidei fũdamẽtis, vt erat Paulus, nõ tãtùm vrbis, aut Inſulę vnius Apoſtolus; ſed terrarum orbis vniuerſi; aliò quamprimùm ad nouas Eccleſias fundandas feſtinandum ſibi eſſe exiſtimauit.

Sic

Sic nimirum (quod benè S. Chryſoſtomus obſeruauit [a]) primus ipſe duritiem ethnicorum, quaſi glaciem, vbi multo labore perfregerat, via facta, minorem laborem aliis, cum honore cedebat, ipſe alia quærens noualia ſummis conatibus Euangelio ſubigenda. Tito commendat, vt vbique Epiſcopos conſtituat per ciuitates, & eccleſiaſticam, vt Hierarcha, ordinet hierarchiam: *Sicut ego*, inquit, *diſpoſui tibi*. Quare credibile eſt, quòd per epiſtolam his verbis indicauit, viua priùs voce diſpoſuiſſe, vt, videlicet, ipſe Titus primatum ac munus ſuum agnoſceret: oportere enim vnum eſſe ibi metropolitanum, infra quem eſſent Epiſcopi per ciuitates ſaltem præcipuas conſtituti; & quot eſſe hi deberent, quàm probati, quales habere conditiones, nempe, monogami, ſine criminis infamia, filios habentes fideles, benigni, hoſpitales, non percuſſores, non iracundi, potentes exhortari in doctrina. Quæ ſi non omnia iure diuino, certè canonico & eccleſiaſtico Apoſtolica lege inuiolabilem deinceps obtinuerunt firmitatem. Vnde non dixit Apoſtolus: Sicut Dominus conſtituit. ſed, *Sicut ego diſpoſui tibi*. Græcè, *διεταξάμην*, id eſt, ordinaui, ſiue conſtitui. Quæ ferè omnia ſtatuta inſerta leguntur apoſtolicis Conſtitutionibus à S. Clemente libris octo collectis, & ab ipſo Diataxes apoſtolicas appellatis. Ex quibus tria debemus obſeruatione digna cognoſcere: primum, non ad omnia, quæ ab Apoſtolis circa Eccleſiæ gubernationem ordinabantur, allegare ius diuinum oportuiſſe, vt vim obligandi conſcientias fidelium obtinerent, quod volunt Hæretici huius temporis, legum & iuris, præſertim eccleſiaſtici, contemptores. *Quo iure* (inquit Lutherus [c]) *Papa ſuper nos leges conſtituit? quis ei dedit poteſtatem captiuandæ libertatis noſtræ?* Reſpondemus, dediſſe Chriſtum ipſum, qui Apoſtolis, eiúſque ſucceſſoribus in Eccleſiæ regimine dixit [d]: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et alibi [e]: *Si Eccleſiam* (inquit) *non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus.* Nunquid ergo Chriſtũ ſpernere, & gerere ſe tãquam ethnicum ac publicanum poteſt aliquis libera conſcientia, & ſine culpæ vllius obligatione? Certè S. Paulus cùm Theſſalonicenſibus ita ſcripſiſſet [f]: *Scitis, quæ præcepta dederim vobis per Dominum* IESVM. ſtatim adiunxit: *Itaque, qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum.* & infrà [g]: *Quòd ſi quis non obedit verbo noſtro, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo.* Et eſt idem, quod dixerat Chriſtus Dominus: *Sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*; hoc eſt, notorius peccator, & veluti excommunicatus. Verum quidẽ eſt, Epiſcopos, etiamſi Apoſtolorum ſint quodammodo ſucceſſores, tamen nõ habere tantam poteſtatem, quantam illi multis in rebus habuerunt: cùm enim Apoſtoli iuriſdictionem ſuam immediatè ab ipſo Chriſto, non à S. Petro, accepiſſent, ſingulari priuilegio Apoſtolatus, non erat ad certum locum reſtricta, ſed vniuerſalis, vt poſſent in toto mundo Euangelium prædicare, Eccleſias vbique fundare, miniſtros eis conſtituere, ritus & leges ponere: in quibus æqua erat omnibus poteſtas, niſi quòd ſupra ipſos quoque Apoſtolos vnus fuerat S. Petrus à Domino cõſtitutus. At Epiſcopi, cùm non habeant iuriſdictionem ſuam, niſi mediante Chriſti Vicario, & S. Petri ſucceſſore, pro ſuo proprio epiſcopatu, non poſſunt illam, niſi circa ſubiectum ſibi ab eo-

a *Chryſ. in c. 1. Ep. ad Tit.*

c *Luth. lib. de capt. Babyl. c. de Baptiſmo.*

d *Luca 10. v. 16.*

e *Matth. c. 18. v. 17.*

f *1. Theſſal. c. 4. v. 2. & 8.*

g *2. Theſſal. c. 3. v. 14.*

dẽ Chriſti Vicario populum exercere.

Hinc habemus ſecundò, mirum non eſſe, ſi quod Tito S. Paulus conſtituit, & anteà mandauerat etiam Timotheo, ne conferrent ſacros Ordines, maximè ſacerdotium, & epiſcopatum, niſi iis, qui aut nullam, aut vnicam tantùm duxiſſent vxorẽ, qui notati vlla infamia non eſſent, probatis moribus, & ſufficientis doctrinæ, hoc ab omnibus Eccleſiis, tum orientis, tum occidentis ſit obſeruatum. Alias præterea conditiones ordinandorum, ac ritus in Ordinibus conferendis ſtatuerunt Summi Pontifices, & Concilia, quæ non ſunt diuini iuris, ſed tantùm eccleſiaſtici. Sed tertium hìc obſeruatione maximè dignũ eſt Pauli diuina virtus, & efficacia in Euangelio vbique plantando, propagando, & quocunque ſe verteret breuiſſimo tempore amplificando. Vix ipſe in Creta ſatis magna Inſula cõparuit, cæca nocte infidelitatis, & fœdis tot flagitiorum tenebris obſcurata, & ecce tãquam oborto Sole mõſtra diffugiunt errorum & vitiorum, congregatur Eccleſiã fideliũ non vna tantùm, ſed tot, vt non ſolùm de multiplicandis Preſbyteris; verùm etiam de Epiſcopis per ciuitates cõſtituendis ſubitò agendum Tito committat, ipſe aliò dirigat curſum ſuum. Vt meritò S. Dionyſius Areopagita [h], Paulum vas electionis communem Solem appellauerit, de quo illud Eccleſiaſtici benè poſſet intelligi [i]: *Sol in aſpectu annuncians in exitu, vas admirabile, opus Excelſi, in cõſpectu ardoris eius quis poterit ſuſtinere? Fornacem cuſtodiens in operibus ardoris, exurens montes, radios igneos exſufflans, & refulgens. Magnus Dominus, qui fecit illũ, & in ſermonibus eius feſtinauit iter.* Itaque cogitauit Apoſtolus in ſtatu optimo Creta relicta ad Græciam ſe transferre, & inde vſque ad Illyricum omnia replere prædicatione Euangelij, ſicut hoc tempore, adiuuante Deo, & curſum eius mirabiliter dirigente perfecit. Nam, etiamſi hoc à S. Luca expreſsè non referatur, niſi tantùm quòd partes Macedoniæ perambulando, & multo ſermone exhortando in Græciam venerit; tamen apertè ipſemet Apoſtolus id teſtatur in epiſtola, quam non multò poſt hoc tẽpus ad Romanos ſcripſit his verbis [k]: *Habeo gloriam in Chriſto* IESV *ad Deum: non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus, in obedientiam Gentium, verbo & factis: in virtute ſignorum, & prodigiorum: ita vt ab Ieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleuerim Euangelium Chriſti. Numera itaque vrbes* (ait Chryſoſtomus [l]) *& regiones, & gentes, & populos, & non ſolùm qui ſub Romanis, ſed & qui ſub Barbaris ſunt. Non enim mihi per ſolam Phœniciam ibis; ſed & quæ retrò illas ſunt, colliges omnia, & Sarracenos, & Perſas, & Armenios, reliquóſque Barbaros. Propter hoc enim dixit, Et per circuitum, ſiue in circumiacentibus regionibus: ne rectam viam ſolùm publicam, ſed & omnem etiam auſtralem Aſiam mente percurras: & quemadmodum aceruos miraculorum vno ſermone percurrens dixit, per potentiam ſignorum; ita & infinitas vrbes, & gentes, & populos, & regiones vno complectitur verbo, cùm dicit, Per circuitum: procul enim erat ab omni faſtu.* Ita de S. Paulo Chryſoſtomus. Sed mihi videtur ob id inſtinctu quodam S. Spiritus Apoſtolum aſſignare voluiſſe duos illos terminos prædicationis, & peregrinationis ſuæ: primum a Ieruſalem, hoc eſt, ab ortu, & per circuitum, nimirum, per auſtrales plagas, vſque ad Illyricum, nẽpe, regionem

h S Dionyſ. c. 7. de diu. nom.

i Eccli. c. 43. v. 2.

k Rom. c. 15. v. 18.

l homil. 29. in ep. ad Rom.

poſitam ad occaſum, & flectentem ad Aquilonem, vt Solis curſum imitaretur, de quo dicit Eccleſiaſtes [m]: *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.* Nam ferè hæc erat tota ratio itineris Apoſtoli, ab Ieruſalem, quæ poſita eſt ad Orientem, vbi ipſe mundo primum, tum Chriſto natus eſt, & radios cœpit effundere cœleſtium veritatum, deinde venire ad regiones auſtrales, tum ad aquilonares, & occidentales, & inde iterum reuerti Ieroſolymam, quaſi denuò ſuum curſum inchoaturus. Quapropter in eadem ad Romanos Epiſtola curſum hunc Euangelij per Apoſtolos potiſſimum conficiendum ipſe deſcribens, allegoria vtitur curſus orbium cœleſtium, & maximè diurni Solis, dicens [n], vt habetur in Dauidico Pſalmo: *Cœli enarrant gloriam Dei. Et in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Neque tamen fuit Illyricum terminus, aut finis Pauli excurſus ad prædicãdum; nã ad plures alias poſteà progreſſus eſt, vt videbimus, regiones; ſed quæ vſque ad hoc tẽpus fuerunt illius præſentia, & prædicatione illuſtratę, Illyrica regione claudebantur. Eſt autẽ ea regio, quę modo Sclauonia, vel Boſnia dicitur, poſita inter Italiã & Germaniã pertingens ab occaſu Thraciam, Macedoniam, & Epirũ; ab ortu verò, ſeptentrione, & meridie habẽs ab vno latere mare Adriaticum, ab altero flumen Danubium.

m *Eccleſ. c. 1. v. 5.*

n *Rom. c. 10. v. 18. & Pſal. 18. v. 5.*

Quanto autem tempore in ea regione moratus ſit Apoſtolus, non traditur, niſi quod ſuperiùs à Chryſoſtomo eſt adnotatum, Paulum hac de re ſic eſſe locutum, vt extenuaret potiùs multa & magna ibi à ſe geſta, quàm amplificaret, ideò plura ſimul coaceruando, breuiter dixit [o], Chriſti Euangelio repleuiſſe ſe loca omnia per circuitum ab Ieruſalem vſque ad Illyricum, in virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti. Quis enim facilè recenſeat intra illos duos terminos omnes medias regiones, quibus breui tempore lumen Euangelij à Paulo fuit illatum veluti fulgure diſcurrente, & miraculis vbique coruſcante? Habemus à S. Luca in Actis Apoſtolicis repetitam quater à S. Paulo Ieroſolymam, tum Arabiam, Damaſcum, Antiochiam, Seleuciam, Cyprum, Pamphiliam, Piſidiam, Lycaoniam, Syriã, Ciliciam, Phrygiã, Galatiã, Myſiam, Troadem, Macedoniã, & modò Græciam. *Venit* (inquit S. Lucas [p]) *in Græciam Paulus: vbi cùm feciſſet mẽſes tres, inſidiæ factæ ſunt illi à Iudæis.* Putant autem aliqui per Græciam omnes illas regiones eſſe ſignificatas, quæ ab Achaïa vſque ad Illyricũ interiacent. Id ſi conceſſerimus, plane humanam ſuperat fidem; ſed non virtutem diuinam, potuiſſe tam modico tẽporis interuallo latas illas regiones euangelica prędicatione replere. Illud cõſtat, antequàm vlteriùs progrederetur, veniſſe illũ Nicopolim, quæ ciuitas eſt iuxta ſinum Ambraciũ, poſita in prouincia Armenię, qua terminatur Epirus, à Græcia per Acheloũm flumen diuiſa. Dicta eſt Nicopolis, id eſt, vrbs victoriæ, ab Auguſto, qui ibi iuxta Actium Epiri promontorium, Antonium, & Cleopatram nauali bello ſuperauit. De hac ita ſcripſit ad Titum Apoſtolus [q]: *Cùm miſero ad te Artemã, aut Tychicum, feſtina ad me venire Nicopolim; ibi enim ſtatui hyemare.* Ex quo multi colligũt, Epiſtolã ad Titum hoc tempore, & ex hac ciuitate fuiſſe à Paulo ſcriptam: vnde illi ſubſcriptũ in

o *Rom. c. 15. v. 19.*

p *Act. c. 20. v. 3.*

q *Tit. c. 3. v. 12.*

in Græcis exemplaribus ita legimus: ἐγράφη ἐκ Νικοπόλεως τῆς Μακεδονίας, ſcripta eſt ex Nicopoli Macedoniæ. Idem habet editio Syriaca: & S. Hieronymus in prooemio ſuorum ad eã Epiſtolam Commentariorum, quos S. Paulæ & Euſtochio dedicauit, ita de hac re loquitur: *Scribit igitur Apoſtolus, ô Paula & Euſtochium, de Nicopoli, quæ Actiaco in littore ſita, nũc poſſeſſionis veſtræ pars vel maxima eſt, & ſcribit ad Titum diſcipulum ſuum, & in Chriſto filium, quem Cretæ reliquerat ad Eccleſias inſtruendas: præcepit ei, vt cùm è duobus Artemas, ſeu Tychicus Cretam fuerit appulſus, ipſe Nicopolim veniat. Iuſtum quippe erat, vt ille qui dixerat: Sollicitudo mea omnium Eccleſiarum. & qui Euangelium Chriſti vſque ad Illyricum de Ieroſolymis proficiſcens fundauerat, non pateretur, & ſui, & Titi abſentia Cretenſes eſſe deſertos; ſed mitteret eis pro ſe, & Tito, Artemam, vel Tychicum, quorum doctrina & ſolatio confouerentur.* Hæc Hieronymus, quibus conſentiunt, quæ in eiuſdem Epiſtolæ Commẽtariis ſcribunt Chryſoſtomus, Theodoretus, & Oecumenius, necnon S. Athanaſius in Synopſi. Nihilominùs tamen notarunt cum Baronio [r] recentiores Interpretes, modum illum loquendi, quo vſus eſt Apoſtolus, dicens: *Ibi enim ſtatui hyemare*, nempe, Nicopoli: ergo, inquiunt, nondum ibi erat, cùm eam Epiſtolam Tito ſcriberet, ſed poſteà erat eò venturus, alioquin non ibi, ſed hîc dicere oportuiſſet: coniectura quo facilior eſt, eò creditu difficilius non fuiſſe illam ab antiquis Patribus obſeruatam. Quare ſuſpicor aliud à Paulo ſignificatum, & à Patribus benè intellectum, nempe, manſiſſe quidem Nicopoli Apoſtolum, dum ita ſcriberet: nam id indicant illa verba: *Feſtina ad me venire Nicopolim.* non autem dixit, Feſtina eò ire, quò ego iturus poſteà ſum. Addens autem, *ibi*, voluit ſignificare ſe inde ad tempus diſceſſurum: neque enim tandiu ibi eſſe morandum exiſtimabat, variis diſtractus hinc inde Eccleſiarũ ſollicitudinibus; tamẽ eò ſe pro hyeme rediturum, ideò dixit, ἐκεῖ, ibi ſe pro hyeme, non anteà, certo nimirum tempore ibidem adfuturum. Sed & eruditi [s] Græcæ linguæ notarunt, illud pronomen loci, ἐκεῖ, non tantùm dici de alio remoto loco; verùm etiam de eo, in quo mecum quis eſt, aut futurus eſt. Quòd ſi Nicopoli modò non fuit Apoſtolus, dum Tito ſcriberet, ſaltem debuit eſſe non procul.

r Baron. an. 58. Iuſtinian. in Ep. Tit. Cornel. ibidem. Eſtius ibid.

s Budæus in voce ἐκεῖ.

Quod autem ſpectat ad occaſionẽ ſcribendi, & ad Epiſtolæ totius argumentum; hoc ferè idem eſt, ac duarum ad Timotheum epiſtolarum: nẽpe, qualis eſſe debeat Eccleſiæ Prælatus, vt expleat omnes partes officij ſui. Quare S. Auguſtinus [t] in libro quarto de doctrina Chriſtiana, cùm huius epiſtolæ ad Titum feciſſet mẽtionem, & vtriuſque ad Timotheum: *Has*, inquit, *tres epiſtolas ante oculos habere debet, cui eſt in Eccleſia Doctoris perſona impoſita.* Idémque anteà monuerat Tertullianus in libro quinto contrà Marcionem, qui auſus eſt cum Baſilide negare, has tres Epiſtolas eſſe apoſtolicas: *Et ſiquidem redderent cauſas*, inquit S. Hieronymus [u], *cur eas Apoſtoli non putarent, tentaremus aliquid reſpondere, & forſitan ſatisfacere lectori. Nunc autem, cùm hæretica prauitate pronuncient, & dicant: Illa epiſtola Pauli eſt, hæc non eſt. ea auctoritate refelli ſe pro veritate intelligant, quâ ipſi non erubeſcunt falſa ſimulare.* Videtur autem hæc ad Titum eſſe veluti cõpendium duarum ad Timotheum Epiſtolarum: & fortaſſe proptereà

t S. Aug. lib. 4. de doctr. Chriſt. c. 16.

u S. Hieron. in proœm. Com. Ep. ad Titũ.

ptereà Tito compendioſiùs ſcripſit Apoſtolus, quia pluribus egerat iis de rebus coràm cum ipſo, quàm cum Timotheo, & prætereà quia Titus erat ætate prouectior, ideò non tanta indigens inſtructione, quanta ætate iunior Timotheus. Quinque autem ſunt, quę Tito potiſſimùm commendat. Primùm idoneos eligere Presbyteros, ex quibus per ciuitates digni Epiſcopi conſtituantur. Deinde monita præſcribit cuicunque hominum ætati cõuenientia, ſenibus, iuuenibus, ſeruis, dominis, coniugatis, vt iuſtè, piè, & ſobriè viuant in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem. Tertiò, à peruerſis Iudaïzantium & Hæreticorũ doctrinis valdè eſſe cauendũ, eiſque doctrina orthodoxa reſiſtendũ. Quartò, ne quiſquam Chriſtianæ religionis prætextu Principibus & Magiſtratibus etiam ethnicis officio ſuo fungentibus obſiſtat, aut in eo quod ſine iniuria Dei præſtare poſſunt, illis obedire detrectent. Poſtremò iubet, Titum, ac Zenam venire ad ſe Nicopolim; ſed non anteà quàm Artemã, aut Tychicum ad eum præmittat, ne Cretenſes ſuo Epiſcopo deſtituti, ſine Vicarij alicuius paterna cura & ſolatio relinquantur.

CAPVT VII.

Breuis paraphraſis epiſtolæ ad Titum, & quædam dubia circa illam.

IN primo Epiſtolæ capite monet Titum Apoſtolus affectu ardentiſſimo, ſui muneris, & officij paſtoralis, dicens [a]: Paulus ſeruus Dei, Apoſtolus autem IESV Chriſti ad hoc, vt veram fidem doceat electos eius, & ſpẽ annunciet vitæ ſempiternę, quam ante ſæcula paratam promiſit, qui non mentitur Deus, & nunc opportuno tempore commiſſa mihi ſub præcepto Saluatoris prædicatione, vult manifeſtari: Tito dilecto filio in fide, qua te Chriſto genui, & quam mecũ germana dilectione conſeruas, gratia à Deo Patre, & pax à Filio eius IESV Chriſto, Saluatore noſtro. Propstereà te in Inſula Cretæ paulò antè reliqui, vt pergas ea corrigere, quæ à me tam citò corrigi, & perfici non potuerũt, & Sacerdotes tum minores per oppida, tum maiores, id eſt, Epiſcopos, per ciuitates celebriores conſtituas, qui ſi quos genuerint anteà filios, ſint ſacro Baptiſmate regenerati, in fide benè inſtructi, obſequentes, honeſtiſſimè educati. Oportet enim Epiſcopũ præ cæteris culpa eſſe liberũ, ſicut domus Dei fidelem diſpenſatorem, non proteruum, non iracundũ, non præfractũ, non intemperantiæ, aut auaritię deditum; ſed hoſpitalẽ, bonorum amatorem, pudicum, iuſtum, pium, ab omni prorſus vitio continentẽ, doctrina fidei benè inſtructum, vt poſſit alios edocere, pios adhortari, perfidos redarguere. Non enim deſunt plurimi obſtinatæ mentis, vaniloqui, & ſeductores, præſertim, qui de circũciſione sũt, Iudaïcis quibuſdã fabellis ſtudio lucri aucupandi cõfictis, domos ſubuertentes, quos oportet reuincere, & os illis obſtruere. Dixit de Cretenſibus quidã eorũ proprius, ſiue Poëta, ſiue Propheta, nam in hoc verũ dixit:

Cres ſemper mendax, mala beſtia, venter iners eſt.

Quapropter expedit vtaris cum huiuſmodi hominibus aliqua ſeueritate, & aſperis interdum obiurgationibus, ne à vera fide recedentes, fabellis tam facilem præſtent aſſenſum. Fidelibus Chriſti nullus cibus, quidquid iſti mentiãtur, eſt natura ſua, vel propter Moyſis legẽ immundus: ipſis, qui

[a] *Tit. c. 1. v. 1. &c.*

hæretico ſeſu vel Iudaica ſuperſtitione inquinatas habent conſcientias, ſiue comedant, ſiue non comedāt, hæc omnia erunt immunda. Ore quidem iſti profitentur Dei notitiam; eam tamen opere negant, abominabiles, imperſuaſibiles, ad malū proiecti, inepti ad omne opus bonū. Hęc habet capite primo: capite verò ſecundo monita præſcribit vnicuique hominum conditioni à Tito tradenda, vt reſpondeant omnes fideles Chriſtianæ profeſſioni [c].

c Cap. 2. v. 1. &c.

Tu autē (inquit) ô Tite, inſiſte ſanæ Chriſti doctrinæ. Admoneas ſenes, vt ſobrij ſint: anus ſimiliter in habitu corporis, & externa compoſitione vt internam pręſeferant ſanctimoniam, non calumniatrices, nō meribibulæ, iuuenculas non niſi honeſta edocentes, vt prudentes ſint; ſi coniugatæ, vt viros ſuos, & filios Chriſtiano amore diligant, caſtas, ſobrias, curam domus benè gerentes, benignas, viris ſuis obtemperantes, ne blaſphemandi Euangelium vlla occaſio infidelibus præbeatur. Iuuenes ſimiliter hortare ad ſobrietatem. Téque ipſum in primis exemplar exhibe perfectiſſimum vitæ, doctrinæ, ac morum omnis integritatis, omnis probitatis, vt noſtri aduerſarij, etiamſi maximè inquirant, non inueniant, quid in nobis calumnientur. Serui, vt ſtudeant dominis ſuis eſſe ſubiecti, eis obſequi, placere, non contradicere, fideles eſſe, ad Dei & Saluatoris noſtri gloriā, & Chriſtianæ diſciplinæ commendationem. Apparuit enim gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus, ſobriè, iuſtè, ac piè mortalem hanc vitam traducamus, expectantes beatam ſpem, & ſummæ gloriæ aduentum ad vniuerſale iudicium magni Dei, ac Saluatoris noſtri IESV Chriſti, qui ſemetipſum morti tradidit, vt nos ab omni peccato redimeret, & emundaret electum ſibi populum, bonorum operum ſectatorem. Hæc loquere, & exhortare, arguens cum omni efficacia & dicendi poteſtate, nemo auctoritatem tuam paruifaciat. Poſteà verò quàm in hoc capite ſingulis hominum ſtatibus propria dedit documenta, communia quædā addit capite ſequenti, dicens [d]:

d Cap. 3. v. 1. &c.

Admone illos, vt Principibus, & Magiſtratibus promptè obediant: ad quodcunque opus, dummodo honeſtum, etiamſi ab ethnica poteſtate iniūctum, paratos ſe exhibeant: nemini mala imprecentur, aut quenquam vllo modo cōuicientur; ne ſint litigioſi, ſed modeſti, omnem manſuetudinē erga quoſcunque oſtēdentes. Nā, etiam nos aliquādo fuimus inſipientes, inobedientes, variis prauis cupiditatibus miſerè ſeruientes, inuidentes, nequiter viuentes, odibiles, & inuicem odientes. Cùm autem illa beneficentia, & ſingularis Dei noſtri erga homines dilectio apparuit, non merito noſtrorum operum iuſtorū, ſed propter ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per Baptiſmi ſui Sacramentum, quod eſt lauacrum ſpiritualis generationis, & renouationis in Spiritu ſācto, quam effudit in nos abundè per IESVM Chriſtum, Saluatorē noſtrū: vt iuſtificati gratia ipſius hæredes cōſtituamur eius, quam ſperamus, vitæ in cœlis ſempiternæ. Hæc veriſſima ſunt, quæ dixi, nec volo de his dubitari: vt intelligant Chriſti fideles, oportere ipſos accuratè bonis operibus eſſe intentos. Hæc enim conducentia ſunt, non ſtultæ quæſtiones, vanæ genealogiæ, & futiles de lege rixæ atque concertationes. Hæreticū hominem poſt primam, & ſecundam

commonitionem deuita, ſciens talē, niſi reſipiſcat, ex malitia peccare, & iam eſſe proprio iudicio condemnatum. Cùm ad te miſero Artemā, aut Tychicum, qui tui abſentis ſuppleant Cretæ vices, feſtina ad me venire Nicopolim, vbi me inuenies; non enim alibi hyemare conſtitui. Zenam legis Moſaicæ Doctorem, & Apollo concionatorem ad me præmittes, curans diligenter, ne quid illis deſit neceſſarium ad iter conficiendum. Quòd ſi tantùm viatici non eſt apud te, dent alij noſtri: vt addiſcant bonis operibus in tali neceſſitate ſubuenire. Salutant te, qui mecum ſunt, omnes. Saluta eos, qui nos amant fideles. Gratia Dei cum omnibus vobis, Amen. Circa hæc tria epiſtolæ capita tria præcipua ſunt dubia.

Primùm itaque dubitari poteſt de proprio & genuino ſenſu illorū verborū primi capitis, vbi dicitur [e]: *Omnia munda mundis: coinquinatis autē & infidelibus nihil eſt mundū.* Nā ex peruerſa eorū intelligentia varias abſurditates Hæretici huius temporis deduxerunt. Atque in primis Lutherus hinc infert, omnia etiam quantumuis immunda peccata mundis, id eſt, fidelibus eſſe mūda: quia, ſicut nihil iuſtificat niſi fides, vt ipſe cum Caluino & aliis Nouatoribus ſētit; ita nihil coinquinat niſi infidelitas. Itaque, ſi hæc adſit, ita vt homo credat quæ ſūt credēda, propter Chriſtianā libertatem, qua fideles, vt ipſi dicunt, ab omni lege ſoluuntur, ſiue fornicationes, ſiue adulteria, putà, ſacrilegia, aut alia quātumuis abominanda peccata non imputari à Deo, ſicut à beneuolo, & indulgentiſſimo parente nugæ ſui filioli æquo animo feruntur. Quod eſt exemplum Caluini [f] in hac materia ſumptū à Luthero Scilicet hoc intendebat Apoſtolus tota hac epiſtola, ſic-
vt in omnibus aliis adeò cōmēdās fidelibus cū fide bona opera exercere, & peccata cauere, vt ſtatim capite primo poſt illa verba grauiter increpet eos, *Qui confitentur*, inquit, *ſe noſſe Deū; factis autē negāt, cū ſint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonū reprobi.* Aliam non diſſimilē abſurditatem Sectarij ex illis S. Pauli verbis malè intulerūt [g]: *Omnia mūda mūdis.* ergo, dicūt, ieiunia, & delectus ciborū nō debet Chriſtianis ab Eccleſia præcipi; ſed quocunque tempore carnes & lacticinia poſſunt, ſi ſunt fideles, ſine vlla culpa comedere. Quaſi nō ſit idem S. Paulus, qui ſic ad Romanos ſcribit [h]: *Bonum eſt, non manducare carnem, & non bibere vinū.* & alibi prohibet eſū idolothytorū. Apoſtoli quoq; cōgregati in Cōcilio Ieroſolymitano præceperunt abſtinentiā pro tēpore à ſanguine, & ſuffocato. Et ſcribens S. Ignatius ad Philippēſes [i], quos S. Paulus ad fidē inſtituerat, cōmendās certi tēporis ieiunia, ſic ait: *Quadrageſimale ieiunium ne ſpreueritis; continet enim exemplum conuerſationis dominicæ.* De eodem ad populum ita concionatus eſt S. Auguſtinus [k]: *Rogo vos, Fratres chariſſimi, & admoneo, vt in iſto legitimo & ſacratiſſimo tempore exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præſumat; niſi fortè ille, quem ieiunare infirmitas non permittit: quia aliis diebus ieiunare remedium eſt, aut præmium; in Quadrageſima non ieiunare peccatum eſt: alio tempore qui ieiunat, accipit indulgentiam; in Quadrageſima qui non ieiunat, ſentiet pœnam.* Idem omnes alij Patres vnanimi conſenſu docuerunt, inter quos, aliis omiſſis, vnus Baſilius quāta veneratione toto orbe Chriſtiano obſeruaretur præceptū ab Eccleſia ieiuniū, præſertim quadrageſimale, præclarè tradit in oratione ſecūda de laudibus

e Tit. c. 1. v. 15.

f Calu. in A ·114. contra Tri.l p. 224.

g Tit. c. 1. v. 15.

h Rom. c. 14. v. 21.

i S. Ign. ep 8.

k S. Aug. ſerm. 62. de temp.

l S Baſil. or. 2. de ieiunio.

ieiunij,ſic dicens [l]:*Ieiunium per omne quidem tempus vtile eſt iis, qui illud ſponte ſuſcipiunt: neque enim aſſultus Dæmonum quidquam audet aduerſus ieiunantes, ac vitæ noſtræ cuſtodes Angeli diligentiùs adſunt iis,qui ieiunio purgatam habent animam:ſed multò magis hoc tempore, quo per vniuerſum terrarum orbem vndique denunciatur ieiunij præconium. Nec vlla eſt inſula, nec vlla terra continens, non ciuitas, non gens vlla,non extremus mundi angulus, vbi non ſit auditum ieiunij edictum. Quin & exercitus,& viatores, & nautæ, & negotiatores,omnes pariter audiunt edictum,& ſummo gaudio excipiunt.* Hæc S. Baſilius. Itaque ſenſus verborum Pauli à ſenſu Hæreticorum eſt toto cœlo diuerſus,quem paucis indicauimus in paraphraſi:agebat enim Apoſtolus contra Iudaïzantes, quorum aliqui fabulabantur, cibos quoſdam natura ſua eſſe immundos, ſicuti poſteà hos ſecuti Manichæi, & Marcionitæ voluerunt, & has fabulas aliquoties carpit in hac Epiſtola,& alibi S.Paulus: alij dicebant,cibos quoſdā eſſe immundos,& à Chriſtianis non deguſtandos;non quia natura ſua eſſent mali;ſed propter prohibitionem legis Moſaïcæ,quam adhuc obſeruādam putabant.Cōtra hos igitur Apoſtolus ait:*Omnia munda mundis*,id eſt, vt exponunt SS.Hieronymus, Auguſtinus,Chryſoſtomus,Ambroſius, & alij communiter, omnes cibi natura ſua mūdi ſunt,& hoc tēpore abrogata lege Moſaïca ſine vlla culpa edi poſſunt ab iis, qui hæc per fidem intelligunt:*Inquinatis autē, & infidelibus nihil eſt mūdum.* nempe,ob id,quia hominibus iſtis conſcientiæ deprauatæ, qui nolunt credere legem veterē per nouam eſſe abrogatā, ſiue hos cibos, quos ipſi vetitos arbitrātur,ſiue alios comedāt,culpa nō vacāt. Nā,ſi quos putāt vetitos,comedāt,peccant ex erronea conſcientia;ſi alios tantùm eligant manducare,quia eodem imbuti errore id faciunt, alióſque damnant, qui ita non faciunt,culpa non carent.

Ex hac doctrina vlteriùs inferri poſſe quidam Theologi opinati ſunt, omnes infideliū actiones eſſe peccata, addētes huic S.Pauli teſtimonio aliud eiuſdē in Epiſtola ad Romanos,dicētis[m]:*Omne,quod non eſt ex fide,peccatū eſt.* & ad Hebræos [n]:*Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* His vidētur interdū fauiſſe Patres;præſertim, quatuor Latinę Eccleſiæ Doctores Gregorius, Ambroſius,Auguſtinus,ac Hieronymus.Nā,inquit S.Gregorius[o]:*Si fides prima in noſtro corde non gignitur;reliqua quoque eſſe bona non poſſunt,etiamſi bona eſſe videantur,quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Hinc ait S. Ambroſius[p],ſine fidei fundamento bona opera non cōſiſtere,ſicut ædificiū ſuper vitioſa fūdamēta,quod plùs ſtruitur, plùs corruit ac deſtruitur. Et S. Auguſt.[q] pluribus locis affirmat,virtutes illas antiquorū Romanorū falſas fuiſſe,quia Gētiles cùm eſſent,eorū exercitationes,non ad Deū, ſed ad vanā gloriam referebant, & quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. S. Hieronymus in illa verba Epiſtolę ad Galatas [r]:*Iuſtus ex fide viuit.* nullū ait poſſe ſpiritualiter viuere abſq; Chriſto:*Sine quo*(inquit)*omnis virtus in vitio eſt.*Plura cōgerit in hanc ſententiā Gregorius Ariminenſis [s],quē ſecutus eſt poſteà Gaſpar Caſſalius [t], idē immeritò tribuēs Magiſtro ſententiarū. Cōtraria ramē ſententia pro certo eſt aſſerenda,quam cum S. Thoma [u] alij Theologi communiter benè tuentur, nō peccare infidelē in omni ſua operatione.Quia,ſi peccaret infidelis,eadem ratione peccaret fidelis in ſtatu peccati mortalis conſtitutus, in quo ſtatu

m Rom. c.14.v. 23.
n Hebr. c.11.v.6.
o S.Greg. l.2.Mor. cap.33.
p S.Ambroſ.lib. 2. de off. cap.2.
q S.Aug. l.5. de ciu.c.12. & 13. l. de nupt. & cōcup. c.3.& 4. l. de prædeſt. SS. c.10.l.de fide & oper.c.7. tract.35. & 86.in Ioan. in Pſ.31.& 67. ep. 107.
r S. Hieron. in c. 3.ep.ad Galat. v.12.
s Gregor. Arim. in 2. d.26. 27 28.
t Gaſpar Caſſ.1.p. operis de quadrip. iuſt.l.1. c.1.uſque ad c. 27.
u S.Th. 2.2.q. 10.a.4. & q.23. art 7. & alibi.

ſtatu impoſſibile eſt eũ placere Deo. Atqui de homine fideli in peccato manente hoc dici nõ poteſt: ſic enim definitum eſt in Concilio Tridentino contra Lutherum [x]: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iuſtificationem fiunt, quacunque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri, anathema ſit.* Ergo neque de operibus hominis infidelis id licet aſſerere. Neque enim facilè quis poterit aſſignare diſparitatem, cùm propterea dicant aſſertores opinionis aduerſæ, peccare infideles in qualibet actione, quia illam in Deum tanquam in vltimum finem, à quo ſunt auerſi, non referunt: ſed neque illam referunt, qui per peccatum quodcunque mortiferum ſimiliter inueniuntur auerſi. Quare, ſi hoc eſſet in omni opere neceſſarium, tam iſti, quàm illi in qualibet ſua operatione delinquerent, quod à Concilio reprobatur. Vnde S. Auguſtinus [y] loquẽs de operationibus infidelium: *Impiorum*, inquit, *nec verum Deum veraciter, iuſtéque colentium, quædam facta vel legimus, vel nouimus, vel audimus, quæ ſecundùm iuſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus; verùm etiam meritò, rectéque laudamus.* Et S. Hieronymus [z], *Multos* (inquit) *Philoſophorum & audiuimus, & legimus, & ipſos vidimus, caſtos, patientes, modeſtos, liberales, abſtinentes, benignos, amatores iuſtitiæ non minùs, quàm ſapientiæ. Vnde, quæſo, hominibus alienis à Deo iſta, quæ Deo placent? vnde hæc illis bona, niſi de naturæ bono?* Et S. Ambroſius [a] laudat Pharaonem, qui vbi primùm agnouit Saram, quam habebat apud ſe, vxorem eſſe Abrahami, eam illi reſtituit honeſto remiſſam comitatu. Imò ipſe Chriſtus Dominus in Euangelio adeò laudauit miſericordiam à Samaritano viro infideli, exhibitam homini à latronibus ſpoliato, vt eum Sacerdoti, & Leuitæ Iudæorum prætulerit, & poſuerit in exemplum exercendæ erga proximos charitatis, dicens [b]: *Vade, & tu fac ſimiliter.* Neque contradicit vlla ratione S. Paulus, qui, dum ait, inquinatas eſſe infidelium conſcientias, & omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſſe, & ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo, tria vult ſignificare: nempe, recta fide carentes, non habere in pleriſque rectam conſcientiam: deinde peccare in omnibus, quoties agunt contra illam ſuam qualencunque conſcientiam: præterea, etiamſi nonnulla honeſta operentur, quæ Deo ex ſe non diſpliceant; tamen diſplicere operantem ipſum, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, vt magis exponendo illas Pauli Epiſtolas poſteà oſtendemus. Similiter ſancti illi Patres Gregorius, Ambroſius, Auguſtinus, atque Hieronymus, propter hæc tria, virtutes extenuant infidelium; ſiue, quia prauo aliquo fine, aut malis circunſtantiis plerunque exercentur; ſiue, quòd quantumuis honeſtæ, non proſunt ad vitam æternam, quam nemo ſine fide obtinet, aut meretur; ſiue tandem ex eo, quòd operantem non reddant ſimpliciter bonum, ſed adhuc manentem in ſua infidelitate, atque adeò in ſtatu peccati. Sed iam ſatis de hac prima dubitatione.

Secundò dubitari poteſt circa Epiſtolæ caput ſecundum, vbi dicitur [c]: *Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri* IESV *Chriſti.* quæ intelligere per Deum magnum debeamus, Patrémne, an Filium Dei, vel Deum in communi. Caietanus in ſuo Commentario cenſet, omnes tres diuinas perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſſe ſignificatas: omnes enim

x Trid. ſeſſ. 6. can. 7.

y S. Aug. l. de ſpir. & lit. c. 27.

z S. Hier. in ep. ad Demetriad.

a S. Ambroſ. l. 1. de Abraham, c. 2.

b Luc. c. 10. v. 33.

c Tit. c. 2. v. 13.

enim ſunt vnus, idémque magnus Deus. Eraſmus verò, vt faueret, ſicut aliàs ſolet, Arianis, nonniſi perſonam Patris vult eſſe ſignificatam, diſtinctam a Filio, de quo ſubditur: *Et Saluatoris noſtri* IESV *Chriſti*, quaſi non ſit ipſe magnus Deus, vt eſt Pater. Quo teſtimonio abuſi ſunt veteres Ariani ad probandum Filium eſſe Patre minorem Deum, atque ideò Patri non poſſe eſſe conſubſtantialem, quod auidè arripiunt recentes ex Tranſiluania Ariani. Sed tantùm abeſt hoc illis faueat, vt ſit contra ipſos inſigne teſtimonium. Nam ipſa elocutionis proprietas, & quæ antecedunt verba, & quæ ſequuntur, apertiſſima quoque Patrum expoſitio Filium hîc, non verò Patrem eſſe magnum Deum appellatum, omninò conuincunt. *Et vbi ſunt* (inquit Chryſoſtomus arguẽs Arianos [d]) *qui Patre minorem Filium dicunt? magni, inquit, Dei, & Saluatoris noſtri* IESV *Chriſti*. Et ſanè ſi appellatione magni Dei Patrem Apoſtolus ſignificare voluiſſet, vt à Filio diſtinctum, addere ſequentibus articulum diſtinctiuum debuiſſet, dicendo: τοῦ μεγάλου θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος. non autem dicere tantùm, καὶ σωτῆρος, quod pluribus exemplis ex ipſo Apoſtolo, aliiſque Græcis probatis Auctoribus poſſet oſtendi: ſicut ſi nos Italicè diceremus: *La venuta del grande Iddio, è Saluatore*. ſine dubio vnam eandémque perſonam ſignificaremus; aliam autem, ſi diceremus: *La venuta del grande Iddio, è del Saluatore*. Deinde non expectamus Patrem ad nos pro extremo Iudicio venturum, ſed Filium, qui propterea in Euangelio dicebat [e]: *Omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei. Neque enim Pater iudicat quenquam; ſed omne iudicium dedit Filio.*

d *Chryſ. in c. 2. Ep. ad Timot.*

e *Ioan. c. 5. v. 22.25.*

Ergo per aduentum magni Dei, non Patris, ſed Filij aduentum Apoſtolus Paulus ſignificauit. Præſertim, quia aduentum Græcè dixit, ἐπιφάνειαν, id eſt, illuſtrationem, ſiue apparitionem illuſtrem, qua voce aduẽtum Chriſti Domini ad Iudiciũ aliàs idem Apoſtolus expreſsè deſcripſit in Epiſtola ſecunda ad Theſſalonicenſes, cùm dixit de Antichriſto [f]: *Quem Dominus* IESVS *deſtruet illuſtratione aduentus ſui*, Græcè, τῇ ἐπιφανείᾳ. Nec de æterno Patre vlla in diuinis Scripturis præterita, vel futura epiphania memoratur. Addit præterea S. Paulus: *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* quod ſimiliter de Filio Dei, non autem de Patre dici potuit. Aduentum autem magni Dei propterea dixit Apoſtolus, quia tunc magnitudo diuinitatis Chriſti & ſumma gloria eius humanitatis maximè declarabitur. Vnde in Pſalmo dicitur [g]: *Omnes gentes, quaſcunque feciſti, venient*, nempe, ad vniuerſale Iudicium: tum ſubditur: *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus.* Ad inanium quoque Deorum differentiam, ideò etiam in alio Pſalmo dicitur [h]: *Quis Deus magnus, ſicut Deus noſter?*

f *2. Theſſal. c. 2. v. 8.*

g *Pſ. 85. v. 9. 10.*

h *Pſ. 76. v. 14.*

Tertiò quæritur circa poſtrema verba capitis tertij [i], Artemas, Zenas, & Apollo quinam fuerint? De Artema nullibi, niſi hoc loco mentio inuenitur: tradit nihilominùs Dorotheus in Synopſi, Epiſcopum fuiſſe Liſtrenſem: quòd ſi eſt ita, benè potuit Cretæ vices Titi abſentis aliquandiu ſuſtinere. Zenas legis Iudaïcæ peritus, & illius iuris Doctor fuiſſe videtur ante Baptiſmum. Apollo quoque vir fuit doctus, eloquens, & valdè in Scripturis eruditus, de quo alibi multa diximus. Teſtantur

i *cap. 3. v. 12.13.*

autem

g *Gloſſa ordin.* autem aliqui g, hos duos propter excitatam Corinthi aduersùs Paulum ſeditionem, ad Titum Cretenſem Epiſcopum ſe contuliſſe: qua iam ſedata mandat hoc tempore Apoſtolus Tito, vt eos ad ſe præmittat, antequàm ipſe Titus veniat Nicopolim. Solebat enim Apoſtolus plures huiuſmodi ſtrenuos Euangelij operarios ſecum ducere, vt illos iuxta neceſſitates Eccleſiarum tâquàm ſui vicarios diuerſis locis ſubſtitueret.

CAPVT VIII.

Venit Nicopolim, & ad eum Titus ex Creta, ſcribit ſecundam epiſtolam ad Corinthios per Titum & Lucam tranſmiſſam.

De tempore, loco, & occaſione ſcriptæ poſterioris Epiſtolæ ad Corinthios hic a&ri,illud anteà pro certo ſtatuimus, ſcriptam eam fuiſſe vno anno poſt priorem: nam ita legimus in hac ſecunda: *Hoc enim vobis vtile eſt, qui non ſolùm facere, ſed etiam velle cœpiſtis ab anno priore.* quando,nimirum,ad eos primam dedit epiſtolam, mandans fieri collectas pro Sanctis Eccleſiæ Ieroſolymorum,præſcribens formam & modum a, quo fieri ordinatè oporteret. a *1. Cor. c.16.v.1.* Qua in re valdè promptam & paratam etiam ante mandatum oſtenderunt Corinthij voluntatem: ideò illos laudans Apoſtolus ait: *Qui non ſolùm facere, ſed etiam velle cœpiſtis ab anno ſuperiore.* Quapropter, cùm ſatis à nobis oſtenſum antea fuerit, priorem illam Epiſtolam ad Corinthios ſcriptam Epheſo, cùm inde propediem Paulus eſſet diſceſſurus, vt iret in Macedoniam,dubitare non poſſumus, hanc fuiſſe ſcriptam hoc anno,in quo verſamur,nempe,Chriſti Domini quinquageſimooctauo, & Neronis Imperatoris ſecundo Falluntur autem aliqui exiſtimantes, ante hanc fuiſſe ſcriptam non ſolùm Epiſtolam ad Titum, vt iam vidimus; verùm etiam celebratiſſimam Epiſtolam ad Romanos.Nam,etiamſi verum ſit,quod poſteà erit demonſtrandum, ante huius anni exitum illam ad Romanos ſcriptam fuiſſe; tamen hanc poſteriorem ad Corinthios illi præceſſiſſe inde conuincitur, quia vrget adhuc in iſta Corinthios pro collectis dicens b: *Velle cœpiſtis ab anno priore: nunc verò & facto perficite: vt quemadmodum promptus eſt animus voluntatis; ita ſit & perficiendi.* b *2. Cor. c.8 v.10. & c 8. v.4.* At in Epiſtola ad Romanos capite quintodecimo c,ſignificat perfectas iã eſſe collectas, & ſe illas deferre ſanctis pauperibus in Ieruſalem:igitur ſcripta eſt Epiſtola ad Romanos non ante; ſed poſt aliquod tempus,quàm iſta ad Corinthios. c *Rom. c.15. v. 25.*

Sed de loco,vbi ſcripta hæc ſecunda eſt Corinthiaca fuerit, maior eſt controuerſia:aliqui Troade ſcriptam volunt, alij Philippis, alij verò Nicopoli; cùm tamen horum trium locorum inter ſe non modica ſit diſtantia. Qui Troade ſcriptam opinantur, inde aliquam videntur feciſſe coniecturam, quòd ita legerint ſcriptum in capite ſecundo d: *Cùm veniſſem Troadem propter Euangelium Chriſti.* d *2. Cor. c.2.v.12.* At, quæ ſequuntur, deſtruunt huiuſmodi coniecturam, vbi ſubditur e: *Non habuit requiem ſpiritus meus, eò quòd non inueniſſem Titum fratrem meum; ſed valefaciẽs eis profectus ſum in Macedoniam.* e *ibid e. 2.v.13.* Troadem igitur reliquerat,cùm hæc ſcripſit, & lõgè vlteriùs erat progreſſus:niſi quis dicat, proficiſci quidem in animo tunc habuiſſe,dum ita ſcriberet;ſcripſiſſe verò ſe eſſe profectum pro eo tempore,

quo

quo hæc à Corinthiis in ea Epiſtola eſſent legenda. Sed neque id congruit veritati: nam capite octauo Paulus narrat, Titum, quem Troade putabat ſe inuenturum, occurriſſe poſteà ſibi in Macedonia. Eſt igitur prorſus improbabile, quòd, antequàm Troade veniſſet in Macedoniam, hanc Epiſtolam ſcripſerit; etiamſi pro argumento in quibuſdam Bibliis Latinis ſcriptum inueniatur, Troade miſſam. Quare S. Ioannes Chryſoſtomus, licèt non nominet ciuitatem, in prouincia tamen Macedoniæ ſcriptam aſſeuerat. Oecumenius verò datam ait Philippis, quæ erat primaria ciuitas in Macedonia. Vnde in Græcis exemplaribus ſubſcriptum legimus: ἐγράφη ἀπὸ Φιλίππων τῆς Μακεδονίας, ſcripta eſt à ciuitate Philippi in Macedonia: idémque habet editio Syra, & Latina Complutenſis, addentes cum Oecumenio, Titum & Lucam latores huius Epiſtolæ fuiſſe: quod etiam alij plures ſentiunt [g]. Diſſentit autem Baronius [h], primùm de Luca dubitans, cùm non habeatur vlla eius mentio in ſacra Hiſtoria, nec in Epiſtolis apoſtolicis. De Tito autem negat eum hoc tempore à Paulo fuiſſe relictum, ac denique non anteà putat ipſe ſcriptam hanc Epiſtolam, quàm vltra Macedoniam Paulus progreſſus Nicopolim, vbi decreuerat hyemare, perueniſſet.

g Salmeron d. 1. in 2. ad Cor. Guillel. Eſtius in 2. Cor.
h Baron. an 58.

Ne verò tantis Auctoribus facilè contradicere videamur, obſeruare oportet, poſteaquàm Epheſo relicta Paulus venit in Macedoniam, quibus itineribus progrederetur, quas moras, & vbi traxerit, curſus denique omnes ipſius, atque recurſus à nobis ſciri non poſſe: cùm S. Lucas breuiſſimè cuncta perſtringens, tantummodo dixerit [i], Apoſtolum in Macedoniam hoc tempore eſſe profectum, & in Græciam, multóque ſermone fratres adhortatum fuiſſe has perambulantem regiones, & tres hìc menſes eſſe commoratum. Quare fieri vix poteſt, vt Philippos hoc tempore non venerit, cùm ibi eſſet Eccleſia Macedoniæ primaria, in cuius fundatione tantoperè laborauerat, & eſſent Philippenſes Pauli ſtudioſiſſimi, ad quos poſteà Roma ex vinculis ſcribens, promittit ſe iterum ad eos eſſe venturum [k]: *Confido* (inquit) *in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos citò.* & illos laudat ſupra alias Eccleſias Macedoniæ: nam inquit, *Scitis vos, Philippenſes, quòd in principio Euangelij, quando profectus ſum à Macedonia, nulla mihi Eccleſia communicauit in ratione dati, & accepti, niſi vos ſoli, quia Theſſalonicam ſemel & bis in vſum mihi miſiſtis.* Eſt igitur veroſimile, non anteà ſcriptam Epiſtolam hanc ſecundam ad Corinthios, quàm Apoſtolus Nicopolim aduenitſet: & inde Artema, vel Tychico in Cretam miſſo, vt Tito ſcripſerat ſe facturum [m], vocaſſe ad ſe Titum; deinde cum hoc excurriſſe Philippos, ibíque ſcripſiſſe ad Corinthios, mittendo Epiſtolam per Lucam Euangeliſtam, & Titum, qui ex portu Corinthiaco deberet in Cretam renauigare. Certè miſſum hac occaſione Titum ad Corinthios ſæpè indicat Epiſtola, in qua ſæpiùs Titus à Paulo nominatur, laudatur, Corinthiis, vt à ſe miſſus commendatur, præſertim capite octauo [n], vbi ſic ait: *Gratias autem Deo, qui dedit eandem ſollicitudinem pro vobis in corde Titi: quoniam exhortationem quidem ſuſcepit: ſed, cùm ſollicitior eſſet, ſua voluntate profectus eſt ad vos. Miſimus etiam cum illo fratrem noſtrum, cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias.* Quòd

i Act. c. 20. v. 2.
k Philip. c. 2. v. 24.
m Tit. c. 3. v. 12.
n 2. Cor. c. 8. v. 16.

Quòd verò aliqui dubitant, vtrùm per fratrem, illum, cuius laus eſt in Euangelio, intelligere Lucam Euangeliſtam debeamus, alibi oſtendimus [o], non eſſe, cur dubitemus. Similiter, quòd aliqui hūc aduentum Titi Corinthum, referunt ad aliud tempus, nempe, anni ſuperioris, non cohærent cum iis omnibus, quæ legimus in illo Epiſtolæ capite octauo, vbi Titus ſignificatur procurare collectas apud Corinthios debuiſſe, non ſolùm anni ſuperioris, ſed etiā huius temporis: nam ait Apoſtolus [p], ſe rogaſſe Titum, vt, quemadmodum cœpit, ita perficiat, & vt Corinthij opere compleant, quod velle cœperunt ab anno ſuperiori: tum caput ita concludit. *Oſtenſionem ergo, quæ eſt charitatis veſtræ & noſtræ gloriæ pro vobis in illos oſtendite*, nimirum in Titum, Lucam, & quendam alium fratrē, quem non nominat; ſed miſſum ad Corinthios cum illis duobus ſignificat; & aliqui Apollo eum eſſe ſuſpicantur. Neque mirum videri debet, toties Titum ad Corinthios eſſe profectum: erat enim ipſe Corinthius ex ſententia Chryſoſtomi [q], & aliorum: quare propterea fortaſſe Creta vocatus eſt Nicopolim à S. Paulo, vt breuiori tractu maris veniens in Ambracium ſinum, iuxta quem ciuitas Nicopolis erat collocata, ibi Paulum, Lucam, & alios fratres conueniret, cum quibus excurreret vſque Philippos, & inde ſcriptam ad Corinthios epiſtolam deferret, eóſque conſolaretur, vtpote vir notiſſimus, omnibus percharus, & tantæ auctoritatis, ac ſanctitatis: tum ex portu Corinthiaco in ſuam Cretam reuerteretur. Fuit enim illa Pauli cōſuetudo, vt, quemadmodum ipſe diuerſa loca, & quantumuis diſſitas regiones perluſtrabat, iuxta neceſſitates Eccleſiarum, & Euangelij prædicandi, ac propagandæ fidei opportunitates: ita quos in ſua poteſtate habebat viros apoſtolicos, quaſi legatos mitteret, reuocaret, atque remitteret, interrupta pro aliquo tempore in Eccleſiis propriis & epiſcopatibus reſidentia, vt grauioribus aliarum Eccleſiarum neceſſitatibus præſtò eſſent: quæ multæ occurrebant, & inſignium huiuſmodi virorum apoſtolicorum maior virtus, quàm copia reperiebatur. Sic vſque Romam Epheſo Timotheum cum Marco ad ſe vocauit, & Tychicum interim eò miſit, Creſcentem in Galatiam, & Titum iterum euocatum miſit in Dalmatiam, vt legitur in extremo capite poſterioris Epiſtolę ad Timotheum [r].

o *lib. 8. c. 2.*
p *2. Cor. c. 8. v. 6. 11.*
q *Chryſ. in c. 1. Ep. ad Tit.*

Sed, quod ſpectat ad argumentum & occaſionem ſcribendæ huius ſecundæ Epiſtolæ ad Corinthios, oportet meminiſſe, in prima, quam ante annum ad eos dedit Epiſtola, Paulum Corinthiis pollicitum fuiſſe ad eos ſe quamprimùm eſſe venturum: *Veniam*, inquit [s], *ad vos citò, ſi Deus voluerit*. & infrà [t]: *Veniam autem* (inquit) *ad vos, cùm Macedoniam pertranſiero: nam Macedoniam pertranſibo. Apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hyemabo*. Sed poſteà conſilium mutauit ſcribens Tito, vt iam vidimus, hyematurum ſe Nicopoli. Quare dilationem aduentus ſui excuſat hac epiſtola, quòd aliis diſtentus neceſſitatibus, ire tam citò non potuerit, ſed Dei voluntate aliò debuerit ſe conferre. Deinde in priori Epiſtola grauiter Corinthios obiurgauerat, propter exortas inter illos contentiones; iuſſerat quoque inceſtuoſum quendam excommunicari: mandauerat collectas fieri pro pauperibus, qui erant in Ieruſalem. Hæc omnia Corinthij præſtiterant, multùm ex illa Epiſtola proficiētes: ſcor-

r *2. Tim. c. 4. v. 9. 10. 11.*
s *1. Cor. c. 4. v. 19.*
t *ibid. c. 16. v. 5.*

tator ille ex inflicta pœna rediens ad mentem ſaniorẽ, ſigna ediderat veræ pœnitentię: pecunia pro fratribus, qui indigebant in Iudęa iã multa collecta erat: Timotheus a Paulo Corinthiis cõmendatus cum omni beneuolẽtia, & reuerentia fuerat exceptus, & ad Paulũ honorificè remiſſus. Itaque, cũ differre Apoſtolus cogitaret aduentũ promiſſũ, ſaltẽ nõ differẽdã exiſtimauit per literas gratulationẽ, cõmendationẽ, & gratiarũ actionem. Prætereà in magna Chriſtianorũ, qui Corinthi exercuerãt, multitudine, non deerant aliqui contumaces, qui ſpreta Pauli auctoritate, non dum ſatis vitia ſua correxerãt per priorem Apoſtoli Epiſtolam caſtigata, imò Paulò detrahebãt, Epiſtolas eius eſſe graues, & fortes non negabant; ſed præſentiã corporis aiebant imbecillẽ, & ſermonem imperitũ, ac deſpicabilẽ. Quapropter tuetur hac epiſtola poteſtatem & auctoritatẽ ſuam, & coactus texit apologiam, ac veluti encómiũ ſui apoſtolatus: minatur in virtute diuini Spiritus peruicacibus, & ſe tãdem aliquãdo ad eos vẽturum pollicetur. Pendet igitur multùm huius Epiſtolæ argumentũ & intelligentia à priori, & poteſt ad ſex capita reuocari. Primùm, quantas in Aſia pertulerit tribulationes exponit, & quòd neque leuitate, neque inconſtantia ſuũ ad eos veniẽdi conſiliũ, aliter Deo diſponẽte, mutauerit. Secundò, monet, vt fornicariũ excommunicatũ iam pœnitentẽ abſoluant a cenſura, & Eccleſiæ reconciliẽt. Tertiò, multò maiorẽ eſſe legis euangelicæ, quàm Moſaïcæ excellentiam, maiorémque miniſtrorum noui Teſtamenti, quã veteris, dignitatem. Quartò, sãctos Apoſtolos ſuas explere partes multas pro Chriſto, & eius Euangelij propagatione magna animi fortitudine atque cõſtantia tolerã do, ſpe futuræ vitæ, reſurrectionis, & gloriæ ſempiternæ corroboratos. Idẽque ſe feciſſe, ac in poſterum diuina gratia iuuãte, & vrgente Chriſti charitate ſe factuirũ. Quintò, Corinthios à vitiis deterret, hortatur ad Chriſtianas virtutes, maxime in pauperes liberalitatis, laudat de aliquibus, vt eos reddat magis animatos, & ſuam erga illos ſyncerã beneuolentiã atteſtatur. Sextò denique, vt obtrectatoribus ſuis, & Pſeudoapoſtolis faciat ſatis, cõparat, quæ per illum Deus in Gentiũ conuerſione operatus eſt cũ illorũ vana prædicatione; quãta pro Chriſto aduerſa ſuſtinuerit, lapidationes, carceres, flagella, pericula maris, fluminũ, terrarum, longiſſimas, & difficillimas peregrinationes, raptũ vſque ad tertium cœlum, atque adeò perfectã, abſolutámque apoſtolatus ſui deſcribit apologiam. Concludit adhortãdo ad perfectionem, pacẽ, dilectionẽ, & omnia illis à Deo bona comprecatur. Quapropter Epiſtola eſt ſublimi doctrina, & ſalutaribus documentis refertiſſima: niſi quòd interdũ, propter ſpiritus vehementiam, ſtylo videtur difficili in aliquibus ſententiis conuoluta; quas tamen conabimur in ſequenti paraphraſi reddere planiores.

CAPVT IX.

Quæ continentur in ſecunda epiſtola ad Corinthios breui paraphraſi explanantur.

IMpertita primùm Corinthiis benedictione, orditur Paulus hanc Epiſtolã ab aduerſis plurimis pro Chriſto in Aſia toleratis, atque inde mutati conſilij ſui veniendi ad illos inſinuat excuſationem dicens [a]: [a] 2. Cor. c. 1. v. 1. &c.

Paulus diuina volũtate Apoſtolus IESV Chriſti cũ Timotheo Coapoſtolo, Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, aliiſque

aliiſque per Achaïam vniuerſã fidelibus ſanctificatis nouã precatur gratiam,& pacem à Deo Patre noſtro,& Domino Iesv Chriſto. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Iesv Chriſti, verè Pater ſũmè miſericors, & Deus conſolator vniuerſorũ,ac noſtri potiſſimùm, dum pro ipſo tribulamur,vt nouerimus etiã alios,qui ſimilia patiuntur,& cõſolari,& exhortari. Quoniam pro menſura malorũ, quæ pro Chriſto ſuſtinemus, eius in nos exuberant conſolationes: vt in vtroque perfecta reddatur, tũ in malis patientia noſtra,tum in bonis ſpes concepta de vobis:ac demũ expectatio æternorum bonorũ,tum in nobis, tum in vobis augeatur; & firma permaneat. Equidem hoc de me dicere non omittã,multa grauia ferè vbique terrarum ſuſtinere hactenus me debuiſſe; grauiſſima tamen fuêre, quæ mihi in Aſia contigerunt, præſertim non pridẽ, anrequàm Epheſo diſceſſiſſem,ita vt tæderet me iam ampliùs viuere:mihíque de ſtatu meo cogitãti meus prę́ſagiret animus omninò eſſe mortem propediẽ ſubeundam. Vt ſita ſolùm in Deo,qui ſuſcitat mortuos, eſſet ſpes noſtra, & tantò maiores illi gratiæ etiam à vobis pro me referantur. Eſt enim gloria mea, teſtimoniũ propriæ conſcientiæ, quòd in ſimplicitate cordis, & ſynceritate maxima, non mundana ſapientia, ſed communicata nobis à Deo gratia egi vobiſcum,ſicut etiã cum aliis. Idque cognitum bona ex parte fuit à vobis, & ſpero magis in dies cognoſcetur.Profectò poteſtis vos de me corã Chriſto Iudice,poſſum & ego de vobis hac in parte gloriari. Atque hac animi confidentia volui ſecundò venire ad vos Macedoniam pertranſiens: neque tamen id à me non adhuc eſſe præſtitũ, leuitatis, aut inconſtantiæ fuit, quaſi humana prudentia me regam, & naturali quadã ingenij mobilitate modò affirmẽ,ita erit:& ſubinde negem: non enim ita edocti à Chriſto ſumus, neque ea,quę cum Syluano,& Timotheo docuimus apud vos,& prædicauimus de Filio Dei Iesv Chriſto,huiuſmodi contradictiones admittunt. IpſeDeus hanc vobis tribuit firmitatem,qui poſt Baptiſmum,Sacramẽto Cõfirmationis in fide nos roborauit, vnxit oleo ſpirituali gratiæ, ſub viſibili ſymbolo ſacri Chriſmatis, ſignauit nos in fronte ſigno Crucis, & in anima charactere ſpirituali,deditque pignus ſpiritus, bonæ conſcientiæ teſtimonium in cordibus noſtris.Quare Deum teſtor,proptereà me Corinthũ iuxta promiſſa venire hoc tempore noluiſſe, ne duriùs eſſet mihi agendũ cum aliquibus veſtrûm:nam,etiamſi non habeam quid corrigam in præſentia circa veſtram fidem; in moribus tamen emendanda non deſunt, quæ non iudicaui præſentia mea imperioſè redarguere, ſed leni huius Epiſtolæ admonitione reformare:cui non dubito, quia verè fideles eſtis,cum veſtro, meóque gaudio per omnia obtemperabitis.Hęc habet in capite primo, quæ magis exponit, & confirmat capite ſecundo, dicens [b]: *b 2. Cor. c. 2 v. 1. &c.*

Statui ego in animo meo proptereà tam citò non venire ad vos, ne loco vniuerſalis lætitiæ, communis vtrinque triſtitiæ viderer quætere occaſiones. Nam, etiamſi priores literas non ſine multis lacrymis ad vos ſcripſerim, & aliquos viſus ſim illis contriſtaſſe; tamen intentio mea ſolùm fuit, declarare qualem erga vos habeam charitatem. Sed quandoquidem ille, qui & mihi, & vobis triſtitiæ cauſa fuit, iam reſipuit, ſufficiat ei hactenus

iniuncta pœnalis cēſura, parcatur illi de cætero, & meo nomine abſoluatur, animetur in charitate, ne fortè nimia triſtitia abſorbeatur. Agnoſco, quam deſiderabam illius, & veſtram obedientiam: & quoniam à me poſtulaſtis pro illo remiſſionem, & plenariam indulgentiam, ego illam dono in perſona Chriſti, tantò libentiùs, quantò magis perſpectas habeo Satanæ circunuentiones, qui alioqui vel hunc in deſperationem adducere, vel multorum erga illum obſcurare charitatem, & impedire miſericordiam potuiſſet. Eram, cùm veniſſem Troadem, valdè ſuſpenſo animo, atque ſollicito: nam, etiamſi Euangelij propagandi, ad quod veneram, aliqua offerebatur occaſio; tamen, quia ibi non inueni Titum fratrem meum, vt ſperabam, à quo de ſtatu rerum veſtrarum cognoſcere, & inde cōſilium capere veniendi, aut differendi hoc iter debuiſſem, angebar valdè. Quapropter ſalutatis, qui Troade inueniebantur, fidelibus in Chriſto fratribus, profectus ſum in Macedoniam. Et ago gratias Deo, quas poſſum, maximas: quia dignum me reddidit inter tot aduerſa, quæ ibi, ſicut alibi, pro ipſo ſuſtinui, in quo triumphum ageret gloriæ Filij ſui, & famam ſanctiſſimi nominis ſui tanquam odorē ſuauiſſimum per nos effunderet in omni loco: ſumus enim bonus odor Chriſti; tum electis ad vitam, qui vitalem inde hauriunt fragrantiam; tum reprobis & obſtinatis, qui ſaltem non poſſunt conuerſationem noſtram non ſuſpicere & admirari, ad improbæ vitæ ipſorum maiorem condemnationem. Sed multi Pſeudoapoſtoli inueniuntur, qui apti magis ſunt exemplo ſuo nocere, quàm in aliquo prodeſſe, falſarij, adulterantes pro ſuis lucris & commodis verbum Dei. Nos, quæ Deus per gratiam ſuam in nobis operatur, & quæ propter Chriſtum ſuſtinemus, ſyncera hic loquimur veritate. Deinde ſequenti capite quarto comparat miniſtros noui & veteris Teſtamenti, vt quale ſit diſcrimen inter veros Apoſtolos, & Iudaïzantes Pſeudoapoſtolos meliùs agnoſcatur, dicens [c]: *c cap. 3. v. 1. &c.*

Sed nequaquam hæc dicimus propriæ laudis cupiditate: nunquid enim egemus, vt quidam, commendaritiis literis apud vos, aut apud alios à vobis? Nónne vos Corinthij mea opera ad Euangelij lucem cōuerſi, eſtis mihi inſtar Epiſtolæ commendatitiæ, nō atramento, ſed ſpiritu Dei viui conſcriptæ, cuius primarium exemplar habeo, & ſeruo in corde meo, alterū in exemplari vita veſtra poſſum exhibere pro mea commendatione, & ſoleo, quibus ipſe volo. Hanc de vobis perſuaſionem, & per Chriſtum confidentiam à Deo, non à propria virtute ſumimus, quaſi viribus naturæ ſufficientes ſimus operari ſupra naturam aliquid, imò neque cogitare, quæ ſpectant æternam ſalutem; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, & à gratia ipſius, qua idonei miniſtri facti ſumus noui Teſtamenti, non legis Moſaïcæ, ſed gratię Saluatoris: lex enim illa ſine ſpiritu & gratia Chriſti potiùs fuit occaſio damnationis, & mortis: vitam autem affert Chriſtus, & gratia eius redemptionis. Quòd ſi miniſterium, & promulgatio veteris legis mortem comminantis, & inferentis, tabulis inſcriptæ lapideis, tāta gloria miraculorum exhibebatur: ita vt non poſſent filij Iſraël in faciem Moyſis obtutum defigere, propter inde radiantem modico illo tempore ſplendorem; quomodo non longè glorioſior erit promulgatio legis gratiæ, quæ in ſpiritu vehementi, & in linguis

linguis igneis data eſt ſãctis Apoſtolis tempore Pentecoſtes? Hac igitur diuina ſpe, & fiducia freti, Solem iuſtitiæ Chriſtum apertè ſine inuolucris & ambagibus prædicamus. Non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ne ſplendor ille mox abolendus, apertè à Iudæis cerneretur, quorum velamen vſque ad hanc diem in oculis mentis ipſorum, dum ſacram Scripturam legunt, & non intelligunt, perſeuerat, & quandiu ad Euangelij lucem non conuertentur, perſeuerabit. Neque enim liberari ab hac cæcitate mentis, & obſtinatione voluntatis, niſi ſponte ac liberè admiſſo ſpiritu Dei vnquam poterunt. Nos interim amoto velo, & vmbris veterum figurarum, ſpeculum incarnati Verbi, & alta fidei myſteria contemplantes, clariùs in dies magis illuſtramur, & vſque ad perfectam claritatem beatificæ viſionis diuino Spiritu perducimur.

Pergit capite quarto inde oſtendere, quanta ſynceritate & conſtantia propter ſpem beatæ æternitatis prædicauerit, & prædicaturus ſit vſque ad extremum ſpiritum euangelicas veritates, dicens [d]:

[d] *cap. 4. v. 1. &c.*

Ideò in hac noſtra, quam per Dei miſericordiam conſecuti ſumus, adminiſtratione, animo non deficimus: vitantes non ſolùm manifeſta dedecora, ſed etiam occultas culpas incorruptam veritatem diuini verbi ſine dolo & fallaciis prædicamus, non expectantes commendationem ex ore hominum; ſed magis à cordibus & conſcientia coram Deo. Quòd ſi clariſſima veritas Euangelij à me prædicata aliquibus videtur obſcura, vel tenebroſa, cæcitas illorum hæc eſt, immiſſa illis à Principe tenebrarum, non defectus vllus fulgentiſſimę in ſe lucis IESV Chriſti, qui eſt ſplendor gloriæ, & imago ſubſtantiæ Dei. Atque hunc Dominum Saluatorē prædicamus, non verò noſmetipſos, qui ſerui ſumus veſtri propter ipſum: cui, ſicut placuit ab origine mundi lucem creare de tenebris verbo ſuo, placuit ſimiliter corda noſtra luce ſua diuina perfundens de altiſſimis, quę in Chriſto cernimus myſteriis illuminare. Hanc lucem in vaſis fictilibus lutei noſtri corporis, fragiliſque ſubſtantiæ circunferimus, vt gentium per nos facta conuerſio, non nobis, ſed efficaciæ gratiæ Chriſti tribuatur. In omnibus tribulationem patimur; ſed non propterea in anguſtum cor, aut mens noſtra redigitur: rerum omnium penuria premimur, nec tamen opprimimur; perſecutionem patimur, ſed non deſtituimur; deiicimur, ſed non perimus; & quandiu viuimus ſēper quaſi pro Chriſto morimur, vt in corpore noſtro mortali manifeſtetur vita ipſius, & quotidiana mors noſtra operetur vitam ſpiritualem in vobis. Quapropter eodem præditi ſpiritu fidei, quo Pſalmiſta, dicere cum illo poſſumus [e]: Credidi, propter quod locutus ſum: quia nos Deus, vt promiſit, à tot malis eripiet: & ſicut IESVM à mortuis ſuſcitauit, ita etiam nos tandem à mortalitate in ſua gloria liberabit. Quare non deficimus: nam, licèt hoc fragile corpus exteriùs atteratur, internus tamen ſpiritus magis quotidie roboratur. Siquidem leuitas momentanea tribulationis noſtræ ſupra modum ſublime, & æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non tam conſiderantibus, quę ſub aſpectum cadunt bona fugacia, quàm inuiſibilia, & ſempiterna.

[e] *Pſ. 115. v. 1.*

Eandem materiam de bonis futuris contemplandis proſequitur capite ſequenti, dicens [f]:

[f] *c. 5. v. 1. &c.*

Scimus per fidem, quoniam ſi ter-

reſtris habitatio corporis noſtri mortalis diſſoluatur, reædificabitur diuina virtute per gloriã reſurrectionis perpetuò in cœlis duratura: & ideò ad interitum carnis noſtræ, qui debet intercedere, vt ex hac miſera vita ad beatam tranſeamus, ingemiſcimus, quia cùm ſit mors valdè contra naturæ propenſionẽ, optaremus ita indui gloria, vt opus non eſſet ſpoliari priùs vita. Quod iis tantùm ex nobis continget, qui ad finẽ mundi nondũ mortui, ſed veſtiti corpore inueniẽtur, atque ita viui ſuperueſtientur immortalitate, vix mortem, ſi qua tamen interceſſerit, ſentientes, qui mox reſurgent, gradum ſibi inde facientes ad beatam immortalitatem. Quamobrẽ luteo corporis tabernaculo prægrauati gemimus, eò quòd non tam illo qualicunque ſpoliari, quàm glorioſo, & beato ſuperindui deſideramus, vt à ſupernaturali immortalitate naturalis noſtra mortalitas abſorbeatur. Atque hanc mentem, voluntatem, & ſpem à gratiæ pignore, diuinóque ſpiritu obtinemus. Et propterea quæcunque, quantumuis ardua, confidenter aggredimur, & ſuſtinemus agnoſcentes nos, quandiu ſumus in hac vita per vmbram fidei ad Dominum peregrinari, cui peroptamus etiam cum disiunctione animæ à corpore præſentes conſtitui, vt clara tandem eius viſione fruamur. Ideò tota vita vſquequò anima è corpore migrauerit, placere illi ſatagimus: omnes enim cõparere debemus ante Chriſti tribunal, vt vnuſquiſque de propriis, dum eſſet in corpore, geſtis iudicetur, & præmietur pro bonis, pro malis verò puniatur. Hoc ſancto Dei timore pleni alios eodẽ informare ſtudemus; & ſiue abrepti amore diuino, exceſſu quodam veluti amotæ mentis circa hæc interdum nimis excurrimus; ſiue nos cohibemus, illud pro Deo, hoc pro vobis facimus. Charitas enim Chriſti vrget nos, viuo exemplo ſuo, qui mortuus eſt pro nobis omnibus, mortuis ob Adæ peccatũ, vt omnes, qui per ipsũ viuimus, iã nõ ampliùs nobis viuamus; ſed ipſi, qui mortuus eſt, & reſurrexit pro nobis. Itaque mortalium neminem, neque Chriſtum ipſum ſecundùm humanas & carnales rationes iam attẽdimus, quidquid olim egerimus in hoc genere; ſed ſecundùm ſpiritales, & diuinas. Quiſque igitur mecum in Chriſto regeneratus quaſi mutatus in nouam eſt creaturam, hæc agnoſcat à Chriſto, per quem Deo reconciliati ſumus, à quo miniſterium reconciliationis accepimus, pro quo legatione fungimur, & vt omnes in gratiam eius redeant, exhortamur. Siquidem hoſtiam illum pro peccatis noſtris fecit Deus, ne nos pro illis tanquam victimæ piaculares æternis ſuppliciis puniremur.

Perſiſtit capite ſexto in eadem exhortatione ad Chriſtianam perfectionem, dicens [g]: *g Cap. 6. v. 1. &c.*

Cooperatores igitur cùm ſimus Dei, adhortamur vos, ne in vacuum gratiam eius recipiatis. Ecce nunc tempus diuinæ beneficentiæ, ecce nunc dies ſalutis: iuxta quod ait Iſaïas [h]: In tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. Caueamus, ne quis offenſus culpa noſtra viam negligat ſalutis, & detrahat miniſterio noſtro: ſed in omnibus exhibeamus nos tanquam veros Dei miniſtros per omnia patientiſſimos, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in carceribus, in expulſionibus, in plagis, aliiſq; aduerſitatibus. Præterea in ſcientia, in charitate, longanimitate, ſuauitate, caſtitate, armati à dextris & ſiniſtris iuſtitia & veritate

h Iſai. c. 48. v. 8.

& veritate : per proſpera, & aduerſa: per infamiam,& bonã famam : vt ſeducentes,& ad Chriſtũ multos adducentes:vt egentes,& egenos locupletantes:vt nihil habentes, & omnia in Deo poſſidentes:vt ſemper morietes, & Dei gratia ad eius maiorem gloriã viuentes. O Corinthij, geſtio ex affectu ardẽtioris erga vos charitatis hęc & alia quibus poſſum verbis exprimere. Cor meum dilatatum eſt:in eo vnunquenque veſtrũ ampliſſima cõplector charitate, non ſunt hîc anguſtiæ,mihi credite:vereor tamẽ anguſtias cordis veſtri, & ne mihi in amore ac beneuolentia non ſatis reſpondeatis. Quæſo,filij,eandem menſurã charitatis mihi parenti veſtro rependite. Nolite cum infidelibus habere cõmercia : quæ enim communicatio iuſtitiæ cum iniquitate?quæ conuentio lucis cum tenebris?quę conſonantia Chriſti cum Dæmone? fidelibus cum infidelibus?templi Dei cum idolis?Vos enim eſtis templum Dei viui: nã de talibus dicebat ipſe Dominus [i]:
i Leuit. c. 26. v. 12. Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. Et
k Iſai. c. 52. v. 11. monet per Iſaïam,dicens [k]:Recedite, recedite,exite inde, pollutum nolite tãgere,exite de medio eorum. Et ego vobis ero in Patrẽ, & vos eritis mihi in filios,dicit Dominus omnipotens.

Hactenus capite ſexto : capite autem ſeptimo adhortationi adiungit laudes Corinthiorum, propter ſigna edita,Tito teſte, veræ eorum pœnitentiæ, dicens [f]:

f cap. 7. v. 1. &c. His ergo animati diuinis promiſſionibus, ô chariſſimi, mundetis vos ab omni,ſiue carnis, ſiue ſpiritus inquinamento,& culpę contagio : vt in Dei timore perfectã ſanctitatem aſſequamini. Habetote cor erga nos non anguſtum ; ſed lata ſanctæ charitatis viſceta.Nos neminem certè læſimus, neminẽ decepimus:neque hoc ad notandũ aliquẽ veſtrũ dico:iã enim proteſtatus ſum, ita vos inhæſiſſe cordi meo,vt pro veſtro bono,tũ viuere,tũ mori paratus ſim. Ago vobiſcũ,vt videtis,multa cum fiducia, multã quoque de vobis quodammodo gloriandi materiã habeo : ob quã repletus ſum conſolatione,& ſuperabundo gaudio in omni tribulatione.Vnde,cũ in Macedoniã non pridem veniſſem,ibique aduerſa plurima vndique afflictus ſuſtinerẽ,Deus, qui conſolatur humiles, nos in aduẽtu Titi mirabiliter eſt cõſolatus.Sed & ipſe priùs à vobis cõſolationẽ accepit, mihique inde rediẽs expoſuit veſtrũ deſideriũ, veſtrũ fletum, veſtrã æmulationem mea cauſa ſuſceptam,circa ea, de quibus in prima Epiſtola ad vos ſcripſerã:vt maior fuerit mea conſolatio de veſtra pœnitentia, quàm fuerat triſtitia de culpa. Quòd ſi aliquantulùm vos illa Epiſtola contriſtaui,cùm inde tot,& tãta ſpiritualia emolumenta prouenerint, nihil me pœnitet. Neque quòd ſcripſerim vobis ardentiùs,id fuit ad priuatas inceſtuoſi, aut parentis eius iniurias perſequẽdas;ſed vt meã ſollicitudinẽ declararẽ,quã pro cõmuni Eccleſię veſtrę ſalute gero,vt illud graue ſcandalum, & publicam infamiã remouerem. Quare omni ex parte creſcit gaudium meum;tũ,quia & mihi, & vobis, & Tito illa triſtitia in lætitiam ceſſit ; tum,quia illa, de quibus apud Titum gloriabar, & pro vobis pollicebar,ac benè ſperabam, ita per Dei gratiam euenerũt ; tum denique, quòd Titus tanta humanitate & reuerentia ſit à vobis exceptus, plurimùm de veſtra obedientia manſerit ædificatus, creuerit valdè eius erga vos beneuolentia, & mea de vobis omnibus in poſterum confidentia.

Hortatur

Hortatur deinde Corinthios capite octauo exemplo Macedonum ad eleemoſynas impenſiùs faciendas, dicens [m]:

m cap. 8. v. 1. &c.

Notum autem vobis facio, Fratres, de Eccleſiis Macedoniæ, eas in experimento plurimarum tribulationum, ſingulari Dei gratia magnam ſemper oſtendiſſe animi conſtantiam, & gaudium, & cùm ſumma premerentur egeſtate, nihilominùs magna ſimplicitate, & omninò ſupra quàm poſſent liberalitate vltrò eleemoſynas offerebant, hortãtes me, & obſecrantes, vt eas curarem deferri pauperibus Chriſtianis vſque Ieroſolymam. Et certè meam ſuperarunt expectationem, tanta deuotione, & pietate contribuentes: vnde permotus ſum rogare Titum, vt, ſicut nos in Macedonia, ita ipſe Corinthi apud vos colligeret huiuſmodi eleemoſynas. Non enim dubitaui, quin vos diuites, & liberales Macedonibus pauperibus minimè cederetis, præſertim ea fide, ſcientia, & aliis Dei donis cùm ſitis præditi, & tanta erga me beneuolentia. Neque imperans loquor, ſed charitatis veſtræ ingenuitati aliorum exemplũ propono. Ante omnia verò exemplum Chriſti Saluatoris habere ante mentiš oculos debetis, qui propter vos mendicus factus eſt, cùm eſſet diues, vt egeſtate ſua vos ditaret. Hoc igitur vt perutile vobis tantùm conſulo, qui ab anno ſuperiore ſponte nondum inuitati præſtare voluiſti, vt tam promptæ voluntati reſpondeat executio, ſecundùm vniuſcuiuſque facultatem. Neque enim vllus veſtrûm grauari nimis debet, vt alij releuentur; ſed veſtra abundantia pauperum ſuppleat indigentiam; pauperes verò copia meritorum & precum apud Deum hæc vobis compenſent, vt quædam fiat æqualitas, ſicut de manna dictum legimus [n]: nec qui plùs collegerat, habuit ampliùs; nec qui minùs parauerat, reperit minùs.

n Exod. c. 16. v. 18.

Gratias ago Deo, qui eandem ingeſſit animo Titi curam has eleemoſynas colligendi: vnde non tam exhortatione mea, quàm ſponte ſua profectus eſt ad vos. Miſimus etiam cum illo fratrem noſtrum Eccleſiis benè notum ob ſcriptum tanta cum laude nuper Euangelium, qui etiam ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ ad hoc miniſterium colligendi eleemoſynas pro Dei gloria, & ſubſidio egenorum, non pro noſtro emolumento, ne quis aliud ſuſpicetur: prouidemus enim bona non ſolùm coram Deo; ſed etiam coram hominibus. Miſimus etiam cum illis tertium fratrem noſtrum ſatis in multis probatum. Rogamus itaque, & ſperamus, eam oſtendatis erga tales viros charitatem, quæ vos, veſtrámque decet liberalitatem, & meam de vobis expectationem.

Capite nono eandem pro eleemoſynis erogandis ita proſequitur adhortationem [o]:

o cap. 9. v. 1. &c.

Nam de miniſterio contributionis pro Sanctis, qui Ieroſolymis paupertate premuntur, ſuperuacaneum videri poſſet à me plura ſcribi, cùm nouerim promptum animum veſtrum, & ſoleam de hoc apud Macedones gloriari, veſtróque exemplo ſint alij prouocati. Achaïa quoque reliqua parata iam eſt contribuere ab anno ſuperiori. Præmiſi tamen illos fratres, ne cùm venero, & mecum venient aliqui Macedones, imparatos inueniamus vos, & erubeſcamus inuicẽ, meáque de vobis gloriatio inanis appareat. Qui parcè ſeminat, parcè & metet: qui verò larga beneficentia ſeminat eleemoſynas, fructum metet copioſum in multis benedictionibus.

Tribuat

Tribuat vnuſquiſque ſpóte, quod offerre deſtinauit, non quaſi ex neceſſitate, cum triſtitia, vel coactè: hilarem enim datoré diligit Deus, potens dáté ita locupletare, vt quantò fuerit liberalior tribuẽdo, tátò magis creſcat in opibus poſſidẽdis, & bonis operibus exercendis. Hæc enim in egentes miſericordia nó ſolùm eorũ neceſſitatibus ſubuenit; ſed multùm etiam proficit ad Dei gloriã, ad commendationem legis euangelicę, ad incremẽtum gratiæ Dei in vobis, charitatis, liberalitatis & bonitatis veſtræ, gratique animi ſanctorum pauperũ erga vos, optantiũ, & impetrantium vobis à Deo bona multò præſtantiora. Gratias Deo pro inenarrabili dono eius.

Capite decimo contra Pſeudoapoſtolos, & obtrectatorés defendit miniſterium ſuum, dicens p:

p cap. 10. v. 1. &c. Sed, vt à pauperibus veniam ad meipsũ, ego Paulus obſecro vos per mãſuetudiné & modeſtiã Chriſti, qui ſecundùm externã ſpecié humilis, & abiectus videor inter vos, quãdiu ſum præſens, abſens verò cõfidentior. Rogo, ne cogar præſens liberiùs vti poteſtate mea in quoſdã inobediẽtes, & contumaces male de me perſuaſos, quaſi humano ſenſu, & carnis prudẽtia regar. Intelligant hi arma militiæ noſtræ nõ eſſe huiuſmodi, ſed in Dei virtute firmiſſima, & validiſſima ad deſtruẽdas munitiones, artes, cõſilia, omnémque altitudiné extollenté ſe aduersùs ſcientiã Dei, & ad cuiuſuis ſapiẽtis huius mũdi quamlibet peruicacé intellectũ captiuandum in obſequiũ Chriſti. Paratus quoq; ſũ, vbi videro expleta à pleriſq; veſtrũ obediẽtia, rebelles aliquos mihi obſiſtere, non parcere illis, ſed ſeuerè vlciſci talé inobedienriã, & exercere eã poteſtaté, quã dedit mihi Dominus. Vt auté ab illis nó exiſtimer tantùm minari & terrere per epiſtolas, dum dicũt, Epiſtolas quidé meas eſſe acres, & minaces; præſentiã tamé corporis humilé, & ſermoné cõtemptibilé: intelligũt talé me in præſentia, ſi opus fuerit, exhibiturũ, qualis abſens in verbis eſſe ſoleo per Epiſtolas. Nõ comparo me cum iſtis, qui adeò ſibi placent, & arrogãt: metior meipſum iuxta regulã & menſurã à Deo collatam mihi extendendi Euangeliũ vſque ad vos: ſpero etiam, adiuuante exemplo fidei veſtræ, vlteriùs illud proferre. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur: non enim, qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt; ſed quem commendat Deus.

Pergit capite vndecimo aduersùs calũniatores tueri pro ſalute Corinthiorũ verum ſuum Apoſtolatum q: *q cap. 11. v. 1. &c.*

Vtinã, inquit, nõ ægre ferretis meã tantiſper, vt ita dicã, inſipientiam; ſed quæ cogor dicere, ęquo animo accipite: æmulor enim vos zelo nõ meę, ſed diuinę glorię. Nã ego quaſi paranymphus ſpiritualiũ nuptiarũ, deſpódi vos euãgelica prędicatione, ac Sacramẽtis vni viro Chriſto ſpõſo animarũ ſanctarũ, cui exhibere cupio Eccleſiam veſtrã nuptiali thalamo glorię ipſius, tanquã virginé fide integrã, & moribus incorruptã. Timeo auté, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua; ita Pſeudoapoſtoli vos decipiãt, & excidatis à ſynceritate fidei Chriſtianæ. Nã, ſi iſti melioré de Chriſto doctrinã, quàm à me accepiſtis, vobis traderẽt, & alia dona Spiritus ſancti cõferrẽt, vel meliùs Euãgeliũ, quã quod à me accepiſtis, exponerent, admitti deberẽt: exiſtimo tamen nihil minùs me feciſſe in hoc genere, quàm ij, qui veri ſunt Apoſtoli, & ſupra modũ excellẽtes ac eximij. Nã, etiamſi videor in ſermone imperitus; nõ tamé, vt aduertere potuiſtis, in diuina ſcientia, &

ſapientia. Sed fortè peccatũ meũ eſt, quia nimis fui humilis inter vos, Euãgeliũ prędicaui gratis, nulla prorſus à vobis admiſſa mercede, quã alij Pſeudoprçcones largã requirũt. Imò verò, cũ egerẽ, malui, vt Fratres, qui venerãt ex Macedonia, meis neceſſitatibus ſubuenirent, ne quẽquã veſtrũ vlla ratione prægrauarẽ. Poſſũ hoc ſãctè affirmare, quòd ſicut nihil à vobis pro ſũptu accepi, ita nec accipiã. At quare? Fortaſſis quia nõ diligo vos? Scit Deus, quãtoperè vos diligã: imò propterea, quia nõ veſtra, ſed vos diligo, id facio, & faciam, vt amputetur occaſio falſis Cõcionatoribus gloriãdi, ſe nobis eſſe in prędicatione pares, cũ tãtò inferiores inueniantur, non gratis, ſed turpis lucri gratia corruptũ Euangeliũ vẽditãtes: deceptores, & ſubdoli operarij, fingũt ſe tamẽ eſſe Apoſtolos Chriſti: & nõ eſt mirũ, ſi hoc faciant miniſtri Satanę, cũ etiã ipſe Satanas trãsfiguret ſe ad homines fallẽdos, in Angelũ lucis. Iterũ ecce cogor de me loqui, & cũ huiuſmodi arrogantibus quodãmodo deſipere: quos tamẽ vos multũ, ſcilicet, ſapiẽtes libẽter ſuffertis, & ſuſtinetis ab illis tãquã mãcipia tractari, expilari, cõtumeliis affici, in faciẽ propè cædi. Ad veſtrã hoc dico ignominiã, qui eos tam imperioſè, ac tyrannicè vobiſcũ agentes paſſi eſtis, & me veſtrũ Apoſtolũ nimis humilẽ, & abiectũ reputaſtis. Gloriãtur illi inſipiẽter ſe eſſe Hebręos, Iſraelitas, & de genere Abraham: ego quoq; ſum, & ſum Chriſti legitimus miniſter, in laboribus plurimis, in carceribus perſępè, in plagis ſupra quã credi poteſt, in vitæ periculis frequẽtiſſimis, à Iudęis quinquies grauiter flagellatus, ter virgis cęſus, ſemel lapidatus, ter naufragium paſſus diẽ, noctẽmque merſus egi in profundo: pericula ſũ expertus viatũ, pericula fluminum, pericula latronũ, alia ex gente mea, alia ex gentibus, ea falſis fratribus, in ciuitate, in ſolitudine, per labores, ærumnas, vigilias multas, famẽ, ſitim, ieiunia multa, frigora, nuditatẽ. Mitto curas quotidianas multiplices, quib. penè opprimor, & omniũ Eccleſiarũ ſollicitudinem. Quis affligitur, cui ego eiuſdẽ afflictionis particeps, nõ compatiar? quis ſcãdalizatur, & ego dolore nõ ardeo? Si me oporteat in aliquo gloriari, nõ niſi in huiuſmodi pro Chriſto afflictionibus gloriabor. Deus Pater Domini noſtri IESV Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula, ſcit, quòd nõ mẽtior: in talibus fui anguſtiis aliquãdo, vt per feneſtram in ſporta demitti ex mœnibus ciuitatis debuerim, vt capitis pericula deuitarẽ, dum vrbis Damaſci gubernator, Aretę Regis Pręfectus clauſis portis ciuitatis omnibus modis quæreret me comprehendere.

Narrat deinde capite decimo raptũ ad tertium cœlum, & humillimè excuſat laudationem ſuam, dicens [r]: *r Cap. 12. v. 1. &c.*

Gloriari mihi quidẽ nõ expedit; ſi tamẽ oporteat propter vos, veniã ad viſiones, & diuinas reuelationes. Scio Chriſti ſeruũ ante annos quatuordecim raptũ vſq; ad tertiũ cœlũ, & ibi in Paradiſo verba excepiſſe arcana, ineffabilia. An autẽ eſſet anima illius tũc à corpore ſoluta, nõ definio, Deus ſcit. Quãtũ ad me attinet, nõ gloriabor niſi de malis meis pro Chriſto toleratis: alia mitto, ne quis altè nimis de me ſẽtiat; & ne ipſemet extollar propter magnitudinẽ reuelationum, permiſit Deus Satanę, vt affligeret me ſtimulis carnis, & quaſi colaphizaret. Quod vt auerteret à me Deus, ſępiùs ſupplicaui: ſed dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nã virtus in aduerſis probatur, atq; perficitur. Libẽter itaq; gloriabor in infirmitatibus meis, vt inſit in me virtus Chriſti. Quapropter placeo mihi in huiuſmodi malis meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus,

tionibus,& anguſtiis pro Chriſto: cũ enim ſic affligor,euado fortior. Ecce coëgiſtis me deſipere circa meas laudes,qui à vobis cõmendari potiùs debuiſſẽ.Nam,etiamſi ex me nihil ſum; gratia tamẽ Dei nihil minùs fui ab Apoſtolis præſtantiſſimis,& ſigna mei Apoſtolatus ſatis apud vos declarata sũt in tolerantia tot aduerſitatũ,& in virtute plurimorũ miraculorum.Ecce tertia vice paratus ſum venire ad vos: nec ero vobis grauis;quia nõ debent filij parẽtibus theſaurizare;ſed parentes filiis. Vnde libẽtiſſimè omnia mea, ſanguinẽ quoque, & vitã expenderẽ, & ſuperimpenderẽ pro animabus veſtris, licèt valdè parum in dilectione mihi reſpondeatis. At dicunt fortaſſe vobis ſubdoli aduerſarij mei:eſto,non grauauerim ego vos,aſtutè id feci, & cũ dolo Titũ ſubmittendo.Sed,quanã in re Titus decepit vos?Nõne ipſe eodẽ prorſus ſpiritu ſynceriſſimo,iiſdẽq; rectiſſimis veſtigiis mecũ incedit?Nõ ſunt iſtæ excuſationes, fateor coram Deo,& vt Apoſtolus Chriſti loquor, quæ feci,propter ſalutẽ,& maius bonũ veſtrum feci. Sed valdè timeo,ne forte cũ venero, nõ quales volo,inueniã vos,& ego inueniar à vobis qualẽ nõ vultis;& cũ multo meo dolore inueniam adhuc inter vos cõtentiones, murmurationes,faſtus,arrogãtias,diſſenſiones, & multos,qui nondũ egerunt pœnitentiam de fornicatione, immunditia,& impudicitia ſua.

In poſtremo Epiſtolæ capite concludit hortãdo etiã incuſſo timore ad agendam pœnitentiam,dicens [a]: a cap. 13. v. 1. &c.

Ecce primùm fui apud vos,iterum me venturũ promiſi:ſed diſtuli venire,nũc tertiò promitto,& omninò veniã:in ore enim duorũ,vel triũ teſtiũ, ait Scriptura [a], ſtabit omne verbum. a Deut c. 19. v. 15. Prædixi preſẽs,& nũc prædico abſẽs, ac ſi præſẽs iis,qui peccauerũt,& cæteris omnibus:quoniã vbi venero, nõ parcã impœnitẽtibus. Vultiſne malo veſtro experiri,an audeã vti poteſtate,quã obtinui à Chriſto?Suſtinui hactenus;ſed & Chriſtus crucẽ pro nobis ſuſtinuit,qui modò viuit in virtute Dei,& nos viuemus in virtute ipſius. Videmini,ô Corinthij, infatuati à deceptoribus,nõ præceptoribus veſtris: tẽtate igitur voſmetipſos,an credatis Chriſtũ eſſe inter vos,qui per me tot miracula operatus ſit,& in vobis operatur:niſi fortè reprobi facti excidiſtis à fide:ſed ſpero, cognoſcetis,quia vos reprobi nõ eſtis, neque nos improbi, neq; gratia caremus, vel poteſtate,& efficacia virtutis Chriſti. Sed faxit Deus,vt nihil mali apud vos pœna dignũ inueniatur, & vt meæ poteſtatis, ac ſi nulla eſſet,effectus apud vos nullus exhibeatur:neque enim illa cõtra æquitatẽ vti poſsũ; ſed tantummodo pro iuſtitia.Et hos mallẽ,idque à Deo poſtulo,vt neceſſe nõ ſit oſtẽdere,me poteſtatẽ obtinere virtutis illius, quã dedit mihi Dominus in ædificationẽ, & nõ in deſtructionẽ.De cætero,Fratres,gaudete,perfecti eſtote,adhortamini,idẽ ſapite,pacẽ habete, & Deus auctor pacis, & dilectionis vobiſcum erit. Salutate inuicẽ in oſculo ſancto. Salutant vos omnes ſanctificati.Gratia Domini noſtri IESV Chriſti, & communicatio S. Spiritus ſit cum omnibus vobis Amen.

CAPVT X.

Tredecim dubia circa tredecim capita poſterioris epiſtolæ ad Corinthios.

OCcurrit primùm in capite primo circa illa verba multiplex dubitatio [a]:*Non enim volumus ignorare vos,fratres,de tribulatione noſtra,quæ facta eſt in Aſia* quænam fuerit hæc tribulatio. Deinde, cur addit: *Supra modum grauati ſumus, ſupra virtutem.* Nam hoc videtur eſſe contra illud ab ipſo Apoſtolo dictum in priori ad a 2. Cor. c. 1. v. 8.

 Corin

Corinthios Epiſtola: *Fidelis Deus, qui nō patietur vos tētari ſupra id, quod poteſtis.* Tertiò, eſt etiā difficile, quod ſequitur: *Ita vt taederet nos viuere.* nā S. Iacobus ait initio ſuæ Epiſtolæ: *Omne gaudiū exiſtimate, Fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis,* id eſt, tribulationes. Præterea auget difficultatem, quod ſubiungitur: *Sed ipſi in nobiſmet ipſis reſpōſum mortis accepimus.* videtur enim ſignificari oraculū diuinū, iuxta illud ſancti Simeonis [c]: *Reſpōſum acceperat à Spiritu ſancto, nō viſurū ſe mortē, niſi,* &c. at reſponſu à Paulo acceptū feſelliſſet illū, quia non eſt mortuus. Ad primā huius dubitationis partem Caietanus ait [d], nullibi in Scriptura fieri mentionē huius tribulationis à Paulo in Aſia toleratæ, niſi hoc loco. Sed meminiſſe oportet, Paulū, antequàm Epheſo diſcederet, quæ metropolis eſt Aſiæ minoris, ſcripſiſſe Corinthiis illa verba [e]: *Permanebo Epheſi vſque ad Pentecoſtē. oſtiū enim mihi apertū eſt magnū, & euidēs, & aduerſarij multi.* Et poſt hæc ſecuta eſt grauis illa ſeditio à Demetrio Argētario cōtra Paulum excitata, quam à S. Luca narratā [f] ſuo loco expoſuimus [g]. Ante hanc tribulationem alias ingētes calamitates Epheſi ſe paſſum ſignificat in eadem Epiſtola priori ad Corinthios, dicēs [h]: *Si, ſecundum hominē, ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt ſi mortui non reſurgunt?* Quod aliqui, ſicut anteà retulimus, ita intellexerunt, vt verè fuerit Paulus ad beſtias condēnatus, vt in theatro ab illis deuoraretur. Quod tamen minùs eſſe veriſimile, quidquid in apocrypha quadā Hiſtoria referatur, multis rationibus oſtendemus: intelligendas verò eſſe diximus per beſtias, homines feros & moribus præditos belluinis, vt benè inter alios intellexit Tertullianus, dicē [k]: *Depugnauit ad beſtias Paulus; illas, ſcilicet, beſtias Aſiaticæ preſſuræ, de qua in ſecūda ad eoſdem Corinthios ait: Nolumus vos ignorare de preſſura noſtra apud Aſiā.* Quod addit Apoſtolus: *Supra modū grauati ſumus, ſupra virtutē.* intelligitur ſupra vires naturæ, quas Deus adiuuat oblata gratia ſua, ideò dicitur fidelis: quia nō ſinit tētari ſupra id, quod poſſumus, præſtito, videlicet, auxilio ipſius. Vnde, quod ſequitur: *ita vt taederet nos viuere.* Similiter eſt accipiēdū de naturali mortalis vitæ infirmitate: nam etiam Chriſtus Dominus in extremo vitæ diſcrimine cœpit tædere, & pauere, vt ait Euangeliſta [l]: quamuis Græca Pauli verba ſic habeant: ὥστε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς καὶ τοῦ ζῆν, id eſt, ita vt de noſtra vita valdè dubitaremus, quaſi actū de me eſſet: idq; cū conſequentibus aptè cohæret: *Sed ipſi in nobiſmet ipſis reſpōſū mortis accepimus.* neque enim reſponſum dicitur fuiſſe Spiritus ſancti tanquā Simeonis oraculū; ſed ἀπόκριμα, quod aptè Photius criſim eſt interpretatus, cùm Medici ſigna propinquæ mortis in die, quam vocāt decretoriam, ex morbo lethali deprehendunt: quaſi diceret S. Paulus: Deſperata apparebat ſecundū humana conſilia ſalus & vita mea: vnde benè ſubdit, dicēs: *Et nō ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos.*

Quæritur ſecūdò, quid illud ſignificet, quod dicitur capite ſecundo [m]: *Ego quod donaui, ſi quid donaui propter vos in perſona Chriſti.* Reſpōdeo, loqui Apoſtolū de inceſtuoſo excōmunicato, qui deſtiterat à peccato, & magna ex parte pœnitentiā egerat: ideò cōcedit illi ad inſtātiā Corinthiorū plenariā indulgentiā. Neq; enim talis condonatio de remiſſione culpæ intelligi poteſt; tū, quia remiſſa per illius contritionē ſupponitur; tū, quòd abſolutio ſacramētalis addēda quidem fuit, ſed nō à Paulo, quia nō poteſt abſēti valide cōferri. Neque poteſt intelligi (quidquid

c Luca c. 2. v. 26.
d in c. 1 Ep. 2. ad Cor.
e 1. Cor. c. 16. v. 8.
f Act. c. 19. v. 24.
g lib. 8. cap. 11.
h 1. Cor. c. 15. v. 32.
k Tertul. lib. de resurr. carnis, c. 48
l Marci c. 14. v. 33.
m 2. Cor. c. 2. v. 10.

(quidquid aliquibus viſum fuerit) de remiſſione pœnę in foro externo per abſolutionē à cenſura; tum, quia hæc nō tollitur cōdonatione, ſed abſolutione; tū, quia de hac omnibus certò conſtitit fuiſſe in externo Eccleſiæ foro abſolutè collatam: cum tamen de ſua condonatione loquatur S. Paulus conditionate, dicens: *Ego quod donaui, ſi quid donaui.* quia effectus indulgētiarum propter requiſitas conditiones, quæ interdum fallunt, conſtare nobis certò non poſſet. Et præterea quia tanta fuit contritio, dolor, & pœnitentia illius excommunicati, vt fortaſſe ſuffecerit pro remiſſione non ſolùm culpæ, ſed etiā totius pœnæ. Alioquin Paulo non defuiſſe poteſtatē inferendi talem indulgentiam ipſe ſignificat, dicens: *Ego ſi quid donaui, in perſona Chriſti donaui.* Non defuit etiam iuſtiſſima cauſa, nimirum, pietas Corinthiorū id ab Apoſtolo rogantiū ob illius nimiùm afflicti pœnitentis conſolationem: *Si quid donaui* (inquit) *propter vos.* Tertiò denique pœnitens ipſe capax erat, benéque diſpoſitus, quippe qui iam in ſtatu gratiæ per contritionem inueniebatur, & bona ex parte, ſi non ex toto, pro temporali, quæ ſupererat, pœna ſatisfeciſſe videbatur. Quare hoc eſt vnum ex præcipuis teſtimoniis, quibus Indulgentiarum veritas, & antiquitas comprobatur.

Quæritur tertiò, quomodo ſit accipiendum, quod dicitur in capite tertiò [n]: *Litera occidit: ſpiritus autē viuificat.* Reſpondeo, aliis prætermiſſis, illam expoſitionem eſſe optimam S. Auguſtini [o] in libro de ſpiritu, & litera, & alibi: per literam ſignificari nuda verba legis abſque ſpiritu; per ſpiritum verò gratiam viuificantem, qua præceptū ipſum impletur, qualis ſpiritus in ea lege non erat, ſicut nec illa Sacramenta, nec ſacrificia gratiam ex opere operato conferebant, vt habetur in lege euangelica. Ideò dixit S. Ioannes [p]: *Lex per Moyſem data eſt: gratia & veritas per* IESVM *Chriſtum facta eſt.* Præterea lex detegit peccatum, & ita reddit hominem minus excuſabilem, auget obligationem, & quodammodo etiam præuaricatricem concupiſcentiam, iuxta illud a Poeta dictum [q]:

Nitimur in vetitum ſemper, cupimúſque negata.

Significauit hoc ipſum S. Paulus ad Romanos ita ſcribens [r]: *Lex ſubintrauit, vt abundaret peccatum.* Idque magis explicans poſteà: *Peccatum* (inquit) *non cognoui, niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Nam*, inquit S. Auguſtinus [s], *vbi ſanctus non adiuuat Spiritus inſpirans pro concupiſcentia mala concupiſcentiam bonam, hoc eſt, charitatem diffundens in cordibus noſtris; profectò illa lex, quamuis bona, auget prohibendo deſiderium malum: ſicut aquæ impetus, ſi in eam partem non ceſſet influere, vehementior fit obice oppoſito, cuius molem vi euicerit, maiore cumulo præcipitatus violentiùs per prona prouoluitur.* Similia habet S. Hieronymus multis ea verba S. Pauli exponens in Epiſtola ad Algaſiam [t], vbi etiam addit benè à M. Tullio fuiſſe obſeruatū, propterea Solonem apud Athenienſes in legibus ſuis nihil de ſuppliciis parricidarum ſcribere voluiſſe; *Ne* (inquit) *tam prohibere, quam cōmmonere videretur.*

Quæritur quartò, quis ſit ille theſaurus, de quo dicitur capite quarto [u]: *Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* Reſpondeo, eſſe

n 2. Cor. c. 3. v. 6.
o S. Aug. l. de ſpir. & lit. c. 4. & 5. lib. cōtra aduerſ. legis & Propb. c. 1. ſer. 3. de verbis Apoſt. c. 10.
p Ioan. c. 1. v. 17.
q Ouid. l. [illegible] am. elcg. 4.
r Rom. c. 5. v. 20. & c. 7. v. 7.
s lib. de ſpir. & lit. c. 4.
t Hieron. ep. 51. ad Algaſ. q. 8.
u 2. Cor. c. 4. v. 7. Matth. c. 13. v. 44.

lucem Euangelij productiuã caloris charitatis,& ardoris gratiæ,& amicitiæ Dei,qua nihil pretioſius:eſt enim hęreditas regni cœleſtis:vnde in Euãgelio appellatur regnum cœlorum, & theſaurus abſconditus:*Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito* Ita colligitur ex Apoſtoli verbis antecedentibus, & conſequentibus, quibus ait, ſe diuinitùs illuminatum ad alios illuminandos,& hoc lumen haberi in vaſis fictilibus,Græci ὀστρακίνοις,id eſt, teſtaceis,nẽpe,lutei,& fragilis noſtri corporis : ſicut etiam in Pſalmo dici-
x Pſ.102. v. 14. tur x : *Ipſe nouit figmentum noſtrum, recordatus eſt , quoniam puluis ſumus.*
Chryſoſt. hom. 6. in 1. ad Timoth. Vnde S.Chryſoſtomus : *Sicut*,inquit, *fictile vas nihil eſt aliud niſi lutum coctum : ita & corpus noſtrum nihil aliud eſt,quàm lutum animæ calore ſolidatũ.*

Quæſitum quintum eſt circa prima illa verba capitis quinti y: *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur,quòd ædificationem ex Deo habemus,domum non manufactam æternam in cœlis.* Nam etiam habitatio cœleſtis dicitur manufacta in Pſalmo z : *Opera manuum tuarum ſunt cœli.* Et in alio Pſalmo a: *Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum.* Reſpondeo,velle Apoſtolum reddere rationem,vt denotat particula,*enim*,cùm ait : *Scimus enim.* eius,quod in capite ſuperiori dicebat, & ſuprà nos exponebamus , nempe, lumen euangelicæ prædicationis circunferri ab Apoſtolis,& ab aliis hominibus apoſtolicis in vaſis teſtaceis fragilis corporis,& mortalis. Neque tamen propterea parcendum ſibi in laboribus . & miniſterio prædicationis ; quia,etiamſi atteratur corpus,& quaſi vas fictile conteratur, non propterea incluſus theſaurus perditur, ſed magis augetur, dum lumẽ probatæ virtutis amplius eluceſcit , & melius communicatur : *Propter quod*,inquit S. Paulus b , *non deficimus ; ſed licet is,qui foris eſt,noſter homo corrumpatur : tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem.* Et plura in eandem ſententiam , in qua perſiſtens ſic incipit capite ſequenti : *Scimus enim, quonia ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur* , quam ſupra appellauit hominem externum , & vas teſtaceum , *quòd ædificationem ex Deo habemus non manufactam æternam in cœlis.* id eſt, corpus non ampliùs fragile, & caducum , vt ſunt vaſa figuli,manufacta, vel terrena ædificia; ſed glorioſum , & dotibus beatæ immortalitatis donatum : & tale corpus,ſubdit,cupere nos tanquam præſtantiorem habitationẽ ſuperinduere. *Ingemiſcimus* (inquit) *habitationem noſtram, quæ de cœlis eſt,ſuperindui cupientes , grauati in hoc tabernaculo , eò quòd nolumus expoliari , ſed ſuperueſtiri,vt abſorbeatur, quod mortale eſt a vita.* Itaque,cùm corpus Beati negatur eſſe domus manufacta , intelligitur manu hominis ,qua non fiunt opera niſi corruptibilia : cùm verò cœli dicuntur opera manuũ,& digitorũ Dei, ſignificãtur facti arte,& omnipotẽtia Dei,qui facit mirabilia magna ſolus.

y 2.Cor. c.5. v. 16.

z Pſ.101. v.26.

a Pſal.8. v.4.

b 2.Cor. c.5.v.16.

Quæritur ſextò , quænam gratia intelligatur ſignificata primis illis verbis capitis ſexti c : *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* c 2.Cor. c.6.v.1. Reſpondeo , quadruplicem gratiam ſignificari : primum, gratiam redemptionis:nam ſubditur : *Ecce nunc dies ſalutis* , id eſt , noſtræ per Chriſtum redemptionis. Secundò,nomine gratiæ poſſe intelligi quodcunque bonum cuicunque a Deo conceſſum ad ſuam & aliorum ſalutem procurandam : vnde ait : *In omnibus exhibeamus noſmetipſos , ſicut Dei miniſtros.* Tertiò, ſignificatur gratia habitualis,

quæ

quæ niſi ad actum reducatur, videtur quaſi otioſa, & ſopita: ideò dicebat Timotheo S. Paulus [d]: *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te.* Quartò, ſignificatur gratia actualis ad bona opera nos excitans, & compellens, cui conſentientes cooperari debemus, alioquin reſiſtendo in vacuum eam accipimus. Omnibus igitur quatuor prædictis modis reſpondendũ gratiæ diuinę adhortatur Apoſtolus, præſertim gratiæ primi ordinis, & poſtremi, ſicut aliàs docuit exẽplo ſuo, vbi ait [c]: *Gratia Dei ſum id, quod ſum; & gratia eius in me vacua nõ fuit; ſed abundantiùs illis omnibus laboraui: non ego autẽ, ſed gratia Dei mecũ.*

d 2. Tim. c. 1. v. 6.

c 1. Cor. c. 15. v. 10.

Quæritur ſeptimò circa ſeptimum caput, quomodo ſit accipiendum, quod ibi dicitur [d]: *Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortem operatur.* Reſpondeo, triſtitiam ſecundùm Deum eſſe illam, quæ prouenit ex carentia, vel amiſſione boni ſecundùm Deum, quod potiſſimum fit ex peccato: triſtitia verò ſæculi eſt, quæ ſuſcipitur ex amiſſione boni ſæcularis, nempe, temporalis, ſiue mundani. Hæc triſtitia ſæcularis dicitur operari mortem, quod tam de morte corporis, quàm animæ poteſt intelligi: incitat enim homines ad peccata, dum mundanis ſolatiis, diuitiis, honoribus, amicitiis carere non ſuſtinet; & nimio illo mœrore corpus ſimul cum animo vitiat, & corrumpit. Vnde dixit Eccleſiaſtes [e]: *Multos occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in ea.* quod de triſtitia ſæculi eſt intelligendum: at verò quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, nempe, contritio, quæ Deum reſpicit offenſum, gratiam eius amiſſam, & præmium demeritum æternæ felicitatis, pœnitentiam operatur in ſalutem, id eſt, pœnæ ſalutarem ſuſceptionem, eámque non pœnitendam, ſiue, vt S. Auguſtinus legit, impœnitendam, quod Græcè, ἀμεταμέλητον, & ſtabilem vertit vulgatus Interpres, cuius alios multiplices bonos fructus exponit Apoſtolus in ſequentibus. Ex quibus colligit S. Ioannes Chryſoſtomus [f], triſtitiam propriam eſſe ſolius mali culpæ medicinam; & ſicut, qui adhibet medicinam; ſed non ad curandum malum, cuius eſt medicina, nihil proficit, imò ſæpè multùm ſibi nocet: ita qui triſtitiam pro alia re ſuſcipit, quàm pro peccatis, obeſſe ſibi magis ſolet, quàm prodeſſe.

d 1. Cor. c. 15. v. 10.

e Eccleſ. c. 3. v. 25.

f S. Chryſoſt. hom. 5. ad popul.

Quæritur octauò, ſenſus illorum verborum capitis octaui [g]: *Conſilium do vobis, qui non ſolùm facere; ſed & velle cœpiſtis ab anno priore.* Videtur enim præpoſterum dictum, & potiùs dicendum: qui non tantùm velle, ſed etiam facere cœpiſtis ab anno priore. Simile eſt, quod legitur infrà [h]: *Si voluntas prompta eſt ſecundùm id, quod habet, accepta eſt; non ſecundùm id, quod non habet:* videbatur enim potiùs dicẽdum: *Secundùm etiã id, quod non habet, accepta eſt.* nam voluntas, vt dicitur, pro facto reputatur, nempe, cùm per ipſam nõ ſtetit executio. Sed breuiter reſpondendum eſt, in operibus virtutis conſiderari actum externum tanquam materiale, & internum voluntatis tanquam formale, quod eſt in actione præcipuum, & quaſi vita honeſtæ operationis, vnde potiſſimũ valor, & meritum ipſius menſuratur. Itaque, cùm ait Apoſtolus, cœpiſſe Corinthios ab anno priori non tantùm facere eleemoſynas, ſed etiã velle, ſignificare vult, eos non quomodocunque incepiſſe: verùm ſponte, vltrò, & promptiſſima voluntate incepiſſe, quod plus eſt, quàm vtcunque eleemo

g 2. Cor. c. 8. v. 10.

h eodem c. 8. v. 12.

eleemoſynas tribuiſſe. Quia verò internæ voluntatis prōptitudo ac perfectio tanquam à ſigno colligitur ex effectu, ſi homo faciat, quantùm poteſt, ideò ſubdit Apoſtolus: *Si voluntas prompta eſt, ſecundùm id, quod habet, accepta eſt; non ſecundùm id, quod non habet:* id eſt, vt legit S. Cyprianus in Epiſtola ad Quirinum [i]: Si voluntas prompta eſt, ſecundùm quodcunque habuerit, accepta eſt; non ſecundùm quod non habuerit; nempe, ſi faciat, quod poteſt. Vnde Tobias dicebat filio ſuo [k]: *Quomodo potueris, ita eſto miſericors: ſi multùm tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.*

i Cypr. lib. 3. ep. ad Quirinum.

k Tob. c. 4. v. 8.

Quæritur nonò, quàm appoſitè ad inſtitutum proferatur in capite nono [l] illud Pſalmi dictum [m]: *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi?* Reſpondeo, teſtimonium eſſe accommodatiſſimum, & quidem in ſenſu literali maximè proprio: nam volebat Apoſtolus ſimilitudine ſeminantis oſtendere, illum, qui facit eleemoſynas, etiamſi ſpargendo ſuas opes, eas perdere videatur; tamen illas multiplicare, vt inde fiat opulentior, & aptior ad iterum tribuendum: ſicut ſeminans ſementem poſteà colligit, vnde opes augeat, vt iterum atque iterum ſemper valeat copioſiùs ſeminare. Atque hoc eſt planè, quod in Pſalmo Dauid affirmat, loquens de viro miſericordi, qui libenter tribuit eleemoſynas: *Gloria & diuitiæ in domo eius* quod poteſt intelligi de diuitiis, tum temporalibus, tum ſpiritualibus: & huius abundantiæ cauſam reddit inferiùs, dicēs: *Diſperſit, dedit pauperibus.* quaſi bonum ſemen ſpargens in terram bonam. *iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*; nempe, opus iuſtum coram Deo

l cap. 9. v. 9.

m Pſal. 111. v. 9

perſeuerat, remunerandum tum præſentibus, tum futuris bonis ſempiternis. Dicitur autem eleemoſyna iuſtitia, primò, quia optimè diſponit ad iuſtificationem. Vnde cuidam peccatori dicebat Daniel [n]: *Peccata tua eleemoſynis redime.* Secundò, ſi homo ſit iuſtus, auget ſibi gratiam iuſtificātem, & meretur tanquam ex iuſtitia augmentum gloriæ, cuius veluti ſemen eſt gratia, ideò addit S. Paulus [o]: *Multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.* Tertiò, quia miſericordia magnum eſt iuſtitiæ, & ſanctitatis argumentum: nam, vt eſt in ſacris Prouerbiis [p]: *Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas: viſcera autem impiorum crudelia.* Quartò, magnam partem iuſtitiæ generalis, quatenus ipſa eſt omnium complexio virtutum, obtinet miſericordia, ſiue eleemoſyna, quæ propterea in Euangelio nomine iuſtitiæ quaſi antonomaſticè appellatur [q]: *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, id eſt, eleemoſynam. Quintò, faciens libenter eleemoſynam propter Deum, oſtendit ſe proximum perfectè diligere, & eò magis Deum: *Plenitudo autem legis eſt dilectio*, vt ait Apoſtolus [r]: & in hoc omnis iuſtitia noſtra conſiſtit, vt Deum & proximum perfectè diligamus. Sextò denique omittendum nō eſt, quòd ſæpè ſancti Patres ita loquuntur de obligatione diuitum dandi pauperibus eleemoſynas, vt eam æquare delicto iuſtitiæ videantur: quod etiam hic inſinuat S. Paulus, dicens: *Veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, vt fiat æqualitas. Non enim* (inquit Chryſoſtomus [s]) *ad hoc accepiſti, vt in deliciis abſumeres; ſed vt eleemoſynam erogares. Nunquid enim tua poſſides? res pauperum tibi ſunt creditæ,*

n Dan. c. 4. v. 24.

o 2. Cor. c. 9. v. 10.

p Prou. c. 12. v. 10.

q Matt. c. 6. v. 1.

r Rom. c. 13. v. 9.

s Chryſ. hom 14. ad pop.

ſiue

ſiue ex laboribus iuſtis, ſiue ex paterna hereditate poſſideas. S.Baſilius [t]: *At tu,* inquit, *nónne ſpoliator es, qui quæ diſpenſanda accepiſti, propria reputas? eſt panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclaui conſeruas; diſcalceati calceus, qui apud te marceſcit,* &c. *Nec minus eſt criminis* (inquit Ambroſius [u]) *habenti tollere, quàm cùm poſſis, & abũdes, indigentibus denegare.* S.Hieronymus [x]: *Aliena rapere conuincitur, qui vltra neceſſaria retinere probatur.* S. Auguſtinus [y]: *Superflua diuiti, neceſſaria ſunt pauperi; aliena retinet, qui iſta retinet.* Denique S.Bernardus [z]: *Noſtrum eſt, pauperes clamant, quod effunditis: nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis.* Sed hæc intelligẽda ſunt de obligatione ſimili, non eadem prorſus cum iuſtitia: vt nouerint diuites immiſericordes, ſe tanquam iniuſtos poſſeſſores diuitiarũ, eſſe in extremo Iudicio condemnandos.

Quæritur decimò, cur vtatur Apoſtolus in capite decimo illa obteſtatione [a]: *Ego Paulus obſecro vos per mãſuetudinem, & modeſtiam Chriſti.* Reſpõdeo, vult docere Corinthios in eo, quod ipſe ab aduerſariis notabatur tanquam in externa ſpecie nimis ſe humilem, & abiectũ exhiberet, imitari ſe Chriſtum Dominum, qui dicebat [b]: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* ideò interponit illam obſecrationem, *per manſuetudinem, & modeſtiã Chriſti.* Græcè, διὰ τῆς πρᾳότητος, καὶ ἐπιεικείας, per mititatem, & lenitatem Chriſti. Vt etiam hac ratione ſuaderet Corinthiis, ne illum adigerent aliam induere perſonam ſeueriorem contra quoſdam eorum rebelles, & contumaces.

Quæritur circa vndecimũ caput, vbi multa recẽſẽtur à Paulo tolerata, quæ nec S.Lucas, nec alia narrat Hiſtoria, quid inter cætera fuerit illud poſt tria naufragia cõmemorata [c]: *Nocte & die in profundo maris fui.* Refert Beda [d] ex Theodoro, profundũ maris fuiſſe appellatũ carcerem Cyzicenũ omnium teterrimũ: qui eò quòd eſſet deorſum demiſſiſſimus, & obſcuriſſimus, profundũ maris dicebatur, illi ſimilis, qui erat Athenis famoſiſſimus carcer, Barathrum appellatus, vel qui Syracuſis Latomię, & qui Romę Tullianum dictus eſt. Nec ſibi diſplicere hãc interpretationẽ ait Baronius [e]: nã; etiãſi neq; in Actis apoſtolicis, neque in Pauli Epiſtolis habeatur Cyzici aliquãdo Apoſtolũ fuiſſe; tamen cùm conſtet, illũ veniſſe Troadẽ, facilè credi poſſe vſq; Cyzicũ nõ procul ſitã à Propontide perueniſſe, cùm eſſet ea ciuitas vna ex præcipuis totius Aſiæ minoris: idque fortaſſe cõprehendere voluiſſe nomine preſſuræ, & tribulationis grauiſſimæ, quam initio huius Epiſtolæ [f] refert ſe in Aſia ſuſtinuiſſe. Similis huic opinioni eſt altera quorundã apud Theophylactũ [g], dicentiũ nomine profundi, in quo ſe fuiſſe per noctẽ, & diẽ Paulus aſſeruit, ſignificatum puteũ, cui à profunditate nomen erat Bythus, in quo Paulus latuerit, poſteaquàm Lyſtris lapidatus, vix à periculo ſe ſubduxit, vt ſequenti die cũ Barnaba in Derben proficiſceretur, ſicut ex Actorum capite decimoquarto narrauimus ſuo loco [h]. Et fauet nõnihil huic opinioni, quòd Græcè nõ dicatur, *in profundo maris*; ſed tantùm ἐν βυθῷ, in profundo: quare, ſi alterutra ex his opinionibus eſſet admittẽda, hæc magis ad ſpeciẽ, & veriſimilitudinẽ accedere videretur. Nã, quod dicitur de carcere Cyziceno, ſatis anteà fecerat Apoſtolus carcerum mentionẽ, dicens: *In carceribus abundanter.* ideò nõ erat iterũ poſt tot verba idipſum inſerendũ. Deinde, quia addendo ſe nocte ac die fuiſſe in profundo, nõ augeret, ſed minueret inflictũ malũ: neque enim magna res eſt,

t S. Baſil. hom. in illud, Deſtruã horrea mea.
u S. Ambr. ſerm. 81.
x S. Hier. in Reg. Monach. cap. de paupertate. & refertur d. 42. c. Hoſpitale.
y S. Aug. in Pſal. 147.
z S. Bern. ep. 42. ad Henric.
a cap 10. v. 1.
b Matth. cap. 11. v. 29.
c cap. 11. v. 25.
d Beda lib. quæſt. q. 3. sit. 8.
e Baron. an. 58.
f 2. Cor. c. 1. v. 8.
g Theophyl. in cap. 11. 2. Cor.
h lib. 4. cap. 8.

per diem ac noctē in carcere manere, cùm cōmuniter diutius in eo homines detineantur. Prætereà, verba ipſa antecedentia ſequentibus ita connexa, cùm dicitur: *Ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui.* ſatis perſuadent profundum maris propriè intelligendum, in quod propter naufragium delatus ſit, ſicut omninò Eccleſia videtur intellexiſſe, cùm in oratione quadā ſic ait: *Deus, cuius dextra B. Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit; & Coapoſtolū eius Paulum tertiò naufragantem de profundo pelagi liberauit.* Et quidem verba Græca ſic habent, τρὶς ἐναυάγησα, νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα, id eſt, ter naufragaui, noctiduum in profundo fui. Vbi primùm obſeruare licet vulgatum Interpretē expreſſiſſe profundū addendo maris, quia de caſu ex naufragio ſubſequuto agebatur. Vtrum autem Paulus periculum tantùm adierit ſubmerſionis per altum ſæua tempeſtate iactatus, ſicut Poëta de Ænea dixit [i]:

[i] *Æneid. lib. 1.*

Multùm ille & terris iactatus, & alto.

an etiā fracta naui, fluctibus inuolutus natare debuerit; vtrunq; S. Chryſoſtomus proponens [k], magis approbat hoc ſecundū: *Dicunt* (inquit) *alij in medio mari, alij quod verius dictum videtur, ſupernataſſe: nam illud nec vt miraculum magnū, nec vt naufragio maius poſuiſſet, ſi ſolum in medio mari fuiſſet nauigans.* Vnde S. Anſelmus, in profundo exponit, in imo alueo maris, ibique diem, noctemque à Paulo peractam, & aquis ingenti miraculo non præfocatum, nec à piſcibus deuoratum; ſed inde viuum, quaſi alterū Ionam à Deo in littus eductum. Et hinc eſſe ſanctorum Patrū traditionē Haymo dixit, fortaſſe propter Eccleſiæ modum illum loquendi: *Deus Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit; & Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberauit.* Id enim planè verba illa ſignificant, & duorum in Petro, & Paulo magnorum miraculorū collatio confirmat.

[k] *Chryſoſt. hom. 25. in 2. Cor.*

Quæri vltimò poteſt, quomodo verum ſit, quod capite duodecimo, & iterum decimotertio legitur [l]: *Ecce tertiò paratus ſum venire ad vos: & ecce tertio hoc venio ad vos.* Cùm tamen non conſtet, Paulum hactenus, niſi ſemel, fuiſſe Corinthi, dum ibi manſit per annum cum dimidio, fundans Eccleſiam Corinthiorum. Reſpondent aliqui [m]: quemadmodum teſtatus eſt Paulus, triennio ſe Epheſi manſiſſe, cùm tamen non ſemper ibi conſederit, ſed ad alias Aſiæ ciuitates prædicans Euangelium profectus ſit; deinde reuerſus triennium a ſuo aduentu ibidem expleuit: ita dum ſcribit Lucas [o], Paulum manſiſſe per annum & ſex menſes apud Corinthios, non eſſe intelligendum, quòd nunquam toto illo tempore inde receſſerit; ſed ad alias proximiores ciuitates aliquando migraſſe, atque inde redeuntem tempus anni vnius cum dimidio expleuiſſe. Hæc tamen coniectura ſi nimis incerta fortaſſis alicui videatur, ſenſum quem indicauimus in Paraphraſi debebit admittere: neque enim dixit Apoſtolus, ſe ter apud illos fuiſſe, quod eſſet aperte falſum; ſed paratum ire, id eſt, in animo habuiſſe, & promiſiſſe. Fuit autem apud Corinthios primùm manens vltra annum: ſecundò, ire, ſicut deſtinauerat, non potuit, propter impedimenta, & allatas in hac Epiſtola rationes: tertiò, iam ſe omninò iturum eſſe pollicetur. Id vt præſtiterit, ſequenti libro oſtendemus.

[l] *cap 12. v. 14. & c. 13. v. 1.*

[m] *Baron. an. 58.*

[o] *Act. 18. v. 11.*

LIBER

LIBER DECIMVS.

Ab Epiro Paulus venit in Græciam, tum in Macedoniam, inde nauigat in Syriam, quartò & poſtremò viſitat Ieroſolymam, vbi multa pro Chriſto patitur & operatur.

CAPVT I.

Nicopoli proficiſcitur Corinthum, vbi ſcribit epiſtolam ad Romanos: & de occaſione, argumento, ac ſtylo ſcriptionis.

PRomiſerat Beatus Apoſtolus ſe per hyemem Nicopoli futurũ Tito ſic ſcribens [a]: *Feſtina ad me venire Nicopolim: ibi enim ſtatui hyemare* Tranſacta ergo hyeme, cùm iam Titum, Lucam, & alios quoſdam fratres Corinthũ præmiſiſſet, & poſtremas ad Corinthios literas dediſſet aduentus ſui nuncias, primo vere itineri ſe commiſit. Conſilium ipſius fuerat via rectiori, ſi poſſet, in Syriam proficiſci, vt collectas eleemoſynas Sanctis Eccleſiæ Ieroſolymitanæ indigentibus, aut ipſe deferret, aut ab aliis fideliter perferendas curaret. Sed intellexit in eo itinere, ſiue Deo reuelante, ſiue hominibus de eius incolumitate ſollicitis id indicantibus, inſidias ſibi à Iudæis eſſe paratas, quas vt declinaret, viam aliam arripere compulſus fuit longioris tractus per Macedoniam retrocedendo. Narrat id paucis S. Lucas, cùm ait [b]: *Factæ ſunt illi inſidiæ à Iudæis nauiganti in Syriam: habuitque conſilium, vt reuerteretur per Macedoniã.* Propter eà verò ſtructas Paulo inſidias à Iudæis aliqui arbitrantur [c], quòd pecunias pro pauperibus collectas graſſatores, & viarũ obſeſſores eripere molirentur. Id tamen non videtur admodum veriſimile: nõ ſolùm enim Paulus hoc itinere pecunias huiuſmodi non circunferebat; ſed neque ſi eas eſſet ipſe ſecum laturus, conſtituerat: ſic enim datis ad Corinthios literis ſignificauerat, dicẽs [d]: *Vnuſquiſque veſtrûm apud ſe ſeponat recondens, quod ei benè placuerit, vt non cùm venero, tunc collectæ fiant; cùm autem præſens fuero, quos probaueritis per epiſtolã, hos mittam perferre gratiam veſtram in Ieruſalẽ. Quod ſi dignum fuerit, vt & ego eam, mecũ ibunt.* Itaque potiùs mittere per alios cogitabat, nec niſi per eos, quos ipſimet Corinthij, datis literis approbaſſent, & ad ſummũ vt comites ſecũ irent, ipſe permittere in animo habebat, adeò quãcunque ſordidę cupiditatis ſuſpicionem auerſabatur, præſertim apud Corinthios, inter quos nonnullos eſſe inuidos, & haud ita benè ſibi affectos optimè intelligebat. Hæc autem quæ in priori ad

a Tit. c. 3. v. 12.

b Act. c. 20. v. 3.

c Caiethanus in cap. 20. Act. & Hiſtor. eccleſ.

d 1. Cor. c. 16. v. 2 &c.

Corinthios Epiſtola ſcripſerat, cōfirmauit in ſecūda,dicēs[e],oportere illos ad ipſius aduētum habere tales eleemoſynas preparatas,ſicut ab anno ſuperiori habebāt paratas Eccleſię Macedoniæ, & Achaïæ. Nondum igitur pecunia pro pauperibus cōtributa expoſita latrociniis inueniebatur:niſi fortè hoc ipſum Iudæi illi ſola ſuſpicione permoti vana ſpe ad latrocinādū quomodocunq; ducebantur. Sed alia non deerant antiquiora, propter quæ non tā pecuniis,quàm vitę Pauli obſtinatiores Iudæorū vbiq; inſidiabātur:nō enim,quod ſępè alias obſeruauimus,ferre poterant inuidi, & in Chriſtianos capitali odio ſucceñſi, nouā Chriſti Eccleſiam tantos, opera potiſſimùm huius Apoſtoli,vbiq; terrarū habere ſucceſſus:Qui(ſicut ait S. Chryſoſtomus[f])*quātùm Sol terra percurrit proprios emittens radios, tantam ſollicitudinem,& curam habuit omnium Eccleſiarū.*Vnde Corinthiis dicebat[g]: *Inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum.*& Epheſiis[h]:*Vos ſcitis à prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tēpus fuerim,ſeruiens Deo cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidiis Iudæorum:quomodo nihil ſubterfugerim, teſtificans, Iudæis, atque Gentibus*, &c. Et quamuis non pauca etiam à Gentilibus ſit paſſus; quia tamen ferè non niſi a Iudæis excitati Gentiles id faciebant; deò inſidias potiſſimùm commemorat Iudæorum. Vnde etiam factum eſt, vt propter mutatas ſubinde,ad quotidiana pericula declinānda, itinerum huius Apoſtoli rationes, & longiſſimarum eius peregrinationum anfractus, non modica ex parte ignorare talia cogamur: vix enim S.Lucas ea, quibus ipſe non interfuit,& vidit, narrare in ſua ſacra Hiſtoria,niſi obiter interdum,& pauciſſimis verbis conſueuit. Hinc illa tria deſperatæ propemodum ſalutis Pauli naufragia, & vſque ad profundū maris demerſio ſuperiùs à nobis expoſita,qua nauigādi occaſione,quo tēpore,in quo mari acciderit,prorſus ignoramus. Nam, quòd aliqui coniecturam faciunt[i], vnum ex his naufragiis fuiſſe illud à S. Luca relatum Actorum capite vigeſimoſeptimo[k], quod circa Inſulam Melitam dicitur accidiſſe,& cui Lucas ipſe vnus tunc ex Pauli comitibus interfuit,à veritate proculdubio eſt alienū. Hoc enim Melitæ ſecutum quartum oportuit eſſe naufragium: cùm illa tria priora in Epiſtola ad Corinthios recenſeantur,quæ multò antè ſcripta eſt,quàm Paulus prope Inſulam Melitam cum Luca eundo Romam nauigaret. Sed neque adeò mirum videri debet,Paulum ante hoc tempus tot naufragia incurriſſe: ſiquidem non ventis magis, quàm aduerſis ſpiritibus circunfrementibus tot ſæpè maria repetebat, Ionium, Ægæum,Icariū,Creticum,Mediterraneū, Cyprium,Pamphilium,& Syriacum. Venit itaque Paulus hoc tempore Nicopoli Corinthum, ſicut poſtremò ad Corinthios ſcribens omninò ſpoponderat ſe facturum, & ibi Titum, Lucam, & alios, quos præmiſerat,fratres inuenit. Quanto ibi tempore commoratus ſit, haud poſſumus definire, niſi non fuiſſe menſium; ſed tamen aliquot hebdomadarum, aut pluriū dierum, ſiue Martij menſis, ſiue Aprilis. Cùm enim totam hyemem Nicopoli peregiſſet, ita vt primo vere Corinthum venerit, inde profectus eſt Philippos circa dies, vt ait S. Lucas[l], azymorum, id eſt, Paſchatis, feſtinans eſſe Ieroſolymis pro Pentecoſte: non potuit igitur Corinthi ſubſiſtere, niſi aliquot diebus menſis, vt diximus, Martij,

e 2. Cor. c. 9. v. 2. & 3.4.

f Chryſoſt. hom. 23. ad pop. Antioch.

g 2. Cor. c. 11. v. 28.

h Act. c. 20. v. 18. 19. 20.

i Commentarius S. Ambroſio adſcriptus in c. 11. 2. Cor.

k Act. c. 27. & 28.

l Act. c. 20. v. 6.

Martij, vel Aprilis. Tot autem fuiſſe dies videntur, quos ſufficerent ad conſolandos expectatiſſimo ſuo aduentu Corinthios, ad eos inſtruendos, nonnullos corrigendos, & præclaram ad Romanos epiſtolam conſcribendā. Verum quidem eſt, Gloſſam, quam vocant ordinariam, & quam S. Auguſtino tribuit S. Thomas [m], affirmare, Pauli Epiſtolam ad Romanos cœptā eſſe ſcribi ab Apoſtolo, dum eſſet Athenis, deinde Corinthi abſolutam, & inde miſſam: ſed hoc in S. Auguſtini Operibus non habemus; & vnde ſciuerint hi Auctores Paulum hoc tempore fuiſſe Athenis, minimè conſtat.

m S.Th. in proœ. ep.Rom.

Cæterùm Corinthi ſcriptam Epiſtolam ad Romanos Origenes non ſolùm directè affirmauit, ſed optimis etiam coniecturis probauit in procœmio ſuorum circa eam epiſtolam Commentariorum, ſic enim ait: *Videtur hanc Epiſtolam Paulus ſcripſiſſe ex Corintho: quod etiam aliis quidem pluribus indiciis demonſtrari poteſt; euidentiùs tamen ex eo, quod ipſe dicit* [n]*: Commendo vobis Phœben ſororem noſtram miniſtram Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchreis: Cenchreis autem dicitur Corintho vicinus, imò portus ipſius Corinthi. Idem patet ex eo quod ibi addit Paulus* [o]*: Salutat vos Caius hoſpes meus: de quo Caio ſcribit Corinthiis* [p]*: Gratias ago Deo meo, quia neminem veſtrûm baptizaui, niſi Criſpum & Caium. Simile quoque facit indicium, quod ibidem adiungit Paulus dicens* [q]*: Salutat vos Eraſtus arcarius ciuitatis: de quo Eraſto ſcribens ſecundam Epiſtolam ad Timotheum, ait* [r]*: Eraſtus remanſit Corinthi. Ex quibus omnibus certiſſimè colligi videntur indicia, quòd ex Corintho miſſa fuerit Epiſtola ad Romanos.* Hæc Origenes, quem alij communiter ſequuntur: vnde in

n Rom. c.16.v.1.
o ibid.v. 23.
p 1.Cor. c.1.v.14.
q Rom. c.16.v. 23.
r 2.Tim c.4.v.20.

Græca editione ad finem Epiſtolæ legimus ita ſubſcriptum: *Scripta eſt Corinthi, & miſſa per Phœben Diaconiſſā Cēchreis Eccleſiæ.* Quæ omnia ex verbis S.Pauli extremo capite illius Epiſtolæ poſitis facilè colliguntur. Quòd verò Phœbe Romā hoc tēpore proficiſceretur, ea ratio fuit, quia extincto iam Claudij Imperatoris morte edicto, quo tum Iudæi, tum Chriſtiani Roma pellebantur, facultas illis ſub nouo Neronis imperio reddebatur in vrbe, ſicut olim, commorandi: vnde non viri tantùm, ſed etiā graues matronæ, tum ex Palæſthina, tum ex aliis Aſiæ Eccleſiis Romam tāquam ad Eccleſiarum matrem à S. Petro fundatam & gubernatam proficiſcebantur. Hinc Aquila & Priſcilla Pauli hoſpites fideliſſimi, cùm, ſicut refert S.Lucas [s], propter edictū Claudij Roma diſceſſiſſent, & Corinthum veniſſent, quando primùm eò ſe contulit Apoſtolus, Claudio deinde mortuo, vbi Nero imperare cœpiſſet, iterum Corintho Romam ſe tranſtulerunt; ideò à S. Paulo hac Epiſtola ad Romanos Corintho nunc miſſa ſalutantur his verbis [t]: *Salutate Priſcam*, id eſt, Priſcillam, *& Aquilam, adiutores meos in Chriſto* I E S V, *qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt, quibus non ſolus ego gratias ago, ſed & cunctæ Eccleſiæ Gentium.* Talis matrona videtur fuiſſe Phœbe, quam S.Paulus Diaconiſſam Græcè appellauit, mandās ſuſcipi in Domino dignè Sanctis: *Etenim,* inquit, *ipſa quoque aſſitit multis, & mihi ipſi.* Et nonniſi, quæ tales eſſent, conſtitui Diaconiſſas Timotheo ſcripſit, dicens [u]: *Vidua eligatur non minùs ſexaginta annorum, in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educauit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lauit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtrauit, ſi omne opus*

s Act. c. 18.v.2.
t Rom. c. 16.v.3.
u 1.Tim. c.5.v.9.

bonum ſubſecuta eſt. Eiuſdem muneris cenſetur fuiſſe Maria illa, de qua ibidem ſubdit [x]: *Salutate Mariam, quæ multùm laborauit in Domino.* & Tryphæna cum Tryphoſa nobiles fœminæ Iconienſes à Paulo Iconij ad Chriſtianam fidem inductæ, vt narrauimus, cùm de aduentu Pauli Iconium ageremus; has enim Romæ nunc ſimiliter degentes ita mandat ſalutari: *Salutate Tryphenam, & Triphoſam, quæ laborant in Domino.*

x Rom. cap. 6. v. 6. & 12.

Magnam autem Iudæorum multitudinem eſſe Romæ ab annis ſuperioribus conſueuiſſe inde conſtat, quia pridem à tempore Machabæorum cum Romanis Iudæi ſolenne fœdus, & amicitiam iniuerunt, deinde Agrippæ Reges Iudæorum diu Romæ verſati duobus Imperatoribus Caïo & Claudio fuerunt familiariſſimi. Refert quoque Ioſephus [y], cùm ex Iudæa Romam veniſſent legati numero quinquaginta miſſi ad Cæſarem Auguſtum, præſtò illis fuiſſe Iudæorum, qui tunc Romæ habitabant, ampliùs octo millia. Erat autem in vrbe habitatio propria Iudæorum trans Tyberim, vt Philo teſtatur in eo libello, quem de ſua ad Caïum legatione conſcripſit: vnde in quodam epigrammate Martialis [z], Iudæum appellauit, ambulatorem tranſtyberinum. Horum bona pars Iudæorum, ſed adhuc maior Gentilium S. Petri prædicatione ac laboribus ad Chriſti fidem aggregatorum Romanam Eccleſiam illis ipſis primordiis florentiſſimam conſtituebat: vt propterea Paulus initio ſuæ ad eoſdem Romanos Epiſtolæ ſic ſcripſerit [a]: *Omnibus, qui ſunt Romæ, dilectis Dei, vocatis Sanctis, gratia vobis & pax à Deo noſtro, & Domino* IESV *Chriſto. Primùm quidem gratias ago Deo meo per* IESVM *Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.* Circa quæ verba ſic ait Chryſoſtomus [b]: *Non dixit Paulus, manifeſtatur, ſed* καταγγέλλεται, *annunciatur fides veſtra, planum faciens, quòd dictis nihil addendum, vel demendum eſſet. Angeli, ſeu nuncij, hoc eſt opus, ea ſola, quæ dicuntur, deferre, ob quod Sacerdos Angelus vocatur, quod non ſua ipſius, ſed ea tantū nunciat, quæ ab eo acceperit, à quo delegatur.* Et hanc Pauli de Romanorum fide ſententiam, ait S. Hieronymus [c], non tantùm ad illius æui Romanos, ſed etiam ad poſteros velut prophetiam pertinere. *Vnde*, inquit, *ad Romanos apoſtolico ore laudatos perfidia non habet acceſſum.* Et S. Cyprianus [d] laudans Romanorum ſui temporis in fide conſtantiā: *Claruit*, inquit, *fratres chariſſimi, fides, quam de vobis Apoſtolus prædicauit, & præconio futurorum merita veſtra conteſtans, dum parentes laudat, filios prouocabat.* Iam verò, quæ fuerit occaſio huius ad Romanos Epiſtolæ nunc ſcribendæ videndum eſt.

y Ioſeph. lib. 17. Antiq.

z lib. 1. epig. 35 ad Cacilium.

a Rom. c. 1. v. 7. 8.

b Chryſ. in c. 1. ep. ad Rom. hom. 3.

c S. Hier. l. 3. contra Ruffin. c. 4.

d S. Cyprian. ep. 57 ad Cornel.

Aberat Roma hoc tempore S. Petrus, eò quòd edicto Claudij pridem, hoc eſt, anno illius imperij nono ab vrbe cum aliis Iudæis expulſus, ad alias Eccleſias viſitandas, nouáſque fundandas peregrinabatur. Vt qui à Chriſto Domino Paſtor vniuerſalis totius Eccleſiæ fuerat conſtitutus, & iā plurimas orientis prouincias Euangeliū prædicando peragrauerat, quod reliquū eſſe videbatur, orbis occidentalis partes inuiſeret, vſque ad Britānos. Hoc itaque tempore putatur Petrus in Britānia fuiſſe, vbi ſatis diu cōmoratum eſſe, & gētes multas atque innominatas ad Chriſtum abſtraxiſſe teſtatur inter alios Metaphraſtes [e]. Interim Romæ grauiſſima, & periculoſiſſima orta eſt diſceptatio inter fideles Eccleſiæ Romanæ, tum ex iis, qui à Iudaïſmo; tum ex aliis, qu ex

e Metaphr. die 29. Iunij.

gentiliſmo cōuerſi fuerant, vtriſque gratiam Chriſti Redemptoris ſuę iuſtitiæ ac meritis pernicioſa arrogantia tribuentibus. Iactabāt Iudæi ſuorum maiorū ſanctitatem, legem ſibi per Moyſem à Deo datam in monte Sina magna gloria miraculorū, oracula Prophetarum, Meſſiam dicebāt ſibi promiſſum, & ex ipſis natum, nō ex gentibus verum Deum ignorantibus, & idola vaniſſima colentibus. Contrà verò Gentiles extollebāt ſuorum ſapientiam, humanas ſcientias, Philoſophiam, virtutes morales, multa fortiter ab illis in bello geſtaſſe quidem ex ignorantia peccaſſe; Iudæos autem ex malitia, & odio manifeſtæ veritatis, & quod maximè omniū eſt horrēdum, parricidas manus Chriſto Domino inieciſſe, eúmque atrociſſima nece interfeciſſe: quare prorſus indignos eſſe gratia ipſius. Hanc pernicioſiſſimam altercationē de medio tollere ſua Epiſtola Paulus voluit, cū pro ſua erga omnes Eccleſias ardentiſſimą charitate, tū præcipuè in Romanam, cui vitam ſuam deinceps, & extremū ſpiritum deuouerat, & conſecrauerat. Docet igitur in hac Epiſtola, vt breuiter adnotauit S. Auguſtinus in proœmio ſuæ inchoatæ expoſitionis in Epiſtolam ad Romanos, gratiam Chriſti iam ethnicis, quàm Iudæis non propter vlla eorum merita, vel bona opera, ſiue moralia, ſiue legalia præcedentia; ſed propter gratuitam Dei miſericordiam indifferēter omnibus eſſę oblatā, & ideò gratiam appellari: & hæc eſt præcipua in omnes agitata partes diſceptatio, ad quam aliæ non minùs difficiles controuerſiæ reuocantur. Poſſet autem Epiſtola tota diuidi in quinque partes: prima quinque primis capitibus continetur, in quibus arrogantia, tum Iudæorum, tum Gentilium ex eo cōprimitur; quia tam hi contra naturæ leges, quàm illi contra legem Moyſis grauiſſimè peccauerunt, ideóque indigere omnes gratia Redemptoris, & ex illa & fide in illum, non ex operibus naturæ, vel legis, iuſtitiā eſſe obtinendam. Secundò, inſtruit capite ſexto, & ſeptimo, qua ratione debeat vnuſquiſque in iuſtitia per Chriſtum obtenta magis proficere, vitiaque ſua & concupiſcentiam, quam lex acuit, reprimit gratia Chriſti, ſuperare. Tertiò, exponit multiplices fructus, quos habemus ex fide, iuſtitia, & gratia Chriſti, eóſque opponit operibus carnis toto capite octauo. Quartò, oſtēdit capite nono, decimo, & vndecimo, propterea Iudæos à iuſtitia eſſe reiectos, & admiſſas gentes, quia illi credere in Chriſtum arrogantes & obſtinati noluerunt, iſti voluerunt. Quintò, tranſit ad mores, & hortatur omnes Chriſtianos ad perfectionem vſque ad caput decimumſextum, quo claudit Epiſtolam multis ad diuerſos impertitis ſalutationibus.

Atque hæc in vniuerſum de tota Epiſtola, de qua illud poſtremo loco eſt addendum, ſicut omnes alias Pauli Epiſtolas hæc ſuperat materiæ dignitate, quæſtionum grauitate, & ſublimitate diſputationum, vt propterea primo loco meritò proponatur; ita etiam excedit in ſenſuū & intelligentiæ difficultate. Significauit id in ſua ſecunda Epiſtola S. Petrus[f], vbi hanc potiſſimùm deſignās Pauli Epiſtolam ad Romanos, ait: *Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus Epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Eſt autem huius tantæ difficultatis in Epiſtola ad Romanos cauſa triplex: prima, quam diximus rerum in quæſtione

[f] *Petri ep. 2. c. 3. v. 15.*

polita

poſitarum ſublimitas, & profunditas diſputationum: ſecunda, ſtylus actus impetu magis feruentiſſimi ſpiritus, quam humanæ eloquentiæ regulis, vel præceptis: vnde abundat Hebraïſmis, & ſubinde Græciſmis, videtur interdum oratio pati defectus, interdum redundantias. Tertia ratio & præcipua difficultatis eſt, ita efficaciter proſequi ſuum inſtitutum, vt videatur aliquãdo tranſgredi lineam veritatis, & errori contrario patrocinari. Vnde nulla alia diuina Scriptura tantoperè noſtri temporis Hæretici abutuntur ad errores ſuos fulciendos: iuxta id, quod hac ipſa de re monuerat S. Petrus. Nam, vbi Apoſtolus Paulus altiſſimum Dei conſilium de vocatione gentium, & reprobatione Iudæorum expendit, omnia referẽdo ad propoſitum diuinæ voluntatis mouentis homines ad bonum, vel in malo pro ſuo beneplacito relinquentis, videtur tollere humani arbitrij libertatem: & cùm aduersùs perfidos, & nimiùm incredulos Iudæos Chriſti fidem ſupra modum extollit, & opera, obſeruationéſque Iudaïcæ legis extenuat, videtur iuſtificationem noſtram ſoli fidei ſine bonis operibus adſcribere voluiſſe. Vnde fuiſſe adductos alios Apoſtolos, Petrum, Ioannem, & Iacobum, ait S. Auguſtinus in eo libro, quem ſcripſit de fide & operibus [g], vt ſuas Epiſtolas poſteà ſcriberent, quibus charitatem, & bona opera plurimùm commendarent: atque adeò illos redarguerent, qui ex Pauli verbis in hac Epiſtola peruersè interpretatis ſolam fidem ſine bonis operibus ad iuſtitiam & ſalutem ſufficere intulerunt. Hos Hæretici recentiores, vt magis in ſequentibu. extendemus, ſtudio pertinaciſſimo & pernicioſiſſimo imitantur. Sed & Eraſmus in proœmio ſuæ Paraphraſis huius Epiſtolæ ad Romanos, hanc ſciuit abſque aliqua maledicentia commendare, dum proferens ſuum de ipſa iudicium ait: *Vtilitatem epiſtolæ ad Romanos æquat, ac penè ſuperat difficultas.* At non ita S. Auguſtinus in libro de ſpiritu & litera, loquens de eadem ad Romanos epiſtola [h]: *Fatigat quidẽ*, inquit, *legentis intentionem, ſed tamen fatigatione vtili, ac ſalubri: vt interioris hominis magis exerceat membra, quàm frangat.* Et reddens alibi [i] rationem, cur Spiritus ſanctus, qui auctor eſt diuinarum Scripturarum, tales in illis admittat difficultates, ſic ſcribit: *Hoc totum diuinitùs prouiſum eſſe non dubito, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facilè inueſtigata plerunque vileſcunt.* Sed iam ſenſa totius Epiſtolæ ea, qua poſſumus, facilitate ac perſpicuitate, proponamus.

[g] *S. Aug. lib. de fide & oper. c. 14.*

[h] *S. Auguſt. lib. de ſpir. & lit. c. 7. tom. 3.*

[i] *idem in lib. 2. de doctrina Chriſtiana, c. 6. tom. 3.*

CAPVT II.

Quæ in Epiſtola ad Romanos continentur breui paraphraſi explanata.

CONtinet caput primum fidei & gratiæ Chriſti commendationem, & in quantas mentis tenebras, ac horrenda ſcelera illius defectu homines ſint prolapſi, aggreditur demonſtrare, dicens [a]:

[a] *Rom. c. 1. v. 1. &c.*

Paulus ſeruus Chriſti IESV, eiuſque propria vocatione Apoſtolus, electus ad prædicãdum Euangelium Dei, quod anteà multis Prophetarum vaticiniis erat pollicitus in Scripturis ſanctis de Filio ſuo, qui factus eſt ei ſecũdùm humanam naturam ex progenie Dauid, & ab æterno prædeſtinatus, vt qui ſecundùm carnem futurus

turus eius filius Dauid, idem ſecundùm hypoſtaſim eſſet vnigenitus Filius Dei, cum diuina virtute, ac poteſtate S. Spiritus, à quo totū opus admirandæ huius hypoſtaticæ vnionis eſt perfectum, & ita ſanctificatum, vt inde omnes homines poſſent ſanctificari, & à mortuis aliquando ſuſcitari, ſicut ipſe eſt ſuſcitatus Dominus Chriſtus IESVS, per quē accepimus gratiam, & munus apoſtolicæ dignitatis, ad fidem ipſius pro eius gloria propagandam in omnibus gentibus: inter quas vobis potiſſimùm contigit omnibus, qui eſtis Romæ, dilectis Dei beata ſots tam eximię vocationis ad fidem & ſanctimoniam Chriſtianam. Gratia vobis & pax à Deo noſtro, & Domino IESV Chriſto. Primùm quidem gratias ago Deo meo pro omnibus vobis: quia fama excellentis fidei veſtræ latiùs funditur, quàm Romanorum in orbe terrarum imperium: & Deus eſt mihi teſtis, cui toto corde meo, & ex intimo animi ſenſu deſeruio in Euāgelio Filij eius, perpetuam me veſtri memoriam gerere ſemper ſine omiſſione in orationibus meis, obſecrans Deum, vt iuxta eius voluntatem poſſim tandem aliquando ad vos peruenire. Valdè enim deſidero videre vos, vt aliquid gratiæ ſpiritualis impertiar, & conſolationē ex mutua fidei noſtræ communicatione capiamus. Scire autem debetis, fratres, ſæpè me ad vos venire conſtituiſſe, vt aliquos ex vobis laborum meorum fructus perciperem, ſicut ex aliis gentibus; ſed hactenus ſemper fui aliquo impedimento prohibitus. Agnoſco me Græcis, & Barbaris, ſapientibus, & inſipiētibus in hac parte debitorem. Itaque, quod ad me attinet, adeſt promptitudo animi mei vobis, qui Romæ eſtis euangelizare: neque enim Euāgelij me pudet, cùm ſciam inſitam illi eſſe diuinam virtutem ad ſaluandos omnes credentes, Iudæos primùm, deinde etiam Gentiles. In eo ſiquidem reuelatur gratia ſanctificationis, quæ per fidem in dies creſcentem inchoatur, augeſcit, atque ad conſummatam perfectionem adducitur, ſicut ſcriptum legimus in Propheta[b]; iuſtus autem ex fide viuit. *b Habacuc c. 2. v. 4.* Reuelatur quoque ex aduerſo magna ira Dei in omnes impios, & iniquos, qui diuinas veritates obſcurare, & contra dictamina rectæ rationis iniuſtiſſimè opprimere voluerūt. Quod enim naturaliter de Deo eſt cognoſcibile, fuit illis ex diuina prouidentia manifeſtum. Nam eſſe Dei, ſempiterna quoque eius virtus, potētia, & alia quamuis non ſubiecta ſenſibus attributa, à mundi creatione, conſeruatione, & gubernatione intelligere potuerunt. Adeò vt dignam nō habeant excuſationem: quia, cùm Deum cognouerint; non tamen vt Deum coluerunt, neque gratias vllas pro tot, tantiſque beneficiis ei retulerunt; ſed in ſuis fictilibus ratiocinationibus obſcurato corde euanuerūt, & ſe pro ſapientibus vendicantes, inſipientes, ac planè ſtulti apparuerunt. Peruerterunt enim gloriam immortalis Dei in arte fabricata ſimulacra corruptibilis hominis, quin etiam beſtiarum quadrupedum, volucrum, atque ſerpentum. Quapropter meritò dimiſit eos Deus in deſideria cordis eorum, vt corpora ſua nefandis afficerent cōtumeliis, & tā viri, quàm feminæ præpoſtera inuicem libidine exardeſcerent: dignam errorum ſuorum mercedem in ſemetipſis recipientes, vt qui peruerſo naturæ ordine cum tanta ignominia Creatoris, eo relicto ad creaturæ cultum ſe conuerterunt, iuſto Dei iudicio permittetentur naturę ordinem pariter in actu generationis inuertere, ſéque ipſos pudendis hiſce operibus dedecorate, traditos in

reprobum ſenſum,vt omni replerentur iniquitate, flagitiis, auaritia, nequitia,inuidia,homicidio, contentione, dolo, malignitate: interim elati, ſuperbi,alienæ famæ detractores,malorum inuentores, parentibus inobedientes,inutiles,fœdifragi,inhumani, immiſericordes, Dei oſores, & Deo atque hominibus odibiles.Qui, cùm Dei iuſtitiam agnouiſſent, intelligere tamen noluerũt dignos morte eſſe illos,nõ ſolùm qui talia agũt;ſed etiã, qui conſentiunt ſimilia facientibus.

Satis hoc primo capite Gentilium elationem compreſſit Apoſtolus:iam ſecundo capite retundit ſuperbiam, & arrogantiam Iudæorum,dicens[c]:

c cap. 2. v. 1. &c.

Propterea vos, quicunque eſtis, ô Iudæi,qui ex lege Moſaica intelligere potuiſtis culparum tam enormium grauitatem, & huiuſmodi peccatis à Deo toties intẽtata ſupplicia cognouiſtis, quíque Gentes ob id iudicatis & condemnatis;& tamẽ eadem perpetratis, non magis excuſabiles, nec minùs rei eſtis,quàm Gentiles. Itáne Dei copioſam bonitatem contemnitis?nec tantam eius benignitatem attenditis, & quomodo ſua patientia velit,quantùm in ſe eſt, ad pœnitentiam omnes inducere:vos autem corde nimis duro, & impœnitẽti iuſtam Dei vltionem, quaſi theſaurum congregatis,ſi non anteà depromendum, certè in extremo vniuerſalis Iudicij die totum effundendum:quando reddet Deus vnicuique ſecundùm opera ſua,vel præmium æternum pro operibus bonis, vel perfidis & contumacibus non Iudæis minùs quàm Gentibus indignationem ſempiternam. Non eſt enim acceptor perſonarum Deus;ſed punit indifferẽter iuxta demerita quoſcunque delinquentes;ſiue Iudæos,qui legem Moſaicam habuerunt;ſiue Gentiles, qui ea caruerunt. Nam, etiamſi Ethnici ſcriptam Dei legem non receperint;habent tamen dictamina propriæ conſcientiæ, quæ dum in aliquibus ſequuntur,ſibi ipſis ſunt lex: cùm verò peccantes tranſgrediuntur, ſtatim accuſantur in interno mentis propriæ iudicio; ſed multò magis arguentur in extremo Iudicio vniuerſali, quando reuelabit Chriſtus Dominus occulta conſcientiarum,& omnes homines ſecundùm Euãgelium,quod prædico, iudicabit. Si ergo tu,Iudæe, gloriaris te eſſe Iudæum,legiſque peritum,& in doctrina legis acquieſcis, & tamen legem operibus non adimples, putáſne leuiùs,quàm Gentilis punieris? Qui te lucẽ profiteris eſſe cæcorũ,ducem errantium,magiſtrũ imperitorum; qui alios doces,& teipſum non doces;qui prædicas non furandũ,non mœchandum, idola abominanda, & furtum; adulterium, ſacrilegium ipſe cõmittis,& facis,vt nomẽ Dei in Gentibus blaſphemetur.Circuncíſio quidem,ſi legem adimpleas, bona tibi eſt,ſi autem præuaricator es legis, peior eris incircunciſo. Et contrà, ſi legẽ ſeruet incircunciſus, tanquã circunciſus reputabitur. Nõ enim,qui tantùm ſanguine Iudæus eſt, & in carne circũciſus:ſed,qui Iudæus eſt ſpiritu,nempe, qui purè veneratur Deum, adimplet legẽ eius,vitia reſecat,& prauas tollit animi paſſiones, hic eſt Deo charus; hæc eſt vera, & illi grata circuncíſio.

Concludit capite tertio tã Iudæos, quàm Gentiles eſſe ſub peccato, & egere gratia Dei,& exponit,in qua re melioris cõditionis ſint Iudæi,dicẽs[d]: *d c. 3. v. 1. &c.*

Nunquid igitur nulla prorſus in re præſtare Gẽtili hominem Iudæum exiſtimare debemus,aut nullam fuiſſe vtilitatem inſtitutæ à Deo circunciſionis? Nequaquam: negare enim non poſſumus,multa & magna fuiſſe conceſſa Iudæis priuilegia, & illud inprimis,vt veluti populo præ cæte-

ris

tis electo, & circunciſione diſtincto diuina oracula ſacrarũ Scripturarum concrederentur. Quòd ſi aliqui Iudæorum increduli perſtiterũt, & oraculis de Meſſia Saluatore tum adimpletis, tum aliis adimplendis fidem præbere noluerunt, nunquid eorum perfidia reddet Dei fidẽ inefficacem, aut irritas eius promiſſiones? Abſit: fallere, aut mentiri Deus nullo modo poteſt: hominis proprium illud vitium eſt: & aliter ſentire de iuſtiſſimo Deo nemo ſanæ mentis vnquam poterit. Vnde in Pſalmo dicitur[c]: Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cùm iudicaris. Nec dicat homo inſipiens, nouit Deus ex noſtris malis elicere bona, & ex noſtra incredulitate ac malitia facere, vt magis emineat eius gloria, benignitas, & munificentia: quid igitur peccatoribus indignatur? Abſit hoc: ſi enim hominis mendacia, & alia peccata per ſe cederent in gloriam, & commendationem veracitatis, fidelitatis, & beneficentiæ Dei, qui hominibus, licèt infidelibus, & ingratis, promiſſa ſua obſeruat; non ſolùm damnari & puniri peccatores à Deo non deberent, verùm etiam laudari pro peccatis, & præmio affici. Neque ego reprehendi deberem, quòd ſicut aliqui calumniantur, dixerim, facienda eſſe mala, vt inde veniant bona. Nihil tale dixi, & huius blaſphemiæ iuſta damnatio eſt. Vt igitur ad id, quod initio dicebamus, redeam, non eſt, quòd Iudæus extollat ſe ſupra Gentilem in ſuis meritis, cùm talia & tanta ſint vtrorunque demerita, qualia, & quanta dicebamus. Vnde illa teſtimonia ſæpè legimus in diuinis Scripturis de hominibus in vniuerſum[f]: quia non eſt iuſtus quiſquam, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt.

c *Pſ. 50. v. 6.*

f *Pſ. 13. v. 3.*

Non eſt, qui faciat bonum: non eſt vſque ad vnum. & alia ſimilia. Nec eſt, quòd ſe ab hoc numero eximat Iudæus: verba enim iam prolata ſacræ Scripturæ ſunt: hæc autem magis Iudæos alloquitur, quàm Gentiles: vt nemo audeat immunem à peccato ſe facere; ſed totus mundus agnoſcat ſe obnoxium condemnationi. Et quamuis opera Moſaïcæ legis expiare quodammodò exteriorem hominem videantur: tamen ſine fide & gratia Chriſti neminem interiùs mundant, vel à peccato iuſtificant. Per legem enim illam agnitio tantùm peccati obtinebatur: ſed ea iam ceſſante, gratia nos iuſtificantis Dei manifeſtatur, quæ olim teſtificata fuerat à lege, & à Prophetis. Hæc itaque diuina gratia nos iuſtificans per fidem I E S V Chriſti omnibus offertur, & ſuper omnes, qui per illius fidem ad Deum toto corde conuertuntur, effunditur. Omnes enim ſine diſtinctione peccatores ſunt, & indigent iuſtificante gratia Dei, ad gloriam ipſius, iuſtificandi omninò gratis per merita Chriſti Redemptoris, quem Deus Pater noſtrum eſſe conſtituit propitiatorem, & nos voluit fieri participes talis propitiationis per fidem, qua in ipſum credimus, & credentes ad veniæ ſpem erigimur, ad amorem excitamur, ad deteſtationem peccatorum: atque ita ad pronam iſtam toties per Chriſtum caput iuſtorum iuſtificationem diſponimur. Vbi eſt ergo, ô Iudæe, gloriatio tua? num in lege ſine Chriſti fide, aut in operibus legis ſine gratia Chriſti? minimè: ſed in operibus fidei per gratiam Chriſti, qui non eſt tantùm Iudæorum, verùm etiam Gentium, & omnium Saluator ac Deus. Neque propterea veterẽ

VVv 2 legem.

legem euangelica fide improbamus, quin potiùs firmamus, & præfigurata myſteria per legem, ac Prophetas, tanquam in Chriſto adimpleta, ratificamus.

Pergit capite quarto variis Teſtamenti veteris auctoritatibus confirmare, non per opera legis, vel naturæ; ſed per viuam Chriſti fidem homines iuſtificari, dicens [g]:

g cap. 4. v. 1. &c. Quam ergo iuſtitiam, fideíne, an operum legis dicemus Abraham inueniſſe? Certè ſi Abraham ex operibus legis, ſiue naturæ, ſecluſa fide, iuſtitiam aliquam eſt adeptus, paruam, & non niſi apud homines gloriã obtinuiſſet. At Scriptura dicit: [h] *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Cùm igitur, quod pro merito operum ex cõdigno datur, merces ſit, & non gratia: quod autem per fidem informem & auxiliantem gratiam obtinetur, non ſit merces, ſed gratia, ſicut Abrahæ: ita & nobis per fidem, & gratiam; non autem ex operibus naturali virtute exercitis contingit iuſtificatio. Eadem ratione Dauid illum beatum prædicat, cui Deus per gratiam ſuam, & non per merita propria operum ſuorum contulit iuſtificationem, dicens [i]: Beati, quibus à Deo condonatæ ſunt iniquitates, & quorum abolita ſunt peccata. Beatus vir, quẽ gratia ſua ſic Deus iuſtificauit, vt nihil habeat, quod illi ampliùs imputet pro peccato. Certè huiuſmodi beatitudo non magis eſt pro circunciſo, quam pro Gentili, & incircũciſo. Nam Abrahæ fides multùm illi contulit ad iuſtitiam, cùm ipſe nondum eſſet circunciſus, adeò vt circunciſionem poſteà acceperit tanquam ſigillum iuſtitiæ, quam anteà per fidem acceperat incircunciſus. Nimirum, vt eſſet pater omnium credentium, & qui eius fidem imitarentur, ſiue Iudæi & circunciſi, ſiue Gentiles, & nunquam circunciſi. Nõ enim per legem, neque per circunciſionem, ſed anteà facta fuit Abrahæ, & eius poſteritati de Saluatore mũdi promiſſio: non poteſt igitur noſtra ſalus, eiúſque promiſſio in lege, vel in operibus legis ſine fide ſubſiſtere. Præterquàm quòd lex ſine gratia & fide potiùs eſt occaſio præuaricationis, atque adeò cauſa diuinæ indignationis, quàm hæreditatis, iuſtitiæ, & benedictionis. Ideò igitur ex fide obtigit Abrahæ iuſtitia, vt omnes intelligeremus, quòd quemadmodum illi Deus per gratiam & liberalitatem ſuam promiſit ex eo naſciturum Saluatorem; ita ex gratia, non ex merito donari nobis ſalutem, remiſſionem, videlicet, peccatorũ, atque iuſtitiam. Illam nos Abrahæ fidem imitari debemus, propter quam conſtituit eum Deus patrem omnium credentium, eíque numeroſiſſimam progeniem non tam cognatione carnis, quàm ſpiritus repromiſit. Fuit enim fides illius excellentiſſima in re difficillima, & ſecundùm naturæ virtutem, humanáſque rationes deſperata; ſed Dei attendebat omnipotentiam, cui perinde eſt de mortuis, ac de viuis; & de iis, quæ non ſunt, ac de iis, quæ ſunt, facere, ac diſponere, ſicut voluerit. Nos quoque talem imitemur fidem, credendo in eũ, qui ſuſcitauit IESVM Chriſtum Dominum noſtrũ à morte, quam propter noſtra peccata in cruce ſuſtinuit, & reſurrexit, vt opus humanæ redemptionis expleret.

h Gen. 15. v. 6.

i Pſ. 31. v. 1. 2.

Capite quinto gratiam extollit noſtræ iuſtificationis, quam per fidem Chriſti, tanquam per primariam diſpoſitionem conſequimur, dicens: [k] k cap. 5. v. 1. &c.

Iuſtificati ergo ex fide pacem cum Deo iniuimus per Dominum noſtrũ IESVM Chriſtum, qui nobis viam aperuit per fidem ad iſtam gratiam,

in qua perſiſtimus, & gloriamur in expectatione ſperatæ beatitudinis filiis Dei præparatæ. Imò gloriamur etiam in tribulationibus, ſcientes tribulationes exercitamentum eſſe patientiæ; patientiam autem virtutis experimentum; experta verò virtus confirmat ſpem; quæ ſpes non confundit: eſt enim coniuncta charitati, quam per Spiritum ſanctum nobis cõmunicatum infudit Deus in cordibus noſtris, vt ipſum diligamus, & ab eo viciſſim, vt filij, diligamur. Si enim Chriſtus Dominus, dum iaceremus miſeri in peccatis, mortem pro nobis ſubire præſcripto tempore non recuſauit, multò magis iam filiis & hæredibus æternæ vitæ per gratiam conſtitutis promiſſa, quæ ſperamus, & poſtulamus, bona largietur. Vix enim inter homines inuenietur, qui pro alio quantumuis iuſto mori velit; niſi fortaſſe pro magno aliquo ſuo amico, & inſigni benefactore. At Dei erga nos charitas omnem hominum charitatem longè ſuperauit, ob quam Chriſtus pro nobis iniuſtis, inimicis, & malefactoribus mortuus eſt. Quare, ſi, cùm inimici eſſemus, recõciliati ſumus Deo per mortem filij eius; multò magis recõciliati ſalui erimus in vita ipſius. In his ergo gloriamur, & maximè quòd per Chriſtum Saluatorem noſtrum habemus Deum protectorem amicum, & patrem ſummè beneuolum. Nam, ſicut per vnum hominem Adamum, communem humani generis parentem, peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, quæ omnes inuadit, quia omnes in Adamo peccauerunt; ita per vnum hominem Chriſtum ingreſſa eſt iuſtitia in hunc mundum, & per iuſtitiã vita in omnes, qui in Chriſto ſpiritualiter per gratiam renaſcuntur. Antequàm enim legem Moſaïcam haberemus, ab ipſo mundi exordio filij Adam peccato inueniebantur obnoxij; ſed vix æſtimabatur, lege nondum manifeſtãte peccati turpitudinem. At verò mors, quæ peccatum ſequitur, regnans ab Adam, & nemini parcens, neque iis qui non peccauerint actu proprio ſicut Adã, vt ſunt infantes, ſatis oſtendit omnes fuiſſe cõtaminatos peccato Adæ, qui fuit typus oppoſitus Chriſto venturo. Non tamẽ ita nocuit Adami culpa, vt non multò magis profuerit donũ gratiæ Chriſti: Adam enim tranſmittit originale tantùm peccatum in poſteros: Chriſtus liberat non ſolùm ab originali, ſed etiam ab omnibus actualibus. Adam peccatum transfudit, quod intenſionem non recipit: Chriſtus gratiam effundit, quæ ſemper poteſt excreſcere. Et quamuis originali Adæ peccato plures inficiãtur, quàm ex Chriſto per gratiam renaſcantur; tamen gratiæ Chriſti ſufficientia ad omnes ſe extẽdit, non ſolùm qui ex Adamo generantur; verùm etiam ad alios quoſcunque vellet Deus in infinitum procreari ab Adamo non deſcendentes. Excedit igitur virtus obedientiæ Chriſti ad ſaluandum, delictum inobedientiæ Adæ ad perdendum. Et quamuis lex Moſaïca ſubintrauerit, vt diſſolutos hominum mores cohiberet, eóſque ad Chriſtum, qui perfectè ſanat, adduceret; tamen potiùs occaſio fuit grauiùs delinquendi. Poſteà verò quàm peccata in mundo, regnúmque peccati & mortis inualuit, Chriſtus Saluator cum gratia ſua copioſiſſima ſuperuenit, vt mortis & peccati regno deſtructo, iuſtitiæ, & æternæ vitæ regnum inſtauraret, ac longè latéque propagaret.

Hęc de iuſtificationis doctrina, cùm tradidiſſet Apoſtolus, pergit capite ſexto hortari ad ſtudium conſeruandæ,

l *Cap. 6. v. 1. &c.* dę, & augēdæ gratię ſpiritalis, dicēs[l]: Abſit autem, vt propter ea, quæ dixi, aliquis exiſtimet, peccatis addenda eſſe peccata, vel in iis eſſe permanendum, vt magis hinc abundet gratia Dei: qui enim receſſimus per gratiam à ſtatu peccati, viuere in eo ampliùs non debemus. An ignoratis, Fratres, quia, quicumque Baptiſmi Sacramento in virtute Chriſti baptizati ſumus, in ſimilitudinem mortis, & ſepulturæ ipſius baptizati ſumus? Trina enim noſtra merſio tres dies ſepulturæ Chriſti repræſentat, vt cum illo quaſi ſepulti, peccato, quod Baptiſmo abluitur, perfectè moriamur; vt, quemadmodum Chriſtus Dominus à mortuis reſurrexit ad vitam diuinitati eius conſentaneam, qualem decet Filium Dei pro gloria Patris; ita & nos in nouitate vitæ proficiamus: ſi enim tanquam ſurculi inſerti ſumus arbori vitæ Chriſto Domino, & cum ipſo per Baptiſmum peccato mortui, ſicut ipſe pro peccatis mori voluit in hyeme paſſionis, debemus etiam per virtutes reuireſcere, & refloreſcere, vt per myſticam animæ reſurrectionē, ad corporum veram reſurrectionem perueniamus, & flores immarceſſibiles, fructúſque beatæ immortalitatis ſemper Deo viuentes in Chriſto IESV referamus. Non ergo regnet in vobis peccatum, ita vt illi per conſenſum ſubiiciamini, eiúſque deſideriis & concupiſcentiis obediatis: neque ſinatis mēbra veſtra eſſe arma, vel inſtrumenta peccato deſeruientia; ſed iuſtitiæ ac Deo. Non habet peccatum modò ſuper vos dominiū, ſicut habuit, quando eratis ſub lege, quia nunc eſtis ſub gratia. Nemo verò dicat: Si non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia, peccandum. Abſit: liberati enim per gratiā à viliſſima ſeruitute peccati, ad honeſtiſſimā iuſtitiæ ſeruitutem tranſiuiſtis. Æquum igitur eſt, vt ſicut iniquitatis olim ſerui veſtras vires, facultatéſque naturales, ne quid à vobis ampliùs poſtulem, exhibuiſtis ſeruire iniquitati: ita nūc ſerui iuſtitiæ eaſdem vires exhibeatis ſeruire ſanctificationi: cuius fructus incorruptio, cuius finis æterna felicitas: peccati verò fructus nullus, niſi erubeſcentia & confuſio, quæ ſunt obſonia viliſſimæ voluptatis, cuius finis triplicata mors, animę, corporis, & æternæ damnationis: gratioſum autem Dei bonum, per Chriſtum IESVM vita ſempiterna.

Explicat deinde capite ſeptimo, quomodo ſit intelligendū, quod anteà toties dixit, nos nō eſſe ſub lege[m]. m *Cap. 7. v. 1. &c.*

An ignoratis, Fratres, (loquor enim cum peritis in lege,) legē homini non dominari, niſi dum viuit; ſicut vir vxori dominatur, quandiu viuit; poſt mortem verò ipſius, vxor ſoluta eſt à lege viri, ita vt poſſit, ſi placuerit, alteri nubere. Ita lex Moyſis ante Chriſtum imperioſè nobis dominabatur, ſeuerè minabatur, & infligebat pœnas: ſed iam vobis eſt mortua, & vos illi per Chriſti corporis immolationem, & perfectam noſtram redemptionem, vt ampliùs nō ſitis ſub terroribus antiquæ legis, ſed ſub gratia & lege amoris. Quare non ampliùs ex vobis opera mortis tanquā miſera ſoboles illius veteris matrimonij expectantur; ſed opera ſpiritus digna proles felicium in Chriſto nuptiarum. Neque volo propterea ſignificare antiquam legem malam extitiſſe, abſit; bona enim fuit, iuſta, & ſancta: ſed manifeſtando peccatum, illud prohibendo, & gratiā non conferendo, edocuit culpam, ſuſtulit ignorantiæ excuſationem, concupiſcentiam, quæ veluti per antiperiſtaſim nititur in vetitum, magis inflammauit: atque ita mandatum & lex,

quamuis

quãuis bona, & ad vitam, mihi propter concupiſcentias malas, intulit mortem. Experitur in ſe vnuſquiſque malas haſce concupiſcentias, tanquã carnis, veteriſque hominis legem ſpiritui & legi diuinæ aduerſariam. Vnde ſæpè quas nollem in me patior prauas propenſiones; & quod vellem bonum non perficio; ſed, ſi quod nolo malum, in me fit, illud nõ per me fit, hoc eſt, per deliberatam voluntatem & electionem meam; ſed ex peccati originalis in me contracti hæreditario malo. Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore iſto mortali? Gratia Dei per Chriſtũ IESVM. Interim, quidquid ſit de carne ſpiritui repugnante indeliberatis motibus ſenſualitatis, ego mente ſeruio, & ſeruiã Deo, eiúſque ſanctiſſimæ legi ſemper me cõformabo.

Explicata peccati miſeria, legis infirmitate, & morbo concupiſcentiæ, pergit exponere capite octauo virtutẽ, & efficaciã gratiæ Chriſti, dicẽs [m]:

m Cap. 8. v. 1. &c.

Nihil ergo damnabilis culpæ, quãuis motus concupiſcentiæ ſentiãtur, eſt in iis, qui Chriſto inſiti per gratiam, non conſentiunt: lex enim viuifica gratiæ Chriſti liberauit me à lege peccati & mortis. Vt quod ſolo mandato, vel ſimplici prohibitione veteris legis fieri non poterat, miſſo à Deo Filio ſuo in carne noſtra, ſimili carni peccatrici, perficeretur. Cùm enim Saluator innocentiſſimus quaſi peccator ingenti peccato fuiſſet occiſus, inſtè peccatum veluti dominio, quod in alios homines habebat, expoliauit, ſuáque morte gratiam nobis implendæ legis obtinuit, & prudentiam carnis, quæ mors eſt, prudentia ſpiritus ſuperandi, eiúſque concupiſcentiis reſiſtendi vim contulit. Ergo, Fratres, debitores ſumus non carni, vt ſecundùm carnem viuamus; ſic enim æterna morte moreremini: ſed ſecundùm ſpiritũ, quo facta carnis mortificando, in æternũ viuemus. Nã hoc eſt agi diuino Spiritu, & eſſe filium Dei: ad hoc ipſe in gratiam nos adoptauit, vt ſitis filij & hæredes, Chriſtique cohæredes; ſi tamen cõpatimur. Exiſtimo autẽ hoc, quod pati debemus, quantuncũque magnum videatur, adeò eſſe modicũ, & momentaneum, vt in ſe conſideratum indignum ſit futuræ gloriæ, quam expectamus, & quã expectat quodammodo omnis creatura, vt liberata à vanitate, qua cogitur hactenus peccatoribus deſeruire, participet aliqua ratione de gloria filiorum Dei: nam à mundi exordio vſque nũc gemere videtur, & quaſi doloribus partus cruciari, ſicut nos ipſi, quãuis non careamus primitiis ſpiritus, & multis conſolationibus diuinis; gemimus tamẽ intra nos, plenam adoptionem expectantes filiorum Dei, & corporis noſtri beatificam redẽptionem, ſpe nanque conſtat præſens noſtra ſalus, & patienti expectatione bonorum futurorum: adiuuante diuino ſpiritu infirmitatem noſtram, quæ tanta eſt, vt etiam ignoremus, quid, quáve ratione, vt oportet, oremus: ſed ſanctus Spiritus dirigit noſtras preces, noſtróſque gemitus, ac poſtulata Deo digna reddit ineffabiliter. Nec dubitamus, tribulationes quaſcunque cedere in bonũ iis, qui iuxta Dei beneplacitũ ac decretum ad ſanctitatẽ vocati ſunt. Quia iſti ſunt illi, quos Deus præſciuit, & ab æterno prædeſtinauit fore conformes primogenito prædeſtinatorũ Filio ſuo, ſicut in certamine tribulationum, ac victoria; ita in præmio, & corona. Et ſicut hos ab æterno præſciuit, ac prædeſtinauit tales fore per gratiam ſuam, ita in tempore vocat; vocatos autem, & vocationi reſpondentes iuſtificat: iuſtificatos verò, & in

in iuſtitia conſtanter vſque ad finem perſeuerantes glorificat. Iam quid vltrà quærimus ? Si Deus ſtat pro nobis, quis præualere poterit contra nos ? ſi proprium Filium ſuū in mortem pro noſtra redemptione tradidit, quis dubitet alia longè minora pro ſalute noſtra eſſe donaturum. Quis electos diuinitùs ad iuſtitiam, & iam à Deo iuſtificatos poterit accuſare, aut iuſtè de iniuſtitia condemnare ? Chriſtus Saluator ipſe eſt, qui noſtræ iuſtificationis cauſa mori voluit, & poſt mortem rediuiuus ad dexteram Dei Patris in gloria agit cauſam noſtram, & interpellat pro nobis. Quid ergo nos ſeparet à Chriſti amore, cui tot, tantiſque beneficiis obligamur ? tribulatio, anguſtia, fames, nuditas, periculum, perſecutio, gladius ? Nihil prorſus : nam, etiamſi quotidie de vita periclitemur, & videamur eſſe tanquam oues occiſioni deſtinatas ; omnia tamen propter ipſum, qui nos tantoperè dilexit, eius adiuti gratia ſuperamus. Equidem habeo mihi perſuaſum, & confido, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque aliȩ Angelicæ virtutes, neque præſentia, neque futura, proſpera, vel aduerſa, in cœlo, vel in terra, aut Inferno, poterunt nos ſeparare à charitate, qua Deo per IESV Chriſti gratiam coniuncti ſumus.

Agit capite nono de cauſa reprobationis Iudæorum à gratia iuſtificante, & electionis gentium [n].

n. Cap. 9. v. 1. &c.

Chriſtum obteſtor in veritate, ita mihi dictante conſcientia mea per eum, qui non poteſt mentiri, Spiritum ſanctum, quòd in magno mœrore ſum, & crucior dolore continuo in corde meo, & optarem pro fratribus meis Iſraëlitis, qui cognati mei ſunt, filij Patriarcharū, priuari etiam æterna Chriſti præſentia, non charitate, & beneuolentia, ſi pro ipſorum ſalute expediret, quorum prima in filios adoptio fuit, & gloria paternæ Dei erga illos prouidentiæ, ſingularis protectionis, & eximiæ beneficentiæ, cum quibus toties iniit Deus amicabile pactum, & legem eis dedit in monte Sina, & verum cultum, atque promiſſa. Quorum parentes ſunt tot inclyti Patriarchæ, tandémque Chriſtus ipſe Meſſias ex Iudæis natus, qui eſt ſuper omnem creaturā Deus benedictus in ſæcula. Amen. Non autem hæc dico, quaſi putem irritas factas eſſe diuinas promiſſiones : nam temporalia promiſſa filiis Iſraël carnalibus iam obtigerūt ; ſpiritualia verò filiis ſpiritualibus reſeruantur, quales non ſunt omnes, neque ſoli geniti ex Abraham generatione naturali, vt ſunt Iudæi ; ſed ſpirituali, nempe, Chriſtiani. Non eſt igitur, quòd Iudæi glorientur, ſe eſſe natura filios Abrahæ : talis enim fuit etiam Iſmaël, & Eſaü ; & tamen à familia, & hæreditate Abrahæ ſunt excluſi : Iſaac verò, & Iacob ſunt electi ; quia filij erant non tam carnis, quàm diuinæ promiſſionis, vt propoſitum Dei maneret opera naturalia in electione ſupernaturali non reſpicientis. Quòd ſi dicat aliquis : ergo iniquitas eſt apud Deum, valdè fallitur. Miſerebor, ait Moyſi Deus [o], cuius voluero miſereri. Cùm igitur electio Iacobi præ Eſaü ; & filiorum fidei Abrahæ, nempe, Chriſtianorum, præ filiis carnis, qui ſunt Iudæi, non ſit vlli debita, nec opus iuſtitiæ, ſed miſericordiæ, ac proinde voluntatis Dei liberæ, & gratioſæ, nulla fit cum iniuria Iudæorum, dum exhibetur cum miſericordia benedictio Gentilium Chriſtianorum. Significatum eſt hoc in benedictione, quam Iacob iunior præripuit Eſaü ſeniori, non ex eo quòd monitu matris ſuæ volens

o Exodi c. 33. v. 19.

&

& currens citiùs attulerit hœdū, quā Eſaū; ſed, quia eius, nō Eſaū miſertus eſt Deus, & voluit, in Iacob benedictio Eſaū trāsferretur. Similiter Pharaonē Deus indurari permiſit, oſtēſurus in eo virtutē potentiæ ſuæ: Nabuchodonoſori autē pepercit, regnúmque reſtituit. Ergo cuius vult, miſeretur, & cuius non vult miſereri, eum non emolliens magis indurari permittit. Non itaque dicat hic aliquis: cur ergo conqueritur, & ſuccenſet Deus Pharaoni, aliſque peccatoribus per Prophetas, eóſque punit; ſiquidem ipſe ita cum impiis agit, ita vult, eiúſque voluntati nemo poteſt reſiſtere. Quid enim tu, ô homo, vilis humus, audes infinitā Dei ſic redarguere maieſtatē: Nunquid nō habet figulus poteſtatē facere ex eadem lutoſa maſſa vas aliud in honorē, aliud verò in cōtumeliā? aut poterit figmētū illud dicere factori ſuo: Cur me ita facis? Licuit igitur Deo credentes Gentiles miſericorditer iuſtificando facere vaſa in honorem: incredulos verò Iudæos induratos in ſua iniuſtitia derelinquere, tanquam vaſa in cōtumeliam. Et quis poterit de Deo iuſtè conqueri, quòd voluerit notam facere iram & vindicem potentiam ſuam in vaſa iræ aptata ſeipſis ad interitum, & à Deo multa cum patientia tolerata, ſimúlque magnam miſericordiam ſuam manifeſtare in vaſa miſericordiæ, quæ ipſe iuſtificante gratia ſua direxit in gloriam. Atque hæc vaſa diuinæ miſericordiæ nos ſumus, ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentibus per fidem ad Chriſtum vocati, & ab eo iuſtificati. Nam hoc eſt, quod toties per Prophetas promiſit Deus: vt cùm ait in Oſea [o]: Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam; & miſericordiam non conſecutam, miſericordiam conſecutā. Et ſæpè ſimilia prædixit per Iſaïam. Quòd ſi propinquior ratio quæritur, cui Iudæi ſectando iuſtitiam ad iuſtitiam non peruenerunt; gentes autem, quæ illam ſectari non videbantur, obtinuerunt? Reſpondeo, quia Iudæi eam quærebant in operibus legis, non in fide Chriſti, vbi eā poſuit Deus, & cæci in lapidem primariū Chriſtum IESVM impegerunt, vt eſt apud Iſaïam [p]: Ecce (inquit Deus) pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali: & omnis, qui credit in eum, non confundetur.

o *Oſeæ c. 2. v. 23.*

p *Iſai. c. 8. v. 14.*

Pergit capite decimo magis explicare propriam cauſam repulſæ Iudæorum a iuſtitia Chriſti, dicens [q]:

q *c. 10. v. 1 &c.*

Fratres, vehemens eſt deſiderium cordis mei, vt ſalutem omnes Iudæi conſequantur; vnde non ceſſo Deum pro illis obſecrare, qui proinde non debent exiſtimare talia me contra illos ex odio dicere. Teſtor autem de illis, quòd, quamuis bono zelo moueri ſibi videantur, multùm tamen aberrāt à vera iuſtitia, dum ſuam iuſtitiam conſiſtentem in operibus tantùm Moſaïcæ legis, ſine fide & gratia Chriſti pertinaciter defendentes, iuſtitiæ ipſius Chriſti, quæ ex Deo eſt, aduerſantur. Finis enim legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Significauit hoc Moyſes, cùm loquens de vtraque iuſtitia, primùm de legali dixit [r], præmium obſeruationis illius non eſſe niſi conſeruare vitam temporalem: at verò loquens alibi de iuſtitia fidei per Chriſtum, ait [s], non eſſe pro illa cœlum aſcendendum, quaſi ad Chriſtum Meſſiam inde adducendum; quia iam per myſterium incarnationis aduenit: neque eſſe in abyſſum deſcendendum, quaſi eundem Chriſtum mortuum ab Inferis reuocandum; quia mortuus quidem eſt pro noſtra redemptione, & ad Infe-

r *Leuit. c. 18. v. 5.*

s *Deut. c. 30. v. 12.*

ros deſcendit: ſed tertia die à mortuis reſurrexit, aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Hæc præcipua fidei noſtræ myſteria credenda ſunt ad iuſtificationem conſequendam: corde enim creditur ad iuſtitiam, & ore confeſſio fit ad complementum ſalutis. Vnde Iſaïas ait [t]: Omnis, qui credit in illum, non confundetur. Omnis, dixit: non ſolùm igitur Iudæus, ſed etiam Gentilis. Et ſimiliter Propheta Ioël [u]: Omnis (inquit) quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Eſt ergo fides neceſſaria: quomodo enim Dominum inuocabunt eum, in quem non crediderunt; ſed neque poterunt ei credere, quem non audierunt: audire autem ſine prædicatione non poſſunt: prædicatio verò muneris eſt Apoſtolici; nempe, hominum à Deo miſſorum, ſicut futurum prædixit Iſaïas, illis verbis [x]: Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona? Non dicat igitur Iudæus non eſſe à me, vel ab aliis Apoſtolis Euangelium gentibus annunciandum: nam ſalus per fidem, & inuocationem nominis Domini omnibus proponitur. Nec mirentur, ſi non omnes credant noſtræ prædicationi: idipſum enim ſic futurum præuidit & querebatur Iſaïas, dicens [y]: Domine, quis credidit auditui noſtro? Fides igitur omninò requiritur, & hæc haberi ſine auditione verbi Dei non poteſt, ſicut neque auditio ſine prædicatione. Hanc autem prædicationem futuram non ſolùm pro Iudæis, ſed etiam pro Gentilibus, pro barbaris, & pro omnibus mundi nationibus tam certò præuidit Propheta Dauid, vt quaſi de re iam peracta ſic loqueretur [z]: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Imò verò quod attinet in particulari ad futuram vocationem gentium, Iudæi, quantumuis refugiant, ignorare id minimè poſſunt, cùm apertè dicat Moyſes, vel potiùs per Moyſem Deus [a]: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem inſipientem, in iram vos mittam. & per Iſaïam [b]: Inuentus ſum à non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant: & tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.

t *Iſai. c. 28. v. 16.*
u *Ioël. c. 2. v. 32.*
x *Iſai. c. 52. v. 7.*
y *Iſai. c. 53. v. 1.*
z *Pſ. 18. v. 5.*
a *Deut. c. 32. v. 21.*
b *Iſai. c. 65. v. 1. 2.*

His contra Iudæos diſputatis monet Apoſtolus capite vndecimo Gentiles, ne inſoleſcant; ſed Iudæis ex corde compatiantur, idque plurimis, & efficaciſſimis rationibus perſuadet, dicens [c]:

Nunquid ergo exiſtimare debemus, Iudæos, & à Deo, & à gratia iuſtificationis eſſe repulſos? Minimè verò: nam ego Iudæus ſum Iſraëlita, ex ſemine Abraham, de tribu Benjamin; & tamen Dei gratia Chriſtianus. Similiter Apoſtoli, multique alij credentes ex Iudæis. Non repulit Deus populum ſuum, quem præuidit fidem & gratiam ſponte admiſſurum. An ignoratis, quid narret Scriptura de Elia, qui lamentabatur, dicens [d]: Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Reſponſum enim illi eſt à Domino: Reliqui mihi multa millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sicut ergo tempore Eliæ; ita nunc, quando gratia Dei abundat per Euangelium Chriſti, relicti ſunt ex Iudæis electi, qui ſalui fiant. Si autem ex gratia eſt electio, iam non ex meritis, neque ex efficacia operum legis, alioquin gratia non eſſet gratia, ſed merces. Quapropter electi ex Iudæis ad iuſtitiam per fidem & gratiam eam adepti ſunt, alii

c *cap. 11. v. 1. &c.*
d *lib. 3. Reg. c. 19 v. 10*

alij quod opera legis ſectarentur, illam non ſunt conſecuti; ſed culpa ſua magis excæcati, quod etiam prædixit
e *Iſai. c. 6. v. 9.* Iſaias, vbi ait [e]: Dedit illis Deus obſtinatæ mentis ſtupiditatem; oculos, vt non videant; aures, vt non audiant vſque ad hodiernum diem. Et Dauid
f *Pſ. 68. v. 23.* dicit [f]: Fiat mẽſa eorum in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis. Obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum ipſorum ſemper incurua. Nunquid ergo propterea dicemus ſic offendiſſe Iudæos, vt lapſu caderent irreparabili? Abſit: illorum enim caſus ſalus eſt gentium, vt dum tot ex gẽtibus proficiunt ad ſalutem, ſancta æmulatione Iudæi ad idem prouocẽtur. Quòd ſi Iudæorum incredulitas & diminutio, fuit occaſio abundãtioris conuerſionis gẽtium, & vt magis ipſi affluerent diuitiis ſpiritualibus: quantò meliùs Iudæorum plena multitudo, cum in fine mundi totus Iſraël ad Chriſtum conuertetur, Gentiles ad fidem, pietatémque prouocabit, & in ea omnes confirmabit. Vos nunc alloquor, gẽtes: quandiu veſter ſum Apoſtolus, commendare officium hoc meum debeo, quo ditati eſtis omni ſpirituali benedictione, vt ſaltem hac ratione cognatos meos Iſraëlitas excitem ad vos in bono æmulandos, & vt quocunque modo, quotquot poſſum, ex illis ſaluos faciam. Nam, ſi illorum à ſalute receſſus ex accidenti fuit acceſſio gentium; illorum acceſſus erit cauſa per ſe, ac ſi mundus altera ex parte demortuus, integer totus in vtroque populo reuiuiſcat. Qua ſpirituali reſurrectione in fine mundi per vniuerſalem conuerſionem, tum Iudæorum, tum gentium conſummata, nihil vltrà ſupererit niſi vniuerſalis corporum reſurrectio, & vt electi, ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentilibus, cum Chriſto tranſeant ad vitam, & gloriam ſempiternam. Nec miremini, Gentiles, ſi tantùm mihi polliceor de Iudæis: nam, ſi primitiæ Iudæorum, videlicet, Apoſtoli, & alij diſcipuli Domini, quaſi maſſæ delibatio, tantam obtinent ſanctitatem, cur non poterit reliqua maſſa de eadem ſanctitate participare? & ſi radix ſancta; tot, nimirum, Patriarchæ; cur non etiam rami, nempe, filij eorum, poterunt iuſtificari? Quòd ſi aliqui ex his ramis fracti ſunt; tu autem Gentilis cùm eſſes, quaſi oleaſter inſertus es in illis, & totius radicis fidei, ac pinguedinis oliuæ, nempe gratiæ ſanctificantis es factus particeps, noli gloriari aduersùs ramos iam fractos, incredulos, videlicet, Iudæos: nõ enim propterea tu radicem portas: ſed te ſuſtinet radix: gloria, nempe, ſanctorum Patriarcharum non eſt à te, ſed tua ex illis, quorum imitari debes fidem ac ſanctitatem Dices: ergo fracti ſunt rami, vt ego inſerar? Ita eſt, propter incredulitatẽ fracti ſunt. Tu autem, qui fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time: ſi enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè tibi quoque non parcat. Vtrunque attentè conſidera, & diuinam in illos ſeueritatem, & erga te benignitatẽ, ſi in bono perſeueres, alioquin & tu excidetis. Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur. Et quidem congruentiùs: nam tu ex naturali exciſus oleaſtro agreſtis gẽtilitatis, contra naturam inſertus es in bonam Eccleſiæ oliuam: illi autem ex ſanctis Patriarchis progeniti ſuæ oliuæ, id eſt, priſtinæ Eccleſiæ Dei inſerentur: ſcire enim Gentiles debetis, ne vobis nimiùm placeatis, myſteriũ hoc diuinæ prouidentiæ, quæ ideò permiſit excæcari partem Iudæorum non exiguam, vt gentium multitudo illuminaretur, eóque permoti exẽplo in fine ſaltẽ mundi vniuerſitas etiam

Iudæorum ad communem Saluatorem conuerteretur. Ita prophetauit Iſaïas, dicens [g]: Ex gente & tribu Iuda, quæ habitat in Sion, veniet Meſſias, qui auferat iniquitatem Iſraëlis: & hoc fœdus, ait Dominus, inibo cū eis, quando in fine mundi auferam peccata eorum. Quamuis igitur hoc tempore Iudæi inimici propter Euāgelium, cui reſiſtunt, eſſe videantur, vt vos Gentiles tali occaſione prædicationem pleniùs recipiatis; tamen ſecundùm electionem debent eſſe chariſſimi, propter antiquos eorum ſanctiſſimos Patres, quibus promiſit Deus, ſe ipſorum filios ad Chriſtum eſſe aliquando reducturum. Non pœnitet autem Deum, quod promiſit, ſuo tempore donare, & vocare, quos erat vocaturus: ſicut enim aliquando vos Gentiles Deo non credidiſtis; nunc autem eſtis eius miſericordiam cōſecuti occaſione incredulitatis Iudæorum; ita Iudæi nolentes modò tantam Dei erga vos agnoſcere miſericordiam, ad extremum agnoſcent, vt ipſi etiam miſericordiam conſequantur. Sic Deus, tam Iudæos, quàm Gentiles diuturnis tenebris infidelitatis ſucceſſiuè, ac viciſſim, inuolui permiſit, vt ex vtriſque plurimos ad fidem & gratiam ſuam induceret, illuſtrioremque ipſius miſericordiam omnibus patefaceret. O profunditas ditiſſimæ Dei beneficentiæ, altiſſimæ ſapientiæ, abditiſſimæ ſcientiæ, qua ſic omnia diſpenſauit, atque prouidit! Quàm ſunt incomprehenſibilia iudicia eius, & imperueſtigabiles rationes prouidentiæ ipſius! Quis enim cognouit mentem Domini, aut conſcius fuit arcanorum conſiliorum eius? aut quis prior contulit illi, quod ab eo non acceperit? Quoniam ex ipſo ſummo effectore, per ipſum ſupremum gubernatorem, in ipſo vniuerſorum conſeruatore ſunt omnia. Ipſi gloria in ſæcula. Amen.

[g] *Iſai. c. 59. v. 20.*

CAPVT III.

Documenta moralia Epiſtolæ ad Romanos quinque poſtremis capitibus contenta.

DVas præcipuas magna hæc ad Romanos Epiſtola cōtinet partes: primam vndecim iam expoſitis capitibus concluſam, ad fidei dogmata explicanda: ſecundam, quinque poſtremis capitibus, ad mores informandos, & varios animi affectus excitandos. Idque conuenientiſſimè, vt S. Auguſtinus alicubi obſeruauit [a]: primum enim, quid credendum ſit, docere oportet: deinde, quid agendum, vel fugiendum: priùs illuſtrandus intellectus, tum accendendus affectus. Incipit itaque ſequenti capite Apoſtolus magno affectu exhortari omnes fideles ad Chriſtianam perfectionem, maximè ad ſinceram humilitatem, & charitatem, dicens [b]:

Obſecro itaque vos, Fratres, per tot ac tales exhibitas vobis à Deo miſerationes, vt offeratis corpora veſtra, quaſi aliena, hoſtiam viuam, incontaminatam, Deo placentem, in obſequium, cultúmque Deo rationabiliter dignum: & nolite conformari huic ſæculo; ſed reformamini per nouitatem ſenſus, ac ſpiritus mentis veſtræ: vt eo experiamini, & guſtu interno dignoſcatis, quæ ſint bona, quæ vult à vobis Deus tanquam ſibi accepta, quæ meliora, magíſque illi placentia, quæ demum optima & accepriſſima. Quapropter moneo vos omnes, pro data mihi gratia & authoritate apoſtolica, ne quis velit ſapere pluſquàm oportet: ſed ſapere ad ſobrietatem, continendo ſe intra

[a] *S. Aug. l. de fide & oper. c. 7.*

[b] *cap. 12. v. 1. &c.*

menſuram doni gratiæ, & officij ſibi commiſſi poſt ſuſceptam fidē. Sicut enim in vno corpore multa ſunt membra, quæ non omnia eandem exercent functionem: ita nos fideles vnum corpus myſticum ſub Chriſto capite componimus; ſinguli autem non ſibi tantùm, ſed inuicem alteri, & toti corpori vtilia membra eſſe debemus. Habentes igitur dona & gratias differentes, ſiue quæ pertinent ad doctrinam, ſiue ad miniſterium, & ad alia auxilia proximorum, iis vtatur vnuſquiſque cōuenienter, in docendo, in exhortando, in miniſtrando, in tribuendo cum ſimplicitate, in gubernando cum ſollicitudine, in miſerendo cum hilaritate. Dilectio ſit pura & ſincera: odio malū habetote, ſemper inhærētes, támque agglutinati magis bono: charitate fraterna vos inuicem diligite: honore alterum vnuſquiſque præueniat: impigri quoque ſitis in mutuis officiis exhibendis, ſpiritu feruidi, tanquam tali Domino ſeruientes: ſpe gaudentes, in aduerſis conſtantes: in oratione aſſiduè perdurantes: inopiæ Sanctorum veſtris opibus ſubuenientes, hoſpitales, compatientes, omnibus benedicentes, beneuoli, benefici. Cauete, ne elati nimis alta ſapiatis; ſed humilibus rebus, & perſonis delectemini: non ſitis apud vos ipſos nimiùm prudentes: nulli malum pro malo reponatis: bona coram omnibus hominibus prouidete: pacē corā omnibus cuſtodite: vlciſci ne velitis, ſed iræ cedite: malū bono ſuperate: nā benè inimicis facientes ignitos charitatis & amoris veluti carbones ſuper eorū caput cōgeretis, vnde ad redamandum inflamment ur.

Capite ſequenti decimotertio cōmendat obedientiam erga ſuperiores, & iterum erga æquales charitatem, tum erga ſeipſos temperantiam, dicens [c]:

Omnis homo poteſtate præditis Principibus, & Magiſtratibus ſubdatur: non eſt enim legitima poteſtas niſi à Deo: quæ autem poteſtates ſunt huiuſmodi, à Deo ſunt ordinatæ, ac inſtitutæ. Itaque, qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, & damnationē ſibi acquirit, tum temporalem, tum æternam. Non ſunt Principes conſtituti, vt timorem iis incutiant, qui bona opera faciunt: ſed iis, qui perpetrāt mala: Dei enim miniſtri ſunt ad republicæ bonum, & ad coërcendos malos. Ideò ſubditi ſitis oportet, non ſolùm ob reatum pœnæ; verùm etiam culpæ in conſcientia. Ideò nanque tenemini illis tributa perſoluere, tanquam publica mercede conductis, vt communi bono deſeruiant reipublicæ, illámque defendant. Reddite ergo omnibus, quæ illis debetis; tributum, cui debetis tributum; & vectigal, cui tenemini ſoluere vectigalia: timorem denique, reuerētiam, & amorem, cui debetis, exhibete. Adeóque maturè debita veſtra perſoluite, vt quod fieri poterit, nemini quidquam debeatis, niſi quo nunquam exolui, ſatis poſſumus, debitum perpetuæ dilectionis. Qui enim alterum hac ratione diligit, legem, quæ proximum ſpectat, impleuit. Nam, non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo ſummatim comprehenditur: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Dilectio proximi, eius quodcunque auerſatur malum, & quæ poteſt illi procurat bona: plena igitur legis obſeruatio eſt dilectio. Inſuper agnoſcentes hanc opportunitatem euangelica luce nobis oblatam, vtamur illa, non negligamus. Hora etenim eſt iam nos de ſomno ſurgere.

c *Cap. 13. v. 1. &c.*

errorum, ac vitiorum. Nam, cùm Saluator noſter aduenerit, viciniores noſtræ ſaluti ſumus, quàm eſſemus, cùm tantùm venturum crederemus, & ſperaremus. Nox vmbrarum & figurarum præceſſit, tranſierunt tenebræ infidelitatis, & peccatorum. Abiiciamus igitur opera tenebroſa vitiorum, & Chriſtianis virtutibus tanquam armis fulgentiſſimis, & habitu ac veſtitu, qui lucem deceat, induamur. Sicut in die honeſtè ambulemus: non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in fornicationibus, laſciuiis, & petulantiis, non in rixis, altercationibus, & inuidiis: ſed ſpiritum Chriſti IESV, eiúſque gratiam & virtutes induamini, carnis immodicam curam temperando, ne prauis eius cupiditatibus ſatisfaciatis.

Docet poſt hæc capite decimoquarto firmiores in fide, & virtutibus debere iuuare infirmiores, non ſcandalizare, nec hos facilè ſcandalizari, aut inuicē temerè iudicare, dicens[d]:

d *Cap.* 14. *v.* 1. *&c.*

Debilem autem in rebus fidei, vel minùs inſtructum protegite, ac iuuate; ſed ſine altercationibus diſputationum: ſcio enim eſſe inter vos, qui perſuaſum habent, licere ſibi omnia manducare, liberéque poſſe omni cibo per legem veterem prohibito, aut idolis immolato vti. Alij verò ſunt, qui minùs in fide & euangelica libertate firmi, perſuadere adhuc ſibi non ſatis poſſunt, licere veſci huiuſmodi cibis: hi ergo abſtineant, & olera tantùm, aliáque in lege permiſſa comedant. Gentilis interim, ſiue alius, qui de omnibus ſine ſcrupulo manducat, Iudæum hæc non manducantem non ſpernat; & Iudæus, qui talia non manducat, manducantē Gentilem non condemnet: Deus enim illum in ſuam fidem & gratiam aſſumpſit. Tu quis es, qui audes alieni ſerui te Iudicem conſtituere? Domino ſuo cadet, ſi malè agat; vel ſtabit, ſi benè agat; tua nihil intereſt hæc iudicare. Spero autem, non cadet: poteſt enim illum Dominus Deus facilè in fide, & ſanctitate ſtabilire. Cenſet Iudæus abſtinendum à quibuſdam cibis certis diebus, iuxta præceptum legis veteris, atque ita abſtinet, & aliis diebus non abſtinet. Gentilis autem exiſtimat omnem diem eſſe æqualem quoad hoc, & vtitur cibis euangelica libertate: vterque benè facit. Vnuſquiſque in ſuo proprio ſenſu, ſine alterius præiudicio, cōquieſcat. Qui diem abſtinentiæ non inſipienter diſcernit, & obſeruat, Domino obſeruat; & qui manducat, quia cum actione gratiarum id facit, Domino manducat. Similiter, qui aliqua non manducat, & reliquis veſcitur cum actione gratiarum, in Domini gloriam id facit: nemo enim noſtrûm debet ſibi viuere, aut ſibi mori, ſed Domino: vt, ſiue viuimus, ſiue morimur, Domini ſimus. Ad hoc enim Chriſtus Saluator mortuus eſt, & à mortuis reſurrexit, vt viuorum & mortuorum plenum dominium obtineret. Tu ergo quid iudicas, aut contemnis fratrem tuum? cùm omnes ſtare ante tribunal ſummi Iudicis debeamus, ſicut in Iſaïa ſcriptum eſt[e]: Viuo ego, dicit Dominus: quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque vnuſquiſque pro ſe rationem eſt illi redditurus. Non ergo ampliùs inuicē iudicemus: ſed hoc magis eſt aduertendum, ne offenſionem, aut cadendi aliquam occaſionē fratri præbeamus. Scio nihil dubitans ſecundùm euangelicam Chriſti veritatem & libertatem, nullum cibum eſſe immundum, niſi ei, qui per conſcientiam erroneam eſſe immundum falsò ſibi perſuadet. Quòd ſi huiuſmodi

e *Iſaiæ.* 45. *v.* 23.

modi frater perſuaſus manet cibum eſſe vitandum; & tu nihilominùs ex eo comedis illo aſpiciente, illúmque ſcandalizas, peccas contra charitatem. Noli ob vilem eſcam illum perdere, pro quo Chriſtus Dominus obtulit vitam ſuam. Caueamus, ne liberras euangelica, quæ nobis à Chriſto in bonum eſt conceſſa, propter eiuſmodi ſcandala maledictis ac blaſphemiis proſcindatur. Non eſt enim eſca & potus id, quod nos Deo gratos reddit, & dignos regno cœleſti; ſed iuſtitia, & pax, & gaudium Spiritus ſancti: in quibus Chriſto ſeruiens Deo placet, & hominibus commendatur. Itaque ſectemini ea, quæ ad pacem & ædificationem conferunt. Bonum eſt non comedere carnes, neque bibere vinum, neque aliud quidquam huiuſmodi facere, ex quo proximus ſcandalum patiatur. Tu bonam habes perſuaſionem omnes eſcas, etiamſi veteri lege prohibitas, in lege euangelica eſſe permiſſas: apud te hoc habeas coram Deo, non iactes illam cum ſcandalo apud fratrem. Frater verò ſcrupuloſus, ſi talia dubia depoſuerit, nec in re aliàs licita; ſicut eſt veſci idolothytis, & cibis veteri lege prohibitis, non damnet falſo iudicio ſemetipſum, beatus erit. Qui autem damnat ea in te ſeipſum, & tamen comedit; reatum non ſolùm propriæ, ſed etiam diuinæ damnationis incurrit: quia contra conſcientiam operatur. Quidquid enim contra perſuaſionem honeſti, & dictamen propriæ conſcientiæ, ſiue rectæ, ſiue erroneæ, committitur, culpa non caret.

Capite decimoquinto concludit magis exponendo epiſtolæ intentionem, & rationem itineris ſui Ieroſolymam: deinde veniendi, cùm
f cap. 15. v. 1. &c. Deo placuerit, vſque Romam, dicens[f]:

Debemus autem nos in fide prouectiores, eorum, qui minùs inſtructi ſunt, ignorantias ſuſtinere, & non propriis tantùm commodis ſtudere. Vnuſquiſque proximo ſuo ſe accommodet in bonum & ædificationem: etenim Chriſtus Dominus, quem imirari omnes debemus, ſuæ nō conſuluit vtilitati, vt noſtrā ſalutem operaretur: ſed, ſicut in Pſalmo g Pſ. 68.
de ſe dixit[g]: Improperia impropev. 10.
rantium tibi ceciderunt ſuper me: quaſi diceret: peccata in Deum commiſſa luenda in mea carne ſuſcepi, vt pro meis fratribus ſatisfacerem. Quæcunque autem in ſacris Literis ſcripta ſunt, ad noſtram eruditionem ſcripta ſunt: vt per patientiam, & conſolationem, quam ex diuinis Scripturis accipimus, ſpem futuræ gloriæ habeamus: Deus autē auctor patientiæ, & veræ conſolationis det vobis mutuo fraternæ charitatis affectu ſecundùm Chriſtum in bono conſentire, vt vnanimes vno ore laudetis Deum, & patrem Domini noſtri IESV Chriſti. Quapropter miſſis diſſenſionibus circa delectum ciborum, & circa diuerſas, ſiue ex gentiliſmo, ſiue ex Iudaïſmo ad Euangelium vocationes, iuuate mutua beneuolentia vos inuicem, ſicut vos Chriſtus ſine diſcrimine complexus eſt. Dico enim vobis Gentilibus, Chriſtum IESVM in eos, qui ſunt ex circunciſione Iudæis miniſterium ſalutis operatum eſſe propter Dei veracitatem, ad confirmandas, quas ea de re fecerat, antiquis patribus promiſſiones. Vos autem gentiles maximè Dei erga vos miſericordiam agnoſcere, & venerari h Pſ. 17.
debetis. Sicut legimus in Dauid Pſalv. 50.
mo[h]: Propterea confitebor tibi in i 2. Reg.
gentibus, Domine, & nomini tuo c. 22. v.
Pſalmum dicam. Et alibi[i] Lætamini 50.
gentes, cum plebe eius. Et iterum[k]. k Pſ. 116.
v. 1.

Laudate, omnes gentes, Dominum. Et Iſaïas[l]: Erit radix Ieſſe, & qui exſurget regere gentes, & in eum gentes ſperabunt. Deus igitur, cuius gratia factum eſt, vt in ipſum tanta cum fiducia ſperetis, repleat vos omni pace & gaudio in credendo, vt creſcat ſemper magis per Spiritum ſanctum veſtra confidentia, virtus, & fortitudo. Et quamuis facilè mihi perſuadeam, plenos vos eſſe fraterna dilectione, & tali ſcientia, vt moneri inuicem, & adhortari mutuò benè poſſitis; ſcripſi tamen vobis pro mea parte quodammodo audaciùs, reuocans aliqua in memoriam, vt fideliter fungar officio meo apoſtolico, & vt ſacri Euangelij prædicatione conuerſioni Gentium cooperer, tanquam ſolenni, Deóque acceptiſſimo ſacrificio. Habeo igitur, vnde, non quidem in me glorier; ſed in Chriſto, ſi fateri velim veritatem, neque auderem profectò alia referre, quàm quæ per me Chriſtum operari expertus ſum verbo & factis in conuerſione Gentium, per ſigna, prodigia, virtutéſque Spiritus ſancti, tam felici ſucceſſu, vt ab Ieruſalem per circuitum, vſque ad Illyricum, regiones omnes euangelica prædicatione repleuerim. Fuit autem huiuſmodi prædicatio mea, vbi non dum Chriſtus fuerat nominatus, ne ſuper alienum puter ædificaſſe fundamentum. Ita enim prædictum fuit ab Iſaïa[m]: Quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent. Quapropter huc vſque detentus fui, ne poſſem, vt cupiebam, ad vos proficiſci. Nunc autem, cùm mihi ferè locus in his regionibus non ſuperſit, in quo non annunciauerim Euangelium, deſiderans iampridem ab aliquot annis venire ad vos, vbi proficiſci in Hiſpaniam cœpero, ſpero quòd prætereiens vos videbo, & à vobis etiam deducar, ſi primùm veſtra præſentia, & ſancta conſuetudine aliquantulùm fruitus fuero. Nunc Ieroſolymam ire debeo, vt Chriſtianis fratribus in paupertate, & neceſſitate conſtitutis deferam collectam eleemoſynam, quam Eccleſiæ Macedoniæ, & Achaiæ liberaliter contulerunt. Placuit enim eis agnoſcere ſe ſanctis illis debitores in rebus temporalibus, à quibus acceperunt, & accipiunt ſubſidia ſpiritualia. Hoc igitur Ieroſolymis cùm perfecero, & has ibi conſignauero eleemoſynas, per vos in Hiſpaniam proficiſcar. Non dubito autem futurum aduentum meum cum benedictione apud vos, & magno emolumento ſpirituali. Interim obſecro vos, Fratres, per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritus, vt veſtris orationibus apud Deum me adiuuetis, vt liberer ab infidelibus, qui ſunt in Iudæa, & oblatio mea accepta ſit ſanctis in Ieruſalem, vt cum gaudio veniam ad vos per Dei voluntatem, & mutuò conſolemur. Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.

l Iſai. c. 11. v. 10.

m Iſai. c. 52. v. 15.

Poſtremum epiſtolæ caput totum conſtat perquàm beneuolis ſalutationibus[n].

n c. 16. v. 1. &c.

Commendo vobis Phœben noſtram in Chriſto ſororem, quæ hactenus Diaconiſſa fuit Eccleſiæ Cenchreis; vt venientem ad vos cum his literis excipiatis, vti decet Chriſtianos excipere perſonas ſanctas: ſic enim & ipſa multos noſtrorum excepit, & me ipſum. Salutate Priſcam & Aquilam meos in Chriſto IESV adiutores, qui pro vita mea tuenda, ſua maximo periculo expoſuerunt: quibus proinde non ego ſolus, ſed & cunctæ Eccleſiæ Gentium gratias referunt. Salutate ergo totam eius

Chriſtianam

Chriſtianam familiam. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui primus in Aſia ad fidem eſt conuerſus. Salutate Mariam, quæ multùm laborauit in vobis. Salutate Andronicum, & Iuniam genere cognatos, & concaptiuos meos, ſpiritu verè apoſtolico præditos, & ante me ad Chriſti fidem adductos. Salutate Ampliatum mihi in Domino dilectiſſimum; & Vrbanum adiutorem noſtrum; & Stachyn dilectum; & Apellem probatæ virtutis virum; & eos, qui ſunt ex familia Ariſtobuli; & Herodionẽ; & ex Narciſſi domo omnes, qui ſunt Chriſtianæ religionis. Salutate Triphænam, & Triphoſam, quæ laborant in Domino, & Perſidem, quæ multùm ſimiliter laborauit. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem eius ac meam. Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eis ſunt fratres. Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum, & ſororem eius, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis ſunt, ſanctos. Salutate inuicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti. Rogo autem vos, fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula ſpargunt cõtra doctrinam, quã didiciſtis, & ab eis declinate. Tales enim nõ Chriſto; ſed proprio ventri ſeruiunt, & ſeducunt per blandiloquentiã innocentes. Non dubito, mihi obtemperabitis: veſtra nanque obedientia eſt vbique celebris, & cõmendata. Gratulor: ſed velim vos, in bono, quod accepiſtis, ne ſeducamini, eſſe ſapientes; ſimplices autem in malo. Deus interim amator, & auctor pacis cõterat quamprimùm Satanam Principem diſſenſionũ ſub pedibus veſtris. Gratia Domini noſtri IESV Chriſti vobiſcum. Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iaſon, & Sotipater cognati mei. Saluto ego vos Tertius, qui, dictante Paulo, hanc ſcripſi Epiſtolam. Salutat vos Caius, apud quẽ hoſpitor cũ vniuerſa, quæ hìc ſolet conuenire Eccleſia Corinthiorum. Salutat vos Eraſtus arcarius ciuitatis, & Quartus frater. Gratia Domini noſtri IESV Chriſti ſit cum omnibus vobis. Amen. Ei verò, qui potens eſt vos confirmare ſecũdùm Euangelium & prædicationem meam de Chriſto IESV per reuelationẽ myſterij abſcõditi ab æterno, & à Prophetis prænunciati; nunc autẽ manifeſtati, & in cunctis Gentibus cogniti, ſoli ſapienti Deo, per IESVM Chriſtum honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT IV.

Sex præcipua dubia circa Epiſtolam ad Romanos.

NOn eſt præſentis operis, vel inſtituti, omnia expendere, quæ in hac Epiſtola poſſent ſubtiliter diſputari; ſed, ſicut circa alias apoſtolicas Epiſtolas fecimus, præcipua quædam reddere clariora, quę vel ad hiſtoriam pertinent, vel ad Apoſtolicum Pauli ſpiritum magis declarandum, aut ad nonnullas corruptelas diuini verbi ex huius Apoſtoli dictis ab hæreticis huius temporis malè deductas refellendas.

Primum itaque dubium ſe offert circa illud in capite primo dictum de antiquis Philoſophis, & ſapientibus[a]: *Qui cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis.* ſitne hoc de omnibus ſine vlla exceptione intelligendum. Dubitant enim aliqui primùm de Seneca, quẽ propterea Stoïcum Chriſtianum appellant, & ex eo maximè, quòd alibi narrauimus, videri cum Apoſtolo Paulo aliquam

a *Rom. c. 1. v. 21.*

contraxiſſe amicitiam, habuiſſéque cum illo nō paruam per literas communicationem. De Platone quoque diuino à multis appellato, & de Socrate, Apollinis oraculo mortalium ſapientiſſimo pronunciato, ſic ſcribit in Commentario huius Epiſtolæ Ambroſius Catharinus: *Certè de Socrate, & Platone meliora fortaſſe dignum eſt opinari, quàm quæ Paulus generaliter hoc loco Philoſophis obiicit.* Sed Eraſmus talem habuit de Socratis probitate exiſtimationem, vt veritus non ſit in quodam loco ſic dicere: *Vix me contineo, quin dicam: Sancte Socrates, ora pro me.* Magis adhuc de Hermete Triſmegiſto ambigi poſſet, quem ob Theologiam tantoperè admirata eſt antiquitas, vt aliqui Moyſem Ægyptium illum appellauerint. Nihilominùs tamen, vt à Seneca reſpondere incipiamus, teſtatur de hoc Philoſopho S. Auguſtinus[b], idola pertinaciter coluiſſe, & alios ea colere docuiſſe, & hoc aduerſante propria conſcientia, cùm agnoſceret, illa non eſſe tali cultu digna; ſic enim Seneca in libro cōtra ſuperſtitiones ait: *Omnē iſtam ignobilium Deorum turbā, quam longo æuo longa ſuperſtitio congeſſit, ſic adorabimus, vt meminerimus, cultum eius magis ad morem, quam ad rē pertinere.* Et loquens de ſuperſtitionis Gētilium ſacrificiis: *Hæc*, inquit, *omnia ſapiens ſeruabit tanquam legibus iuſſa, non tanquam Diis grata.* Ne verò aliquis ſuſpicetur, Senecam ante mortem ab hac voluntaria ſtultitia reſipuiſſe, refert Cornelius Tacitus[c], illum in ſtagno aquæ calidæ hauſto ſponte veneno animam agendo, libaſſe liquorem Ioui Liberatori, & proximos famulos ſuperſtitione ſacrilega aqua illa veluti expiatrice reſperſiſſe. Nec iſto melior Plato, eoſdem falſos, vt ipſe fatetur, Deos docet ſimiliter eſſe colendos; quia lex Gentium ita iuberet: & honorem cultúmque diuinum tribuit cœlis, & aſtris, atque Dæmonibus[d]: vt omittamus infame vitium eius pæderaſtię illi adſcriptum ab Aulo Gellio,[e] à Laërtio[f], & à Plutarcho[g]. Eodem vitio Socratem laboraſſe iidem, & alij antiquiores tradiderunt[h]. Quin ipſe Plato de Socrate atteſtatur, illum idola Gentium coluiſſe, & in morte ſacrificari pro ſe gallum Æſculapio voluiſſe. Idémque de illo retulit Tertullianus in Apologetico, vbi ait: *Socrates, cùm de veritate aliquid ſapiat Deos negans; Æſculapio tamen gallinaceum proſecari iam in fine iubebat. Credo ob honorem patris eius, quia Socratem Apollo ſapientiſſimum omnium cecinerat.* Hermes, ſiue Mercurius dictus Triſmegiſtus Ægyptiorum ſapientiſſimus multa quidem vera ſcripſit de Deo, & mundi creatione, ſimilia iis, quæ traduntur à Moyſe: tamen, vt ex verbis ipſius à lingua Ægyptiaca in Latinum conuerſis refert S. Auguſtinus[i], admittit Deos portentoſos manibus hominum fabricatos, & vult eis cultum exhiberi; imò luget futurum tempus, quo interitura eſſent ſimulacra Ægypti, iuxta illud Iſaïæ vaticinium[k]: *Commouebuntur ſimulacra Ægypti à facie Domini, & cor Ægypti tabeſcet in medio eius.* Quæ non tam ex Propheta didicit Triſmegiſtus, quàm ex ludificantibus amico ſuo Dæmonibus, ait S. Auguſtinus, & Chriſti aduentum præſentientibus. *Et iſte ſapiens*, inquit idem S. Auguſtinus, *in tantam venit ſtultitiam, vt futurum ſimulacrorum caſum, tanquam exitialem Ægyptiis, deploraret: erat enim de iis*[l], *quos Paulus dixit: Cùm Deum cognouiſſent, non vt Deum glorificauerunt; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & ſtulti facti ſunt.*

Secundò dubitatur de intelligentia

b S. Aug. l. 6. de ciu. c. 10.

c Tacit. lib. 15. Annal.

d apud Euſeb. lib. 13. de præp. euāg. c. 8. & 11.

e Gell. l. 18. c. 2. & lib. 19 c. 11.

f Laër. in Vita Platonis.

g Plutar. de educ. liberis.

h Philo lib. 2. de vita contempl.

i lib. 8. de ciu. c. 23.

k Iſai. c. 19. v. 1.

tia illorum verborum capitis ſecundi: l *Cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt; eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex.* Videntur enim hæc aduerſari verbis capitis ſuperioris à nobis explicatis de antiquis illis Philoſophis, qui Deũ naturaliter agnouerunt; & peſſimè tamen vixerunt. Reſpondet Beza in ſuis ad hæc verba Cõmentariis: gẽtes ea, quæ ſunt legis, naturaliter facere, id eſt, Gentiles illos ſapientes iuſtas leges condidiſſe ex bono dictamine luminis naturalis. Sed eſt expoſitio ſingularis, falſa, & nihil faciens ad inſtitutũ S. Pauli, qui de obſeruatione legis naturalis agebat, nõ verò de condenda lege aliqua poſitiua. Reſpondet Zuuinglius m, Numam, Scipionẽ, Catonem, & ſimiles probos gentiles, quamuis fide Chriſti carentes; tamen virtute legis naturalis, quam obſeruarunt, eſſe ſaluos. Idémque de Socrate, vt ſuprà retulimus, Eraſmus indicauit. Sed hoc Lutherus reprehẽdit tanquã errorem Pelagianũ, & ſine dubio eſt contra fidẽ; quia nemo ſine ſupernaturali fide, & gratia Chriſti ſaluatur. Inter Catholicos variæ ſunt expoſitiones, illa cõmunior, & accõmodatior n: Gentes facere naturaliter ea, quæ legis ſunt; id eſt, Gẽtiles naturali dictamine propriæ cõſcientiæ, non quidẽ omnia, ſed aliqua faciliora præcepta legis naturalis interdum obſeruaſſe: nam difficiliora ſine gratia nõ poſſumus in natura corrupta. Vnde non dixit Apoſtolus, gentes implere legem, ſiue obſeruare totam legem, nec dixit indefinitè, ſeruare legem, ſed dixit: Faciũt ea, quæ legis ſunt, nempe, aliqua legi conſona, quamuis plura faciant diſſona. Volebat enim oſtendere, tam Gentiles, quàm Iudæos eſſe peccatores: & quia poſſet aliquis obiicere, peccatum eſt trãſgreſſio legis, quamuis igitur Iudæi, qui legem à Deo acceperunt, delinquentes incidant in peccata, gentes, quia talem à Deo legem non acceperunt, culpa vacabunt; reſpondet Apoſtolus, Gentiles, etiamſi legem Decalogi, vel Moſaïcam non habuerint, vt Iudæi; habere tamen aliqua ratione legem naturalem, quam manifeſtant, dum interdum ſecundùm illam honeſtè agunt, interdum contra illam conſcientia repugnante, operantur. Vnde particula, *cùm*, vbi dicitur: *Cùm Gentes, quæ legem non habent, faciunt ea, quæ legis ſunt.* eſt Græcè ὅταν, aduerbium temporis, quaſi diceretur: quando legem in aliquibus ſeruant iuxta conſcientiam, & in aliis eam contra conſcientiam tranſgrediuntur: tunc inquit, *oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.* Verum quidem eſt, S. Auguſtinum o, ea verba S. Pauli de gentilibus ad fidem conuerſis alicubi interpretari, & de obſeruatione perfecta totius legis, ſed per gratiam Chriſti ſanantem naturam: dici autem gentes naturaliter id facere, quia faciunt ſine lege Moſaïca, & hanc expoſitionem graues quidã Auctores ſequũtur. Paulus tamẽ omninò videtur naturã hic accepiſſe, vt à gratia, & donis gratiæ ſupernaturalibus diſtinguitur. Quare idẽ S. Auguſtinus alterã expoſitionẽ, quę nobis videtur cõuenientior, nõ improbat; ſed magis admittit dicẽs p: *Si autẽ hi, qui naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciũt, nõ ſũt habẽdi in numero eorũ, quos Chriſti iuſtificat gratia; quędã tamen facta, vel legimus, vel nouimus, vel audiuimus, quæ ſecundum iuſtitiæ regulã, nõ ſolùm vituperare nõ poſſumus; verùm etiã meritò, rectéq; laudamus.* Hæc & plura in hãc ſententiã S. Auguſtinus: vnde

l Rom. c. 2. v. 14.

m apud Staphylũ in lib. de concord. Luther.

n Chryſ. Theodor. Theophyl. Oecum. Soti, Caiet. Cornelij à Lapide in Paulũ, apud quos alij.

o S. Aug. lib. de ſpiritu & lit. c. 26. vſque ad 30.

p idẽ lib. eodẽ de ſpiritu & lit. c. 27.

non eſt quòd aliquis ſuſpicetur, hanc doctrinam Pelagio fauere: imò potiùs in Bulla contra Baium damnata eſt hæc propoſitio numero vigeſimatertia: *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Romanos ſecundo: Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt. intelligunt de gentibus fidem non habentibus.*

q Rom.c. 3.v.28.

Tertia dubitatio circa verba illa tertij capitis occurrit [q]: *Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* ex quibus verbis, & aliis ſimilibus dictis ab Apoſtolo in fidei commendationem, Hæretici noſtri temporis deduxerunt, ſolam fidem ſine operibus iuſtificare. Et vt abſurdiſſimo huic errori Martinus Lutherus magis faueret, addidit in ſua Teuthonica Bibliorum verſione, *ſolam*, dicens: *Arbitramur iuſtificari hominem per ſolam fidem.* Et cùm de hoc à quodam Catholico argueretur, tanquam falſarius & corruptor ſacrarum Scripturarum, ipſe reſpondit [r], ſe pœnitere, quòd non addiderit etiam: *Sola fides iuſtificat, ſine vllis bonis operibus. Nam, inquit, Doctor Martinus Lutherus vult ſic habere, & dicit, Papiſtam, & aſinum, rem eſſe vnam. Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas. Nolumus enim Papiſtarum ſcholares eſſe, ſed Iudices. Lutherus ita vult, & ait ſe Doctorem eſſe ſupra omnes Doctores totius Papatus.* Sed, quis ſanæ mentis hac ſtulta iactantia moueatur ab eo, quod S. Iacobus toties, & tam apertè in ſua Epiſtola repetit, fidem ſine operibus bonis non valere, non prodeſſe, mortuam eſſe? Monet autem S. Auguſtinus in libro ſuo de fide & operibus, eam Epiſtolam à S. Iacobo ſcriptam, ne vllus ex Paulo ſumeret occaſionẽ arbitrandi, fidem ſolam ſine operibus iuſtificare. Quare, cùm Paulus ait, iuſtificari hominem per fidẽ ſine operibus, loquitur de operibus legis, & naturę ſecluſa fide & gratia Chriſti: ſiue, quod idem eſt, ait S. Auguſtinus [s], de operibus, quæ fidem antecedunt: Iacobus verò intelligit opera, quæ fidẽ ſequuntur, & per hæc dici nos iuſtificari, id eſt, ad iuſtificationẽ diſponi, vt ſi quis nondum eſt iuſtificatus, primùm iuſtificetur: quòd ſi iam eſt iuſtificatus, creſcat in iuſtitia. Harum autem diſpoſitionum fundamentum, radix, vel initium, fides eſt Redẽptoris, quæ debet habere adiunctam ſpẽ, pœnitentiam, charitatem, vt benè explicat Concilium Tridentinum [t], & ſignificauit ipſe S. Paulus, cùm agens de variis virtutibus, donis, & gratiis in fide fundatis, quas Deus fidelibus variè diſtribuit [u], in hac ipſa Epiſtola ad Romanos ait: *Vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.* Appellat autem menſuram fidei, quia ex eius magnitudine magnitudo ferè diſcernebatur aliarum virtutum ac donorum in illius primitiuæ Eccleſiæ fidelibus, ideò fides maximè tunc commendanda fuerat, & prædicanda.

r Luther. tom. 4. edit. anni 1551. Vitẽbergæ pag. 475.

s S. Aug. lib. 83. qq. c 76.

t Trid. ſeſſ. 6. c. 8.

u Rom. c. 12. v. 3.

Quarta occurrit dubitatio, an quæ in perſona ſua narrat S. Paulus capite ſeptimo, de ſeipſo verè intellexerit, vel potiùs de homine peccatore, aut iuſto quidem, ſed adhuc imperfecto, ac indomitis concupiſcentiis agitato, cuius ipſe ſubire perſonam ex animi ſubmiſſione voluerit, dicẽs [x]: *Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato: quod enim operor, non intelligo.* & infrà: *Scio, inquit, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum.* Et paulò pòſt: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Negant hæc eſſe de Apoſtolo intelligenda Græci Patres, Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus in ſuis ad hæc verba Commentariis: S. Baſilius in Regulis breuioribus, in reſponſione

x Rom. c. 7. v. 14. 18. 23.

ad

ad decimamſextam interrogationē: Imò etiam ex Latinis S. Auguſtinus in huius ad Romanos Epiſtolæ expoſitione, & libro primo ad Simplicianum, quæſtione prima, S. Hieronymus in Epiſtola ad Algaſiam, quæſtione octaua, vbi ſic ait: *Verba hæc Apoſtolus, Vas electionis, cuius corpus templum erat Spiritus ſancti: qui dicebat: Viuo ego, iam non ego: viuit autem in me Chriſtus, non de ſe loquitur, ſed de eo, qui vult poſt peccatum agere pœnitentiam, & ſub perſona ſua fragilitatem deſcribit conditionis humanæ.* Ita Hieronymus. Sed addit, poſſe etiam de ipſo Apoſtolo quodammodo exponi: & hanc expoſitionem magis ipſe approbat libro ſecundo contra Pelagianos, & in Epiſtola ſecunda ad Euſtochium, quæ eſt de cuſtodia virginitatis. Similiter S. Auguſtinus poſteà ſenior, & doctior factus hanc eandem pluribus in locis tuetur interpretationem, vt in libro primo Retractationum, vbi priorem retractat ſuam expoſitionem; & libro primo contra duas epiſtolas Pelagianorum, capite decimo, plura refert, quæ illum conuicerunt, ea verba de ipſo Apoſtolo eſſe accipienda; nempe, quod ipſe ibi dicat: *Iam non ego operor illud*, videlicet, peccatum: *& condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem, & ego ipſe mente ſeruio legi Dei.* Et ſtatim initio capitis ſequētis: *Nihil ergo*, inquit, *damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto* I E S V, *qui non ſecundùm carnem ambulant.* Quæ verba nō niſi homini iuſto, & valdè perfecto conueniunt. Quare libro ſexto contra Iulianum Pelagianum ita ſcribit [y]: *Non ego ſolus, aut primus ſic iſtum Pauli locum intellexi, vel potiùs non intellexeram, quod mea quadam illius temporis etiam ſcripta declarant. Non enim videbatur Apoſtolus de ſeipſo dicere potuiſſe: Ego autem carnalis ſum. cùm eſſet ſpiritualis: & quod captiuus duceretur ſub lege peccati, qua erat in membris eius. Ego enim putabā, iſta nō poſſe dici, niſi de iis, quos ita haberet carnis cōcupiſcentia ſubiugatos, vt facerent, quidquid illa compelleret: quod de Apoſtolo demens eſt credere; cùm etiā innumerabilis multitudo Sanctorum, ne concupiſcentias carnis perficiant, contra carnem ſpiritu concupiſcant. Sed poſteà melioribus, & intelligētioribus ceſſi, vel potiùs ipſi, quod fatendum eſt, veritati, vt viderem in illis Apoſtoli verbis gemitus eſſe Sanctorū, contra carnales concupiſcentias dimicantium. Qui cùm ſint mente ſpiritales, adhuc tamen iſto corruptibili corpore, quod aggrauat animam, rectè intelligantur eſſe carnales: quia erunt & corpore ſpiritales, quando ſeminatum fuerit corpus animale, & reſurget ſpiritale, & rectè adhuc intelliguntur ea parte captiui ſub lege peccati, quæ deſideriorum, quibus non conſentiunt, motibus ſubiacent. Hinc factum eſt, vt ſic iſta intelligerem, quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambroſius, & cæteri Eccleſiæ ſancti, notíque Doctores, qui & ipſum Apoſtolum aduersùs carnales concupiſcentias, quas habere nolebat, & tamen habebat, ſtrenuè confixiſſe, eundémque conflictum ſuum illis verbis conteſtatum fuiſſe ſenſerunt.* Hactenus S. Auguſtinus, quem alij communiter ſequuntur Interpretes ac Theologi recentiores. Atque idipſum ſatis indicant illius capitis Pauli extrema verba [z]: *Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei: carne autem legi peccati.* Quod fuit quaſi digito monſtrare ſeipſum, ait Abbas Theonas apud Caſſianum [a], agens de tentationibus, quas Deus permittit interdum etiam ſanctiſſimis viris. Neque per hoc, quòd ait, ſe legi peccati carne ſeruire, aliud ſignificauit, quàm fomitis ſenſum; ſed ſine conſenſu,

y S. Aug. lib. 6. contra Iul. c. 10. & 11.

z Rom. c. 7. v. vlt.

a Caſſ. coll. 23. c 16.

qui non fit, niſi etiam mens ſeruiat legi peccati. Ita quod dixit ſe eſſe carnalem, venundatum ſub peccato, de peccato intellexit originali, quo ſumus omnes ab Adamo vili pretio pomi venundati. Quamuis autem eſſet Apoſtolus per Dei gratiam illa culpa liberatus, vnde dicebat: *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto* IESV *liberauit me à lege peccati, & mortis.* tamen remanebat quaſi materiale illius peccati, nempe, concupiſcentia carnis repugnans ſpiritui; non tamen illum vllatenus expugnans. Ideò ſubdit: *Quod enim operor, non intelligo.* id eſt, non ſcio, non approbo, anteuertit etiam cogitatum, nedum conſenſum meum. Propterea infert: *Si quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum,* nempe, fomes & materiale peccati, à quo ſuſpirat etiam per mortem liberari exclamans: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* id eſt, de corpore iſto mortali, & aliàs dicebat: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Quod nonniſi valdè perfectorum eſt deſiderium, & pro magna in cœlis obtinenda corona ſtrenuè decertantium.

Quinta dubitatio eſt de ſenſu illorum verborum capitis octaui [b]: *Sed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.* Reſpondeo, hoc eſſe, quod ſuperiùs dicebat Apoſtolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* anhelabat, nimirum, toto corde ad perfectam animæ & corporis beatitudinē, ſicut etiā ſcripſit ad Corinthios [c]: *Nā & in hoc ingemiſcimus, habitationē noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes.* & infrà: *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati.* cupiebat enim à quacunque etiam leuiſſima culpa, quin & ab omni occaſione, inclinatione, atque etiam poſſibilitate peccandi liberari. Et ad hoc deſiderium magis exprimendum induxit per quandam proſopopœiam omnes creaturas naturali quodammodo appetitu expectantes tempus reſurrectionis vniuerſalis, in quo filij Dei donabuntur gloria cōſummatæ beatitudinis, & cœlum ac elementa renouabuntur: ſicut diceremus arborē expectare cum deſiderio tēpus æſtiuum, ſuóſque flores, & fructus. Hoc eſt igitur, quod dicit [d]: *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat: & ſcimus, quia omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc.* Quia verò potuiſſet aliquis dicere, creaturas inſenſatas ex nulla ſui parte de illa felicitate adhuc quidquam participare, ideò appetere ſuo modo mundi renouationem in futurum; at verò iuſtos, qualis erat S. Paulus, ex meliori ſui parte, nempe, anima & ſpiritu, iam obtinere inæſtimabile donum gratiæ, vt pignus futuræ gloriæ, tum animæ, tum corporis, quod appellat primitias ſpiritus, id eſt, primos fructus ſpiritales vberes, & ſuauiſſimos, cum multiſ conſolationibus internis, tanquam dulcia prælibamina illius æternæ felicitatis; ideò addit Apoſtolus, hæc ſibi non ſufficere: *Sed,* inquit, *& nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, expectantes redemptionem corporis noſtri,* &c. Quaſi diceret: Nos, nos, inquam, ipſi cum his omnibus valdè anxij ſumus, anhelantes, & ad illam plenitudinem ſanctitatis ac beatitatis aſpirantes.

Sexta grauiſſima dubitatio eſt circa nonum Epiſtolæ caput, an ex multis, quæ ibi dicuntur de reprobatione Iudæorum, & Gentilium electione ad gratiam Euangelij, conuinci poſſit, decretū prædeſtinationis ad gloriam

b Rom. c. 8. v. 23.

c 2. Cor. c. 5. n. 2.

d Rom. c. 8. v. 19.

riam eſſe à Deo factum ante præuiſionem noſtrorum meritorum, & ſimiliter excluſionem reproborum, ſaltem negatiuam à gloria abſolutam ante præuiſionem demeritorum, ſicut plures Theologi præſertim recentiores contendunt. Nam ait S. Paulus [e]: *Cùm nondum nati fuiſſent*, Iacob, & Eſaü, *aut aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi; Eſaü autẽ odio habui.* & infrà: *Miſerebor, cui miſerebor.* &, *Non eſt volentis, neque currentis; ſed miſerentis Dei.* & infrà: *Ergo, cuius vult, miſeretur; & quem vult, indurat.* & iterum infrà: *An non habet poteſtatem figulus ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Reſpondeo, omnia prædicta teſtimonia, ſiue alia, quæ ex hac epiſtola adduci poſſent, non magis fauere illi ſententiæ, quàm contrariæ: primò, quia nullus eſt Patrum, qui ea de merè gratuita electione ad gloriam interpretetur. Secundò, quia loquendo in particulari de electione Iacob, & reprobatione Eſaü, nullo modo ſignificatur vnius æterna prædeſtinatio, vel alterius reprobatio; & de Eſaü, quòd reprobus & damnatus ſit, afferri argumenta ſufficientia non poſſunt; multò minùs eſt credibile, totam Eſaü poſteritatem, quam ſub vna perſona ipſius S. Paulus intelligebat, reprobam fuiſſe: præſertim, quia teſtantur ſancti Patres, Gregorius, Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & alij plures relati à Pineda in primum caput Iob [f], ſanctum Iob cum filiis deſcendiſſe ex progenie Eſaü, quos omnes fuiſſe de numero reproborum, impium eſt cogitare. Tertiò, quia Malachias Propheta initio ſuæ prophetiæ, vnde accepit verba illa S. Paulus: *Iacob dilexi; Eſaü autem odio habui.* manifeſtè loquitur in ſenſu proprio, ac literali, de prælatione Iacob ipſi Eſaü in benedictione temporali, quatenus Iacob in ſua poſteritate, nempe, Iſraëlitarum, maiores à Deo fauores obtinuit, vt terram promiſſionis, multas, magnáſque victorias, legem, Prophetas, Sacerdotes maximos, vſque ad Chriſtum Dominum: Eſaü verò in ſua poſtetitate, id eſt, Idumæi, ſteriles ſortiti ſunt regiones, & ab Iſraëlitis tandem debellati. Quartò, quia, etiamſi S. Paulus ea, quæ temporaliter euenerunt circa poſteros Iacob, & Eſaü, transferat in ſenſu allegorico ad ea, quæ circa Iudæos, & Gentiles contingebant ſpiritualiter; non tamen loquitur de electione vltima ad gloriam ante præuiſa merita, vel ex præuiſis meritis: hoc enim ad ipſius inſtitutum minimè faciebat, qui ſolùm oſtendere volebat, non debere conqueri Iudæos, ſe à Deo reiectos, & illis antepoſitos eſſe Gentiles, dum multò plures ex Gentibus, quàm ex Iudæis, ad Chriſti fidem conuerterentur. Loquitur itaque de vocatione ad fidem, & de gratia ac beneficio iuſtificationis, & ita benè Iudæos redarguit, quaſi dicens: Potuit Deus pro ſuo beneplacito anteponere in benedictione temporali Iacob fratri Eſaü, quamuis Eſaü eſſet maior natu, cur non poterit in benedictione ſpirituali Gentiles præferre Iudæis, etiamſi videantur Iudæi fuiſſe primogeniti, & populus olim Dei? Et ad hoc inducit illud, quod Moyſi dixit Deus: *Miſerebor, cui miſerebor.* &, *Non eſt volentis, neque currentis; ſed miſerentis Dei.* & ad idem profert exemplum Pharaonis, cuius erat par cauſa cum Nabuchodonoſore;

e Rom. c. 9. v. 11. 12. 15. 16.

f Pineda in 1. c. Iob, v. 1. n. 3. & vide etiam Cornel. à Lapide in c. 36. Geneſ. n. 33.

buchodonoſore, & tamẽ huius Deus eſt miſertus, Pharaonem autem induratum reliquit: quia ſic Deus voluit, nec plùs facere tenebatur. *Ergo*, inquit, *cuius vult, miſeretur*; *&*, *quem vult, indurat.* Addit exemplum figuli, qui habet poteſtatem ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam: per vas autem in honorẽ intelligit eum, cui bona vult conferre, ſiue naturæ, ſiue gratiæ; per vas in contumeliam eum ſignificat, cui mala vult infligere pœnæ; ideò clariùs infrà vocat ea vaſa iræ aptata in interitum. Hinc poſſumus arguere quintò, & eſt valdè notandum, ſi liceret ex illis verbis inferre ante præuiſa demerita Deum abſolutè reprobos ab æterna beatitudine reieciſſe, poſſe inferri nõ ſolùm negatiuè, aut permiſſiuè, vt dicunt, ſed etiam poſitiuè, Deum damnare homines reprobos ad æterna ſupplicia decreuiſſe: ſiquidem vocat illos vaſa iræ aptata ad interitum. Et ita conſequenter intulit Caluinus [g], addens in cõfirmationem illud dictum: *Iacob dilexi*; *Eſau odio habui.* & illud Sapientiæ capite duodecimo [h]: *Neque Rex, neque tyrannus in conſpectu tuo inquiret de iis, quos perdidiſti: cùm ergo ſis iuſtus, iuſtè omnia diſponis; ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnas, & exterum putas a tua virtute.* Quo teſtimonio vtuntur etiam aliqui Auctores Catholici, non quidem ad probãdum, decreuiſſe Deum damnare ad Infernum aliquos ante præuiſa peccata, vt intulit Caluinus; hoc enim in plùribus Conciliis damnatum eſt; ſed decreuiſſe excludere à regno cœleſti. Nec aduertunt hanc etiam ab æterna beatitudine reprobationem, & excluſionem eſſe pœnam æternæ damnationis, ſi non ſenſus certè damni, quæ conſiſtit in carentia viſionis beatificæ. Prætereà, non aduertũt ex illo Sapientiæ teſtimonio ſincerè prolato planè inferri contrarium: ſic enim habent Biblia emendata [i]: *Cùm ergo ſis iuſtus, iuſtè omnia diſponis: ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnare exterum exiſtimas à tua virtute.* Vnde S. Auguſtinus libro tertio in Iulianum, capite decimooctauo: *Bonus*, inquit, *eſt Deus, iuſtus eſt Deus; poteſt ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt: non poteſt ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.* Et libro primo ad Simplicianum, quæſtione ſecunda, expendens illud dictum de Deo in libro Sapientiæ [k]: *Miſereris omnium: diligis enim omnia, quæ ſunt; & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* ſic ipſe concludit: *Non ergo Deus odit Eſau hominem; ſed Eſau peccatorem.* Poſtremò, cùm hìc reuerà non agat Apoſtolus de vltima reprobatione, vel prædeſtinatione ad gloriam; quis enim dicat, omnes Gentiles ad Chriſti fidem admiſſos, quos hìc alloquitur S. Paulus, fuiſſe prædeſtinatos? ſed agat de gratia iuſtificationis, quæ eſt inchoata prædeſtinatio, ſi quis velit cum aliqua proportione inde arguere modum & rationem cõpletæ prædeſtinationis ad æternam beatitudinem, potiùs ex his poterit inferre contrarium: nempe, quòd, quemadmodum reiecit Deus à gratia iuſtificationis Iudæos propter culpam incredulitatis; *nã fracti ſunt rami*, inquit S. Paulus [l], *propter incredulitatẽ fracti ſunt.* ita non reprobat ab æterna beatitudine, niſi propter peccata, & ex præuiſis peccatis, quia eſt in pœnam peccati; pœna verò culpam ſupponit. Et ſimiliter, quia eliguntur homines ad vitam æternam in præmium, & coronam bonorum operum, nonniſi præuiſis operibus iuſtis decreta erit beatitudo. Quare S. Auguſtinus quæſtione illa ſecunda libri primi ad Simplicianum:

g Calu. l. 3. Inſtit. c. 21. §. 5. & 7. & cõfirmat tribus cap. ſeqq.

h Sap. c. 12. v. 14.

i Sap. c. 12. v. 15.

k Sap. c. 11. v. 24. 25.

l Rom. c. 11. v. 19.

Simplicianum: *Quia* (inquit) *manet Dei propoſitum, vt iuſtificet credentes, ideò inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum cœlorum.* & infrà: *Non præcedit electio iuſtificationem, ſed electionem iuſtificatio: nemo enim eligitur, niſi iam diſtans ab eo qui reiicitur.* Si ergo quæratur, cur electi ſint Chriſtiani ad gratiam iuſtificationis, & Iudæi roiecti, reſponſio S. Pauli eſt [m], quia Chriſtiani fidem Chriſti ſunt amplexi, Iudæi obſtinatè reſtiterunt, & credere noluerunt. Similiter, ſi quæratur, cur paratum ſit regnum electis; reprobis autem ignis æternus; reſpondebit Chriſtus Dominus, in Iudicio extremo, dicens [n]: *Venite, benedicti, poſſidete paratum vobis regnum: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*, &c. *Ite, maledicti: eſuriui enim, & non dediſtis*, &c. Atque hæc eſt ratio propria & propinqua prædeſtinationis & reprobationis à beneficio tum iuſtificationis, tum glorificationis; cum aliqua tamen differentia; quia merita bonorum operum hominis iuſtificati ſunt propriè merita de condigno æternæ beatitudinis: at verò credere, ſperare, pœnitere, & aliæ bonæ diſpoſitiones ad iuſtificationem, non ſe habent ad gratiam iuſtificantem, vt merita propriè; ſed tantùm de congruo, & veluti diſpoſitiones. Vnde, ſi altiùs quæratur, cur carentes talibus diſpoſitionibus, vt Iudæi credere nolentes, ſunt reprobati; Gentiles verò fidem Chriſti amplectentes ſunt electi: reſpondere cum S. Paulo debebimus; quia credentes ſunt filij promiſſionis, & ab Abraham ſpiritualiter deſcendentes, quibus placuit Deo, promittere miſericordiam ſuam, & cœleſtes benedictiones, non quaſi Gentiles, dum eſſent infideles, aut Iudæi, dum eſſent in Iudaïſmo, hæc meruerint, aut iſti non illi demeruerint; quia omnes magnis detinebantur peccatis, atque demeritis: *Omnes enim peccauerunt*, (inquit S. Paulus, [o]) *& egent gloria Dei: & concluſit Deus*, id eſt, permiſit concludi, *omnia ſub peccato, vt omnium miſereatur.* Quòd ſi quis adhuc profundiùs vellet inueſtigare, cur Deus ſuas primas miſericordias, & gratias omne meritum noſtrum antecedentes, & omnes diſpoſitiones præuenientes ita per mundi ætates diſtribuit, vt primùm notitiam ſui per fidem, & promiſſiones communicaret Iudæis: deinde veniret in carne paſſibili, pauper, humilis, & in ſumma crucis ignominia, vt à Iudæis non reciperetur; ſed magis à Gentibus, & in fine mundi tandem Eccleſia gentium multiplicata, etiam à Iudæis ſit agnoſcendus, qui mille aliis modis iuxta infinitos theſauros ſapientiæ, & prouidentiæ ſuæ, res diſponere, & aliter ſe gerere cum hominibus potuiſſet? hoc nimis remotum à nobis eſt, atque profundum inſcrutabile. Quare circa hoc aliud reſponſum S. Paulus non protulit, niſi exclamationem illam [p]: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* vt fuſiùs exponit S. Auguſtinus in libro de gratia, & libero arbitrio, capite nono. Hæc nobis ſatis de hac tota reconditiſſimæ doctrinæ Epiſtola ad Romanos, ne nimis longè ab inſtituto noſtro hiſtoriali potiùs, quàm dogmatico digrediamur.

m Rom. c. 9. v. 30.

n Matth. c. 25. v. 34.

o Rom. c. 3. v. 23. & c. 11. v. 32.

p Rom. c. 11. v. 33.

CAPVT V.

Diſcedit Corintho magno fratrum comitatu, quibus Troadem præmiſſis, ipſe cum Luca & Sila eò ſuperuenit.

CVm Paulus hyemem Nicopoli tranſegiſſet anni huius, quẽ anteà numerauimus, Chriſti quinquageſimũ octauum; imperij verò Neronis ſecundum, & in vere circa feſtum Paſchatis Corinthi pluribus diebus commoratus fuiſſet, multúmque ſua præſentia Eccleſiæ Corinthiorum, Epiſtola quoque ibi ſcripta Eccleſiæ Romanorum contuliſſet; iter versùs Philippos, Macedoniam pertranſiens arripuit. *Comitatus eſt autem eum* (inquit S. Lucas [a]) *Sopater Pyrrhi Beræenſis; Theſſalonicẽſium verò Ariſtarchus, & Secundus, & Gaius Derbæus, & Timotheus; Aſiani vero Tychicus, & Trophimus.* His addere ſeipſum Lucas benè potuiſſet, & Silam, & fortè alios, quorum meminit Apoſtolus in extremo capite Epiſtolæ ad Romanos, tanquam comitum itineris, & laborum. Erant hi omnes valdè inſignes viri, vt vel ex hoc agnoſcamus, quanta eſſet vbique Pauli auctoritas, qui talibus ſtipatus variarum regionum viris præſtantiſſimis tam honorificè progrederetur. Sopater Pyrrhi Berœënſis ille ipſe videtur eſſe, cuius meminit Apoſtolus in poſtremo capite Epiſtolæ ad Romanos, quamuis illum Soſipatrum, non Sopatrum appellet. Sed vt facilè, ita frequenter occurrunt huiuſmodi propriorum nominum leues mutationes: ſicut Lucium ibidem pro Luca nominatum multi arbitrantur: *Salutat vos* (inquit ad Romanos Paulus [b]) *Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Soſipater cognati mei.* De hoc igitur vltimo ſic legimus in Romano Martyrologio, Iunij die vigeſimaquinta: *Apud Beræam natalis S. Soſipatri, diſcipuli B. Pauli Apoſtoli.* Additur in Martyrologio Galleſini, fuiſſe de numero ſeptuagintaduorum Chriſti diſcipulorum, S. Paulo fidei vinculo, & cognatione coniunctum, & Epiſcopum Theſſalonicenſem: quod etiam teſtatur Origenes in Commentariis Epiſtolæ ad Romanos. Quamuis Hippolytus in libro de ſeptuagintaduobus diſcipulis, & Dorotheus in Synopſi, velint Iconij epiſcopatum geſſiſſe: & fieri poteſt, vt in diuerſo tempore ſederit vtrobique: nam propter paucitatem eorum, qui regerent primas Eccleſias epiſcopales, ſæpè tunc huiuſmodi permutationes fiebant: ſicut de Dionyſio Areopagita, Epiſcopo Athenarum, & poſteà Epiſcopo Galliarum, alibi dicebamus. Extat quoque nunc epiſtola Areopagitæ ad Sopatrum, ſiue Soſipatrum, quem hunc eſſe, de quo agimus, Baronius [c], & alij putant: quidam tamen dubitant, eò quòd Sacerdos in ea epiſtola dicatur ab Areopagita, non Epiſcopus. Sed, præterquam quòd Epiſcopo cuicunque tam ordo, quàm nomen conuenit Sacerdotis, & apud veteres Patres Sacerdos per antonomaſiam Epiſcopum potiùs, quam inferiorem Presbyterum ſignificat; fieri poteſt, vt nondum Sopater eſſet Epiſcopus ordinatus, ſed ſimplex Sacerdos, quando Dionyſius ad eum ſuam illam ſcripſit epiſtolam. Sed neque modò, cùm Paulum comitaretur, eſſétne Sopater ordinatus iam Epiſcopus, an tantùm Sacerdos, vel in gradu inferiori, certò conſtat. Secundus Pauli comes, Ariſtarchus Theſſalonicenſium à Luca ponitur:

qualis

a *Act. c. 20. v. 4.*

b *Rom. c. 16. v. 21.*

c *Baron. in notu Martyr. die 25. Iunij.*

qualis autem vir fuerit, in Romano Martyrologio ſub die quarta menſis Auguſti ſic deſcribitur: *Theſſalonicæ natalis B. Ariſtarchi diſcipuli, & comitis indiuidui S. Pauli Apoſtoli, de quo ipſe ad Coloſſenſes ſcribit* [d]*: Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus. Is ab eodem Apoſtolo Theſſalonicēſium Epiſcopus ordinatus, poſt longos agones ſub Nerone coronatus à Chriſto, quieuit.* Et hic ille eſt, de quo retulit S. Lucas in capite ſuperiori [e], dum Paulus eſſet Epheſi, commota contra ipſum opera Demetrij Argentarij, graui perſecutione, quòd trahebatur à furenti multitudine ad publicum forum ſimul cum Gaio, vt vterque quaſi ſacrilegus, & contemptor Dianæ iudicaretur. Quare, cùm hic à S. Luca poſt Ariſtarchum inter Pauli comites Gaius nominetur, non alius ab illo Gaio fuiſſe videri poſſet: niſi valdè obſtaret, quòd ille Macedonius dicatur; hic autem Derbæus: Derbæ verò ciuitas eſt in Lycaonia, non in Macedonia, & fortaſſe propterea cùm hic S. Lucas Gaium nominaſſet, adiunxit, eſſe Derbæum, vt ab altero Macedonico etiam Pauli comite diſtingueretur, necnon ab alio tertio Caio Corinthiaco, apud quem Corinthi nunc Paulus hoſpitabatur, vt ipſe in fine Epiſtolæ ad Romanos ſignificauit, dicens [g]: *Salutat vos Caius hoſpes meus.* quem etiam à ſe baptizatum, cùm primùm manſit Corinthi, refert in priori Epiſtola ad Corinthios [h]: & hic modò Caius cum Paulo non iuit; ſed manſit pro ſuæ familiæ gubernatione Corinthi, cui tertiam ſuam epiſtolam ſcripſit S. Ioannes Euāgeliſta eius cōmendans hoſpitalitatem. Iuit prætereà cum Paulo Epheſiorum Epiſcopus Timotheus, de quo alibi multa ſunt dicta: iuit Tychicus, quem in Epiſtola ad Epheſios [i] Apoſtolus vocat chariſſimum fratrem, & miniſtrum fidelem in Domino: *Quē*, inquit, *miſi ad vos, vt cognoſcatis, quæ circa me ſunt, & conſoletur corda veſtra.* Et de eodem in Epiſtola ad Coloſſenſes [k]: *Quæ*, inquit, *circa me ſunt, omnia vobis nota faciet Tychicus chariſſimus frater & fidelis miniſter, & conſeruus in Domino, quem miſi ad vos ad hoc ipſum, vt cognoſcat, quæ circa vos ſunt* Hunc fuiſſe primum Chalcedonenſis Eccleſiæ Epiſcopum ſcripſit Dorotheus in Synopſi, & vnū ex ſeptuagintaduobus Chriſti diſcipulis, qui poſteà relatus inter Sanctos legitur in Romano Martyrologio die vigeſimanona menſis Aprilis. Iuit prætereà Trophimus, quem poſteà in itinere infirmatum ſcripſit Apoſtolus in ſua ſecunda Epiſtola ad Timotheum [l]: de hoc extat præclarum elogium in Romano Martyrologio ſub die Decembris vigeſimanona, his verbis: *Arelate natalis S. Trophimi, cuius meminit S. Paulus ad Timotheum ſcribens: qui ab eodem Apoſtolo Epiſcopus ordinatus, præfatæ vrbi primus ad Chriſti Euangelium prædicandum directus eſt: ex cuius prædicationis fonte, vt S. Zoſimus Papa ſcribit, tota Gallia fidei riuulos accepit.* Iuerunt & alij, quos Lucas nominare prætermiſit, & hos inter, modeſtiæ cauſa, tacuit ſeipſum, niſi quòd vſus pronomine, & verbo primæ perſonæ in numero multitudinis, præſentem ſe tunc fuiſſe ſatis ſignificauit, dicens [m]: *Hi, cùm præceſſiſſent, ſuſtinuerunt nos Troade. Nos verò nauigauimus poſt dies azymorum à Philippis.* Itaque, ne tam multi ſimul longo illo itinere proficiſcerentur, aut ob aliud Apoſtoli conſilium; iuſſi ſunt alij vſque Troadem præcedere, ibique expectare, donec

d Coloſſ. c. vlt. v. 10.

e Act. c. 19. v. 20.

g Rom. c. 16. v. 23.

h 1. Cor. c. 1. v. 14.

i Epheſ. c. 6. v. 21.

k Coloſſ. c. 4. v. 6.

l 2. Tim. c. 4 v. 21.

m Act. c. 20. v. 5.

eò Paulus cum Luca ſuperueniſſet.

Intereà ſolúſne Lucas cum Paulo iter pergeret, an alij quoque ſimul venirent, ambigi poteſt: videtur autem veroſimilius omnes ſuprà nominatos propter eà fuiſſe à Luca recenſitos, vt, quinam præceſſiſſent, exponeret; ſe verò & alios fuiſſe cum Paulo progredientes pronomine illo, *nos*, aliquoties repetito, ſignificare voluiſſe. Inter hos igitur Silam inuentum credibile eſt, quippe qui ſemper hactenus cum Paulo fuit, nec aliò miſſus indicatur: adfuiſſe quoque Pauli amanuenſem, nomine Tertium, de quo ſic legitur in extremo capite Epiſtolæ ad Romanos [n]: *Saluto ego vos Tertius, qui ſcripſi Epiſtolam in Domino.* Cùm igitur ſcriba eſſet Apoſtoli, ſecum ab eo fuiſſe conductum credere debemus potiùs, quàm Corinthi remanſiſſe. Hunc poſteà Epiſcopum Iconij fuiſſe ordinatum, tradit Diodorus Tarſenſis in expoſitione Epiſtolæ ad Romanos, & confirmat Dorotheus in Synopſi. Tarſi deinde martyrio eſſe coronatum ponunt varia Martyrologia [o]. De hoc ita ſcribit Xiſtus Senenſis in ſua Bibliotheca [p]: *Tertius, Iconij Epiſcopus, Pauli diſcipulus, & amanuenſis, ſcripſit dictante Apoſtolo, eam quæ eſt ad Romanos Epiſtolam, in cuius fine ſalutationem quoque ſuam apponens ait: Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi Epiſtolam hanc in Domino. Is cùm eſſet parum ſermone peritus, nec ſatis in ſcribendo exercitatus, Epiſtolam, quæ propter multitudinem, ac ſublimitatem quæſtionum cæteris Pauli Epiſtolis obſcurior eſt, longè reddidit obſcuriſſimam, dum ſenſus, & cogitationes Pauli elocutionibus interdum confuſis, & inabſolutis ſententiis, ac tranſpoſita nonnunquam ordinis ſerie, conatus eſt explicare. Diodorus, Tarſenſis Epiſcopus, in expoſitione Epiſtolæ ad Romanos huius rei teſtis eſt. Theodulus Cœleſyriæ Presbyter in expoſitione Epiſtolæ ad Romanos pro Tertio Terentium legit.* Hæc Xiſtus Senenſis, qui tamen non ſatis in eo ſecum ipſe conſentit, quòd ait, Epiſtolam ad Romanos redditam ſtylo Tertij perobſcuram; & tamen fuiſſe exceptam ab ipſo, cùm Paulus eam dictaret. Niſi fortè quorundam admittatur opinio [q], dicentium Epiſtolam ad Romanos Latino idiomate ſcriptam, quamuis illam Paulus Græco ſermone dictaret. Vtuntur autem ad hoc ſuadendum coniectura non planè improbabili, quoniam ad Romanos lingua Romana, hoc eſt, Latina ſcribendum eſſe videbatur: vnde nomen amanuenſis, qui Tertius, ſiue Terentius dicebatur, cùm nonniſi Latinum ſit, ſcriptorem prodit fuiſſe Latinum. Non habet tamen hæc opinio multam probabilitatem: tum, quòd S. Paulus ob donum perfectiſſimum linguarum, vt Græcè, ſic Latinè dictare Epiſtolam potuiſſet: tum, quòd ſtylus Epiſtolæ originalis, quo primùm ſcripta exiſtimatur, planè Græcus eſt, non Latinus: abundat enim vbique Græciſmis, & tales habet frequenter phraſes, compoſitionéſque verborum, quales noſtra Latina lectio profectò non admiſiſſet, niſi interpretari ad verbum, & fideliter Græca voluiſſet. Vnde conſtans opinio Chryſoſtomi, & aliorum Græcorum eſt, imò & Latinorum, & Syriaci Interpretis, Græcum textum eſſe ipſum Pauli autographum, ad quod omnes prouocant, tanquam ad exemplar originale, vbi vocum alterius linguæ varietas controuertitur. Nec refert, Epiſtolam fuiſſe ſcriptam ad Romanos, hoc eſt, ad eos, qui tunc Romæ verſabantur, fideles: nam, neque

n Rom. c. 16. v. 22.

o Martyr. die 21. Iunij.

p Xiſtus Sen. lib. 2 Bibl. in Tertio

q Salmeron to. 1. proleg. 35.

neque omnes propterea Latini erãt; ſed multi ex Iudæa, multi venerant ex Græcia:& quamuis non pauci eſſent Latini; tamen eo tempore Græca lingua, ſicut modò Latina, erat communiſſima. Illud faciliùs credi poteſt, quod aliqui dicunt, à Tertio, ſiue Terentio Pauli amanuenſe ſtatim Epiſtolam ad Romanos ex Græco in Latinum ſermonem fuiſſe conuerſam, & ita duplici exemplari Romã eſſe tranſmiſſam: ſicut de Euangelio S. Marci dicitur, quòd Romæ primùm Latinè fuerit à S. Marco ſcriptum, & ab eodem Aquileiæ in Græcam linguam tranſlatum, cuius originale Venetiis vſque ad hoc tẽpus aſſeruatur [r]. Exemplar quoque aliquod Epiſtolæ ſuæ Paulum ſibi retinuiſſe, & ſecum tuliſſe ſimul cum aliis, quæ circunferebat, ſacris voluminibus, ac ſcriptis, ea, quæ infrà narraturi ſumus, aliquo modo ſuadebunt.

De hoc tempore ſuæ poſtremæ ab vrbe Corintho profectionis, quidquid aliqui diſſentiant, illud eſt intelligendum, quod ipſe Apoſtolus in ſecunda Epiſtola ad Timotheum ſcripſit [s]: *Eraſtus remanſit Corinthi*. Erat hic Eraſtus cuſtos ærarij publici Corinthiorum, quod indicauit S. Paulus in extremo capite Epiſtolæ ad Romanos [t], vocans illum arcarium, ſiue œconomum illius ciuitatis: hunc anteà per Eccleſias Macedoniæ præmiſerat, vt colligeret eleemoſynas Ieroſolymam deferendas, quod etiam ſignificauit in Actis apoſtolicis S. Lucas [u]. Quare ipſo Eraſto Corinthi remanente, ſi collectas eleemoſynas Apoſtolus modò ſecum non accepit, mittere per illos debuit, quos iuſſit antecedere, & Troadem ſe expectare. Interea cum Luca, Sila, & Tertio ad Europæ fines, & extremos terminos Macedoniæ versùs Septentrionem progreſſus, venit Philippos; quæ ciuitas cùm Romanorum, vt alibi diximus, eſſet colonia, eorúmque militari ſemper munita præſidio, & Cæſareis legibus, non iure municipali gubernata, in qua ante annos ſeptem Paulus fuerat publicè cæſus, & carceri cum Sila mancipatus; ideò exiſtimauit non expedire cum tanto fratrum comitatu, & veluti pompa eò ſe conferre. Non potuit tamen deuotiſſimam Philippenſium Eccleſiam, ſibique addictiſſimam, quin aliquo modo inuiſeret, prætermittere: præſertim, quia Syriam cogitans, & inde Romam, animus præſagiebat ampliùs in hac vita ſe illos non eſſe viſurum, ſicut non multò pòſt Epheſios in tranſitu allocutus apertè pronunciauit, dicens [x]: *Ego ſcio, quia ampliùs non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſiui.* Conſolatus eſt autem plurimùm Philippenſes, etiamſi morari diu cum illis non potuerit: & fortaſſe tunc daturum ſe illis Eraſtum in Epiſcopum pollicitus eſt, virum, nempe, fidei probatiſſimæ, inſignis pietatis, prudentiæ & auctoritatis. Nam, etiamſi Dorotheus in Synopſi, cuius in multis fides ſæpè vacillat, Eraſtum hunc ponat Epiſcopum fuiſſe Paneadis; tamen alij omnes [y], Epiſcopum dicunt fuiſſe Philippenſium: vnde ſic de illo habetur in Romano Martyrologio die menſis Iulij vigeſima ſexta: *Philippis in Macedonia natalis S. Eraſti, qui illic a B. Apoſtolo relictus Epiſcopus ibidem martyrio coronatus eſt.* Erat his diebus, quibus Philippi Paulus morabatur, paſchale tempus, quod S. Lucas vocat azymorum. *Et mihi videtur*, inquit Chryſoſtomus, *dies feſtos celebraſſe in magnis vrbibus.* Incertum tamen, vtrùm Paſcha tantum Iudæorum, an etiã Chriſtianorum: potuit enim tunc

[r] Petrus, Episc. Aquileienſis, lib. 4. c. 86.

[s] 2. Tim c. 4. v. 20.

[t] ad Roman. c. 16. v. 23.

[u] Act. c. 19. v. 22.

[x] Act. c. 20. v. 25.

[y] Apud Baron. in notis Martyrol. 26. Iuly.

tunc vtcunque conuenire, licèt poſteà iuſtis de cauſis prouiderit Eccleſia, ne concurrerent. Itaque Paulus cum Luca Philippis ſubſtitit in diebus azymorum; ſiue, vt eos ibi dies antiquo more celebraret, & Iudæis celebrantibus, quibus adhuc legalia obſeruare permittebatur, obſequeretur; ſiue, vt ſolùm Chriſtiano ritu paſchalia feſta perageret.

Feſtis paſchalibus iam expletis, quid ſecutum ſit, exponit, tanquam is, qui omnibus præſens aderat, per
a *Act. c. 20. v. 6.* omnia ſingillatim S. Lucas, dicens [a]: *Nos verò nauigauimus poſt dies azymorum à Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, vbi demorati ſumus diebus ſeptem.* Troadē hoc loco intelligere oportet, non tam regionem, quæ cum eius primaria ciuitate nomen habuit cōmune, quàm ipſam ciuitatem priùs Troiam appellatam, valdè procul à mari conſtitutam, inter duos fluuios Xanthum, & Simoëntem: nam, ſi de regione ſermo eſſet, ea maritima cùm ſit in finibus Aſiæ minoris freto Helleſponti à Macedonia, in cuius finibus ſunt Philippi, non quinque dierum iter, ſed bidui nauigatio ſuffeciſſet. Vnde, cum ante annos ſeptem Lucas cum Paulo à Troadis regione tranſiſſet in
b *Act. c. 16. v. 11.* Macedoniam [b]: *Nauigantes* (inquit) *à Troade recto curſu venimus Samothraciā, & ſequenti die Neapolim, & inde Philippos, quæ eſt prima partis Macedoniæ ciuitas colonia.* Itaque non totū hoc iter naui, ſed magna ex parte pedibus cōfecerunt. Troadem cùm perueniſſent, apud Carpū hoſpitati ſunt, vbi à fratribus, qui præceſſerāt, expectabantur, nēpe, à Sopatre, Ariſtarcho, Timotheo, & aliis, qui pauca quædam ſecum allata, ſed Apoſtolo chara, hoſpiti Carpo, tanquam pro depoſito, ſeruanda tradiderant. Quæ hæc eſſent, poſt annum Romæ ea repetens Apoſtolus per literas Timotheo his verbis ſignificauit [c]: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas.* Pauculos libros, & nonniſi ſacros circunferebat Apoſtolus, licèt doctrinam ſuam orando magis, quàm ſtudendo, & à cœlo potiùs, quàm à codicibus obtineret. Membranas, quas ſibi deferri poſtulabat, aliqui nō improbabiliter eas paginas fuiſſe opinantur, in quibus exēplaria originalia miſſarum à ſe literarum continerentur: alij, quia membranæ propriè dicuntur chartæ Pergamenæ ex animaliū pellibus cōcinnatæ, malunt fuiſſe non ſcriptas paginas, ſed puras ad vſum conſcribēdarum Epiſtolarum, quę diuturno tempore conſeruarentur. Tanta erat Pauli paupertas, & ſimul cura iuuandarum Eccleſiarum ſuis immortalitate dignis Epiſtolis, vt etiam ab Aſia deferri ſibi Romam, quas ad id parauerat membranas, efflagitaret. c *2. Tim. c. 4. v. 13.*

Sed de penula valde ambigitur, quidnam eius nomine Apoſtolus intellexerit: conſtat enim, ſiue apud Latinos penulæ nomen, ſiue apud Græcos φαιλόλης vocabulum eſſe æquiuocum, atque inter alia pro variis generibus veſtium vſurpari, nobilium, ignobilium, iter agentium, orantium ad populum, & ſacris operantium; quorum nihil ad præſens Pauli inſtitutū videtur pertinere potuiſſe. Ambroſio, & Anſelmo adſcripta Commētaria, & alij ea ſecuti circa Epiſtolam ad Timotheum, penulam hanc apoſtolicam interpretantur veſtem fuiſſe ſenatoriam à parente ipſi Paulo relictam, qua Romani ciues, aut externi Romana ciuitate donati, cùm ad vrbem veniſſent, vterentur: Senatores enim vrbis penulati incedebāt, & Romani penulati Curiam intrabant. Sed, quid Paulo, quamuis ciui Romano,

Romano, tamē captiuo, tunc Romæ & in vinculis detento, cum veſte ſenatoria? & cur eā per Aſiam circuntuliſſet; Romam autem venturus, cur illam Troade modò reliquiſſet? Nec ea verè Ambroſij, & Anſelmi ſunt Commentaria; ſed falsò vtrique adſcripta, vnde plures decepti ſunt. Alij minùs improbabiliter, veſtem fuiſſe arbitrantur ad frigus, vel pluuias arcendas, de qua ſic ſcribit Lampridius in Seuero: *Penulis intra vrbem vt ſenes frigoris cauſa vterentur, permiſit Alexander Imperator, cùm id veſtimēti genus ſemper itinerarium, aut pluuiæ fuiſſet.* Hoc magis S. Hieronymo [d] probatur, Chryſoſtomo [e] quoque, Theophylacto [f], & quibuſdam Interpretibus recētioribus. Sed ea veſtis duplex erat: altera, quæ gauſapina dicebatur, ita villoſa, & cādida, vt quāuis ad arcēdum frigus eſſet percommoda; poſſet tamen cuicunque tempori homini peregrinanti deſeruire. Quare ſic de illa ſcripſit Martialis [g]:

His mihi candor ineſt, villorum gratia tanta eſt,
Vt me vel media ſumere meſſe velis.

Nihil igitur fuit, cur in ipſo peregrinationis ſuæ ingreſſu Paulus eam veſtem ſi geſtabat, derelinqueret. Altera penula dicebatur ſcortea, de qua idem Poëta ſic ait [h]:

Ingrediare viā cœlo licèt vſq; ſereno,
Ad ſubitas nunquam ſcortea deſit aquas.

Quare nec iſtā videtur debuiſſe Paulus tam remotè peregrinaturus deſeruiſſe: multò minùs credere debemus penulā fuiſſe Oratorum, de qua Tacitus [i]: *Quantū (inquit) humilitatis putamus eloquentiæ attuliſſe penulas iſtas, quibus aſtricti velut incluſi, cum iudicibus fabulamur?* Et quāuis Vlpianus in l. *veſtis ff. de auro & argento legatis.* inter cōmunia veſtimenta, quibus promiſcuè vir, & mulier vterētur, penulas adnumerauerit, nō tamē putamus eo veſtiū apparatu Paulum iter peregiſſe, vt relinquere ſuperuacaneas alicubi cogeretur. Sunt ergo alij, qui velint, penulam Pauli, veſtē fuiſſe ſacerdotalē, quam planetā, ſiue caſulā appellamus, Græcè, φαινόλιον, ἀπὸ τοῦ φαινέσθαι, καὶ ὅλον, nēpe, quia apparet totum corpus circumambiens: neque enim ad latera ſcindebatur, ſicut planetę noſtrates, dictæ ἀπὸ τοῦ πλανᾶν, id eſt, ab aberrando; ſed totum vndequaque ambiebat corpus, quales etiā hoc tēpore adhibent Græci Sacerdotes, & in antiquioribus Eccleſiis nōnullę peruetuſtę ſimili forma aſſeruātur. Huius ſentētiæ putatur eſſe Tertullianus; qui tamen nō de ſacerdotali caſula, vel planeta loquitur; ſed de pallio, vel alia veſte ſuperiori, quam Gentiles oraturi ante idola deponebant: & abuſum quorundā Chriſtianorū reprehēdit, qui tales imitari viderentur; non autē Paulum, & alios Apoſtolos. Sed nec ipſe de Pauli penula in hūc ſenſum loquitur ex propria ſententia; verum ex eorum, quos reprehendit, opinione, ſic dicēs [k]: *Eſt quorūdam cōſuetudo, poſitis penulis orationem facere: ſic enim adeunt ad idola nationes. Quod vtique ſi fieri oporteret, Apoſtoli, qui de habitu orādi docent, cōprehendiſſent; niſi qui putant, Paulū penulā ſuam in oratione penes Carpum reliquiſſe. Deus, ſcilicet, non audiet penulatos, qui tres ſanctos in fornace Regis Babylonis exaudiuit.* Deinde caſula ſacerdotalis nō, ſicut hîc habet Paulus, φαιλόνης, Græcè dicitur; ſed φαινόλιον, quod nomē nō penula Latinè, vt reddit vulgatus Interpres, ſed penoliū, aut phenoliū reddi debuiſſet. Mirum quoq; videtur, nō potuiſſe Paulū Romæ ſimilē veſtem ſacerdotalē procurare, vt debuerit vnicā in Aſia relictā ab vrbe repetere. Quare magis eorū probatur opinio, qui volumen ſacræ

d S. Hieron. dial. 3. contra Pelag.
e Chryſoſt. in c. 4. Ep. 2. ad Tim.
f Theophyl. ibidem.
g Martial. lib. 14. epigr. 150.
h Mart. l. 14. ep. 135.
i Tacitus in Dial. orat.
k Tertull. l. de orat. c. 12.

Scripturæ penulam hanc interpretantur, ſic dictam, eò quòd tela, corio, vel charta longiori circa lignum conuolueretur, quale vſque ad hoc tempus aſſeruarum ſub cortina vidi aliquando in Synagogis Iudæorum. Vnde S. Hieronymus ad Damaſum ſcribens [l]: Volumen (inquit) Hebræorum replico, quod Paulus φαινόλην, iuxta quoſdam vocat. Indicat etiam S. Chryſoſtomus, dicens, quoſdam exiſtimaſſe, penulam Pauli eſſe thecam, ſeu loculos, in quibus libri conderentur, & Syriaca interprerario domum Scripturarum eam vocat. Videri ergo poſſet penula dicta quaſi penu paruula, in qua conuoluta ſcriptura veteris Teſtamenti conderetur, quæ vt ſacroſancta, & fideliter deſcripta, non facilè, nec breui tempore irerum deſcribenda Librariis Romæ committi potuiſſet. Niſi fortè penula dicta ſit imitatione Græci nominis, φαινόλη, ſic enim habent aliqua exemplaria, pro φαιλόνη, quæ magis thecam ſignificat, aut breue tegumentum. Tria igitur hæc cùm ferre ſecum Apoſtolus nollet, feſtinans quamprimùm Ieroſolymam, & inde Romam venire, nempe, volumen Scripturarum veteris Teſtaméti, deinde libros aliquot iunctis inter ſe foliis compaginatos, & membranas aliquot diſſolutas ad epiſtolas ſcribendas, vel alia proprio ſtudio adnotanda, depoſuit omnia apud Carpum, ab eo, vbi Romam, quò feſtinabat, perueniſſet, repetiturus, vt via multo breuiori ſecuriùs, & faciliori negotio tranſmitterentur.

l S. Hieron. epiſt. 125. q. 2. Chryſoſt. hom. 10. in 2. Timoth.

Quis autem Carpus hic fuerit, hoſpes Pauli, ab aliquibus dubitatur: ſunt, qui non alium fuiſſe arbitrantur, quàm Carpum illũ, de quo narrat S. Dionyſius Areopagita in ſua Epiſtola ad Demophilum [m], cùm in Cretam ipſe veniſſet aliquando, ſe ab illo fuiſſe hoſpitio humaniſſimè exceptum, & expoſitam ſibi ab eo fuiſſe viſionem planè admirabilem, quam diuinitùs non pridem obtinuerat: vocat itaque illum virum ob eximiam animi munditiem ad Dei ſpeculationem vltra fermè omnes aptiſſimum. Sed, cùm Carpus, hoſpes S. Dionyſij, Cretæ maneret; hic verò alter Carpus, hoſpes S. Pauli, Troade; veroſimilius eſt fuiſſe diuerſos: & hunc, de quo agimus, ordinatum eſſe Epiſcopum Berœenſem, Auctor eſt Dorotheus in Synopſi. In Romano verò Martyrologio hæc tantùm de illo habentur, die Octobris decimatertia: *Apud Troadem, Aſiæ minoris vrbem, natalis S. Carpi, diſcipuli B. Pauli Apoſtoli.* Iam ea, quæ Troade Paulus geſſit, proſequamur.

m S. Dionyſ. ep. 8. ad Demoph.

CAPVT VI.

Troade Paulus magna populi frequentia concionatur, Sacramentum Euchariſtiæ fidelibus adminiſtrat; mortuum Eutychum ad vitam reuocat.

SEptem diebus moratum Troade Paulum Lucas, qui tunc aderat, reſtatur, & addit [a]: *Vna autem Sabbati, cùm conueniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat cum eis, profecturus in craſtinum, protraxitque ſermonem vſque ad mediam noctem.* Vnâ Sabbati dixit S. Lucas, ſignificans Hebraïca phraſi primum hebdomadæ diem, nempe, Dominicum, ſicut Chryſoſtomus [b], & Auguſtinus [c], aliique ferè omnes recentiores Interpretes aduerterunt: ſic enim legimus Geneſis cap. primo [d]: *Factúmque eſt veſpere, & mane, dies vnus.* id eſt, primus, atque Dominicus:

a Act. c. 20. v. 7.
b Chryſoſt. hom. 43. in Act.
c S. Aug. ep. 86.
d Geneſ. c. 1. v. 5. 8.

vnde

vnde aliis quibuſdã creatis ſubditur: *Factus eſt veſpere, & mane, dies ſecundus.* Si ergo Dominicus dies hic erat Paulo Troade iam diſceſſuro, nec ibi manſerat, niſi per ſeptem dies, Dominicus quoque eſſe debuit; nempe, iam decurſæ hebdomadæ initium, cùm eò peruenit. Vt quantùm aſſequi coniectura poſſumus, & cum Chryſoſtomo anteà notaueramus, feſtiuos dies ibi celebrare Apoſtolus procuraret, vbi Eccleſiæ fidelium inuenirentur, & adeſſet opportunitas offerendi ſolenniter ſacrificium, alióſque pios ritus exercendi. Itaque, ſicut apud Philippenſes paſchales dies celebrauit; ita primam, & ſecundam poſt Paſcha Dominicam voluit inter fideles, qui erãt Troade, peragere. Sed prima fortaſſe Dominica die cùm eò fatigatus aduenisſet, magis priuatè rem diuinã fecit: in ſecunda verò tales fuêre concurſus, & ea miracula ſunt edita, vt nulla ratione debuerint à ſacro Hiſtorico prætermitti.

Sed dubitant aliqui, an, quod ait S. Lucas: *Vna Sabbati cùm conueniſſemus ad frangendum panem.* id eſt, die Dominica, quando Paulus erat diſceſſurus, ſit intelligendum de conſecratione, & adminiſtratione Euchariſtiæ: non tamen dubitat antiquus Interpres Syrus, qui ea verba ſic reddidit: *Primo autem die hebdomadis, dum congregati eſſemus ad frangendam Euchariſtiam.* Idque magis approbat S. Auguſtinus in epiſtola ad Caſulanum [e], diem illum ponens fuiſſe Dominicum, qui more eccleſiaſtico à primis veſperis Sabbati præcedentis incipiens, lucem cõplectitur ſubſequẽtem: *Quia enim,* inquit, *Sabbati tunc appellabatur dies, qui nunc Dominicus appellatur, quod in Euangeliis apertiùs inuenitur: nam dies Reſurrectionis Domini prima Sabbati à Matthæo; à cæteris autem tribus vna Sabbati dicitur: quem conſtat eum eſſe, qui Dominicus poſteà appellatus eſt. Ergo poſt peractum diem Sabbati noctis initio fuerant congregati, quæ vtique nox iam ad diem Dominicum, hoc eſt, ad vnam Sabbati pertinebat: & ita eadem nocte fracturus panem, ſicut frangitur in Sacramento Corporis Chriſti, produxit ſermonem vſque ad medium noctis, vt poſt Sacramenta celebrata, rurſus vſque ad diluculum alloquens congregatos, quoniam valdè feſtinabat, luceſcente proficiſceretur Dominico die.* Hæc S. Auguſtinus. Sed & ipſe S. Lucas, cùm, συνηγμένων, dixit, de congregatis, ſeu conuenientibus fidelibus, nonniſi ſacram Synaxim verbi proprietate videtur ſignificare voluiſſe. Nec minùs idem confirmauit addendo, κλάσαι ἄρτον, frangere panem; ſiue, vt reddit vulgatus Interpres, ad frangendum panẽ, vtique Euchariſticum: ſic enim idem S. Lucas in hac ipſa Hiſtoria de primis illis fidelibus, qui quotidie communicabant, dixit [f]: *Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis.* Et in poſtremo capite ſui Euangelij referens de duobus illis peregrinantibus in Emmaüs, quomodo fuerint à Chriſto cœleſti hoc pane refecti [g]: *Cognouerunt*, inquit, *eum in fractione panis.* Quod etiamſi aliqui de vulgari pane dictum putauerint; meliùs tamen cum Auguſtino [h], Chryſoſtomo [i], Theophylacto [k], Beda, & aliis dictum intelligimus de Euchariſtia. Nam iiſdem planè verbis deſcribitur in Euangelio, qua ratione Chriſtus Dominus hoc Sacramentum in vltima cœna miniſtrauerit: *Accipiens*, inquit Euangeliſta [l], *Ieſus panem, benedixit ac fregit.* Et ſimiliter S. Paulus [m], ea de re ad Corinthios ſcribens ait: *Dominus* Iesvs *in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit,* &c. Eſt enim panem frangere phraſi Hebrai-

e S. Aug. ep. 86. ad Caſul. poſt medium.

f Act. c. 2. v. 42.

g Luc. c. vlt. v. 3.

h S. Aug. l. 3. de conſenſu Euangel.

i Chryſ. hom. 9. circ. in Matth.

k Theophyl. & Bed. in c. vlt. Lucæ.

l Matth. c. 26 v. 26.

m 1. Cor. c. 11. v. 23.

ca apud Iudæos, conuiuium celebrare, eò quòd ſoleret paterfamiliàs menſæ benedicens panes, non quales noſtrates; ſed per modum placentæ paratos diuidere, & conuiuis ante alia diſtribuere: hinc panem alicui frangere, eſt cibo, quo indiget, reficere: *Frange* (inquit Iſaïas [n]) *eſurienti panem tuum.* & Ieremias [o]: *Paruuli petierunt panem; & non erat, qui frangeret eis.* Sed in nouo Teſtamento verbum frangendi panem, quod tantùm erat eccleſiaſticum, factum eſt ſacramentale, & ad Euchariſtiæ confectionem, atque adminiſtrationem appropriatum. Vnde S. Paulus [p]: *Panis,* inquit, *quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt?* Et ſanè conueniſſe tantam multitudinem ad vulgarem panem cum Paulo manducandum, neque apparet veriſimile, neque ſi eſſet, operæpretium fuit in ſacra Hiſtoria ſic notàri; ſed magis dicendum fuiſſet, omiſſa panis mentione, illos ad audiendum verbum diuinum, ſiue prædicationem Apoſtoli conueniſſe. Neque enim potior habenda ratio fuit cibi corporis corruptibilis, quàm alimoniæ ſpiritualis, ſicut dicebat aliquando Chriſtus Dominus Iudæis [q]: *Operamini cibum, non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Sed & locus in domo ſublimior, nempe, tertiæ contignationis, vbi cōgregata erat fidelium multitudo, & magna luminum copia, ſiue, vt loquitur S. Lucas, lampades copioſæ, & Dominicus dies, quid niſi ſacrum conuentum ad ſacra peragenda congregatum ſignificare arbitrabimur? Quod enim Sarcerius quidam Hæreticus hîc reſpondet [r], proptereà id factum, & à S. Luca notatum, ne qua verſantium in tenebris ſiniſtra ſuſpicio nobis ingereretur, nimis eſt putidum. Quaſi verò niſi diſpoſitam ibi lampadum copiam S. Lucas expreſſiſſet, ſuſpicari vllus ſanæ mentis potuiſſet, tantam multitudinem per tenebras ad partem ſuperiorem illius domus reptaſſe; &, quod nefas eſt cogitare, per noctem vacaſſe flagitiis tenebroſis, vt fertur hoc tempore de Anabaptiſtis, & olim de Carpocratianis eſt traditum. Sed abſit quidquam ſimile vereri de cœtu præſertim illo Sanctorum, quos ad ſacram Synaxim modò conueniſſe Lutherus quoque faſſus eſt in ſuo quodam ſermone de Euchariſtia, & confirmat in huius loci Commentario Caluinus, dicens: *Nam, quamuis Hebrais panis fractio conuiuium domeſticum ſignificet; hoc tamen loco de ſacra cœna exponi debet.* Hi tamen aduertere ſimul debuiſſent, nullam hic fieri niſi vnius ſpeciei ſacramentalis mentionem, videlicet, panis: nihil verò de calice communicantibus imperrito, ſicut neque Actorum capite ſecundo, vbi dicitur de primis illis Ieroſolymæ Chriſtianis: *Erant communicantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis.* Et in extremo capite S. Lucæ Euangelij legimus, Chriſtum Dominum duobus diſcipulis panem benedixiſſe, fregiſſe, & ſtatim ex eorum oculis euanuiſſe. Ex quibus benè Catholici Auctores contra huius temporis Hæreticos argumentantur, non eſſe contra diuinum ius, aut præter Chriſti Domini inſtitutum, ſub vna tantùm ſpecie Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrare, quandoquidem ita factum à S. Paulo, & ab aliis Apoſtolis, atque etiam ab ipſo Chriſto Domino aliquando, ſacræ Literæ tradiderunt.

n Iſai. c. 58. v. 7.
o Ierem. lam. c. 4. v. 4.
p 1. Cor. c. 11. v. 15.
q Ioan. c. 6. v. 27.
r apud Marloratum in catena huius loci.

Ex

Ex his prætereà benè arguit S.Hieronymus contra Hæreticum Vigilantium, quem potiùs Dormitantium ait appellandum, quòd offenderetur tanta lampadum, ac luminum multitudine, quæ haberi ſolent in Eccleſiis Catholicorum, præſertim tempore ſacrificij, ad cuius pompam & cultum magis illuſtrandum ordo eſt in Eccleſia inter minores Clericos præcipuus acolytorum, ſiue ceroferariorum, qui, ſicut dicitur in Concilio quarto Carthaginenſi [s], debent ab Archidiacono accipere ceroferarium cum cereo, vt ſciant ſe ad accēdenda Eccleſiæ lumina mancipari. De his agens S.Iſidorus in libro ſeptimo Etymologiarum, capite de Clericis: *Accenduntur* (inquit) *luminaria ab eis, & deportantur, non ad fugandas tenebras, dum Sol eodem tempore rutilet; ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum: vt ſub typo luminis corporalis lux illa oſtēdatur, de qua in Euangelio legitur: Erat lux vera*, &c. Quanto autem ad id ſumptu lampades, candelabra, vaſa argentea & aurea, ſiue alio pretioſo metallo affabrè facta haberentur, in quibus non oleum modò commune, vel cera; ſed balſamum quoque, & nardi liquor incēderetur, legi poteſt, tum in antiquo libro de munificentia Conſtantini, tum in Baronio [t], & aliis ab ipſo prolatis fide dignis Auctoribus. Ex quibus refellitur altera Caluini impudentia, & impietas, qui nihilo melior Vigilantio contra huiuſmodi eccleſiaſticum ſplendorem, & cultus diuini munificentiam ſic inuehitur [u]: *Tranſgrediuntur limitem, cùm in ſacris tantoperè auro, argento, ebore, marmore, lapillis, & ſericis delectantur: nec ritè Deum coli putant, niſi omnia exquiſito ſplendore, vel potius inſano luxu diffluant.* Nec veretur in hoc genere non tantùm nos, ſed etiam totam ab apoſtolicis vſque temporibus accuſare antiquitatem, dicens [x]: *Nam, ſi quis vetuſtate tueri huiuſmodi inuentiones velit, nec ipſe ignoro, quam non longè ab ætate Apoſtolorum cœna Domini tacta rubigine fuerit: ſed iſthæc, ſcilicet, humanæ confidentiæ procacitas eſt, quæ ſe continere nequit, quin ſemper in diuinis myſteriis ludat, & laſciuiat.* Itaque non habere ſacra vaſa rubiginoſa, Caluino eſt rubigo cœnæ Domini; & fulgor lampadum ſunt tenebræ; & balſamum, & oleum nardinum grauiter illi olet, tanquam inſanus luxus, & laſciuia; qui ſi vidiſſet vnguentum nardi piſtici pretioſi fracto alabaſtro ſupra Chriſti caput effuſum, eadem ratione cum Iuda Iſcariote clamaſſet: *Vt quid perditio hæc?* Negari quidem non poteſt conſueuiſſe etiam Gentiles & idololatras accenſis multis luminibus ſua quædam feſta celebrare: vnde ait de illis Iuuenalis [y]:

Et matutinis operantur feſta lucernis.

Narrat quoque Dio in Nerone, Romam aliquando, tum honoris, tum lætitiæ cauſa repletam fuiſſe lucernis, feſta fronde, ac ſuffitibus. Iudæi ſimiliter quædam feſta, tum ſacra, tum profana lucernarum accenſa multitudine peragebant. Hinc Perſius [z]:

At cùm
Herodis venēre dies, vnctâque feneſtra,
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuēre lucernæ.

Sed non proptereà exiſtimare debemus, id Iudæos à Gentilibus accepiſſe, qui multò antè, inſtitutione diuina candelabrum celeberrimum, & alia huiuſmodi pro diuino cultu obſeruabant. Potiùs Gentiles hæc à Iudæis mutuati ad idola & ſuper

[s] Concil. Carthag. 4. c. 6.
[t] Baron. an. 58.
[u] Calu. in præf. Inſt.
[x] idē lib. 4. Inſt. c. 17. § 43.
[y] Iuuen. Sat. 12.
[z] Perſ. Sat. 5.

perſtitiones tranſtulerunt: nos autem, vt benè arguit contra Vigilantium S. Hieronymus, hæc vero Deo, pióque cultui reſtituimus.

Refellit prætereà ex his S. Auguſtinus, in ea, quam ſuprà commemorauimus, epiſtola ad Caſulanum[a], aliã Manichæorum & Priſcillianiſtarum dementiam, qui ex praua interpretatione eorum, quæ hîc à Paulo ſunt geſta, inferebant, diebus Dominicis eſſe ſolenniter ieiunandum: *Nec vllum,* inquit, *moueat, quod Priſcillianiſtæ Manichæorum ſimillimi ad ieiunandũ die Dominico ſolẽt teſtimonium de Apoſtolorũ actibus adhibere, cùm eſſet Apoſtolus Paulus in Troade.* Ad id verò S. Auguſtinus reſpondet, nihil neceſſe fuiſſe Paulum, vel alios, qui ad eum diutiùs concionantem conuenerant, illo die Dominico ieiunare: quia peracto Sabbato, quando iam cœnaſſe omnes potuerunt, veſperi congregati ſunt, & nocte illa Dominicam lucem antecedẽte, Paulo vltra mediam noctem concionanti, ſacra facienti, & Euchariſtiam adminiſtranti adfuerunt vſque ad matutinum tẽpus, quo Troade Apoſtolus diſceſſit. Si verò dicamus, primo mane Dominicæ diei fideles conueniſſe, & toto illo Dominico die Paulum concionantẽ vſque ad noctem, lucémque ſequentẽ, quod minùs eſt veriſimile, audiuiſſe; neque hoc fauet quidquam ieiunio Manichæorum. Quia non ideò tota illa die ſine cibo manſiſſent, vt ieiunarẽt; ſed vt Paulum iam diſceſſurum, quẽ auidiſſimè audiebant, quandiu poſſent, audirent: *Quare,* inquit S. Auguſtinus, *ſi in vna Sabbati, nõ per noctem, ſed per diem hora Dominici fuerant cõgregati, eo ipſo quod dictum eſt: Paulus diſputabat illis exiturus alia die. expreſſa eſt cauſa producendi ſermonis; quia fuerat exiturus, & eos ſufficienter inſtruere cupiebat. Nõ ergo ſolenniter die Dominico ieiunabant; ſed neceſſarius ſermo, qui ſtudy feruentiſſimi audiebatur ardore, reficiendi corporis cauſa interrumpendus eſſe nõ eſt viſus, profecturo Apoſtolo, qui eos propter alios ſuos vſquequaque diſcurſus, vel aliàs nunquam, vel rariſſimè viſitabat, præſertim quia tunc ex illis terris, ſicut conſequentia docent, ita diſceſſurus erat, vt iam non eſſet eos in carne viſurus.* Hæc S. Auguſtinus. Sed, vt diximus, minùs apparet veriſimile, à matutino tempore diei Dominici per totam illam diem, noctémque ſequẽtem, & aliam feriæ ſecundę matutinã lucem fideles illos, præſertim ieiunos, detentos ab Apoſtolo concionãte fuiſſe: ſatis enim, multúmque illud fuit, quòd à primis dominicæ diei veſperis vigilias peragentes Paulo attentas aures vltra mediam noctẽ præſtiterunt, quem neque putare debemus à principio noctis concionari cœpiſſe, quaſi per ſex & ampliùs horas protraxerit concionem: potuit enim aliquandiu, donec fideles congregarentur, expectaſſe; vel, ſicut ait S. Chryſoſtomus, interpolatè, non continuatè concionabatur.

Intereà, vt audirent Apoſtolum, adeò magna conuenerat multitudo, vt etiam altioribus domi feneſtris aliqui aſſiderent. *Quare* (inquit S. Lucas[b]) *ſedens quidam adoleſcens nomine Eutychus ſuper feneſtram, cùm mergeretur ſomno graui, diſputante diu Paulo, ductus ſomno cecidit de tertio cœnaculo deorſum, & ſublatus eſt mortuus. Conſiderate nobiſcum* (ait Chryſoſtomus[c]) *domum illam, vbi lampades erant, vbi turba, vbi Paulus medius diſſerebat, vbi & feneſtras multi occupabant, vt audiant tubã illam, & amabilem vultum intueantur, & quantam hinc voluptatem acceperint.* Excuſat deinde Eutychum dormitantẽ ex eo, quòd eſſet intẽpeſta nox, ſermo Apoſtoli valdè prolixus, auditor adoleſcẽs, qui

a S. Aug. ep. 86. ad Caſul.

b Act. c. 20. v. 9.

c Chryſoſt hom. 43 in Acta.

qui proinde ſomno ceſſerit nō ignauia, ſed neceſſitate naturæ, tantóque audiendi Paulum concionantem deſiderio teneretur, vt etiam ſomno grauatus, & in tali diſcrimine poſitus, tamen perſeuerauerit. Erat, quamuis noctu, fortaſſis aperta feneſtra, ob illius regionis verno etiam tempore caliditatem, æſtum tot ardentium lampadarum, & halitum confertæ multitudinis; aut certè nō erat ita firmiter clauſa, quin poſſet impulſu aliquo facilè aperiri. Quapropter grauatus ſomno Eutychus, Dæmone (vt putat Chryſoſtomus) propellente, ad feſtum, & gaudium ſpirituale interturbandum corruit, non intra domum: ſic enim ab vna tantùm contignatione cecidiſſet; ſed extra inferiùs per tres contignationes, vſque ad viam publicam, ſiue aream inferiorem: *Cecidit* (inquit

d *Act.* 20. v. 9. & 10. S. Lucas [d], *) de tertio cœnaculo deorſum, & ſublatus eſt mortuus. Ad quem cùm deſcendiſſet Paulus, incubuit ſuper eum, & complexus dixit: Nolite turbari: anima enim ipſius in ipſo eſt.* Circa quæ ſacræ Hiſtoriæ verba primùm eſt obſeruandum, quod diximus, non intra, ſed extra domum Eutychum lapſum è feneſtra illa corruiſſe, vt propterea Paulo fuerit exeundum, & deſcendendum ad aream inferiorem, ſiue publicam viam, qua mortuus adoleſcens efferebatur. Deinde non eſſe, quod aliqui dicunt, neceſſarium affirmare, Paulum prophetico ſpiritu mortui adoleſcentis caſum intellexiſſe: ſatis enim concionis turbatio ex infortunio tam inopinato, quod diſſimulari nequibat, acerbitatem caſus manifeſtauit. Vnde Arator in ſuo ſacro Poëmate rem ita deſcripſit:

Mæſto ſonuêre boatu
Atria, concurrit gemitu miſerata frequenti
Turba videre locum, qui funere triſtis acerbo
Lætitiam facturus erat. Cui Paulus adhærens
Pectore, Viuit, ait; quam vocem vita ſecuta eſt,
Mórſque repulſa fugit.

Neque verò, cùm turbatæ multitudini Paulus dixit: *Nolite turbari: anima enim ipſius in ipſo eſt.* ſignificare voluit non fuiſſe mortuum adoleſcentem: iam enim Lucas, ne quis de hac re, & de miraculo ſuſcitationis dubitaret, aſſeruit, mortuum fuiſſe ſublatum: quia caſus fuit ex altiſſimo loco, trium, videlicet, cōtignationum. Sed magis Pauli modeſtiam in illis verbis Chryſoſtomus agnoſcit [e]: *Non dixit*, (inquit:) *Reſurget: excitabo enim illum. Sed quid? Ne turbemini. Vide, vt faſtu caret, & promptè conſoletur?* Ita etiam Chriſtus Dominus mortuam puellam in domo cuiuſdam Principis ad vitam reuocaturus dicebat turbæ tumultuanti [f]: *Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit.* Vt verbis minimè arrogantibus tanti miraculi facilitas, ac celeritas declararetur. Imitari autem Apoſtolo placuit duos illos inſignes Prophetas, Eliam, & Eliſeum, ſicut Regum narrat hiſtoria [g], ſupra exanimata duorum corpora procumbentes, vt illos à mortuis excitarent. Fortè etiam, quòd Paulus dicitur non tantùm ſupra defuncti corpus incubuiſſe, verùm etiam circumplexus, ſiue, vt Græcè legitur, συμπεριλαβὼν, circumamplexus, nobis inſinuat, oportuiſſe luxata, atque diffracta membra componere, arctéque conſtringere, vt adoleſcens Eutychus, id eſt, fortunatus, ſic enim nomen eius interpretatur, priſtinæ vitali integritati reſtitueretur.

Poſt hæc (ait Lucas [h]) *aſcendens Paulus, frangénſque panem, & guſtans,* *ſatiſque*

e *Chryſoſt. hom.* 43. *in Acta.*

f *Matth. c.* 9. *v.* 24.

g *lib.* 3. *Reg. c.* 17. *v.* 21. & *l.* 4. *Reg. c.* 4. *n.* 34.

h *Act. c.* 20. *v.* 11.

ſuiſque allocutus vſque ad lucē, ſic profectus eſt. Quid guſtauerit, vtrùm cõmunem panem, an eucharisticum, ab aliquibus dubitatur: nam guſtandi verbum communem indicat cibum; frangendi autem ſacramentalem potiùs videtur ſignificare. Sed niſi anteà ſacra myſteria ſint peracta, Paulo ſacrificante, & fidelibus, qui aderant, euchariſticum panem adminiſtrante, cùm ex dictis conſtet, ad hoc potiſſimùm eos tali tempore, loco, & luminum apparatu conueniſſe, credere debemus nunc poſt ſuſcitatum adoleſcẽtem id factum, & vſitata frangendi panē locutione à Luca ſignificatum, quæ communiter in ſcriptura noui Teſtamenti pro actione ſacramentali, vt ſuprà oſtẽdimus, vſurpatur, ad eámque referre guſtandi verbum nullum eſt inconueniens. Niſi fortè cum menſa ſacramentali alia quoque parata haberetur menſa vſualis, ex qua Paulus ſtatim diſceſſurus aliquid deguſtaret, qui tota nocte vigil, infatigabilis, maximo ardore animi, & contentione in prædicatione diuini verbi laborauerat, nec adhuc poſt illam medicam refectionem, donec magis illuceſceret, & ad iter peragendum hora eſſet opportuna, non deſiſtebat omnes ad Chriſtianam perfectionē adhortari. *Adduxerunt autem* (inquit S. Lucas [i]) *puerum viuentem, & conſolati ſunt non minimè.* Non eum ſecum Paulus quaſi ad miraculi oſtentationem adduxerat, ſed alij perduxerunt, vt diſcedenti Apoſtolo pro accepto vitæ beneficio vltimas gratias ageret, eúmque cum aliis de tanto miraculo exultantibus reuerenter conſalutaret, qui miſſis ad nauem comitibus ipſe per terram itinere pedeſtri profectus eſt, atque ita Troadem octauo, ex quo venerat, die reliquit.

i *Act. c. 20. v. 12.*

CAPVT VII.

Troade venit Aſſum, Mitylenem, Chium, Samum, & Miletum, vbi conuocatos maiores Eccleſiæ Epheſinæ, omnes ad paſtoralem animarum curam adhortatur.

TRoade Meridiem versùs proficiſcentibus non procul occurrit Aſſon, oppidum celeberrimū, aſcenſu perarduum ex ea parte, qua reſpicit Ægæum mare ad Oceanum, vbi portum habet aggere conſtructum, ſicut ab Homero deſcribitur [a], & à Plinio [b] Aſſon Troadis appellatur. Cùm autem terra, maríque perueniri eò poſſit, Paulus voluit Lucam & ſocios ad dextram per mare nauigare; ipſe verò ad ſiniſtram terreſtri itinere, breuiori quidem, ſed laborioſiori proficiſci. *Ecce* (inquit Chryſoſtomus [c]) *ipſe quidem pedes viam ingreditur; illi autem nauigio vadunt: permittit illis quod leuius, eligens ſibi quod moleſtius.* Sed alia prætereà videtur fuiſſe cauſa huius ſeparatæ à comitibus profectionis, quòd fideles, qui Troade inueniebantur, vix à Paulo poterant diuelli: dum ergo ab eis adeò peramanter detineretur, iuſſit Lucam & ſocios nauem conſcendere, vt ipſe Troadenſibus comitatus itinere terreſtri progrederetur, & ſic eſſe cum illis diutiùs poſſet, alloqui ſingulos, magis inſtruere, paterna omnes charitate ſolari, atque complecti. *Nos autem* (inquit Lucas [d]) *aſcendentes nauem nauigauimus in Aſſon, inde ſuſcepturi Paulum, ſic enim diſpoſuerat ipſe per terram iter facturus. Cùm autem conueniſſet nos in Aſſon, aſſumpto eo venimus Mitylenem.*

Eſt Mitylene ciuitas Æolica, de qua Lyricus Poëta cecinit [e]:

Laudabunt

a *Hom. Iliad. ſ.*
b *Plin. l. 5. c. 36.*
c *Chryſoſt. hom. 43. in Acta.*
d *Act. c. 20. v. 13. 14.*
e *Horat. l. 1. Car. ode 7.*

Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenem,

& M. Tullius eandem laudat appellans numero multitudinis [f]: *Quid* (inquit) *Mitylene, quæ certè veſtra, Quirites, belli lege, & victoria iure facta ſunt, vrbs & natura, & deſcriptione ædificiorum, & pulchritudine in primis nobilis.* Ex hac dicitur Pittacus extitiſſe vnus è ſeptem Græciæ Sapientibus, & Alcæus Poëta, & Sappho mulier poëtica quoque facultate celebris. Et quidem Vitruuius [g], vrbem, à magnificentia, & ædificiorum elegantia commendat; ſed eius ſitum vituperat ex parte auſtrali maximè inſalubrem, vbi portus vnus patebat capax nauium ac triremium quinquaginta: alter verò portus borealis magnus, atque profundus aggere protegebatur. Hac nauis, qua Paulus cum ſociis aduehebatur, adueniens, nulla ibi contracta mora deflexit ad Auſtrum: *Et inde nauigantes* (inquit Lucas [h]) *ſecunda die venimus contra Chium.* Eſt hæc Inſula ambitu concluſa nongentorum ſtadiorum, inter Samum & Leſbium conſtituta, ad quam modò Paulus non acceſſit, ſed prænauigans, *altera die* (inquit Lucas [i]) *applicuimus Samum.* Hæc inſula non procul à Chio illa clarior atque fertilior, & Anthemuſa quondam à floribus appellata, ſeptem & octoginta milliaribus circumambitur. Hic natum ferunt Pythagoram Philoſophum, propterea Samium appellatum, & Iunonem commentitiam Deam educatam, ibique fratri ſuo Ioui, licentia illius profanæ Deitatis nubere adeò non erubuiſſe, vt etiam Iunonio inceſſu, quod poſteà prouerbio fuit, gloriaretur, dicens [k]:

Aſt ego, quæ Diuum incedo Regina, Iouiſque
Et ſoror, & coniux.

Et tamen his inceſtata nuptiis inſula, quaſi eſſet ibi propterea illuſtrata virginitas, Parthenia, teſte Varrone [l], id eſt, virginea eſt appellata, habebátque templum inſanæ ſubſtructionis cum famoſo Iunonis ſimulacro, cui ſacra anniuerſaria, nuptiarũ ritu à puellis celebrabantur. Fuiſſe præterea vnam ex Sibyllis inde Samiam vocatam, teſtatur poſt Euſebium in Chronicis, S. Auguſtinus [m], eámque prophetaſſe quædam inſignia de Chriſto, quo tempore Iſaïas prophetabat, Manaſſes regnabat in Iudæa, & Romulus Romæ dominabatur. Quæ verò de Chriſto ex huius Sibyllæ oraculis referuntur hæc ſunt: *Tu, ô Iudea ſtulta, Deum tuum non cognouiſti, ſed magis illuſiſti, & ſpinis coronaſti, horridúmque fel miſcuiſti.* & in alio vaticinio: *Veniet diuiſſimus, & naſcetur de paupere puella pauperrimus, & à belluis adorabitur.* & in alio: *Intrabit Ieruſalem ſuper humilem aſellum triumphando.* Quare mirum alicui videri poſſet, cur hic Apoſtolus aliquandiu nõ ſubſtiterit, & ſumpta ex oraculis huius Sibyllæ occaſione, illius inſulæ vaniſſimas ſuperſtitiones redarguere non ſit aggreſſus. Nam ſolitum illum oraculis Sibyllarum cum Gentilibus, & Prophetarum cum Iudæis agere ad eos cõuincendos, teſtatur in ſexto libro Stromatum Clemẽs Alexandrinus: quod tamen de concionibus ad populũ eſt accipiendum: nam in eius epiſtolis nulla leguntur vaticinia Sibyllarum; ſed benè plura oracula Prophetarũ, necnon pauca quædam teſtimonia Gentilium Poëtarũ. Sed feſtinabat Paulus ire Ieroſolymam, quò diuino inſtinctu vocabatur, & vt ipſe poſteà ſignificauit, quaſi arcana vi pertrahebatur. Quapropter nec in inſula Samo commoratus, Miletum ire perrexit: ſic enim ait S. Lucas [n]: *Applicuimus*

Marginal notes:
f Cic. in orat. contra Rull. lum.
g Vitr. lib. 1.
h Act. c. 20. v. 15.
i Act. c. 20. v. 15.
k Virgil. 1. Æn.
l Varro apud Lact. lib. 1.
m S. Auguſt. lib. 18. de ciu. c. 24.
n Act. c. 20. v. 15.

mus Samum, & ſequenti die venimus Miletum. Sed addunt Græca exemplaria. *Applicuimus Samum:* Καὶ μείναντες ἐν Τρωγυλλίῳ, *& manentes in Trogillio, ſequenti die venimus Miletum,* atque ita etiã legiſſe Chryſoſtomus inuenitur, aliique Interpretes Græci, & Syriacus. Eſt autem Trogillium promontorium contra Samum conſtitutum, habens iuxta ſe paruam inſulã ſimiliter Trogillium appellatam. Porrò diſtare à Samo Trogillium ſtadiis quadraginta Strabo teſtatur [o]: vnde ob loci propinquitatem ea die Paulus vlteriùs nauigandum exiſtimauit, vt Samo relicta per noctem Trogillij morarentur; die verò ſequenti opportuno tempore Miletum peruenirent.

o *Strabo lib. 14.*

Eſt Miletus à Samo non procul Ioniæ, ſiue Cariæ, ad mare ſita ciuitas quondam celeberrima, &, vt ait Plinius [p], vltra octoginta ex ſe quodãmodo ſuper cuncta maria gignens oppida. Hìc Paulus ſubſtitit, & rationem reddit S. Lucas, dicens [q]: *Propoſuerat enim Paulus tranſnauigare Epheſũ, ne qua morã illi fieret in Aſia. Feſtinabat enim, ſi poſſibile eſſet, vt diem Pentecoſtes faceret Ieroſolymis.* Verebatur valdè, ne ab Epheſiis, quos in fide & Euangelio tantis laboribus Chriſto genuerat, & à quibus tanquam pater amantiſſimus diligebatur, pluribus diebus, quantumuis inuitus ac renuens, detineretur: ideò relicta Epheſo, nauigationem direxit Miletum. *Quid vult feſtinatio illa?* (inquit Chryſoſtomus,) *non erat propter feſtum, ſed propter multitudinem: interim hoc Iudæis dabat, quaſi coleret feſtiuitatem, & captiuare ſibi volens animos etiam inimicorum, feſtinabat annunciare ſermonem.* Quibus verbis duas ponit Chryſoſtomus rationes, cur tantoperè feſtinaret Apoſtolus celebrare Ieroſolymis Pentecoſten: prima, vt querulis Iudæis ſatis aliquãdo faceret, qui eum damnabant tanquam Moſaïcæ legis contemptorem, ac deſtructorem: & iam aliqui ex Aſia Iudæi (quod ipſum non latebat) præcurrentes aduenerant Ieroſolymam, vt illum accuſarent, & populum in eum concitarent tanquam patriæ legis deſertorem, & qui multa in Moyſem, templum, ac religionem Iudaïcam vbique moueret, & moliretur. Neque ſolùm Iudæi, qui Chriſti fidem non receperant, Paulum propterea ſingulari odio proſequebantur; verùm etiam non pauci ex iis, qui Chriſtiana ſacra ſuſceperant ex Iudæis, & Ieroſolymis verſabantur, adhuc legalibus cæremoniis ita erant addicti, vt ob id à Paulo alienato quodammodo animo viderentur. Hæc itaque intelligens S. Paulus, & ſimul non ignorans eſſe ad tempus permiſſa legalia, ſeruiendum tempori exiſtimauit, factus, vt ipſe dicebat, Iudæus Iudæis, vt Iudæos lucrifaceret. Quare Feſtũ Pentecoſtes, quod peragere Ieroſolymis cogitabat, more Iudaico eſt accipiendum: nam, ſi celebrare illud tantùm apud fideles Chriſtiano ritu voluiſſet, nihil erat, quòd Ieroſolymam ad templum Salomonis ſe cõferret; ſed poterat id aſſequi in qualibet Eccleſia, vel conuentu Chriſtianorũ. Hinc ante aliquot annos, cùm Epheſi moraretur, ad Corinthios ſcripſit, ibi ſe pro Pentecoſte remanſurum, dicens [s]: *Permanebo Epheſi vſque ad Pentecoſten.* Quod verò S. Epiphanius [t], & quidam recentiores exiſtimant, Paulum Ieroſolymis Chriſtiano ritu Feſtum Pentecoſtes peregiſſe, ſi cum eodem Feſto Iudæorum tunc incidit, vt facilè potuit eo tempore contigiſſe, ſicut de Paſchate Troade peracto ſuperius dicebamus, id libenter admittimus,

p *Plin. lib. 5. c. 29.*

q *Act. c. 20. v. 16.*

s *1. Cor. c. vlt. v. 8.*

t *S. Epiph. hær. 75. Frãc. Turr. cõtrou. 5. contra Magdeb. 8. Bellar. l. 3. de cultu SS. c. 13.*

dummodo

dummodo fateamur, etiam propter Pentecoſten Iudæorum tunc temporis eſſe Ieroſolymis conſtituiſſe. Alteram huius feſtinatæ profectionis rationem reddidit S. Chryſoſtomus; vt, videlicet, in conuentu frequentiſſimo Iudæorum vndique ad Feſtum illud Pentecoſtes Ieroſolymam accurrentium, opportunitatem prædicandi pluribus Euangelium nanciſceretur. Tertiam addere nos poſſumus rationem, vt, quas ſecum portabar collectas eleemoſynas, pluribus indigentibus Chriſtianis, non tantùm qui manebant Ieroſolymis; ſed etiam, qui eo tempore illuc ex Iudæa conueniebant, faciliùs diſpenſaret.

Intereà, quid Mileti ſubſiſtens egerit Apoſtolus, narrat S. Lucas his verbis [u]: *A Mileto autem mittens Epheſum vocauit maiores natu Eccleſiæ, qui cùm veniſſent ad eum, dixit eis.* Non procul aberat Epheſo Miletus, vnde conuocari facilè poterant Clerici primarij Eccleſiæ Epheſinæ: hos Lucas appellat maiores natu, Græcè, πρεσβυτέρυς, propriè ſeniores; ſed non tam ætate, quàm dignitate in Eccleſia maiores intelligere debemus, quales ſunt Epiſcopi, & Sacerdotes, qui tanquam patres curam gerunt animarum, quibus fuiſſe tunc nomen Presbyteri commune, ſatis alibi declarauimus. Et quamuis vnius Epheſi eſſet Epiſcopus proprius, ſiue Archiepiſcopus Timotheus, qui tunc fortè cū Paulo inueniebatur; tamen videntur tunc alij Epiſcopi diœceſani, ſicut & parochi, iuxta Epheſum verſantes fuiſſe aduocati, vt ſignificauit S. Irenæus dicens [x]: In Mileto ex Pauli præſcripto fuiſſe conuocatos Epiſcopos, & Presbyteros, qui erant ab Epheſo, & à reliquis proximis ciuitatibus. Hos ante ſe congregatos Paulus magno ardore diuini Spiritus incenſus omnes officij ſui commonefecit, & in hanc ſententiam, vt is, qui tunc aderat, Lucas adnotauit, eſt allocutus [y]. Vos ſcitis, fratres, à qua primùm die Aſiam ſum ingreſſus, quomodo vobiſcum omni tempore ſim conuerſatus, ſeruiēs Domino cum omni humilitate, & lacrymis; inter plurima aduerſa, & graues perſecutiones, quæ mihi ex inſidiis Iudæorum contigerunt: quomodo nihil ſubterfugerim eorum, quæ veſtræ, aliorúmque ſaluti conducibilia fore videbantur, monens, & inſtruens, tum publicè, tum priuatè, etiam per domos, & conteſtans Iudæis ac Gentilibus, agendam eſſe de peccatis pœnitentiam, ad quā prouocat vnumquenque gratia ſua Deus & Dominus Chriſtus IESVS, vt eius integerrimā fidem ſuſcipiamus. Et ecce nunc ego diuino quodam inſtinctu S. Spiritus, cui reſiſtere, nec debeo, nec poſſum, pertrahor Ieroſolymam, quæ in ea ciuitate mihi euentura ſint, ignorans. Niſi quòd per omnes alias ciuitates ſentio proteſtari mihi Spiritum ſanctum, quòd vincula & tribulationes Ieroſolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec tanti facio mortalem vitam meam, vt eam æternæ animarum ſaluti velim anteponere. Satis mihi fuerit vixiſſe tamdiu, donec miniſterium euāgelicæ prædicationis, & gratiæ Dei à Domino IESV mihi commiſſum expleto laborum curſu aliquando perficiam. Et nunc ecce ego ſcio, quia nemo veſtrûm, quorum oppida & regiones Euangelium prædicans pertranſiui, amplius in hac vita faciem meam ſit viſurus. Quapropter conteſtor vos hodierna die, de nullius perditione in conſcientia mea eſſe me alicuius culpæ reum. Nihil enim eorum, quæ diuinæ voluntatis eſſe intellexi, prætermiſiſſe, aut neglexiſſe me

[u] *Act. c.* 20. v. 17. 18.

[x] *S. Iren. lib.* 3. *c.* 14.

[y] *Act. c.* 20. v. 18. & c.

me ſcio, quo minùs cum omni ſollicitudine vobis denunciarem. Attendite igitur veſtræ primùm, deinde commiſſarum vobis animarum in omni genere virtutum perfectioni. Ad hoc enim vos Spiritus ſanctus Paſtores & Rectores conſtituit Eccleſiæ ſuæ, quam Dominus noſter IESVS Chriſtus, qui cum Patre, & Spiritu ſancto eſt idē in natura diuina Deus per aſſumptam noſtram naturam humanam effuſo proprio ſuo pretioſiſſimo Sanguine acquiſiuit. Ego ſcio intraturos eſſe poſt diſceſſum meum inter vos aliquos moribus & doctrina peruerſos, Chriſti gregem, ac ſi eſſent lupi rapaciſſimi diſſipantes; &, quod eſt magis dolendum, ex vobis ipſis exurgent aliqui pernicioſæ doctrinę, ſequaces ſui diſcipulos obtinere ſtudentes. Quapropter veſtram ſummam in hac parte requiro vigilantiam, & ne mei, tum exempli, tum doctrinæ ſitis vnquam immemores, qui per triennium nocte & die non ceſſaui cum lacrymis monēs vnumquemque veſtrûm. Nunc autem cōmendo vos Deo, & gratiæ ipſius, qua potens eſt ædificium ſpirituale Sanctorum ad culmen perfectionis adducere. Argentum, aurum, veſtem, aut quidquam huiuſmodi à vobis nunquam concupiui. Ipſi ſcitis, quomodo, quæ mihi & iis etiam, qui mecum ſunt, erant ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria propriis hiſce manibus laborando comparauerim. Hoc præſtiti, vt per omnia vobis præberem exemplum, qua ratione cum infirmis in virtute vos gerere debeatis, memores illius à Chriſto prolatæ ſententiæ: Dare beatius eſt, quàm accipere. Hæc Paulus vbi dixiſſet, poſitis humi genibus, & ipſius exemplo, omnibus, qui cum ipſo erant, in eadem arena propinqui magis, genua flectentes deuotiſſimas preces, Deo ſe inuicem commendantes effuderunt. Hic verò magnus omnium exortus eſt fletus, & ſinguli ſupra ſacrum Pauli collum procumbentes reuerenter amplexati oſculabantur, plurimùm ob diſceſſum eius dolentes, maximè quia dixerat ampliùs faciem ipſius eos non eſſe viſuros, & ad propinquam nauem eum comitantes deducebant, quam Paulus cum Luca, Trophimo, & aliquot aliis conſcendens Icario mari ſe commiſit.

CAPVT VIII.

Vehitur ſecūda nauigatione Coum, Rhodum, Pataram, Tyrum, inde Caſaream, vbi à Philippo Diacono excipitur, Agabo aduerſa multa prophetante.

Relictis in Mileti littore Presbyteris Epheſinis, & aliquot illius regionis Epiſcopis, Paulus in altum ferebatur, illis, quandiu licuit aciem extendere lacrymantium oculorum, à longè ſpectantibus, vt benè rem hanc in ſacro poëmate deſcripſit Arator:

longéque per vndas
Obtutu comitante ſequi meruêre carinam:
Dúmque per oppoſitas extendunt lumina nubes,
Additur in pelagus oculis via, raptáque flabris
Puppis adhuc nota eſt, & mulcet imagine mentes,
Affectúque animi creſcit menſura videndi.

Cùm autem factum eſt, (inquit Lucas[a]) *vt nauigaremus abſtracti ab eis, recto curſu venimus Coum.* Inſula eſt

[a] *Act.* 21. v. 1.

Cous vna ex Cycladibus contra Cariam in Icario mari, inter quam & Chium iacet Samos, vt inter hanc, & Lesbum Chius: eam Plinius [b] appellat nobiliſſimam Inſulam, magnitudinis, vt Straboni placet [c], quingentorum & quinquaginta ſtadiorum. Genuit Cous Medicorum Principem Hippocratem, qui proptereà Cous eſt dictus, Pythagoræ quondam diſcipulus: protulit etiam Apellem pictorum celeberrimum. Habuit ibidem Æſculapius templum vetuſtiſſimum, cui propter medicæ artis excellentiam diuini honores ſunt delati. Sed nihil Paulum feſtinantem peruenire Ieroſolymam demorabatur: vnde inquit S. Lucas [d], *Sequenti die venimus Rhodum.* Altera eſt hæc Aſiatici maris Inſula nobiliſſima, ſi Lesbon, & Cyprum magnitudine aliquantò ſuperiores excipiamus: habet in ambitu ſtadia noningenta & triginta [e], dicta Rhodus ab vrbe primaria Rhodo, quæ in eius orientali promontorio ſita conſpicitur. Hic vnũ è præcipuis ſeptem orbis celebratis miraculis viſebatur, coloſſus æneus inſanæ magnitudinis cubitorum ſeptuaginta; ſiue, vt Feſtus ait, pedum centum & quinque altitudinis, & circa eundem centum minores coloſſi [f]. Maior poſt aliquot annos fractis terræmotu tibiis ingenti ruina concidit, ex cuius fragmẽtis Soldanus Ægypti capta Rhodo, camelos oneraſſe dicitur noningentos, vt itinere terreſtri Alexandriam materia veheretur. Rhodo ſtatim relicta Paulus venit Pataram maritimam ciuitatem inſigni portu præditam, quæ tunc erat Lyciæ metropolis, habebátque plura templa idolorum, & vnum præcipuum Apollinis, qui proptereà Pataræus eſt appellatus. Hic ad mutandam nauem aliquantulum Apoſtolo ſubſiſtendum fuit, donec alia inuenta oneraria, qua merces in Phœniciam portabantur, continuari nauigatio poſſet [g]. *Et cùm inueniſſemus nauem* (inquit S. Lucas) *transfretantem in Phœniciam, aſcendentes nauigauimus: cùm apparuiſſemus autem Cypro, relinquentes eam ad ſiniſtram, nauigauimus in Syriam, & venimus Tyrum: ibi enim nauis expoſitura erat onus.* Hæc Lucas, qui aderat, ideò tam exactè omnia deſcribit. Fuerat Paulus ante decennium ſimul cum Barnaba in Inſula Cypri, vbi Proconſule ad Chriſti fidem inducto Eccleſiam optimè fundauerat: ſed nunc obfirmato contra omnia propoſito, Ieroſolymam, quò à diuino Spiritu vocabatur, properabat. Itaque, vbi Cyprum à longè proſpexerunt, relicta ea Inſula ad ſiniſtram, hoc eſt, ad ſeptentrionem, versùs orienrem nauigantes, rectà venerunt in Syriam, & appulerunt Tyrum. Hæc ciuitas eſt Phœniciæ, regni quondam caput in Syria, cuius Rex Hiram Dauidi amicitia coniunctus, & poſteà Salomoni fuit [h]; eique cedros & abietes ex Libano cæſos, artifices quoque peririſſimos pro Ieroſolymitano templo conſtruendo ſubmiſit. Hic Paulus integra hebdomada manere coactus fuit: nauis enim, qua vehebatur, in hoc portu exponere merces ſuas debuit; & interim Eccleſia Tyriorum Apoſtoli aduentu intellecto, pro ſua erga illum eximia charitate, ac veneratione accurrens, ne tam citò diſcederet, ſupplicabat. Itaque ait S. Lucas [i]: *Manſimus ibi diebus ſeptem: & Paulo dicebant, ne aſcenderet Ieroſolymam. Expletis verò diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus, cũ vxoribus & filiis, vſque foras ciuitatẽ, & poſitis genibus in littore orauimus,*

b Plin. lib. 5. c. 31.
c Strabo lib. 14.
d Act. c. 21. v. 1.
e Strabo lib. 14.
f Plin. l. 34. c. 7. Aliter Baron. circa ann. Chriſt 653.
g Act. c. 21. v. 3.
h 3. Reg. c. 5. & 6.
i Act. c. 21. v. 4. & 5.

orauimus, & cùm valefeciſſemus inuicem, aſcendimus nauem: illi autem redierunt ad ſua. Hæc S. Lucas, circa quæ in primis obſeruandum eſt, tantam fidelium multitudinem ſine dubio Pauli opera fuiſſe annis ſuperioribus ad Chriſti fidẽ inductam: nam, propterea illum tali deuotione, ac pietate, vt Magiſtrum & parentem proſequebantur: ipſe quoque in ea, quam ad Romanos ſcripſit Epiſtola, teſtatus eſt[k], ſe ab Ieruſalem vſque ad Illyricumcircuncirca omnia repleuiſſe Euangelio Chriſti. Et tamen quonam tempore Tyriis Apoſtolus prædicauerit Euangelium, quáve ratione illam Eccleſiam fundauerit, aut quòd ante hos dies aliquando ibi fuerit, Lucas in Actis apoſtolicis nuſquam dicit. Vt hinc etiam appareat, veriſſimum illud à nobis cum ſancto Hieronymo, & Chryſoſtomo aliàs adnotatum, multa à Luca de Pauli geſtis fuiſſe prætermiſſa: id quod iterum hoc loco repetit S. Chryſoſtomus, dicens[l]: *Mihi videtur Lucas in Actis multos annos ſuccidere, & tantùm, quæ vrgebant, dicere.*

k Rom. c. 15. v. 19.

l Chryſ. hom. 45. in Act.

Deinde obſeruare hic etiã oportet, cùm Tyrij dicuntur Paulo obſtitiſſe per ſpiritum, rogantes, ne aſcenderet Ieroſolymã, id non eſſe intelligẽdum de ſpiritu abſolutæ prophetiæ, ac reuelationis diuinæ voluntatis omninò, ne modò iret Ieroſolymam: ſic enim Paulus obtemperare debuiſſet: ſed accipiendum hoc eſt, vel de prophetia conditionata, quia futurum erat, vt ſi eò iuiſſet, grauia pateretur, vt ipſemet Mileti cùm eſſet, affirmauit, dicens[m]: *Spiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur, quoniam vincula & tribulationes Ieroſolymis me manent.* vel certè ſpiritus Tyriorum erat pietatis, charitatis, & cõpaſſionis, ex quo commouebantur de Pauli vita & incolumitate honeſtiſſimo affectu eſſe ſolliciti, coniecturam facientes ex odio capitali Iudæorum, & ex iis, quæ de Paulo per eas prope Ieroſolymam regiones ferebantur, grauia illi imminere potiſſimùm Ieroſolymis pericula. Nec tamẽ quantumuis Tyrij quotidie per totam hebdomadã hæc ſuggererẽt, infirmare vlla ex parte Apoſtoli propoſitum potuerunt. Præterea, quod hic ait S. Lucas, ſeptẽ ipſos dies ſe cũ Paulo & ſociis apud Tyrios cõmoratos, & illis expletis diſceſſiſſe, quantùm aſſequi noſtra coniectura poſſumus, videtur tale aliquid inſinuare, quale non multò antea Troade contigiſſe arbitramur, vt die Dominico eò peruenerit, & vſque ad inſequẽtem Dominicũ diem ibi mãſerit, ad ſacrã Synaxim, Miſſæ Sacrificium, & panis Euchariſtici diſpenſationem ritu ſolenniori peragendam: alioquin tantoperè feſtinanti nihil erat, cur explere integram hebdomadam expectaret. Hinc illa congregatæ in diſceſſu Apoſtoli Eccleſiæ tanta pietas, ac deuotio. *Et ibamus* (inquit S. Lucas) *deducentibus nos omnibus cũ vxoribus, & filiis, vſque foras ciuitatem, & poſitis genibus in littore orauimus.* Tunc autẽ impletã eſſe prophetiam illã, ait Venerabilis Beda[n], quæ canitur in Dauidis Epithalamio de Eccleſia[o]: *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes diuites plebis. Nulla enim* (inquit Beda) *ciuitas maiori dulcedine Apoſtolũ ſuſcepit, tenuit, dimiſit.* Addit idem Auctor, vſque ad ipſius ætatem illas Tyrij littoris arenas, vbi cũ Paulo & ſociis fidelium illa multitudo genibus flexis ſupplicabat, notatas, & in veneratione habitas, à Chriſtianis præſertim illius regionis, tanquam maiorum ſuorum, & auitæ pietatis monumenta. Quòd verò nonnulli eruditi antiquitatis Scriptores animaduertunt[p], quia dies modò à Paſchate ad Pentecoſten, dum

m Act. c. 20. v. 23.

n Beda in c. 21. Act.

o Pſ. 44. v. 13.

p Baron. an. 58.

dum hæc agerentur, intercurrebant, quo toto tempore iuxta veterem Eccleſiæ conſuetudinem in memoriam Dominicæ Reſurrectionis ſtantes oramus; non autem genua flectentes; videri nondum talem in Eccleſia inductam fuiſſe conſuetudinem: ſiquidem Paulus cum tota illa Tyriorum multitudine in littore genibus flexis ſupplicabat, idémque ante paucos dies fecerat Mileto diſceſſurus. Id quidem improbabile non eſt, præſertim ſi fuit, vt coniectabamus, dies ille Dominicus, quo magis vigebat ſtandi mos inter orandum. Non eſt tamen id vſque adeò certum, quia teſtatur apud Iuſtinum Irenæus [q], conſuetudinem illam pridem ab Apoſtolis ipſis inductam; ſed fieri poteſt, vt ſenſim, non verò ſtatim vbique recepta ſit, nec tam pro priuata oratione, qualis hæc in littore fuiſſe videtur, quàm pro publica in Eccleſiis.

q S. Iuſt. q. 115. ad orthod.

Geſta poſt hæc proſequitur ſacer Hiſtoricus his verbis [r]: *Et cùm valefeciſſemus inuicem, aſcendimus nauem: illi autem redierunt in ſua. Nos verò nauigatione expleta à Tyro, deſcendimus Ptolemaïdam: & ſalutatis fratribus, manſimus die vna apud illos.* Diſtat à Tyro Ptolemaïda trigintaduobus milliaribus, éſtque prope Carmelum ciuitas maritima (inquit S. Hieronymus [s]) diuerſa ab alia eiuſdem nominis in Pentapoli prouincia Africæ. Hæc in Phœnicia eſt, proxima Iudææ, Belo amne alluitur, limoſo quidem & aquarum inſalubrium, ſed celebri arenis vitrariorum opificio aptiſſimis. Hìc per diem moratus eſt Paulus, vt fideles ibi degentes cõſolaretur, quos quando alias inuiſerit, & in Chriſtiana fide inſtituerit, ſicut de Tyriis dicebamus, ſacra Lucæ Hiſtoria prætermiſit. *Alia autem die* (ait S. Lucas [t]) *profecti venimus Cæſaream, & intrantes domum Philippi Euangeliſtæ, qui erat vnus de ſeptem, manſimus apud eum.* Non eſt hæc Cæſarea, ad quam modò nauigium appulit illa Cappadociæ, neque altera Cæſarea Philippi appellata, ſed tertia Cęſarea, quæ antiquitùs Turris Stratonis dicta eſt, ſita ad littus maris mediterranei, inter Dotam, & Ioppen, quam Herodes Maior immodicis ſumptibus amplificauit, & decennio multis viſendis operibus exornatam, ad gratiam Auguſti Cæſaris promerendam, Cæſaream voluit appellari. Hæc à Ieroſolyma diſtare dicitur ſtadiis ſexcentis; à Ioppe verò, quo miſit vocatum ad ſe S. Petrum Cornelius Centurio, vt baptizaretur Cęſareæ, numerantur milliaria trigintaſex.

r Act. c. 21. v. 6. & 7.

s S. Hieron. in lib. de locis Hebr. in Acta.

t Act. c. 21. v. 8.

Quis autem fuerit hic Philippus, in cuius domo Paulus cum Luca, & aliis comitibus Cæſareæ hoſpitatus eſt, indicat ipſe Lucas, cùm ait, fuiſſe vnum de ſeptem, nempe, Diaconis, qui in Actis apoſtolicis capite ſexto nominantur [u]: & hic Philippus poſt S. Stephanum ibi primus eſt poſitus. Quòd autem dicatur Euangeliſta, non eſt ob ſcriptum aliquod Euangelium, quamuis olim confictum quoddam Euangelium ſub nomine Philippi circunferatur; ſed ob nauatam ſedulam operam euangelicæ prædicationi, & miraculis confirmatam. Vnde poſt S. Stephani martyrium legimus [x], deſcendiſſe hunc Philippum in Samariam ad euangelizandum verbum Dei, & ab Angelo directum in Gazam, vt Eunuchum baptizaret, deinde raptum diuinitùs, & in Azotum mirabiliter aſportatum. Putant etiam aliqui dictum Euangeliſtam hunc Philippum, quia Diaconus ordinatus, ipſius erat muneris legere in Ec-

u Act. c. 6 v. 5.

x Act. c. 8. v. 4. 5. & 26. 36.

cleſia Euangelium. Sed incertum eſt, an ritus legendi Euangelium in Altaris ſacrificio tunc temporis eſſet inductus, præſertim cantu per Diaconum, vt fit in ſacris ſolennioribus. Verius igitur eſt, Euangeliſtam vocatum ex opere præſtito euangelicæ prædicationi, ad quod Timotheum Apoſtolus aliquando exhortabatur dicens [y]: *Opus fac Euangeliſtæ*: non vtique ſcribendo, aut legendo aliquod Euangelium; ſed illius veritates exponendo. Dicitur verò Philippus in ſuam domum hoſpitio Paulum recepiſſe, non quaſi Cæſareæ propriam domum poſſideret, quippe qui vnus fuit ex iis, de quibus ait S. Lucas [z], quotquot poſſeſſores agrorum, & domorum erant, vendentes obtuliſſe pretia eorum, & ante pedes Apoſtolorum abieciſſe: imò vnus ex iis fuit, qui communia bona egentibus ex officio miniſtrabat. Sed veriſimile eſt domum hanc Cæſareæ veluti Eccleſiam, vel ædes hoſpitales communes fidelibus obtinuiſſe, quas conſeruatas adhuc ſuo tempore teſtatur S. Hieronymus, & à S. Paula, dum eſſet in Palæſthina, viſas Cæſareæ, narrat his verbis [a]: *Mirata eſt Stratonis turrim ab Herode, Rege Iudææ, in honorem Cæſaris Auguſti (Cæſaream nuncupatam, in qua Cornelij domum, Chriſti, videlicet, Eccleſiam, & Philippi ædiculas, & cubicula quatuor virginum Prophetarum*, &c. Nec dubitare debemus Philippum has quatuor filias, antequàm ordinatus eſſet ab Apoſtolis Diaconus, genuiſſe: non autem poſteà, quando, ſicut de Diaconis monet ad Timotheum ſcribens Apoſtolus, & ad Titum, viuere omninò debuit in cœlibatu. Quare, cùm ante annos vigintiquatuor ſacrum Ordinem diaconatus accepiſſet, prouectioris ætatis eſſe illas oportuit, atque adeò cum propoſito ſeruandæ perpetuò virginitatis. Quod benè S. Hieronymus agens contra hoſtem virginitatis Iouinianum animaduertit, dicens [b]: *Poſt crucem Chriſti ſtatim in Actis Apoſtolorum vna domus Philippi Euangeliſtæ quadrigam producit virginum filiarum: vt Cæſarea, in qua ex gentibus Eccleſia per Centurionem Cornelium fuerat dedicata, etiam virginum puellarum praberet exempla.* Addit Oecumenius [c], proptereà S. Lucam harum quatuor virginum prophetantium feciſſe mentionem, vt maximè honorabilem eſſe virtutem virginitatis intelligeremus, ob quam etiam donum prophetiæ illis à Deo conceſſum credere debeamus. Sicut de Sibyllis aſſeruit S. Hieronymus contra Iouinianum. Harum quatuor ſanctarum Virginum memoria cum parente celebratur ſexta die Iunij in Romano Martyrologio, vbi ſic legitur: *Cæſarea in Palæſthina natalis S. Philippi, qui fuit vnus de ſeptem Diaconis. Hic ſignis & prodigiis clarus Samariam ad Chriſti fidem conuertit, & Candacis Æthiopum Reginæ Eunuchum baptizauit, ac demum apud Cæſaream requieuit, iuxta quam tres virgines eius filiæ Propheteſſæ tumulatæ iacent: nam quarta filia eius plena Spiritu ſancto Epheſi occubuit.* Cùm autem quatuor hæ ſanctæ Virgines non dicantur à S. Luca Propheteſſæ, ſed prophetantes, aliquod argumentum eſt, ea tunc Paulo prophetaſſe, quæ Ieroſolymis non multò pòſt illi erant euentura, quamuis id facer Hiſtoricus non explicet; ſed tantùm de Agabo ſimiliter ibidem prophetante ſic ait [d]: *Et cùm moraremur per dies aliquot, ſuperuenit quidam à Iudæa Propheta, nomine Agabus. Is cùm veniſſet ad nos, tulit Zonam Pauli, & alligans ſibi pedes, & manus dixit:*

y 1. Tim. c. 4. v. 5.

z Act. c. 4. v. 34.

a S. Hieron. ep. 27.

b S. Hieron. l. 1. contra Iouin.

c Oecumen. in c. 21. Act.

d Act. c. 21. v. 10. 11.

dixit : *Hæc dicit Spiritus ſanctus : Virum, cuius eſt Zona hæc, ſic alligabunt in Ieruſalèm Iudæi, & tradent in manus gentium.* Hic eſt ille Agabus Propheta, de quo Actorum capite vndecimo [e], narratur Ieroſolyma veniſſe Antiochiam, dum ibi Paulus, & Barnabas verſarentur, & prophetaſſe futuram famem vniuerſalem in orbe terrarum, quæ poſteà contigit ſub Claudio Imperatore. Itaque Agabus hic alter Michæas videbatur, de quo Rex Achab dicebat Regi Ioſaphat [p]: *Quia non prophetat mihi bonum, ſed ſemper malum.* Credendum tamen illi fuit, quia verè ſpiritu Dei loquebatur, nec verbis tantùm, ſed etiam operibus vaticinabatur, more antiquorum Prophetarum Iſaïæ, Ieremiæ, Ezechielis, qui, vt res prophetatas altiùs hominum mentibus imprimerent, aliquid, inſtigante Deo, faciebant, ex quo illud ipſum, quod prophetabant, ampliùs declararetur. Vt cùm Iſaïas [g] iuſſus eſt à Deo diſcalceatus, & nudus prophetare. Zonam itaque Pauli protulit Agabus in conſpectu fratrum, quam fortè depoſuerat Apoſtolus ex itinere : quia nonniſi ad veſtes fluentes reſtringendas, & vt operi, vel itineri eſſet accinctus, ea vtebatur, ſicut de ſemicinctiis ipſius, quibus Dæmonia eiiciebantur, alibi diximus [h]: ea verò zona pedes primùm, deinde manus ſibi Agabus, non Paulo, vt aliqui perperam intellexerunt, circumligauit, dicens, ſic Paulum Ieroſolymis à Iudæis alligandum, & Gentibus tradendum, id eſt, Gentilium Magiſtratui, ac Miniſtris; ſicut non multò pòſt rei euentus declarauit. *Quod cùm audiuiſſemus,* (inquit S. Lucas [i]) *rogabamus eos, & qui loci illius erant, ne aſcenderet Ieroſolymam.* Fuit itaque vnus ex illis, qui perſuadere Paulo nitebantur, ne modò Ieroſolymam proficiſceretur ipſe Lucas, idémque plures alij rogabant, qui cum ipſo venerant, & Philippus Diaconus, & congregati fratres Cæſarienſes; eo videlicet permoti dilectionis ac pietatis affectu, quo diſcipuli aliquando dicebant Chriſto Domino, ne vlla ratione aſcenderet Ieroſolymam, timentes euenire, quod ipſe prædixerat [k], vt Gentibus traderetur ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum. Id autem non erat diuinæ voluntati propriè repugnare : quia, eſſétne Dei talis voluntas abſoluta, an potiùs conditionata, ipſis non conſtabat. Quapropter illud honeſtè interim volebant, quod eos velle Deus volebat; vt, nimirum, vita & ſalus Pauli pro vniuerſali Eccleſiæ bono, quantùm fieri poſſet, conſeruaretur; & vt eſſent pro illa ſolliciti, eíque ex charitate compaterentur. Sed Apoſtolus profundiùs diuinam voluntatem contemplabatur, ſéque maiori eius gloriæ totum deuouerat, non in vita ſolùm, ſed etiam in morte, & per mortem, ſicut aliquando ſcripſit ad Philippenſes, dicens [l]: *In omni fiducia ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem. Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Quare, cùm ita Paulus Cæſareæ à fratribus detineretur, & cum lacrymis rogaretur; *Reſpondit* (inquit S. Lucas [m]) *& dixit : Quid facitis flentes, & affligentes cor meum ? ego enim non ſolùm alligari; ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum propter nomen Domini* IESV. *Et cùm ei ſuadere non poſſemus, quieuimus dicentes : Domini voluntas fiat.* Hæc Lucas, & alij, qui cum ipſo Apoſtolo Paulo tunc erant, ei dixerunt : *Cùm*

e *Act. c. 11. v. 27.*
p *3. Reg. c. 22. v. 18.*
g *Iſai. c. 20. v. 2.*
h *lib. 8. c. 5.*
i *Act. c. 21. v. 12.*
k *Ioan. c. 11. v. 8.*
l *Philip. c. 1. v. 20.*
m *Act. c. 21. v. 13. 14.*

autem

autem vidiſſent (inquit S. Auguſtinus [n] ,) *immobilem viri ad omnia perferenda conſtantiam , non quia optauerunt Apoſtolo, vt talia pateretur , ſed potiùs mentem ſuam ſublimi, & diuino ſtatuto deuotiſſimè ſubdiderunt.*

CAPVT IX.

Cæſarea venit Ieroſolymam pro Pentecoſte , ſoluit votum Nazaræorum in templo Salomonis.

NOn procul aberat Cæſarea ab vrbe Ieroſolyma , ſicut anteà diſtantias computando deduximus, & poterat commodè prope littus Syriaci maris adnauigando versùs Ioppen, deinde Aſcalonem , iter perfici: ſed tamen itinere terreſtri breuiùs perueniebatur. Atque hoc ſecundum magis Paulo placuiſſe Lucas ſignificauit, ita ſcribens [a] : *Poſt dies autem iſtos præparati aſcendebamus Ieroſolymam ; venerunt autem & ex diſcipulis à Cæſarea nobiſcum , adducentes ſecum apud quem hoſpitaremur Mnaſonem quendam Cyprium, antiquum diſcipulum.* Tanta erat Chriſtianorum Cæſareæ habitátium erga Paulum charitas & obſeruantia, vt quandoquidem apud ſe illum detinere non potuerunt , ipſi non ſe continuerint, quin tota via Ieroſolymam vſque illum comitarentur ; tum, vt eius præſentia diutiùs fruerentur , & colloquio magis proficerent ; tum , vt quacunque poſſent ratione ſaluti ipſius , cui tantoperè timebatur, etiam cum proprio periculo conſulerent , & prouiderent. Ideò etiam ſecum ducunt , à quo Ieroſolymis in hoſpitio præparato fideliter ac tutò reciperetur : ne ſi vagari per vrbem & in incertum vellet, inſidias Iudæorum incurreret , qui multa contra illum animo maleuolentiſſimo , vt magis infrà conſtabit , moliebantur. Incedebat igitur Apoſtolus Ieroſolymam versùs, vt olim Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis comitatus, quibus dicebat [p] : *Ecce aſcendimus Ieroſolymam , & conſummabuntur , quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis : tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur.* Sed addit Euangeliſta , Chriſti diſcipulos nihil horum intellexiſſe, quæ dicebantur : at Pauli comites & diſcipuli , quæ fuerant Paulo prophetata benè perceperant , & pluribus argumentis perſuaſi , ventura eſſe non dubitabant. Qua in re maior quædam eorum conſtantia & potior morte dilectio declarabatur ; ſed præcipuè ipſius Pauli , qui non ſolùm (vt ipſe dicebat) alligari , & mori in Ieruſalem paratus erat propter nomen Domini I E S V, verùm etiam propter animas Chriſti ſanguine redemptas: quas nitebatur non ſolùm ſpiritualibus præſidiis adiuuare , ſed etiam ſubſidio temporali collectarum eleemoſynarum, quibus ibat illo itinere onuſtus. Hoc enim verba illa S. Lucæ ſignificant [q] : *Præparati aſcendebamus Ieroſolymã*; Græcè, ἀποσκευασάμενοι, quod aliqui Latinè reddunt, *ſarcinulis onerati.*

Quo autem die ante imminens Feſtum Pẽtecoſtès Apoſtolus peruenerit Ieroſolymam, etiamſi omninò definitum, ac certum non habeamus; tamen id factum non multò ante illius diei peruigilium, valdè eſt veriſimile. Id ex Actorum Hiſtoria colligit Chryſoſtomus [s] : *Poſt azyma in Troadem venerunt diebus quinque. deinde ibi fecerunt dies ſeptem , & habes dies duodecim. Deinde in Aſſum,* in

a *Act. c.* 21. v. 15. 16.

p *Lucæ c.* 18. v. 31.

q *Act. c.* 20. v. 15.

s *Chryſoſt. hom.* 45. *in Acta.*

in Mitylenem, contra Chium in Trogillium, in Samũ, in Miletum, & erũt decem ac octo dies. Poſteà in Coum, in Rhodum, in Pataram: en viginti & vnũ dies. Deinde illinc per dies quinque in Tyrum, & ſunt dies viginti ſex. Mox illic morantur diebus ſeptem, colliguntúrque triginta & tres dies. Poſtea in Ptolemaidem vna die pertingunt, & fiunt triginta & quatuor dies. Deinde Cæſarea manent pluribus aliis diebus, & tunc inde eos adducit Propheta: & ſic complentur dies Pentecoſtes, & ibi illam facit. Hactenus Chryſoſtomus, qui dum ait: *Et ibi illam facit.* exponitur ab aliquibus, ibi, nempe, Cæſareæ, nõ Ieroſolymæ, Paulus celebrat Pentecoſten: quaſi putauerit Chryſoſtomus, Apoſtolum pia fratrum importunitate mutaſſe ſententiam, & apud ipſos Feſtum Pentecoſtes celebraſſe, & poſt Pentecoſten Ieroſolymam aſcendiſſe. At id profectò minùs eſt veriſimile: erat enim firmum Pauli decretum venire pro tali ſollennitate Ieroſolymam, ideò Epheſum præteriuit, & in tota nauigatione, qua ſemper vſus eſt proſpera, feſtinauit, Deo fauente pio deſiderio ipſius. Deinde Cæſareæ cùm eſſet, non procul aberat Ieroſolyma, & ad Pentecoſten adhuc ſupererant quindecim dies: cur ergo prope metam, ad quam adeò feſtinabat, tandiu ſubſtitiſſet, conſumptis ibi tot diebus, quot anteà nullibi conſumpſerat? Sed & quando id feciſſet, profectò Lucas, qui minores moras enumerans diligentiſſimè ſingulis diebus computauerat, cur hanc maiorem exprimere neglexiſſet? Benè itaque potuit Paulus integra hebdomada, & ampliùs, Cæſareę commorari, tum Ieroſolymam proficiſci, & eò duobus, aut tribus diebus ante Pentecoſten commode peruenire. Atque ita planè factũ, cõſentiẽte quoque Chryſoſtomo, exiſtimamus.

Et cùm veniſſemus Ieroſolymam (inquit Lucas [t]) *libenter exceperunt nos fratres.* Hinc rurſus non nemo Interpretum viſus eſt intuliſſe, non Ieroſolymis, ſed in via Paulum exceptum à Mnaſone; poſteà verò Ieroſolymæ ab aliis fratribus, qui ibi erant. Sed verba ſacræ Hiſtoriæ potiùs contrarium indicant, dum aſſerunt, Apoſtolum & ſocios aſcendentes Ieroſolymam ſecum duxiſſe, apud quem hoſpitarentur, vtique Ieroſolymæ, nã in media via, breuis cum eſſet, ac ſine mora pertranſeunda, hoſpitij adeò præparati nulla fuit neceſſitas: benè autem Ieroſolymæ; tum propter adductas ſuperiùs rationes ex inſidiis Iudæorum; tum ob accurrentium pro Feſto Pentecoſtes peregrinorum multitudinem, & hoſpitia præoccupata; tum denique, ne grauare quenquam fratrum Paulus velle videretur, qui potiùs ſecum tanto ſtudio collectas eleemoſynas deferebat, quibus egentes ibi Chriſtianos bonis ſuis à perfidis Iudęis expoliatos, & afflictos ſubleuaret. Neque tamen, vbi Ieroſolymis hoſpitio deſtinato Paulus fuiſſet exceptus, fideles aliquot fratres defuerunt, ſiue qui iam erant in ea domo, ſiue ex vicinia breui tempore congregati. Magis illud eſt ambiguum, qua ratione potuerit Mnaſon, ſiue, vt alij vocant, Iaſon, homo Cyprius, & antiquus Chriſtianus propriam domum Ieroſolymæ poſſidere: ſiquidem primi illi Chriſtiani Ieroſolymis vt legimus Actorum capite quarto [u], *Quotquot poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum, nec quiſquam aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Deinde, quia poſt necem S. Stephani erant fideles à Iudæis bonis ſuis ſpoliati. Reſponderi tamen poteſt, per-

[t] *Act. c. 21. v. 17.*

[u] *Act. c. 4 v. 34.*

ſecutionem illam ciues potiſſimùm Ieroſolymitanos, qui Chriſtianam fidem amplexi fuerãt, afflixiſſe, eóſque bonis ſuis priuaſſe, non ita externos & peregrinos, qualis erat hic antiquus diſcipulus genere Cyprius, qui nunc Cæſareæ habitabat, & fortè illius domus Ieroſolymitanæ dominium proprium non habebat; ſed vſum tãtùm ad commune commodum Chriſtianorum, ſicut de Philippi Diaconi domo ſuperiùs dicebamus. Quamuis nec illa bonorum communitas, creſcente ſucceſſu temporis, fideliũ multitudine, & Apoſtolis morte decedẽtibus, diu potuit permanere. Putant verò aliqui, hunc Pauli hoſpitem illũ ipſum eſſe, qui ante hoc tempus eundem Apoſtolum Theſſalonicæ recepit hoſpitio, & contra Iudæorum inſultus generosè defendit. Quare vtrunque Iaſonem vocãt, & in Romano Martyrologio ſub die duodecima Iulij ſic legitur: *In Cypro B. Iaſonis, antiqui Chriſti diſcipuli.* Sed manet difficultas, quia in emendatioribus exemplaribus, non ſolùm Latinę vulgatæ, ſed etiam Græcæ, & Syriacæ editionis hic Mnaſon, ille Iaſon appellatur: hic Cyprius dicitur, ille Theſſalonicenſis ciuis extitiſſe ſignificatur: hic aſſeritur antiquus Chriſti diſcipulus, ille cenſetur diſcipulus Pauli, & catechumenus fuiſſe videtur, quando Apoſtolus venit Theſſalonicam, ſicut ſuo loco ſuperiùs oſtẽdebamus [x]. Sed quicunque tandẽ hic fuerit Pauli modò comes, atque hoſpes, antiquus diſcipulus, & Cyprius, probabile eſt illum eſſe, quem Hippolytus Martyr in libro de ſeptuagintaduobus diſcipulis Chriſti, affirmat poſteà in Syria, Epiſcopum creatum. In huius ergo ædibus Apoſtolus, cùm primùm Ieroſolymam aduenitſet, hoc tempore pernoctauit.

x *lib. 6. c. 5.*

Sequenti autem die (inquit S. Lucas [y]) *introibat Paulus nobiſcum ad Iacobum, omnéſque collecti ſunt ſeniores.* Hic *Iacobus*, ait S. Chryſoſtomus, *frater erat Domini, & Epiſcopus Ieroſolymorum hoc tempore, vir magnus & mirabilis, ad hunc ingreditur Paulus. Vide, quàm alienus eſt à faſtu, omnéſque Presbyteri aderant.* Pergit verò S. Lucas geſta ſic exponere [z]: *Quos cũ Paulus ſalutaſſet, narrabat per ſingula, quæ Deus feciſſet in Gentibus per miniſteriũ ipſius. At illi cùm audiſſent, magnificabant Deum, dixerúntque ei: Vides, Frater, quot millia ſunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt legis. Audierunt autem de te, quia diſceſſionem doceas à Moyſe, eorum, qui per Gentes ſunt, Iudæorum: dicens, non debere eos circumcidere filios ſuos, neque ſecũdum conſuetudinem ingredi. Quid ergo eſt? Vtique oportet conuenire multitudinem: audient enim te ſuperueniſſe. Hoc ergo fac, quod tibi dicimus: ſunt nobis viri quatuor votum habentes ſuper ſe: his aſſumptis ſanctifica te cum illis, vt radant capita: & ſcient omnes, quia quæ de te audierunt, falſa ſunt: ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem. De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos ſcripſimus, iudicantes, vt abſtineant ab idolis, immolato, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. Tunc Paulus aſſumptis viris, poſtera die purificatus cum illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio.* Hactenus verba ſacræ Hiſtoriæ, circa quæ in primis oportet aduertere, falſam fuiſſe de Paulo perſuaſionẽ, & merã calũniã Iudæorũ, docere illũ à Moyſe diſceſſionem, ſiue vt Græcè dicitur, ἀποστασίαν, apoſtaſiã, & non licere Iudæis filios ſuos circumcidere. Nã ſcire poterant ac debebant, ante nõ multos annos Paulum, & Barnabã profectos Antiochiam veniſſe Ieroſolymam, & curaſſe Concilium congregari, vt decerneretur,

y *Act. c. 21. v. 18.*
Chryſoſt. hom. 46. in Act.

z *Act. c. 21. v. 19. &c.*

cerneretur,nō teneri Gentiles,qui legem ſuſcipiunt euāgelicam, ſimul cū illa Moſaïcam obſeruare: & decretū formatum fuit, ac miſſum per varias prouincias,relictis Iudæis pro tēpore in ſua libertate, ſi vellent cum euangelica Moſaïcam legem obſeruare. Quapropter ipſe Paulus voluit Timotheum circuncidi, & ſibimet comā ritu veterum Nazaræorum totōdit in Cenchreis. Sed tantò nunc magis eius ſingularis modeſtia, & animi alioquin ardentioris opportuna moderatio declaratur,qui licèt probè intelligeret,Iudæos ad illas obſeruātias legales minimè teneri, cuperétque valdè hoc ipsū benè ab illis intelligi, quod ſæpè in ſuis Epiſtolis ſcripſit,& confirmauit, nec dubitaret ſuam doctrinam à Chriſto,& non ab homine ſibi traditā;tamen conſilio ſeniorum ſtatim acquieuit,& ſe Moſaïcæ legis, quantùm honeſtè poterat,non ſolùm defenſorē; verùm etiā profeſſorē Ieroſolymæ conſtituit. *O Paule*,(inquit S.Hieron. [a])*& in hoc te rurſum interrogo:cur caput raſeris, cur nudipedalia exercueris de cæremoniis Iudæorum?cur obtuleris ſacrificia, & ſecundùm legem pro te hoſtiæ fuerint immolatæ? Vtique reſpondebis:Ne ſcandalizarētur,qui ex Iudæis crediderunt.* Eadē confirmat in quadam Epiſtola ad S. Hieronymum S. Auguſtinus [b]. Quare non probatur noua quorundam expoſitio [c] dicentium,Paulum ſibi caput nō totondiſſe,nec votū,ſacrificia, vel oblationes Nazaræorum perſolniſſe;ſed tantùm præfuiſſe quaſi patronum; ſiue,vt ait Caietanus, patrinū illis quatuor votū Nazaræorum habentibus, eóſque tanquam pauperes eleemoſyna iuuiſſe ad conſueta ſacrificia,& donaria in templo offerēda. At,quamuis veriſimile ſit,ex collectis, quas ſecū Paulus attulerat,ea donaria comparaſſe; tamen non fuiſſe pro ipſo etiā oblata, neque cæſariem more Nazaræorum ſecuiſſe, dici non debet: repugnat enim expoſitioni Patrum, & aliorum ferè omnium Interpretum, nec verbis Lucæ cohæret, quibus dicitur, ita S. Iacobus Paulum allocutus [d]: *Hoc ergo fac, quod tibi dicimus: ſanctifica te cum illis.* Tum ſubditur: *Paulus verò aſſumptis viris poſtera die purificatus cum illis intrauit in templum.* Non igitur tantùm præfuit, & patrocinatus eſt purificandis: ea nanque ratione illud, quod S. Iacobus maximè intendebat, aſſecutus non fuiſſet; nempe, vt ſeipſum veteris legis, & Moſaïcarum cæremoniarum obſeruatorem ipſo facto profiterentur. Deinde inauditum eſt, & primùm à Caietano videtur excogitatum, habuiſſe Nazaræos, dum ſua vota perſoluerent, aliquem patrinum, vt ſolent in lege euangelica, qui Sacramentum Baptiſmi, vel Confirmationis accipiunt. Vnde Numerorum capite ſexto, vbi ritus ac cæremoniæ Nazaræorum per ſingula exactè deſcribuntur, nihil tale ſignificatur,niſi vt abſtinerent à vino, & à quibuſdam aliis; vt cæſariem, quam nutrire aliàs debebant, votum ſoluentes reſecarent, & finito tempore agnum, ouem, arietem, aliáque nonnulla in templo offerrent. Poſſet tamen aliquis pro Caietani ſententia ſic nobis obiicere: Iacobus Paulo non dixit, vt cæſariem ſuam deponeret, quod erat præcipuum in ritu, de quo hìc agitur, Nazaræorum: ſed dixit: *Impende in illis quatuor viris habentibus votum, vt radant capita.* quaſi diceret voluiſſet: Sumptus pro illis pauperibus ſubminiſtra, vt raſis capitibus alia exequantur, & offerant in templo, quæ debent ex voto, quod nuncuparunt. Deinde votum

a S. Hier. ep. 89.

b S. Aug. ep. 19.

c Caiet. in c. 21. Act. & Petrus Lintr. ibidem.

d Act. c. 21 v. 23. 24 26.

Nazaræorum temporis definiti certos habuit conſtitutos dies, quibus expletis depoſitione capillorum & oblationibus prædictis abſoluebatur, niſi ex occurſu fortuito cadaueris Nazaræus eſſet contaminatus, qui tunc illicò radere comam, & purificari, iuxta præceptum in illo ſexto capite Numerorum tenebatur. Quomodo igitur potuit Moſaïco ritu illa ipſa die, qua S. Iacobo viſum eſt, explere S. Paulus votum Nazaræorum? non enim rogabatur id ipſe faceret, quaſi expleto numero dierum proprij Nazaræatus; ſed illorum quatuor virorum: neque ac ſi eſſet ex occurſu cadaueris contaminatus, ſed vt Iudæi aduerterent, illum Moſaïcas cæremonias non contemnere. Denique perpetui Nazaræi debebant perpetuò à vino abſtinere; temporanei verò ad tempus: quod quia non fuerat lege Moſaïca definitum, conſuetudine inductum fuiſſe teſtatur Ioſephus, libro ſecundo Iudaïcarum Antiquitatum[f], vt per triginta ſaltem dies à vino ſibi temperarent, antequàm tonderentur, & hoſtias immolarent. Quomodo igitur potuit Paulus tam inopinato & breui tempore explere, quæ ſunt Nazaræi?

f *Ioſeph. lib 2. Antiquit. c. 15.*

His tamen nõ obſtantibus ita poſſumus ad ſingula breuiter reſpondere: in primis fuiſſe modeſtiæ S. Iacobi, quòd Paulo expreſsè non dixerit de propria, ſed tantùm de illorũ quatuor virorum coma deponenda: ſatis enim poterat Apoſtolus rem intelligere, qui comatus ritu Nazaræorum incedebat, & rogabatur, vt ſe cum illis purificaret: hæc autem legalis tũc purificatio depoſitione comæ potiſſimùm perficiebatur. Et quamuis qui non erant perpetui Nazaræi, habere deberent tempus definitum, & certos ac numeratos perſoluendi voti ſui dies; tamen quia hoc liberum erat, & poſitum in vouentis voluntate, potuit Paulus diem immediatè ſequentem, aut quem vellet alterum ſibi definire: potuit etiam accidere, quod aliqui ſuſpicantur, vt ex occurſu hominis demortui haberet in promptu Apoſtolus gerere ſe pro legaliter cõtaminato, atque ideò ſtatim velle ſuum exoluere Nazaræatum; vel ſi non Ieroſolymis, ſaltem alias pertrãſiens regiones, quòd aliquem viderit hominem mortuum. Certè non ante multos dies cùm Paulus Troade moraretur, non ſolùm vidit Eutychum mortuum; ſed etiam, vt illum ad vitam reuocaret, ſupra eius exanime corpus, & confractum incubuit; nec tamen purificatus eſt, quia non tenebatur Iudaïca illa vti cæremonia; nec erat tempus, cùm eſſet inde ſubitò ad nauem ſociis præmiſſis diſceſſurus; nec ſi tempus fuiſſet, erat opportunus locus explendi ea, quæ in templo tantùm Salomonis admittebantur. Quare, vbi peruenit Ieroſolymam, potuit, vt placuit, honeſtè illa explere, quæ fuerant anteà ſine vlla culpa prætermiſſa. Quod poſtremò de vini abſtinentia dicebatur Nazaræis perpetuò, vel ad certum tẽpus iniuncta, ſuggeſſit aliquibus non improbabile argumentum, conſueuiſſe Apoſtolum, vinum non bibere; ſed tantùm aquam, eúmque in hoc à Timotheo fuiſſe imitatum; quem tamen poſteà id facere prohibuit, ſic illi ſcribens[g]: *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum, & frequentes tuas infirmitates.* Quid igitur mirum, à Iacobo Paulum nunc eſſe inuitatũ, vt ſe aliquantulùm Nazaræum profiteretur pro pace, atque bono Iudæorum, quem nouerat à vino ſolitum abſtinere, videbat comã geſtare, ſicvt etiam ipſe Iacobus geſtabat more Nazaræorum; intellexerat etiam fortaſſe, ſiue ab ipſo Paulo, ſiue à

g *1. Timoth. c. 5. v. 23.*

comitibus,

comitibus, quid illi cum Eutycho mortuo, & ad vitam diuina virtute reuocato nō pridem accidiſſet. Nam, teſte S. Luca[h], congregatis cum Iacobo omnibus ſenioribus ad Paulum excipiendum, narrata ſunt ſingula, quæ Deus mirabiliter per eius miniſterium in Gentibus feciſſet: *Non* (inquit Chryſoſtomus[i]) *vana gloria ſtudio, abſit: ſed Dei miſericordiam volentes declarare, & multo illos implere gaudio.* Neque verò nos contendimus in præſentia Paulum omnia illa obſeruaſſe, quæ in lege Moyſi Nazaręis minutè præſcribebantur: quia, cùm id facere nullatenus obligaretur, fortè cenſuit quædam ad id, quod intendebat, non eſſe neceſſaria, aut minùs expedire: vnde nec omnia, quæ in animo ſuo deſtinauerat, potuit propter excitatum à Iudæis tumultum, executioni mandare, ſicut fuſiùs ſequenti libro explicabitur.

h *Act. c.* 21. v. 19.

i *hom.* 46. *in Acta.*

LIBER VNDECIMVS.

Ieroſolymis Paulus multa pro Chriſto patitur; prouocat ad Romanum Imperatorem; & à Præſide Syriæ Romam vinctus mittitur.

CAPVT I.

In templo Salomonis à Iudæis comprehenditur; falsò accuſatur apud Lyſiam Tribunum; & duabus catenis ligatur.

PRIMVM diem, quo Ieroſolymam Paulus itinere terreſtri fatigatus aduenit, apud hoſpitem ſuum, cum quo venerat Cæſarea, conſumpſit; ſecundũ tribuit S. Iacobo & ſenioribus Eccleſię apud ipſum congregatis, à quibus perſuaſus, vt Moſaïco ritu purificaretur, ſequenti die, nempe, tertio ab eius aduentu, id præſtare aggreſſus eſt. Hoc ita narrat S. Lucas [a]: *Tunc Paulus aſſumptis viris, poſtera die purificatus cum illis intrauit templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio.* Lex, quæ Numerorum capite ſexto hac de re habetur, ita Nazaræo mandabat [b]: *Sin autem mortuus fuerit ſubitò quiſpiam coram eo, polluetur caput conſecrationis eius: quod radet illicò eadem die purgationis ſuæ, & rurſum ſeptima: in octaua autem die offeret ſacrificium in introitu fœderis teſtimonij*, &c. Huic modò legi putamus Paulum ſponte ſe ſubiicere voluiſſe, ſicut Chriſtus Dominus circumciſionem admiſit ad exemplum, non verò propter vllam obligationem. Atque ita cæſaries à Paulo depoſita nunc eſt ipſo primo purificationis die, quaſi polluto capite conſecrationis ſuæ: ideóque erat facturus die ſeptimo, tũ die octauo ſacrificia oblaturus, ſicut Sacerdotes tẽpli, & alij, qui cæremonias primæ diei vidiſſent, intelligere potuerũt. Atque hoc eſt, quod ſignificare illis verbis voluit S. Lucas, dicens: *Tunc Paulus aſſumptis viris* (quatuor, videlicet, Nazaræis) *purificatus cum illis intrauit tẽplum, annuncians expletionem dierũ purificationis, donec offerretur pro vnoquoque oblatio.* Quare, etiamſi primus hic fuerit dies purgationis Pauli; ſiue, vt Græcè dicitur, ſanctificationis ipſius; potuit tamen illorum quatuor virorũ eſſe ſeptimus. Et ita planè contigiſſe exiſtimamus: hac enim ratione plura hic valdè perplexa, & quę non parum torquent Interpretes, facili negotio intelliguntur. Et primùm, quòd dicitur Paulus templũ intraſſe cum illis quatuor, & annunciaſſe expletionem dierũ purificationis, donec offerretur pro vnoquoque oblatio; nẽpe, futura pro illis die ſequẽti, quãdo erat octaua, deſtinata ſacrificiis & oblationibus ipſorũ, pro ſe verò poſt alios ſeptem dies.

a *Act. c.* 21. *v.* 26.

b *Num. c.* 6. *v.* 9.

dies. Deinde facilè intelligimus, qua ratione ſeptē illi cōputentur dies, de
e *Act. c.* quibus S. Lucas ita ſubiunxit [e]: *Dum*
21. v. 27. *autem ſeptem dies conſummarentur, hi, qui de Aſia erant Iudæi, cùm vidiſſent Paulum in templo, concitauerūt omnem populum,* &c. Nam, quod aliqui exponūnt, ſeptem dies, à quo Paulus venit Ieroſolymam, hoc verbis ſacræ Scripturæ non cohæret, & multò minùs quod alij computant ſeptem dies à prima Pauli purificatione, cùm hactenus tres tantùm egiſſe illum dies Ieroſolymis inueniamus. Deinde, quia ipſe Paulus poſt quinque dies aduentus ſui Cæſaream proteſtatus eſt Præ-
d *Act. c.* ſidi Felici, dicens [d]: *Potes cognoſcere,*
24. v. 11. *quia non plures ſunt mihi dies quàm duodecim, ex quo aſcendi adorare in Ieruſalem.* Hic autem duodenarius dierum numerus, vt etiam clariùs infrà conſtabit, initi aliter vix poteſt, quàm ſupponendo nōdum elapſam hebdomadam, à quo primùm Paulus in tēplo purificandus apparuit. Ideò quod
e *Act. c.* vulgatus habet Interpres [e]: *Dum au-*
21. v. 27. *tem ſeptem dies conſummarentur.* Græcè dicitur: ὡς δὲ ἔμελλον αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι, id eſt, cùm autem futuri eſſent ſeptem dies compleri: quia, videlicet, ſeptem dies iam incepti purificationis Pauli futurum erat, vt complerentur: at illorum virorum quatuor, qui cum ipſo venerant, iam compleri incipiebant, ſiquidem ſeptima illis dies inchoabatur. Quòd ſi quis obiiciat, hinc ſequi neque Paulum, neque illos quatuor Nazaræos ſacrificia, & oblationes expleuiſſe, quæ iuxta Moſaïcam legem octauo die offerebantur, cùm Paulus neque ad ſeptimum, illi verò ſolùm ad initium ſeptimi diei peruenerint: reſpōdere oportet, Paulum, & alios quatuor Nazaræos in promptu habuiſſe illa offerre, & fortè aliqua iam erant ad templum allata; ſed compleri ſacrificia nequiuerunt ob tumultum contra Paulum excitatum a perfidia ſuperuenientium Iudæorum. Qua de re ſic ſcribit S. Lucas [f]: *Hi, qui* f *Act. c.*
de Aſia erant, Iudæi, cùm vidiſſent *21. v. 27.*
Paulum in templo, concitauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus. Videntur autem hi ex Aſia Ieroſolymam hoc tempore connolaſſe, non tam ad Feſtum Pentecoſtes, quàm vt Paulo negotium faceſſerent, & eas inſidias, quas, dum Apoſtolus in Aſia verſaretur, declinauerat [g], alia g *Act. c.*
quacunque poſſent ratione ſtruere *20. v. 3.*
proſequerentur. Itaque dæmoniaco *& 19.*
ſpiritu exagitati, neque reueriti ſacrum locum, neque tempus feſtiuum, neque perſonam, tanquam in ſacrilegum impias manus iniiciunt: *Clamantes* (inquit S. Lucas [h]:) h *Act. c.*
Viri Iſraëlitæ, adiuuate: hic eſt homo, *2 &*
qui aduersùs populum, & legem, & lo- *18.*
cum hunc, omnes vbique docens, inſuper & Gentiles induxit in templum, & violauit ſanctum locum iſtum. Tres illi calumnias iniquiſſimas vociferātes obiiciunt. Prima odium propriæ nationis, ad populum contra illum incitandum. Secunda fuit Moſaïcæ legis conculcatio, & deſtructio, vnde reus magni criminis argueretur. Tertia tēpli auguſtiſſimi, quo nihil ſanctius apud Iudæos habebatur violatio. Et quia pro prima, & ſecunda calumnia multa priùs contra Paulum diſſeminauerant, ſatis hìc fuit indicare perſonam dicendo: hic eſt homo ille, de quo nimirū audiſtis, quàm multa contra gentem noſtrā moliatur, & doceat contra legem Moyſis, præſertim ethnicos, & incircunciſos vbique terrarum. Iam tertiam calumniam, tanquam nouum ſacrilegium, recenti facto conantur perſuadere, dum dicunt: *Inſuper & Gentiles induxit in templum, & violauit ſanctum locū iſtum.* Quaſi verò nihil expectari vlteriùs

vlteriùs ab ipſo poſſit, niſi vt abolitis Iudaïcis ſacrificiis, & ritibus Moſaïcæ legis, templum tradi curet Gentilibus Chriſtianis.

Vnde autem deprehenderint hi calumniatore, templi violationem à Paulo commiſſam, refert S Lucas, dicens [i]: *Viderunt enim Trophimū Epheſium in ciuitate cum ipſo, quem æſtimauerunt, quoniam in templum introduxiſſet Paulus.* Non arcebantur omninò ab ingreſſu templi Gentiles quoad partem anteriorem, quæ ſepto diuidebatur ab vlteriori, quam intrare ſoli Iudæi permittebantur, & appellabatur ſancta, habens inſcriptionem Græcis, & Latinis expreſſam characteribus, capitale eſſe alienigenis ingredi [k]: ideò violatum ſanctum locum ingreſſu Trophimi hominis incircuncisi proclamabāt. At veriſimile non eſt, Trophimum ad illam templi partem penetraſſe, præſertim Pauli ductu, aut permiſſione: ſi enim vt ritus Moſaïcos ſe non contēnere Paulus demonſtraret monitu S. Iacobi & ſeniorum, vota Nazaræorum cum tot cæremoniis in eo templo perſoluere inſtituerat, quomodo Trophimum induxiſſet, aut permiſiſſet tranſgredi legem adeò ſeueram in ipſis templi parietibus pariter inſcriptam? Sed vel Trophimus inſcio Paulo incautus illuc vſque penetrauerat, aut propè accedens penetrare velle videbatur; ſiue, quod faciliùs credi poteſt, neque propè acceſſerat, ſed Iudæi ex maleuolentia in eam ſuſpicionem nullo alio argumento venerant, vt indicat S. Lucas [l], niſi quia viderunt illum cum Paulo ambulantem per ciuitatem, quaſi eius comitem indiuiſum. Et quamuis Chriſtianæ profeſſionis eſſe Trophimum, ſicut Paulum, aduertiſſent: quia tamē fuerat anteà Gētilis, vnde à S. Luca appellatur [m] nunc Aſianus, nunc Epheſius, & admiſſus ad Chriſti fidem non fuerat circuncisus, perinde illis erat profanus, ac ſi adhuc eſſet Gentilis & idololatra. Hinc maximè infenſo animo in Paulum erant, non tantùm, qui Chriſti fidem auerſabātur; ſed etiam nō pauci ex iis, qui legem euangelicam amplexi erāt: quia docebat ſatis eſſe Gētilibus legē euangelicā obſeruare; de Moſaïca iam nō eſſe curandū, neque permittendū, vt ea Gentiles grauarētur, quidquid Iudæis veteris inſtituti tenacioribus ad aliquod tēpus concederetur, ſicut in Cōcilio Ieroſolymitano, ipſo vrgēte Paulo ad id congregato, fuerat nō multò anteà definitū.

Sed grauis dubitatio mouetur hîc à quibuſdā, quomodo potuerit Trophimus hoc tempore Ieroſolymis cū Paulo inueniri, qui, etiamſi à S. Luca referatur fuiſſe vnus ex iis, qui Apoſtolum Troade nauigantem versùs Miletū comitati ſunt, ſicut anteà narrauimus; tamen teſtatur ipſe Paulus in Epiſtola ſecunda ad Timotheum, quam ſequenti abhinc anno ſcripſit, cùm Ieroſolyma Romam veniſſet, ſe illum reliquiſſe Mileti ægrotātem [n]: *Trophimum autem* (inquit) *infirmum reliqui Mileti. Haud dubium,* ait Baronius [o], *in hac nauigatione, qua hoc anno ex Macedonia Troadem, & inde in Syriam nauigauit, quando cum cæteris adfuiſſe cum Paulo Trophimum Lucas affirmat, illum Mileti, quo Paulus appulit, reliquiſſe mala valetudine laborantem oportuit: nam in nauigatione, qua Ieroſolyma vinctus ductus eſt Romam, quam exactè per cunctas rationes Lucas recenſet, nequaquam Miletum appuliſſe vllo modo potuit. Vnde in eam ſententiam ire cogimur, vt dicamus, vel hunc Trophimum eſſe diuerſum ab illo, quod non credimus; non enim niſi vnus Trophimus Pauli diſcipulus ab omnibus ponitur, idémque qui Epheſius & Aſianus ab eodem Luca*

i Act. c. 21. v. 29.

k Ioſeph. l. 15. Antiq. c. 14. & lib. 6. de bello Iudaico, c. 6.

l Act. c. 21. v. 29.

m Act. c. 20. v. 4. & c. 21. v. 29.

n 2. Tim. c. vlt. v. 20.

o Baron. an. 58.

Lucæ nominatur, vel quòd in Epiſtola locum illum irrepſerit mendum, quod magis probatur, vt quod dicit: Trophimum reliqui infirmum Mileti. dicere velit, Melitæ. Hæc Baronius: res tamen nō caret maximo ſcrupulo, cùm in omnibus Bibliis etiam Græcis & Syriacis Mileti, non Melitæ conſtanter habeatur, & præſertim in Bibliis vltimò per Xiſtum V. & Clementem VIII. emendatis. Neque verò S. Lucas narrans Pauli Ieroſolymis vincti nauigationem vſque Romam, cum quo ſemper ipſe fuit, quidquam ſignificat de Trophimi ægritudine, aut quòd relictus Melitæ fuerit; etiamſi naufragium prope illam Inſulam, & ad eam appulſum, ac trium menſium ſtationē exactè per omnia deſcribat [p]: quinimò addit, omnes quotquot erant ibi laborantes aliqua infirmitate, ab Apoſtolo fuiſſe curatos. Quis ergo credat, vnum è comitibus ſuis adeò non potuiſſe curare, vt etiam poſt tres menſes in ea Inſula conſumptos debuerit illum ibi relinquere ægrotantem? Quare alij [q] opinantur, cùm hic Trophimus alius eſſe non poſſit, quàm Pauli comes in huius nauigationis initio à Luca recenſitus, nec Mileti remanſiſſe hoc tempore dici poſſit, neque videatur fuiſſe relictus poſteà, cùm Apoſtolus Ieroſolyma vinctus miſſus eſt Romam, ſiquidem Miletum non appulit tunc, neque propè acceſſit; opinantur, inquam, epiſtolam illam ſecundam ad Timotheum, in qua de Trophimo relicto Mileti infirmo Paulus facit mentionem, non fuiſſe ab eo ſcriptam anno ſequenti, quando primùm ductus eſt in vinculis Romam; ſed poſt annos decem, cùm à primis hiſce vinculis liberatus iterum in Aſiam rediit, & alia varia loca peragrauit, ducens ſecum Trophimum, eúmque Mileti relinquens ægrotum. At id nouam ingerit difficultatem: oſtenſuri enim ſumus argumentis conuincentibus, illam ad Timotheum Epiſtolam verè poſt hunc annum eſſe ſcriptam, cùm Romam Paulus primùm venit, non autem poſt decennium. Deinde Paulum in Aſiam, aut ſaltem in eam Aſiæ partem, vbi Miletus eſt, poſt hoc tempus non rediiſſe infrà oſtendetur: ac demum Miletum, vbi Trophimus infirmus eſt relictus, non eſſe Aſiaticam ciuitatem, ſed aliam inueniri eiuſdem nominis in Creta, vt Strabo teſtatur [r], cuius in hac re, cùm eſſet ex matre Cretenſi, non parum valere debet auctoritas: ſed & antiquus Poëta Homerus huius Mileti in Creta facit ſecūdo libro Iliadis mentionem. Cretam itaque Paulus prætemauigans, cùm vinctus Romam duceretur, ſecúmque Trophimum haberet, ægrotantem illum in ea Inſula putamus reliquiſſe, vt narrabimus poſteà ſuo loco.

Iam ad Paulum in templo diuexatum redeamus, aduerſùs quem Iudæi cùm vociferantes inſanis clamoribus inſurrexiſſent [s]: *Commota eſt* (inquit Lucas) *ciuitas tota, & facta eſt concurſio populi, & apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum: & ſtatim clauſæ ſunt ianuæ.* Quænam templi Salomonis ianuæ, per quos, & ad quem finem clauſæ nunc fuerint, hîc ambigitur: putant aliqui portas templi exteriores diuino miraculo quaſi ſponte ſua clauſas eſſe, ne intus adeò magna irrueret populi furētis multitudo, ex qua Dei Apoſtolus detrimentum graue pateretur, aut ne qui eum iam comprehēderant, & interficere intra templum non audebāt, extrà propellentes liberiùs occiderēt, aut ſi etiam intrà, nihil veriti loci ſanctitatē, id attentaſſent, ſaltē eo diuino prodigio attoniti prohiberentur. Et

[p] *Act. c.* 28. v. 1. & 9.

[q] *Cornel. à Lap. in* 2. *Tim. c. vlt.* v. 20.

[r] *Strabo lib.* 12. *vide in hoc lib. infrà c.* 8.

[s] *Act. c.* 21. v. 30.

quamuis hoc omninò improbabile non videatur; nam, ſicut aliquando nullo mortalium impellente illius templi fores diuino miraculo patuerunt, vt Ioſephus[t] teſtatur: ita nunc pro Pauli defenſione claudi potuiſſent: tamen probabilius eſt opera id factum eſſe Iudæorum; nihil enim de miraculo indicat S. Lucas, imò ſic ait[u]: *Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum: & ſtatim clauſa ſunt ianuæ.* Quare potiùs exiſtimamus, Paulum fuiſſe apprehenſum in ea templi parte, quæ ſancta dicebatur, & in qua Iudæi tantùm, non verò Gentiles admittebantur, ad quam Trophimum introductum à Paulo Iudæi calumniabantur. Inde itaque Paulum extractum putamus; & illius partis fores ſtatim clauſas fuiſſe; ſiue ad locum illum quaſi profanatum in maiorem Pauli deteſtationem declarandum; ſiue, ne magis illius cæde, quam ſtatim perficere voluiſſent, contaminaretur; ſiue denique ad magis explendam in loco liberiori iracundiam & furorem. Sicut de Ioiada Pontifice legimus[x], iuſſiſſe illum, vt milites, educerent extra ſepta templi Athaliam, & foris extractam ſtatim gladio interficerent.

t Ioſeph. lib. vlt. de bello Iudaico.

u Act. c. 21 v. 30.

x 2. Paral. c. 23. v. 14.

4. Cùm in tanto vitæ diſcrimine Paulus verſaretur, aliis eum cædentibus, & vt quamprimùm occideretur vrgētibus; aliis verò, vt fit in cōfuſa multitudine, legibus agendum reclamantibus, ſpatium aliquod temporis interceſſit Tribunum militum de tumultu admonendi, qui non procul à templo in arce Sion cum præſidiario milite ſuam habebat ſtationem. Rem à S. Luca narratam audiamus[y]: *Quærentibus autem* (inquit) *eum occidere, nūciatum eſt Tribuno cohortis, quia tota confunditur Ieruſalē: qui ſtatim aſſumptis militibus, & Centurionibus, decurrit ad illos. Qui, cùm vidiſſent Tribunū, & milites, ceſſauerunt percutere Paulū.* Erat hic Tribunus; ſiue, vt Græcè dicitur, Chiliarchus, Claudius Lyſias, miſſus à Præſide Felice ad regium dominium Romanorum ſuper ciuitatem Ieruſalem continendum in arce Sion, quæ, vt diximus, prope templum veluti illius & reliquæ vrbis propugnaculum erat conſtituta, vt agnoſci etiam poteſt ex libro primo Machabæorum[z]. Itaque non fuit difficile, armatam plurium militum manum, ad reprimendos huiuſmodi tumultus ſemper inuigilātium, eò protinus immittere, quando illi, qui auſu nimis temerario Apoſtolum tam indignè cædebant, intellecto propinquo motu accurrentis Romanæ cohortis, deponere audaciam inceperunt. *Tunc accedens Tribunus* (ait S. Lucas[a]) *apprehendit Paulum, & iuſſit eum ligari catenis duabus.* Atque hoc illud eſt, quod Apoſtolo euenturū Agabus Propheta paulò antè prædixerat, illis verbis[b]: *Hæc dicit Spiritus ſanctus: Virum, cuius eſt zona hæc, ſic alligabunt in Ieruſalem Iudæi, & tradent in manus Gentium.* Quare, ſicut Agabus Pauli zona ſibi manus & pedes alligauit: ita credere debemus duabus illis catenis Apoſtolum ſic vinctum, vt vna manus, altera pedes haberet circumligatos. Nec receſſit vllatenus à veritate prophetia, cùm dixit alligandum Paulum à Iudæis, & in manus Gentium tradendum: neque enim milites illi Gentiles manus in Paulum conieciſſent, eumque alligaſſent, niſi vrgentibus Iudæis, & cōpellentibus: ipſis igitur adſcribi vincula Pauli & tota perſecutio debet. Intereà quærebat à circumfuſa multitudine Tribunus, quinam hic Paulus eſſet, & quod facinus perpetraſſet, vnde tantus excitari tumultus in templo debuerit, & per totam ferè ciuitatem. *Aliqui hoc re[illegible] clamabant* (inquit S. Lucas:)

y Act. c. 21. v. 31. 32.

z Mach. l. 1. c. 1. v. 35.

a Act. c. 21. v. 33.

b Act. c. 21. v. 11.

c Act. c. 21. v. 34.

S. Lucas[c]:) *alij autem aliud clamabant. Et cùm non poſſet certum cognoſcere præ tumultu, iuſſit duci eum in caſtra.* Per caſtra ædes regias intelligere debemus inſtar caſtelli cum propugnaculis conſtructas prope templum in monte Sion: nec procul ad latus templi in monte Moria turris erat Antoniana ab Herode magnis ſumptibus exædificata, & in honorem amici ſui Antonij ſic appellata. Hæc poſita in angulo duarum porticuum prioris templi, & adiuncta regiæ habitationi, quatuor aliis per angulos eleuatis turribus ad meridianum, orientémque, ſeptuaginta cubitis ita eminebat, vt ex ea totum templum, totáque ciuitas commodè proſpiceretur. Hic igitur Romani milites pro cuſtodia reſidebant, & huc Paulus à templo aſportandus fuit, vt è manibus furentium Iudæorum eriperetur, atque in tuto collocaretur. Quòd autem in ipſo templo Paulus fuerit cōprehenſus, nulla habita immunitatis ſacri illius loci ratione, haud mirum videri debet: nam, vt Ioſephus teſtatur[d], adeò erant illa tempora infelicia, vt aucta in immenſum ſicariorum multitudine, non vererentur in ipſo templo frequenter cædes perpetrare, præſertim in eius parte anteriori, quæ Gentilibus etiam patebat, & in qua modò Paulus à Iudæis cædebatur, vt niſi præſidiarij milites accurriſſent, ibi fortaſſe interfectus fuiſſet. Quare ait S. Lucas[e]: *Cum veniſſet ad gradus,* (nempe, quibus extra templum deſcendebatur, ſiue per quos ad regias ædes in monte Sion aſcendebatur, vt colligitur ex capite duodecimo Nehemiæ;) *contigit, vt portaretur a militibus propter vim populi: ſequebatur enim multitudo populi clamans: Tolle eum. Quid eſt* (inquit Chryſoſtomus,) *Tolle eum: Mos erat Iudæis contra condemnatos ſic loqui, ac dicere, Tolle illum hoc eſt, ne ſinas videri vltra inter homines: ſicut de Chriſto dicebant*[g]*: Tolle, tolle, crucifige eum.* A gradibus igitur, quibus aſcendebatur ad palatium, ſiue etiam à gradibus, per quos à templo deſcendebatur, & vnde præceps ruebat multitudo, aſportatus eſt brachiis militum Paulus vſque ad ingreſſum in arcem Sion, quam nomine caſtrorum Lucas ſignificauit, dicens[h]: *Et cùm cœpiſſet induci in caſtra Paulus, dicit Tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit: Græcè noſti? Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitaſti, & eduxiſti in deſertum quatuor millia virorum ſicariorum?* Rem hanc narrat Ioſephus his verbis[i]: *Eodem tempore quidem ex Ægypto venit Ieroſolymam, Vatem ſe eſſe profitens, & plebi ſuadens, vt ſecum ſe in montem Oliueti aſcenderet, qui è regione vrbis ad quintum ſtadium eſt: illic enim viſuros ſuo iuſſu cadere Ieroſolymorum mœnia, ita vt per eorum ruinas aditus ad ciuitatem pateat. Quo cognito, Felix iubet milites arma ſumere, ſtipatúſque multis equitibus ac peditibus erumpens, inuadit turbam ſeductam ab Ægyptio: quorum quadringentis occiſis, ducentos viuos cepit: Ægyptius verò ipſe pugna elapſus diſparuit.* Hæc Ioſephus. Addit S. Ioannes Chryſoſtomus[k]: *Vide malignitatē Diaboli, impoſtor erat, & magus ille Ægyptius, & attētabat per hoc adumbrare, & ſuorū criminū ſocios facere Chriſtū, & Apoſtolū; ſed nō potuit. Attamen adhuc fulgidior facta eſt veritas, nihil à Diaboli machinationibus offuſca, ſed magis illuſtrata.* Obſeruat etiā hoc loco idem Chryſoſtomus modeſtiam Pauli ſingularē, qui tam animi ſubmiſſione Tribunum illis verbis affatur, dicens: *Si licet mihi loqui aliquid ad te:* Nec tamen de illata ſibi à Iudæis adeò graui contumelia,

d Ioſeph. lib. 10. Antiq. c. 6.

e Act. c. 21. v. 35. 36.

g Ioan. c. 19. v. 15.

h Act. c. 21. v. 37.

i Ioſeph. lib. 20. Antiq. c. 6. & lib. 2. de bello Iud. c. 12.

k Chryſ. hom. 46. in Act.

& iniuria tam atroci vllo modo conqueritur: qui, ſi ciuem ſe Romanum, & ab illis in ipſo templo cõtra omnia humana, diuináque iura indignè cæſum expoſtulaſſet, profectò non leuem indignationem Claudio, Lyſiæ Tribuno, Romanorum iurium defenſori commouiſſet. Intereà petit à Paulo Tribunus, an loqui Græco ſermone poſſit; non, vt aliqui putant, ne ab aliis intelligeretur: erat enim eo tempore Græca lingua valdè communis: ſed quia Tribunus Hebraïcam linguam, non perinde atque Græcam intelligebat. Quare Paulus pauca hæc Græco idiomate locutus
a Act. c. 21. v. 19. 40. eſt, dicens [a]: *Ego homo ſum quidem Iudæus, à Tarſo Ciliciæ non ignotæ ciuitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum. Et cùm ille permiſiſſet, Paulus ſtans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno ſilentio facto allocutus eſt lingua Hebræa.* Gradus, quos hîc Lucas nominat, aliqui arbitrantur, templi fuiſſe; tamen cùm antea dictum ſit, cœpiſſe Paulum induci in caſtra, dum loquendi petiit à Tribuno facultatem, veroſimilius apparet fuiſſe gradus, quibus ad regias ædes aſcendebatur. Certè locus erat aliquantò eminentior, vnde non incommodè à fremente multitudine audiretur, ſuámque tum inuicti animi conſtantiam, tum cauſæ maximam æquitatem redderet aduerſariis, aliiſque omnibus, qui aderant manifeſtam. Eſt autem Hebraïco ſermone locutus, vt præcipuè à Iudæis intelligeretur, ſéque non Ægyptium, vt ſuſpicabatur Tribunus; ſed Iudæum genere declararet. *Quid verò huic ſpectaculo par?* (ait Chryſoſtomus) *videre Paulum duabus catenis ligatum concionantem: quomodo non turbatus eſt? quomodo non confuſus eſt? tantum populum exaſperatum videns, aſtante Præſide. Et primùm ſiſtit furorẽ illorum, deinde narrat.* Sed qualis fuerit Pauli concio ſequẽti capite commodiùs referemus.

CAPVT II.

Vinctus catenis Paulus publicè concionatur: expediuntur pro illo flagella; ſed profeſſus ſe eſſe Romanum ciuem, à ſupplicio liberatur.

QVàm verè ſcripſerit Apoſtolus in ſecunda Epiſtola ad Timotheum [a], ſe laborare pro Chriſti Euangelio vſque ad vincula; verbum tamen Dei non eſſe alligatum; ſæpè aliàs oſtendit: ſed nunc præcipuè, dum vinctus catenis verba facit omni cum fiducia & libertate coram Iudæorum atque Gentilium maxima multitudine. An verò, quod aliqui opinantur, facta Paulo à Tribuno loquendi poteſtate catenæ aliqua ex parte, ſaltem quæ manus apoſtolicas vinciebant, fuerint relaxatæ, non cõſtat. Negat Chryſoſtomus, cuius anteà retulimus teſtimonium, & hinc arguit eò mirabilius concionantis Pauli fuiſſe ſpectaculum. Ex verbis Lucæ illud ſaltem colligimus, non adeò fuiſſe manus catena conſtrictas, quin poſſent aliquo modo agitari, & attolli: nam inquit Lucas [b]: *Stans Paulus in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno ſilentio facto allocutus eſt lingua Hebræa.* Erat ſatis vſitatum apud Iudæos ſignum indicti pro concione ſilentij, manum eleuare: vnde hoc idem feciſſe Paulum, ait S. Lucas, cùm Antiochiæ aliquando inuitaretur, vt in Synagoga verba faceret [c]: *Nam* (inquit) *ſurgens Paulus, & manu ſilentium indicens*, &c. Quod autem hic dicitur Hebræa

a 2. Timoth. c. 2. v. 9.
b Act. c. 21. v. 40.
c Act. c. 13. v. 16.

Hebræa lingua locutus, non eſt de antiqua, & pura lingua Hebraïca intelligendum: hæc enim tunc vulgaris non erat; ſed poſt captiuitatem Babylonicā infecta Syriaci & Chaldaïci ſermonis permixtione habebatur: vnde Syrochaldaïca ab aliquibus appellatur, quæ tempore Chriſti Domini & Apoſtolorum maximè erat in vſu, nec aliam ita communiter, niſi doctiores intellexiſſent. Tres autem in partes Apoſtoli concio fuit diſtributa: in prima conciliare ſibi, aut ſaltem mitigare animos Iudæorum exaſperatos quærit: in ſecunda exponit ſuam admirabilem conuerſionem, & à Chriſto apparente ſibi in via Damaſci diuinam vocationē: in tertia reddit rationem, cur in euāgelica prædicatione operam ſuam potiùs Gentilibus, quàm Iudæis impenderit. *Et cùm audiſſent* (inquit S. Lucas,) *quia Hebraïca lingua loqueretur ad illos, magis præſtiterunt ſilentium.* Sic igitur loqui orſus eſt: Viri, non genere tantùm, ſed & germana mihi charitate Fratres, & obſeruantia Patres, rogo hæc pauca, quæ in mea cauſa dicere compellor, audite. Ego ſanè vir ſum non Ægyptius, aut alienigena; ſed Iudæus, natus in Tarſo Ciliciæ: in hac autem Ieroſolymorum ciuitate educatus, ſub diſciplina clariſſimi viri, legiſque Doctoris Gamalielis, iuxta veritatem paternarum traditionum, æmulator legis, ſicut eſtis hodie vos omnes. Et vitæ huius inſtitutum tanta animi conſtantia, & ardore perſecutus ſum, vt aduerſantes ad necem quærerem, alligarem, & in cuſtodias traderem quoſcunque non viros modò, ſed etiam mulieres. Huius rei teſtem omni exceptione maiorem appello Principem Sacerdotum, & cœtum ſeniorum vniuerſum, à quibus authenticas, & publico ſigillo munitas literas accepi ad Fratres, qui erant Damaſci, vt illi agnoſcerent, eò me cum legitima poteſtate adueniſſe, vt inde vinctos adducerem in Ieruſalem puniendos. Et ecce factum eſt, me Damaſco iam appropinquante, in meridie lux ab alto erumpens copioſa ipſo meridiano Sole ſplendidior, omnes, qui via illa veniebamus, méque in primis circunfulſit, ita vt ad terram me, ſocióſque proſtrauerit. Et cùm ſic humi ſtratus iacerem, audiui vocem Hebraïca lingua mihi dicentem: Saule, Saule, quid me perſequeris? Tunc ego reſpondi: Qui es, Domine? Dixitque ad me: Ego ſum I E S V S Nazarenus, quem tu perſequeris. Et qui mecum erant, clariſſimum illud lumen circunfuſum benè viderunt: vocem autem eius, qui loquebatur mecum, per verba ſingula diſtinctè percipere nō potuerunt. Tunc ego illi dixi: Domine, quid me vis facere? Dominus autem ad me: Surgens (inquit) progredere, intra Damaſcum, ibi dicetur tibi quæcunque facere te oportet. Cùm itaque à terra ægrè ſurrexiſſem, & propter illius eiaculati in me luminis vehementiam obcæcatus nihil viderem, à comitibus per manus deductus ſum, atque ita Damaſcum veni. Erat ibi vir quidam nomine Ananias, ſancto Dei timore præditus, & diuinæ legis obſeruantiſſimus, qui teſtimonium habebat ab omnibus cohabitantibus Iudæis ſuæ eximiæ probitatis. Hic ergo cùm ad me veniſſet, mihi dixit: Saule Frater, reſpice. Et ego ſtatim in illum reſpexi ab omni ſubitò cæcitate liberatus. Tunc ille dixit: Deus Patrum noſtrorum ſua mirabili prouidentia ſic diſpoſuit, vt eius agnoſceres volūtatem, & oculis tuis Iuſtum illum videres, vocémque ipſius ex eius ore perciperes, quem antiqui Prophetæ

venturum prænunciare; non autem videre, aut audire præſentem potuerunt. Quare Martyrem illius te eſſe oportet, nempe, omnibus teſtem eorum, quæ tam clarè vidiſti, atque audiuiſti. Et iam quid moraris? Surge, & Baptiſmi Sacramento maculas ablue peccatorũ, inuocato ipſius nomine ac virtute. Poſt aliquod verò tempus, cùm Ieroſolymã rediiſſem, & ad tẽplum oraturus veniſſem, dum ibi tota mente vacarem contẽplationi diuinæ, incidi in quandã ecſtaſim, & ſenſu interiori eundem vidi, quem externo priùs intuitus fueram in via Damaſci; dixitque mihi: Feſtina, & ab hac ciuitate Ieruſalem quamprimùm egredere: quia tuũ de me teſtimonium hic non recipient. Ego verò dixi: Imò, Domine, cùm ipſi benè ſciant, me talem extitiſſe, qui carceribus concludebam, cædebam, perſequebar eos per Synagogas, qui credebant in te, magis cogentur fidem mihi præſtare de te, ac pro te loquenti, quàm alij, qui me non ita nouerunt, qualis fuerim contra te. Nonne, cùm funderetur ſanguis Stephani Protomartyris tui, ego inter primos adſtabam, & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum? His auditis perſtitit Dominus nihilominùs in ſentẽtia & iuſſione, dixitque mihi: Vade, quia ego mitã te procul ad alias nationes.

Huc vſque Paulus attentè à Iudæis auditus eſt, non tam pia veritatis agnoſcendæ voluntate, quàm, vt declarauit euentus, curioſitate quadam animi implacabilis, ſi poſſent ex eius verbis nouam calumniandi, & illum accuſandi prætexere occaſionem. Quare, vbi primùm audierunt Iudæi de Gentilibus, quos ipſi vt canes, & immundos abominabantur, eſſe ſibi in Euangelio prælatos, & diuinæ ordinationis obtentu magis eſſe dignos, quibus myſteria noſtræ fidei prædicarentur, hoc tolerare & diſſimulare nullo modo potuerunt. Quare (inquit S. Lucas [e]) *audiebãt eum vſque ad hoc verbum, & leua uerunt vocem ſuam, dicentes: Tolle de terra huiuſmodi; non enim fas eſt eum viuere.* Et nimio liuore obcæcati, vel hoc ipſum aduertere non potuerunt, quod opere confirmabant; nempe, veriſſimè Paulo fuiſſe à Chriſto pronunciatum de ipſis [f]: *Quoniam non recipient teſtimonium tuum de me.* Ita peruerſis mentibus planè omnia peruertuntur: vnde quod obſtinatis Iudæis accidit in hac Pauli concione, ſimile quoque circa illam contigit Caluino, dum in ſuis Commentariis plura, quæ hic dicuntur, contra perfidiam ipſe intorquet cõtra Eccleſiam catholicam, & orthodoxam veritatem. Dixerat Paulus Ananiam ita locutum [g]: *Deus Patrum noſtrorum præordinauit, vt cognoſceres voluntatem eius.* Quid ad hæc Caluinus [h]? *Deus (inquit) Patrum vocando Paulus confirmat, ſe non eſſe transfugam a Deo Abrahæ, & qui iam olim apud Iudæos cultus fuerat; ſed manere in veteri & patrio cultu, quem ex lege didicerat. Quare, vbi de religione agitur, diſcamus Pauli exemplo non imaginari nouum quempiam Deum, vt fecerunt Papiſtæ, & Mahumethiſtæ, atque vt Hæretici omnes ſolent: ſed retineamus Deum illum, qui ſe Patribus olim, tum lege, tum variis oraculis patefecit. Hæc eſt veritas, in qua nobis manendum eſt, non qua fruſtrà ſuperbiunt Papiſtæ, qui nouitium ſibi Deum fabricarunt, cùm à legitimis patribus deſciuerint.* Hactenus calumniator mendaciſſimus, nõ ſolùm contra omnem veritatem; ſed etiam contra propriam cõſcientiam: quippe qui benè intelligebat, quàm ſit validum contra ipſius errores, & profanas nouitates argumentum, au-

e Act. c. 22. v. 22.

f Act. 22. v. 22.

g Act. c. 22. v. 14.

h Calu. in Commẽt. act. c. 22.

ctoritas

ctoritas totius antiquitatis, ab apoſtolicis vſque ad noſtram ętatē ducta temporibus. Et quaſi Patres noui Teſtamenti, tot Eccleſiæ Doctores, Martyres, ſacríque Scriptores, qui per mille & ſexcentos annos variis ſæculis floruerunt vera Eccleſiæ dogmata neſciuiſſent, his poſthabitis, dum corū auctoritate premitur, appellat ad Patres veteris Teſtamenti, & ad Iudaicam legem. Quaſi verò Patres noui Teſtamenti, veteribus eſſent contrarij, aut meliùs veterum oracula vnus ipſe Caluinus exponeret, quàm illi omnes intellexerunt. Obiicit nobis nouitia dogmata, ne impiæ nouitatis ipſe redarguatur: vocat Catholicos Hæreticos, vt illorum loco ſe conſtituat, ſéque venditet orthodoxum: Deum falſum à nobis fingi calumniatur, veritus ipſe iure notari de Atheïſmo: cōparat nos Mahumethanis, ne illum talibus deteriorem facilè oſtendamus. Nec minùs impudentèr verba illa interpretatur, quæ ſibi dicta ab Anania Paulus refert [i]: *Exurge, baptizare, & ablue peccata tua.* Nam ait Caluinus, videri ſibi, nimis ab Anania fuiſſe tributum corruptibili aquæ elemēto, & cauendum, ne nos externo illi ſymbolo ablutionis, gratiam Dei alligemus: id enim eſſe ſuperſtitioſum, & abolere vim Sanguinis Chriſti, quin ipſi Chriſto ac Spiritui ſancto grauem iniuriam irrogare; ſcilicet, Apoſtolus hoc neſciuit, cùm ad Titum de Baptiſmi Sacramento & virtute ita ſcripſit [k]: *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos; ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per* I E S V M *Chriſtum.* Imò Chriſtus ipſe loquens cum Nicodemo de inſtituendo Baptiſmi Sacramento, virtutem eius in genere efficientię Spiritui ſancto cōparauit, ac ſubordinauit, dicens [l]: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* quaſi in hac ſpirituali renaſcentia, ſiue, vt loquitur Apoſtolus, regeneratione, Spiritus ſanctus habeat ſe vt pater; aqua verò vt mater. Quod obſeruauit circa hæc verba Euāgelij S. Ioannes Chryſoſtomus [m], & S. Leo ſermone quarto de natali Domini: *Omni* (inquit) *homini renaſcenti aqua Baptiſmatis inſtar eſt vteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui repleuit & Virginem: vt peccatum, quod ibi euacuauit ſacra conceptio, hic myſtica tollat ablutio.* Et ſermone quinto: *Originem, quam Chriſtus ſumpſit in vtero Virginis, poſuit in fonte Baptiſmatis. Dedit aquæ, quod dedit & matri: virtus enim Altiſſimi, & obumbratio Spiritus ſancti, quæ fecit, vt* M A R I A *pareret Saluatorem, eadem facit, vt regeneret vnda credentē.* Hæc S. Leo, quæ adeò vera ſunt, vt ipſe Caluinus, inuitus licet, explicans alibi [n] hanc Baptiſmi virtutem, negare non audeat, Spiritum ſanctum operari ſalutem noſtram per Baptiſmum, tanquā per medium: *Non ſecùs* (inquit) *ac per panem paſcit corpora noſtra, per Solem illuminat, & per ignē calefacit.* At hoc plus eſt, quàm quod hic quærimus; nā hæ ſunt cauſæ in ſuo ordine principales: ſed Baptiſmus & alia Sacramenta nō ſunt propriè cauſæ gratiæ, niſi inſtrumētales. Deinde Sacramēta non operantur ſua naturali virtute gratiam, ſed ſupernaturaliter eleuata diuinitùs ab omnipotētia: at Sol propria, & naturali ſua virtute illuminat, & ſimiliter ignis calefacit, & alimentum corpus noſtrū reficit. Niſi fortè imaginetur Caluinus, has cauſas ſecundas naturales nihil prorſus agere;

[i] Act. c. 22. v. 16.

[k] Tit. c. 3. v. 4.

[l] Ioan. c. 3. v. 5.

[m] Chryſoſt. hom. 24. & 25. in Ioan.

[n] Calu. lib. 2. Inſtit. c. 17. n. 1. & lib. 4. c. 14. n. 12.

ſed tantùm Deum ad eorum præſentiam & poſitionẽ illos effectus operari : quod profectò hic Hæreticus ſentire videtur, cùm ſubdit : *Nec tamẽ aut panis, aut Sol, aut ignis aliquid ſunt, niſi quatenus ſub iis inſtrumentis ſuis Deus benedictiones ſuas nobis diſpenſat.* Sed hic eſt error nimis craſſus in Philoſophia, quem refellens
o Auer. lib. 4. Metaph. com. 7. Auerroës [o], dixit eſſe extraneum ab humano intellectu ; & qui ſibi potuerunt id perſuadere, non habuiſſe cerebrum naturaliter habilitatum ad bonum. Quòd ſi talia peccat Hæreticus Interpres in ſcientia naturali, quid mirum exorbitaſſe grauiùs deſtructis fidei principiis in ſcientia altiori. Sed ad Iudæos contra Paulum clamantes reuertamur.

Vociferãtibus autẽ eis (inquit S. Lu-
p Act. c. 22. v. 23. 24. cas [p]) *& proiicientibus veſtimenta ſua, & puluerem iactantibus in aerem, iuſſit Tribunus induci eum in caſtra, & flagellis cædi, & torqueri eum, vt ſciret, propter quam cauſam ſic acclamarent ei.* Vnde apparet, non percepiſſe Tribunum, quid Paulus tota concione Hebraïco ſermone loqueretur : ex illa tamen Iudæorum talibus ſignis declarata vehementi perturbatione coniecit, blaſphemias fortaſſe aliquas, ſiue ſacrilegia, aliáve non leuia crimina ex ore Pauli fuiſſe ab illis deprehenſa. Quid autem Iudæi propriè vellent ſignificare, veſtimenta ſua proiicientes, & in aërem puluerem iactantes, haud eſt manifeſtum. Aliqui dicunt, eos abieciſſe veſtimẽta, vt expeditiùs terram arripientes, & in cœlum eam iactantes, terræ & cœli perturbatorem eſſe Paulum indicarent : alij, vt oſtenderent illum eſſe ſicut Stephanum lapidatione dignum, ideò terram iactaſſe pro lapidibus, quos ad manum eo tempore ac loco non habebant. Sed mirum eſt, auſos id facere coram militibus, & Tribuno, quibus aduenientibus, ſicut anteà narrauimus, Paulum percutere ceſſauerunt. Quare, vt inter tot coniecturas etiam noſtra ponatur, dici poſſet, veſtimenta illos non omninò depoſuiſſe : ad quid enim ſe tanta multitudo tunc expoliaſſet ? quando præſertim in tanto tumultu ſuas vnuſquiſque veſtes maximè debuit cuſtodire. Sed, quia ſolenne fuit Iudæis in ſignum deteſtationis auditæ blaſphemiæ, ſiue detecti piaculi, ſcindere propria veſtimẽta, nec id in conferta illa multitudine à quocunque fieri expediebat, pro ſciſſione excuſſionem aliquam veſtium adhibebant, vt ſimul Pauli concionem interrumperent : quemadmodum in publicis diſputationibus aliquando impatientes auditores importuna theſium cõcuſſione, & pedum comploſione argumenta, ne protrahanhantur, impediunt. Fortè etiam oblongis veſtibus, quibus Iudæi vtebantur, ſolum puluerulentum, & gradus, ex quibus Paulus in aperto concionabatur, excutiebant, vnde puluis attolleretur, & iterum veſtes inter ſe allidebant, in argumentum ſeditionis, atque tumultus. Et ſanè Græca verba ῥιπτούντων τὰ ἱμάτια, non ſolùm proiicere ; ſed etiam (vt diximus) excutere veſtimenta, poſſet ſignificare. Vnde ait S. Chryſoſto-
mus [q] : *Excutientes veſtes puluerem mittebant : quod faciebant ad maiorem ſeditionem mouendam, vel etiam terrere volentes Principem.* q Chryſ. hom. 48. in Act.
Alias myſticas rationes hac de re ſectatus eſt Beda, dum ita ſcripſit [r] : *In Domini paſſione Sacerdos ſolus de throno exiliens veſtimenta ſcindit, quia tunc ſacerdotium vetus erat nouo mutandum. Nunc verò, quia poſt necem Apoſtolorum tota ſimul gens erat regni gloria ſpolianda, cuncti indumenta proiiciunt, & clamorem puluere mixtum ad cœlum tollunt,* r Beda in c. 22. Act.

iuxta

s Pſ. 73. v. 23. iuxta quod Pſalmiſta ait s: Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.

Hæc Tribunus militum cùm vidiſſet, iuſſit (inquit S. Lucas t) induci Paulum in caſtra, & flagellis cædi, & torqueri eum, vt ſciret, propter quam cauſam ſic acclamarent ei. Hactenus viſus fuerat Lyſias Tribunus mitior erga Paulum extitiſſe, à furore ſeditioſorum illum eripiens, atque defendens: iam verò tanquam alter Pilatus etiam ſibi timens, maluit iniquè ſæuire in Paulum inermem, & innocentem, quàm opponere ſe iuſtiſſima vi populo turbulento. Sed oportebat (ait Chryſoſtomus u) Tribunum illos ipſos interrogare, an ita res habeant. At ille nihil ampliùs faciens, flagris illum præcipit examinari, vt cognoſcat, propter quam cauſam contra illum clamarent; id, quod ab inclamantibus diſcere oportebat. Sed abutebatur poteſtate, & faciebat in gratiam illorum. Non enim hoc quærebat, quomodo iuſtè aliquid faceret; ſed quomodo illum iniuſtum furorem placaret. Ducitur itaque Paulus ex gradibus ad caſtra, hoc eſt, ad Prætorium, ſiue ad Antonianam turrim, vbi locus erat flagellandis reis conſtitutus, qui more Romano priùs ad columnam, vel palum alligabantur. Negotium Tribunus commiſerat tanquam iuſtitiæ Præfecto cuidam ſuo Centurioni. Et cùm aſtrinxiſſent eum loris (inquit S. Lucas x) dicit aſtanti ſibi Centurioni Paulus: Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare? Viſo implacabili furore Iudæorum, ex quo etiam Tribunus & Romani milites in tranſuerſum iniquè agebantur, compulſus fuit Apoſtolus Romano iure ſe defendere, non tam de ſua ſalute vel incolumitate ſollicitus, quàm de gloria Chriſti, & honore naſcentis Euãgelij, quem obſcurare Paulo oppreſſo, & extincto illi omninò voluiſſent. Quapropter duo quædam modeſta interrogatione potiùs, quàm obiurgatione propoſuit: Si licet vobis hominem Romanum, videlicet, cõtra Romanas leges, & indemnatum; nempe, contra omne aliud ius & naturalem æquitatem, flagellare? Legem Romanam Valerius Publicola in comitiis centuriatis tulerat, teſte Valerio Maximo y: Ne quis Magiſtratus ciuem Romanum aduersùs prouocationem verberaret, aut necaret. Idemque poſtea lege Porcia, & iterum lege Sempronia magis eſt confirmatum. Vnde M. Tullius in Oratione pro Rabirio: Porcia lex (inquit) virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit. Et Actione ſeptima in Verrem: Facinus eſt vinciri ciuem Romanum: ſcelus verberari: propè parricidium necari. Et ſæpè alibi Verrẽ accuſat, qui auſus fuerit Romanos ciues virgis ſubiicere: Cùm nulla vox (inquit) audiretur ab illis, niſi hæc: Ciuis Romanus ſum. Hęc igitur à Paulo cùm Centurio audiuiſſet, ait S. Lucas, acceſſit ad Tribunum, & nunciauit ei, dicens: Quid acturus es? hic enim homo ciuis Romanus eſt. Audiens autem Tribunus dixit illi: Dic mihi, ſi tu Romanus es? At ille dixit: Etiam. Et reſpondit Tribunus: Ego multa ſumma ciuilitatem hanc conſecutus ſum. Et Paulus ait: Ego autem & natus ſum. Hæc S. Lucas. Non poterat Tribunus facilè ſibi perſuadere, Paulum, quem ex habitu corporis neglecto, & paupere veſtitu tantùm conſiderabat, audieràtque lingua Hebraïca tanquam patria concionantem, eſſe Romanum ciuem: ideò de ſe gloriabatur Tribunus dicens: Ego multa ſumma ciuilitatem hanc conſecutus ſum. ſiue, vt alij legunt, ciuitatem hanc; ius, nimirum, Romanæ ciuitatis. Quia Roma (inquit Saluſtius) venalia

t Act. c. 22. v. 24.

u Chryſ. hom. 48. in Acta.

x Act. c. 22. v. 25.

y Valer. Max. lib. 4. c. 1.

venalia omnia erant, ipſaque vrbs maturè etiam peritura, ſi inueniſſet emptorem. Quaſi dicere Lyſias Tribunus voluiſſet: Tu verò, Paule, pauper cùm ſis, emere tale ius quomodo potuiſti? Nec natus Romæ videris, cùm ſis genere Iudæus. Mirum autem quoſdam eſſe, qui Paulum hîc æquiuocatione vſum, vel etiam mentitum putant, cùm ſe natum Romanum ciuem affirmauit: quoniam, inquiunt, leuis eſt culpa pro tali periculo declinando officiosè mentiri. At profectò nimis eſt hoc durum, & minimè pium ſentire de Apoſtolo; præſertim, quia ſic mentiendo, non tantùm officioſum, ſed etiam pernicioſum mendacium protuliſſet, quatenus in aliquam euangelicæ veritatis, quam prædicabat, maculam cedere, ſibique periculum & ſupplicium multò grauius accerſere potuiſſet, fallendo in eo iudicio, vbi deprehendi, & conuinci de mendacio facilè potuiſſet. Benè itaque S. Ioannes Chryſoſtomus [b]: *Non eſt*, inquit, *mentitus Paulus ſe dicens Romanum hominem: abſit: Romanus enim erat, ideo Tribunus eo audito territus eſt.* Et infrà: *Non erat* (inquit) *mendacium, Paulum eſſe ciuem Romanum, ideò Tribunus ſoluit eum à vinculis.* Rationem verò magis explicans Oecumenius, ſic ait [c]: *Non mentitus eſt Paulus, cùm vocauit ſe Romanum, licèt, quemadmodum ipſe anteà dixerat, Iudæus eſſet: ſignificat autem, patrem ſuum Romanum fuiſſe. Cùm enim, antequàm genitus fuiſſet Paulus, in ditionem Romanorum redacta eſſet Cilicia, neceſſe fuit, vt ipſe etiam, qui ſub ipſis erat, Romanus eſſet.* Hæc Oecumenius: & nos alibi [a], cùm de natali ſolo Pauli ageremus, expoſuimus, qua ratione Tharſus Ciliciæ metropolis, & Apoſtoli patria fuerit primùm à Iulio Cæſare, & poſteà ab Octauiano Auguſto nobilitata, & maximis donata priuilegiis, vt etiam Iuliopolis aliquando appellaretur, ciuéſque illius inter Romanos ciues haberentur. Quapropter addit S. Lucas: *Protinus diſceſſerunt à Paulo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit, poſtquàm reſciuit, quia ciuis Romanus eſſet, & quia alligaſſet eum.* Vt enim conſtat ex allatis anteà teſtimoniis, non ſolùm necare, aut cædere; ſed etiam ligare Romanos ciues legibus Romanorum prohibebatur. Itaque dilata eſt examinanda magis in ſequentem diem Pauli cauſa.

b Chryſ. hom. 48. in Acta.

c Oecum. in c. 22. Act.

a lib. 1. c. 6.

CAPVT III.

Producitur Paulus à Tribuno in Concilium Iudæorum: Phariſæis autem, & Sadducæis inter ſe multùm diſſidentibus, indemnatus ad caſtra reducitur.

QVid actum cum Paulo fuerit die ſequenti, refert S. Lucas his verbis [a]: *Poſtera autem die volens ſcire Tribunus diligentius, qua ex cauſa accuſaretur à Iudæis, ſoluit eum, & iuſſit Sacerdotes conuenire, & omne Concilium, & producens Paulum, ſtatuit inter illos.* Sicut timore legum Romanarum adactus eſt Claudius Lyſias à Paulo virgarum ſupplicium amouere: ita etiam mundano inductus timore, ne fortè apud Felicem Præſidem à Iudæis incuſaretur quaſi ſuo Iudicis officio defuiſſet, ſtatuit cauſam Pauli magis examinare. Et quia tota controuerſia de religione Iudaica eſſe videbatur,

a Act. 22. v. 30.

videbatur, Concilium Sacerdotum, ſiue, vt Græcè legitur, Principum Sacerdotum, aduocauit. Nam, etiamſi Romani Iudæos abſoluta poteſtate priuauerant, nec eos diiudicare grauiores cauſas, & vbi de vita & ſanguine agebatur, facilè permittebant; leuiores tamen, aut quæ ad eorum religionem pertinebant controuerſiæ, ipſis relinquebantur. Vnde, cùm aliquando Paulus apud Gallionem Achaïæ Proconſulem à Iudæis ſimiliter accuſatus fuiſſet, reſpondit Gallio [b]: *Si quidem eſſet iniquum aliquid, aut facinus peſſimum, ô viri Iudæi, rectè vos ſuſtinerem: ſi verò quæſtiones ſunt de verbo, & nominibus, & lege veſtra, vos ipſi videritis: Iudex ego horum eſſe nolo.* Sed Tribunus huic modò Concilio tanquam ſupremus Iudex loco Præſidis Romani, qui tunc erat Cæſareæ, voluit intereſſe. Præcipui verò conuocati fuère capita viginti-quatuor familiarum, qui Principes Sacerdotum dicebantur, & quorum conuentus, Græcè Synedrion, id eſt, conſeſſus, dicebatur; Hebraïcè verò, corrupto Græco vocabulo, Sanedrin, cuius erat de rebus ad religionem ſpectantibus iudicare. Putant autem aliqui, etiam conuentum ſeptuagintaduorum ſeniorum cum ſummo Pontifice adfuiſſe, qui magnus conſeſſus dicebatur: ſed hoc Lucæ verba non ſignificant: nam, quamuis ipſe dicat, omne Concilium conueniſſe: tamen id videtur explicare tantùm, quod anteà dixerát, conueniſſe Principes Sacerdotum: ſic enim Græcè legitur: ἐκέλευσεν ἐλθεῖν τοὺς Ἀρχιερεῖς, καὶ ὅλον Συνέδριον αὐτῶν, id eſt, iuſſit, nempe, Tribunus, venire Principes, ſiue Primores Sacerdotum, & omne Concilium eorum. Quod notandum eſt, ad ſingularem difficultatem inferiùs explicandam. Eſt etiam obſeruandum, non dici à Tribuno iuſſos conuenire; ſed ἐλθεῖν, venire. Igitur non conuenerunt in loco proprio, & conſueto pro Iudaïca Synodo celebranda; ſed venire ad ædes Tribuno vicinas debuerunt. Eandem coniecturam verba illa confirmant [c]: Καὶ καταγαγὼν τὸν Παῦλον. & producens Tribunus Paulum, quaſi de loco ſuperiori ad inferiorem, nempe, ab Antoniana turri, & loco, vbi caſtra erant, ſtatuit inter illos. Quare, quod aliqui putant, conuentum hunc in ipſo templo Salomonis celebratum, vbi certus quidam erat locus cogendo Iudæorum Concilio deſtinatus, vt habetur ex primo libro P[illegible]menon [d], minùs eſt veriſimile. quamuis enim templum non procul ab Antoniana turri & caſtris diſtaret; tamen cùm Tribunus eſſet homo Gentilis, qui præeſſe Concilio debebat, atque ideò non ſine magno militum Gentilium comitatu, quomodo id æquo animo Iudæi ferre potuiſſent, qui die antecedenti contra Paulum eam tragœdiam excitauerant clamantes? *Quis Gentiles induxit in templum, & violauit locum ſanctum iſtum.* Potiùs igitur in domo aliqua inter templum & caſtra eos conueniſſe putandum eſt, ad quos Tribunus cum militibus ex ſuis ædibus deſcenderit, & ſoluto Concilio Paulus intra caſtra reductus eſt [f], vt in ſequentibus referunt Acta Apoſtolorum.

Cùm igitur conſtitutum ſe vidiſſet Apoſtolus in medio cōgregatæ contra ſe multitudinis, nemine quid-

[b] *Act. c. 18. v. 14.*

[c] *Act. c. 22. v. 30.*

[d] *1. Paral. c. 26. v. 15.*

[f] *Act. c. 22. v. 10.*

quam obiiciente, quod longa egeret refutatione, non putauit prolixa oratione ſibi eſſe vtendum: præſertim, cũ die antecedenti coram omni populo ſatis expoſuiſſet totius vitæ ſuę rationem; tũ, antequã Chriſti obſequio ſe tradidiſſet; tum, poſteaquàm ſignis euidentiſſimis diuinorum miraculorum mutare vitæ inſtitutũ compulſus eſt. Quæ tamen propter obſtinatam Iudæorum maleuolentiam, abſ;is excepta cum contemptu fuerunt, & in partem deteriorẽ omnia interpretata. Quare ſatius fore iudicauit, paucis verbis, vultu hilari, & oculis, quibus maximè animus proditur, in aduerſarios amicè, modeſtéque intentis, innocentiam ſuam, omníque culpa vacantem conſciẽtiam manifeſtare. Sic igitur eos eſt allocutus [g]: *Viri Fratres, omni conſcientia bona conuerſatus ſum ante Deum, vſque in hodiernũ diẽ: Princeps autem Sacerdotum Ananias præcepit aſtantibus ſibi percutere os eius.* Hunc Ananiam aliqui arbitrãtur eſſe Ananum illum, de quo Ioſephus in libro vigeſimo Antiquitatũ [h], ſic habet: *Iunior autem Ananus is, quem nunc ſummum pontificatum accepiſſe diximus, audax erat, & ferox ingenio, ſecta Sadducæus, quod hominum genus apud Iudæos in iudicando eſt ſeueriſſimum.* Addit Ioſephus ab hoc Anano homine turbulento fuiſſe neci traditum Iacobum Apoſtolum, quem etiam ipſe Ioſephus vocat Fratrem IESV Chriſti: *Quod factum* (inquit) *omnibus in ea ciuitate bonis, & legum ſtudioſis diſplicuit. Qua de re cùm fuiſſet Pontifex Ananus accuſatus apud Agrippam Regem, depoſitus fuit à pontificatu, quem tantùm tribus menſibus obtinuerat.* Eadem habet ex Ioſepho Euſebius libro ſecundo ſuæ Hiſtoriæ [i], & addit ex Clemente, atque Hegeſippo, dicens: *Iudæi ergo, cùm Paulus prouocaſſet ad Cæſarem, & ad vrbem Romam à Feſto miſſus eſſet, ſpe penitus, qua Concilium in eius necem comparaſſent, excidentes, in Iacobum Fratrem Domini, cui ab Apoſtolis Sedes Ieroſolymitana delata fuerat, omnem ſuam maleuolentiam conuertunt*, &c. Baronius tamen [k], hunc Ananiam, qui Paulum percuti mandauit, alium putat eſſe, de quo idem Ioſephus alibi [l] meminit: ſed in eo deceptũ ait hũc Hiſtoricum, quòd ſub Claudio, non ſub Nerone aſſerat geſſiſſe pontificatum. Quicunque tamen is Ananias, ſiue Ananus fuerit, de quo magis infra videbimus, fortè enim neuter horum, ſed tertius quidam ignobilior eſt; illud pro certo hîc haberi debet, hominem ſe oſtendiſſe maximè temerarium, crudelem, & ſtultè arrogantem. Expectabat fortaſſe, vt honoratiori aliquo titulo, non ſimplici illo verbo, *Viri Fratres*, appellarentur: non potuit æquo animo tolerare, Paulum, quem omni graui ſupplicio ſublatum de medio voluiſſet, tantam præ ſe ferre innocentiam, & animi excelſi tanquam omnis culpæ vacantis confidentiam. Sed nihil propterea Paulus de ſua magnanimitate remittens, noluit prætermittere, quin eum, à quo iniquiſſimo facto adeò iniuſte corripiebatur, æquiſſima aliquot verborum admonitione corrigeret. *Quare* (inquit S. Lucas [m]) *tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus, paries dealbate & tu ſedens iudicas me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti.* Ita quoque Chriſtus Dominus, cum ab vno miniſtrorum alapa fuiſſet percuſſus, obiiciente [n]: *Sic reſpondes Ponti[fici]?* noluit tacitus iniquitatem diſſimulare, ne videretur agnoſcere, vt falsò criminabatur,

g Act. c. 23. v. 1. & 2.
h Ioſeph lib. 20. Antiq. c. 8. Petrus Lintrenſis in c. 23. Act.
i Euſeb. lib. 2. c. 23.
k Baron. an. 58.
l Lib. 20. Antiq. c. 3.
m Act. c. 23. v. 3.
n Ioan. c. 18. v. 22. 23.

minabatur, Pontifici ſe indecenter reſpondiſſe: ideò hominem corripuit, dicens: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis?* Quare aliqui arbitrantur, quemadmodum Paulus nõ niſi Anania mandante ab aſtante famulo percuſſus eſt; ita Chriſtum Dominum alapam accepiſſe à miniſtro impietatis ſic mandante Pontifice, quamuis pro ſumma ſua manſuetudine non tam Pontificem mandantem, quàm miniſtrum exequentem redarguerit. Vnde aliquam fortaſſe maiorem in Paulo manſuetudinem hîc non nemo deſiderabit; tum, quia non in eum, à quo percutiebatur, ſed in Summũ Pontificem Ananiam inuectus eſt; tum etiam, quia mala illi, & quidem grauia, eſt imprecatus, nempe, vt à Deo percuteretur, & addidit contumeliam, vocans illum parietem dealbatum: cùm tamẽ ipſe in Epiſtola, quam ſcripſit anno ſuperiori ad Romanos, adhortetur, dicens [o]: *Benedicite perſequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere.* Quin etiã in priori ad Corinthios teſtatur, dicẽs [p]: *Maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus.* Sed & ipſius Chriſti Domini conſiliũ euangelicæ perfectionis eſt [q]: *Si quis te percuſſerit in dextram maxillam, præbe illi & alteram.* Auget præſentem difficultatem, quam diſſimulare non debemus, ne quis ad pauca reſpiciẽs, minùs dignè de abſolutiſſima tanti Apoſtoli perfectione ſuſpicetur; quia excuſatio, quam Paulus adiunxit, potiùs videtur eſſe aliqua facti ſui accuſatio. Cùm enim, qui aſtabant, dixiſſent [r]: *Summum Sacerdotem Dei maledicis?* reſpondit Paulus: *Neſciebam, Fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum: ſcriptum eſt enim [s]: Principem populi tui non maledices.* Igitur fatetur maledictum, etiamſi agnouiſſe perſonam, cui maledixerit, diffiteatur. At hoc etiam creditu videtur eſſe difficile, non fuiſſe agnitum à Paulo Ananiam pro Summo Sacerdote: ſiquidem à loco & ſede primaria, ab ornatu & veſtibus pontificiis, ab auctoritate iubendi oportebat illum inter alios eſſe conſpicuum. Quare ipſe Apoſtolus publicam in illo auctoritatem agnouiſſe verbis illis ſignificauit, ei dicens [t]: *Paries dealbate, & tu ſedens iudicas me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti.* Ad hæc in vniuerſum quid reſpondeant S. Auguſtinus & alij quidam, primùm videbimus, tum obiectis ſatisfiet.

o Rom. c. 12. v. 14.

p 1. Cor. 4. v. 12.

q Matt. c. 5. v. 39.

r Act. c. 23. v. 4. & 5.

s Exodi 22. v. 28.

t Act. c. 23. v. 3.

Sic igitur reſpondet S. Auguſtinus, verba illa Chriſti exponens [u]: *Si quis te percuſſerit in dextram maxillam. Nam & Paulus Pontificis iuſſu palma percuſſus, quod contumelioſè viſus eſt dicere, cùm ait: Percutiat te Dominus, paries dealbate. minùs intelligentibus conuicium ſonat: intelligentibus verò prophetia eſt. Paries quippe dealbatus, hypocriſis eſt; id eſt, ſimulatio ſacerdotalem præſeferens dignitatem, & ſub hoc nomine tanquam candido tegmine interiorem quaſi luteam turpitudinem occultans. Nam, quod humilitatis fuit, mirabiliter cuſtodiuit Apoſtolus: cùm enim ei diceretur: Principi Sacerdotum maledicis? reſpondit: Neſciui, Fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum: ſcriptum eſt enim: Principi populi tui ne maledicas. Vbi oſtendit, quanta tranquillitate illud dixiſſet, quod iratus dixiſſe videbatur, cùm tam citò, tam manſuetè reſpondit: quod ab indignantibus & perturbatis fieri non poteſt. Et in eo ipſo intelligentibus verum dixit: Neſciui, quia Princeps eſt Sacerdotum. Tanquam ſi diceret: Ego alium Principem Sacerdotum agnoſco, pro cuius nomine iſta ſuſtineo, cui male-*

u S. Aug. lib. 1. de ſer. Domini in monte, c. 35.

dicere fas non eſt, & cui vos maledicitis, cùm in me nihil aliud, quàm eius odiſtis nomen. Hæc S. Auguſtinus, à quo ſimilia mutuatus eſt Beda in Acta Apoſtolorum ſic ſcribẽs [x]: *Non perturbatione animi commotus Paulus hæc dixit: Percutiet te Deum, paries dealbate. ſed vtique prophetando locutus eſt: quia figurale illud põtificium, quod erat in parietis dealbati ſimulatione compoſitum, percutiendum eſſet ac deſtruendum: cùm iã verum ſacerdotiũ Chriſti, Apoſtolis Euangelium prædicantibus aduenìſſet: & inde eſt, quod ait: Percutiet te Deus. non dixit, Percutiat. Indicatiuo modo hoc ipſum ſignificans futurum, non optatiuè maledicens. Quòd enim tranquillo animo hoc diceret, ſequenti reſponſione manifeſtat, dicens: Neſciebam, Fratres, quia Princeps eſt Sacerdotũ. tamen erudiens alios, atque erga eos, qui in poteſtate ſunt, modeſtiùs conuerſari monens, ipſe quoque hîc voluit temperatè loqui.* Eandem expoſitionem Rabbanus, Hiſtoria ſcholaſtica, & alij quidam Interpretes amplectuntur, in eo perſiſtentes, vt hæc fuerit Pauli prophetia de imminenti Ananiæ ſupplicio, non verò ſit mali alicuius imprecatio, quibus nonnihil fauet Græca locutio, τύπτειν σε μέλλει ὁ Θεὸς, percutere te habet Deus; ideò vulgatus Interpres reddidit, Percutiet; non verò, Percutiat. Quòd ſi prophetiæ ſpiritu Paulus agnoſcebat, quæ in futuro Ananiæ erant euẽtura, mirum non eſt opinatos conſequenter hos Auctores verè agnitum à Paulo Ananiam, quis eſſet in præſenti: & figuratè tantùm locutum, cùm dixit: *Neſciebam, Fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum.* Vnde Oecumenius in Acta, & alij recentiores [y], quandam in verbis Pauli agnoſcunt ironiam, quaſi dixiſſet: Vobis talis ſit Pontifex; ego non niſi Petrum pro meo Pontifice agnoſco ſub Chriſto ſupremo Principe Sacerdotum: iuxta illud relatum à M. Tullio [z], tanquam argutè, ſapientérque à L. Craſſo dictum, illum ſibi Conſulem non eſſe, cui non eſſet ipſe Senator. Probabiliùs tamen exiſtimat S. Ioannes Chryſoſtomus [a], Ananiam à Paulo non eſſe cognitum, neque pro Summo Sacerdote, neque pro Principe Sacerdotum. *Quidam dicunt* (inquit Chryſoſtomus) *quod Paulus Ananiam ſciens irriſerit; mihi autem videtur, quòd neque omnino ſciuerit, quòd eſſet Princeps Sacerdotum, alioquin & honoraſſet.* Addit etiam rationem, quare Paulus illum non agnouerit: quia, videlicet, iam pridem Ieroſolymæ non fuerat, & cùm ante aliquot annos ibi fuiſſet, parum moratus eſt. Aliam præterea talis deceptionis cauſam Cardinalis Baronius excogitauit [b]: nempe, cùm ageretur de re pertinente ad religionem, conueniſſe ad Concilium ſeptuagintaduorum, quorum Princeps erat Summus Pontifex, etiam vigintiquatuor ſeniores Synedrin, qui erat alter Magiſtratus cum ſuo ſimiliter capite, & Principe Sacerdotum, qui duo in duobus conſeſſibus hinc inde diſpoſitis ſuum in eo latere primarium haberẽt locum, vt olim in prima inſtitutione Moyſes & Aaron. Ideò Paulum, qui nunquam in eo conſeſſu cauſam dixiſſet, & nouus Ieroſolymam aduenìſſet, quiſnam duorum Summus Sacerdos eſſet, ignorare facilè potuiſſe. Sed eſt creditu difficile, Paulum legum & conſuetudinum Iudaïcarum adeò peritum, qui tam diu vixerat, & ſtuduerat Ieroſolymæ, interfuerat etiam ſimili Concilio contra S. Stephanum congregato [c], loca primaria & honoratiora diſcernere in eo conſeſſu neſciuiſſe, atque adeò perſonas ignoraſſe Summi Pontificis,

x *Beda in c. 23. Act.*

y *in Acta c. 23.*

z *M. Tul. lib. 3. de Orat.*

a *Chryſoſt. hom. 48. in Acta.*

b *Baron. an. 58.*

c *Act. c. 6. v. 13.*

cis,& Principis Sacerdotum. Quare omnibus conſideratis, quæ nobis videntur probabiliora,pro hiſtoriæ huius veritate ſubiiciam.

Primum ſit, certò non conſtare, Ananiam hîc à Luca nominatum fuiſſe Summum Pontificem illius temporis, aut Principem Sacerdotum,& Synedrij caput; ſed magis veriſimile,vnum fuiſſe ex illis vigintiquatuor ſenioribus, ex quibus conſtabat Concilium dictum Synedrin, qui omnes ſæpè,tam in veteri,quàm in nouo Teſtamento Principes Sacerdotum appellantur: vt cùm Matthæi capite ſecundo de Herode dicitur [d]: *Et congregans omnes Principes Sacerdotum.* Et capite vigeſimoſexto: *Tunc congregati ſunt Principes Sacerdotum, & ſeniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas.* Vbi ſemper Græcè habetur, ἀρχιερεῖς,ſicut hic in S.Luca loquente de Anania,& ſuprà Sceua quidam appellatus eſt Princeps Sacerdotũ [f], id eſt, vnus è primariis Sacerdotum, & caput vnius familiæ Leuitarum, quæ in vigintiquatuor erant diſtinctæ, ſicut olim ordinaſſe Dauidem legimus [g] in primo libro Paralipomenon, & confirmat Ioſephus libro ſecundo contra Appionem.Nec mouere nos debet,eſſe Ananiam à vulgato Interprete ſemel Summum Sacerdotem appellatum: nam aliàs Princeps dicitur Sacerdotum, & Græcè ſemper legitur,ἀρχιερεὺς, nomen commune Pontifici Summo, & Principibus Sacerdotum, qui etiam ab eodem vulgato Interprete ſæpè vocantur Pontifices, aliàs Principes Sacerdotum,Ioannis capite decimonono [h]: *Cùm ergo vidiſſent eum Pontifices, & miniſtri, clamabant dicentes: Crucifige.* & infrà: *Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum*, id eſt, Principes illarum vigintiquatuor Leuiticarum, & ſacerdotalium familiarum; qui, ſicut Archiſacerdotes, ita Principes, & ſummi in ea familia dicebantur. Deinde, ſi Ananias Summus Pontifex illius temporis extitiſſet, vel is fuiſſet, quem Ioſephus libro vigeſimo Antiquitatum, Ananum vocat, vt aliqui volunt; aut ille Ananias, de quo Baronius: at primum non poteſt cum hiſtoria temporum vllo modo conſiſtere; nam Ioſephus, Euſebius, & Hegeſippus anteà relati tradiderunt ab hoc Anano Pontifice S. Iacobum, Epiſcopum Ieroſolymorum, interfectum, & ob id pontificia dignitate ab Agrippa Rege ſpoliatum, cùm illam tantùm tribus menſibus obtinuiſſet: accidit autem S. Iacobi martyrium imperij Neronis anno ſeptimo, nempe, quinque abhinc annis, quàm hæc Ieroſolymis Paulo contingerent. Non potuit igitur hoc tempore Iudæorum eſſe Pontifex hic Ananus. Sed nec potuit geſſiſſe hoc tempore Pontificatum ille Ananias, de quo Ioſephus tradit [i], fuiſſe propter ſeditionem à Quadrato, Syriæ Præſide, vinctum miſſum Romam iudicandum: nam hoc etiam rectæ rationi temporum aduerſatur, cùm teſtetur idem Ioſephus, miſſum hunc Ananiam in vrbem anno Claudij Imperatoris octauo. Quomodo igitur potuit nunc eſſe Pontifex; nempe, anno imperij Neronis ſecundo? Qua in re licèt Baronius dicat erraſſe Ioſephum, Luca illum manifeſtè redarguente, qui ſimul cum Paulo Ieroſolymis modò verſabatur: tamen cùm tota Lucæ redargutio ex illa voce ducatur, ἀρχιερεὺς, qua vtitur S. Lucas, & ea non neceſſariò ſignificari

[d] *Matt. c. 2. v. 3. c. 26. v. 3.*

[f] *Act. c. 19. v. 14.*

[g] *1. Paralip. c. 15. v. 6. & c. 24. v. 7.*

[h] *Ioan. c. 19. v. 6. & 21.*

[i] *Ioſeph. lib. 20. Antiq. c. 3.*

ſignificari Summum Pontificem clare oſtenderimus, non eſt, vnde Ioſephum damnemus erroris temporum adeò manifeſti, qui etiam ipſe hoc tempore videtur fuiſſe Ieroſolymis, atque adeò benè ſcire, quis tunc eſſet Summus Pontifex Iudæorum. Quòd autem Lucas poſteà refert [k], Principem Sacerdotum, Ananiam, veniſſe Cæſaream cum quibuſdam ſenioribus, vt Paulum apud Præſidem Felicem accuſaret, non plùs probat. Potuit enim ille moueri ex odio priuato contra Paulum, quem ipſe acerrimè in Concilio corripuerat, vel ex odio, quo Chriſtianos inſequebatur: ſicut ipſe olim Paulus à Pontificibus, & Magiſtratu quæſierat facultatẽ Eccleſiam Chriſti perſequendi. Imò, ſi Sũmus Pontifex fuiſſet Ananias, minùs redderetur veriſimile, Cæſaream vſque ire voluiſſe ad priuatum hominem apud Præſidem accuſandum. Addo, nec ſatis conſtare, Summum Pontificem cum ſenioribus ſeptuagintaduobus, qui magnum conſeſſum conſtituebant, huic Concilio contra Paulum congregato interfuiſſe: tum, quia de rebus ad religionem ſpectantibus agebat Concilium Synedrin vigintiquatuor Principum Sacerdotum, quorum vnum putamus fuiſſe hunc Ananiam: tum, quòd intra breue tempus, tumultuariè, & non in proprio Concilij loco, nec tam ad iudicandum, quàm ad accuſandum; ſi quid haberent contra Paulum, fuerant à Tribuno Lyſia congregati: tum denique, quòd mirum videatur, Paulum ante vnum diem concionantem, vbi maior erat colluuies Iudæorum, verbis illis honorificis exorſum: *Viri Fratres, & Patres.* hic autem ſemper eos Fratres, nunquam Patres appellaſſe. Hæc ſatis de primo pronunciato.

k *Act. c.* 24. v. 1.

Dicimus iam pro ſecundo, videri probabilius, Paulum non agnouiſſe, quiſnam eſſet Ananias. Moueor ex ipſius ſincera negatione, dicentis [m]: *Neſciebam, Fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum.* Cur ergo illi non credemus, & ambigue locutum ſuſpicabimur? præſertim, quia prætexere ignorantiam perſonæ valde notæ & conſpicuæ, fuiſſet magis Iudæos irritare. Imò non ſolùm non nouerat, Ananiam eſſe Summum Pontificem, aut Summum Sacerdotem, ſicut verè non erat, & fortè nec ibi Summus Sacerdos aderat, vt ſuperiùs dicebamus; ſed neque, an eſſet vnus ex inferioribus Principibus Sacerdotũ, in quo ſẽſu accepta ratio S. Chryſoſtomi, & aliorum benè perſuadet; quia pridem Paulus non fuerat Ieroſolymis: quid ergo mirum, ignotum illi fuiſſe vnum ex Principibus Sacerdotum, qui neque ex loco honoratiori, neque ex proprio & ſingulari habitu diſcernebatur: & fortè neque à Paulo in illa conferta multitudine fuerat viſus; ſed tantùm auditus, dum tanquam inſanus & furore percitus clamauit adſtantibus ſibi, vt Paulum in ore percuterent.

m *Act. c.* 23. v. 5.

Hinc deduco tertium, ex quo facilè ſoluantur, quæ ſunt obiecta ſuperiùs, & dico, verba illa Pauli ad Ananiam: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* non fuiſſe proprie prophetiam, neque maledictum; ſed acrem, ac iuſtam impudentiſſimi hominis reprehenſionem. Hoc enim apoſtolicam decebat auctoritatem, vt qui ante vnum diem profeſſus ſe Romanum ciuem, à Tribuno, ne verberaretur, obtinuit, non ferret in contemptum Euangelij cædi iuſſu perſonæ Ordinis inferioris. Quare, vt ad ſingula ſuperiùs obiecta reſpondeamus, primum, quod dicebatur, maiorem manſuetudinem oſtenſam à

Chriſto

Chriſto Domino corripiente non Pontificem,ſed eius miniſtrum,à quo alapa cædebatur, facile concedimus: tum, quòd magis Chriſtum decebat: tum etiam, quia non conſtat, iuſſu Pontificis illam Chriſto illatam fuiſſe contumeliam, vt Paulo accidit ex iuſſu Ananiæ. Itaque Paulus cenſuit illud modò expedire conſilium ſequi
n Prou. c. 26. v. 5. Salomonis [n]: *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* Neque propterea fuit ſibi ipſi cō-
o Rom. c. 12. v. 15. trarius in eo, quòd aliàs adhortatur [o]: *Benedicite, & nolite maledicere.* & de ſe teſtatur: *Maledicimur, & benedicimus.* non enim illa propriè fuit maledictio; ſed impietatis iuſta redargutio, & diuini iudicij, ſiue in hac,ſiue in futura vita ſequuturi denunciatio.
p Matt. cap. 5. v. 39. Illud autem Chriſti documentum [p]: *Si quis te percuſſerit in vnam maxillam,præbe illi & alteram.* benè expli-
q S. Aug. ep. 5. ad Marcell. cat S. Auguſtinus, dicens [q]: *Sunt iſta præcepta patientiæ ſemper in cordis præparatione retinēda,ipſaque beneuolētia, ne reddatur malum pro malo, ſemper in voluntate complenda eſt. Agenda autem ſunt multa, etiam cum inuitis benigna quadam aſperitate plectendis, quorum potius vtilitati conſulendum eſt, quam*
r Idem lib. 1. de ſerm. Dom. in monte, c. 36. *voluntati* [r]. *Nam & ipſe Dominus, qui vtique præcepta, quæ docuit, primus impleuit, percutienti ſe in maxillam miniſtro Sacerdotis non præbuit alteram; ſed inſuper dixit: Si male locutus ſum, exprobra de malo: ſi benè, cur me cædis? Non tamen ideo paratus corde non fuit, nō ſolum in alteram maxillam cædi pro ſalute omnium; ſed etiam toto corpore crucifigi.* Ita S. Auguſtinus. Nec excuſatio illa Pauli dicentis: *Neſciebā, Fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum.* vllam inuoluit facti ſui accuſationem,ſimulationem,aut mendacium: nā verè quis eſſet Ananias, ipſe ignorabat; & ſi nouiſſet quamuis ille ſimiliter reprehendi dignus fuiſſet, id tamen non feciſſet,iuxta Scripturam [s]: *Principem populi tui non maledices*, id eſt,illi nō detrahes,aut vilem reddes, niſi iuſta de cauſa interdum fiat ab habente poteſtatem, qualem habuit Apoſtolus,qui,etiamſi Ananiam pro Iudice quodammodo agnouiſſe videatur,cùm dixit: *Et tu ſedens iudicas me.* tamen vſurpatæ ſibi,non verò legitimæ poteſtatis: vnde ſubiecit: *Et contra legem iubes me percuti.* Et quidem ſi pro Chriſti nomine talem cōtumeliam Paulus accepiſſet, libenter ſuſtinuiſſet;ſed iuſſus eſt percuti,quaſi nimium ſe laudaret,adeóque confidenter produxiſſet innocentiæ ſuæ teſtem propriam conſcientiam. s Exod. c. 22. v. 28.

Cùm autem aduerteret Apoſtolus, nullam iuris, aut æquitatis in eo conuentu Iudæorum inueniri poſſe rationem, ſapiens conſilium excogitauit, iniquam in malo concordiam Phariſæorum, & Sadducæorum in bonam diſcordiam commutare, vt ſecum pugnantes Paulum deſiſterent impugnare. Factum ita S. Lucas exponit [t]: *Sciens autem Paulus,quia vna pars eſſet Sadducæorum, & altera Phariſæorum, exclamauit in Concilio: Viri Fratres, ego Phariſæus ſum, & filius Phariſæorum, de ſpe & reſurrectione mortuorum ego iudicor. Et cùm hæc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter Phariſæos, & Sadducæos, & ſoluta eſt multitudo. Sadducæi enim dicunt, non eſſe reſurrectionem,neque Angelum, neque Spiritū: Phariſæi autem vtraque confitentur. Factus eſt autem clamor magnus, & ſurgentes quidam Phariſæorum, pugnabant dicentes: Nihil mali inuenimus in homine iſto. Quid ſi ſpiritus locutus eſt ei, aut Angelus?* Hæc S. Lucas. Sed hîc de Paulo quæri poteſt, vnde ſciuerit ipſe nouus Ieroſolymis, aliquos ex eo Concilio eſſe Phariſæos,& alios Sadducæos? Deinde,qua ratione ſe Phariſæum eſſe profeſſus ſit? Præterea, ur t Act. c. 23. v. 6. & 7.

iudicari ſe de ſpe & reſurrectione mortuorum dixerit, cum nemo illum hac de re iudicaſſe, aut notaſſe videatur? Denique, quomodo licuerit illi concordes in diſcordiam adducere? Ad hæc omnia ex iis eſt petenda reſponſio, quæ libro primo diſſeruimus [u], qua, videlicet, ratione Paulus ſectam & diſciplinam Phariſæorum
u lib. 1. c. 6.
ſit ſecutus, vbi oſtẽdimus ſolitos Phariſæos proprium geſtare veſtimenti genus, vnde facile ab aliis diſcernerentur: & quàm eſſent in dogmatibus, moribus, & vitæ inſtituto cõtrarij Sadducæis: qua etiam ratione Paulus non ſolùm antè; ſed etiam poſteaquàm Chriſto nomẽ dederat, ſe Phariſæum eſſe potuerit affirmare: nempe, quoad profeſſionem immortalitatis animorum, futuram reſurrectionem mortuorum, præmia æterna bonorum, & ſupplicia malorum ſempiterna; quę omnia negabant Sadducęi, admittebant verò Phariſæi, & quoad alia veriſſima dogmata, atque honeſtos mores cũ fide Euangelij & Chriſtiana perfectione congruentes. Iam verò quod hic Paulus aſſerat, ſe de ſpe & reſurrectione mortuorum iudicari, hoc eſt, de eo quod ſperaret & prædicaret mortuorum futuram reſurrectionem, iniquum ſibi fieri præiudiciũ, in hoc ſenſu veriſſime aſſeruit, quia præcipuum fundamentum fidei, ſpei, laborum, & prædicationis ſuæ erat Chriſti reſurrectio, ex qua etiam noſtra ſuo tempore futura expectatur. Vnde ad Corinthios ſcripſit [x]: *Si Chriſtus prædicatur, quòd*
x 1. Cor. c. 15. v. 12
reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt: ſi autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit: ſi autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt fides noſtra. Quàm autem honeſtè Paulus Phariſæos, & Sadducæos in malo concordes occaſione ſui, curauerit potius eſſe diſcordes, optimè S. Thomas declarauit his verbis [y]: *Sicut voluntas hominis adhærens Deo eſt quædam regula recta, a qua peccatum eſt diſcordare: ita etiam voluntas hominis Deo contraria, eſt quædam perverſa regula, a qua bonum eſt diſcordare. Facere ergo diſcordiam, per quam tollatur bona concordia, quam charitas facit, eſt graue peccatum: ſed cauſare diſcordiam, per quam tollitur mala concordia, ſcilicet, in mala voluntate, eſt laudabile: & hoc modo laudabile fuit, quòd Paulus poſuit diſſenſionem inter eos, qui erant concordes in malo. Nam & Dominus de ſe dicit* [z]: *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Hæc S. Thomas. Sed adeò creuit Iudæorum diſſenſio, inter quos aliqui veluti anteſignanum ponunt Ananiam, defendentibus Paulum præcipuis ex Phariſæis, vt niſi ſe Tribunus interpoſuiſſet, in extremo periculo Paulus fuiſſet. Quare (inquit S. Lucas [a]) *cùm magna diſſenſio facta eſſet, timens Tribunus, ne diſcerperetur Paulus ab ipſis, iuſſit milites deſcendere, & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in caſtra*: nempe, ad Antonianam turrim, vbi præſidia militaria morabantur.

y S. Thom. 2.2. q. 37 a. 1. ad 2.
z Matth. c. 10. v. 34.
a Act. c. 23 v. 10.

CAPVT IV.

Animatur Paulus in viſione à Domino, dum Iudæi ſupra quadraginta, de eo interficiendo coniurant.

QVàm capitali odio perfidi Iudæi, præcipuè verò, qui erant ex hæreſi Sadducæa, Paulum proſequerentur, ſæpè alias declarauimus; ſed nunc maximè nouis artibus, & obſtinatiori animo vitæ eius inſidiantes. Vnde etiam Deus, de quo in

z Pſalm. 33.v.19. in Pſalmo dicitur [z] : *Iuxta eſt Dominus iis, qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit.* licèt aliàs ſæpè viſitatione ſua Paulum conſolatus ſit, voluit quoque hoc tempore ſua illum præſentia recreare, animare, atque in ſancto propoſito ſatis firmum adhuc ampliùs confirmare *Sequenti ergo nocte* (inquit S. Lucas [a])

a Act. c. 23.v.11. *aſſiſtens ei Dominus ait: Conſtans eſto: ſicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari. Vide*, ait Chryſoſtomus [b], *quanta*

b hom. 49. in Act. *conſolatio: primò, illum laudat: deinde, non ſinit incertam eſſe illius profectionem ad vrbem Romam, & quaſi dicit: Non abibis ſolùm illuc; ſed etiam erit tibi libertas in loquendo, etiam in magna ciuitate cum magna corona teſtificaturus es.* Quòd autẽ dixit S. Lucas, Dominum aſtitiſſe Paulo per noctem, id tam Chryſoſtomo, quàm aliis perſuaſit, non ſolùm nocturno tempore; ſed etiam imaginariam, & per ſomnum fuiſſe huiuſmodi viſionem. Hoc autem probabili vtcunque coniectura, non autem certo aliquo argumento poſſumus affirmare: & multò minùs quod alij ſuſpicantur, Angelum illi apparuiſſe Chriſti perſonam referentem. Nocte igitur illa Paulo in cuſtodia tranſacta, quid ſit ſecutum, ſic referunt Acta Apoſtolorum [c]: *Facta autem die collegerunt*

c Act. c. 23.v.13. 14. *ſe quidam ex Iudæis, & deuouerunt ſe dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum. Erant autem pluſquam quadraginta viri, qui hanc coniurationem fecerant. Qui acceſſerunt ad Principes Sacerdotum, & ſeniores, & dixerunt: Deuotione deuouimus, nos nihil guſtaturos, donec occidamus Paulum.* Execrabilis planè deuotio, quæ digno nomine reperiri anathematis à S. Luca fuit expreſſa, dicentis: ἀναθέματι ἀνεθεματίσαν, imprecando, videlicet, ſibi, vel à Deo, vel potiùs à Dæmone varia mala, ſi non interfecto prius Paulo aliquid comediſſent; iuxta id, quod ſæpè ab aliquibus vſurpatum in veteri Scriptura legimus [d]: *Hæc mihi faciat Deus, vel Dij, & hæc addant, ſi non fecero, aut interfecero. Papæ, quanta inſania* (inquit Chryſoſtomus [e]) *ſeipſos anathemati ſine ratione obnoxios facere? Vide, vt ſunt vehementes, & vltionis cupidi in malitia. Quid eſt, anathematizauerunt ſeipſos? hoc eſt, dixerunt, ſe eſſe extra fidem in Deum, niſi quod decreuerant contra Paulum, implerent. Igitur ſemper ſunt anathematizati: non enim Paulum occiderunt.* Ita rem hanc Chryſoſtomus exempli gratia explicauit: nam, quid mali propriè ſibi ſint imprecati, non conſtat. Addidiſſe illos prætereà iuſiurandum ſignificat S. Lucas cùm ait [f]: *Erant autem pluſquam quadraginta viri, qui hanc coniurationem fecerant.* Voluerunt prætereà tanta coniuratorum multitudine, & conſpiratione tam magna, etiam Principes Sacerdotum quodammodo adigere ad operam ſuam tanto ſceleri perpetrando non denegandam. Exponunt itaque illis ſuſceptum votum, & iuriſiurandi obligationem, proponunt exequendi facinoris excogitatum à proditoribus modum: nempe, vt petant Sacerdotes iterum à Tribuno educi Paulum, & in eorum Concilium adduci, quaſi melius examinandum. Nam, etiamſi nõ ſine aliqua militum manu è caſtris eſſet educendus; tamen ſe fore numero multò plures, & potentiores ad illum eductum ſtatim interficiendum. Dicunt itaque Principibus Sacerdotum coniurati, ait S. Lucas [g]: *Nunc ergo vos notum facite Tribuno, vt producat illum ad vos, tanquam aliquid certius*

d 1. Regum c. 3. v. 17. 3. Reg. c. 19. v. 2. & c. 20. v. 10. & alibi ſæpe.

e Chryſ. hom. 49. in Act.

f Act. c. 23. v. 13.

g Act. c. 23. v. 15.

cognituri de eo. Nos verò priuſquàm appropiet, parati ſumus interficere illum. Quomodo autem horum conſilia Deus ſingulari prouidentia per puerum impediuerit, à S. Luca dilucidè

h *Act. c. 23 v. 16. 17. &c.*

narratum habemus his verbis[h]: *Cùm audiuiſſet filius ſororis Pauli inſidias, venit, & intrauit in caſtra, nunciauitque Paulo. Vocans autem Paulus ad ſe vnum ex Centurionibus, ait: Adoleſcentem hunc perduc ad Tribunum: habet enim aliquid indicare illi. Et ille quidem aſſumens eum, duxit ad Tribunum, & ait: Vinctus Paulus rogauit me, hunc adoleſcentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi. Apprehendens autem Tribunus manum illius, ſeceſſit cum eo ſeorſum, & interrogauit illum: Quid eſt, quod habes indicare mihi? Ille autem dixit: Iudæis conuenit rogare, vt craſtina die producas Paulum in Concilium, quaſi aliquid certius inquiſituri ſint de illo. Tu verò ne credideris illis: inſidiantur enim ei ex illis viri ampliùs quadraginta, qui ſe deuouerunt non manducare, neque bibere, donec interficiant eum: & nunc parati ſunt expectantes promiſſum tuum. Tribunus igitur dimiſit adoleſcentem, præcipiens, ne cui loqueretur, quoniam hæc nota ſibi feciſſet.* Hactenus Lucas, ex cuius narratione primùm obſeruare licet magnam Pauli in diuina prouidentia fiduciam, & ſecuræ mentis tranquillitatem: certus enim erat, quidquid vnquam Iudæi cõtra ipſum molirentur, euaſurum ſe tandem, & Romam aliquando peruenturum, ſicut ab eo tempore, quo Epheſi morabatur, ex diuina reuelatione ſibimet

i *Act. c. 19. v. 21*

prophetauit, dicens[i]: *Quoniam, poſtquam fuero Ieroſolymis, oportet me, & Romam videre.* Alterum hic etiam eſt obſeruatione dignum, non ideò Paulum viſum eſſe huiuſmodi conſiliis vitæ, honoriſque conſeruandi, quaſi pro Chriſto mortem oppetere, & aduerſa quæque pati reformidaret: nam propterea, cùm ante aliquot dies à fratribus Cæſareæ cum lacrymis detineretur, Agabo prophetante grauia illi mala imminere, ſi Ieroſolymam tunc veniſſet, ipſe dicebat[l]: *Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? ego enim non ſolùm alligari; ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum propter nomen Domini* IESV. Sed modò Ieroſolymæ, Chriſto reuelante, clariùs intellexit, oportere ſe ad alia, pro maiore Dei gloria, Eccleſiæ bono, & plurium animarum ſalute, reſeruari. Notauit hæc S. Auguſtinus in epiſtola quadam ad Comitem Bonifacium, ita ſcribens[m]: *Neque enim Apoſtolus Paulus vitæ ſuæ tranſitoriæ conſulebat, ſed Eccleſiæ Dei, quando contra illos, qui eum occidere conſpirauerant, conſilium illorum Tribuno vt proderetur, effecit. Vnde factum eſt, vt eum ad locum, quò fuerat producendus, deduceret miles armatus, ne illorum pateretur inſidias. Romanas etiam leges implorare minimè dubitauit, ciuem Romanum ſe eſſe proclamans, quos tunc affligi verberibus non licebat. Itémque, ne Iudæis illum interimere cupientibus traderetur, Cæſaris popoſcit auxilium, Romani quidem Principis, ſed non Chriſtiani. Vbi ſatis oſtendit, quid facere deberent poſteà Chriſti diſpenſatores, quando Imperatores Chriſtianos periclitante Eccleſia reperirent.* Ita S. Auguſtinus.

l *Act. c. 21. v. 13.*

m *S. Auguſt. ep. 50. ad Bonifacium.*

Sed videamus iam, quanta Deus prouidentia, & quali apparatu per militem præſidiarium, quantumuis Gentilem, & idololatram, Apoſtoli vitam à tanto diſcrimine voluerit liberare. Erat ordinata Romanorũ poteſtas in prouincia ſub Præſide, qui ſuprema poſt Imperatorem poteſtate eam gubernabat, habens ſub ſe Tribunos, Tribunis ſubdebantur Centuriones; ſingulis verò Centurionibus propriæ militum centuriæ parebant, cum equitum certo numero, &

lanceariorum. Tribunus itaque (ait *n Act. c. 23. v. 23. 24.* S. Lucas[n]) *vocatis duobus Centurionibus, dixit illis: Parate milites ducentos, vt eant vſque Cæſaream, & equites ſeptuaginta, & lancearios ducentos, à tertia hora noctis. Et iumenta parate, vt imponentes Paulum ſaluum perducerent ad Felieem Præſidem.* Præſes hic Iudææ pro Cæſare adminiſtrator in ciuitate Cæſareæ, quem Lucas ἡγεμόνα, id eſt, Ducem appellat, Antonius Felix vocabatur, libertus olim Claudij Cæſaris, & maximè illi charus, ideóque ad magnos honores ex humili conditione ab illo euectus. Sed, quia, vt prouerbio dicitur, honores mutant mores, inſignis nequitiæ vir fuit: vnde Cornelius Taciins ita de *o Tacitus lib. 21. Annaliũ, aliàs lib. 15. hiſt. aliquantò poſt initium.* hoc Felice teſtatur[o]: *Claudius defunctis Regibus, aut ad modicum redactis, Iudæam prouinciam equitibus Romanis, aut libertis permiſit: è quibus Antonius Felix per omnem ſæuitiam, ac libidinem ius regium ſeruili ingenio exercuit, Druſilla Cleopatra & Antony nepte in matrimonium accepta, vt eiuſdem Antonij Felix progener & Claudij nepos eſſet.* Sed de Druſilla Felicis vxore agendum eſt poſteà. Hic itaque Antonius Felix miſſus eſt à Claudio Imperatore in Iudæam Procurarõr, vt Ioſephus tradit[p], pro Ventidio Cu- *p Ioſephus lib. 20. Antiq. c. 5.* mano; ſiue, vt ait Tacitus[q], cum Ventidio, diuiſa inter eos prouincia, vt Felix Samariam, reliquam partem, *q Tacitus loc. cit & lib. 12.* quam appellabant Galilæorum nationem, Cumanus adminiſtraret. At Cumano poſteà exilio mulctato, ſexto circiter anno, videlicet, ſub initiũ imperij Neronis, Felix ſolus prouinciæ præfuit, aucta eius poteſtate in gratiam germani ipſius fratris Pallantis, qui anteà Claudij Imperatoris libertus, Agrippinę cum Claudio nuptias conciliauerat, quarum occaſione Agrippinæ ex altero viro filius Nero à Claudio adoptatus ad Romani poſteà imperij faſtigium perductus eſt. Ad Felicem itaque reſidentem in vrbe Cæſarea, tanquam totius Palæſthinæ metropoli, & Iudææ ciuitatum maxima, vt ait Ioſephus[r], mit- *r Ioſeph. lib 3. de bel. Iud. c. 14.* tere Paulum decreuit Claudius Lyſias Tribunus: *Timuit enim* (inquit S. Lucas[s],) *ne fortè raperent eum Iudæi, & occiderent, & ipſe poſteà calumniam ſuſtineret, tanquam accepturus pecuniam.* *s Act. c. 23. v. 25.* Scripſit propterea Felici Præſidi literas, eum de toto negotio reddens certiorem, in hæc verba[t]: *Claudius Lyſias optimo Præſidi Felici, ſalutem. Virum hunc comprehenſum à Iudæis, & incipientem interfici ab eis, ſuperueniens cum exercitu eripui, cognito, quia Romanus eſt. Volenſque ſcire cauſam, quam obiiciebãt illi, deduxi eum in Cõcilium eorum. Quem inueni accuſari de quæſtionibus legis ipſorum: nihil verò dignum morte, aut vinculis habentem crimen. Et cùm mihi perlatum eſſet de inſidiis, quas parauerant illi, miſi eum ad te denuncians accuſatoribus, vt dicant apud te. Vale.* *t Act. c. 23. v. 26. 27. &c.*

Circa hanc epiſtolam tria quædam notabimus. Primum, quod habet inſcriptio: *Lyſias optimo Præſidi Felici.* titulum optimi non eſſe ad mores referendum; fuiſſe nanque Felicem non optimis, ſed multùm deprauatis moribus, ex teſtimonio Cornelij Taciti ſuprà eſt declaratum, & magis infrà conſtabit, vbi non ſolùm a Tertullo Oratore; ſed etiam à S. Paulo pro ſe coram Præſide reſpondente eodem honorifico titulo Præſes appellatur. Quapropter etiamſi Lyſias & Tertullus homines Gentiles adulatoriè titulo optimi compellare iniquum Præſidem potuiſſent; nunquam tamen Apoſtolus eam appellationem viro impio & infideli in eo ſenſu tribuiſſet. Sed erat

titulus dignitatis ac poteſtaris: vt ſicut candidati, teſte Seneca [y], boni titulo ſalutabantur, iam adepti magiſtratum optimi dicerentur, vnde & Optimates. Satis igitur accommodate, quod Græce Lucas dixit, *κρατίστῳ*, vulgatus Interpres reddidit, optimo; quamuis Syriacus vertetit, victorioſo; alij reddunt, potentiſſimo, ſiue præſtantiſſimo, vel ſtrenuo: *κράτος* enim robur ſignificat. Vnde, quia S. Lucas Theophilum illum, cui hiſtoriam Actuum apoſtolicorum à ſe conſcriptam dicauit, & antea dicauerat Euangelium, optimi titulo honorauit, dicens [z]: *Viſum eſt mihi tibi ſcribere, optime Theophile.* ideò multi colligunt, eum fuiſſe virum primariæ nobilitatis: Oecumenius verò etiam Præſidem alicuius prouinciæ extitiſſe, aut Præfectum, haud ſanè improbabili coniectura; ſed non certa, quia non erat hic optimi titulus certæ dignitatis ſignificatio.

y Seneca lib. 1. ep. 3. ad Lucil.

z Luca c. 1. v. 3.

Alterum eſt circa eandem epiſtolam adnotandum, Paulum à Tribuno quamuis homine Gentili omni culpa liberari, ſcribente poſt tot Iudæorum accuſationes, & congregato etiam ad id eorum Concilio, nihil ſe in illo morte dignum, aut vinculis inuenire potuiſſe. Sicut de Christo Domino dicebat accuſantibus Iudæis Pilatus [a]: *Ego nullam inuenio in eo cauſam. Vides*, ait Chryſoſtomus [b], *quomodo exterorum ſententia eſſe innocens Paulus perhibetur, ſicut & Pilatus Chriſtum excuſat. Vides etiam, vt malignitas ſeipſam perdit: nam tradiderunt quidem illum, vt occiderent ac condemnarent: fit autem contrarium, & ſeruatur, & innocens reperitur. Nec ſolum Tribunus eum liberat ab hoc impetu, ſed & innat illum, vt in tanto diſcrimine, etiam abſque periculo ſeruetur.* Qua in re multò meliùs Lyſias ſe geſſit, quàm Pilatus, qui tandem victus importunitate Iudæorum, ceſſit, & Chriſtum contra propriam conſcientiam iniquiſſima ſententia condemnauit. At Lyſias nunquam permiſit Iudæorum clamoribus ſe flecti, nec eos quidquam contra Paulum præualere.

a Ioan. c. 18. v. 38.

b Chryſ. hom. 46. in Act.

Tertium occurrit hic obſeruandum, Lyſiam debuiſſe primùm eam epiſtolam mittere ad Felicem Præſidem, quàm mitteret Paulum, & explorare Præſidis voluntatem, placeretne illi reum eò vſque tranſmitti, an vellet adhuc Ieroſolymis in cuſtodia detineri? Sed diuina prouidentia totum dirigebatur, vt à Tribuno ad Præſidem, à Præſide ad Imperatorem vſque Romam ſecurus Apoſtolus, & benè à militibus cuſtoditus tranſmitteretur: quod non ſucceſſiſſet, ſi eius cauſa Ieroſolymis abſolui debuiſſet. Dimiſſus eſt itaque poſt Solis occaſum tertia hora noctis ex Antoniana turri, ne à coniuratis obſeruaretur: & quia magna erat eorum multitudo, furor quoque implacabilis, ideò ibat comitatus equitibus ſeptuaginta, & peditibus quadringentis, nempe, haſtatis ducentis, & totidem aliis breuioribus armis inſtructis, ipſe medius cum Luca, Trophimo, & Ariſtarcho, qui poſtea Cæſarea vſque Romam illum comitati ſunt. Cùm autem ab Ieruſalem diſtaret Cæſarea leucis triginta, non potuerunt vno die commodè illuc peruenire: ideò ſubſtiterunt in oppido Antipatride, ſito in Iudææ campo nemoroſo, & peramœno, inter Dioſpolim, ſiue Lyddam, & Cæſaream, procul Ioppe ſtadiis quinquaginta,

quinquaginta, contra plagam orientalem. Vocabatur anteà hoc oppidum, vt legimus in primo libro Machabæorum [c], Capharſalama: ſed annis ſubſequentibus Herodes Aſcalonita Antipatri filius, primus Iudææ Rex, cùm illud renouaſſet, propter patrem voluit Antipatridem appellari. Hic omnes per noctem cum Paulo quieuerunt: mane autem ſequenti, cùm remotiores iam, & liberi ab inſidiis Iudæorum viderentur, remiſſis peditibus quadringentis, ne etiam tantùm ſuſciperent laboris, placuit, vt illi Ieroſolymam reuerterentur, & equites tantùm Paulum Cæſaream vſque perducerent. *Qui cùm veniſſent* (ait S. Lucas [d]) *Cæſaream, & tradidiſſent epiſtolam Præſidi, ſtatuerunt ante illum & Paulum. Cùm legiſſet autem, & interrogaſſet, de qua prouincia eſſet: & cognoſcens, quia de Cilicia: Audiam te, inquit, cùm accuſatores tui venerint. Iuſſitque in prætorio Herodis cuſtodiri eum.* Cæſarea maritima, quæ anteà Stratonis turris dicebatur, ab Herode ſeniore, qui Antipatridem exornauerat, in ciuitatis amplitudinem ſumptibus maximis dilatata poſteà fuit, & in gratiam Auguſti Octauiani Cæſaris, Cæſarea nominata, inter inſignia ornamenta regium habuit palatium magnificentiſſimè conſtructum, in quo quia etiam cuſtodiæ reorum habebantur, & locus erat vbi eorum cauſæ ac iudicia expedirentur, Prætorium dicebatur. Hic ergo in cuſtodia detentus eſt Paulus, Præſide Felice non procul ab Apoſtolo in eodem palatio habitante: *O Felix Præſes*, benè hic exclamat in ſuo commentario Dionyſius [e], *ſi cognouiſſes, qualis, & quantus fuerat, iſte tibi directus, & manibus tuis ad tempus ſubiectus! quàm humiliter eum ſuſcepiſſes, & quàm reuerenter tractaſſes, ſicut olim Cornelius Centurio in hac ipſa ciuitate Cæſarea Petrum* [f]. *Nunc verò, quia id non noniſti, neque conuerti per Paulum meruiſti, quem tamen pro tua conuerſione ſæpe oraſſe non ambigo, miſer potius, quàm felix fuiſti.*

c 1. Machab. c. 7. v. 31.

d Act. c. 23. v. 33. 34. 35.

e Dion. Carthuſ. Act. c. 23.

f Act. c. 10. v. 1.

CAPVT V.

Cæſareæ coram Præſide Felice, Iudæis accuſantibus, pro ſe reſpondet; concionatur de iuſtitia, caſtitate, & futuro Iudicio cum terrore Præſidis, & vxoris eius Druſillæ.

CVm dies quinque in cuſtodia Cæſareæ Paulus peregiſſet, venerunt ad eum Ieroſolyma præcipui aduerſarij, & accuſatores Iudæi, ſecum adducentes quendam Rhetorem, ſeu potius tabulam, qui contra Paulum in iudicio declamaret: ſic enim ait S. Lucas [a]: *Poſt quinque autem dies deſcendit Princeps Sacerdotum, Ananias, cum ſenioribus quibuſdam, & Tertullo quodam Oratore, qui adierunt Præſidem aduerſus Paulum. Et citato Paulo cœpit accuſare Tertullus.* Dubitant aliqui, an prædicti quinque dies à tempore, quo Paulus manſit Cæſareæ in cuſtodia, ſint numerandi, cùm non adeò veriſimile videatur, tam diu accuſaturus expectaſſe, & non potiùs ſubitò Cæſaream aduolaſſe.

a Act. c. 24. v. 1. & 2.

Non

Non eſt tamen hac de re dubitandũ: à primo enim die, quo Cæſaream peruenit Apoſtolus, dictum illi eſt
b ibid. c. 23. v. 35. à Præſide [b]: *Audiam te, cum accuſatores tui venerint. Iuſsitque in Prætorio Herodis cuſtodiri eum.* Tum ſubdit ſacer Hiſtoricus: *Poſt quinque autem dies deſcendit Princeps Sacerdotum.* vtique à primo illo, quem diximus, die, non ab alio numerando: quia, cùm Paulus nocturno tempore Ieroſolyma diſceſſiſſet, ne à coniuratis, aliiſque aduerſantibus obſeruaretur, neque fortaſſe poſt quintum diem ignari eius accuſatores, quid cum Paulo ageretur, & an adhuc Ieroſolymæ cuſtodiretur, aduenire potuiſſent; niſi ab ipſo Præſide, vel Tribuno moniti, & Cæſaream vocati ad iudicium fuiſſent. Quare Tertullus in ſua contra Paulum concione [c] Tribunum Lyſiam
c ibid. c. 24. v. 7. ait iuſſiſſe accuſatores Apoſtoli Cæſaream venire: erat enim iter non breue conficiendum, quod vna die, ſicut antea diximus, non abſoluebatur; ita vt ſequenti die, quo Paulus venerat, miſſus aliquis Cæſarea Ieroſolymam, tertia die perueniret: aduocati autem accuſatores non priùs adeſſe poterant Cæſareæ, quàm die quinta. Suſpicari etiam aliquis non ſine ratione poſſet, Archipresbyterum Ananiam nominatim fuiſſe aduocatum; partim, quia primarium ſe aduerſarium Pauli profeſſus erat; partim, quòd iuſſus fuerat Romanum ciuem cui Tribunus ipſe propter perſonæ dignitatem pepercerat, mandare coram Tribuno, vt à ſeruo in faciem ignominiosè cæderetur; partim etiam propter commotas aliquoties in templo, & ciuitate ſeditiones, ac demum ob crudelem contra Paulum coniurationem, cuius auctor, vel incenſor præcipuus hic Ananias meritò potuit æſtimari. Atque hinc illud anteà poſitum confirmatur; nẽpe, certũ non eſſe, quod aliqui pro certo aſſumunt, hunc Ananiã fuiſſe Summũ illius tẽporis Pontificem Iudæorum: nam, quamuis Princeps Sacerdotum ab Interpretibus communiter appelletur; Lucas tamen ſemper vna voce illum nominat Archiſacerdotem, ſiue Archipresbyterum, quales Ieroſolymis inueniebantur vigintiquatuor, pro numero vigintiquatuor familiarum Leuiticarum. Vnde refert idem Lucas acceſſiſſe coniuratos ad Principes Sacerdotum, ſiue Archiſacerdotes, vt ab eis iuuarentur: hunc verò Archipresbyterum Ananiam veniſſe Cæſaream cum aliquot Presbyteris, & cum quodam Rhetore Tertullo, qui Latinam orationem contra Paulum inſtituit coram Preſide Romano adulationibus, calumniis, & mendaciis in hæc verba compoſitam [e]. e Act. c. 24. v. 2.

Cùm multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam prouidentiam, ſemper, & vbique ſuſcipimus, optime Felix, cũ omni gratiarum actione. Cõtinet hoc breue Tertulli proœmium nimis turpem adulationem: conſtabat enim, Felicem, etiamſi magnum illum Ægyptium Iudæos seducentem, exercitu immiſſo compeſcuerat; tamen tyrannice multa geſſiſſe, plurimas diuitum domos Cæſareæ expilaſſe, & Ionatham Summum Pontificem, à quo ſæpe de mala adminiſtratione monebatur, interfici per proditorẽ curaſſe. Qua de re ſic habet Ioſephus in libro vigeſimo Iudaicarum Antiquitatum [f]: *Cùm Felix odio proſequeretur Ionatham Summum Pontificem, vt admonitus ab eo ſæpe de adminiſtrandis melius rebus Iudaicis: ne omnium erratorum inuidia publica in ipſum recideret, ad cuius preces hunc Procuratorem Cæſar miſerat, rationem excogitauit, qua liberaretur ab eius moleſtis interpellationibus.* f Ioſeph. lib. 20. Antiq. c. 6. & lib. 2. de bell. Iudaic. c. 12.

ſtonibus. Graue eſt enim nocendi cupidis, ſi admoneantur crebriùs. Qua de cauſa Felix amicum Ionathæ fideliſſimum, Dorem, Ieroſolymitanum genere, induxit promiſſa pecunia, vt ſicarios ipſi Pontifici immitteret: quod ipſe in gratiam Præſidis fecit his artibus. Quidam quaſi religionis ergo in vrbem aſcenderunt ſicis clam ſuccincti ſub veſtibus, qui permixti Ionathæ famulitio peremerunt hominem: cuius facinoris quia nemo vltor extitit; inuitati hac licentia ſicarij per ſingula feſta ventitantes, ea tela celantes, pari modo immixti turbis, alios confodiebãt propter priuatas inimicitias, alios conducti pecunia. Idq́; non modò in reliquis vrbis partibus, ſed & in ipſo templo. Hæc Ioſephus, de Felicis præclara, ſcilicet, adminiſtratione, & digna talis Oratoris laudatione, ac, vt ipſe loquitur, omni gratiarum actione ſuſcipienda. Iam poſt prooemium audiamus narrationem [g]. *Ne diutiùs autem* (inquit) *te protraham, oro breuiter audias nos pro tua clementia. Inuenimus hunc hominem peſtiferum, & concitantem ſeditiones omnibus Iudæis in vniuerſo orbe, & auctorem ſeditionis ſectæ Nazaræorum.* Quot verba, tot ferè mẽdacia, & calumniæ iniquiſſimæ. Paulũ hominẽ peſtilentem, ſiue, vt ſignificantiùs Græcè legitur, λοιμὸν, quaſi peſtẽ orbis terrarum, audet blaſphemus aſſerere, quem potiùs Medicum cœleſtem, Doctorẽ Gentium, Solem mundi, ſicut eum Areopagita vocat [h], appellare decuiſſet. Seditioſum eum dicit, qui vbique pacem prædicabat, pacem omnibus commendabat, nihilque ſæpiùs repetens in omnibus ſuis Epiſtolis, quàm pacem & gratiam Chriſti: ſibi, ſicut & aliis Apoſtolis, illud Iſaïæ accõmodans [i]: *Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?* Auctorem Paulum facit Chriſtianæ religionis, quam per contemptũm ſeditioſam ſectam Nazaræorũ vocat, cùm teſtis eſſe potuerit Ieroſolyma vniuerſa, ac Damaſcus, adeò non natam à Paulo hanc religionem, vt ipſe naſcentem extinguere accepta publica poteſtate à Iudaïco Magiſtratu omnibus modis conatus ſit. Ad hæc Tertullus addidit de Paulo, dicens: *Qui etiam templum violare conatus eſt; quem & apprehenſum voluimus ſecundùm legem noſtram iudicare: ſuperueniens autem Tribunus Lyſias, cum vi magna eripuit eum de manibus noſtris, iubens accuſatores eius ad te venire: à quo poteris iudicans de omnibus iſtis cognoſcere, de quibus nos accuſamus eum.* Nihil minùs Paulum voluiſſe, quàm templum à ſe, vel ab aliis violari, ex eo manifeſtè conuincitur, quòd ad vota Nazaræorum perſoluẽda, ad purgationẽ, & ſanctificationem ſuam, ac aliorum venerat, quatuor ſecum Nazaræos ducens, oblationes & ſacrificia offerens iuxta legẽ Moyſis, proprio ſumptu pro omnibus. Ipſi potiùs templi violatores extitère, qui non modò tales impedire; ſed etiam barbarè in tẽplo cædere, & crudeliter ibidem interficere, falſa crimina inſanis clamoribus prætexẽtes, omninò voluiſſent, niſi militare præſidium interueniſſet. Atque hoc dicit Tertullus fuiſſe ſecũdùm legem Moyſis iudicare; nempe, omnia humana, diuináque iura per ſummam iniuriam in loco ſancto perrumpere. Nec parcit etiam Tribuno, dum Iudæos vim ab eo paſſos calumniatur, & quaſi ab egregio facinore impeditos. *Superueniens* (inquit Declamator) *Tribunus Lyſias, cum vi magna eripuit eum de manibus noſtris.* Sed benè habet, quod adiungit, dicens [l]: *A quo poteris ipſe iudicans de omnibus iſtis cognoſcere.* Habebat enim in manibus Felix Præſes literas Lyſiæ Tribuni, in quibus planè

g *Act. c. 24. v. 4. 5.*

h *Dionyſ. c. 2. de diu. nom.*

i *Iſai. c. 52. v. 7.*

l *Act. c. 24. v. 8.*

contrarium de Paulo dicebatur, eum eſſe virum innocentem, ciuem Romanum, eius vitæ ſæpè Iudæos inſidiatos, & necare illum in templo voluiſſe, demum in Concilio Iudaico ſe præſente congregato de multis quidem accuſatum; ſed falsò, nec dignum morte, aut vinculis quidquam repertum fuiſſe. Rectè igitur per omnia Tertullus Orator mentitus eſt in caput ſuum: & mendacia Iudæi accuſatores, qui aderant, impudenter confirmarunt [m], *dicentem, hæc ita ſe habere.*

m *Act. c. 24. v. 9.*

Tot falſis criminationibus, & conuiciis adeò non eſt Paulus quidquam irritatus, vt nec reſpondere verbum voluerit; & fortaſſe omninò tacuiſſet, niſi fuiſſet illi à Præſide imperatum, vt ad obiecta reſponderet. Hoc autem tanta præſtitit animi æquitate, veritatis ſinceritate, rationum pondere, & euidentia, vt quàm eſſet inuicta pectoris apoſtolici conſtantia, quantùm Deo, conſcientiæ ſuæ, & bonitati cauſæ fideret, omnibus apertiſſime declarauerit. Vſus eſt breui, ſimplici, & ſine vlla oſtentatione proœmio, in hæc verba: *Ex multis annis te eſſe Iudicem genti huic ſciens, bono animo pro me ſatiſfaciam.* Quaſi diceret: Obiecta mihi crimina concitatæ ſeditionis per has regiones, & maximè in Iudæa, veráne ſint, facile poteris diiudicare, qui ante plures annos à Claudio Imperatore miſſus es in has partes Procurator, & antequàm Iudæam adminiſtrares cũ Samaria & Galilæa, præfuiſti Trachonitidi, Bathaneæ, & Gaulonitidi regioni: ita enim Ioſephus [n] teſtatur. Itaque ſic pergit Apoſtolus [o]: *Potes enim cognoſcere, quia non plus ſunt mihi dies, quam duodecim, ex quo aſcendi adorare in Ieruſalem: & neque in templo inuenerunt me cum aliquo diſputantem, aut concurſum facientem turbæ, neque in Synagogis, neque in ciuitate. Neque probare poſſunt tibi, de quibus me accuſant.* Argumentatur ex eo, quòd, antequàm ipſe modò Ieroſolymam adueniſſet, benè poterat Præſes agnoſcere nihil ſeditiosè à ſe commiſſum: poſteà verò quàm venit, quomodo rem tantam breuiſſimo illo tempore admiſiſſet? Deinde arguit à loco: non aſcendit enim in Ieruſalem tumultuariè: ſed vt templum viſitaret oraturus, & ibi adoraturus: tertiò, quia (inquit) non inuenerunt me in templo cum aliquo diſputantem, aut concurſus, ſiue in Synagoga, ſiue in ciuitate facientem: denique, vt ſimul omnia diluat: *Neque* (inquit) *probare poſſunt tibi, de quibus me accuſant.*

n *Ioſeph lib. 2. de bello Iud. c. 11.*

o *Act. c. 24. v. 11. 12. 13.*

Quod autem Præſidi primùm dixit [p]: *Potes agnoſcere, quia non plures ſunt mihi dies quàm duodecim, ex quo aſcendi adorare in Ieruſalem.* difficulter & implicatè ab aliquibus, vt hunc numerum duodenarium ineât, explicatur: ſed tamen iuxta ea, quæ à nobis ſuperiùs per dies ferè ſingulos ſuis digeſta ſunt locis, nullam habet difficultatem: primus enim dies, quo Ieroſolymam peruenit, is fuit prope Feſtum Pentecoſtes [q]; cùm apud hoſpitem ſuum Cyprium moratus eſt: ſequenti die [r] venit ad Iacobum Ieroſolymorum Epiſcopum: tertio die venit ad templum [s] cum quatuor Nazaræis vota ſoluturus, vbi a Iudæis comprehenſus, cæſus, & propè necatus fuit, niſi a Tribuno, eiúſque militibus fuiſſet ereptus, & ad caſtra in cuſtodiam ductus. Quarto die aduocatum eſt Concilium Iudæorum, vt ſi quid haberent, accuſarent: altercantibus verò Phariſæis cum Sadducæis, iterum ad caſtra deductus, poſitus eſt in cuſtodia. Quinta die per noctem aſtitit

p *Act. c. 24. v. 11.*

q *ibid. c. 21. v. 16.*

r *ibid. v. 18.*

s *ibid. v. 26.*

tit illi Chriſtus Dominus [u], & ad conſtantiam eſt eum adhortatus, prædicens eſſe ipſum omninò Romam peruenturum. Sexta die [x], detectæ ſunt inſidiæ coniuratorum, & Tribuno ſignificatæ, qui propterea ſequenti nocte miſit illum cum magna militum manu Cæſaream, & peruenit die ſeptima Antipatridem; ſequenti verò die Cæſaream, & in palatio Herodis iuſſus eſt cuſtodiri, vbi (ſicut ait S. Lucas) manſit quinque diebus [y], donec Ieroſolyma veniret Ananias cum Tertullo, & aliis accuſatoribus ſiſtentibus ſe coram Præſide Felice, & Paulo reſpondente, ac inter alia dicente, iam duodecimum eſſe diem, ex quo venerat Ieroſolymam, ſicut planè inuenimus, nec plures fuiſſe dies, nec pauciores.

u *ibid. c.* 22. *v.* 30.
x *ibid. c.* 23. *v.* 16.
y *ibid. v.* 35. & *c.* 24. *v.* 1.

Pergit deinde Apoſtolus vitæ ſuæ inſtitutum altiùs Præſidi explicare, dicens [z]: *Confiteor autem hoc tibi, quod ſecundùm ſectam, quam dicunt hæreſim, ſic deſeruio patri & Deo meo*; ſiue, vt alij legunt, *patrio Deo meo; credens omnibus, quæ in lege & Prophetis ſcripta ſunt: ſpem habens in Deum, quam & hi ipſi expectant, reſurrectionem futuram iuſtorum, & iniquorum. In hoc & ipſe ſtudeo, ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum, & ad homines ſemper.* Quatuor adhuc firmis argumentis modeſtè refellit, quæ Tertullus obiecerat, Paulum eſſe hominem peſtilentem, & auctorem ſectæ, ſiue, vt Græcè habetur, hæreſis Nazaræorum, primùm inſinuans religionem Chriſtianam, hæreſim non eſſe appellandam. Nam, etiamſi nomen hæreſis apud profanos Auctores non malam habeat ſignificationem: vnde M. Tullius [a]: *Cato Stoïcus*, inquit, *in ea eſt hæreſi, quæ nullum ſequitur florem orationis.* tamen apud ſacros Auctores ſemper in malam accipitur partem: dicta enim eſt hæreſis ab αἱρέομαι, quod eſt eligo: Vnde, *Hæreſis*, ait S. Hieronymus [b], *dicitur, quòd eam vnuſquiſque ſibi eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem.* At verò catholica fides non tam humana, & propria electione, quàm diuina inſpiratione ſuſcipitur: *Non enim vos me elegiſtis* (dicebat Saluator ſuis diſcipulis [c]; *ſed ego elegi vos.* Ait itaque S. Paulus: *Confiteor tibi, quòd ſecundùm ſectam, quam dicunt hæreſim*; ipſi, nimirum, dicunt, nó ego ſic appellandam cenſeo Chriſtianam religionem: primum, quia in ea deſeruio Patri & Deo meo, ſiue patrio Deo meo, id eſt, illi, quem coluerunt patres mei. Secundò, quia admitto, & credo omnia, quæ ſcripta ſunt in lege & Prophetis: non eſt igitur noua, ſed antiqua & probata doctrina & diſciplina, quam ſequor. Tertiò, eandem ego ſpem habeo de reſurrectione, quam habent ipſi Iudæi, præſertim Phariſæi. Quartò denique: nam ſtudeo bonam mihi coram Deo ſeruare conſcientiam, atque omnibus ſine offendiculo, & irreprehenſibilem me exhibere. Pergit deinde in Apologia ſua Paulus, dicens [d]: *Poſt annos autem plures, eleemoſynas facturus in gentem meam veni, & oblationes & vota, in quibus inuenerunt me purificatum in templo: non cum turba, neque cum tumultu. Quidam autem ex Aſia Iudæi, quos oportebat apud te præſtò eſſe, & accuſare ſi quid haberent aduerſùm me: aut ipſi dicant, ſi quid inuenerunt in me iniquitatis, cùm ſtem in Concilio. Niſi de vna hac ſolummodò voce, qua clamauit inter eos ſtans: quoniã de reſurrectione mortuorũ iudicor hodie à vobis. Hæc erat* (inquit Chryſoſtomus [e]) *abundans iuſtificatio, non fugere ab accuſatoribus,*

z *ibid. c.* 24. *v.* 14. 15. 16.
a *Cic. paradoxo.* 1
b *S. Hieron. in c.* 5. *ep. ad Gal. & in c.* 1. *ep. ad Titũ.*
c *Ioan. c.* 15. *v.* 16.
d *Act. c.* 24. *v.* 17. *&c.*
e *Chryſ. hom.* 50. *in Acta.*

toribus, ſed paratum eſſe ad reddendam rationem omnibus. Interim nihil dixit eorum, quæ accuſare iuſtiſſimè potuiſſet, quòd Iudæi inſidiati ſint, quòd comprehenderint illum, quòd in eum coniurauerint: ſed tacet hæc nimiùm pro aduerſariis periculoſa, & tantùm pro ſe reddit rationem. Vrget autem potiſſimùm dogma reſurrectionis mortuorum; tum, vt Sadducæos id turpiter negantes confundat, qui erant eius præcipui accuſatores, & aduerſarij; tum, vt hac theſi, quæ prædicationis apoſtolicę, & fidei noſtræ eſt fundamentum, hypotheſim ſtabiliat reſurrectionis Chriſti, quam perfidi maximè impugnabant, vt caput omnium aliarum cum Paulo controuerſiarum. Sic ipſe Præſes poſteà Regi Agrippæ explicauit, cùm dixit, ſtetiſſe quidem contra Paulum
f *Act. c.* accuſatores, *ſed nullam* (inquit [f]) *cau-*
25, v. 18. *ſam deferebant, de quibus ego ſuſpicabar malum. Quæſtiones verò quaſdam de ſua ſuperſtitione habebant aduersùs eum, & de quodam* IESV *defuncto, quem affirmabat Paulus viuere.* Sunt enim hæ duæ certiſſimæ veritates, reſurrectionis, videlicet, Saluatoris iam peractæ, & noſtræ futuræ, ita connexæ, vt vna ſit veluti principium, altera tanquam finis & conſummatio noſtræ ſalutis, vnio legis & Prophetarum, veteris & noui Teſtamenti, in vna, eadémque catholica fide colligatio, atque compendium. Itaque benè in ſacro poëmate Arator
g *Arat.* ſcripſit verba exprimens Pauli [g]:
m Act. lib. 2.

Ne diſcordare nouellis
Iura vetuſta patet, fas eſt modò credere cunctos,
Corpora de tumulis iam poſſe reſurgere, poſtquàm
Detulit inde ſuum, qui condidit omnia, Chriſtus.

His à Præſide auditis pro vtraque parte, & literis, quibus Tribunus Lyſias de Pauli innocentia reddebat rationem, ac teſtimonia perſpectis, non potuit ſibimetipſi non perſuadere, nihil eſſe in Paulo morte, carcere, vel alio vllo ſupplicio dignum. Quia tamen timebat iram implacabilem Iudæorum, à quibus accuſari apud Cæſarem de aliis multis, vt aliquando poſteà fecerunt, potuiſſet, ſperans etiam Paulum oblaturum pro redemptione ſui pecuniam non modicam, de qua fecerat ipſe Paulus aliquam mentionem, dicens [h], ſe Ieroſolymā h *Act. c.*
veniſſe eleemoſynam facturum in *24. v. 17.*
gentem ſuam, Felix ſuſpenſum negotium reliquit, ſumens inde occaſionem Iudæos eludendi ex eo, quòd Tertullus Orator dixit [i], poſſe illum i *ibid. v.*
à Lyſia Tribuno de omnibus iſtis *8.*
cognoſcere. Itaque (inquit S. Lucas [k]) k *ibid. v.*
diſtulit illos Felix, certiſſimè ſciens de *22. 23.*
via hac, dicens: Cum Tribunus Lyſias deſcenderit, audiam vos. Iuſſitque Centurioni cuſtodire eū, & habere requiem, nec quenquam de ſuis prohibere miniſtrare ei. Aliqua, nimirum, vſus eſt erga Paulum humanitate; tum propter eas, quas diximus anteà, rationes; tum, quia de Romano ciue agebatur; tum denique, ſi licet hîc facere coniecturā, Druſillę hortatu, quę, ſicut olim Pilato vxor de Chriſto ſuggerebat [l]: l *Matth.*
Nihil tibi, & iuſto illi. ita Druſilla Præ- *c. 27. v.*
ſidi Felici viro ſuo de Apoſtolo ſua- *19.*
debat, cū eſſet ipſa Iudæa, vt illum, de quo multa præclara ferebantur, humanitet tractaret. Quare ſubdit Hiſtoricus [m]: *Poſt aliquot autem dies ve-* m *Act. c.*
niens Felix cum Druſilla vxore ſua, quæ *24. v.*
erat Iudæa, vocauit Paulum, & audi- *24. 25.*
uit ab eo fidem, quæ erat in Chriſtum *26.*
IESVM. *Diſputante autem illo de iuſtitia, & caſtitate, & de futuro Iudicio, tremefactus Felix reſpondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accerſam te. Simul & ſperans, quòd pecunia ei daretur à Paulo propter*

quod

quod & frequenter accerſens eum, loquebatur cum eo. Hæc S.Lucas, quem putamus fuiſſe vnum ex illis, qui Paulum in cuſtodia detentum maximè viſitabat, eique ſic permittente Præſide omnia neceſſaria ſimul cum Trophimo, & Ariſtarcho miniſtrabat.

Cur autem Paulo concionante de caſtitate, iuſtitia, & diuino Iudicio Præſes Felix tanto fuerit pauore correptus, vt etiam tremere notaretur, & cur de hoc argumento coram his duobus ſuam Apoſtolus inſtituerit tractationem, hanc eſſe cauſam minimè dubitamus; quia vterque multis horrendiſque patratis ſceleribus in conſcientia vrgebantur, præſertim contra iuſtitiam, & caſtitatē. Fuit Druſilla filia Herodis Agrippæ ſenioris, qui occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio [n], & Petrum coniecit in carcerem: punitus autem à Deo eſt, & conſumptus vermibus expirauit. Erat prætereà Druſilla ſoror alterius Agrippæ Regis viuēns, de quo infrà dicemus: hæc primùm nupſerat Epiphano Antiochi Comagenorum Regis filio, qui, cùm eſſet Gentilis, promiſerat ſe religionem Iudaïcam, & circuncifionem ſuſcepturum, vt eam vxorem haberet: ſed cùm ipſe promiſſis non ſtetiſſet, Druſilla nupſit Azizo Emeſſenorum Regi circunciſo; Felix autē, cum eſſet Iudeæ procurator [o], captus egregia forma mulieris, per Simonem quendam Cyprium, qui artem magicam profitebatur, eam ſollicitauit, vt relicto priori marito ſibi nuberet, beatam fore pollicitus, ſi dominū non faſtidiret. His decepta, & vt moleſtias euaderet Berenicis ſororis, excellentiam pulchritudinis ei inuidentis, conſenſit, relicto Azizo, priori marito, & calcata patria religione, Feliçi ethnico homini pro concubina vxoris tantùm nomine adhærere. Hinc à quibuſdam Druſilla dicitur trium Regum vxor, & à Suetonio [p] dicitur Felix extitiſſe triū Reginarum maritus, vt ſignificaret trium Reginarum expugnaſſe pudicitiam. Quòd ſi talis extitit erga regias feminas, quid de aliis gradu inferioribus quiſque poterit ſuſpicari? Vt meritò dixerit de illo Tacitus [q], Antonium Felicem per omnem ſæuitiam, & libidinem ius regium ſeruili ingenio exercuiſſe. Quare S.Paulus, tanquā alter Ioannes Baptiſta [r], qui Herodi, & Herodiadi inceſtas nuptias, notáſque libidines exprobrabat, Felici ac Druſillæ talia diſſeruit de caſtitate, vt quamuis neſciamus ſigillatim, quæ fuerint; tamen ea contentione atque ardore animi conſtat eſſe dicta, vt Præſes animo inhorruerit, atque etiam artubus cōtremiſceret. Et tamen, vt erat non ſolùm impudicitiæ, ſed etiam auaritiæ mancipium, ſpe pecuniæ à Paulo pro ſua redemptione ſoluendæ, res in longum trahebat. Quoniam verò Cæſareis legibus redemptum ære iudicium damnabatur, veritus pecuniam à Paulo impudentiùs efflagitare, volebat ſaltem ſua facilitate, frequenti allocutione, ac familiaritate Paulum tacitè inuitare ad ſponte offerendum. Neque id Apoſtolo difficile fuiſſet, qui alios tam multos in minoribus neceſſitatibus, collecta à fidelibus copioſa pecunia, ſubleuabat: ſed ſua fretus innocentia vti hoc, iuſto licèt, remedio pro ſua parte noluit, quo vti cōſueuerunt etiam iniuſti, nihil dubitans Chriſti adimplendam eſſe promiſſionem, futurum, videlicet, vt liber ad Euangelium prædicandum & propagandum vſque Romam dimitteretur. Quanto verò tempore in cuſtodia Cæſareæ ſit detentus, res non parum controuerſa

n *Act. c. 12. v. 2.*

o *Ioſeph. lib. 20. Antiq. c. 5.*

p *Suet. in Claud. c. 28.*

q *Tacit. lib. 5. hiſt.*

r *Matt. c. 14. v. 3.*

uerſa commodiùs ſequenti capite declarabitur.

CAPVT VI.

Felici ſuccedens Porcius Feſtus in Iudææ gubernatione, Paulum iterum exponit vanis accuſationibus Iudæorum, eúmque Rex Agrippa cupit videre.

QVi de Paulo interficiendo, anathemate impiiſſimo coniurauerant Iudæi plures quàm quadraginta, fuerintne aliquo ſupplicio mulctati à Præſide Syriæ Felice, vt erat iuſtiſſimum, meritò ab aliquibus dubitatur, cùm ea de re nihil habeat S. Lucas, nihil S. Paulus in ſua defenſione, parcens aduerſariis, nec Lyſias Tribunus in literis, quas ad Felicem miſerat, vllam fecerit mentionem. Fieri tamen non poteſt, quin Præſes à tanto militum numero ad ſe venientium, nempe, quingentorum ferè armatorum, qui Paulum noctu Ieroſolyma eduxerant, vt ſecuriùs Cæſaream perduceretur, non intellexerit, paratas ei fuiſſe huiuſmodi capitales inſidias à plurimis Iudæorum. Quare coniecturam aliqui fecerunt ex eo, quod Ioſephus in ſua vita retulit de quibuſdam Iudæis Sacerdotibus hoc tempore ad tribunal Cæſaris ablegatis, fuiſſe hos Sacerdotes de numero coniuratorum: ſic enim Ioſephus Hebræus ait: *Quo tempore Felix in Iudæa Procurator erat, Sacerdotes quoſdam mihi familiares, viros honeſtos, & bonos, ob leuem quandam culpam vinctos Romam miſit, acturos cauſam ſuam apud Cæſarem. Quos vt aliquo pacto eriperem à periculo, præſertim cùm audirem, ne in calamitate quidem conſtitutis, curam pietatis excidiſſe, & ficis ac nucibus vitam eos ſuſtentaſſe; veni Romam multis in mari hauſtis periculis: merſa enim noſtra naui in medio mari Adriatico circiter ſexcenti per totam noctem natauimus: & diluculo demum Cyrenaicam nauem, Deo fauente, conſpicati, octoginta fermè noſtrûm feliciore vſi natatu in eam recepti ſumus. Ita ſeruatus Dicæarchiam, ſiue Puteolos, vt Itali vocare malunt, familiaritatem contraxi cum Alituro mimorum Actore, qui Iudæus genere Neroni charus erat: per quem vbi Poppææ vxori Cæſaris innotui, confeſtim per eam impetraui abſolutionem illis Sacerdotibus.* Hæc Ioſephus. Vnde ſubiit animum non leuis ſuſpicio (ait Baronius [a]) num illi, quos tradit hic Hiſtoricus ficis & nucibus vitam ſuſtentaſſe, vinctóſque Romam à Felice miſſos ad dicendam cauſam, iidem ſint, qui iurantes deuouerunt ſe non manducaturos, neque bibituros, donec Paulum interficerent: in quos delatos animaduerſurus Felix, ſicut de multis aliis accidiſſe idem teſtatur Ioſephus, eos puniendos Romam miſerit: ſicque qui iuraſſent non manducare, cùm minùs voti compotes facti eſſent, ea tantùm arida comedentes, abſtinuiſſent à pane, ne penitùs interirent. Sed addit idem Auctor, rem eſſe coniecturalem, non verò certam. Aliis tamen videtur coniectura hæc improbabilis [b], quia veniens Romam Paulus non multò pòſt à Feſto Felicis ſucceſſore miſſus, & exponens Iudæis cauſam ſuorum vinculorum: illi ad eum dixerunt [c]: *Nos neque literas accepimus de te*

a Baron. an. 58.

b Lorin. in c. 24. Act. v. 27.

c Act. c. ult. v. 21.

de te à Iudæa, neque adueniens aliquis Fratrum nunciauit, aut locutus eſt quid de te malum. Sed reſponderi poteſt, hos coniuratos non vt fratres fuiſſe; ſed vt hoſtes infenſiſſimos Chriſtianorum, & qui vincti Romã miſſi fuerant, nihil minùs, quàm de ferendis literis ad fideles cogitare potuiſſe: de Paulo verò non eſſe cum aliis malè locutos, eò quòd arcta cuſtodia detinerentur, niſi fortè cum Iudicibus & cauſam examinantibus, nec anteà dimiſſos è cuſtodia, quàm Paulus Romam adueniſſet. Illud magis mirandum, reos adeò nefariæ cõiurationis, & qui occidere Paulum parati erant, Sacerdotes fuiſſe, eóſque Ioſephum ſcribere viros extitiſſe honeſtos, bonos, ac pios, & ob leuem cauſam à Feſto Romam miſſos, & fortè hi de multis apud Cæſarem conqueſti circa Feſti gubernationem effecerunt, vt citiùs ab officio remoueretur, & alter illius loco mitteretur, de quo Lucas narrare ſic pergit [d]: *Biennio autem expleto, accepit ſucceſſorem Felix Porcium Feſtum. Volens autem gratiam præſtare Iudæis Felix reliquit Paulum vinctum.* Timebat enim ſibi malè de multis ſceleribus conſcius, ne cõtra ſe Iudæos nimiùm irritaret: ideò, licèt innocentiam Pauli ſatis haberet examinatam, atque perſpectam; inſontem tamen illum declarare, & liberum dimittere non eſt auſus.

d *Act. c. 24. v. 27.*

Sed grauis hìc oritur difficultas, à quo tempore biennium illud initium ducat, cùm dicitur: *Biennio autem expleto, accepit ſucceſſorem Felix.* multi enim, & eruditi Interpretes ab hoc ipſo, quo Paulus ductus eſt Cæſaream tempore, biennium illud fluxiſſe arbitrantur; atque ita duos ipſos annos in his vinculis Paulum exegiſſe. Qua de re ſuper Acta Apoſtolorum ſic ſcribit Venerabilis Beda [e]: *Biennium Lucas dicit conuerſationis Pauli in Cæſarea, non autem Præſidatus Felicis. Dictum eſt enim ſuprà, quòd multis annis genti illi fuerit Iudex; præſertim cum Hiſtoriæ narrent, ſecundo Neronis anno miſſum eſſe Romam Apoſtolum; Claudium vero Cæſarem eo tempore, quo Agrippam filium Herodis ab Angelo percuſſi Iudæorum Regem conſtituit, Felicem quoque totius prouinciæ, Samariæque, & Galilææ, & regionis, quæ dicitur trans Iordanem, Procuratorem miſiſſe.* Itaque Bedæ, & aliorum potiſſima ratio hæc eſt: quia biennium non poteſt referri ad tempus gubernationis Felicis, quem conſtat ante plures annos regionibus Syriæ præfuiſſe: vnde illi Paulus dixit [f]: *Ex multis annis te eſſe Iudicem genti huic ſcio.* Debet igitur biennium intelligi expletum à Paulo in cuſtodia Cæſareæ, donec Felici ſucceſſor Feſtus mitteretur. Sed mirum ſanè à Luca, qui ſemper hoc tempore cum Paulo fuit Cæſareæ, & inde cum ipſo venit Romam, ſingillatim per dies ferè ſingulos deſcribente, quæ acciderant, quod hactenus vidimus, & in reliqua vſque ad vrbem peregrinatione obſeruabimus; tamen horum duorum annorum ſpatium ita prætermiſſum, ac ſi mortuus in ea cuſtodia Paulus toto hoc tempore iacuiſſet. Deinde, ſi duobus annis Cæſareæ detentus eſt Paulus ſub Felice, antequàm ab eius ſucceſſore Porcio Feſto Romam vinctus Apoſtolus mitteretur ad Neronem, cùm iam ſatis oſtenſum per annos ſingulos habeamus, hoc ſecundo Neronis anno illum vltimò veniſſe Ieroſolymam, & ea, quæ narrauimus, à Iudæis & Gentilibus ibi paſſum, manifeſtè ſequitur, debuiſſe illum anno imperij Neronis quarto Romam perueniſſe: contra S. Hieronymi,

e Beda in c. 24. Act. gloſſa interl. Lyranus, Oecumenius, Caietan. Salmerõ. Onuphr. in Chrõ. Pererius in proleg. ep. ad Rom. n. 39.

f *Act. c. 24. v. 10.*

nymi [g], & aliorum receptiſſimum teſtimonium, dicentium Paulum Apoſtolum veniſſe Romam anno Neronis ſecundo. Prætereà, quamuis primo Neronis anno prouincia Iudææ, quæ fuerat Felici à Claudio commiſſa, fuerit illi prorogata opera Pallantis fratris eius, qui, ſicut Claudio Imperatori, ita Neroni percharus initio imperij fuit; tamen veriſimile non eſt Felicem in ea adminiſtratione quatuor annis ſub Nerone perduraſſe: quia conſtat ex Cornelio Tacito [h], qui res geſtas per annos ſingulos ordine Conſulum diligenter eſt proſecutus, Pallantem Felicis fratrem à gratia Neronis primo eius imperij anno excidiſſe, & ab omni rerum cura, quam priùs obtinebat, amotum fuiſſe: *Nam* (inquit Tacitus) *Pallas triſti arrogantia modum liberti egreſſus, tædium ſui mouerat.* Itaque multùm fuit Felicem variis criminibus apud Cæſarem à Iudæis accuſatum potuiſſe biennium implere ſub Nerone in Iudææ adminiſtratione, quam paulò ante Neronem mandante Claudio acceperat, vt Ioſephus teſtatur [i]. Hoc eſt igitur, quod Lucas ait: Biennio expleto, nempe, in adminiſtratione Iudææ, Felix accepit ſucceſſorem Porcium Feſtum, qui ex nobili Romanorum familia Porcia fuiſſe videtur.

g S. Hieron. lib. de Script. eccleſ. in Paulo.

h Tacit. lib. 13. initio.

i Ioſeph lib. 2. de bel. Iud. c. 11.

Itaque, ſicut Felix in gratiam Iudæorum, quam nihilominùs ſuo malo tandem demeruit, Paulum in cuſtodia reliquerat, eadem ratione Porcius Feſtus detinere Paulum in eadē cuſtodia vlteriùs cogitauit. Nec tamen acquieuerunt Iudæi; ſed, vbi primùm ex Italia in Syriam Feſtus nauigaſſet, & Cæſaream veniſſet maritimam ciuitatem, & illius prouinciæ primariam, aſcendiſſétque poſt triduum Ieroſolymam, ſtatim facta conſpiratione contra Paulum vterque Iudæorum Magiſtratus, tam eccleſiaſticus, quàm politicus, Feſtum nouum Præſidem in magno numero adeunt, tanquam omnium gratiarum maximam petituri. rogant, vt vinctum Paulum dignetur Ieroſolymam remittere, ibi iudicandum, vbi grauiùs eum deliquiſſe ipſi deprehenderant: nimirum, vt extractum ad locum liberiorem ipſi ſtatim per inſidias interficerent. Meritò igitur Chryſoſtomus adnotauit, neminem Apoſtolorum poſt Chriſtum Dominum talia odia, tantáſque inſidias, & perſecutiones à Iudæis, quales paſſus eſt Paulus, vnquam ſuſtinuiſſe. Rem hanc totam à Luca narratam audiamus; ſic enim ait [k]: *Feſtus ergo cùm veniſſet in prouinciam, poſt triduum aſcendit Ieroſolymam à Cæſarea, adierúntque eum Principes Sacerdotum, & primi Iudæorum aduersùs Paulum: & rogabant eum, poſtulantes gratiam aduersùs eum, vt iuberet perduci eum in Ieruſalem, inſidias tendentes, vt interficerent eum in via. Feſtus autem reſpondit ſeruari Paulum in Cæſarea: ſe autem maturiùs profecturum. qui autem in vobis, ait, potētes ſunt, deſcendentes ſimul, ſi quod eſt in viro crimen, accuſent eum.* Potentes Feſtus intellexit eos, qui fiderent poſſe à ſe Paulum accuſari, & de admiſſo crimine, ſiue, vt Græcè habetur, de aliquo abſurdo conuinci. Talis potens accuſator, vt ſibi videbatur, fuit Tertullus Orator; cui tamen multa mentiendo non benè ſucceſſit. Cùm autem Feſtus non vltra decem dies Ieroſolymis ſubſtitiſſet, inde rediit Cæſaream, eúmque ſecuti ſunt quinque potentes, & audaciſſimi accuſatores, iudicium perurgentes. *Præſes igitur* (inquit S. Lucas [l]) *altera die ſedit pro tribunali, & iuſſit Paulum adduci: qui, cùm productus eſſet, circunſteterunt ei, qui ab Ieroſolyma deſcenderant, Iudæi,* multas

k Act. c. 25. v. 1. 2. 3. 4. 5.

l Act. c. 25. v. 6. 7. 8.

multas & graues cauſas obiiciētes, quas non poterant probare, Paulo rationem reddente: quoniam neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæſarem quidquam peccaui. Feſtus autem volens gratiam præſtare Iudæis, reſpondens Paulo dixit: Vis Ieroſolymam aſcēdere, & ibi de his iudicari apud me? Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet iudicari. Iudæis non nocui, ſicut tu meliùs noſti: ſi enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuſo mori: ſi verò nihil eſt eorum, quæ hi accuſant me, nemo poterit me illis donare. Cæſarem appello. Hæc Paulus multa prudentia, magna conſtantia, & maxima in Deum confidētia. Prudentiam oſtendit cautè inſidias Iudæorum declinans, ſpes eorum vanas & iniquiſſimas eludens, ac viam rectam eundi Romam ſibi aperiens, iuxta Chriſti promiſſionem: neque ex ea nimiùm præſumens, temerè ſe conijcit in pericula; ſed magnā quoque in hac re oſtendit animi conſtantiam, nihil veritus deprauatæ in gratiam Iudæorum, Præſidis voluntati fortiter obſiſtere, eúmque ſui officij ſeriò commonere: *Nemo*, inquit, *poteſt me illis*, nempe, Ieroſolymitis, *donare.* quaſi diceret, neque tu, neque vllus mortalium, neque de iure, quia iniquiſſima eſt petitio, neque de facto, propter maximam in Deo confidentiam, quam habeo, & certò credo, nihil tale circa me ſecuturum. Tantumque abeſt, vt aliquid me in Cæſarē peccaſſe oſtendi poſſit, quod erat nouum crimen ab aduerſariis confictum ad inuidiam ei maiorem conflandam, & Romanum Præſidem in illum maximè concitandum; vt propterea velim ab ipſo Cæſare, non ab alio iudicari. Ideò, quamuis ſtem ante ipſius tribunal mediatum, quia hæc Cæſareæ conſtituta Præſidis poteſtas à Cæſarea poteſtate deriuatur; eligo tamen immediatum ipſius Cæſaris tribunal Romæ: Cæſarem igitur appello. Nec eſt, quòd aliquis hic obiiciat, videri Paulum ſibimetipſi contrarium, qui ad Romanos ſcribēs, ſic hortatur [m]: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Et in prima Epiſtola ad Corinthios reprehēdit fideles accedentes ad tribunalia Ethnicorum [n]: *Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos? & frater cum fratre iudicio contendit apud infideles?* Sed reſponſio non eſt difficilis: nam iure Gentium, & naturæ licita eſt appellatio ab iniquo Iudice, vt benè docuit agens de hac materia S. Thomas [o]. Cæſarem verò appellando magis declarauit Apoſtolus velle ſe poteſtatibus ſublimioribus eſſe ſubiectum. Præterquàm quòd nihil profuiſſet, imò ridiculum fuiſſet, ad S. Petrum appellare, quem, etiamſi pro ſuo ſuperiore in ſpiritualibus agnoſcebat; non tamen infidelibus Iudæis præerat, à quibus accuſabatur; ideò coactus fuit, non tam ad ſuum, quàm ad illorum Iudicem prouocare. Corinthios autem ideò reprehendit, quia inter ſe, fideles cùm eſſent, litigabant, & apud Iudicem infidelem. Voluit etiam Apoſtolus diuino beneplacito, & Chriſti prædictioni ſe accommodare circa Romanam profectionem, cui Feſtus, voluntati Iudæorum iniquè obſequendo, quærebat anfractus & diuerticula; ſed Paulo viriliter obſiſtente, non inuenit. Quare (inquit S. Lucas) *tunc Feſtus cum Concilio locutus, reſpondit: Cæſarem appellaſti? ad Cæſarem ibis.* Concilium, cum quo Feſtus eſt collocutus, aliqui exponunt fuiſſe Præſidis conſiliarios, quia Lucas conſilium dixit, non Concilium: Græcè enim habetur *συμβουλίου*, non *συνεδρίου*. Nihilominus tamen Concilium

m Rom. c. 13. v. 1.

n 1. Cor. c. 6. v. 1. & 6.

o S. Th. 2. 2. q. 69. a. 3.

Iudæorum fuiſſe Chryſoſtomus interpretatur, congregatorum, videlicet, ad Paulum accuſandum, quibus nouus Præſes gratificari etiam contra æquitatem voluiſſet: ſicut olim Pilatus tradendo Chriſtum impiæ Iudæorum voluntati. Sed inuitus cogebatur, aut Paulum declarare innocentem, & abſoluere, quod Iudæi nullo pacto voluiſſent, aut Romam iudicandus, non Ieroſolymam, vellent, nollent, erat tranſmittendus, cùm Cæſarem coram omnibus appellaſſet.

Sed, antequàm ad tribunal Imperatoris Apoſtolus perueniret, aliud regium tribunal, Agrippæ, nimirum, experiri, & ibi quoque Chriſti gloriam manifeſtare debebat: vt illud, quod Chriſtus Dominus Ananiæ fuerat anteà pollicitus, per omnia impleretur [p]: *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus.* Rem totam optimè referunt Acta Apoſtolorum, his verbis [q]: *Et cum dies aliquot tranſacti eſſent: Agrippa Rex, & Bernice deſcenderunt Cæſaream ad ſalutandum Feſtum. Et cùm dies plures ibi demorarentur, Feſtus Regi indicauit de Paulo, dicens: Vir quidam eſt, derelictus a Felice vinctus, de quo cùm eſſem Ieroſolymis, adierunt me Principes Sacerdotum, & ſeniores Iudæorum, poſtulantes aduersùs illum damnationem. Ad quos reſpondi: Quia nō eſt Romanis cōſuetudo damnare aliquem, priuſquàm is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locúmque defendendi accipiat, ad abluenda crimina. Cùm ergo hunc conueniſſent ſine vlla dilatione, ſequenti die ſedens pro tribunali, iuſſi adduci virum. De quo cùm ſtetiſſent accuſatores, nullam cauſam ferebant, de quibus ego ſuſpicabar malum. Quæſtiones verò quaſdam de ſua ſuperſtitione habebant aduersùs eum, & de quodam* I E S V *defuncto, quem affirmabat Paulus viuere. Hæſitans autem ego de huiuſmodi quæſtione, dicebam, ſi vellet ire Ieroſolymam, & ibi iudicari de iſtis. Paulo autem appellante, vt ſeruaretur ad Auguſti cognitionem, iuſſi ſeruari eum, donec mittam eum ad Cæſarem. Agrippa autem dixit ad Feſtum: Volebam & ipſe hominem audire. Cras, inquit, audies eum.* Hactenus ſacra Hiſtoria. Agrippa Rex, qui Paulum modò videre cupiebat, filius fuit alterius Agrippæ, Herodis etiam nomine à Luca appellati, occiſoris S. Iacobi fratris Domini. Quando autē pater eius Herodes Agrippa conſumptus vermibus moriebatur, aberat hic filius eius Agrippa Romæ detentus apud Claudium Imperatorem agens annum ſeptimumdecimum, & cùm eſſet illi valdè gratus, conſtitutus eſt Rex Chalcidis primùm, deinde etiam Tetrarchiæ, quam habuerat Philippus, & Trachonitidis regionis; non verò Iudææ, quæ per Præſidem toto hoc tēpore gubernabatur. Præter hunc filium Agrippa ſenior tres dicitur filias habuiſſe, Druſillam, quæ Felici Præſidi nupſit, Bernicem, vt eam hîc nominat S. Lucas, alij Berenicem, aut Baranicem, & Mariamnem vocant, vt Ioſephus [r] tradit. Bernices igitur germana ſoror erat huius Agrippæ, non vxor: vnde nunquam eam Lucas vxorem vocat, ſicut Druſillam vxorem Felicis appellauit: fuerat tamen Bernice priùs vxor patrui ſui, nempe, alterius Herodis Chalcidis olim Regis, & fratris primi Agrippæ, qui pater huius Bernicis fuit. Sed hæc vidua cùm remanſiſſet, increbuit rumor, parum illam pudicè cum Agrippa fratre, de quo hîc agitur, conuerſari. Pro aliquo huius infamiæ remedio quid actum ſit, ita Ioſephus refert [s]: *Bernices poſt Herodis obitum, qui idem maritus eius, & patruus fuerat, aliquanto tempore*

p Act. c. 9. v. 15.

q Act. c. 25. v. 13. vſque ad 23.

r Ioſeph. lib. 19. Antiq. c. 9. & lib. 20. c. 5.

s Ioſeph. lib. 20. Antiq. c. 5.

*tempore in viduitate acto, cùm ſparge-
retur rumor cum fratre congredi, ſuaſit
Polemoni Regi Ciliciæ (ſiue, vt alij
malunt, Lyciæ,) circuncideretur prius,
& ſe duceret; rata ſic ſe coarguituram
mendacium. Nec ille recuſauit, inductus
maximè mulieris diuitiis. Id tamen con-
iugium diuturnum non fuit, propter in-
temperantiam, vt fertur, diſcedente ab
eo Berenice; qui mox deſertus ab vxore,
ipſe Iudaicæ religionis deſertor factus
eſt.* Hæc Ioſephus de Berenice, quæ ad
Agrippam fratrẽ rediens, antiquam
etiam repetiit infamem conſuetudi-
nem vxoris potiùs, quàm ſororis, vt
propterea Satyricus Iuuenalis inter
res notiſſimas dicat extitiſſe ipſum
annulum pretioſo inſignitum ada-
mante ab Agrippa huic germanæ ſuæ
z Iuuen. Sat. 6. donatum [z]:

Adamas notiſſimus, & Berenices
In digito factus pretioſior: hunc dedit olim
Barbarus inceſtæ, dedit hunc Agrippa ſorori.
Obſeruant vbi feſta mero pede Sabbata Reges,
Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.

Qua verò occaſione Agrippa Rex
cum Berenice venerit Cæſaream ad
nouum Præſidem Feſtum hoc tem-
pore inuiſendum, à Luca eſſe præter-
miſſum ait Auctor Hiſtoriæ ſchola-
u in Act. c. 114. ſticæ [u], ſed à Ioſepho in libro Anti-
quitatum vigeſimo eſſe ſuppletum:
x Ioſeph. lib. 20. Antiqu. c. 7. ſic enim in eo libro legimus [x]: *Eodem
tempore Agrippa Rex extruxit inſigni
amplitudine domum, prope porticum in
Regia Ieroſolymitana, quæ Aſſumonæo-
rum fuerat, ſitam in edito loco, vnde
amœniſſimus aſpectus patebat contem-
plari vrbem volentibus, cuius voluptatis
Rex cupidus, è cubiculo ſpectabat qui-
quid circa templum fieret. Id vbi vide-
runt Ieroſolymitani Proceres, tulerunt
indigniſſimè: neque enim leges noſtræ
concedunt ſpectari, quod agitur in tem-
plo, præſertim ſacrificia. Quamobrem
alium parietem excitarunt ſupra exe-
dram, quæ erat in interiori templo ver-
ſa ad Solem occiduum: hæc non ſolùm
regij triclinij proſpectum arcebat oppo-
ſita; verum etiam occidentalis extra
templum ſitæ porticus, vbi feſtis die-
bus Romani ſtationem habebant ad
templi cuſtodiam. Quo facto tam Rex
offenſus eſt, quam Feſtus Præſes pro-
uinciæ: qui etiam iuſſit parietem dirui:
ciues autem rogauerunt, vt liceret ſibi
legatos ea de re mittere ad Neronem, ne-
gantes ſe poſſe viuere, ſi quid demolire-
tur de templi ædificiis. Quo impetrato,
miſerunt ad Imperatorem decem viros
eximios, & Iſmaëlem Summum Ponti-
ficem, & Chalciam cuſtodem ſacri æra-
rij. Qui audita legatione non ſolùm igno-
uit, ſed permiſit, etiam ſic manere parie-
tem, gratificans in hoc vxori ſuæ Pop-
peæ piæ feminæ, quæ pro Iudæis depreca-
trix fuerat, & illos quidem viros decem
abire permiſit; Chalciam verò, & Iſ-
maëlem ad ſe detinuit tanquam obſides.
Id poſtquam Agrippa reſciuit, põtifica-
tum detulit Ioſepho cognomento Cabi,
Simonis quondã Summi Pontificis filio.*
Et hæc quidem à Ioſepho narrantur;
nihil tamen ipſe dicit, hãc fuiſſe occa-
ſionẽ, cur hoc tempore Agrippa Rex
cũ Bernice deſcẽderit Cęſareã ad Prę-
ſidẽ Feſtum, quaſi cum illo de Iudęis
expoſtulaturus. Imò, ſi tempora
conferantur, & vera ſunt, quę Ioſe-
phus tradit de Poppea, cùm hæc
agnita Neroni non fuerit, niſi poſt
tertium eius imperij annum, vt
tradit Tacitus in Annalium libro
decimotertio, hæc non potuerunt
incidere in ſecundum Neronis, vbi
verſamur, annum, niſi fortè an-
te annum agitari hęc lis cœpta ſit.
Vnde illud quoque magis in du-
bium reuocatur, quod ſuperiori ca-
pite referebamus, de Sacerdotibus in

Paulum coniuratis Romam ad iudicium miſſis, & abſolutis fauore Poppææ, quam ob id piam feminam Ioſephus vocauit. Quapropter aliam cauſam certiorem huius aduentus Agrippæ, & Bernicis, ad Porcium Feſtum non habemus, quam illam à

y *Act. c. 25. v. 13.* S. Luca apertè ſignificatã, cùm dixit [y]: *Agrippa Rex, & Bernice deſcenderunt Cæſaream ad ſalutandum Feſtum.* nempe, honoris, & officij gratia, tanquam ad nouum Imperatoris legatum, & nobiliſſimum Romanorum, quorum amicitiam Agrippa ſemper coluit, & obtentum ab ipſis regnum vſque ad exciſam ab iiſdem Romanis Ieroſolymam adminiſtrauit. Sed, quid cum Paulo die ſequenti adducto ad Agrippæ conſpectum Rex iſte peregerit, videbimus capite ſequenti.

CAPVT VII.

Cauſam ſuam perorat coram Agrippa Rege, & Feſto Præſide; agnoſcitur innocens: ſed, quia Cæſarem appellauit, Romam deſtinatur.

CVr Agrippa tanto deſiderio videndi Paulum teneretur, in cauſa fuiſſe videtur curioſitas ei ſimilis, quæ quondam Herodis Antipæ fuit, aſpiciendi coram ſe Chriſtum Dominum, quem cùm ei Pilatus miſiſſet,

a *Lucæ c. 23. v. 8.* ait Euangeliſta [a]: *Herodes gauiſus eſt valdè: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri.* Cùm enim eſſet Agrippa religione Iudæus, fieri non poteſt, quin multa de Chriſtiana religione illi affini, & aliquid de Apoſtolo Paulo intellexerit, quem Tertullus Orator etiam Auctorem ſectæ Nazaræ norum in ſua declamatione prædicauerat, ſiue πρωτοςάτην, quaſi diceret, primarium propugnatorem, ac veluti coryphæum Chriſtianorũ. Fieri etiam poteſt, vt à Bernice ad idẽ incitaretur: ſolent enim mulieres magis eſſe curioſæ: vnde voluit ipſa quoque huic ſpectaculo intereſſe, de quo ſic refert S. Lucas [b]: *Altera autem die cùm veniſſet Agrippa, & Bernice cum multa ambitione, & introiſſet in auditorium cum Tribunis, & viris principalibus ciuitatis, iubente Feſto, adductus eſt Paulus.* *Vide* (inquit Chryſoſtomus [c],) *quale auditorium congregatur Paulo, cum viris principalibus ciuitatis: Princeps enim & Rex ſtipatoribus omnibus congregatis occurrit, & cum ipſis Tribuni, & primi ciuitatis adfuerunt. Deinde Paulus adducitur, & vide, quomodo ipſe ductus prædicatur à Feſto: nõ ſolum enim illũ non accuſat criminũ, ſed etiam pro eo rationem reddit:* ſic enim, Luca referente, locutus eſt Feſtus [d]: *Agrippa Rex, & omnes, qui ſimul adeſtis nobiſcum viri, videtis hũc, de quo omnis multitudo Iudæorũ interpellauit me Ieroſolymis, petẽtes, & acclamãtes, nõ oportere eũ viuere ampliùs? Ego verò comperi nihil dignũ morte eum admiſiſſe. Ipſo autem hoc appellante ad Auguſtum, iudicaui mittere. De quo quid certum ſcribam Domino, nõ habeo: propter quod produxi eum ad vos, & maximè ad te, Rex Agrippa, vt interrogatione facta habeã, quid ſcribã: ſine ratione enim mihi videtur, mittere vinctũ, & cauſã eius nõ ſignificare.* Hęc de Paulo Feſtus, qui, dum illum ex tot capitibus excuſat, & innocentem denunciat, totidem nominibus vt iniquum Iudicem ſeipſum accuſat: ſi enim comperit, nihil dignum morte ab eo commiſſum, nihil poſt tot accuſationes à plurimis & potentiſſimis accuſatoribus contrà prolatum, ex quo poſſet ſuſpicari malum, vt ipſemet anteà falſus eſt,

b *Act. c. 25. v. 23.*

c *Chryſ. hom. 52. in Act.*

d *Act. c. 25. v. 24.*

addens,

addens, nec à ſuo prædeceſſore Felice dignum quidquam ſupplicio fuiſſe repertum; cur adhuc in vinculis detinet innocentem? Nam, quamuis ad Cæſarem appellauerit; tamen cùm id fecerit, vt ab inſidiis redderet ſe immunē atque ſecurum; erat nihilominùs fide publica liber dimittendus, adhibita inſuper cautione, in poſterum ne ab iniquis Iudæis vllo modo læderetur. Præſertim quia reus aliquis in vrbem mitti non debebat, niſi cum teſtificatione patrati criminis, ſcripto inferioris Iudicis comprehenſa; quod elogium culpæ veteres appellabant [f]: ſacer autem Hiſtoricus cauſam vocat, ſicut etiam in Euangelio legimus de titulo Crucis Saluatoris [g]: *Et impoſuerunt ſuper caput eius cauſam eius ſcriptam: Hic eſt* IESVS *Nazarenus, Rex Iudæorum.* At Feſtus faſſus eſt Regi Agrippæ, ſe talem cauſam, vel elogium pro Paulo non habere [h], dicens: *De quo quid certum ſcribā Domino, non habeo.* &c, *Sine ratione mihi videtur, mittere vinctum, & cauſam eius non ſignificare.* Sed, quia nihil electis ſine magna Dei prouidentia contingit, hinc factum eſt, vt optima occaſio Apoſtolo præberetur, Chriſti nomē multis, qui nondum illud audierant, annunciandi, eiúſque admirabilem virtutem, ſigna, & prodigia multa operantem manifeſtandi. Cùm ergo Paulus coram Rege, Regina, Præſide, Proceribus, & alia multitudine conſtitiſſet, dixit illi Rex: Permittitur tibi pro tua cauſa, & defenſione loqui. Tunc Paulus extenta manu (erat hic primus concionātis geſtus, ſilentium & attentionem vſitato illo ſigno poſtulantis) orſus eſt ſuā apologiam in Actis apoſtolicis fusè explicatam [i]: nos hìc plenum ſenſum potiùs, quàm verba ſingula referemus. De omnibus (inquit) ô Rex Agrippa, de quibus à Iudæis ipſe accuſor, hoc loco & tempore pro me reſponſurus, illud me maximè conſolatur, quòd apud te, qui Iudaïcas res optimè noſti, ſiue leges, ſiue ordinationes, & conſuetudines, pauca hæc verba facturus ſum: quibus proinde oro mihi à te benignas aures patienter exhiberi. In primis autem teſtes omnes eos Iudæos appello, qui olim Ieroſolymis ab ineunte ætate mecum vixerunt, qualem ego tunc viuendi tenuerim rationem: ſi enim fateri velint pręcognitam veritatem, teſtari benè poſſunt, me genere & religione Iudæum ab ipſa prima iuuētute profeſſum eſſe Phariſæorum exactiſſimum & omniū præcipuum inſtitutum. Neque minùs hoc tempore in eadem ſpe diuinarum promiſſionum, quas Patres noſtri, & Patriarchæ obtinuerunt, quidquid aliqui de me obloquantur, perſeuero. In ea, inquā, ſpe, propter quam non Phariſæi tantùm, ſed & vniuerſa noſtra natio in duodecim tribus diſpertita, cultum vero Deo nocte ac die ſemper in expectatione poſita non ceſſat exhibere. De hac igitur ſpe, futuræ, videlicet, in nobis, & peractæ iam in Chriſto reſurrectionis, ego modò conſtituor hìc reus, & accuſor à Iudæis. At, quæſo, quod eſt abſurdum, aut cur apud vos incredibile iudicabitur, qui diuinam legem, ſanctos Prophetas, ſacras narrationes, & ductas à diuina fide rationes admittitis, hoc aſſerere, quod eſt meæ prædicationis fundamentum; nempe, Deum poſſe homines mortuos ad vitam reuocare? Sed de Chriſto à mortuis ſuſcitato, à multis, qui hoc non credunt, reclamatur. Attendite igitur: ego ſanè, ſi quis alius, in hac incredulitate pertinaciſſimus anteà fui, mihíque planè perſuaſeram, aduersùs nomen IESV Nazarēni multa

f *Apud Turnebum lib. 18. aduerſ. c. 5.*

g *Matt. c. 27. v. 36.*

h *Act. c. 25. v. 26. 27.*

i *Act. c. 26. v. 1. vſque ad 24.*

HHhh 3 fieri

fieri à me oportere. Quod impiè Ieroſolymis ego præſtiti: nam multos Sanctorum in carceribus incluſi, & vltrò quæſita & obtenta à Principibus Sacerdotum publica cum literis poteſtate, vrgebam, vt non ſolùm vinculis, flagellis, aliíſque tormentis, ſed etiam ignominioſæ neci traderentur. Quapropter omnes peruadens Synagogas, & vbicunque tales inuenilſem frequenter puniens, I E S V nomen blaſphemare, illúmque verum eſſe Meſſiam abnegare compellebam. Nec his contentus, maiori adhuc inſania & furore percitus contra illos ferebar, eóſque perſequebar vſque ad exteras ciuitates. Sed ecce prorſus admirandum, inopinatum, atque omnem ſuperans humanam fidem, quod mihi contigit. Dum irem aliquando versùs Damaſcum, alios mecum ducens, procurata poteſtate à Principibus Sacerdotum, & non procul ab ipſa Damaſco, in meridie vidi, Rex, eiaculatum ſupra me de cœlo lumen tanti ſplendoris, vt lucem illam Solis meridiani ſuperaret, méque vndique, & eos, qui ſimul mecum erant, circunfulſit. Omnéſque nos cùm illo fulgurante lumine tanquam aliquo icti fulmine in terram proſtrati iaceremus, audiui ego vocem Hebraïca lingua intonantem mihi: Saule, Saule, quid me perſequeris? Nónne ſentis iam, nimis tibi eſſe durum, & ineluctabile, contra diuinum ſtimulum calcitrare? Tunc aſſurgentibus, qui circa me erant comitibus veluti attonitis, & ſtupore plenis, ego adhuc humi ſtratus dixi: Et quiſnam es tu, ô Domine, qui hæc loqueris mecum? Dominus autem ad me dixit: Ego ſum I E S V S Nazarænus, quem tu perſequeris. Aſſurge, & ſta ſupra pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, vt miniſtrũ meum te conſtituam, & teſtem eorum, quæ vidiſti, & quæ poſteà, cùm aliàs tibi apparuero, videbis, & intelliges. Eripiam autem te à plurimis, in quibus propter me incides periculis populorum ac gentium, ad quas deſtinaui te, & nunc mitto, vt oculi obcæcatarum mentium aperiantur, & à tenebris ignorantiæ ac peccatorum, ad veritatis & iuſtitiæ lumen conuertantur; atque à poteſtate Satanæ, accepta remiſſione peccatorum per fidem, quæ eſt in me, gratiam inter Sãctos, & amicitiam Dei ſortiantur. Vnde, Rex Agrippa, quomodo ego potuiſsẽ incredulus perdurando huic cœleſti viſioni, fidem à quouis etiam inuito pectore tanta virtute extorquenti, denegare aſſenſum, & conſenſus prompto animo non exhibere? Quapropter ingreſſus Damaſcũ, iis primùm, qui ibi erant, poſteà cùm veniſſem Ieroſolymam, etiam aliis, & per omnem Iudææ regionẽ, gentibus quoque remotioribus prædicabam, vt agerent pœnitentiam, & ad Deum toto corde conuerterẽtur, digna opera iuſtitiæ, & æternæ retributionis facientes. Hanc ob cauſam cùm in templum ante aliquot dies orandi gratia, & vota mea perſoluendi aſcendiſſem, Iudæi ſuperuenientes me comprehenderunt, cædentéſque inde violenter me extraxerunt, atque interficere voluiſſent; niſi aliter diuina prouidentia diſponente, Tribunus cum ſuis militibus accurrens, à tanto periculo me ſubtraxiſſet. Neque ſemel tantùm, ſed aliàs ſæpè, diuino protectus auxilio, vſque ad hãc diem ſuperſtes ſum, & omnibus ſummis atque infimis ſine diſcrimine perſonarum, clariſſimè agnitam proteſtor veritatem, nihil affirmans alienum ab iis, quæ Moyſes & alij Prophetæ docuerunt; nempe, quòd Chriſtus Meſſias eſſet multa paſſurus, & mortem pro noſtra redemptione

ptione ſubitutus, vt inter alios præclarè Iſaïas [k] prophetauit; & quòd eſſet à morte ad immortalem beatámque vitam tanquam primogenitus mortuorum reſurrecturus, ſicut etiam non ſemel prædictum fuit à Regio Propheta Dauide [l]: & quòd eſſet futurus non vni tantùm populo Iudæorum, ſed longè, latéque ſparſis per orbem terrarum gentibus vniuerſale mentium lumen: iuxta illud prænunciatum ab Iſaïa [m]: *Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & faces Iſrael conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.* Hæc Paulus dum multo ardore animi, & contentione maxima, intentiſque in Regem potiſſimùm oculis, loqueretur, Feſtus Præſes, ſiue, quòd ſui tanta ratio, quanta Vicario Imperatoris debebatur, haberi ſibi à Paulo non videretur, ſed totus eſſet cum Rege; ſiue, quia honorificis titulis ſæpè Agrippam, ſe verò nunquam appellaſſet; ſiue etiam, quia homo Gentilis, & idololatra, quæ de Chriſti morte, anaſtaſi, apparitionibus & vniuerſali hominū reſurrectione, de oraculis Prophetarum audierat, fabuloſa eſſe, aut creditu nimiùm difficilia exiſtimabat, quodammodo indignatus, alta voce ſic loquutus eſt [n]: *Inſanis, ô Paule, multæ te litteræ ad inſaniam conuertunt.* Ad hæc Paulus agnita in Præſide perturbati animi ægritudine, titulo optimi interpoſito, quo non tam mores, quàm excellentiam poteſtatis ſignificari aliàs dicebamus, ita illi manſuetè, ac modeſtè reſponſum dedit [o]: *Non inſanio, optime Feſte; ſed veritatis, & ſobrietatis verba loquor.* Et ad Regem iterum conuerſus: *Scio* (inquit) *de his, Rex, ad quem & conſtanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror: neque enim in angulo quidquam horum geſtum eſt.* Quæ non in angulo geſta hic dicit Apoſtolus, intelligit proculdubio de Chriſti Saluatoris noſtri miraculis, paſſione, Crucis myſterio, & a mortuis reſurrectione, totóque opere, ſiue, vt Græci Patres loquuntur, œconomia vniuerſa noſtræ redemptionis: de qua teſtatur in Pſalmo Dauid [p]: *Deus autem Rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ*; videlicet, Palæſthinæ, vbi Ieroſolyma ciuitas celeberrima ſita erat, quaſi media inter Aſiam, Africam, & Europam, vt inde commodiùs ad quaſcunque mundi partes prædicatio Crucis & Euangelij deferretur. Quare non potuerunt hæc Regi Agrippæ inaudita eſſe, vel incognita, cùm non pridem, hoc eſt, ante annos vigintiquatuor, Chriſtus Dominus eſſet mortuus; ipſe verò Agrippa nunc annū ætatis ageret trigeſimumprimum. Nam fratre ipſius Herode Agrippa ſeniore ab Angelo percuſſo, quod accidit circa annum Domini quadrageſimumquartum, S. Iacobo fratre Domini per eum interfecto, hic eius filius Agrippa Rex annum agebat decimumſeptimum, vt anteà ex Ioſepho [q] referebamus. Quamuis autem diu apud Claudium Cæſarem enutritus Romæ vixerit; tamen pridem reuerſus in Palæſthinam, variis auctus fuerat præfecturis ab eodem Claudio [r], nonnullis etiam à Nerone Claudij ſucceſſore. Itaque Iudæus cùm eſſet profeſſione, ac tot annis in variis gubernationibus adeò verſatus per Iudææ regiones, ignorare non potuit, Chriſtum Nazaræum appellatum, virum fuiſſe magni nominis, & miraculorum inſignem operatorem, ſub Pontio Pilato Præſide in crucem actum, tertia die à mortuis ſurrexiſſe famam ferri, tum Chriſtianos inde propagatos

[k] Iſai. c. 53. v. 1. vſque ad finē cap.
[l] Pſalm. 15. v. 8. & ſeq.
[m] Iſai. c. 49. v. 6.
[n] Act. c. 26. v. 24.
[o] Act. c. 26. v. 25. 26.
[p] Pſal. 73. v. 12.
[q] Ioſeph. lib. 19. Antiq. c. vlt.
[r] idem Ioſeph. lib. 20. Antiq. c. 7.

propagatos in proprio inſtituto perdurare. Imò non in Iudæa tantùm, & Aſia; ſed, etiam per Europam vſque Romam ſtatim ita conſtans huiuſmodi rerum fama peruaſit, vt rẽpore Tiberij Cęſaris, ſicut in Apologetico teſtatur Tertullianus [s], cùm de his ſignificatum à Pontio Pilato per literas Imperatori Tiberio fuiſſet, is egerit cum Senatu de Chriſto inter Deos referendo, & vetuerit Chriſtianos in cauſa propriæ eorum religionis à quoquam accuſari, aut ob id vexari. Hoc eſt igitur, quod nihil ambigendo, Paulus Feſto Præſidi aſſeuerabat, dicens [t]: *Scit de his Rex, ad quem & conſtanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror: neque enim in angulo quidquam horũ geſtum eſt.* Nec prætermittere hoc loco debemus, quod Ioſephus Hebræus, qui hoc ipſo tẽpore viuebat, licèt poſteà vltimis Domitiani temporibus ſuam ſcripſerit hiſtoriam, vt ipſe teſtatur in extremo libro Iudaïcarum Antiquitatum, ita de his ſcriptum reliquit in libro Antiquitatum decimooctauo [u]: *Eodem tempore fuit* IESVS *vir ſapiens; ſi tamen virum eum fas eſt dicere; erat enim mirabilium operum patrator, & Doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt: plurimóſque tam de Iudæis, quàm de gentibus ſectatores habuit, Chriſtus hic erat: quem accuſatum à noſtræ gentis Pontificibus, Pilatus cùm addixiſſet cruci, nihilominùs non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant: apparuit enim eis tertia die viuus, ita ſicut diuinitùs hoc de eo Propheta, & alia multa miranda prædixerunt.* Hucvſque de Chriſto Ioſephus: vnde Paulus Agrippæ ſubintulit, dicens [x]: *Credis, Rex Agrippa, Prophetis? Scio, quia credis.* Circa quæ Pauli verba ſic habet in ſuo Commentario Beda [y]: *Non hæc adulando Paulus, vt quidam putant, ſed verè profatur: Agrippa enim, vtpote Iudæorum ritu, & legibus imbutus, credebat vera locutos eſſe Prophetas: ſed ad quem ea veritas pertingeret, id eſt, Dominum Chriſtum, vt perfidus neſciebat. Quamuis in concione quadam cum Iudæis habita dixiſſe legatur: Sed de religionis auxilio præſumitis, cùm orbem Romanum* IESV *diſcipuli repleuerint: aut ſine Dei nutu putamus creſcere illam religionem?* Videtur autem Beda, id quod de Agrippæ concione dixit, à Ioſepho accepiſſe, qui libro ſecundo de bello Iudaïco [z], longam Agrippæ Regis concionem refert hortantis Iudæos ad obedientiam Romanis præſtandam; in qua tamen concione nihil expreſsè dicit de IESV diſcipulis orbem Romanum replẽtibus; ſed ſolùm de gloria, & propagatione imperij Romani, & quòd non poſſet hoc eſſe ſine Dei nutu. Sunt prætereà, qui narrent, imminente excidio Ieroſolymitano, cùm fideles diuinitùs admoniti fuiſſent, vt eſt apud Euſebium [a], migrare Pellam oppidum trans Iordanẽ in regno Agrippæ, ab Agrippa humaniter fuiſſe ſuſceptos, eúmq; occultè Chriſtianum fuiſſe; quales erant Chriſto viuente Nicodemus, & Ioſeph ab Arimathia. Sed hæc de Agrippa certæ fidei Auctorem non habent, & reſponſio ipſius, interrogante Apoſtolo, an crederet Prophetis, auget dubitationẽ: ſic enim ipſe dixit [b]: *In modico iubes me Chriſtianum fieri. Et Paulus ad illum: Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantùm te, ſed etiam omnes, qui audiunt me hodie, fieri tales, qualis ego ſum, exceptis vinculis his.* Quæ verba non facilem habent explicatum: nam, quod Paulo dixit Agrippa: *In modico ſuades me Chriſtianum fieri.* exponunt aliqui: Parum abeſt, quin fiam Chriſtianus à te ſuaſus, & ferè ſum perſuaſus. Sed hic ſenſus

s *Tertul. in Apolog. c. 5.*

t *Act. c. 26. v. 26.*

u *Ioſephus lib. 18. Antiquit. c. 4.*

x *Act. c. 26. v. 27.*

y *Beda in 26. Act.*

z *Ioſeph. lib. 2. de bel. Iud. c. 16.*

a *Euſeb. lib. 3. Hiſt. c. 5. Salmerõ in Acta tract. 56. in fine. Gagneus in c. 26. Act.*

b *Act. c. 26. v. 28. 29.*

ſenſus non cohæret cum adiuncta ſtatim Pauli reſponſione: *Opto & in modico, & in magno te, & omnes fieri tales, qualis ſum ego.* Sic enim ſignificaſſe S. Paulus videretur, ſe optare, vt non ſolùm parum, ſed etiam multùm abeſſet, quin omnes fierent Chriſtiani, quo nihil magis oppoſitum eſſe potuit Apoſtoli deſiderio, & intentioni. Potiùs videtur indicare Agrippa, voluiſſe Pauli conatum & laborem circa ſe tunc ſuſceptum ſibi quidem non eſſe ingratum: vnde proteſtatus eſt anteà, cupere ſe illum audire, ſe etiam Prophetis credere; tamen parum hoc eſſe ad concludendum, eique perſuadendum, vt fieret Chriſtianus: id enim maioris eſſe negotij: quod Italicè diceremus: *Altro per me ſi vole.* In quem ſenſum non malè aliqui cenſuerunt hæc Regis verba ironiam continere: quaſi fruſtrà Paulus conaretur breui ſua concione, ac noua Oraculorum interpretatione regium animum ſubitò commutare, quamuis non nihil agitare videretur. Sicut ante aliquot dies, cùm Felici Præſidi, & Druſillæ, de caſtitate, & Iudicio futuro verba faceret [c], non timorem tantùm; ſed etiam tremorem incuſſit; nec tamen prorſus iniquitatem excuſſit, vitio deprauatæ illorum voluntatis, non gratiæ diuinæ inſufficientia, vel defectu apoſtolicæ virtutis. Idemque, puto, ſignificare Patres voluerũt, & maximè Chryſoſtomus, cùm dixit [d], Paulum ferè nunc Regi perſuaſiſſe ad ſeipſum tranſire: & Cyrillus Ieroſolymitanus [e], tantâ à Spiritu ſancto victricem gratiam habuiſſe, vt ipſe iam Rex Iudæorum Agrippa diceret: Parum abeſt, quin me feceris Chriſtianum. Sed obſtabat illud ab Oſea de talibus prophetatum [f]: *Non dabunt cogitationes ſuas, vt reuertantur ad Deum ſuum: quia ſpiritus fornicationis in medio eorum.* Erat Agrippa nimiùm implicatus inceſtis amoribus Bernicis, quam neque verebatur cum omnium offenſione, quaſi alter Iupiter Iunonem, & ſororem, & coniugem ſuo aſſidentem lateri publicè oſtentare. Quare maioribus oppugnanda erat machinis tanta improbitas, vt expugnaretur. Et hoc optabat Apoſtolus, cùm diceret [g]: *Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantùm te, ſed etiam omnes, qui audiunt me hodie, fieri tales, qualis & ego ſum, exceptis vinculis his:* nempe, vt ſolueretur à vinculis peccatorum, à ferrea catena indomitarum cupiditatum, & Deo per Chriſti charitatem indiſſolubiliter vinciretur, ſicut ipſe vinctus erat, ideò dicebat [h]: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Excipit autem propria vincula, quæ non audet aliis quibuſcuſque optare, aut à Deo precari: non quaſi ea regio diademati, & ſceptris omnibus, vt ſæpè in eius Epiſtolis apparet, non anteferret; ſed vt audientium infirmitati ſe attemperaret, qui hæc pro Deo perpeti, non dum decora, ſed infortunia, & ſumma dedecora eſſe exiſtimabant. Præſertim, quia meminiſſe Agrippa facilè potuit ſenioris Agrippæ parentis ſui, qui tempore Tiberij Cæſaris Romæ vinctus ferrea catena in carcere detentus tandiu fuit, quouſque in imperio ſucceſſit Caius, à quo pro ſumma gratia liberatus, diademate, ſceptro, & aurea catena eiuſdem ponderis, quo erat ferrea, donatus eſt, & in Iudæam regio cum honore fuit remiſſus, vt tradit Ioſephus [i] in libro Antiquitatum decimooctauo.

Illud prætereà Pauli verba nobis inſinuant, ſe dum hæc diceret, adhuc vincula circungeſtaſſe, quamuis fortaſſe laxiora, vt actionem, & liberè loquendi facultatem non impedirẽt. *His auditis* (ait Lucas [k]) *exurrexit*

c *Act. c. 24. v. 25.*

d *Chryſ. hom. 16. ad pop. & hom. 33. in 1. ad Corinth.*

e *Cyrill. Catech. 17.*

f *Oſea c. 5. v. 4.*

g *Act. c. 26. v. 29.*

h *Rom. c. 8. v. 35.*

i *Ioſeph. lib. Antiq. 18. cap. 7 & 8. in fine.*

k *Act. c. 26. v. 30. 31. 32.*

Rex, & Præſes, & Bernice, & qui aſſidebant eis: & cum seceſſiſſent, loquebantur ad inuicem dicentes: Quia nihil morte, nec vinculis dignum quid fecit homo iſte. Agrippa autem Feſto dixit: Dimitti poterat homo hic, ſi non appellaſſet Cæſarem. Imò, quamuis appellauerat, fuerat dimittendus, vt eſt antea oſtēſum: non enim niſi neceſſitate compulſus appellauerat, ne Ieroſolymam falſo iudicij prætextu perdendus Iudæis coniuratis traderetur. Cùm tamen toties accuſatus nunquam de vllo delicto conuinci potuerit, & tam à Rege, quàm à Præſide Felice, & ab eius ſucceſſore Porcio Feſto, necnō à Lyſia Tribuno fuit innocens repertus, & declaratus. Sed hæc Deus permittebat, vt ipſius conſilium de Paulo Romam quamprimùm tranſmittendo, etiam ſumptibus, & præſidio aduerſantium, executioni mandaretur, vt pluribus Magiſtratibus Chriſti nomen & virtus Euangelij magis innoteſceret: denique, vt Paulus nihil moliri contra Imperium Romanum in vrbem veniens agnoſceretur; ſed compelli à Iudæis, & à Romanis Iudicibus eò mitti. Id autem qua ratione peractum ſit, infrà explicabitur.

CAPVT VIII.

Mari committitur vehendus ad Cæſarem ſub cuſtodia Iulij Centurionis, & in Inſula Creta Trophimum relinquit infirmum.

HOc eodem anno quinquageſimo octauo humanæ ſalutis, & Neronis Imperij ſecundo, tranſactis à Feſto Pentecoſtes pluribus hebdomadis, & iam menſe Iulio, quantùm aſſequi coniectura poſſumus, ineunte, de Paulo Romam mittendo à Præſide Feſto, Agrippa Rege conſentiente, decretum eſt. Qua de re Acta apoſtolica ſic habent [a]: *Vt autem iudicatum eſt nauigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis cuſtodiis Centurioni, nomine Iulio, cohortis Augusti, aſcendentes nauem Adrumetinā, incipientes nauigare circa Aſiæ loca ſuſtulimus, perſeuerante nobiſcum Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſi.* Erat nauis, qua Paulus fortè à Ioppe vicino Cæſareæ portu ſoluens, intrauit Syriacum mare, Adrumetina; non à loco, ad quem tenderet, ſic vocata; ſed vnde habebatur, ſiue eſſet ciuitas, quam Plinius Adrumentum vocat [b], ſiue Adramyttenus ſinus in Myſia à Strabone [c] recenſitus, vbi talis præſtantiæ nauigia pararentur, quæ inde ſolerent nominari. Quamuis & hoc nomen in variis exemplaribus ſcriptum non pauca cum diuerſitate inueniatur: dum S. Hieronymus Hadrumentum vocat, vrbem ponens eſſe in Byzacio Africę regione: Lyrus Adramatum appellat: Theophylactus nauem dicit Atramytinam: alij Adramytenam, ſiue Hadrumentinam. Id verò quidquid ſit agnominis, ideò videtur Lucas addere voluiſſe, dum eam nauem deſcriberet, vt ſignificaret, ſe illam oculis ſpectaſſe, & cum Paulo ſimul eandem intraſſe, atque omnia, quæ tunc dicebantur, & gerebantur, notaſſe: ſicut etiam deinceps cuncta, quæ in tota hac nauigatione contigerunt, per dies ferè ſingulos accuratiſſimè ab eo ſunt deſcripta.

a *Act. c. 27. v. 1. 2.*

b *Plin. lib. 6. c. 34.*

c *Strabo lib. 5.*

Hieron. de locis in Act.

Theoph. c. 27. Act.

Quatuor autem differentiæ perſonarum in ea naui cum Apoſtolo vehebantur: primùm Iulius Centurio cohortis Auguſtæ cū militibus eiuſdem cohortis Auguſtalis, id eſt, primariæ. Nam, teſte Vegetio de re militari [d], plena legio, cui Tribunus præficiebatur, dictus etiā chiliarcha, quaſi millenarius,

d *Veget. lib. 2. de re milit. c. 7.*

millenarius,

millenarius, decem cohortes cũ ſuis totidem Centurionibus continebat, quarum primaria cohors dicebatur Auguſta, vel Auguſtalis, ab Auguſti Cæſaris fauſto & felici imperio: meminit etiam Dio in Nerone militum quinque milliũ, qui Auguſtales dicebantur. Quis autẽ hic Iulius Centurio fuerit, quia Lucas magis non explicat, ignoramus, niſi quòd ipſe ait, erga Paulum humaniter ſe geſſiſſe; Deo, nimirũ, leniente illius hominis ſeueritatẽ, qui ſæpè immanium quoque belluarum feritatem ſuis Sanctis Martyribus mitigauit: Pauli etiam inſignibus virtutibus animum hominis, quamuis ethnici, ad aliquam obſeruantiã, & pietatem inflectentibus. Secunda differentia perſonarũ cũ Paulo nauigãtium, fuit aliquorum, qui ſimiliter ac ipſe, vincti Romam ad Cæſaris tribunal, & iudicium mittebãtur, vt hac etiam in parte Chriſtum Dominum Apoſtolus imitaretur, de quo prædixerat Iſaïas [c]: *Et cum iniquis reputatus eſt.* Quare ait S. Lucas [f]: *Iudicatum eſt tradi Paulum cum reliquis cuſtodiis Centurioni.* Neque enim per cuſtodias oportet hîc carcerẽ intelligere, aut eius cuſtodes; ſed, vt ſæpè aliàs apud bonos Latinæ linguæ Auctores, eos denotat, qui ſub cuſtodia detinebantur. Vnde Græcè ſic legimus: καὶ τίνας ἑτέρους δεσμώτας, id eſt, & quoſdam alios vinctos. Erant tertiò, in eadem naui aliquot fideles Apoſtoli comites, & in primis ipſe Lucas: nam, quod ait noſter vulgatus Interpres [g]: *Iudicatum eſt nauigare eum in Italiam.* originalia verba ſic habent: ἐκρίθη τοῦ ἀποπλεῖν ἡμᾶς, iudicatum eſt nauigare nos, & ita S. Chryſoſtomus legit: ideò in ſequentibus ſæpè Lucas in prima perſona loquitur, & numero multitudinis, dicens: nauigauimus, venimus, & peruenimus. Alterum fidelem eiuſdem nauigationis comitem ponit fuiſſe Ariſtarchum: *Perſeuerante* (inquit Lucas [h]) *nobiſcum Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſi.* Eſt hic ille Ariſtarchus, qui Paulum Corintho ante aliquot menſes diſcedentem, vt Ieroſolymam veniret, cum aliquot aliis fratribus comitatus eſt, & ſecundus inter illos à Luca fuit numeratus [i]: *Comitatus eſt* (inquit) *eum Sopater Pyrrhi Berœenſis, Theſſalonicenſium verò Ariſtarchus.* qui propterea in Romano Martyrologio [k] dicitur Pauli fuiſſe diſcipulus, & comes indiuiduus, & Corinthi multa eſt paſſus, eò quòd ibi cum Paulo verſaretur, ſicut in tota hac nauigatione vſque Romam, vbi vinctus cum Apoſtolo fuit: vnde ipſe Roma de illo ſcribit in Epiſtola ad Coloſſenſes [m]: *Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus.* ac demum ſub eodem Imperatore Nerone, ſub quo 10
Paulus illuſtri martyrio eſt coronatus. Qui verò alij, præter Lucam, & Ariſtarchum, quos ſecum Apoſtolus duxerat ex Macedonia, vel aliunde ſibi adiunxit, illum in hac nauigatione comitarentur, ſacra Hiſtoria non expreſſit: ſed his acceſſiſſe ſaltem Trophimum ex validis coniecturis infrà oſtendemus. Habebat itaque Paulus diuina prouidentia ſuauiter omnia diſponente, plures ſecum ſocios fideliſſimos, & fratres in Chriſto coniunctiſſimos, cum quibus in tanta miſeria & ærumnis aliquo modo conſolaretur, Rege ac Præſide ſic permittente [n]: *Quia, ſicut diuiſiones aquarum* (Salomon ait:) *ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit inclinabit illud.* Sed erat quarta claſſis hominum cum Paulo in eadem naui aduectorum, magna, videlicet, negotiantiũ promiſcua multitudo. Itaque ait S. Lucas [o]: *Incipiẽtes nauigare circa Aſiæ loca,* τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν τόπους, id eſt, versùs Aſiæ loca; ſiue,

c *Iſai. c.* 53. v. 12. *Matth. c.* 15 v. 28.
f *Act. c.* 27. v. 1.
g *Act. c.* 27. v. 1.
h *ibid. v.* 2.
i *ibid. c.* 20. v. 4.
k *Martyrolog.* 4. *Auguſti.*
m *Coloſſ. c. vlt. v.* 10.
n *Prou. c.* 21. v. 1.
o *Act. c.* 27. v. 2.

ſiue, vt habet Syrus Interpres, ad regiones Aſiæ, minoris, videlicet, quo nauis illa Adrumetina velificabat, nõ vlteriùs progreſſura, debuerunt, vt Italiam peterent, aliam nauem conſcendere Alexandrinã, de qua poſteà dicetur. Et hæc de primo nauigationis die S. Lucas: nam per ſingulos ferè dies ea, quæ contigerunt, diligenter exponit.

p ibid. v. 3. *Sequenti autem die* (inquit Lucas [p]) *deuenimus Sidonem. Humanè autem tractans Iulius Paulum, permiſit ad amicos ire, & curam ſui agere.* Amicos dixit ſacer Hiſtoricus, vſus fortaſſe vocabulo Iulij Centurionis, dum pro ſua humanitate Paulum ad Chriſtianos, quos in ea regione, vel Chriſto genuerat, vel fidei noſtræ dogmatibus aliàs erudierat, ire permiſit. Erat autem Sidon vrbs Phœniciæ primaria in finibus terræ promiſſionis versùs Aquilonem, ad quam aliquando progreſsũ eſſe itinere pedeſtri Chriſtum Dominum legimus in Euangelio [q], & ſeceſſiſſe in partes Tyri, &
q Matt. c. 15. v. 21. Lucæ c. 6. v. 17. Sidonis, atque inde ad eum audiendum populos confluxiſſe, dum ſtaret in loco campeſtri, & veniret multitudo copioſa ab omni Iudæa, & maritima, & Tyri, & Sidonis, vt audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis. Non enim procul à Sidone diſtabat Tyrus; ſed ſtadiis ducentis: & quando Paulus veniens ante menſem Ieroſolymam, illac pertranſiuerat, octo diebus ab illis fidelibus fuit detentus,
r lib. 10. c. 8. ex Act. c. 21. v. 5. nec inde abire permiſſus [r], niſi magno comitatu, deducentibus illum extra ciuitatem vſque ad littus maris non ſolùm viris, ſed etiam mulieribus, cum paruulis eorum, & omnibus in arena flexis genibus pro illius proſpero itinere ſupplicantibus. Quare, cùm tantæ eſſent pietatis, & erga Paulum charitatis, voluit Iulius Centurio, ſiue potiùs, qui talem ei mentem iniecit benigniſſimus Deus, vt ſineret Paulum ad notos, ſibique chariſſimos excurrere, tum pro mutua conſolatione, tum etiam pro leuamine ſuæ tribulationis: *Erat enim* (inquit Chryſoſtomus [s]) *valdè afflictus à vinculis, à metu, & circunductione.* & adhuc plures illum manebant aduerſitates; in mari venti contrarij, tempeſtates, naufragia; in terra iterum carceres, catenæ, tribunalia. s Chryſ. hom. 53. in Act.

Pergit deinde Lucas progreſſum nauigationis exponere, dicens [t]: *Et inde cùm ſuſtuliſſemus, ſubnauigauimus Cyprum, proptereà quòd eſſent venti contrarij, & pelagus Ciliciæ, & Pamphyliæ nauigantes, venimus Lyſtram, quæ eſt Lyciæ.* Vix in altum nauis deuenerat, cùm cœpit ventum pati contrarium, ideò neceſſe fuit ſubnauigare Cyprũ, id eſt, prope huius inſulæ quietiora littora vela facere. Itaque ad ſiniſtrã Inſula relicta versùs meridiem, ad dextram versùs ſeptentrionem deflectentes, à Cyprio mari prætervecti ad pelagus Ciliciæ & Pamphyliæ, *venerunt Lyſtram, quæ eſt Lyciæ* (ait S. Lucas) ſecundùm Latinam & vulgatam verſionem; quamuis Græcè, vt infrà ponemus, non ſic habeatur. Et quia Lyſtra ciuitas eſt non in Lycia, ſed in Lycaonia, vt ſuo loco referebamus, cùm de patria Timothei, qui Lyſtrenſis fuiſſe putatur, ageremus [u], & diſtat à mari paſſibus ferè centum millibus; proptereà Beda [x] obſeruauit, pro Lyſtra Græcè haberi Smyrna: ſed S. Hieronymus à Beda citatus, & Syrus Interpres, Chryſoſtomus quoque, & alij Græci, nec Lyſtram, nec Smyrnam, ſed Myram Lyciæ legunt. Eſt autem Myra natale ſolum S. Nicolaï, qui proptereà Myrenſis eſt appellatus: & fortè nomen Myra etiam

t Act. 27. v. 4.

u Act. c. 14. v. 6.

x Beda in lib. retract. Act. circa fin.

Beda poſuit, licèt corruptè Smyrnam aliquis ſuppoſuerit, ex eo deceptus, quòd Myrrha Latinè, Græcè verò Smyrna dicitur. Quare Myram eſſe, ad quam nunc Paulus appulit, non Lyſtram, neminem iure poſſe dubitare Baronius ait [y]. Adhuc tamen aliquis videtur ambigendi locus: nã, præterquàm quòd vulgata communiter exemplaria, etiam vltimò à Clemente VIII. correcta conſtanter Lyſtram retinent, ſi agatur de nominis corruptela, hæc faciliùs in Lycia, pro Lycaonia, quàm in Lyſtra pro Myra poſſet admitti. Deinde, ſicut Lyſtra Timothei patria maritima non eſt; ita neque Myra patria S. Nicolaï: & quamuis non tam hęc, quàm illa procul diſtet à mari; tamen propior eſt flumini Myroni, quàm mari. Quare non improbabiliter aliqui cenſuerunt, aliam eſſe Lyſtram in Lycaonia à mari valdè remotam; aliam verò in Lycia, & de hac nunc agi, quæ mari Ciliciæ, & Pamphyliæ immineat, & ad quam Lucas diſtinguẽdam ab alia Lycaoniæ, dixerit: *Venimus Lyſtram, quæ eſt Lyciæ.* Niſi aliquis ſuſpicetur, quia apud quoſdam Geographos non ſolùm contermina, ſed & Lyciæ pars ponitur Lycaonia, vſque ad Lyſtram Lycaoniæ, quæ ſit eadem ac Lyciæ, Paulum excurrere fuiſſe permiſſum; quod tamen longè minùs eſt veriſimile. Vnde ſtatim Lucas adiungens, quid Lyſtræ peractum ſit: *Et ibi (inquit) inueniens Centurio nauem Alexandrinam nauigantem in Italiam, tranſpoſuit nos in eam.* Non potuit igitur ea ciuitas longè à mari eſſe poſita, cùm adiunctum haberet portum, in quo nauigia adeò magna recipiebantur. Erat autem inuenta ibi nauis dicta Alexandrina; non tam quia veniret ab Alexandria, quàm quòd eſſet talis formæ, qualis Alexandriæ conſtruebantur, & eius magnitudinis, vt ſicut inferiùs ſacra refert Hiſtoria [a], multis onerata mercibus adhuc homines in ea ſint admiſſi ducenti ſeptuagintaſex. Ad hanc aſcendere opus fuit: nam prior nauis Adrumetina ſuo curſu peracto, vlteriùs Italiam versùs progredi non debebat: hæc autem illuc vſque profectura, eò portare omnes ſuſceperat. Sed ait S. Lucas [b]: *Cùm multis diebus tardè nauigaremus, & vix deueniremus contra Gnidum prohibente nos vento, adnauigauimus Cretæ, iuxta Salmonem. Et vix iuxta nauigantes venimus in locum quendam, qui vocatur Boniportus, cui iuxta erat ciuitas Thalaſſa.* Valdè contrarium & obſiſtentem oportuit eſſe ventum, ſiquidem multis diebus vix Gnidum applicuerunt. Eſt autem Gnidus parum ſupra Rhodum ciuitas, ſiue portus eodem, ac ciuitas nomine appellatus, in extrema parte Cariæ prouinciæ Aſiæ minoris, Veneris templo, & ſimulacro à Praxitele ſculpto percelebris: vnde Gnidi Reginam Venerem Horatius [c] nuncupauit. Hinc deflectere ad Auſtrum propter ventum neceſſe fuit, & ad Cretam Inſulam accedendo, iuxta Salmonem venire. Eſt Salmon, ſiue, vt alij vocant, Salmonium [d] Cretæ orientale promontorium, in capite illius Inſulæ Cretico adiacens mari, quod hodie à nautis vulgari idiomate, *Capoſalomone*, appellatur. Vnde ad partem alteram Inſulæ magis auſtralem vela facientes deuenerunt ad locum Boniportum nominatum, καλοὺς λιμένας, id eſt, bonos, ſiue pulchros portus, iuxta ciuitatem Thalaſſam, quam alij Theſſalam, alij Laſæam, ſeu Laſiam hic vocant, fortè quia propter loci obſcuritatem certa de illo mentio apud alios non inuenitur.

[y] Baron. an. 50.

[a] Act. c. 27. v. 37.

[b] ibid. v. 7. 8.

[c] Horat. lib. 1. ode 30.

[d] Strabo lib. 2.

Vnum autem hoc loco prætermiſſum à S. Luca, ſed ab Apoſtolo in ſecunda Epiſtola ad Timotheum indicatum, præterire non debemus, de qua re ſuperiùs alia occaſione diſſeruimus: ſic enim in ea epiſtola ſcriptū legimus:[e] *Feſtina ante hyemem venire. Eraſtus remanſit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.* Hæc Paulus Timotheo ſcripſit, cùm Romam hac nauigatione abſoluta perueniſſet. Videtur autem valdè ambiguum, de qua Mileto ſit ſermo, vbi Trophimus dicitur à Paulo nunc relictus infirmus: eſt quidem Miletus Ioniæ, ſiue Cariæ ciuitas prope Epheſū notiſſima; ſed ad eam modò Paulus non acceſſit, niſi cùm primùm ex Macedonia Ieroſolymæ eſſe pro Pentecoſte feſtinaret, vbi maiores Eccleſiæ Epheſinæ ad ſe conuocatos cum lacrymis eſt adhortatus[f], prædixit vincula & tribulationes Ieroſolymis ſe paſſurum, & quòd ipſi faciem eius ampliùs non eſſent viſuri. Altera tamen fuit Miletus, non adeò nota, de qua in ſecundo Iliados meminit Homerus[g], eámque ponit in Inſula Creta, quam vocat Hecatompolim, id eſt, centum vrbium, inter quas vnam hanc Miletum nominat, idémque confirmat Strabo, cui tanquam ex Creta oriundo meritò in hac re fides eſt adhibenda, cū quo etiam ſentiunt Plinius, & Pauſanias. In hac igitur Cretæ Inſulæ ciuitate Mileto dictæ, Trophimum infirmum nunc fuiſſe relictum exiſtimamus; nempe à moleſtiſſima nauigatione, multíſque aliis plurium dierum incommodis adeò afflictum, vt Paulus iudicauerit, non eſſe vlteriùs conducendum. Qui verò ad aliam Miletum magis notam tantummodo reſpexerunt, in alias deducti ſunt creditu difficiles opiniones. Aliqui enim dixerunt, id accidiſſe, quādo primùm Trophimus cum Paulo alteram Miletum Ioniæ tranſiret prope Epheſum, vt Ieroſolymam veniret. Quam ſententiam aliqui tribuunt Chryſoſtomo[h]; qui tamen nihil definit: ſed ait, Trophimum infirmum relictum Mileti; ſiue, cùm iret in Iudæam; ſiue, cùm rediret: & quia eſt certum, cùm Paulus in Iudæam iret, ſecum vſque Ieroſolymam comitem Trophimum habuiſſe, cuius cauſa multa à Iudæis paſſus eſt in Ieruſalem[i]: *Viderunt enim* (inquit S. Lucas) *Trophimum Epheſium in ciuitate cum ipſo, quem exiſtimauerunt, quoniam in templum introduxiſſet Paulus.* Neceſſe igitur eſt fateri, eum in tali itinere non remanſiſſe. Quapropter alij ſuſpicati ſunt, eū, qui Mileti remanſit infirmus, alium Trophimum fuiſſe ab iſto, qui Ieroſolymam peruenit: quod minùs eſt veriſimile: non enim duos Trophimos, ſed vnicum tantùm, eúmque Epheſium & Aſianum à Luca nominatum, diſcipulum & comitem S. Pauli omnes fatentur. Quare oportuit hanc Trophimi ægritudinem in præſenti à Iudæa in Italiam nauigatione contigiſſe, eúmque relictum infirmum Mileti, non (vt aliqui putarunt) Melitæ. Et mirum profectò, ſi ex nauigatione infirmus per tres mēſes, quibus in Melita Inſula hyemarunt, non potuit conualeſcere, vt ibi fuerit relinquendus, cùm tamen Mileti in Creta, vbi non poterant expectare, facilè id potuerit euenire: cuius rei alias afferemus coniecturas, cùm de naufragio Pauli circa Melitam, & trium menſium in ea Inſula manſione inferiùs agemus. Vt interim aliorum quorundam opinionem omittamus, qui arbitrati ſunt, Paulum, poſtquam hoc tempore fuiſſet Romę, à vinculis liberatum in Aſiam rediiſſe, Trophimum ſecum duxiſſe, & ægrotū Mileti reliquiſſe: quod etiā

[e] 2. Tim. c. vlt. v. 20.

[f] Act. c. 20. v. 17. 33. 34.

[g] Homer. Iliad. l. 2. in catalogo nauium. Strabo lib 12. Ortelius in Coſmogr v. Miletus.

[h] Chryſ. hom. 10. in 2. Timoth.

[i] Act. c. 21. v. 29.

ſub dubio relictum eſt à Chryſoſtomo [m], & nos alibi de hac re diſſeruimus [n], acturi etiam magis poſteà, vbi oſtendemus, Paulum ab hoc tempore in eam Aſiæ partem ampliùs non rediiſſe, illámque poſteriorem Epiſtolam ad Timotheum, in qua teſtatur ſe Trophimum ægrotum Mileti reliquiſſe, anno ſequenti datam Romæ; nempe, Neronis imperij anno tertio; non autem, vt quidam putant, decimotertio. Quare Trophimum hoc tempore Cretæ manſiſſe in ea ciuitate, quam diximus Miletum à Paulo nominatã, redditur maximè veriſimile: neque allatæ pro ſententia oppoſita coniecturæ vllam habent difficultatem, niſi quam aliquis ex eo poſſet obiicere, quòd nihil hac de re indicet S. Lucas; qui tamen præſens aderat, & omnia per dies ferè ſingulos notata videtur diligenti ſua narratione proſecutus. Sed in primis reſpõderi poſſet: neque quòd in Inſula Melita Trophimus remanſerit infirmus, S. Lucas vllo modo indicauit. Deinde non eſt hoc mirum: quia his rebus potiſſimùm ſcribendis Lucas erat intentus, quæ ad Paulum pertinebant, qualis non fuit Trophimi ægritudo, niſi aliquo Pauli miraculo ſanatus fuiſſet, quod hic non eſt factum: cur autem Deus id fieri non permiſerit, examinat S. Ioannes Chryſoſtomus [o]. Prætereà, tam multa aduerſa circa hanc Inſulam Cretam nauigantibus hoc tempore contigerunt, vt minimè digeſta per dies ſingulos; ſed plura conuoluta ſucciſis diebus à Luca fuerint referenda. Sed nec propterea indicare aliquid de corporis ægritudine laborantibus S. Lucas prætermiſit, dicens [p]: *Multo autem tempore peracto, & cùm iam non eſſet tuta nauigatio, eò quòd ieiunium iam præteriiſſet, conſolabatur eos Paulus, dicens eis: Viri, video, quoniam cum iniuria, & multo damno, non ſolùm oneris & nauis; ſed etiam animarum noſtrarũ incipit eſſe nauigatio.* Vbi, quod hic dicitur de iniuria & damno animarum, nemo poteſt dubitare intelligendum eſſe de ſalute & incolumitate vitæ corporalis nomine animæ ſæpè in Scripturis ſignificatæ, pro qua Paulus paterna charitate ſollicitus nitebatur gubernatori nauis, & Centurioni perſuadere, vt in ea Inſula ſubſiſterent, ibique hyemarent.

m *Chryſ. hom. 10. in 2. ad Timoth.*
n *Suprà lib. 11. c. 1. & infrà lib. 12. c. 6.*
o *hom. 10. in 2. Tim.*
p *Act. c. 27. v. 9. & 10.*

Illud tamen eſt valde obſcurum, quod Paulus inducit pro ratione, cur iam non eſſet tuta vlteriùs nauigatio, dicens: *Eo quòd ieiunium iam præteriiſſet.* Quæ enim conſecutio eſt, vt, quia ieiunare deſierunt, non eſſet tuta nauigatio? Deinde, quid gentilibus, & idololatris, quales erant plerique in illa naui, cum ſacro, ſiue eccleſiaſtico ieiunio? Quare ieiunium hoc aliqui profanum interpretãtur [q], nempe, quandam à cibis abſtinentiam, dum propter diuturnam tempeſtatem iactatis, vix quidquam guſtare concederetur, tam nautis, quàm reliquis nauigantibus; illis quidem in regimine nauis plurimùm occupatis; iſtis verò propter nauſeam ac timorem. At id profectò non videtur admodum veriſimile: non enim loquebatur Apoſtolus de inedia præſenti, qua tunc affligerentur; ſed de ieiunio, quod dixit iam præteriiſſe. Quomodo igitur inde intuliſſet, non eſſe vlteriùs tutam nauigationem? Deinde non dixit, moleſtum, magnum, diuturnum fuiſſe eorum ieiunium; ſed ſimpliciter ieiunium iam præteriiſſe; quæ tamen addenda fuiſſent, ad fractas, & debilitatas inde vires ipſorum ſignificandas. Sicut verè contigit poſt aliquot dies moleſtioris & naufragæ tempeſtatis, infrà referendæ, quando *Paulus* (inquit Lucas [r]) *rogabat eos*

q *Lyranus, Caietan. Gagnaus in Acta.*
r *Act. c. 27. v. 33.*

eos ſumere cibum, dicens: Quartadecima die hodie expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes, propter quod rogo vos accipere cibum pro ſalute veſtra. Eſt etiam hic aduertendum, vbi agitur de inedia diuturna multùm debilitante, viréſque frangente, non aſſumpta voluntariè, ſed faſtidio & moleſtia nauigationis cogente, vti Lucam vocabulo multùm ſignificanti [s], *ἀσιτίας πολλῆς*, id eſt, abſtinentiæ multæ: at verò loquendo de ieiunio voluntario vtitur voce, *νηστείας*, qua communiter apud ſacros Scriptores ieiunium eccleſiaſticum ſignificatur, & cum articulo ſignificante rem notam ac determinatam, dicens, *τὴν νηστείαν* iam præteriiſſe; quaſi diceret, illud celebre, notúmque ieiunium.

s ibid. v. 21.

Quapropter viri quidam eruditiſſimi [t] arbitrátur, hìc eſſe ſignificatum ieiunium eccleſiaſticum quatuor Tẽporum Decembris ante Feſta natalitia, quando propter brumale ſolſtitium hyeme inualeſcente non eſt tuta nauigatio: quod hyemale tempus nauigationibus importunum ieiunio nominato, veluti vſitata locutione, à Luca fuerit ſignificatum; ſic enim ſæpè nos ſolemus temporum annuas mutationes, hyemales, aut æſtiuas, feſtis quibuſdam celebrioribus denotare. Quod ieiunium appellatur decimi menſis à S. Leone [u], id eſt, Decembris: & Auctor Micrologi ait [x], omnes ordinationes à S. Petro vſque ad Simplicium Papam in hoc ieiunio quatuor Temporum Decembris eſſe celebratas. Poſteà verò Gelaſius Papa dicitur conſtituiſſe, vt ſacræ ordinationes, quæ ſolùm in Decembri fieri conſueuerant, etiam aliis quatuor anni temporibus in poſterum haberentur. Et eſt hæc opinio, quam ſequitur Bellarminus [y], magis probabilis, quàm prima. Nec multùm ab ea diſſentit Baronius [z], cùm ait, Lucam eſſe quidem locutum de ieiunio decimi menſis; non tamen quatuor Temporum Chriſtianorum, ſed Iudæorum, de quo ait Zacharias [a]: *Hæc dicit Dominus exercituum: Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda.* Hoc tamen non admodum refert: quia Iudæorum ieiunium decimi reſpondet ieiunio noſtro quatuor Temporum in Decembri, & noſtrum ab illo deductum affirmat S. Leo in ſermone quarto de ieiunio decimi menſis: *Neque ideò* (inquit) *negligendum eſt, quia de obſeruantia veteris legis aſſumptum eſt ieiunium decimi menſis.* Et Paulus, Lucas, aliíque eorum ſocij, ſicut vtrunque obſeruabant; ita illud hyemalis ſolſtitij tempus deſignare ab vtroque celebri tunc ieiunio potuerunt. Niſi fortè quis dicat, celebrius fuiſſe propter antiquitatem illud ieiunium, quatenus Iudæorum, atque adeò notius, quàm vt erat Chriſtianorum, quod non pridem inceperat, & fortè nondum habebatur vbique apud Chriſtianos inductum. Sed quod multùm contra hanc opinionem, & vtrunque explicandi modum videtur facere, eſt modus loquendi S. Lucæ, dum ait [b]: *Et cùm iam nõ eſſet tuta nauigatio.* quaſi dixiſſet: Et cùm inciperet iam non eſſe tuta nauigatio. Quis autem dubitet, in autumno, ſiue in principio hyemis; non autem in Decembri, hoc eſt, in media hyeme incipere nauigationem non eſſe tutam, cùm potiùs tunc expectetur, vt deſinat non eſſe tuta nauigatio, hyeme ad veris mitiora tempora inclinante?

t Bellar. lib. 2. de bonis oper. c. 19

u S. Leo Ser. 4. de ieiun. 10. menſis.

x Microlog. c. 28.

y ſuprà loco cit.

z Baron. an. 58.

a Zacharias c. 8. v. 19.

b Act. c. 27. v. 9.

Quare multò probabilius videtur, per ieiunium hìc intelligere quidem oportere Iudaïcum; non tamen ieiunium à Zacharia vocatum decimi, ſed ſeptimi menſis Iudæorũ,

qui ſeptimus menſis reſpondet partim noſtro Septembri, & partim Octobri:nam illud ieiunium decima die menſis illius celebrabatur circa æquinoctium autumni, quod accidit prope noſtrum Octobrem, & dicebatur ieiunium expiationis [c], diuinitùs inſtitutum, & præceptum propter peccatum populi Iudaïci in adoratione vituli; remiſſum tamen ad Moyſis interceſſionem. Placet verò magis hæc opinio triplici de cauſa: prima eſt, quia verba & ſenſum ſacræ Scripturæ ſumit propriiſſimè: tūc enim cùm Iudæi hoc ſolēne ieiunium autumni tempore celebrabant, initium aliquod eſt hyemis, venti & tempeſtates exoriuntur, vt mari ſe committere iam non ſit tutum. Vnde Philo in libro de ſua ad Caium legatione, teſtatur, per initium autumni ceſſare ſolere nauigationes. Et Cæſar in ſuis Commentariis libro quinto, tempus anni excludens nauigationes, ait incipere ab æquinoctio autumni. Deinde, cùm S. Lucas hîc abſolutè nominet ieiunium, quodnam illud ſit ampliùs non explicans, oportet illud intelligere, quod eſt præcipuum, & antonomaſticè dictum ieiunium, vt cùm abſolutè dicimus Apoſtolum, nonniſi Paulum intelligimus; & per Philoſophum, Ariſtotelem: tale autem erat hoc ieiunium expiationum ſeptimi menſis, omnium antiquiſſimum, & a Deo inſtitutum, cùm alia poſteà fuerint à Iudæis introducta. Vnde in capite decimotertio Leuitici ſic legimus: *Decimo die menſis huius ſeptimi dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus, affligetiſque animas veſtras.* & alia multa ſub pœna etiam mortis de hoc ieiunio ibi præſcribuntur. Denique ſic omninò Lucam Chryſoſtomus intellexit, dicens [d]: *Ieiunium hîc opinor dici, quod Iudæi ſeruant: nam poſt Pentecoſten exierant illinc per multum tempus, ita vt ipſa ferè hyeme venerint in partes Cretæ.* Erat igitur autumnus, quando ferè eſt, aut incipit eſſe hyems; non verò finis Decembris, cùm media eſt hyems. Idipſum voluit ſignificare antiquus Auctor Syriacæ interpretationis, cùm verba Lucæ ſic reddidit: *Iam præterierant dies ieiunij Iudæorum, ita vt periculoſum eſſet aliquem ſulcare mare.* Eadem cum Chryſoſtomo, & iiſdem verbis ſentit Oecumenius, & ſequuntur plures recentiores [e], inter quos benè Chriſtophorus à Caſtro in ſua parthenica Chronologia adnotauit, Paulum ex Palæſtina parum ante Auguſtum menſem nauigare incepiſſe. Vna tamen quorundam obiectio ducta ex ratione temporum videtur huic ſententiæ non parum obſiſtere: ſed, ſi benè expenditur, rem potiùs confirmat. Quia conſilium fuit Pauli, vt in Inſula Creta hyemarent, ibique per tres menſes morarentur: quod etiamſi in Creta non ſucceſſerit, voluerunt enim vlteriùs, vſque ad Inſulam Melitam peruenire; tamen Melitæ tribus ipſis menſibus hyemantes ſubſtiterunt [f], expectantes commodum tempus reliquæ nauigationi. Quare, ſi circa æquinoctium autumnale, hoc eſt, à fine Septembris expectaturi erant tres menſes, vt hyemarent, debuiſſent repetere nauigationem in ſolſtitio brumæ, nempe circa finē Decembris media prorſus hyeme, atque adeò tēpore ad nauigādum importuniori. Sed reſpondendum eſt, inquietiora, & perículoſiora ſolere eſſe maria poſt æquinoctiū autumni hyeme adueniente, quàm circa brumæ ſolſtitiū, idque propter dies Halcyoneos vocatos ſeptem ante, & ſeptem poſt hoc ſolſtitium, & à nautis obſeruatos,

c S. Th. 1. 2. q. 102. a. 4. ad 10.

d hom. 35. in Acta.

e in Act. c. 27. v. 9. Emmanuel Sa ibid. Guilel. Eſtius in notis. Mariana in notis. Gaſpar Sanchez in Acta. Chriſtophorus à Caſtro in ſua Chronolog.

f Act. c. 28 v. 11.

obſeruatos, de quibus ita ſcripſit Ariſtoteles [g]: *Dies Halcyonei appellantur ſeptem ante brumã, & ſeptem poſt brumam, vt Simonides quoque, ſuo carmine tradidit: Vt cùm per menſem hybernum Iupiter bis ſeptem molitur dies teporis.* Et addit Ariſtoteles, ſeptem primis diebus auem dictam Halcyonem, à qua illi denominati ſunt dies, nidum conſtruere; aliis verò ſeptem parere, & educare, totóque illo tempore trãquillati mare, præſertim Siculum, & reddi nauigabile. Quod etiam ex Ariſtotele S. Ambroſius [h] retulit in Hexameron libro quinto, & Plinius libro decimo ſuæ naturalis Hiſtoriæ: *Qui dies* (inquit) *Halcyonides vocãtur, placido mari per eos, & nauigabili, maximè Siculo. In reliquis partibus eſt quidem mitius pelagus, Siculum vbique tractabile.* Conſtat autem Pauli reliquam nauigationem per illos tres menſes ferè totam per mare Siculum fuiſſe peragendam; nempe, ab Inſula Melitenſi Syracuſam, & inde breui tractu Puteolos, ſicut infrà viſuri ſumus. Fuit etiam ſine dubio prima Cẽturionis & nauarchi intentio, cùm ex Palæſthina poſt Pentecoſten Iulio menſe nauigare incepiſſent, ante hyemem in Italiam peruenire; ſed multis diebus vento aduerſante detenti, maximè circa Inſulam Cretam, cœperunt initium hyemis experiri: vnde tres ſaltem menſes hyemando expectare decreuerunt, nempe, ad finem Decembris, propter dies, quos diximus, Halcyonios, repetendæ nauigationi peropportunos. Quòd ſi circa finem Decembris hyemare incepiſſent, & adhuc per tres menſes, id eſt, vſque ad menſem Martij, vel Aprilis expectare debuiſſent, non apparet, vbinam tribus ſuperioribus menſibus morati fuiſſent, neque etiã qua ratione octo, & ampliùs menſes in ea nauigatione à Palæſthina in Italiam inſumpſiſſent, quæ plerunque vno, vel ad ſummum altero menſe perficitur. Hæc à nobis aliquanto fuſiùs ideò ſunt examinata, vt recta ratio temporum, & quando primùm Apoſtolus Romam peruenisſe debuerit, de quo fuſiùs poſteà, meliùs intelligatur.

[g] *Ariſt. lib. 5. Hiſt. anim. c. 8.*

[h] *S. Amb. lib. 5. Hexam. c. 3. Plin lib. 10. c. 32.*

CAPVT IX.

Nautæ Paulo non obſequentes naufragium faciunt: ſed eius apud Deum interceſſione omnes ad terram enatantes ſeruati ſunt.

Diu, multúmque nauis Alexandrina circa Inſulam Cretã validis oppugnata ventis luctabatur, portans in Italiam ſimul cum Paulo perſonas propè trecentas, merces varias, & multùm tritici ab Ægypto: inde enim hæc nauis Alexandrina, nempe, ex Alexandria Ægypti, iam peracta meſſe, collectíſque frugibus, vt coniicimus, veniebat: Ægyptus enim quaſi horreum populi Romani cenſebatur. Sed ad nauis alleuamentum in mare frumẽta proiicere, quod infrà videbimus, opus fuit, nec proptereà valuit ſuperare vim turbulentiſſimæ tempeſtatis. Eſt Creta Inſula medio adiacens ponto, longitudinis, vt aliqui computant, paſſuum ducentorum ſeptuagintanouem millium, latitudinis quinquaginta; totius verò ambitus mille quingentorum, & octuaginta nouem. A Septentrione mari alluitur Cretico, & Ægæo: ab Auſtro habet Lybicum pelagus, ſiue Afrum: à parte orientali ſpectat Carpathum, & Rhodum: ab occidentali Ægilã, & Cytherã Inſulas longè minores. Cùm igitur à parte Inſulę ſeptẽtrionali frigidiori

ob

ob creſcentem quotidie magis hyemem, per mare Creticum nauigatio non ſuccederet, retrocedendum ex parte fuit, & ad alterum Inſulæ latus auſtrale tentanda progreſſio; quà tamen non minùs difficulter, quàm periculosè nauigabatur. Ideò Paulus diuino Spiritu præſagiens naufragium ſequuturum, ſi progrederentur, eos hortabatur, vt in Creta ſubſiſterent: *Centurio autem* (inquit Lucas [a]) *Gubernatori & Nauclero magis credebat, quàm his, quæ à Paulo dicebantur.* Sed, ſicut neglectus conſilij tanta aſſeueratione dati à viro ſancto non caruit culpa, ita nec pœna: debebant enim, qualis eſſet Apoſtolus, iam aduertiſſe, & quanta per illum operaretur, atque annunciaret Deus. Itaque fruſtrà poſt hæc, locum quæſierunt, vbi ſubſiſterent: *Nam* (inquit Lucas [b]) *cùm aptus portus non eſſet ad hyemandum, plurimi ſtatuerunt conſilium nauigare inde, ſi quomodo poſſent deuenientes Phœnicem hyemare, portum Cretæ reſpicientem ad Africum, & ad Corum.* Phœnicem, ſiue, vt alij vocant, Phœnicum portum Cretæ ad latus auſtrinum in Iſthmo conſtitutum centum ferè ſtadiorum, vt ait Strabo [c], & ſic nominatum à ciuitate non procul in promontorio ædificata, dicta Phœnix Lampei, delegerunt ſibi, vt minùs incommodum, ſi poſſent eò pertingere ad hyemandum. Spectabat hic portus ad Africum, & ad Corum, vt ait S. Lucas, nempe, ad hos duos ventos, quamuis Corus flet à ſiniſtro latere Septentrionis; Africus verò à ſiniſtro Auſtri, ſiue Meridiei: vnde videtur pro eodem ſumpſiſſe Lucas Corum vocem non tam Græcam, quàm Latinam, & parum vſitatam, & Africum, nempe, ad partem auſtralem pleniùs indicandam. Ideò Interpres Syriacus, ad Auſtrum vno vocabulo dixit ſpectare Phœnicem portum; Strabo verò dixit, reſpicere ad latus auſtrinum. Quare ſic pergit Lucas exponere ſiniſtrum per eam partem nauigationis ſucceſſum [d]: *Aſpirante autem Auſtro, æſtimantes propoſitum ſe tenere, cùm ſuſtuliſſent de Aſſon, legebant Cretam.* Nimirum, decepti exiſtimabant ſe poſſe, vt propoſuerant, ad portum Phœnicem peruenire; ſed à Septentrione vltra Salmonem, Boniportum, & Theſſalum ſoluentes de Aſſon, & versùs Meridiem circa Cretam nauigantes, auſtrali vento impediente, non poterant pertingere, quò ſperauerant. Erat Aſſon locus non procul à prima ſtatione poſitus, vbi primùm in Cretam Inſulam appulerunt: nam, quòd Auctor expoſitionis locorum in Acta falsò adſcriptæ S. Hieronymo, ponit hanc Aſſon eſſe nobilem illam apud Troadem ciuitatem, aliter dictam Apolloniam [h], & à Plinio [i] vocatam Aſſon Troadis, hoc nullo modo apparet veriſimile. Vt enim benè arguit Baronius [k], quidnam commune Cretæ cum Troade? De Cretæ autem loco Aſſon dicto Lucam hîc eſſe loquutum nulla poteſt eſſe dubitatio: nam, cùm à parte Inſulæ ſeptentrionali eos ſoluiſſe conſtet, vt ad prædictum Cretæ portum versùs Meridiem ſe reciperent, nihil eſt, quòd poſſit de Aſſon Troadis longe in Phrygia poſitæ id intelligi: ſic enim debuiſſent ex Creta per Cycladas inſulas nauigare mare Myrtoum, inde Icarium, ac demum Ægæum, vt ad Aſſon Phrygiæ venirent: ac inde poſteà ſoluerent, vt iterum in Cretam redirent, & portū eius Phœnicem ad Meridiem

a Act. c. 27. v. 11.
b ibid. v. 12.
c Strabo lib. 10. Ptolem. lib. 3. c. ult.
d Act. c. 27. v. 13.
h S. Hier. lib. de locis Hebraicis.
i Plin. lib. 2. c. 96.
k Baron. an. 58.

petitum appellerent. Dum itaque ab Aſſon Cretæ, non Troadis, ad latus Auſtrale versùs occidentē nauis contenderet, ait S. Lucas [l]: *Non poſt multum miſit ſe contra ipſam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. Cúmque arrepta eſſet nauis, & non poſſet conari in ventum, data naue flatibus ferebamur.* Eſt ventus hic Typhon ſubitaneus, magno impetu ex alto deorſum à nube erumpēs, quaſi τύπτων σφόδρα dictus, vt quidam volunt, id eſt, percutiens vehementer, & interdum ita circulariter corpora conuoluens, atque in altum rapiens, vt ea vertigine aliquando ingentes arbores radicitùs euellat: vnde Latinè turbo dicitur, & vortex: eúmque præcipuam eſſe nauigantium peſtem, ait Plinius [m], non antennas modò, verùm etiam ipſa nauigia contorta frangentem, eleuantem, ac demergentem. Putant verò aliqui ex auſtrali vento, qui Eurus dicitur, & oppoſito aquilonari conflictante fieri, quod videtur Lucas ſignificaſſe, cùm dixit: *Miſit ſe contra ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo.* At, quia non dixit Lucas, hunc ventum eſſe Typhonem, ſed Typhonicum: negat verò Ariſtoteles [n], Typhonem ſpirare à certa mundi parte, præſertim aquilonari, & flāte Aquilone potiùs Typhonem diſſipari; ideò veriſimilius eſt, ventum hunc orientalem Eurum fuiſſe: huic enim vento, in eo tractu pelagi, nauis maximè erat expoſita, eóque flatu in Occaſum rapidè ferebatur; Typhonicum tamen denominatum propter impetum turbulentum, & Euroaquilonem dictum, ſiue, vt Græcè habetur, εὐροκλύδων, id eſt, Eurus fluctuoſus, ſiue procelloſus, veluti Aquilo: κλύδων enim Græcè, Latinè fluctus, ſiue procella dicitur, non quòd ventus aquilonaris ibi multùm dominaretur, cùm ad latus Cretæ Inſulæ auſtrale nauigantibus, ventus Aquilo flans ab oppoſito Septentrione non magnam poſſit inferre moleſtiam; ſed, quia illi ex parte fortaſſis miſcebatur: vnde non improbabiliter aliqui ſuſpicantur Græcè legendum, εὐρακύλων, quaſi ventum ex Euro, & Aquilone conflatum, non εὐροκλύδων, id eſt, Eurum fluctuoſum; quamuis neutra vox vſitata inueniatur; tunc autem videtur fuiſſe nautica ad ſignificandum ventum procelloſum, ſiue ſpirantem inter Eurum & Aquilonem, ſiue mixtum ex Euro, & alio ſimili Aquilonari, talem excitantem in mari tempeſtatem, qualem Aquilo conſueuit, de quo propterea ſcripſit Maro [o].

Talia iactanti ſtridens Aquilone procella
Velum aduerſa ferit, fluctúſque ad ſydera tollit.

Et alibi [p]:

Quid mediis properas Aquilonibus ire per vndas?

Quare ventus huiuſmodi nauem intra certos fines non contorquebat; ſed rectà versùs occidentem pellebat impetu rapidiſſimo, qui nulla vi, aut arte nautica poterat cohiberi. *In Inſulam autem quandam decurrentes* (inquit S. Lucas [q]) *quæ vocatur Cauda, potuimus vix obtinere ſcapham: qua ſublata, adiutoriis vtebantur, accingentes nauem, timentes, ne in Syrtim inciderent, ſummiſſo vaſe ſic ferebantur. Valida autem nobis tempeſtate iactatis ſequenti die iactum fecerunt: & tertia die ſuis manibus armamenta nauis proiecerunt. Neque autem Sole, neque ſyderibus apparentibus per plures dies: & tempeſtate non exigua imminente, iam ablata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ.* Hactenus Lucas, qui horribilem hanc tempeſtatem ante oculos pluribus diebus

l Act. c. 28 v. 14.

m Plin. lib. 2. c. 48.

n Ariſt. lib. 3. Meteor. c. 1.

o Virg. 1. Æneid.

p lib. 4. Æneid.

q Act. c. 27. v. 17. 18.

diebus ſibi obſeruatam, nobis quoque ſatis accommodata narratione proponit. Quod verò de Inſula refert, quam Candam vocat, alij Claudam, vel Candam, alij Gaudos, aut aliter mutatis literis, vel tranſpoſitis, vt facilè contingit in huiuſmodi locorum nominibus, hodie *Gozo* vulgari lingua nominatur, & eſt parua quædam Inſula poſita in ſiniſtra & extrema parte occidentali Cretæ, contra montem Album ſpectans ad Meridiem. Prope hanc Inſulam celeri impetu dum nauis raperetur, ſcapham, id eſt, minorem nauiculam in tanta fluctuum agitatione vix poterant continere, qua vtebantur ad nauem maiorem iam propè fatiſcentem funibus circumligandam, & appenſis extrinſecùs ponderibus, aliiſve retinaculis, præcipuè anchoris, retardandam. Itaque meliùs hoc loco Beda, quàm alij quidam, rem intellexit, dicens [r]: *Funibus à medio latere nauis vtrinque circa eiuſdem anteriora demiſſis, anchoras his, quæ traherentur, adiunxerunt: ſicut & in noſtro, id eſt, Britannico mari, refrenandæ naui poſt tergum molaria ſaxa ſubiungere ſolent. Hæc enim ad retardandum nauigium faciebant; ne praepropero curſu in Syrtes inciderent, ſolo etiam auditu terribiles, quòd omnia ad ſe rapiant.* Alludit enim Beda ad etymologiam Syrtis dictæ à verbo σύρω, quod eſt, *traho*. Et quamuis Syrtes propriè dictæ naues ſuis vorticibus attrahentes & abſorbentes in eo mari non inuenirentur; tamen haud procul aberat Syrtis apud Homerum celebris Lothophagorũ [s], vt meritò timeri poſſet, ne vi tempeſtatis eò vſque abriperentur: ſicut non multò pòſt ad Inſulã Melitam delati ſunt: nec deerant ſcopuli, ad quos impingerent, & loca arenoſa nomine Syrtis interdũ ſignificata. Quare oportuit ſubmittere vas, τὸ σκεῦος, id eſt, antennã deponere, & vela contrahere, vt melius Chryſoſtomus, & Beda expoſuerunt, quàm alij, vaſa neſcio quæ intelligentes. Sed neque ſatis id fuit: nam die ſequenti iactum facere opus fuit, nempe, ſarcinarum, mercium, & omnium ſupellectilium, ad eos, qui vehebantur, pertinentium. Benè autem Lucas dixit [t]: *Iactum fecerunt*; non autem fecimus, cùm Paulus, & ipſe Lucas nihil veherent ſarcinarum, aut ſuperuacanei, quod proiicerent. Sed nihilominùs die tertia compulſi ſunt ad alia magis neceſſaria proiicienda manus apponere: quapropter armamenta nauis in mare propriis manibus nautæ proiecerunt, quibus in eo diſcrimine iam fruſtrà grauabantur, & nulla iam ſpe ſalutis, niſi in Paulo diuina reuelatione firmato remanente, propter ſummum animi mœrorem, de reficiendis cibo corporibus ampliùs non cogitabatur [u]. *Et cùm multa ieiunatio fuiſſet* (ait S. Lucas) *tunc ſtans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, ô viri, audito me, non tollere à Creta, lucrique facere iniuriam hanc & iacturam. Et nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe: amiſſio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquàm nauis. Aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius ſum ego, & cui deſeruio, dicens: Ne timeas, Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere; & ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum. Propter quod bono animo eſtote, viri: credo enim Deo: quia ſic erit, quemadmodũ dictum eſt mihi. In Inſulam autem quandam oportet nos deuenire. Vide* (inquit Chryſoſtomus [x]) *poſt tantam tempeſtatem, nec importunus, nec inſolens illis loquitur: ſed volens vt vel in poſterum credant: vnde & quæ facta erant, in teſtimonium adducit veritatis dicendorum, & plura prædicit, & quòd in Inſulam*

[r] Beda in c. 17. Act.

[s] Hom. Iliad. o. Strabo lib. 17.

[t] Act. c. 27. v. 18.

[u] Act. c. 27. v. 21. vſque ad 26.

[x] Chryſoſt. hom. 53. in Acta.

lam exeundum illis, & quòd nauis peritura: qui autem in illa ſaluandi ſint, id quod non erat coniecturæ, ſed prophetiæ, & quòd Cæſari ſubſiſtendus eſſet. Quod autem dixit: Donauit tibi Deus omnes. non erat arrogantiæ, ſed volentis adduci ad fidem, nauigationis ſocios; non vt ſibi gratias agant; ſed credant his, quæ ab ipſo dicebantur. Hæc S. Ioãnes Chryſoſtomus: in quam ſententiam præclarè quoque Arator Paulum inducit ſic loquentem [y]:

y Arator lib. 2. in Act.

O vtinam noſtris voluiſſet ſida iuuentus
Conſiliis parere priùs, ne littora Cretæ
Linqueret, inſani rabiem paſſura profundi:
Non pelagi, cœlique minas, non triſte tuliſſes
Iactura populantis onus, nec turbine tanto
Deſperata ſalus gemeret confinia mortis.
Quæ tamen humanum tranſcendunt gaudia votum,
Hoc facile eſt præſtare Deo. Nam miſſus ab aſtris
Angelus hoc placido veniens denunciat ore:
Quam turbam vehit iſta ratis, tibi rector Olympi
Contulit, vt nullis figatur naufraga ſaxis.
Inſula portus erit, cuius ſtatione licebit
Arrepta tellure frui, nauiſque ſolutæ
Proſpectare grauem nullo diſcrimine caſum.

Sed, quis hoc loco diſſimulet, aut ferat ſummam Caluini procacitatẽ, qui in ſuo ſuper hanc Lucæ narrationem peſtilenti Commentario, capta vtcunque occaſione, Catholicos acerbiſſimè inſectatur, propterea quòd hinc merita Sanctorum, interceſſionem, & inuocationem eorum tueantur; & nos ſuperſtitioſos vocat, ſtultos, atque præpoſteros, qui quod hîc de vno Paulo adhuc viuente dicitur, ad tot mortuos transferamus. Neque propter Pauli merita, vel interceſſionem vult eos, quí cum ipſo nauigabant, à periculo diuinitùs ereptos; ſed tantummodò ad Pauli præſentiam placuiſſe Deo illos à morte liberare. Quaſi verò non plus ſit ad ſolam Apoſtoli præſentiam, ipſo nõ poſtulante, Deum tanto dono illum honoraſſe, quàm ſi donari ſibi precibus interpoſitis flagitaſſet. Et tamen Lucas ait, imò Angelus legatus à Deo miſſus Paulo dixit [z]: *Ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum*; hoc eſt, inquit Chryſoſtomus [a], *digni quidem erant, qui perirẽt, quoniam inobedientes tibi fuerunt; veruntamen in tui gratiam hoc fit.* Sed quis etiam ſanæ mentis poterit dubitare, Paulum in tanto diſcrimine cõſtitutum, quando etiã homines perditiſſimi cõuertuntur ad preces; vnde prouerbio dicitur: Qui non nouit orare, vt diſcat, intret mare. à precibus Deo fundendis abſtinuiſſe? Certè erant idololatræ illi, qui cum Iona in Tharſis nauigabant: & tamen coorta in mari ſæua tempeſtate, ait diuina Scriptura [b]: *Clamauerunt viri ad Deum ſuum: & cùm interim Ionas dormiret, acceſſit ad eum gubernator, & dixit ei: Quid tu ſopore deprimeris? ſurge, inuoca Deum tuum.* At modò Paulus profectò nõ dormiebat: quòd ſi Caluinus dicat, non fuiſſe, cur pro ſe oraret Apoſtolus, certus ex Dei reuelatione, ſe Romam ad Cæſarem peruenturũ; hoc magis contra ipſum facit: quia Paulus minùs de ſe ſollicitus tantò magis potuit pro aliorum ſalute ſupplicare. Vnde, quod addit Hæreticus exprobrans nobis ſtultitiam: quia de Paulo hîc dicta nobiſ-

z Act. c. 27. v. 24.
a Chryſoſt. hom. 53. in Acta.
b Ionæ c. 1. v. 5. & 6.

cũ viuente,ad mortuos id eſt, Sãctos cum Chriſto regnãtes transferimus, arguit extremam hæreticæ mentis peruerſitatem, exiſtimantis Sanctos in alia vita, vel minùs habere charitatis, vel minùs ſcire, aut minùs apud Deum valere ad intercedendum pro nobis, quàm dum inter huius vitæ ſollicitudines mortali corpore grauatẽtur. Quod nihil eſt aliud, quàm, vt ſolenne Caluino eſt, de rebus alterius vitæ, tanquam de ſomniis philoſophari. Benè itaque S. Hieronymus hac ipſa de re agens contra Hæreticum Vigilantium, quem meliùs Dormitantium ait appellandum [c]: *Si (inquit) Apoſtoli, & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti; quantò magis poſt coronas, & triumphos?* Et vrgens argumentum ex hoc ipſo Actorũ teſtimonio idem S. Doctor ſic ait: *Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuagintaſex ſibi dicit in naui animas condonatas, & poſtquàm reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt, & pro iis, qui in toto orbe ad ſuum Euangelium crediderunt, mutire non poterit?* Simili ratione argumẽtatur Chryſoſtomus [d]: *Si enim (inquit) cùm hîc eſſet Paulus, vſque adeò diligebat homines, vt cùm diſſolui, & cum Chriſto eſſe cuperet, elegerit tamen hîc eſſe; multò magis illic feruentiorem charitatem oſtendet.*

Sed multam Pauli charitatem in aperto naufragij periculo pergit Lucas exponere, dicens [e]: *Poſteaquàm quartadecima nox ſuperuenit, nauigantibus nobis in Adria, circa mediam noctem, ſuſpicabantur nautæ apparere aliquam regionem. Qui & ſubmittentes bolidem,* (funiculum, videlicet, plumbum habens alligatum ad explorandam aquæ profunditatem,) *inuenerunt paſſus viginti: & puſillum inde ſeparati inuenerunt paſſus quindecim. Timentes autem ne in aſpera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri.* Tor anchoras, quot fortè apud ſe inueniebant, iecerunt; quia nauis erat ingentis magnitudinis, impetus tempeſtatis maximus, nox obſcuriſſima, & lucem ibi præſtolari voluiſſent, ne in Syrtes, ſaxa, vel ignota littora ab Adria, in qua iactari ſe tunc aduerterant, raperentur. Quod verò aliqui vocare in dubium voluerunt, an per Adriam hîc Lucas Adriaticum mare ſignificauerit, atque adeò per Melitam, ad quam paulò pòſt omnes naufragi enatarunt, intellexerit Inſulam Melitenſem, vulgò Maltam appellatam, in Siculo mari conſtitutam, id ſine vlla probabili ratione contenderunt. Nam, etiamſi Ptolomæus [f] mare Adriaticum diſtinguat à ſinu Adriatico; ipſum tamen Adriaticum mare latiſſimè patere apertè docet: ita vt ab Oriente alluat Peloponneſum, ab Occidente vltra Melitam, Siciliam, & extrema Italiæ, atque adeò mare Siculum tanquam ſui partem includat. Vnde S. Lucas in Actorum capite ſequenti [g], poſt longam in inſula Melita ſtationem, refert ipſorum nauem appulſam primùm Syracuſas, quam nemo neſcit eſſe Siciliæ maritimam ciuitatem, in prima orientalis partis Trinacriæ fronte conſtitutam. Quare S. Hieronymus in vita S. Hilarionis, eius de ſcribens nauigationem ad Inſulam Siciliæ, ait, ex Parætonio maritima Lybiæ ciuitate in medio fermè Adriæ, hoc eſt, mari Adriatico fuiſſe tendendo Pachinum verſùs, notum Siciliæ promontorium. Quæ omnia magis ex dicendis ſequenti capite confirmabuntur. Ad cumulum verò miſeriarum illa obſcura,

[c] S. Hieron. contra Vigilantium.

[d] Chryſoſt. hom. 32. in ep. ad Rom.

[e] Act. c. 27. v. 27. 28. 29.

[f] Ptolem. in tab 7. Europæ: vide etiã tab. 10. & Ortelium in theſauro Geograph. v. Adriaticus ſinus. Philipp. Clauerius lib. 2. Sicilia antiqua, c. 16. & Fuſius lib 4. Italiæ antiquæ, c. vlt.

[g] Act. c. 28. v. 12.

obſcura, & pericuioſiſſima nocte, nautæ proditores fugam, ſubrepta ſcapha, meditabantur; nempe, vt ſuæ ſaluti quomodocunque conſulerent, ad vicinam, quam ſuſpicabantur, terram deuenturi, nihil veriti reliquos omnes in aperto diſcrimine deſtituere. Rem ita Lucas narrat [h]: *Nautis verò quærentibus fugere de naui, cùm miſiſſent ſcapham in mare ſub obtentu* (id eſt, falſo prætextu) *quaſi inciperent à prora anchoras extendere, veluti ad littus nauem alligaturi, dixit Paulus Centurioni, & militibus: Niſi hi in naui manſerint, vos ſalui fieri non poteſtis. Tunc abſciderunt milites funes ſcaphæ, & paſſi ſunt eam excidere.* Iam enim incipiebant ſeriò fidem Paulo præſtare, ac ideò ne ipſi perirent à nautis deſtituti, nauiculam, quæ nautis erat occaſio fugæ, perire patiuntur. *Et cùm lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes ſumere cibum, dicens: Quartadecima die hodie expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes,* id eſt, ferè nihil comedentes ob ſummum mœrorem, & continuam vitæ ſeruandæ à magis vrgenti diſcrimine ſollicitudinem. *Propter quod rogo vos accipere cibum, pro ſalute veſtra: quia nullius veſtrûm capillus de capite peribit. Et cùm hæc dixiſſet, ſumens panem gratias egit Deo in conſpectu omnium: & cùm fregiſſet, cœpit manducare. Animæquiores autem facti & ipſi ſumpſerunt cibum. Eramus autem vniuerſæ animæ in naui ducentæ ſeptuaginta ſex* [i], *& ſatiati cibo alleuiabant nauem iactantes triticum in mare.* Hæc Lucas, qui quod in vulgata interpretatione legimus de Paulo dictum [k]: *Sumens panem gratias egit, & cùm fregiſſet,* &c. quia Græcè habet, εὐχαρίστησε, καὶ κλάσας, ſicut habent Paulus [k], & alij Euangeliſtæ, vbi de conſecratione Euchariſtiæ loquuntur, occaſionem præbuit aliquibus [l] ſuſpicādi, Paulum hîc non vulgarem panem, ſed euchariſticū tunc à ſe conſecratū diſtribuiſſe. Sed, quis hoc ſibi poterit perſuadere de pane tot infidelibus diſtributo? Et quidem (vt ait S. Lucas) ad ſatietatem, & ad explēdam famem dierum quatuordecim, in quibus ferè nihil guſtātes, viribus deſtituebantur. Quare melius alij cū Hieronymo [m], Chryſoſtomo, & Beda communiter, de vulgari pane dictum interpretantur: nā, etiamſi pro ſe, ſuiſque fidelibus ſociis Apoſtolus Euchariſtiā cōſecrare potuiſſet; tamē id in naui fieri non expediebat, & præſertim in conſpectu tot infidelium, qui licèt Paulo iā credere incipiebant, nondum tamen erant catechumeni, quos etiam conſtat arceri à conſpectu huius ſacrificij conſueuiſſe ex antiquo Eccleſiæ inſtituto, eodémque vetitum, ne in naui hoc Sacramentum conficiatur: id enim ſine Miſſæ celebratione fieri non poteſt, nec Miſſa ſine calicis cōſecratione, cuius effuſionis inter nauigandum non leue imminet periculum. Communibus itaque cibariis omnes ſunt refecti, quibus eos non caruiſſe magna illa copia tritici ſatis arguit, quam ad nauem exonerandam per noctem in mare proiecerunt. *Cùm autem dies factus eſſet,* ait S. Lucas [n], *terram non agnoſcebant: ſinum verò quendam conſiderabant habentem littus, in quem cogitabant, ſi poſſent, eiicere nauem; & cùm anchoras ſuſtuliſſent, committebant ſe mari, ſimul laxantes iuncturas gubernaculorum,* nempe, vt poſſent expeditiùs vti gubernaculis, ſeu clauo nauis ad eius impetum, quò vellent, dirigendum: *Et leuato artemone, ſecundùm auræ flatum, tendebant ad littus.* Artemonem aliqui interpretantur trochleam, quæ hîc ad rē nihil facit: alij antennam: alij velum maius: alij multò ſimiliùs vero,

h Act. c. 27. v. 30. vſque ad 38.

i Act. c. 27. v. 35

k 1. Cor. c. 11. v. 24. Mat. c. 26 v. 26 Mar. c. 14 v. 23 Luce c. 22. v. 17

l Auctor Operis imperf. in Matth. hom. 17.

m S. Hieron. cōtra Iouin. lib. 2. Chryſoſt. 53. in Acta. Beda in c. 27. Act.

n Act. c. 27. v. 39. 40.

vero, velum minus, quod maiori velo ſolet adiungi, *& magis directioni, quàm celeritati nauis eſt accommodatum*, ait Beda: præſertim cùm ad portum in periculoſa tempeſtate nauis appellitur [o]. *Et cùm incidiſſemus in locum dithalaſſum, impegerunt nauem: & prora quidem fixa manebat immobilis; puppis verò ſoluebatur vi maris.* Locum dithalaſſum Latinè bimarē diceremus, littus intra mare ſe porrigens eodem mari bipartito hinc inde circundatum, quod hodie prope Melitam Inſulam nauigantibus apparet, dictū ex appulſu huius nauis, S. Pauli deſcenſus, & Italica lingua, *La cala di S. Paolo*, habétque ſacram ædiculam ad huius rei memoriam ſuperædificatam [p]: *Militum autem conſilium fuit, vt cuſtodias occiderent*, id eſt, vinctos, qui cuſtodiebantur ad Cæſarem adducendi, *ne quis eorum, cùm enataſſet, effugeret: Centurio autem volens ſeruare Paulum, prohibuit fieri, iuſsitque eos, qui poſſent natare, emittere ſe primos, & euadere, & ad terram exire & cæteros alios in tabulis ferebant: quoſdam ſuper ea, quæ de naui erant. Et ſic factum eſt, vt omnes animæ euaderent ad terram.* Hucuſque in Actis S. Lucas. Conſilium militum de vinctis interficiendis, Diabolo inſtigante fuiſſe conceptum, benè Chryſoſtomus [q] obſeruauit, vt ſi Paulum perdere Dæmones non poſſent, ſaltem eius prædictionem, quòd omnes ſaluarentur, nec vllius de capite capillus eſſet periturus, vanam redderēt. Porrò, quòd iuſſit Centurio, nauis cōpagibus ſenſim reſolutis, primos ex illa exire, qui poſſent ad littus propinquum enatare, id potiſſimùm de militibus Romanis eſt intelligendum, qui omnes tenebantur natandi artem didiciſſe, vt ea ratione præuenientes armati littus cuſtodirent, ne aliquis ex vinctis elaberetur, dum tam multi variis modis, alij per ſe nando, alij in tabulis, aut per trabes fractæ nauis ad terram capeſſendam feſtinarent. Quod totum voluit Deus à S. Luca deſcriberetur, vt veriſſimā fuiſſe Pauli prophetiam agnoſceremus, qua prædixerat, nullum ex tanto numero, nempe, ducentorum ſeptuagintaſex, deſiderandum; ſed nauem tantummodò perituram, omnéſque poſt naufragium peruenturos ad quandam Inſulam, de qua eſt agendum fuſiùs capite ſequenti.

o *ibid. v. 41.*

p *ibid. v. 42. 43. 44.*

q *Chryſ. hom. 53. in Acta.*

CAPVT X.

Ad Inſulam Melitam naufragi deueniunt, vbi morantur tribus menſibus, & Paulus multa miracula ibidem operatur.

CVm Paulus naufragium ſequuturum certò prænunciaſſet, & neminem inde periturum, reuelante id ſibi Angelo, ſiue ſuo cuſtode, vt aliqui coniiciunt, ſiue alio à Deo miſſo: *Credo Deo*, (dicebat [a]:) *quia ſic erit, quemadmodum dictum eſt mihi. In Inſulam autem quandam oportet nos deuenire.* Sed, quænam eſſet hæc Inſula, non expreſſit: ideò ſic de illa S. Lucas narrare proſequitur [b]. *Et cùm euaſiſſemus, tunc cognouimus, quia Melita Inſula vocabatur.* Hic, præter ea, quæ ſuperiori capite sūt dicta, cùm de Adria fuit agendum, occurrit circa hanc Inſulam antiqua quorundam controuerſia, à nōnullis recentioribus renouata, ſitne Melita hæc Pauli naufragio nobilis, verè Inſula illa celebris prope Siciliam, quā vulgò Maltam dicunt, equitibus S. Ioannis, dictis Melitenſibus, dono datam ab Imperatore Carolo V. poſt Rhodum à Turcis occupatā; an potiùs, qu[i] iſti contēdunt, alia quædam Inſula etiam

a *Act. 27. v. 25.*

b *Act. 28. v. 1.*

Melita dicta in ſinu Adriatico ad Illyricum in conſpectu Epidauri; ſiue, vt nunc vocatur, Raguſij oppidi ſita, vbi Religioſorum eſt quoddam Cœnobium, hanc ſibi gloriam hoc tempore arrogantium, pro quibus illa videntur fieri poſſe argumenta: Primum ex S. Luca, qui in Adria dicit hoc naufragium circa Inſulam Melitam accidiſſe, hoc eſt, in mari Adriatico, quod propriè ſinus dicitur Adriaticus, & vulgò, *Mare di Venetia.* In hoc autem ſinu Inſula Melita nō alia inuenitur, quàm prædicta in conſpectu Epidauri ad Illyricum. Deinde, quia S. Lucas incola illius Inſulæ Melitæ, ad quam S. Paulus è naufragio peruenit, Barbaros appellat: conſtat autem incolas Melitæ, quæ eſt in mari Siculo iam inde à Græcorum in Siciliam traiectu, Græcos fuiſſe, atque adeò non hos barbaros, ſed eos dici debuiſſe, qui alteram Melitam apud Illyricum, ſiue Dalmaticum littus habitabant. Accedit illuſtre teſtimonium Conſtantini Porphyrogeniti Imperatoris, qui in libro Græcè ſcripto de adminiſtrando imperio, ad Romanum filium, capite trigeſimoſexto, agens de Inſulis Illyrici littoris, habet hæc verba: *Alia magna eſt Inſula, quæ Meleta,* Μελέτα, *vocatur, cuius in Actis Apoſtolorum meminit S. Lucas, Melitam eam nominans, vbi & vipera S. Pauli digitum mordens, ab eo excuſſa, igni concremata eſt.* Præterea, mirum videri dicunt, Lucam, qui tam exactè moram trium menſium in ea Inſula deſcribit, nihil de vrbe primaria eodem nomine Melita ibi dicta, nihil de duobus famoſis templis, vnum Herculi, alterum Iunoni dicatum, quod ibidem celebrabatur, indicaſſe, quaſi toto illo tempore in agris tam multi hoſpites hyemantes manſiſſent: nihil de ſpelunca, ſiue crypta, quam hodie Melitenſes, S. Pauli appellant, & volunt in ea vinctum, tanquam in carcere, Apoſtolum eo tempore fuiſſe. Denique, quod dicunt extrahi ex ea ſpelunca terram, qua parentur antidota contra venenum, totámque Inſulam ab Apoſtolo, vbi eum vipera momordiſſet, priuilegium obtinuiſſe, ne in poſterum animalia venenata ibi naſcantur, aut allata nihil noceant, hoc videri potiùs aduentum S. Pauli ad eam Inſulam reddere incertum: ſunt enim aliæ Inſulæ & regiones eodem gaudentes priuilegio; ad quas tamen nemo propterea hunc Apoſtolum veniſſe confinxit. Simile nanque de Sardinia tradit Solinus[c]: & de Gados, quæ inſula eſt non procul à Melita, Plinius[d]: *Cuius terra* (inquit) *ſcorpionem dirum Africæ animal necat:* eandémque naturalem contra venena virtutem Hybernico ſolo adſcripſit Beda in primo libro Hiſtoriæ Anglorum, capite primo. Similia quoque alij de aliis regionibus tradiderunt.

[c] *Solin. c. 5.* [d] *Plin. lib. 5. c. 7.*

Sed hæc omnia nihil prorſus mouere nos debent à veritate tot ſæculis probatiſſima, continuata ſemper traditione receptiſſima, tot perantiquis monumentis in ea Inſula confirmata; &, quod caput eſt, ex ipſo contextu S. Lucæ ferè digito demonſtrata. Ait enim Lucas, nauem, qua ipſe cum Paulo vehebatur, ab orientali vento, ſeu medio inter Orientem, & Septentrionem, quem propterea Euroaquilonem vocat, fuiſſe in hanc Inſulam delatam; nempe, versùs Occidentem, per quam lineam in mari Siculo Melita occurrit occidentalis: nullo verò modo altera Melita introrſum ad ſeptentrionem clauſa ſinu Adriatico; ad quam etiamſi (quod fieri flante tali vento non potuit) caſu incredibili peruenitſet, eſt illa Inſula

tam

tam prope continentem poſita, vt nullo modo appareat veriſimile, voluiſſe Centurionem cum tam multis per menſes tres in loco adeò inculto, & incommodo hyemare potiùs, quàm in vicino celebri portu Epidauri, vel in alia parte littoris Illyrici continentis. Deinde, quanam ratione ex Dalmatico illo mari ad Siculum nauis Alexandrina delata eſt, vt, ſicut ait S. Lucas [c], veniret Syracuſas? niſi rurſus aduerſo aliquo vento, de quo nihil indicat ſacer Hiſtoricus, reiecta fuiſſet? Præterea, quorſum in eo ſinu, & in ea Dalmatiæ Inſula nauis illa Alexandrina frumento onerata, qua poſteà vſque Puteolos nauigarunt? nam in alia Melita Siculi, & Africi maris per mediterraneum aduenìſſe, vel eadem tempeſtate iactatam anteà fuiſſe facilè credi poteſt. Quid quòd ab Illyrica Melita retrocedentes, vt ad fretum Siculum iterum deuenirent, longum Italiæ tractum, & oppida plurima circumlegere debuiſſent; nempe, Brunduſium, Hydruntum, & traiecto ſinu Tarentino, Crotonem, Scylacium, Locros, Herculis promontorium, Leucopetram; de quibus nihil indicat S. Lucas; cùm tamen aliorum locorum, quæ priùs per varia littora Cretæ, Ciliciæ, Pamphyliæ, Cypri, Syriæ adnauigauerant, exactam faciat mentionem Nec vlla erat neceſſitas, ſed maximum incommodum, vt inde venirent vſque Syracuſas: quoniam tractu multò breuiori Puteolos, quò tendebant, ire commodiſſimè potuiſſent. At ex Melita Siculi maris, vt Puteolos, ſicut fecerunt, appellerent, rectiſſimo curſu nauigare Syracuſas debuerunt. Denique nullum prorſus veſtigium huius Pauli acceſſus ad Melitam Dalmatiæ in ea Inſula reperiuntur cùm tamen in altera, de qua nunc agimus, in primis occurrat locus ille, quem Lucas appellat [f] Dithalaſſum, & hodie, *la Cala*, ſiue deſcenſus S. Pauli nominatur, tractus, videlicet, eleuatæ in mari, & in longum protenſæ telluris, Orientem versùs, hinc inde aquis circundatæ, cum ſacra ædicula in memoriam & honorem S. Pauli conſtructa, in quem locum nauis eius impegerat, & diſſoluta eſt. Nec procul fons apparet aquæ dulcis, quem dicunt, Apoſtolo è naui eiecto, & littus virga percutiente, diuino miraculo erupiſſe, ad naufragos refocillandos. Non longè templum eſt ædificatum S. Ioannis, vbi traditio eſt ab eodem Apoſtolo Paulo naufragos fuiſſe baptizatos. Iam verò in ipſa Inſula præcipuum templum, & perantiquum vrbis Melitæ cathedrale S. Paulo eſt dicatum: totaque Inſula huic Apoſtolo à tempore immemorabili ſingulariter eſt deuota. Oſtenduntur ibidem & cryptæ, ſeu ſpelunca, in qua S. Paulus aliquandiu manſiſſe perhibetur: vnde terra & lapilli extrahuntur ad antidota contra venenum, morſus canum rabidorum, morbóſque lethales. Ibi primam Eccleſiam fuiſſe conſtructam, traditio eſt, addita B. Virginis imagine à S. Luca depicta, dum ibi cū Paulo per tres mēſes moraretur. Eſt & Pagus Nazar vocatus, cuius incolæ gloriantur, antiquiores ſe eſſe Melitæ Chriſtianos à S. Paulo ad fidem inductos. Nō procul verò à ſacra ſpelunca cernitur hodie ſupra columnā erecta ſacra Crux, ex quo loco Apoſtolus incolis prædicaſſe dicitur, audientibus etiam, qui erant in proxima Inſula Gaulo, & ad fidem ac Baptiſmum accurrentibus. Sunt & prædia Principis, vbi triduo

 Paulus

c *Act.* c. 28. v. 12.

f *Act.* c. 27. v. 4.

Paulus cum comitibus honorificè exceptus fuiſſe refertur à S. Luca, & vſque ad hoc tempus dicuntur illa prædia regij iuris, vt erant ſub illo Publio Dynaſta, de quo plura inferiùs ſunt exponenda.

Quæ cùm ita ſint, obiecta ſuperiùs in contrarium nõ ſunt magnifacienda: nam, quod opponebatur, ex Lucæ teſtimonio conſtare, naufragium hoc S. Pauli in Adriatico mari contigiſſe, igitur prope Melitam Dalmatiæ in ſinu Adriatico: iam oſtendimus in capite præcedenti iuxta optimos Auctores Adriaticum ſinum non adeò latè patere, ſicut mare Adriaticum, ſiue Adriam, vt S. Lucas appellauit, & ab Oriente alluere Peloponneſum, ab Occidente extrema Italiæ, atque adeò veluti quaſdam ſui partes includere Adriaticum ſinum, & fretum Siculum, ſiue Afrum, à vicina Africa ſic dictum, & Lybicum, vbi Melita, prope quam eſt altera Inſula Coſyra vocata: vnde Ouidius [g]:

g *Ouid. 3 Faſtorum.*

Fertilis eſt Melite, ſterili vicina Coſyræ,
Inſula, quam Lybici verberat vnda maris.

Diſtat autem ab Inſula Siciliæ Melita æquali ferè interuallo, atque à littoribus Africæ minoris; nempe (vt aliqui computant) milliaribus ſexaginta; quamuis alij centum numerẽt. Habet Inſula in longitudine viginti & ampliùs milliaria, duodecim ad ſummum in latitudine, in circuitu fermè ſexaginta. Nec eſt alia Inſula in Adriatico tam procul poſita à continente, de quo propterea dixit M. Tullius [h]: *Inſula eſt Melita ſatis lato ab Sicilia mari, perículoſoque diſiuncta.* Quapropter mirum non eſt, fuiſſe Paulum, totámque illam multitudinem coactos expectare ibi, donec hyemarent: nec enim, niſi opportuno ad nauigandum tempore potuiſſent reliquo mari ſe committere, atque inde in Siciliam venire. Cùm tamen altera Melita Illyrici littoris adeò cõtinenti ſit propinqua, vt ibi tãdiu expectare operæpretium minimè fuerit.

h *Cic. Verr. 4.*

Quod autem ſecundo loco obiiciebatur, incolas Inſulæ Melitæ à S. Luca barbaros appellatos, & proptereà non potuiſſe hanc, quam Græci tunc incolebant, Inſulam ſignificaſſe; ſed potiùs alteram in Dalmatia, facilè etiam refellitur. Nam, quamuis tempore S. Pauli Melitam, & Siciliam multi Græcorum inhabitabant; aliquos tamen barbaros, ſaltem in agris fuiſſe reſiduos credendum eſt, eóſque Pœnos, vt aliqui [i] benè coniiciunt, vel primo bello Punico relictos, vel pace inter Romanos, & Carthaginenſes firmata regreſſos: nam etiam in Sicilia vſque ad poſteriora tempora aliqui Pœnorum manſerunt: vt proptereà Apuleius Siculos trilingues appellauerit, id eſt, Sicula, Græca, & Punica lingua loquentes. Vnde aliqui arbitrantur idioma, quo vulgo vtuntur hoc tempore Melitenſes, eſſe quodammodo Punicum; ſed verius eſt magis Arabicum eſſe; nempe, corruptum ab Arabibus, qui Inſulam illam cum Sicilia occupauerant, & illis ſe habitatoribus immiſcuerant.

i *Philipp. Cluuer. libr. 2. Sicilia, c. 16.*

Teſtimonium Imperatoris Conſtantini Porphyrogeniti, quamuis de cætero non ſpernendum; in illo tamen additamento, quo Melitam S. Pauli cum altera Melita Dalmatiæ confundit, recipi non poteſt: ſed neceſſe eſt dicere, fuiſſe ab aliquo falſa referente Imperatorem deceptum. Neque id mirum videri debet, cùm ipſe longè abeſſet, vixerítque ſemper in Oriente, nec ſine aliqua oſcitantia in rebus publicis adminiſtrandis, & vino deditus, vt de illo tradit Curopalates. Sed & ipſemet Imperator

cùm

cùm ait, Meletam vocari, quæ eſt in Illyrico: illam verò à Luca commemoratam Melitam dici, ſuum ipſum infirmat, vel ſuſpectum reddit teſtimonium, cui aliud antiquius licet opponere; nempe, inſignis Poëtæ Aratoris S. R. Eccleſiæ Cardinalis, qui circa annum Domini quingenteſimum quadrageſimumquartum, Actus Apoſtolorum libris duobus Heroïco verſu complexus eſt, & coram Vigilio Romano Pontifice, multíſque Epiſcopis, ac doctiſſimis viris in templo S. Petri ad vincula, totum ſuum poëma tanta omnium approbatione recitauit, vt pluribus vicibus vterque liber fuerit repetendus. Hic igitur in libro ſecundo de hoc Apoſtoli naufragio circa Inſulam Melitam in mari Siculo poſitã, ſic habet:

His dictis ruit ira maris, ſublatáque dudum
Lux reuocata micat, velamine noctis aperto
Pandere viſa ſolum, quæ præbuit hoſpita nautis
Sicanio lateri remis vicina Melite.

Porrò nihil opus fuit à Luca fieri mentionem de templo Herculis, aut Iunonis in ea Inſula celebris apud Gentiles; cùm neque in aliis vrbibus erecta multa huiuſmodi templa idolorum, etiamſi famoſa tunc haberentur, à S. Luca recenſeantur, niſi templum Dianæ Epheſiæ, propter ea, quæ circa illud Epheſi Paulo contigerunt. De priuilegio verò diuinitùs ab Apoſtolo impetrato Melitenſi ſolo contra venena, ex verbis Lucæ meliùs cognoſcemus: ſic enim ipſe ait [k]: *Barbari verò præſtabant, non modicam humanitatem nobis. Accenſa enim pyra, reficiebant nos omnes propter imbrem, qui imminebat, & frigus. Cùm congregaſſet autem Paulus ſarmentorum aliquantam multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem, vipera à calore cùm proceſſiſſet, inuaſit manum eius. Vt verò viderunt barbari pendentem beſtiam de manu eius, ad inuicem dicebant: Vtique homicida eſt homo hic, qui, cùm euaſerit de mari, vltio non ſinit eum viuere. Et ille quidem excutiens beſtiam in ignem, nihil mali paſſus eſt. At illi exiſtimabant, eum in tumorem conuertendum, & ſubitò caſurum, & mori. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, conuertentes ſe dicebant, eum eſſe Deum.*

k *Act. c. 28. v. 1. vſque ad 6.*

Circa fideliſſimam hanc Lucæ narrationẽ obſeruare primùm conuenit, eos homines, in quos naufragi primùm inciderunt, non ad vllam contumeliam barbaros appellatos; ſed potiùs ad aliquam commendationem, quòd idololatræ agreſtes, & ruſticani tam humaniter erga ignotos, & in magno numero è mari emergentes ſe geſſerint, multam commiſerationem eis oſtenderint, & videntes Paulum duci vinctum, ac proinde quaſi reum magni criminis exiſtimantes, afflictum prætereà miſerabili naufragio, & poſtremò nunc à vipera mortifero morſu inſectatum, ad iudicium diuinum huiuſmodi infortunia retulerunt, dicentes: *Vltio diuina non ſinit eum viuere. Vide* (inquit Chryſoſtomus [l]) *naturæ iudicium etiam apud barbaros incorruptum: multis Philoſophis ſapientiores fuerunt barbari illi, qui ea, quæ ſub Luna ſunt, extra prouidentiam ponunt: illi autem putant, vbique adeſſe Deum: & licet quis ſæpè effugiat; non tamen effugere omninò poteſt.* Ita de his barbaris Chryſoſtomus; qui tamen aduertentes poſteà ſe multùm deceptos, meliùs diuinam virtutem & protectionem agnouerunt, qua Paulus à

l *Chryſoſt. hom. 54. in Acta.*

viperæ veneno præſẽtiſſimo, nõ ſine aperto miraculo nihil eſt paſſus. Itaq; ſtatim ſententiam mutarunt, & Paulum tanquam aliquod Numen inceperunt reuereri: quos à tanto proximus errore ab Apoſtolo liberatos non eſt dubitandum: non enim tam proueniebat erratum à malitia, quam à ſimplicitate ſuperſtitioſæ gẽtilitatis, ſicut olim gentiles in Lycaonia Paulum, & Barnabã miracula operantes, Deos eſſe proclamabãt [m]: vnde Paulus ſumpta, zelo ardentiſſimo, commoda occaſione, Deum verũ cœli & terræ conditorẽ eis annũciauit: idẽmque modò his paganis Melitenſibus ab eo præſtitũ exiſtimare debemus, qui ſi de igne ſarmentis ſuccẽdendo ad vile miniſteriũ pro maxima erga omnes charitate adeò fuit ſollicitus, quid eũ putabimus omiſiſſe ad lumen fidei, & diuinũ amorẽ omniũ animis, quantùm fieri poterat, accẽdendum? *Vide* (inquit Chryſoſtomus [n]) *illum operantem, vide miracula facientem; ſed nunquam temerè. Et cùm tempeſtas oriretur, non ſine cauſa prophetizabat. Et hic ſarmenta imponit, ignarus omnis faſtus, vt ita per omnia ſeruet omnes.* Repetit autem aliquoties Chryſoſtomus, Paulum à veneno mordẽtis viperæ non fuiſſe læſum, magnũ miraculum extitiſſe: quod benè illi ipſi barbari agnouerunt, *qui exiſtimabant* (inquit S. Lucas) *eum in tumorem conuertendum, & ſubitò caſurum, & mori.* Quomodo igitur audent aliqui virtuti naturali illius terræ Melitenſis adſcribere, quòd ibi non noceant, nec naſcantur animalia venenata? & ante aduentum S. Pauli eam Inſulam tale priuilegium habuiſſe? An hoc ignorare incolæ illius terræ potuerunt? præſertim agricolæ, qui quotidiana experientia de huiuſmodi rebus edocentur. Quòd ſi nouiſſent, ibi venena nihil nocere, cur interitũ Apoſtoli repentinum tam certò expectaſſent? eòque contra omnẽ expectationem nõ ſequuto, cur tam ſubitò mutata ſententia, quẽ pro aliquo ſceleſto priùs habuerant, poſteà tanquam diuinum hominem, imò veluti quendã terreſtrẽ Deum ſuſpexiſſent? Sed & ipſe Lucas, qui interfuit, ſine dubio rem hanc ideò tã diligenter expoſuit, vt eſſe opus diuinæ virtutis miraculorũ in Paulo operatricis, non ſoli Melitenſis naturalem qualitatẽ, agnoſceremus. Quod ſignificare videtur voluiſſe Tertullianus, cùm in libro, quem Scorpiacũ inſcripſit [p], expendens illam Chriſti Domini traditam diſcipulis ſuis poteſtatem [q]: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & nihil vobis nocebit. Hoc* (inquit) *modo etiam ethnicis ſæpe ſubuenimus, donati à Deo ea poteſtate, quã Apoſtolus dedicauit, cùm morſum viperæ ſpreuit.*

Sed iam ad alia miracula tranſeamus ab eodem Luca narrata, qui, ne aliquis exiſtimaret, ſimplicium tantùm & ruſticanorum hominum tale fuiſſe de virtutibus Pauli iudicium, ſtatim adiungit, qualem Princeps illius Inſulæ cum omnibus aliis de Apoſtolo conceperint opinionem, dicens [r]: *In locis autem illis erant prædia Principis Inſulæ, nomine Publij, qui nos ſuſcipiens, triduo benignè exhibuit. Contigit autem, patrem Publij febribus, & dyſenteria vexatum iacere: ad quem Paulus intrauit: & cùm oraſſet, & impoſuiſſet ei manum, ſanauit eum. Quo facto, omnes, qui in ea Inſula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur: qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, & nauigantibus impoſuerunt, quæ neceſſaria erant.* Quis autẽ fuerit ille Publius, Inſulæ Princeps, non eſt omninò certum. Et quidem abſolutus Dominus eſſe nõ potuit, veluti Dux aliquis aut Inſulæ Regulus,

[m] Act. c. 14. v. 10.

[n] Chryſoſt. hom. 54. in Acta.

[p] Tertul. in Scorp. c. 1.

[q] Luca c. 10. v. 19.

[r] Act. c. 28. v. 7.

Regulus, qualis olim antiquis Græcorum temporibus dicitur extitiſſe quidam nomine Battus ibi regnans, à quo Dido, & ſoror eius Anna humaniter ſunt exceptæ: nam hoc tempore, ſicut Sicilia, ita Melita erat ſub dominio Romanorum, & per Siciliæ Prætorem gubernabatur. Quare debuit hic Publius eſſe fortaſſis Vicarius Prætoris; &, vt Latinum Publij nomen indicat, homo Romanus, qui à Luca dictus eſt, πρῶτος, id eſt, primus in illa Inſula, in qua, vt aliqui obſeruarunt, etiam hodie inuenitur inſcriptũ antiquo ſepulcro marmoreo, Græcis characteribus: *L. Ca. Filius, Eques Romanorum, πρῶτος Melitenſium.* quaſi ille eſſet proprius titulus Gubernatoris Inſulæ. Sed alij malũt fuiſſe virum primarium valdè diuitem, cuius ædes hodie dicuntur cunuerſæ in eam S. Pauli Eccleſiam, quæ in vrbe Melita prima eſt, & prope illius prædia Principis, quæ hodie, *Benuerrat*, dicuntur, non procul à ſinu, vbi accidit naufragiũ. Ex quibus maximè cõfirmatur veritas anteà ſatis demonſtrata de hac Melita longè alia ab illa, quæ eſt in Illyrico: vt omittamus aliam adhuc remotiorẽ prope Ægyptum, Melitam ſimiliter appellatã, circa quã hoc naufragium contigiſſe aliqui confinxerunt. Quod nõ indiget alia refutatione, quamuis à Thoma Fazelo libro ſecundo ſuæ Hiſtoriæ pluribus refellatur. Sed ad Publiũ reuertamur, qui Princeps huius Inſulæ cùm eſſet, non ſolùm ad Chriſti fidẽ acceſſit, verùm etiã poſteà eiuſdẽ Inſulæ Epiſcopus ab Apoſtolo eſt conſtitutus, vt tradunt plura Martyrologia [k], eundémque poſteà Athenienſium epiſcopatum geſſiſſe Bedi & alij docuerunt, & Dionyſio Areopagitæ ſucceſſiſſe, cũ ipſe Areopagita Athenis Romã eſt vocatus, & inde in Galliam miſſus. Demum Publius illuſtri martyrio eſt coronatus. Vnde ſic de illo legimus in Romano Martyrologio die vigeſimaprima Ianuarij: *Athenis natalis S. Publij Epiſcopi, qui poſt S. Dionyſium Areopagitã Athenienſium Eccleſiam nobiliter rexit, & præclarus virtutibus, ac doctrina præfulgens, ob Chriſti martyrium glorioſè coronatur.* Putat autem S. Ioãnes Chryſoſtomus, Publium hoc tempore, non Paulum tantùm & ſocios; ſed omnes illos ducẽtos ſeptuagintaſex, qui ſimul cum Paulo nauigauerãt, in ſuis prædiis ſuſcepiſſe tribus ſaltem diebus, quos Lucas recenſuit, & lautè tractaſſe. Quare non diſtulit Apoſtolus gratiam illi pro tanta liberalitate rependere: cum enim Publij pater graui dyſenteria laboraret, quæ non potuit in ætate ſenili, & febre accedente, ſiue febribus, vt ait S. Lucas, quæ illum lecto affixerant, non eſſe admodum periculoſa; Paulus ad eũ ingreſſus, orans, eique manus imponens, iuxta illã Chriſti promiſſionem [t]: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* priſtinã illi reſtituit ſanitatem. *Quo facto* (ait S. Lucas [u]) *omnes, qui in Inſula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur.* Inde verò plurimos ad fidẽ Chriſti capeſſendã eſſe inductos nõ eſt dubitandũ, vt benè S. Gregorius obſeruauit [x], qui propterea hæc ait à Paulo facta eſſe miracula ſanitatum, cùm tamen Timotheum Epiſcopũ aliàs curare prætermiſerit: *Nam Paulus* (inquit Gregorius) *Melitam veniens, & plenam infidelibus Inſulam ſciens, patrem Publij, dyſenteria, febribuſque vexatum, prædicando ſaluauit; & tamen Timotheo præcepit dicens* [y]: *Modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Quid eſt, Paule, quòd ægrum infidelem orando ad ſalutem reuocas, & tantum adiutorem Euangelij, more Medici per alimenta curas?*

[k] Martyr. Adonis 21. Ianu. Beda 18. Ianuar. & aliorum.

[t] Marci c. vlt. v. 19.

[u] Act. c. 28. v. 9.

[x] S. Greg. lib. 27. Mor. c. 11. aliàs 14. ex quo Beda Act. c. 28.

[y] 1 Tim. c. 5 v. 23.

Niſi

Niſi quòd idcircò fiunt exteriora miracula, vt mentes ad interiora perducantur: quatenus per hoc, quod viſibiliter oſtenditur, ea, quæ admirabiliora ſunt, inuiſibilia credantur: ſigno quippe virtutis pater Publij ſanandus fuerat, vt mente reuiuiſceret, dum miraculo ad ſalutem rediret. Timotheo adhibendum foris miraculum non erat, qui iam totus intus viuebat. Hæc S. Gregorius, ex quibus illud quoque non parum confirmatur, quod anteà de Trophimo dicebamus, eum à Paulo in Inſula Cretæ relictum infirmum, non in hac Inſula: de hoc enim maior erat ratio dubitandi, cur hic ab Apoſtolo non fuerit ſanitati reſtitutus, vbi omnes, cuiuſuis eſſent ægritudinis, curabantur. Et fuiſſet non paruum apud illos infideles noſtræ fidei præiudicium, quòd aliis ſanatis hic Pauli ſocius ibi debuerit infirmus relinqui. Denique vix eſt credibile, Lucã, qui tam accuratè deſcripſit, quam humaniter & honorificè à Melitenſibus fuerint excepti, & qua ratione omnia ad nauigationẽ neceſſaria eis ſubminiſtrauerit; tamen de Trophimo, qui ſi ibi manſiſſet ægrotus, non minorem expertus fuiſſet charitatem, nihil dicere voluiſſe.

CAPVT XI.

Melita nauigat Syracuſam, inde Rhegium, & Puteolos, ac tandem venit Romam.

POſteaquàm liberalitas Melitenſium commeatui neceſſaria pro Paulo, eiúſque comitibus, & pro aliis quoque cum ipſis nauigaturis obtuliſſent, & impoſuiſſent naui, tranſactis in ea Inſula tribus iam menſibus, iterum omnes mari ſe commiſerunt [a]. Itaque ait S. Lucas: *Poſt menſes tres nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in Inſula hyemauerat, cui erat inſigne Caſtorum.* Erat hæc altera nauis etiam ipſa Alexandrina, ſicut prior, quæ fracta & compagibus omninò diſſolutis, in arena, ad quam impegerat, inutilis relinquebatur. Et quemadmodum de illa coniecimus, Alexandrina cùm eſſet, ab Ægypto triticum in Italiam aduehẽdum ſuſcepiſſe; ſic etiam hanc onuſtam frumẽto inde poſt collectas fruges æſtiuo tempore ſoluiſſe arbitramur, vt ante hyemem in Italiam perueniret: ſed eadem cum altera tempeſtate iactatam, quamuis exitu meliori ſubſiſtere debuit, & ſimiliter in Inſula Melita hyemare. Quapropter, etiãſi valdè ambiguum videatur, à quo tẽpore tres illi menſes cõputandi ſint, poſt quos Lucas ait reliquum huius nauigationis fuiſſe ſuſceptum; tamẽ quod anteà ſtatuimus eſſe probabilius, computandos ab æquinoctio autumnali ad brumæ ſolſtitium, hìc magis confirmatur. Quia, ſi tres menſes, quibus in Melita hyemarũt, non fuiſſent October, Nouember, atque December, vt poſuimus, ſed reliqui tres, nẽpe, Ianuarius, Februarius, & Martius; duæ iſtæ naues Alexandrinæ, non caſu, ſed valde temerario conſilio elegiſſent hyemis primam dimidiam partem nauigationi tribuere, quando propter inquietiſſima tempora, ceſſari à nauigationibus conſueuit. Nec interim apparet, vbi ſuperiores illi aliquot menſes, videlicet, Septẽbris bona pars, Auguſtus totus, & Iulius fuerint conſumpti: ſiquidem poſt Pentecoſten, & ante menſem Auguſti Paulum ex Syria nauigare incepiſſe, ſatis anteà declaratum eſt. In contrarium tamen ab aliquibus illud obiicitur, quod in ſuo ſacro poëmate canit Arator, vbi ponens tres hybernos menſes ab Apoſtolo

[a] Act. 28. v. 11.

Apoſtolo in Inſula Melita conſumptos, ſic ait [b]:

b *Arat. lib. 2. Act.*

Menſibus hybernis tribus in regione Melitæ
Multiplicem dat Paulus opem.

Deinde aſſumens hos non fuiſſe tres priores, ſed tres poſteriores hyemis menſes, quibus ver ſuccedit, ſoluiſſe nauem ab Inſula in ipſo vere, ſic proſequitur exponere.

Pullulat intereà nitidi coma frondea veris,
Quo iuueneſcit humus, ſenio fugiente pruinæ,
Suſcipiénſque ratem, velis cedentibus, Auſter
Præbuit aligeras placidis in fluctibus vndas.

At nos anteà ex S. Ambroſio, Ariſtotele, & Plinio fecimus manifeſtum, placidos fluctus etiam eſſe ſolere in mari Siculo, per quod hæc erat ſuſcepta nauigatio, non expectato vere, poſt brumę ſolſtitium, circa dies Halcyoneos. Quare, quod Arator poëticè dixit, per quandam anticipationem eſt accipiendum, de hyeme à brumali ſolſtitio in vernum tempus declinante, quando in Inſulis, præſertim calidioribus, vt eſt Melitenſis terra, incipit reuireſcere, hyeme ſenſim decedente.

Cæterùm fefellit aliquos minùs attentos, id, quod habet S. Lucas de hac ethnici Nauarchi naui Alexandrina, dum ait: *Nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in Inſula hyemauerat, cui erat inſigne Caſtorum.* arbitrati enim ſunt, inſigne huiuſmodi ad Inſulam, quaſi eſſet illius ſtemma, non ad nauem pertinuiſſe: cùm ex Græco manifeſtum ſit, non niſi ad nauem referendum: eam enim dixit Lucas, παράσημον Διοσκούροις, id eſt, inſignitam pueris, ſeu filiis Iouis, in prora, nempe, depictis, qui ſunt ex fabuloſa gentilium ſuperſtitione Caſtor, & Pollux, & putabantur Numina quædam valdè propitia nauigantibus; ſiue, vt alij malunt, infeſta. *Quapropter*, ait hæc irridens Lucianus [c], *ſic liberati cùm eſſent nautæ, templa adeuntes deraſo capite, immanes vndas, ſublatos in altum fluctus, iactus, malos fractos, gubernacula reuulſa narrabant, ac in primis Caſtorem, & Pollucem apparentes: nam hi peculiariter ad hanc tragœdiam pertinent.* Fingebantur autem, eodem Luciano teſte [d], ambo fratres tenentes in manu iaculum, & supernè ſtella; propè verò equus candidus, & vnicuique dimidia oui pars: eò quòd ex eodem ouo nati dicerentur à Ioue, cùm formam Cygni induiſſet, ac in Lædam Tyndari Regis vxorem inuolaſſet: ideò Tyndarides à Poëtis appellati: vnde Horatius [e]:

c *Lucianus in dial. de mercede conduct.*

d *idem in dial. Deorum.*

Tyndaridæ ſydus ab infimis
Quaſſas eripiunt æquoribus rates.

e *Horat. lib. 4. ode 8.*

Et alibi vocat [f]: *fratres Helenæ, lucida ſydera.* Deinde ab vna in aliam inducti fabulam gentiles Caſtorem, Pollucem, & Helenam dixerunt quaſdam flammulas nocturno, vel etiam diurno tempore, imminente maris tempeſtate, accenſas per antiperiſtaſim in materia pingui & viſcoſa quarundam exhalationum rareſcentium, & facilè adhærentium in mari nauium arboribus, & antennis: quæ ſi in duas diuidantur, appellant illas Caſtorem, & Pollucem, & boni habentur ominis ac præſagij: ſi autem in vnum collectæ perſiſtant, Helenam putarunt, & malum portendere: eò quòd hæc multorum fuerit cauſa malorum. Nec deſunt etiam hoc tempore inter nautas, qui has accęſiones iiſdem nominibus, quãuis non tãta ſuperſtitione appellent; alij quaſi religioſiores, ſed adhuc ſimplices appellãt S. Nicolaũm, propter ea, quæ in eius vitæ hiſtoria narrantur,

f *idem lib. 1. ode 3.*

tur, de ſedata in mari tempeſtate, cùm à nautis inuocatus eis apparuiſſer.

Hinc ſumpſit importunam more ſuo Caluinus occaſionem contra Eccleſiā debacchādi, ſic ſcribens in huius loci Commentariis: *Superſtitio inter nautas gentiles inualuit, exhalationes igneas, quæ in tempeſtatibus ſe oſtendunt, Caſtorem hunc, & Pollucem eſſe. Itaque Dei marini olim crediti ſunt, & inuocati: ſicut hodie Nicolaus, & Clemens, & ſimiles. Imò, vt in Papatu mutatis tantùm nominibus retenti ſunt vetuſti errores, hodie exhalationes illas, ſub nomine S. Hermis, vel S. Hermi adorant.* Et hoc eſt poſtremum Caluini toxicum in hunc librum Actorùm apoſtolicorum, ait in ſuis Antidotis Stapletonius [g]: cui præter ea, quæ hic Auctor benè reſpondet, hoc breuiter addimus: Si quis retentis vetuſtis erroribus Deos vllos marinos, aut ſimiles, ſiue antiquos, ſiue nouos inueniretur admittere, hunc minùs eſſe habendum de Papatu, quàm ſit ipſe Caluinus: quòd ſi Sāctorum venerationem, inuocationem, patrocinia diffiteatur, perinde non erit Catholicus ac ipſe Caluinus, peccans in eam fidem, quam Philemoni commendans Apoſtolus ait [h]: *Gratias ago Deo, audiens charitatem tuam, quā habes in Domino* IESV, *& in omnes Sanctos: Quia* (inquit S. Hieronymus [i]) *quicunque credit Deo, aliter eius fidem recipere nequit, niſi credat & in Sanctos eius. Non enim eſt in Deo perfecta dilectio, & fides, quæ in miniſtros eius, odio & infidelitate tenuatur.* Tum adiungens S. Hieronymus varia beneficia hominibus impetrata interceſſione Sanctorum, etiam in Scriptura veteris Teſtamenti recenſita: *Hæc* (inquit) *& cætera, quæ de Sanctis ſcripta ſunt, niſi quis vniuerſa crediderit, in Deum Sanctorum credere non valebit.* Cur autem Deus vni Sanctorum gratiam concedat miraculorum, & non alteri fortaſſe non minoris, aut etiam maioris ſanctitatis; & cur huic Sancto miracula det in vno genere, alteri verò in altero facere, ſicut ait Apoſtolus [k]: *Nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum?* expendit S. Auguſtinus in epiſtola centeſima trigeſimaſeptima, quæ eſt ad Clerum, & populum Hipponenſem, addens exempla ſui temporis varia miraculorum à diuerſis Sanctis edi ſolita. Atque huiuſmodi ſunt, quæ impiè ſpernit Caluinus, miracula S. Clementis, & S. Nicolaï circa patrocinium periclitantium in mari: & ſimiliter S. Hermetis, quem alij Termum vocant, & videtur is eſſe, qui ab aliis S. Helmus appellatur, cùm anteà Petrus Gonzales Telmus diceretur, vir Hiſpanus admirabilis ſanctitatis ex familia Dominicana: de quo circa annum Domini milleſimum ducenteſimumquinquageſimum, centum & octuaginta miracula iuratis teſtibus fide publica ſunt probata, maximè circa ſedatas tempeſtates. Vnde in portubus potiſſimùm, & locis maritimis Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Siciliæ, deuotè colitur, & inuocatur [l]. Huic etiam dicata eſt arx præcipua huius Inſulæ Melitenſis, dicta S. Helmi, quam anno ſæculi ſuperioris ſexageſimoquinto, Solimanus, Turcarum Imperator, ingenti claſſe militum trecentorum millium, pluribus menſibus, validiſſimè oppugnauit, præſertim ipſo die Feſto S. Helmi, vt ea Inſula potiretur; quam tamen non obtinuit, etiamſi omnia ferè ædificia grandium tormentorum ictibus diſiecta, vel quaſſata iam eſſent, exploſis (vt aliqui numerant) ferreis pilis ſeptuaginta octo millibus: quovſque tandem barbari, deſperata expugnatione, recedere compulſi ſunt,

g Thom. Staplet. in c. vlt. Act.

h ad Philem. v. 4.

i S. Hier. in Ep. ad Philem.

k 1. Cor. c. 12. v. 30.

l Ribad. tom. 2. SS in vita S. Telmi, 1. Aprilis.

ſunt, relictis in ea inſula ſuorum cadaueribus ad viginti tria millia.

Sed ad Pauli nauem ex Melitenſi littore ſoluentem redeamus, cui dicit S. Lucas fuiſſe inſigne Caſtorũ: quia, etiamſi alter in ea depictus naui Pollux, non Caſtor vocaretur; tamen propter magnam in rebus omnibus amborum ſimilitudinem, vterque eodem primogeniti nomine interdum ſignificabatur. Vnde erat in Romano foro templum vtrique dicatum, quod poſteà in Eccleſiam SS. Coſmæ, & Damiani, verſum eſt: tunc autem, Plinio teſte [n], templum Caſtorum vulgò dicebatur. Ad quod alludens M. Bibulus ob ſuum cum Cæſare conſulatum, eueniſſe ſibi dicebat (ait Suetonius [o]) quod Polluci: vt enim geminis fratribus ędes in foro conſtituta tantùm Caſtoris vocabatur; ita ſuam, Cæſariſque munificentiam, vnius Cæſaris dici. Neque ſolùm hæc geminorum portenta Numinum in ſuis nauigiis ethnici effingebant; ſed & Apollinis, de quo Virgilius [p]:

Aurato fulgebat Apolline puppis.

& aliorum: vnde Iuuenalis [q]:

Iacens (inquit) *in littore, & vna*
Ingentes de puppe Dij.

necnon Ouidius:

Et pictos verberat vnda Deos.

Ex quibus ſumpſiſſe occaſionẽ Apoſtolum facilè credi poteſt, inſinuandi altiores diuinæ fidei veritates, ne fiderent huiuſmodi fictitiis, fallacibúſque Numinibus: nam altera nauis Alexādrina huic ſimilis, nequaquam per Deos huiuſmodi tutelares à naufragio potuit liberari, omnéſque ſimul cum ea perituros fuiſſe, niſi veri Dei bonus Angelus interueniſſet. His, aliſque ſimilibus de rebus Apoſtolo ſermocinante; neque enim in negotio ſalutis procurandæ nouerat vnquam otiari, venerunt ſub Pachini promontorium, & portum Syracuſanum intrauerunt. *Et cùm veniſſemus Syracuſam* (inquit S. Lucas [s]) *manſimus ibi tribus diebus.* Syracuſa Archimedis nobilis Mathematici, & Theocriti Poetæ patria; ſed magis poſteà Luciæ præclariſſimæ Virginis, & Martyris natalibus illuſtrata: eam plerique multitudinis numero Syracuſas appellant, eò quòd non vnam, ſed quatuor complecti ciuitates videatur, ſicut eam deſcribens M. Tullius teſtatur, cùm ait [t]: *Vrbem Syracuſas maximam eſſe Græcarum vrbium, pulcherrimámque omnium ſæpè audiſtis. Eſt, Iudices, ita vt dicitur: nam & ſitu eſt cùm munito, tum ex omni aditu, vel terra, vel mari præclaro ad aſpectum: & portus habet prope in ædificatione, aſpectúque vrbis incluſos: qui cùm diuerſos inter ſe aditus habeant, in exitu coniunguntur, & confluunt. Eorum coniunctione pars oppidi, quæ appellatur Inſula, mari disiuncta anguſto ponte rurſum adiungitur, & continetur. Ea tanta eſt vrbs, vt quatuor vrbibus maximis conſtare dicatur.* Hæc Tullius, qui deinde pergit, ſingulas quatuor fusè deſcribere, cũ peruetuſtis aliquot Deorum tẽplis, & fabuloſo fonte Arethuſa. Vt ſi Paulo facultas fuiſſet hic ſubſiſtendi, non minùs quā Epheſi, vel Corinthi, per menſes, & annos operā ſuam vtiliter collocaſſet: abeundũ tamẽ fuit poſt tres dies. Eſt vltra vrbẽ Syracuſanam, in agro, quẽ hodie Solacinũ vocant, Eccleſia perantiqua S. Paulo dicata, vbi puteus viſitur, cuius aquæ hauſtu, cũ innocatione S. Pauli Apoſtoli, curantur plurimæ infirmitates: quod etiam appenſæ ibidem votiuæ tabellę declarant. Fama eſt, ibi S. Paulum hoc tempore fuiſſe; fortè, quia pagus, cuius extant quædam veſtigia, erat primorum Chriſtianorũ à S. Marciano, Syracuſanorum Epiſcopo, baptizatorum, qui eò eſt miſſus ante

n *Plin. lib. 10. c. 43.*

o *Suet. in Caio Iul. Cæſare, c. 10.*

p *Virg. 10. Æn.*

q *Iuuen. ſat. 6.*

s *Act. c. 28. v. 12.*

t *Cic. lib. 6. in Verr. poſt med.*

aduentum Pauli à S. Petro Romæ manente. Tradunt etiam illo triduo Apoſtolum à S. Marciano exceptum in ea ſpelunca fuiſſe, quam ipſe priùs expulſis Dæmonibus Deo conſecrauerat, ibíque ſacris Paulum Apoſtolum eſſe operatum. Sed poſt tres dies oportuit recedere. Quare (inquit S. Lucas [u]) *inde circumlegentes deuenimus Rhegium:* nempe, circa Siciliam prope littora nauigantes, à cornu Inſulæ auſtrali ad Septentrionem, à Pachini, videlicet, promontorio ad Pelorum. Huius tranſitus plura in illis littoribus Siculi oſtendũt erecta monumenta, Eccleſias S. Paulo dicatas, fontes curãdis morbis, & ſerpentum morſibus ſalutares. Inde igitur prætermauigantes venerunt Rhegium, antiquum Italiæ oppidum ſic appellatum, vt Strabo [x], & alij teſtantur, eò quòd anteà Siciliæ, & Calabriæ coniunctum vi terrę motus poſteà diuulſum, & pelago interfluente fuerit interruptum. Vnde nomẽ accepit Rhegium, ἀπὸ τ͂ ῥηγνῦναι, id eſt, à frangendo: quod quamuis ſæpiùs Calabriæ; interdum tamen etiam Siciliæ adnumeratur. Quin & ipſam Siciliã propterea quidam putant ſic appellatam, & ſimiliter Sicaniam, quaſi ſecatam, ſiue diſſectam, duáſque fecère Sicilias, citeriorem ante Pharum, ſiue Fretum Mamertinum, & vlteriorem. Sed has etymologias, & duplices Sicilias antiquiores Scriptores non agnoſcunt, licèt eius ab Italia diuulſionem ſæpè tradant [y]: vnde ſcripſit Virgilius [z]:

Hæc loca cui quondam, & vaſta conuulſa ruina
(Tantùm æui longinqua valet mutare vetuſtas)
Diſſiluiſſe ferunt, cùm protinus vtraque tellus
Vnda foret, venit medio cui pontus, & vndis.
Heſperium Siculo latus abſcidit, aruáque & vrbes
Littore deductas anguſto interluit æſtu.

Valdè itaque falluntur, qui Rhegiũ, de quo hic agitur, cum altero confundunt eiuſdem nominis oppido in Gallia Ciſalpina, quod Rhegium Lepidum eſt appellatum, eò quòd à M. Lepido fuerit olim ædificatum. Rhegienſem igitur ingreſſi portum, vna tantùm die ibi ſubſtiterunt: neque ſatis conſtat, quid tunc in ea ciuitate geſtum ab Apoſtolo fuerit, cùm nihil hac de re indicet S. Lucas. Antiqua tamen Rhegienſium traditione, ac illius Archiepiſcopalis Eccleſiæ quibuſdam monumentis habetur [a], cùm Apoſtolus ibi populo ad concionem congregato, & ob inauditæ doctrinæ admirationem perſtrepente, aſcenſionem tandiu poſtulaſſet, quandiu tenuis candela accenſa, & columnæ affixa conſumeretur; eius flamma ſtatim columnam incenſam diu arſiſſe; eóque miraculo, qui aderant, omnes in Chriſtum credidiſſe, & Baptiſmo fuiſſe expiatos. Quapropter Stephanum quendam, Apoſtoli comitem, in Epiſcopum illis fuiſſe relictum, qui poſteà pro fide tuenda à Duce Ierace martyrio coronatus eſt, eiúſque ibi ſacrum corpus aſſeruatur, & piè colitur. Sunt & alia plura in hoc genere ab aliis [b] relata; ſed minùs certa: illud tamen, quod de columna inſtar facis ardente dicitur, pro certo haberi debet: nam vſque ad hoc tempus illa ſeruatur in Eccleſia S. Paulo dicata, & ad latus Rhegienſis ciuitatis ædificata, in ea parte littoris, vbi dicitur habuiſſe tunc ſuam Apoſtolus concionem. Extat apud Rhegienſes ea de re ſacer Hymnus in hæc verba:

Aue, columna nobilis,
Electro, & auro ditior,

Illíque

u *Act. c. 28. v. 13.*

x *Strabo lib. 6. Geogr.*

y *Plin. lib. 1. c. 88. Seneca 6. quæſt. natur. c. 29. Tertull. in Apolog. c. 40.*

z *Virg. 3. Æneid.*

a *apud Ioan. Angelũ Rhegiñſ. Canonicum in Manuſc. apud Laurin. Act. c. 28.*

b *apud eundem Ioannem Angelũ lib. 4. c. 1.*

Illáque Moſis ignea
Columna fortunatior.
Quod ore Paulus prædicat,
Te fulgurante comprobat:
Te conflagrante, Rhegium
Chriſti fidem complectitur.

His ea die Rhegij ab Apoſtolo peractis, diſcedēdum fuit ſine mora. Itaque inquit S. Lucas [c]: *Poſt vnum diem flante Auſtro ſecunda die venimus Puteolos: ibi inuentis fratribus rogati ſumus manere apud eos dies ſeptem, & ſic venimus Romam.* Eſt Puteoli maritima Campaniæ ciuitas procul octo milliaribus à Neapoli, propter copiam puteorum, aquis calidis ſcatentium, ſiue ob ſulphuris putorem ſic appellata, cùm anteà Dicæarchia, id eſt, iuſtus principatus diceretur, quòd eſſet iuſtiſſimo regimine gubernata. Nec eius parua gloria eſt, adhuc ante Pauli Apoſtoli aduentum fidem Chriſti obtinuiſſe, propter Romanæ vrbis propinquitatem, in qua Petrus iam ab aliquot annis cathedram ſuā habebat: qualem etiam laudem in ſuis Annalibus adſcribunt ſibi Neapolitani, qui etiam vſque ad ipſos Neapolim hoc tempore Paulum excurriſſe traditione tenent: quod ſanè propter locorum vicinitatem, & fideles, tum Puteolis, tum Neapoli eo tempore manentes, ac impetrata à Centurione dierum ſeptem in ea regione mora, non eſt improbabile. Illud prætereà occurrit hîc obſeruatione dignum, argumentum eſſe irrefragabile, quando etiam alia non ſuppeterent, Melitam Siculi maris illam eſſe, à qua Paulus modò Syracuſas nauigauit, & per orientalia Siciliæ littora Rhegium venit, atque inde Puteolos; non verò aliam Illyrici maris longo interuallo ab hac tota nauigatione diſſitam, & multò minùs tertiam quandam Melitam prope Ægyptum conſtitutam. Sed hinc etiam facilè apparet illud optimè confirmatum, quod à nobis anteà fuit aſſumptum, nihil oportuiſſe nauem Alexandrinam, in qua Paulus cum cæteris modò vehebatur, finem totius hyemis expectare, ad reliquā à Melita in Italiam nauigationem perficiendam; ſed dies Halcyoneos ſeptem præcedentes brumæ ſolſtitium, & ſeptem ſubſequentes opportunum quietæ nauigationi tempus præbere ſufficienter potuiſſe: ſiquidem à Melita vſque Syracuſas nauigatio vnius diei, vel etiam ſolius noctis eſſe conſueuit. Nec multò maiori tempore Syracuſis Rhegium deuenerunt: Rhegio verò poſt vnum diem diſcedentes, *flante Auſtro* (ait S. Lucas) id eſt, vento ſecundiſſimo, *ſecunda die venimus Puteolos.* Atque hic tota eius in Italiam abſoluta eſt nauigatio: circa quam proinde illi decepti ſunt, qui vſque Romam, ſeu ad portum Romanum eam extenderunt: ex quo alios huic Lucæ narrationi errores affinxerunt, exiſtimantes, Chriſtianos, qui obuiam Paulo venerunt ad tres tabernas, & Appij forum, intra vrbem Romam id feciſſe: ſic enim hac de re ſcripſit S. Lucas [d]: *Et inde cùm audiſſent fratres, occurrerunt nobis vſque ad Appij forum, ac tres tabernas. Quos cùm vidiſſet Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam.* Sed dubitare nihil debemus, Paulum naui egreſſum in portu Puteolano, reliquum itineris non ampliùs mari, ſed terra peregiſſe. Quæ ratio fuit, vt aliis tam multis, qui cum eo nauigauerant, nec expectare Puteolis tam diu poterant, ad ſua negotia pergentibus, ipſe Paulus moram ibi dierum ſeptem à Centurione impetrauerit, apud quem fortè iam ad Chriſti fidem inductum non paruam auctoritatem obtinebat: ideò permittebatur ibi liberè cū fidelibus agere,

c *Act.* c. 28. v. 13.

d *Act.* c. 28. v. 15.

venientes aliunde ſecurè excipere, ad alios vſque Neapolim, vt diximus, excurrere, omnéſque conſolari, & adhortari, tum demum Romanæ Eccleſiæ per nuncios præcurrentes de ſuo aduentu ſignificare. Vnde illi obuiam ex vrbe venerunt fideles vſque ad Appij forum, quod erat in via Appia, & Roma diſtabat quinquaginta, & vnum milliaribus. Putant verò aliqui, forum hoc in agro Setino fuiſſe, cuius hodie nulla extant veſtigia, vel reddita ſunt propter paludem Pontinam inacceſſa, idque indicat Plinius [c], & eſt veroſimilius, quã quod alij coniectant [f], forum Appij fuiſſe tunc, vbi hoc tempore cernitur extructum celebre Monaſterium Ciſtercienſium, obitu S. Thomæ illuſtratum, quod vulgò, *Foſſa noua*, appellatur. Atque huc vſque Puteolis itinere pedeſtri progreſſus Apoſtolus, vt tradit Epiſcopus Euthalius in libro de Pauli peregrinatione, poſt deuotos amplexus, amantiſſimas congratulationes, lacrymas, & impreſſa potiſſimùm ſacris vinculis pia oſcula, (*Neque enim*, inquit Chryſoſtomus [g], *eorum turbauit alacritatem, quòd Paulus cum vinculis duceretur.*) à foro Appio ſimul pergentes venerunt ad tres tabernas, hodie corrupto vocabulo, *Ciſternum*, dicitur, tribus & triginta diſtans ab vrbe milliaribus. Hic alij fideles fratres Roma ſuperuenientes aliis ſe adiunxerunt, vt optatiſſimum Apoſtolum bacillo innixum progredientem, cuius bacilli hodie pars aſſeruatur in templo S. Pauli Romæ, non veluti captiuum, ſed quaſi triumphatorem deducerent, magna cum omnium etiam gentilium admiratione: ſed maiori cum lætitia & cordis Pauli exultatione, quòd votorum ſuorum optatiſſimam metam iam attingeret, de qua ante annum Romanis ſcripſerat, ſe Deo aſſiduè ſupplicare [h]: *Si quomodo*, inquit, *tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Deſidero enim videre vos, & ſimul conſolari in vobis per eam, qua inuicem eſt, fidem veſtram atque meam.* Hoc igitur fidelium fratrum numeroſo ſtipatus comitatu Paulus Apoſtolus agens Deo maximas gratias, vrbem Romam porta tunc Cœlimontana, cui porta reſpondet hodie S. Ioannis, ingreſſus eſt.

c Plin. lib. 14. c. 6.

f apud Alber. Leandr. in deſcrip. Italia.

g Chryſ. hom. 54. in Acta.

h Rom. c. 1. v. 10. 11. 12.

LIBER

LIBER DVODECIMVS.

Romæ Paulus duobus annis in conducta ſibi domo catena vinctus habitare permittitur: Neroni ſiſtitur: plures ad Chriſti fidem inducit: varias ſcribit epiſtolas, vnam Epheſiis, alteram ad Timotheum, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, & ad Philemonem.

CAPVT I.

Romæ Iudæis ad hoſpitium Pauli ſtatim accurrentibus ipſe concionatur, & plures eorum ad Chriſti fidem inducit.

QVÆ hactenus per annos & menſes ſingulos digeſta narrauimus, perſuadere vnicuique facilè poterunt, quo primũ tempore Romã Paulus aduenit, anno humanæ ſalutis quinquageſimooctauo iam decurſo, quinquageſimũnonũ ab aliquot diebus inchoatum fuiſſe: imperij quoque Neronis ſecundo abſoluto in Octobri, quo menſe ante bienniũ inierat principatũ, tertiũ eiuſdem imperij annum ab aliquot mẽſibus incepiſſe. Scribit hac de re S. Hieronymus in libro de Viris illuſtribus, Euſebium ſequutus in Chronicis, hęc verba [a]: *Paulus poſt paſſionem Domini vigeſimoquinto anno, id eſt, ſecũdo Neronis, eo tempore, quo Feſtus Procurator Iudææ ſucceſſit Felici, Romam vinctus mittitur.* Quæ nobis contraria non ſunt: nam, etiamſi, cùm Romã Paulus peruenit, is, quem diximus, agebatur annus Neronis imperij tertius, & à Paſſione Chriſti vigeſimusſextus; tamen quia maiorem nauigationis ſuæ partẽ Apoſtolus anno ſuperiori confecerat, & de hac ſe loqui S. Hieronymus cum Euſebio apertè ſignificat, dicens: *Eo tempore, quo Feſtus Iudææ Procurator ſucceſſit Felici, Romã Paulus vinctus mittitur.* non autẽ loquebatur de tẽpore, quo peruenit, meritò annũ tunc Neronis poſuit ſecundum, & à Chriſti Paſſione vigeſimũquintũ, qui erat ab eius natiuitate quinquageſimusoctauus; ætatis verò Pauli circa quinquageſimũſeptimũ. Quod verò ad mẽſem attinet, ac diẽ, in quo Paulus vrbẽ Romam eſt ingreſſus, Bedæ, Adonis, & Vſuardi Martyrologia Iulij ſextam conſignauerunt. *Sed, licèt daremus* (inquit Baronius [b]) *eos nõ ſolniſſe Melita ante menſẽ Maij, cũ nulla ſit facta in via mora, niſi quod idẽ ſcribit Lucas, eos Syracuſis tres dies, Rhegij vnũ, & Puteolis ſeptẽ conſtitiſſe, proſperóque flante vẽto, ſpatio tantũmodo duorũ dierũ, Rhegio perueniſſe Puteolos: certè eodem menſe Maij Romam ingreſſum eſſe affirmare neceſſe videtur.* Ita Baronius: imò iuxta ea, quæ ſatis anteà diſcuſſimus,

a S. Hier. lib. de Script. Eccleſ. in Paulo. Euſeb. in Chron. & lib. 2. Hiſt. c. 21.

b Baron. an. 59.

diſcuſſimus, ante Maium, & Aprilem ac Martium Paulus Romam omninò peruenire debuiſſet: vt cogamur ſuſpicari, vel errorem in nomine menſis Iulij, pro Ianuarij, quod in illis Martyrologiis legitur, ex vno in alterum irrepſiſſe, (vnde nihil notatum legimus in Romano Martyrologio,) cùm tamen ad Eccleſiam Romanam potiſſimùm hæc memoria pertineret, & potiùs ad finem Ianuarij perueniſſe in vrbem Paulum aliqui computant: vel quod ſæpè contingit, tranſlata fuit memoria illius diei in ſextam Iulij, vt intra octauam celeberrimæ Romæ feſtiuitatis Apoſtolorum includeretur. Poſſet etiam dici, diem illum celebrari ad memoriam aduentus S. Pauli Romam, non quia tunc primùm fuerit vrbem ingreſſus, ſed ſecundò, quando iterum poſt aliquot annos (vt poſteà referemus) venit ad coronam martyrij; ſiue, quando primùm Cæſarea Romam miſſus fuerat vinctus, & optatam, ſibique à Chriſto promiſſam ad vrbem profectionem inchoauerat, poſt Pentecoſten, vt anteà declarauimus. Et hoc optimè cõgruit cum eo, quod poſt Euſebium tradidit S. Hieronymus, & habent illa ipſa Martyrologia, notantia ſexta Iulij aduentum S. Pauli Romam, incidiſſe in annum Neronis ſecundum. Alioquin, ſi de tempore, quo profectionẽ inchoauit, non loquantur; ſed quando vltimò peruenit, omninò tertium annum Neronis numerare debuiſſent, & quidem à decem menſibus iam ad finem decurrentem. Sed ad Lucæ narrationem redeamus.

d *Act. c. 28. v. 16.*

Cùm autem (inquit [d]) *veniſſemus Romam, permiſſum eſt Paulo manere ſibi cum cuſtodiente ſe milite.* Græca exemplaria cum additamento ſic habent: *Quando autem venimus Romam, Centurio tradidit vinctos Stratopedarcho*, id eſt, Præfecto caſtrorum. *Paulo verò permiſſum eſt manere apud ſeipsũ cum cuſtodiente ſe milite.* Quæ ſanè verba, licèt in vulgata lectione omnia non legantur, nec ea videatur legiſſe Chryſoſtomus, tanquam quæ pridem exciderint ex contextu; nihil tamen continent vero non ſimile; illámque ſoluunt ambiguitatem, à quo, nimirum, permiſſum Paulo fuerit ſic manere. Aliqui dicunt à Centurione id factum: ſed tantùm iuris externus Centurio Romæ non obtinebat. Alij Neroni adſcribunt ſpernenti controuerſias de lege Chriſtianorum & Iudæorum: at, vnde conſtat, cauſam Pauli ipſa, qua venerat, prima die ad Imperatorem tot aliis diſtractum rebus, fuiſſe delatam, cognitã, & ab eo ſic modificatam? Quare magis credi poteſt, ab aliquo inferiori Magiſtratu, cui cura huiuſmodi reorum ab Imperatore demandata eſſet, id præſtitum, qualis fuit aliquando Proconſul, de quo ſic ait Vulpianus l. 1. ff. *de cuſtodia reorum. Proconſul æſtimare ſolet, vtrùm in carcerem recipienda ſit perſona, an militi tradenda, vel fideiuſſoribus committenda, vel etiã ſibi. Hoc autem vel pro criminis, quod obiicitur, qualitate, vel propter honorem, vel propter ampliſſimas facultates, vel pro innocentia perſonæ, vel pro dignitate eius, qui accuſatur.* Quæ omnia in Paulo, præter facultates, aderant cumulatiſſimè, vnde mitiùs tractari meretur. Accedebat ſine dubio Iulij Centurionis, & fortè etiam aliorum, qui cum Paulo venerant, militum apud Præfectum caſtrorum commendatio; præſertim ſi, quod meritò Chryſoſtomo & aliis placet, hi omnes permoti Pauli prædicatione, miraculis, & exemplis heroïcarum virtutum, ad Chriſtianam fidem animum adiecerant. *Propter Paulum* (inquit Chryſoſtomus [e]) *vide in Act. omnia*

e *Chryſ. hom. 54.*

omnia hæc fieri: vt credant vincti, milites, ac Centurio: nam, etiamſi lapides fuiſſent, & propter ea, quæ conſuluerant, & ipſi audierant, & quæ prædixerat, & propter miracula quæ fecerat, & propter beneficia, quibus adiuti erant, de illo magna vtique cogitaſſent. Non paruum etiam hoc argumentum eſt, illum fuiſſe per omnia admirabilem: quia non iam cum aliis numerabatur; ſed permiſſum eſt illi, vt maneat ſolus cum milite cuſtodiente illum. Hactenus Chryſoſtomus. Non eſt itaque Paulus ad publicam cuſtodiam adductus, ſicut alij, qui cum ipſo vincti à Syria nauigarunt; ſed permiſſum eſt illi domum ſibi deligere mercede conductam, quam Lucas inferiùs vocat ἴδιον μίσθωμα, & noſter Interpres [f], proprium conductum pretio, videlicet, vt credere par eſt, à piis fidelibus perſoluto. Eſt autem locus primi huius in vrbe Roma hoſpitij apoſtolici, vbi nunc cernitur templũ S. MARIÆ in via lata, ſicut ex antiquis illius Diaconiæ monumentis cognoſci poteſt, & extat intra dictam Eccleſiam lapis cum inſcriptione, quòd ibi S. Paulus habitauerit, & S. Lucas ibidem imaginem B. Virginis in eadem Eccleſia conſeruatam depinxerit, quæ imago annulum geſtat in digito. Et fortè etiam celebrem aliam imaginem, quæ in templo S. MARIÆ Maioris aſſeruatur, & conſtat ex certa Romanorum traditione opus eſſe S. Lucæ, hic ipſe depinxit. Dicitur prætereà in eodem loco hiſtoriam Actorum a S. Luca fuiſſe deſcriptam, aut abſolutam, ibíque exemplar proprium aſſeruari. Locus erat, vt etiam nunc eſt, in Vrbe celebris, prope publicas noſtri Romani Collegij Scholas, ad munia apoſtolica exercenda percommodus, & cum iis conditionibus, quas pro tali hoſpite requiſitas deſcribit S. Hieronymus ſuper Epiſtolam ad Philemonem, circa illa Pauli verba [g]: *Prepara mihi hoſpitium. Nam venturus* (inquit) *ad nouam ciuitatem, prædicaturus crucifixum, & inaudita dogmata delaturus, ſciebat ad ſe plurimos concurſuros: & neceſſe erat primùm, vt domus in celebri eſſet vrbis loco, ad quam facilè conueniretur. Deinde, vt ab omni importunitate vacua, vt ampla, quæ plurimos caperet audientium, ne proxima ſpectaculorum locis, ne turpi vicinia deteſtabilis: poſtremò, vt in plano potiùs eſſet ſita, quàm in cœnaculo. Quamobrem eum exiſtimo etiam Romæ in conducto manſiſſe biennio.* Hæc Hieronymus congruenter iis, quæ ſcripſit de hoc hoſpitio S. Lucas. Fuit quoque diuinæ prouidentiæ, cùm tot eſſent Romæ fideles, qui proprias ædes Apoſtolo accommodare potuiſſent, oportuiſſe tamen hanc habere mercede conductam, vt omnibus ad eam liberior, quacumque diei, vel noctis hora pateret acceſſus, & confluentibus vndique fidelibus ad ſermones audiendos de rebus diuinis, eſſet velvti Eccleſia, vel ſacrarium piis functionibus dedicatum: quod poſteà à Sergio Summo Pontifice in templum Beatiſſimæ Virginis MARIÆ dictum in via lata eſt conſecratum, circa annum Domini ſeptingenteſimum [h], vt legitur in antiquis illius Eccleſiæ monumentis. Quod verò ait S. Lucas [i], permiſſum Paulo manere ſibimet cũ cuſtodiente ſe milite, aliqui ſic interpretantur, vt liberum Apoſtolo fuerit ire, quò vellet, per vrbem, catenam circungeſtando, & militem cuſtodem ſuum ſecum ducendo. Non videtur tamen ſaltem primis menſibus id fieri potuiſſe, cùm dicat ſacer Hiſtoricus [k], Paulum ad ſe primos Iudæorum congregaſſe, alioſque plures ad eum frequenter venire conſueuiſſe. Quòd ſi audire illos

f Act. c. 28. v. 30.

g S. Hier. in ep. Philem.

h apud Baron. tom. 8. anno 701.

i Act. c. 28. v. 16. 20.

k Act. c. 28. v. 17. 20. 23. 30.

ipſe potuiſſet, aliquando id facere, & eorum viſitare Synagogas, vt alibi ſolitus fuit, non prætermiſiſſet. Præterea, cùm doceat Seneca [l], reum vinctum, & militem eius cuſtodem eadem catena colligari debuiſſe, & S. Chryſoſtomus [m], explicans illa Lucæ verba [n]: *Erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus.* ait, iiſdem catenis milites fuiſſe cum Petro alligatos; hoc ipſum exiſtimare de Paulo debemus; fuiſſe, nimirum, cum milite ſui cuſtode catena eadem reuinctum, vt neuter ab altero ſeparari vnquam poſſet. Fieri tamen vix potuit, vt quiſquis ille miles fuerit, qui diu, noctúque nunquam à Pauli conſpectu & latere ſubducebatur, & obſeruare diuinas eius virtutes, ſingula facta, dictáque cogebatur, perſuaſus tandem non ſit, magna de tali viro ſentire, illúmque per omnia maximè revereri, ei obſequi, & pro vero Dei ſeruo tandem agnoſcere. Quare ſuam Apoſtolus retinens auctoritatem [o], conuocauit primos Iudæorum; *Cúmque conuenissent*, ait S. Lucas, *dicebat eis: Ego, viri Fratres, nihil aduersùm plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Ieroſolymis traditus ſum in manus Romanorum. Qui cùm interrogationem de me habuiſſent, voluerunt me dimittere, eò quòd nulla cauſa mortis eſſet in me. Contradicentibus autem Iudæis, coactus ſum appellare Cæſarem, non quaſi gentem meam habens aliquid accuſare. Propter hanc igitur cauſam rogaui vos videre, & alloqui. Propter ſpem enim Iſrael catena hac circundatus ſum.* Hæc Paulus dixit primoribus Iudæorum, qui nondum omnes fidem Chriſti ſuſceperant, ideò ſicut aliàs ſolebat, ab eorum procuranda conuerſione ordiri etiam Romæ voluit ſuum apoſtolicum miniſterium. Non vocauit autem illos ante diem tertiam, quàm veniſſet, vt cum Centurione & magiſtratu aliquid circa ſuam cauſam componeret, & vbi illi eſſet manendum, & quibus conditionibus, intelligeret, potiùs quàm quod aliqui dicunt, explorare priùs voluiſſe, ne fortè Iudæi Romæ, ſicut fecerant Ieroſolymis, contra ipſum coniuraſſent, aut aliter vitæ ipſius inſidiarentur: hęc enim à tot Chriſtianis, qui obuiam illi venerant vſque ad tres tabernas, & Appij forum cognoſcere facilè potuiſſet. Neque Iudæi tātùm Romę, quantùm Ieroſolymis auſi fuiſſent: præſertim quia ante aliquot annos ſub Claudio Imperatore, omnes tanquam inquieti, & turbatores ab vrbe fuerant eiecti, & à Nerone non pridem, gratia inſperata redire permiſſi. Verum quidem eſt id, quod Iuſtinus Martyr [p], & S. Hieronymus [q] tradiderunt, Iudæos Ieroſolymis pridem literas miſiſſe, quocunque per mundum habitabant, Chriſti doctrinam calumniantes, & ne illam vllus reciperet admonentes. Hoc ipſum rectè adnotauit in Acta apoſtolica ſic ſcribens Oecumenius [r]. *In veterum ſcriptis reperimus, Sacerdotes, & Scribas, & Presbyteros, qui erant Ieroſolymis, in omnes gentes Iudæis, qui vbique erant, literas miſiſſe, quibus doctrinam Chriſti calumniantes, quaſi aliena à Deo eſſet, præcipiebant, ne ipſam admitterent. Id, quod etiam prophetia Iſaïæ videtur ſignificare, quæ ait* [s]: *Væ terræ nauigiorum alæ, vltra Æthiopiæ fluuios, mittentes in mari obſides, & epiſtolas papyraceas ſupra aquam. Quibus verbis ſignificat Propheta, trans regionem quoque Æthiopiæ, & extremas terrarum oras ſonum improbitatis Iudæorum, qui Iudæam habitabant, per quadam quaſi volantia nauigia fuiſſe tranſmiſſum.* Hunc tamen ſenſum

l Seneca ep. 5. & lib. de tranquil vitæ, c. 10.
m Chryſ hom. 9. in Matth.
n Act. c. 12. v. 6.
o Act. c. 28. v. 17. 18. 19. 20.
p Iuſtin. in Tryphon.
q S. Hier. in c. 18. Iſaia.
r Oecum. in c. 28. Act.
s Iſai c. 18. v. 1.

Iſaïæ verborum S. Hieronymus non admittit. Illud certum videtur, hos Primates Iudæorum epiſtolam illam non vidiſſe, quam ante annum Apoſtolus ſcripſerat ad Romanos, explicans in ea noſtræ fidei altiora myſteria, & dogmata difficiliora, niſi fortè magni erant diſſimulatores: ſic enim Paulo reſponderunt[t]: *Nos neque literas accepimus de te à Iudæa, neque adueniens aliquis fratrum nunciauit, aut locutus eſt aliquid de te malum. Rogamus autem à te audire, quæ ſentis: nam de ſecta hac notum eſt nobis, quia vbique ei contradicitur.* Non contradicebatur ei ab omnibus, nec vbique; ſed tamen à multis; quia Chriſtus Saluator, ſicut eius ſanctiſſimæ Parenti Simeon prænunciauerat[u], poſitus erat in ruinam & reſurrectionem multorum, & in ſignum, cui contradiceretur, & potiſſimùm à Iudæis, de quibus Deus conquerebatur per Iſaïam, dicens[x]: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, & contradicentem.* Quare perfectus Chriſti æmulator Apoſtolus, vt more ſuo nihil intentatum pro ſalute Iudæorum relinqueret, vbi primùm vidit ſe illos adire non poſſe, curauit eos ad ſe vocari, expoſuit aduentus ſui rationes, innocentiam ſuam, & cur Cæſarem appellauerit, non vt aliquid in iudicium contra Iudæos afferret, quos ex charitate gentē ſuam vocat, plurima, de quibus accuſare illos poterat, diſſimulans, & quanta pro illorum bono ſuſtineat, & paratus ſit ſuſtinere peramanter exponens[y]: *Rogaui* (inquit) *vos videre, & alloqui: propter ſpem enim Iſraël catena hac circumdatus ſum.* Quibus verbis breuiter fundamentum indicat primarium fidei, ſpei, & prædicationis ſuæ, necnon cauſam, vel occaſionem tantarum à Iudæis illatarum ſibi contra omnem æquitatem iniuriarum, ſpem, videlicet, Iſraël, quam ſpem aliqui Chriſtum Saluatorem interpretātur, magis propriè tamen ac pleniùs, iuxta ea, quæ alibi diſcuſſimus, reſurrectionem intelligemus, tum Chriſti, tum aliorum mortuorum vniuerſalem, quam Iudæi, & præſertim Phariſæi contra Sadducæos ſecundùm oracula diuina conſtanter admittebant: at nullo modo à Chriſti reſurrectione diſtinguendam. Nam hoc eſt, quod ipſe ad Corinthios ſcripſit[z]: *Si Chriſtus prædicatur, quòd reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt fides noſtra.* Quamobrem accuſatus in Concilio Iudæorum exclamauit[a]: *Viri fratres, ego Phariſæus ſum, & de ſpe, & reſurrectione mortuorum ego iudicor.* Et coram Præſide Felice[b]: *Credens* (inquit) *omnibus, quæ in lege, & Prophetis ſcripta ſunt, ſpem habens in Deum, quam & hi ipſi expectant, reſurrectionem futuram iuſtorum, & iniquorum.* Qua de re poſteà Præſes Feſtus reddens Agrippam certiorem, dixit, quæſtionem præcipuam inter Paulum, & Iudæos illum accuſantes, eſſe[c], *de quodam* IESV *defuncto, quem affirmabat Paulus viuere.* Et ipſe Paulus ante Agrippam Regem adductus[d], proteſtatus eſt, ſe Chriſti reſurrectionem aſſerere ſecundùm legem, & Prophetas, ac maximè iuxta Moysē. Hæc eſt igitur ſpes Iſraël, propter quam ait ſe Romā fuiſſe perductum in catena. Sed plura de his diſſerere diſtulit ad aliam condictā diem, quādo plures adfuturi erant Iudæorū. Quare inquit S. Lucas[e]; *Cùm cōſtituiſſēt illi diē, venerūt ad eū in hoſpitiū plures, quibus exponebat teſtificās regnū Dei,*

t *Act. c.* 28. v. 21. 22.

u *Lucæ c.* 2. v. 34.

x *Iſai. c.* 65. v. 2. *iuxta Septuag.*

y *Act. c.* 28. v. 20.

z 1. *Cor. c.* 15. v. 12.

a *Act. c.* 23. v. 13.

b *ibid. c.* 24. v. 14.

c *ibid. c.* 25. v. 19.

d *ibid. v.* 22.

e *ibid. c.* 28. v. 23. *vſque ad* 29.

ſuadénſque eis de IESV *ex lege Moyſis, & Prophetis, à mane vſque ad veſperam: & quidam credebant his, quæ dicebantur: quidam verò non credebant. Cúmque inuicem non eſſent conſentientes, diſcedebant, dicente Paulo vnum verbum: Quia bene Spiritus S. locutus eſt per Iſaiam Prophetam, ad patres noſtros, dicens* [f] *: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perſpicietis. Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt: ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos. Notum ergo ſit vobis, quoniam gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei, & ipſi audient. Et cùm hæc dixiſſet, exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter ſe quæſtionẽ.* Nimis fortè prolixum exiſtimauit S. Lucas, omnia alia referre, quæ Paulus in ſuam ſententiam à mane vſque ad veſperam diſputauit; ſed ſatis habuit vnum illud verbum, vt ipſe ait, hoc eſt, ſingulare pronunciatum, atque inſigne teſtimonium Iſaïæ retuliſſe, quod Iudæos valdè pupugit, de tot ante annos prophetata ipſorum obcæcatione, ſumma pertinacia, & cordis obſtinatione. Quæ prophetia in diuinis Scripturis ſæpius repetita, vt diuinior appareret, ab Iſaïa [g] in nomine Dei Patris eſt pronunciata, & apud S. Ioannem [h] Filio Dei tribuitur: hîc autem à S. Paulo adſcribitur Spiritui ſancto: *Bene* (inquit) *locutus Spiritus ſanctus per Iſaiam.* Vnde mirum non eſt, ſi nolentes credere prædicatæ ab Apoſtolo veritati, hoc Dei oraculo tantoperè torquebantur: *Et exibant* (ait Lucas) *multam habentes inter ſe quæſtionem.*

f Iſai. c. 6. v. 8.

g Iſai. c. 6. v. 8.

h Ioan. c. 12. v. 41.

CAPVT II.

Siſtitur Neroni omni humano auxilio deſtitutus; ſed Chriſti viſitatione recreatur, & à vitæ diſcrimine liberatur.

TErtius iam decurrebat ad finem imperij Neronis annus: is fuit primus illius biennij à S. Luca extremis hiſtoriæ ſuæ verbis ita deſcriptus [a] : *Manſit autem Paulus biennio toto in ſuo conducto*, id eſt, hoſpitio à ſe conducto, *& ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebãtur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens, quæ ſunt de Domino* IESV *Chriſto, cum omni fiducia, ſine prohibitione.* Quapropter ea, quæ Paulo tum hoc primo, tum ſequentibus annis, ſiue Romæ, ſiue alibi contigerunt, ex ipſius Pauli Epiſtolis, aliiſque fide dignis Auctoribus peruestigare debemus. Cùm igitur Romam Paulus vinctus ad Cæſarem, quem appellauerat, miſſus fuiſſet, vt eius præſentiæ ac iudicio ſiſteretur, quidquid aliqui in dubium reuocent, nobis minimè dubitandum eſt, cauſam ſuam ipſum egiſſe apud Neronem aliquando, idque licèt non primis illis diebus, quibus Romam venerat; non tamen diu hoc iudicium fuiſſe dilatum. Indicat id non ſemel Apoſtolus ipſe in ſecunda, quam ad Timotheum Romæ hoc anno ſcripſit, Epiſtola, exponens amico ſuo fideliſſimo, quæ tum proſpera, tum aduerſa in vrbe nunc illi contigerunt. *Nam in prima mea defenſione* (inquit [b]) *nemo mihi affuit, ſed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Dominus autem mihi aſtitit, & confortauit me, vt per*

me

a Act. c. 28. v. 30. 31.

b 2. Tim. c. 4. v. 16.

me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes: & liberatus ſum de ore leonis. Liberauit me Dominus ab omni opere malo. Circa quod Apoſtoli teſtimoniũ, illud primùm ſtatuendũ eſt, per leonẽ à quo ait ſe diuina ope liberatum, Neronem eſſe intelligendũ. *Manifeſtiſſimè leonem* (inquit S. Hieronymus[c]) *propter crudelitatem Neronem ſignificauit.* Addere nos poſſumus, etiam propter immanem huius Principis ſuperbiam, & libidinem belluinam, vnde iracundior in dies, & crudelior reddebatur. *Sicut fremitus leonis* (ait Salomon[d]) *ita & Regis ira.* & [e], *Sicut rugitus leonis, ita & terror Regis.* Tantúſque omnes inuaſit timor, cùm eius tribunali Paulus ſiſtendus fuit, vt illũ omnes amici, ſodales, ac diſcipuli deſeruerint: ſicut olim captũ à Iudæis Chriſtum Dominum Apoſtoli diffugientes reliquerunt. Hoc eſt igitur, quod ipſe Timotheo ſignificauit, dicens[f]: *In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt. Non illis imputetur.* quaſi diceret: Ignoſcendum tamen eſt illis, propter humanam imbecillitatem; quia nec mihi multùm prodeſſe, at ſeipſos in idem grauiſſimum periculum coniicere facilè potuiſſent. Nec vana eſt coniectura quorundã ſuſpicantium, Iudæos, qui Romæ tunc erant, præſertim quos Paulus primis congreſſibus acriter ſua concionandi libertate perſtrinxerat, egiſſe apud Imperatorem, & alios Magiſtratus, vt nullo modo viuere homo tam ſeditioſus permitteretur, qui, ſicut dicebat Præſidi Iudææ Tertullus Orator[g], omnibus Iudæis in orbe vniuerſo turbas concitaret, promotor primarius ſectæ Nazaræorum. Aderat etiã tunc Romæ quidẽ Aliturus Iudæus, Mimorum actor, Neroni percharus, cuius opera, ſicut adiutum ſe fuiſſe Ioſephus teſtatur[h], ad reos quoſdam à ſe defenſos abſoluendos, ita etiam illo vti potuerunt ad innocẽtem Paulum traducendum, & malis artibus perdendum. Fuit & quidam Alexander ærarius, de quo in eadem epiſtola ad Timotheum ſic habetur[i]: *Alexander ærarius multa mihi mala oſtendit: reddet illi Dominus ſecundùm opera eius: quem & tu deuita; valde enim reſtitit verbis noſtris.* Erat hic non cuſtos ærarij publici; ſed faber æris, & vaſorum æneorum, vt Græca vox, χαλκεὺς, aptè ſignificat. Et putant aliqui, eundem hunc eſſe, atque illum Alexandrum Iudæum, qui Actorum capite decimonono ſeditionem Gentilium contra Paulum Epheſi concitatam circa templum Epheſiæ Dianæ, publica ſua ad populum concione compeſcuit, qui priùs ad Euangelium conuerſus, poſteà redierit ad Iudaïſmum. Sed nos alibi oſtendimus[k], Alexandrum illum Iudæum alium eſſe ab eo ſcriba, qui tumultũ contra Paulum tunc excitatum ſedauit: alium quoque putamus Alexandrum eum eſſe diuerſum ab hoc Alexandro, qui nunc Romæ Paulo aduerſabatur, & quem aliqui eũdem faciant cum Demetrio illo Argentario ædes Dianæ argenteas fabricãte. Sed hi longiùs à vero diſcedunt, cùm neque in nomine conueniant, neque in cognomine, & officio: quamuis ingenio, & mala nocendi voluntate non ſint diſſimiles. Potiùs hic videtur Alexander ille Hæreticus à Paulo excommunicatus cum Hymenæo, de quo in priori ad Timotheum Epiſtola ſic ſcripſit[l]: *Quidam repellentes bonam conſcientiam, circa fidem naufragauerunt: ex quibus eſt Hymeneus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare.* Hic igitur eò moleſtior Paulo, quò vilior aduerſarius, vagus homo, aliàs in Iudæa,

c S. Hieron. in libro de Script. eccleſ. in Paulo.

d Prou. c.19. v.12.

e Prou. c.20. v.2.

f 2. Tim. c.4. v.16.

g Act. c.24. v.5.

h Ioſeph. in vita ſua.

i 2. Tim. v.14.15.

k lib.8. c.vlt.

l 1. Tim. c.1. v.19.20.

nunc Romæ, tum apud Iudæos, tum etiã forraſſe apud ipſum Neronem, curauit Paulum de confictis criminibus accuſari; & quòd legem, ritúſque Iudaïcos ab Imperatoribus, tum Romæ, tum alibi permiſſos, euertere, deprauare, & prorſus abolere ſeditioſiſſimè cõtenderer. Venerãt etiam circa hæc tempora Legati Iudæorum cum Summo eorum Pontifice ab Ieroſolymis cõtra Agrippam Regem, litigantes de templi Ieroſolymitani quadam immunitate, vt refert Ioſephus [m], & quidquid petebant, à Nerone obtinuerunt, fauente illis Poppæa Sabina, quam propterea Ioſephus vocat piam feminam, & vxorem Imperatoris; cùm tamen tunc eſſet ſcortum, ſeu concubina, de qua Tacitus ita ſcribit [n]: *Huic mulieri cuncta alia fuêre præter honeſtum animum. Quippe mater eius, ætatis ſuæ feminas pulchritudine ſupergreſſa, gloriam pariter, & formam dederat: opes claritudini generis ſufficiebant: ſermo comis, nec abſurdum ingenium, modeſtiam præſeferre, & laſciuia vti.* Hanc, vt idem Tacitus, & alij referunt, Nero quantumuis habitam in deliciis, poſteà ira percitus ferina, ictu calcis percuſsã interemit.

m Ioſeph. lib. 20. Antiq. c. 7.

n Tacitus lib. 13.

Putant præterea nonnulli [o], non ſolùm eos, qui Romæ aderant, & Paulum nouerant, in tanta eius calamitate ab ipſo receſſiſſe; verùm etiã longè poſitos per Aſiam vniuerſam ab eo defeciſſe, idque verbis illis Timotheo fuiſſe ſignificatũ [p]: *Scis hoc, quòd auerſi ſunt à me omnes, qui in Aſia ſunt, ex quibus eſt Phigellus, & Hermogenes.* Sed in primis illud eſt certum, non omnes tunc Aſianos à Paulo, & à fide catholica auerſos fuiſſe, cùm plurimi eſſenr, tum Epheſi, tum per alias Aſiæ Eccleſias, Pauli amanriſſimi, & ſtudioſiſſimi, quorum fidem ac dilectionem in ſuis poſterioribus circa hæc tẽpora ſcriptis Epiſtolis ſępè cõmendar. Deinde neque de ſolis Iudæis Aſiam incolenribus, quamuis id magis aliquibus placeat [q], videtur eſſe inrelligendum. Nam, qui Chriſti receperant fidem, audira Pauli vexatione; quam tamen audire per totam Aſiam tam citò vix potuerunt, quòd omnes propterea defecerint à fide, & à Pauli dilectione, haud eſt veriſimile: alios verò Iudæos, qui Chriſtianam fidem non admittebant, à Paulo eſſe auerſos, non erat id nouum: nam vbique, dũ ipſe Aſiam peragraret, ab illis moleſtias fuerat expertus, & inſidias, ac perſecuriones grauiſſimas; nec erat, quòd ipſe ab vrbe Timotheum in Aſia redderet ea de re certiorem, quem in ea regione ſocium & participem habuerat talium perſecutionum. Quòd ſi noui aliquid in hoc genere cõrra Paulum in Aſia ortum fuiſſet, magis Timotheus, qui ibi morabatur, quàm Paulus Romæ ſcire potuiſſet. Quare verius eſt, vt exponit S. Chryſoſtomus [r], loqui Apoſtolum de Aſiaticis, qui Romæ tunc eranr plurimi, à quibus vbi cognitum eſt, Paulum in vinculis teneri, & ad Neronis tribunal ſiſti oporrere, auerſari illum cœperunt: vt poſſet dicere cum Propheta [s]: *Longe feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi.* &, *Qui iuxta me erant, de longè ſteterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam.* Nominat autem duos præcipuos, Phigellum, & Hermogenem. *Qui* (inquit S. Ambroſius [t]) *fallacia pleni erant: ſimulabant enim amicitias cum Apoſtolo, vt adhærentes ei addiſcerent, vnde illi calumniam facerent, aut per alios immitterent. Sed, poſteaquàm ſe viderunt detectos, & manifeſtatos, receſſerunt ab eo.* Putant verò aliqui, hos primùm Iudæos fuiſſe: deinde admiſſos ad

o Baron. an. 59.

p 2. Tim. c. 1. v. 15.

q Baron. an. 59.

r Chryſoſt. in c. 1. Ep. 2. Tim.

s Pſ. 87. v. 9. Pſal. 37. v. 13.

t Ambr. in Ep. 2. ad Tim. c. 1.

Chriſtianam

Chriſtianam religionem defeciſſe. Et quidem hunc Hermogenem recenſet Tertullianus [u] inter Hæreticos negantes carnis reſurrectionem. Monet autem de his Timotheum S.Paulus, vt ſi fortè in Aſiam ab vrbe redierint, & ad ſanam mentem reuocari non poſſent, ab eis caueat, & alios etiam cauere doceat. Itaque quod ait: *Auerſi ſunt à me omnes, qui in Aſia.* perinde eſt Hebraïca phraſi, atque ex Aſia, & omnes, id eſt, ferè omnes: vnde ſubdit exceptionem, dicens [x]: *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui: quia ſæpè me refrigerauit, & catenam meam non erubuit: ſed, cùm Romam veniſſet, ſollicitè me quæſiuit, & inuenit. Det illi Dominus inueniſſe miſericordiam à Domino in illa die*, nempe, extremi Iudicij. Conuenientiſſima benedictio, vt qui tanta miſericordia Paulum quæſiuit ab omnibus deſertum, & in tali diſcrimine ſub iniquo iudicio Tyranni adeò formidabilis conſtitutum, per medios ſatellites, & cuſtodes penetrans tandem inuenit, adiuuit, & refrigerauit; inueniat etiam à Deo in extremo vniuerſali Iudicio miſericordiam, & iuſtiſſimam illam cum aliis Sanctis excipiat ſententiam [y]: *Venite, benedicti Patris mei, poſſidete regnum: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: in carcere eram, & veniſtis ad me.* Fuit autem hic Oneſiphorus Aſiaticus ex Epheſo, vt quidam volunt, ſiquidem Romam ad Paulum cùm veniſſet, familiam ſuam Epheſi reliquit, quam ibi ſalutandam Paulus mandat [z], in fine illius Epiſtolæ ad Timotheum. Quamuis Acta Theclæ, quæ alibi commemorauimus [a], referant Paulum cum Barnaba Iconij multo tempore commorantem in domo huius Oneſiphori hoſpitium habuiſſe. Et fortè hoc indicare Apoſtolus voluit, cùm dixit, non ſemel, ſed ſæpè, Oneſiphori domus me refrigerauit: id eſt, iuuit, & omnibus ad vitam neceſſariis ſuſtentauit. Hic poſteà, ſicut habetur in Græcorum Menologio, creatus eſt Epiſcopus Colophonis, ſiue Coroniæ, vt vult Dorotheus, & inter Sanctos relatus, eius memoria ſexta die Septembris in Romano Martyrologio celebratur.

u Tertul. lib. de reſur. car. c. 24.

x 2. Tim. c. 1. v. 16. 17.

y Matth. c. 25. v. 34.

z 2. Tim. c. 4. v. 19.

a lib. 4. c. 6.

Habuit præter Oneſiphorum alios quoque ſecum in vrbe ſocios, quos in eadem epiſtola ab vrbe ſcripta ad Timotheum nominat, ſiue cum eo in eodem nauigio venerint, ſiue ſeorſim. Hi verò fuerunt Demas, Creſcentius, Titus, Tichycus, & Lucas Euangeliſta. *Sed Demas* (inquit [b]) *me reliquit, diligens hoc ſæculum, & abiit Theſſalonicam: Creſcentius in Galatiam: Titus in Dalmatiam: Tichycum autem miſi Epheſum. Eraſtus remanſit Corinthi. Trophimum reliqui infirmum Mileti.* Sed, quod ſpectat ad Demam, etiamſi pro aliquo tempore Paulum reliquerit, diligens ſæculum, vt ipſe ait: hoc eſt, vt Chryſoſtomus exponit, malens otiari, & molliter quieſcere, ac deliciari in ſæculo, quàm cum Paulo pro Chriſto periclitari: tamen Romam iterum rediiſſe, & Paulo adhuc in vinculis detento vnà cum aliis fratribus miniſtraſſe, idem Paulus ſcribens ad Philemonem teſtatur his verbis [c]. *Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Chriſto* IESV, *Marcus, Ariſtarchus, Demas, & Lucas, adiutores mei.* Idémque habetur in Epiſtola ad Coloſſenſes circa hoc tempus ſcripta, vbi dicitur: *Salutant vos Lucas, & Demas.* Quare fabula videtur, quam habet Dorotheus in Synopſi, Demam, Pauli diſcipulum, ab eo cùm receſſiſſet Theſſalonicam, ibi factum eſſe ſimulacrorum Sacerdotem. Neque

b 2. Tim. c. 4. v. 9. 11. 10.

c ad Philem. v. 23. 24. & Coloſ. c. 4. v. 14.

que neceſſe eſt aliũ fingere Demam, de quo in Epiſtola ad Philemonem, & ad Coloſſenſes facta ſit mentio, quaſi hæ Epiſtolæ, quod aliqui volunt, anteà ſcriptæ fuerint, quàm illa ad Timotheũ, vbi Demas receſſiſſe Theſſalonicam deſcribitur: oſtenſuri enim ſumus inferiùs, omnes Romę ſcriptas, & primùm illam ad Timotheum, in qua Demas Pauli deſertor aſſeritur; deinde poſt annum ad Coloſſenſes; & poſtremò ad Philemonem, in qua reditus, & reſipiſcentia illius cõmendatur. Creſcentem ipſemet Paulus ad prædicandum Euangelium in Galatiam miſit: adeò curam orbis terrarum ad Chriſti cultum reducendi, quantumuis catenis ligatus, & oppreſſus tot calamitatibus, excelſo animo retinebat. Quod verò mauult S Epiphanius Creſcentem in Galliam miſſum, & ita legendum in Epiſtola S. Pauli, non in Galatiam; negari ſanè non poteſt fuiſſe illum etiam in Galliam aliquando miſſum, & ibi Viennenſem Eccleſiam erexiſſe: veniſſe quoque Moguntiam, & Euangelium longè, latéque prædicaſſe, vt Euſebius [d], & alij tradiderunt; tamen non propterea negandum eſt, in Galatiam quoque eſſe profectum. Vnde ſic legimus de illo in Romano Martyrologio [e], menſe Iunij, die vigeſimaſeptima: *In Galatia S. Creſcentis, diſcipuli B. Pauli Apoſtoli, qui in Gallias tranſitum faciens, verbo prædicationis multos ad Chriſti fidem conuertit: rediens verò ad gentem, cui ſpecialiter datus erat Epiſcopus, cùm Galatas ipſos vſque ad finem vitæ ſitæ in opere Domini confirmaſſet, demum ſub Traiano martyrium conſummauit.* De Tito in Dalmatiam miſſo ea ſufficiunt, quæ alibi dicta ſunt circa delatum illi Cretenſis Inſulæ Archiepiſcopatum. De Tychicho autẽ ſimiliter nunc Roma Epheſum miſſo ſcire oportet, hunc, quem ſecũ habuit nauigaturus in Syriam, & in Epiſtola ad Epheſios [f] appellat chariſſimum fratrem, & miniſtrum in Domino fidelem, idcircò miſſum Epheſum hoc tempore, vt vicem Timothei, Epiſcopi Epheſini, quem ad ſe Romam vocabat, interim ipſe ſuppleret: tanta erat Pauli remotiſſimarum quoque Eccleſiarum cura, & ſollicitudo. Et illam ipſam, quam modò ad Epheſios dedit Epiſtolam, vt infrà videbimus, per hunc Tychicum ad eos miſit: id enim extremis illius epiſtolæ verbis ſignificauit, dicens [g]: *Vt autem & vos ſciatis, quæ circa me ſunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus chariſſimus frater, & fidelis miniſter in Domino: quem miſi ad vos in hoc ipſum, vt cognoſcatis, quæ circa nos ſunt, & conſoletur corda veſtra.* De Eraſto, quem dicit ſe Corinthi reliquiſſe, tunc egimus [h], cùm vltimum Pauli diſceſſum Corintho deſcriberemus: & ſimiliter de Trophimo infirmo relicto Mileti ſatis multa ſuperiùs [i]. Solus itaque Lucas Euangeliſta, ex iis, qui fuerant Paulum Romam venientem ſequuti, cum illo hoc tempore [illegible] batur: ſic enim ipſe Timotheo teſtatur ſcribens [k]: *Lucas eſt mecum ſolus.* Videtur autem toto hoc biennio, quo Paulus Romæ manſit, Lucas cum eo perſeueraſſe: nam etiã in aliis, quas intra hoc tempus ſcripſit Epiſtolis ſæpè illius inſerit mẽtionem: & ipſe Lucas Acta Apoſtolorum Romę à ſe cõſcripta concluſit dicens [l]: *Manſit autem Paulus biennio toto in ſuo conducto.* Cur autem Lucas alia, quæ illis duobus annis contigerunt; præſertim ipſo præſente, ampliùs non deſcripſerit, aſſequi firma coniectura non poſſumus: niſi fortè, quia opus ſuum non continuatè, ſed per partes adnotando certis temporibus, [illegible] ſucceſſiue

d *Euſeb. lib. 3. hiſt c. 4.*

e *Martyrolog. Rom. 27. Iunij, vbi Baron in Notis.*

f *Epheſ. c. 6. v. 21. Act. c. 20. v. 4.*

g *Epheſ. c. 6. v. 21.*

h *lib. 10. c. 5.*

i *lib. 11. c. 9.*

k [illegible] *Tim. c. 4. v. 11.*

l *A*[illegible] *c. vlt. v.* 3[illegible]

ſucceſſiuè contigiſſent, in codicem referebat, & vbi eſſet circa biennij finẽ, hiſtoriæ vltimam manum appoſiturus, vrgenti aliqua neceſſitate, vel Paulo mandante, diſcedere Roma compulſus eſt; ac proinde, quæ ſupererant explicanda, paucis verbis debuit complecti. Et cùm fratribus, qui Romæ verſabantur, ſatis conſtarent, quę duobus illis annis circa Paulum cõtigerunt, exemplaria Actuum Apoſtolorum qualia tunc habebantur, & modò habentur, Eccleſiæ primùm Romanæ, deinde aliis fuêre cõmunicata. Et certè, quæ poſtremis illis verbis à Luca dicuntur [m], de Paulo, quòd eſſet prędicans regnum Dei, cum omni fiducia, & ſine prohibitione, magis reſpicere videntur biennij progreſſum, ac finem, quàm principium, de quo nunc agimus, quando Neroni ſiſtendus, ab omnibus fermè, propter terrorem fuit deſtitutus, aliis negantibus illius ſe eſſe diſcipulos, aut diſſimulantibus: aliis à fide apoſtatantibus, ſéque Pauli aduerſarios, & accuſatores profitentibus: nonnullis etiam, quos ſuprà recenſuimus, ab ipſo Apoſtolo ad alias regiones pro bono aliarum Eccleſiarum amandatis: ſolo remanente Luca; qui tamẽ orando, ſcribendo ſacram Actorum Hiſtoriam, pingendo pias imagines; non autem adeundo tribunalia, Paulum poterat adiuuare, vel defendere. Sed adfuit Apoſtolo Chriſtus Dominus, quod ipſe Timotheo teſtatur dicens [n]: *Dominus autem mihi adſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus ſum de ore leonis.*

m Act. c. 18. v. vlt.

n 2. Tim. c. 4. v. 17.

Qualis fuerit hæc apparitio Chriſti Domi[illegible] explicatur: vna tamẽ ex illis eſſe videtur, quam ſibi Paulus à Chriſto promiſſam Agrippæ Regi teſtatus eſt, dicens [o], cũ in via Damaſci perſecutor Chriſtianorum cœleſti lumine, & vocibus illis, *Saule, Saule, quid me perſequeris?* fuiſſet proſtratus, ſimul à Domino audiuiſſe, futurum vt illi ſæpius appareret. Quare non eſt, cur dicamus, vt aliqui ſuſpicantur, hanc viſitationem nõ à Chriſto Domino: ſed ipſius nomine ab aliquo Angelo factam: nã Paulus dicit ſibi Dominum adſtitiſſe, & ab eo ſe confortatum fuiſſe, κύριός μοι παρέστη, καὶ ἐνεδυνάμωσε, hoc eſt, Dominus ſtetit prope me, & potentem me reddidit: vnde alibi dixit [p] de ſe ſub Nerone vincto: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Falluntur itaque affirmantes, opera Senecæ Philoſophi, qui tunc apud Neronem, tanquam ipſius Magiſter, gratia plurimùm valebat, Apoſtolum fuiſſe à præſenti periculo liberatum: quamuis egiſſe illum cum Seneca, & mutua inter illos officia, ac literas interueniſſe, alibi fusè narrauimus [q]. Addit S. Chryſoſtomus [r], ſalutaſſe quoque Neronis pocillatorem, & concubinam, videlicet, Poppæam Sabinam, ſi quomodo poſſet illam ad honeſta conſilia reducere. Certè ipſe in Epiſtola, quam hoc anno ſcripſit ad Philippenſes [s], cùm eos turbatos aduertiſſet, propter vincula & ærumnas, quas hoc tempore ſub Nerone patiebatur, quaſi hęc eſſent in magnum dedecus & detrimentum Euangelij, ſic ſcribit: *Scire autem volo vos, fratres, quod, quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Euangelij: ita vt vincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni Prætorio, & in cæteris omnibus, & plures in Domino confidentes vinculis meis, abundantiùs auderent, ſine timore verbum Dei loqui.* In omni Prætorio dixit, hoc eſt, in tota aula Neronis, occaſione meorum vinculorum Chriſti nomen inclaruit, propter quem, non propter aliquod meum delictum, vinctus ex Iudæa, &

o Act. c. 26 v. 16.

p Philip. c. 4. v. 13.

q lib. 7. c. 8.

r Chryſ. hom 44. in Acta.

s Philip. c. 1. v. 12.

OOoo id

id procurãtibus Iudæis Romã miſſus ſum. Et ex ipſa familia Neronis plures ad Chriſti fidem eſſe perductos apertè conſtat ex iis, quæ ad finem eiuſdem Epiſtolæ ſcribit Philippenſibus, dicens [t]: *Salutant vos omnes Sancti; maximè autem, qui de Cæſaris domo ſunt.* Inter hos extitit non poſtremus Torpetes, qui poſteà Piſis in Tuſcia illuſtre martyrium conſummauit: vnde ſic de illo habetur in Romano Martyrologio, ſub die Maij decimaſeptima: *Piſis in Tuſcia S. Torpetis Martyris, qui magnus in officio Neronis primùm fuit, vnúſque ex his, de quibus Paulus Apoſtolus ab vrbe Roma ad Philippenſes ſcripſit: Salutant vos omnes Sancti, maximè autẽ, qui de Cæſaris domo ſunt. Is poſteà pro fide Chriſti, iubente Satellico, alapis cæditur, ac beſtiis deuorandus traditur; ſed minimè læditur: tandem martyrium ſuum decollatione compleuit.* Dicunt etiã aliqui [u], non ſolùm coram Nerone; ſed etiam in Senatu, & apud Collegium Pontificum cauſam Pauli agitatam fuiſſe, propterea quòd maximè ſpectare ad religionem videretur, idque ab ipſo ſignificatum in eadem Epiſtola ad Philippẽſes, illis verbis [x]: *Vincula mea manifeſta facta ſunt in Chriſto in omni Prætorio, & in cæteris omnibus.* Sed iam diximus, illud: *In omni Prætorio.* Græcè, ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, idem eſſe ac in vniuerſo palatio imperiali. Quod verò additur: *Et in cæteris omnibus.* non ſignificat, in reliquis Prætoriis: nam vnius tantùm mentio facta eſt: ſed in aliis locis, plateis, & vicis vrbis Romæ; ſiue, vt alij cum Chryſoſtomo expoſuerunt, in cæteris omnibus, hoc eſt, non tantùm aulicis Imperatoris, verùm etiam ciuibus Romanis innotuit, me vinctum, propter Chriſtum, & eius Euangelij prædicationem talia ſuſtinere. Non eſt autem dubitandum, Iudæos obſtinatiores, qui Paulum vbique capitali odio perſequebantur, omnia tentaſſe ad illius extremam perniciem, ac totius Chriſtianæ religionis exterminium. Sed Nero primis annis imperij ſui non adeò crudelis fuit, aut inhumanus. Imò Seneca in libro ſecundo de Clementia, quem ad ipſum Neronem ſcripſit, primam eius lenitatem valdè commendans, reuocat illi in memoriam, adeò ſolitum exhorreſcere ad cuiuſuis nocẽtiſſimi hominis ſupplicium ſubſcribendum, vt cùm aliquando à Burro Præfecto animaduerſuro in duos latrones rogaretur ſubſcribere, poſt aliquot tergiuerſationes, dixerit: *Vellem neſcire literas. O vocem*, ait Seneca [y], *quã audirent omnes gentes, quæ Romanum imperium colunt! ô vocem in concionem omnium mortalium mittendam, in cuius verba Principes, Regéſque iuramẽtum faciant!* Quapropter Traianum Imperatorem dicere ſolitum, ait Sextus Aurelius Victor, procul ab illo primo quinquennio Neronis diſtare omnes Principes. Sed præſtat audire, quid adhuc magis ad rem noſtram dicant Euſebius in Hiſtoria eccleſiaſtica [z], & eum ſecutus S. Hieronymus. *Felici* (inquit Euſebius) *ſucceſſit Feſtus: ſub cuius præfectura, cùm Paulus ibi cauſam pro ſe egiſſet, vinctus Romam ducitur, & biennio Romæ in cuſtodia manſit; liber tamen ad prædicandum Euangelium, vt Lucas ait, quo tempore librum de Actis apoſtolicis finiuit, cùm vltra id tempus hiſtoriã non produxerit. Paulus verò cùm pro ſe in iudicio reſpondiſſet, traditum eſt, eum ad Euangelium prædicandum ſe denuò recepiſſe. Veriſimile quippe eſt, Neronem in principio ſui imperij mitiorem fuiſſe, & Pauli defenſionẽ pro religione Chriſtiana, faciliùs, & benigniùs admiſiſſe.* Similia his habet S. Hieronymus dicens: *Poſt paſſionem Domini vigeſimoquinto anno, id eſt, ſecundo Neronis, eo tempore,*

t Philip. c. 4. v. 21.

u Baron. an. 59.

x Philip. c. 1. v. 13.

y Seneca lib. 2. de Clem. c. 1. Sueton. in Nerone, c. 10.

z Euſeb. lib. 2. Hiſt. c. 21. S. Hier. de Script. eccleſ in Paulo.

tempore, quo Feſtus Procurator Iudaæ ſucceſſit Felici, Paulus Romam vinctus mittitur, & biennio in libera manens cuſtodia, aduerſus Iudæos de aduentu Chriſti quotidie diſputauit. Nec dum autem Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente ſcelera, quanta de eo narrant hiſtoriæ, Paulus à Nerone dimiſſus eſt. Hęc Hieronymus. Sed, quod ait Paulum dimiſſum, non ſic eſt accipiendum, vt ſtatim omninò liber diſcedere permiſſus ſit: ſed, quòd in hoſpitio à ſe conducto, tanquam in carcere laxiori, cum catena tamen, & milite illum cuſtodiête toto eo biennio permaneret, iuxta id, quod habet in extremis hiſtoriæ ſuæ verbis S. Lucas, ita vt poſſet etiam ſuſcipere omnes, qui ad eum ingrediebantur, prædicans regnum Dei, & docens, quæ ſunt de Domino IESV Chriſto, cum omni fiducia, & ſine prohibitione. Atque hoc ipſo tempore varias ſcripſit Epiſtolas, de quibus in ſequentibus multa dicturi ſumus.

CAPVT III.

Mittit Roma Epiſtolam ad Epheſios per Tychicũ, & de occaſione, materia, & ſtylo huius Epiſtolæ.

HOc eodem anno Chriſti quinquageſimonono, & Neronis tertio, Paulum aliquantò liberiorem, etiamſi vinctum, in hoſpitio conducto, quod hodie in Eccleſiam eſt conuerſum S. MARIÆ dictæ in via lata, ſcripſiſſe ſuam Epiſtolam ad Epheſios, ſatis perſuadere poſſunt vincula ipſius in ea Epiſtola ſæpiùs commemorata. Nam capite illius tertio [a]: *Ego*, inquit, *Paulus vinctus Chriſti* IESV, *pro vobis Gentibus.* Venerat enim vinctus Romam, vt in arce primaria idololatriæ Gentibus Euangelium Chriſti annunciaret. Vnde ſubdit inferiùs: *Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis, pro vobis, quæ eſt gloria veſtra.* & capite quarto [b]: *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino.* & capite vltimo [c]: *Legatione* (inquit) *fungor in catena.* Ex quibus apertè inferri docent Chryſoſtomus [d], & Hieronymus, Romæ ſcriptam hanc Epiſtolam ab Apoſtolo, dum eſſet in vinculis. Illud prætereà non minùs obſeruatione dignum monent hi Patres, ideò vincula, & catenas hìc à Paulo toties eſſe memoratas, vt intelligeremus, eas ſe nō modò non erubeſcere, verùm etiam omnibus ſceptris & coronis mūdi longè anteferre. In quo argumento Chryſoſtomus Pauli ſpiritu pleniſſimus adeò exultat, & excurrit, vt vix ſibi valeat tēperare. *Nihil enim* (inquit [e]) *eſt ita ſplendidum, vt vinctus eſſe pro Chriſto. Illuſtrius hoc eſt, quàm ſiue Apoſtolum, ſiue Doctorem, ſiue Euangeliſtam eſſe. Si quis Chriſtum diligit, is nouit, quid ſit, quod dico. Hic vtique priùs habebit optione data, vincula ferre propter Chriſtum, quàm cœlos inhabitare. Quouis auro ſplendidiores, quouis diademate illuſtriores ſunt illæ manus. Non enim caput ita ſplendidum redditur impoſita corona margaritis conſpicua, vt catena ferrea, quæ propter Chriſtũ fertur.* & infrà: *Quòd ſi quis* (inquit) *mihi vel vniuerſi cœli, vel huius catenæ copiam, & optionem largitus eſſet; catenã hanc ego planè elegiſſē. Deinde, ſi aut mihi cũ Angelis ſtandũ eſſet ſurſum, aut cum Paulo vincto, carcerem vtique præoptaſſē. Ad hæc, ſi quis me aut in numerũ & ordinē collocaſſet cæleſtiũ potentiarum, earũ etiam, quæ ſunt prope thronum Dei, aut talē vinctum feciſſet, vtique ligatus eſſe voluiſſē. Nihil hac catena beatius. Vellem nunc etiam in eis eſſe locis, in quibus iſta dicũtur eſſe vincula: cuperē videre catenas illas, quas quidē verētur, & horrēt Dæmones.* Addit inferiùs: *Quòd ſi mihi liberum fuiſſet per curas*

a *Epheſ. c. 3. v. 1. & 13.*
b *Epheſ. c. 4. v. 1.*
c *Epheſ. c. 6. v. 20.*
d *Chryſ. in proœ. Ep. ad Epheſ. Hier. in c. 6. Ep. ad Epheſ.*
e *Chryſ. hom. 8. in Ep. ad Epheſ.*

eccleſiaſticas, & corpus habuiſſem validum, nihil vtique cauſatus fuiſſem, quominùs tanta ſuſcepta peregrinatione, catenas duntaxat illas, & carcerem, vbi Paulus ligatus fuit, vidiſſem. Addit prætereà: *Non ita beatum ego Paulum dico, quod in Paradiſum raptus, atque quòd in carcerem eſt coniectus. Non ita beatum exiſtimo, quòd verba audiuit ineffabilia, atque quòd vincula ſuſtinuit.* Hæc & adhuc plura in eandem ſententiam Chryſoſtomus. Ne quis autem ambigat fortaſſis, Paulum in hac ad Epheſios Epiſtola, & in eius Commentariis, Chryſoſtomum non loqui de vinculis, quibus hoc tempore Paulus ex Iudæa Romam ligatus adductus eſt, ideò non ſequi hanc ad Epheſios Epiſtolam nunc fuiſſe ſcriptam, audiat, quæ ibidem ab eodem Chryſoſtomo ſubduntur. *O beata vincula! ò beatas manus, quas catena illa exornauit! Non erant ita præclaræ Pauli manus, quando claudum illum in Lyſtri erigebat, ac reſtituebat, atque quando vinculis erant circumligatæ. Quòd ſi mihi temporibus illis eſſe licuiſſet, tum potiſſimùm illas circumplexus fuiſſem, inque ſinus meos collocaſſem. Vtique non ceſſaſſem oſculari illas, quibus pro Chriſto Domino meo ligari licuit. Admiraris Paulum tunc potiſſimùm, quando nihil illi, quæ manu adhæſerat, detrimenti adferebat vipera? nihil mireris, catenam illam quippe reuerebatur, imò & vniuerſum illam mare venerata fuerat.* Loquitur ergo Chryſoſtomus de Paulo hoc tempore vincto, quando poſt longam à Syria catena ligatus nauigationem in conducto Romæ à ſe hoſpitio nunc ſe receperat. Deinde, quamuis poſt nouem circiter annos, hoc eſt, anno Neronis imperij decimotertio, Paulus iterum Romam veniens, detentus ſit in carcere Mamertino; tamen aderat Romæ tunc proculdubio Petrus, imò eodem cum Paulo carcere detinebatur: at in hac Epiſtola ad Epheſios, ſimiliter in ſecũda Epiſtola ad Timotheum, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Philemonem, quas omnes oſtendemus intra hoc biennium ſcriptas, cùm ſæpè ſuorum vinculorum faciat mentionem, nulla vnquã ratione meminit Petri. Quod argumentum eſt non leue, ex primis vinculis ſcriptas eſſe has Epiſtolas, quando, vt exiſtimamus, nec Romæ Petrus inueniebatur; non in poſtremis, cùm ſimul vterque in eodem carcere vinctus teneretur. Accedit etiam illa ratio ex opportunitate, & libertate ſcribendi, quæ Paulo in primis vinculis illo biennio fuit maxima, quando permittebatur omnes ad ſe venientes excipere, Chriſti Euangelium tota die illis prædicare, *cum omni fiducia* (vt ait S. Lucas [f]) *& ſine prohibitione.* Non ſic autem poſteà cum Petro in carcere Mamertino, vbi capite damnatus, & propediem morte mulctandus, habebatur in arctiſſima cuſtodia.

[f] *Act. c. vlt. v. vlt.*

Denique Epiſtolam eſſe miſſam per Tychicum, ſatis oſtendunt illa verba, quæ circa eius finem leguntur [g]: *Vt autem & vos ſciatis, quæ circa me ſunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus chariſſimus frater, & fidelis miniſter in Domino, quem miſi ad vos ad hoc ipſum.* Tantum verò ſpatium temporis mittẽdi in Aſiam, & remittẽdi tabellarios, nauigatione tam longa, & periculoſa, in ſecundis vinculis habere non potuit; habuit autem in primis toto biennio percommodam. Et hæc omnia, cùm de aliis hoc ipſo biennio datis literis ſingillatim agendum erit, maximè confirmabuntur.

[g] *Epheſ. c. vlt. v. 25.*

Quod verò ſpectat ad occaſionem ſcribendi hoc tempore has literas ad Epheſios, oportet eorum meminiſſe,

quæ

ſuo loco narrata de vrbis Epheſinæ magnificentia, totius Aſiæ metropolis: vbi templum Dianæ ſuperbiſſimum viſebatur, annis ducentis, & viginti, ſiue, vt alij volunt, quadringentis à tota Aſia ædificatum, cum columnis ducentis vigintiſeptem à ſingulis Regibus extructis, & ibidem aſſeruato famoſiſſimo Dianæ ſimulacro, cuius ſacrilegam venerationem Paulus Epheſi ferè per triennium concionando, valdè minuerat, & propè ad nihilum redegerat. Fuerat etiam Epheſus patria magnorũ Philoſophorum, cúmque ſuperſtitionibus, & idololatriæ eſſet deditiſſima, ex tanta opinionũ varietate, ſiue potiùs errorum colluuie, reddita erat magicæ artis, & præſtigiorum ſchola celeberrima: ſed Pauli laboribus & induſtria talis facta eſt conuerſio animorum, vt in foro congeſta librorum magicorum immenſa multitudo publico incendio fuerit concremata. Eam verò gerebat Apoſtolus de ſalute huius vrbis ſollicitudinem, vt poſt graues, & diuturnos ibi exantlatos labores in Macedoniam diſceſſurus, Timotheum Epiſcopum reliquerit loco ſui, virum ſanctiſſimum, doctiſſimum, & ſibi præ omnibus chariſſimum, ſuúmque, vt teſtatur Chryſoſtomus [k], ex ſorore nepotem. Deinde, cùm iterum illac pertranſiret feſtinans Ieroſolymam proficiſci, Epheſios ad ſe Miletum vocauit, exponens illis cum lacrymis, & cum audientium fletu, quanta pro illorum ſalute fecerit ac pertulerit; ſimul etiam prædicens, futuros ex ipſis, qui à fide Chriſti deficerent, & alios peruertere malis artibus conarentur: *Ego ſcio*, (dicebat illis [l],) *quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe.* Et ita factum eſt: multi enim ex Aſia, & maximè ab Epheſo prodierunt Iudaïzantes, & Hæretici, Pauli hoſtes infenſiſſimi, qui eius Euangelium, prædicationem, ſtudia omnia euertere conabantur. Vnde, cùm Ieroſolymam perueniſſet, primi, qui contra illum inſurrexerunt, & manus in eum coniecerunt, vniuerſum populum ad ſeditionem incitãtes, Aſiani fuerũt, vt habetur Actorum capite vigeſimoprimo; & ad hoc, Pauli iter iidem anteuertentes Ieroſolymam ſe cõtulerunt. Deinde, cùm Romam Apoſtolus veniſſet, Aſiani potiſſimùm illi ſe oppoſuerunt, vt ipſe literis ſtatim ad Timotheum datis ſignificauit dicens [m]: *Scis hoc, quòd auerſi ſunt à me omnes, qui in Aſia ſunt? ex quibus eſt Phigellus, & Hermogenes.* Refert autem de hoc Phigello Metaphraſtes [n], fuiſſe illum à S. Petro Epiſcopum conſtitutum Eccleſiæ Epheſinæ, quod omninò apocryphum, & improbabile videtur, Hermogenem factum Hæreticum, & carnis reſurrectionem impugnaſſe, tradit Tertullianus [o] in libro, quem ſcripſit de reſurrectione carnis. Alij referunt, Phigellum, & Hermogenem anteà magicis artibus imbutos fuiſſe, quas Epheſi multi profitebantur, & ad Chriſti fidem, ſicut olim Simon magus, inductos, poſteà deſertores Chriſtianæ pietatis, & apoſtatas factos, maximas in Eccleſia turbas concitaſſe, & Paulo in omnibus aduerſari contendiſſe. His permotus Apoſtolus, quia longè abſens meritò verebatur, ne Chriſti grex in Eccleſia Epheſina graue detrimentum à talibus lupis pateretur, hanc ad Epheſios ſcripſit Epiſtolam; eos in fide confirmans, & ad conſtantiam exhortans quos ex Gentibus ipſe ad Chriſti fidem induxerat: nam ad Chriſtia-

k *Chryſ. hom.* Ne fidamus virtutibus primogenitorum.

l *Act. c.* 20. *v.* 29. 30.

m 2 *Timoth. c.* 1. *v.* 15.

n *Metaphr. Ser. de SS. Petro, & Paulo.*

o *Tert. lib. de reſurrectione carnis,* 24.

nos potiſſimùm ex Gentilibus conuerſos eſſe ſcriptam Epiſtolam, docent illa capitis ſecundi prima verba : *Memores eſtote, quòd aliquando vos eratis Gentes in carne.* & capite tertio : *Ego Paulus vinctus* I E S V *Chriſti pro vobis Gentibus.*

Diuidi autem Epiſtola poteſt in tres præcipuas partes : in prima, eorum fidem ac dilectionem commendans, pleniùs eos inſtituit de altioribus, & reconditis fidei noſtræ myſteriis, videlicet, de humani generis redemptione, de inſcrutabili conſilio prædeſtinationis, de gratuita gentium vocatione, de iuſtificatione per merita Saluatoris, de glorificatione Chriſti, & totius corporis eius, quod eſt Eccleſia : & hæc vſque ad quartum caput. Secunda pars doctrinam continet moralem, formam præſcribens Chriſtianæ perfectionis, qua viros, mulieres, parentes, filios, dominos, & ſeruos, officij ſui omnes admonet. Ad extremum verò vniuerſos tanquam in Chriſti militiam adſcriptos, armis ſpiritualibus perfectè inſtruit, aduersùs inuiſibiles & aëreas poteſtates. Quod verò aliqui exiſtimant, ſcriptam potiſſimùm hanc Epiſtolam aduersùs Simonem Magum, & Gnoſticorum ſcholam inde exortam, non eſt à vero alienum : nam, vt poſtea videbimus, ſæpè in illa errores Simoniacorum perſtringuntur, qui ſub nomine ſcientiæ, quam iactabant, multa non ſolùm fabuloſa, & portentoſa de Deo, de Angelis, & mundo; ſed etiam valdè turpia docebant. Nimis autem impudenter olim Marcio negare auſus eſt, hanc Epiſtolam ſcriptam fuiſſe ad Epheſios, dicens, potiùs ſcriptam ad Laodicenos, quem acriter confutat Tertullianus in libris contra hunc Marcionem [q], & antiquiſſimus Martyr Ignatius in Epiſtola, quam ad eoſdem Epheſios ſcripſit, idem apertè docuit in hæc verba [r] : *Sed nec obeditis alicui, niſi* I E S V *Chriſto vero Paſtori, & Doctori, & eſtis, quemadmodum Paulus vobis ſcripſit, vnum corpus, & vnus ſpiritus, quoniam in vna ſpe fidei concluſi eſtis. Vnus enim Dominus, vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus : vos ergo eſtote tales, qui à tali eruditi eſtis ; hoc eſt, à Paulo Chriſtifero, & Timotheo fideliſſimo. Eſt autem Epiſtola hæc,* vt ait S. Hieronymus [s], *media inter alias Pauli Epiſtolas, quomodo cor animalis in medio eſt : vt ex hoc intelligatur, quantis difficultatibus, & quàm profundis quæſtionibus inuoluta ſit. Scribebat ad Epheſios Dianam colentes, non hanc venatricem, quæ arcum tenet, atque ſuccincta eſt ; ſed illam multimammiam, quam Græci πολύμαστον vocant : vt, ſcilicet, ex ipſa quoque effigie mentirentur, omnium eam beſtiarum, & viuentium eſſe nutricem. Scribebat autem ad Metropolim Aſiæ ciuitatem, in qua idololatria, & quod ſemper idololatriam ſequitur, artium magicarum præſtigia viguerant, vt Demetrius diceret : Et magna Deæ templum Dianæ in nihilum reputabitur : deſtruetur quoque magnitudo eius, quam cuncta Aſia, & vniuerſus mundus colit.* Hæc S. Hieronymus.

Eſt autem ſtylus Epiſtolæ ſublimiſſimus ; tum, quia de myſteriis agit valdè ſublimibus ; tum propter

q *Tert. lib. 5. contra Marc. & Epiph. hær. 42.*

r *S. Ign. in ep. 11. ad Eph.*

s *S. Hier. in proœm. ep. ad Epheſ.*

propter eos, ad quos ſcribebat, inter quos nimiùm ſe extulerat magnorum Philoſophorum humana ſapientia. Quapropter etiam S. Ioannes Euangeliſta, cùm Epheſi rogatus ab Epiſcopis Aſiæ, contra ibi exortas hæreſes, poſtremus ſcriberet Euangelium [c], ſublimiùs multò quàm alij de Chriſti diuinitate locutus eſt, vt meritò Aquilæ comparetur. Sed & Paulus, eò quòd vinculis pro Chriſto conſtrictus in corpore teneretur, in ſpiritu liberior, & inde magis æſtuans atque anhelans, ſpiraſſe hîc videtur ſapientiam profundiorem, nec ſatis potuiſſe concepturum ſublimitatem ſermonibus explicare. Hinc præ aliis Epiſtolis inueniuntur in præſenti ſententiæ longiores, conuolutæ, & implexæ: abundat hyperbatis, anantapodatis, ellipſibus, figuris; quas tamen pro noſtra tenuitate conabimur, vt poſſumus, reddere aliquo modo faciliores.

c Ita S. Hieron. de Script. eccleſ. in Ioanne.

CAPVT IV.

Quæ continentur in Epiſtola ad Epheſios breui paraphraſi exponuntur.

AGit capite primo plurimas Deo gratias pro eius inæſtimabilibus in nos per Chriſtum collatis beneficiis: tum Dei ſingularia dona miratur, atque commendat in Epheſiis, ſic dicens [a]:

a Eph. c. 1. v. 1. &c.

Paulus, Dei voluntate Apoſtolus IESV Chriſti, omnibus, qui ſunt Epheſi credentibus, & ſanctificatis in Chriſto IESV, ſalutem. Benedictus ſit Deus Pater Domini noſtri IESV Chriſti, qui adeò copioſam effudit in nos ſpiritualium ac cœleſtium donorum benedictionem, ſicut elegit nos per merita ipſius Redemptoris præmiſſa ante mundi, rerúmque omnium creationem, vt eſſemus omninò ſancti, puri, Dei repleti dilectione, ac mutua inter nos charitate coniuncti. Qui prædeſtinauit nos in filios adoptiuos per Chriſtum IESVM, vt illi, tum in gratia, tum in gloria conformaremur, iuxta propoſitum voluntatis ſuæ, ad laudem & gloriam gratiæ ſuæ, qua nos effecit gratioſos, in vnigenito ſuo præ omnibus ſibi dilecto, quaſi membra ſub capite amabiliſſimo. A quo manat per Sanguinem ipſius copioſa noſtra redemptio, peccatorum plena remiſſio, & vera noſtra ſapientia & prudentia: vt in nobis atque ex nobis innoteſceret arcanum conſilium voluntatis ſuæ, iuxta eius beneplacitum, & decretum, adimpleto certo tempore, inſtaurandi, & quaſi ſub vno capite Chriſto, quæ erant collapſa, reuocandi, ex hominibus in terris, ad ſocietatem Angelorum in cœlis. Cuius nos feliciſſimæ ſortis effecti participes, vocati per ipſius gratiam ſumus; & ſi, quemadmodum ſperamus, perſeuerauerimus, etiam prædeſtinati in laudem gloriæ ipſius inueniemur. Et ſanè ſigna non obſcura, & velvti pignus, ſiue potiùs quandam arrham futuræ gloriæ obtinuiſtis in eo, quòd tanta animi promptitudine verbum veritatis, & Euangelium ſalutis ſuſcepiſtis.

Quapropter

Qu propter audiens ego eximiam veſtram fidem, & qualem erga ſanctos fratres oſtenditis charitatem, non ceſſo Deo maximas gratias agere pro vobis, & ſemper orare, vt Deus Pater Domini noſtri IESV Chriſti, auctor gloriæ, gratiæ, fidei, ſpei & omnis veræ ſapientiæ, magis ſemper illuminet oculos mentis veſtræ, vt perfecte intelligatis, qualia bona ſperare ex vocatione veſtra debeatis, quam opulenta ſit hæreditas filiorum Dei, quanta ſit ſupereminentia virtutis eius in noſtra ex morte vitiorum ad vitam gratiæ ſuſcitatione: quam non immeritò liceat comparare cum ea Dei virtute & omnipotentia, qua Chriſtum caput noſtrum à mortuis excitauit, & ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſedere fecit, ſupra omnem Angelorum principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & ſupra omne, quod, ſiue in hac, ſiue in futura vita celebre habet nomen. Omnia enim ita pedibus eius ſubiecit, vt ipſe tanquam ſublime caput ſupereminneat Eccleſiæ vniuerſæ, quæ eſt complementum ſuccreſcentis in Sanctis myſtici corporis ipſius. Hæc habet capite primo, quæ magis explicans capite ſecūdo, Epheſios ad eandem gratiarum actionem ſic hortatur [b].

b cap. 2. v. 1. &c. Eratis vos aliquando vita gratiæ propter peccata veſtra deſtituti, ſpiritualiter mortui, expoſiti Dæmonum ludibriis, qui in hoc aëre dominantes poteſtatem ſuam maximè exercent in filios hominum incredulos, & Deo non fidentes, è quorum numero nos fuimus aliquando, prauis dediti concupiſcentiis, & inordinatis appetitionibus noſtræ carnis, ac ſenſus deſeruientes. Et eramus vitio naturæ corruptæ, obnoxij iræ, & indignationi Dei, ſicuti ſunt etiam cæteri. Deus autem, qui diues eſt in miſericordia, propter immenſam, qua nos proſequitur charitatem, cùm eſſemus mortui peccatis, ſicut ſuſcitauit Chriſtum in corpore; ita nos in anima per ſuam gratiam, & ſpem nobis fecit aliquando in thronis cœleſtibus cum illo conſidendi. Vt manifeſtet ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ, per effuſam in nos propter merita noſtri Saluatoris tantam benignitatem. Neque enim vllo noſtro merito ad viam ſalutis inducti ſumus; ſed per fidem, quæ Dei donum eſt, non ex operibus propriis naturæ viribus anteà exercitis, ne quis audeat hac in parte gloriari. Ipſius enim totum eſt hoc opus in creaturis ſuis, nulla noſtrorum meritorum materia præſuppoſita, tanquam ex nihilo recreatum, ad hoc vt Chriſto veluti capiti noſtro per ipſius gratiam inhærentes, vitam in ſanctis operibus traducamus. Quapropter meminiſſe debetis, ô Epheſij, olim in veſtra ethnica ſuperſtitione non ſolùm ſine circuncisione vos fuiſſe; verùm etiam ſine agnitione veri Dei, ſine Chriſto, ſine ſpe vlla diuinitùs promiſſæ Iſraëlitis ſalutis, & redemptionis. Nunc autem, qui prius tam longè à Deo, & eius promiſſionibus aberatis, eſtis Chriſto per ſanguinem ipſius facti propinqui. Ipſe namque noſtræ pacis eſt auctor, qui duos populos, Iudaicum, & Gentilem, ſublata, quæ inter vtrunque intercedebat, diſſenſione, in vnam Chriſtianam rempublicam aggregauit, & veluti vnius, eiuſdémque corporis Eccleſiæ viua membra effecit, per ſuam mortem & ſanguinem Deo Patri reconciliauit, ſibíque noſtro capiti coniunxit. Atque ita pacem vobis ethnicis, qui longe aberatis, & pacem Iudæis, qui non tam procul aberant, euangelizauit:

zauit: vt vtriſque facilis ad Deum Patrem acceſſus concederetur. Ergo iam non eſtis hoſpites, & aduenæ; ſed eſtis conciues Sanctorum, domeſtici Dei, & eius domui tanquam inædificati ſupra fundamẽtum Apoſtolorum ac Prophetarum, quod innititur imo lapidi Chriſto IESV, per quem omnis hæc ſtructura ſpiritualis, cuius vos eſtis viui lapides, in tabernaculum Dei, templúmque ſuccreſcit.

Capite verò tertio miratur altiſſimum Dei conſilium in Gentium conuerſione, cuius ſe operis miniſtrum profitetur, & orat pro Epheſiorum profectu, dicens [c]: Huius rei gratia ego Paulus vinctus Christi IESV, pro vobis Gentibus frequenter flecto genua mea coram Deo: ſiquidem iam percepiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis circa myſterium, quod edoctus diuina reuelatione fui, vt eſt à me breuiter indicatum ſuperiùs. Ex quibus poteſtis facilè intelligere, qualem nobis Deus contulerit de huiuſmodi myſteriis notionem; talem, videlicet, vt ſancti Apoſtoli, & Prophetæ noui Teſtamenti multò clariùs & diſtinctiùs hæc tanquam præſentia cognoſcant, quàm vnquam fuerit antea filiis hominum in generationibus præteritis reuelatum: nempe, Gentiles fore cohæredes, & vnius myſtici corporis membra Eccleſię cum Iudæis, eiuſdémque omnes diuinæ promiſſionis æquè participes, per Christum IESVM in Euangelio ipſius, cuius ego nullo meo merito; ſed per donum gratiæ ipſius, & per efficaciam virtutis eius adminiſter factus ſum. Mihi omnium Chriſtianorum infimo data eſt gratia hæc euangelizandi Gentilibus imperueſtigabiles diuitias Chriſti, & omnes illuminandi, quale, quantúmque ſit hoc Sacramentum, quod à ſæculis anteà continebatur abſconditum in omnium rerum conditore Deo: nunc autem erogatum eſt, & Eccleſiæ reuelatum, vt per illam magis innoteſcat etiam angelicis Principatibus ac Poteſtatibus multipliciter varia ſapientia Dei, iuxta ſæculorum ab ipſo præ-definitam conuerſionem, per merita Domini noſtri IESV Chriſti, à quo, qui verè fideles redditi ſumus, etiam fiduciam obtinemus ad Deum Patrem accedendi. Quapropter peto à vobis, ne ob ea, quæ hic Romæ in vinculis pro Chriſto, & pro veſtra ſalute patior, turbemini, aut animo deficiatis: hæc eſt enim potiùs gloria veſtra. Huius rei gratia, vt anteà inceperam dicere, flecto ſupplex genua mea ante Patrem Domini noſtri IESV Chriſti, à quo omnis paternitas, omnis cognatio, & familia, tum immortalium ſpirituum in cœlis, tũ mortalium hominum in terris deriuatur, vt det vobis ſecundùm diuitias glorioſæ gratiæ ſuę virtutem, qua corroboremini per ſpiritum eius in interiori mentis & cordis veſtri, vbi per fidem Chriſtus inhabitat; & ſitis in charitate radicati, ac fundati, vt poſſitis animo benè concipere cum omnibus Sanctis, qualis, & quanta ſit diuinorum myſteriorum magnitudo, in Chriſto, ſiue quà Deus, ſiue quà homo eſt, in opere noſtræ redemptionis per crucem eius, in vocatione ad ſalutem & gratiam ſuam, non tantùm Iudæorum, ſed etiam omnium Gentium, quæ latitudo bonitatis, quæ longitudo benignitatis, quæ ſublimitas ſapientiæ, quod profundum iudiciorum eius. Det etiam vobis intelligere pro humana capacitate illam eximiam à Chriſto nobis exhibitam charitatem, omnem creatam intelligentiam ſuperantem. Vt hac ratione bonorum omnium

[c] *cap. 3. v. 1. &c.*

diuinorum, ſiue quæ in Chriſto quà Deus, ſiue qua homo, ſiue communicata nobis per Chriſtum plenitudine impleamini. Ei autem, qui poteſt omnia præſtare multò ſuperabundantiùs; quàm petere, & intelligere valeamus,& ſperemus, præſtabit,pro ea, quam experimur ab ipſo in nobis operatione virtutis; ipſi gloria in Eccleſia per Chriſtũ IESVM, in omnes generationes ſæculi ſæculorũ. Amen. Hactenus caput tertium: in reliqua verò Epiſtola hortatur ad vnitatem fidei, & concordiam dilectionis, dicens [d]:

d cap 4. v.1. &c. Obſecro itaque vos ego catena vinctus propter Dominum, vt dignè incedatis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni ſenſu interno veræ humilitatis, cum manſuetudine, cum patientia,ſupportantes inuicem in charitate, ſtudiosè curantes conſeruare vnionem animorum in vinculo pacis. Vnum eſt Eccleſiæ corpus, cuius caput eſt Chriſtus, & vnus ſpiritus, ſit etiam quaſi cor vnum, & anima vna, ſicut vocati eſtis ad vnam, eandémque ſpem ſalutis & felicitatis æternę. Vnus etiam eſt Dominus, vna catholica fides, vnum, quo Deo renaſcimur, Baptiſmi Sacramentum. Vnus denique eſt Deus ſummus, auctor omnium, qui eſt ſuper omnia, maximè ob potentiam æterno Patri propriam; & eſt per omnia; præcipuè propter ſapientiam Filio attributam; eſt in omnibus nobis per bonitatem, & S. Spiritus charitatem. Veruntamen vnicuique noſtrùm data eſt gratia, non par, ſed iuxta menſuram donationis Chriſti. Vnde in Pſalmo dicitur [e]: Aſcendens in altum feliees ſecum duxit captiuos captiuitate priſtina liberatos, & varia dona ſua hominibus contulit. Quòd autem dicitur aſcendiſſe, quid innuit, niſi priùs illum deſcendiſſe ad partes terræ inferiores? hoc eſt, ad Inferos: qui ſic deſcendit, ipſe eſt, qui meritò aſcendit ſuper omnes cœlos, vt victoria ſua, triumpho & gloria omnia repleret. Et ipſe conſtituit in Eccleſia ſua quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas; alios verò Euangeliſtas, alios Paſtores & Doctores, ad ædificationem Eccleſiæ, quæ tanquam corpus eſt Chriſti, & ad Sanctorum, quibus Eccleſia conſtituitur, abſolutam perfectionem. Durabit autem hic ordo hierarchicus, donec in fine mundi fideles prædeſtinati ex variis mundi partibus omnes Chriſto Iudici occurrentes conueniamus in conſummata omnium virtutum adeptione, quæ erit quaſi animi noſtri ætas adulta, & virilis, ſicvt eſt corporea menſura ætatis plenitudinis Chriſti: vt iam non ſimus veluti pueri quolibet impulſu, & ſuaſione fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinæ, per nequitiam hominum, & aſtutiam, & errorum circunuentionem. Veritatem autem ſectantes in charitate, tanquam viua membra ſpiritualiter creſcamus ſub communi noſtro capite Chriſto, ex quo totum corpus Eccleſiæ compactum per ſuas partes ſecundùm menſuram gratiæ, augmentum proprium ſuſcipit charitatis. Hoc igitur dico, & per Deum vos obteſtor, ne iam velitis conuerſari ſicut Gentiles, mente corrupta & dedita vanitatibus, obſcurato errorum tenebris intellectu, alienati à recta ſecundum Deum viuendi ratione, propter voluntariam cordis eorum cæcitatem, qui ſpe vitæ futuræ deperdita, ſemetipſos impudicitiis, & omnis generis immundis voluptatibus inexplebili cupiditate tradiderunt. Vos autem non ita didiciſtis in ſchola Chriſti IESV; ſi tamen benè retinetis, quod non dubito, veriſſimam eius

e Pſ 67. v. 19.

eius doctrinam, & ſanctiſſimam diſciplinam: quotidie magis exuentes priſtina vitia, prauáſque cupiditates veteris naturæ corruptæ. Renouamini ergo ſpiritu mentis veſtræ, & induite mores ſanctiſſimos primi illius hominis, qui Deo ſimilis creatus fuit in iuſtitia originali, & veriſſima ſanctitate. Proinde fugiat vnuſquiſque mendacium, & veritatem loquatur cum proximo ſuo: quia ſumus tanquam vnius, eiuſdémque corporis inuicem membra. Iram nemo foueat cum peccato, nec ad eius irrationabiles motus componendos, Solis occaſus expectetur. Nolite occaſionem tentatori Diabolo exhibere. Qui priùs aliena rapiebat, nunc honeſto ſuo labore potiùs acquirat, vt habeat, vnde tribuat neceſſitatem patienti. Nullus vnquam ex ore veſtro prodeat putidus ſermo; ſed tantùm ad fidelium ædificationem, & profectum. Nolite offendere Spiritum ſanctum, per quem gratiæ ſigillo, tanquam pignore cœleſtis hęreditatis, & plenæ redemptionis futuræ ſignati eſtis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia, omníſque malitia procul ſit à vobis. Eſtote inuicem benigni, miſericordes, illatas vobis iniurias, & quaſcunque offenſiones mutuò condonantes, ſicut Deus per Filium ſuum IESVM Chriſtum omnia nobis peccata condonauit. Hæc habet capite quarto: tum capite quinto eandem proſequitur adhortationem, magis deſcendens ad certas perſonarum conditiones [f].

[f] *cap. 5. v. 1 &c.*

Eſtote ergo imitatores Dei, ſicvt filij chariſſimi, & proficite in dilectione, quali nos Chriſtus proſecutus eſt, & tradidit ſemetipſum pro nobis in oblationem, & hoſtiam Deo odoris ſuauiſſimi. Fornicatio verò & obſcœnitas qualiſcunque, aut auaritia, nec nominetur inter vos, ſicut decet ſanctificatos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas impertinens; ſed magis actio gratiarum. Hoc enim ſcire, & benè intelligere debetis: nullum fornicarium, aut immundum, nullum deditum auaritiæ, quæ tanquam ſeruitus eſt idolorum, regni Chriſti, & Dei hæreditatem eſſe obtenturum. Nemo vos decipiat falſis dogmatibus, & inani perſuaſione: propter hæc enim, quæ dixi, vitia ſolent effectus iræ Dei maximè experiri huiuſmodi homines increduli, & infideles. Nolite igitur cum eorum ſceleribus iam dictis vllatenus communicare. Eratis enim aliquando & vos ſimilibus tenebris peccatorum, & infidelitatis obuoluti; nunc autem fide, gratia, & doctrina Chriſti redditi eſtis luminoſi, & in Eccleſiæ cœlo tanquam ſydera illuſtrata à Sole iuſtitiæ radiatis. *Sicut igitur filij lucis* incedite: fructus etenim huius lucis eſt cum omni beneficentia, & iuſtitia, & veritate: vt exploretis, qua potiſſimùm in re Dei beneplacitum perficere valeatis. Et nolite immiſcere vos inutilibus & tenebricoſis operibus talium lucifugarum; quin potiùs, quantùm poteſtis, redarguite. Quæ enim ab ipſis in occulto perpetrantur, turpe eſt dicere. Sed omnia hæc quàm ſint deteſtanda, lumen ſanctæ doctrinæ, & Chriſtianæ integritatis manifeſtat. Omne enim, quod manifeſtat, lumen eſt: & fieri poteſt, vt dum à vobis filiis lucis filij tenebrarum dignè redarguuntur, ipſi quoque lumen fidei, & ſanctæ vitæ recipientes, reddantur luminoſi. Vnde Spiritus ſancti vox eſt: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, &

illuceſcet,tibi,téque illuſtrabit Chriſtus. Videte igitur, Fratres, quam circumſpecte conuerſemini, vt ſapientes, & non inſipientes, pretioſi temporis opportunitatem bene operandi, quacunque mercede redimentes: quoniam per dies ſingulos multis expoſiti ſumus tentationibus,& periculis. Propterea cauere imprudentiam, & curate magis, quæ ſit Dei voluntas, intelligere. Cauete ebrietatem, ex qua ſolet luxuria ebullire:ſed magis curate, vt impleamini gratia Spiritus ſancti,loquentes vobiſmetipſis, dum in templum ad orandum, & agapen, ſiue in domum ad menſam cōuenitis,in pſalmis,hymnis, & canticis ſpiritualibus, ex imo corde prodeuntibus, gratias de omnibus ſemper Deo,& Patri per Chriſtum referentes. Et qui ſubiecti eſſe aliis debent,ex animo id faciant, non ob timorem mundanum, ſed ex Chriſti reuerentia. Mulieres viris ſuis, ſicut Chriſto Domino ſubdātur:quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, cui gratiam iugiter influit ſalutarem, & ab ea viciſſim accipit honorem ac reuerētiam. Viri, diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, tradens ſeipſum pro ea,vt illam ſanctificaret, mundans eam ſacri Baptiſmatis lauacro, verbíſque vitalibus formæ ſacramētalis, & vt eam ſibi omnis maculæ prorſus expertem exhiberet. Ita viri debent diligere vxores ſuas,quaſi corpora ſua, & ſicut ſeipſos. Nemo enim ſe,& carnem ſuam odit;ſed eam fouet & ſeruat, vt Chriſtus ſaluat Eccleſiam ſuam,cuius nos ſumus myſtica membra, quaſi caro, & oſſa myſtici corporis eius ex eo. Id enim in primo parente,ex cuius latere formata eſt Eua, ſignificatum fuit: vt
g *Gen. c. 2. v. 23.* Adam propterea dixerit [g]:Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Quapropter relinquet homo patrem,& matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Nam Adæ cum Eua matrimonium typus extitit futuræ vnionis Chriſti cum Eccleſia: magis autem nunc Sacramentum matrimonij in lege euangelica, quod ſicut ad gratiam conferendam, & hunc amorem inter coniuges perficiendum eſt inſtitutum,ita perfectius eſt ſymbolum Chriſti cum Eccleſia coniunctionis. Ex quo intelligere poteſtis,qualis eſſe debeat viri erga vxorem charitas, & quanta mulieris erga proprium virum reuerentia.

Inſtruit capite poſtremo varia genera perſonarum,dicens [h]: h *cap. 6. v. 1. &c.*

Filij,obedite parentibus veſtris,vt æquum eſt,propter Domini reuerentiam. Ait enim Scriptura [i]: Honora i *Exodi c. 20. v. 12.* patrem tuum, & matrem tuam: quod eſt primum mandatum habens adiunctam promiſſionem, vt benè ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram. Et vos,patres, nolite filios veſtros ad iracundiam prouocare; ſed educate illos in Domini diſciplina.Serui,obedite dominis temporalibus, cum timore,& cordis ſimplicitate, vt Chriſto,non ad oculū ſeruientes,vt hominibus placeatis;ſed vt ſerui Chriſti, à quo expectare mercedem non ſolùm ſerui debent, ſed etiam domini. Et vos, domini, eandem ſeruis veſtris exhibete humanitatem, remittentes minas, & cogitantes illorum, veſtrúmque Dominum ſine acceptione perſonarum eſſe in cœlis.Denique,vt hanc Epiſtolam concludam, ſumite animos,ò Epheſij, & ſpem in auxilio diuinæ virtutis. Induite vos munientem partes non corporis, ſed animæ vniuerſas armaturam Dei:vt poſſitis reſiſtere inſidioſis Diaboli congreſſibus. Quoniam in hac lucta ſpirituali non eſt nobis certandum cum hoſtibus

hoſtibus viſibilibus carne & ſanguine conſtantibus, ſed cum ſpiritibus inuiſibilibus, qui ſimul cum Lucifero è cœlo ceciderunt ex Angelorum ordinibus, Principatus & Poteſtates appellari: qui dominantur huic aeri caliginoſo, & inde tanquam ex loco ſuperiori nos inuadũt, ſpiritus ſubtiliſſimi, nequiſſimi, & validiſſimi. Propterea accipite panopliam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die periculoſo, & eſſe omni ex parte virtutibus, quaſi armis perfectè inſtructi. State ergo circuncincti lumbos veſtros baltheo fidelitatis & integritatis, & pro lorica induti plena, omnibúſque conſerta virtutibus iuſtitia; pro calceamentis verò ſit indefeſſa promptitudo Euangelium propagandi, eiúſque pacificas vias omnia terrena calcando, perambulandi. Sumentes in omnibus tẽtationibus ſcutum fidei, quo poſſitis omnia nequiſſimi Dæmonis ignea tela malarum ſuggeſtionum extinguere: & pro galea ſpem aſſumite in auxilio Saluatoris, & gladium ſpiritalem, quod eſt verbum Dei. Vt autem, quid mecum agatur, intelligatis, omnia vobis nota faciet Tychicus chariſſimus frater, & miniſter fidelis in Domino, quem propterea miſi ad vos. Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre, & Domino IESVM Chriſto: gratia autem multa iis omnibus, qui amant puriſſima dilectione Dominum noſtrum IESVM Chriſtum. Amen.

CAPVT V.

Explicantur circa ſex capita Epiſtolæ ad Ephεſios, ſex præcipua dubia.

OCcurrit circa primum caput multiplex dubitatio: nempe, quid ſit, quod ibi Apoſtolus ait de Deo [a]: *Elegit nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati.* Nam ante mundi conſtitutionẽ non erat tempus; ſed tantùm æternitas, in qua non eſt antè, neque pòſt: vnde Chriſtus Dominus loquens in Euangelio de regno electis ab æterno præparato, aliter locutus eſt, dicens [b]: *Poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Non dixit, paratum ante conſtitutionem mundi. Deinde, cur ait: *Elegit nos in Chriſto.* quaſi in electione noſtra nihil Deus reſpexerit niſi merita Chriſti: noſtra verò nullo modo; quibus tamen æterna vita redditur, & merces, & corona iuſtitiæ. Et nihilominùs ſubdit ibidem [c]: *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per* IESVM *Chriſtum, in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* & infrà: *Prædeſtinati ſecundùm propoſitũ voluntatis eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Ex quibus plures & graues Auctores colligunt, prædeſtinationem Sanctorum à Deo abſolutè decretam ante præuiſionem noſtrorum meritorum: imò aliqui addunt, etiam ante præuiſionem meritorum Chriſti. Nam S. Auguſtinus in libro de prædeſtinatione Sanctorum [d], prædicta verba Apoſtoli valdè vrget pro merè gratuita prædeſtinatione. Sed reſpondendum eſt in primis, ex adductis Apoſtoli verbis varios errores confutari: nam in eo quod ait, Deum Sanctos elegiſſe ante mundi conſtitutionem, ſiue, vt Græcè habetur, & legit S. Hieronymus, ante iacta mundi fundamenta, Plato refellitur, & eius ſchola, vnde hauſerunt errorem ſuum etiam Manichæi, dicentes, Deum creaſſe mundum; non tamen ex nihilo, ſed ex materia quadam increata, ſibíque coæterna. Reiicitur

a Epheſ. c. 1. v. 4.
b Matt. c. 25. v. 34.
c Epheſ. c. 1. v. 5. & 11.
d S. Auguſt. lib. de præd. SS. c. 18 & 19.

Ariſtoteles ponens mundum nunquam incepiſſe. Perſtringitur alius error Platonis, quem ſecuti ſunt Origeniſtæ, aſſerentes animas ante mundum, & antequàm haberent corpora, inter Angelos creatas, & quæ ſanctè vixerunt, ob id poſteà in ſancta corpora demiſſas. *At* (inquit Apoſtoli verba exponens S. Hieronymus [e]) *non dixit Paulus: Elegit nos ante conſtitutionem mundi, cùm eſſemus ſancti, & immaculati; ſed vt eſſemus ſancti, & immaculati.* Præterea confutat iiſdem verbis Apoſtolus errorem Pelagianorum, dicẽtium, Deum eligere homines ad fidem, gratiam, & ſanctitatem, quos præuidit benè operaturos, & ita gratiam promeritos. *Cernitis,* (inquit S. Auguſtinus [f] diſputans contra Pelagianos,) *& procul dubio cernitis, quanta manifeſtatione apoſtolici eloquij defendatur hæc gratia, contra quam merita extolluntur humana: elegit nos, non quia per nos ſancti & immaculati futuri eramus; ſed, vt eſſemus ſancti, & immaculati.* Reprobat iiſdem verbis Apoſtolus errorem Epicuræorum exiſtimantium homines ventri, & impuris voluptatibus natos, & ad talem ſectandam beatitudinem à Deo creatos. At non ita Paulus ait; ſed, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius. Quod verò quidam ex catholicis Auctoribus inde collegerunt, prædeſtinationem noſtram anteà diuino beneplacito decretam, quàm Chriſti merita præuiderentur, admitti nullo modo debet, cùm potiùs ex doctrina huius capitis contrarium ſatis conuincatur: nam initio capitis dicitur [g]: *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri* I E S V *Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus, in Chriſto.* id eſt, per merita Chriſti: & ſubditur: *Sicut elegit nos in ipſo.* id eſt, intuitu meritorum ipſius. & infrà: *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum Dei per* I E S V M *Chriſtum in ipſum.* Idémque ſæpiùs infrà repetit. Quod verò attinet ad merita noſtrorum operum, etiamſi quatenus exercita ex ſolis naturæ viribus nihil conferant ad gratiam, vel gloriam demerendam: tamen illa bona opera, quæ ex Dei gratia à iuſtis exercentur, quòd non ſint à Deo præuiſa ante abſolutum prædeſtinationis decretum ad gloriam, tanquam propria merita, quibus tale præmium decerneretur, id ex verbis Apoſtoli non conuincitur. Nam ipſe non loquitur de prædeſtinatione, ſiue electione ad gloriam; ſed de prima vocatione ad gratiam, ad quam concedimus, ſicut certa fide tenendum eſt, nulla noſtra merita præceſſiſſe, nec præcedere potuiſſe, vt contra Pelagianos benè oſtendit S. Auguſtinus in libro de prædeſtinatione Sanctorum, ex pluribus teſtimoniis maximè huius primi capitis Epiſtolæ ad Epheſios: in quibus non eſſe Apoſtolum loquutum de abſoluto decreto prædeſtinationis ad gloriam, inde fit manifeſtum, quòd veriſimile non ſit, voluiſſe illum ſignificare omnes Epheſios, ad quos ſcribebat, fuiſſe de numero electorum, & prædeſtinatorum ad vitam æternam, cùm dixit: *Elegit nos in Chriſto, prædeſtinauit nos,* &c. Quis enim hoc de tam multis credat? vnde non dixit: Elegit nos ad æternam gloriam; ſed, *elegit nos, vt eſſemus ſancti, & immaculati, & prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum: & ſorte vocati ſumus, ſecundùm propoſitum eius.* Ergo loquitur de vocatione, de primæ gratiæ collatione, & iuſtificatione, quam omnes illos ad Eccleſiam per Baptiſmi Sacramentum admiſſos obtinuiſſe, benè poterat S. Paulus morali quadam certitudine affirmare. Quamuis,

etiamſi

[e] S. Hieron. in c. 1. Ep. ad Epheſ.

[f] S. Aug. de prædeſt. SS. c. 18.

[g] ad Epheſ. c. 1. v. 3.

etiamſi expreſsè dixiſſet, omnes Epheſios electos, & prædeſtinatos ad vitam æternam, eſſet hoc dictum ſimiliter intelligendum de incompleta electione, & ſolùm inchoata per primam gratiam, vocationem ad Chriſtianam fidem, & iuſtificationem, in qua qui perſeueraſſe vſque ad finem vitæ inuenti fuerint, erunt completè prædeſtinati. Quapropter S. Auguſtinus libro primo, quæſtione ſecũda ad Simplicianum, diligenter expendit, verbum eligendi ſecundùm vocabuli proprietatem ſignificare vnum alteri præferre, quod altero melius iudicatur: ſicut etiam conſtat ex Ariſtotele [h], Damaſceno, & Nicæno. *Nemo enim* (inquit ibi S. Auguſtinus) *eligitur, niſi iam diſtans ab eo, qui reiicitur.* Quod non poteſt intelligi de electione ad primam gratiam, vbi nulla ſpectari debet ratio meriti, aut dignitatis. Quapropter ita dictum Apoſtoli accommodat S. Doctor electioni ob merita in vitam æternam, dicens: *Non, quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideò manet propoſitum iuſtificationis ipſius; ſed, quia illud manet, vt iuſtificet credentes, ideò inuenit opera, quæ iam eligat in regnum cœlorum. Nam, niſi eſſet electio, non eſſent electi, nec rectè diceretur ab Apoſtolo. Quis accuſabit aduersùs electos Dei? non tamen electio præcedit iuſtificationem, ſed electionem iuſtificatio. Nemo enim eligitur, niſi iam diſtans ab eo, qui reiicitur. Vnde, quod dictum eſt, quia elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem, non video, quomodo ſit dictum niſi præſcientia.* Quod autem initio dicebatur de modo illo loquendi, *ante mundi conſtitutionem*, ſiue, *à mundi conſtitutione*; non habet difficultatem. Quamuis enim ante mundi, & motus creationem verum tempus non eſſet, ſed Dei tantùm æternitas; erat tamen tempus imaginarium, quod per illud, *ante*, ſolet explicari: ſi verò illud, *ante*, omittendum ſit, dicetur à conſtitutione mundi, hoc eſt, pridem ab orbe condito, in ipſa æternitate Deus elegit iuſtificandos, vt eſſent ſancti & immaculati. Denique, vt omnis tollatur ambiguitas, illud valdè obſeruabimus, Apoſtolum, quia loquebatur de inchoata tantùm, vt diximus, prædeſtinatione, per primam, videlicet, gratiam, quam nulla merita præcedunt, atque adeò nec illius propriè eſt electio, propterea non eſſe vſum proprio nomine electionis, quæ dicitur προαίρεσις, quaſi (inquit Ariſtoteles [i]) πρὸ ἑτέρων αἱρετὸν, id eſt, præ aliis electum, & προκεκριμένον, id eſt, præiudicatum, tanquã altero dignius; ſed dixit S. Paulus, ἐκληρώθημεν [k], id eſt, ſortiti ſumus. Quare S. Auguſtinus [l] exponens verba illa Pſalmi trigeſimi: *In manibus tuis ſortes meæ. Sortis nomine* (inquit) *appellat gratiam Dei, quia in ſorte non eſt electio, ſed voluntas Dei. Nam, vbi dicitur, iſte facit, iſte non facit, merita conſiderantur: & vbi merita conſiderantur, electio eſt, non ſors. Quando autem Deus nulla merita noſtra inuenit, ſorte voluntatis ſuæ nos ſaluos fecit, quia voluit, non quia digni ſumus: hæc eſt ſors.* Hactenus S. Auguſtinus, addens alia plura ex eodem Apoſtolo teſtimonia ad oſtendendum, gratiam primam ſorte nobis contingere, quia ſine meritis: ad gloriam verò nos propriè eligi, quia ex meritis, vt docuerat in allata quæſtione ad Simplicianũ. Nec diſſentit in hoc S. Thomas, quamuis à multis cum S. Auguſtino in

centrarium

h *Ariſt. lib. 3. Eth. c. 2. & 3. Damaſc. lib. 2. fid. c. 22. Nicen. lib. 5. Philoſ. c. 4.*

i *Ariſt. lib. 3. Eth. c. 2.*

k *Epheſ. c. 1. v. 11.*

l *S. Aug. in Pſ. 30.*

contrariam ſententiam adducatur: ſic enim ipſe ſcribit in Commentario Epiſtolæ ad Romanos [m]: *Dicunt quidam, quod præſcientia meritorum bonorum, & malorum, eſt ratio prædeſtinationis, & reprobationis; vt, ſcilicet, intelligatur, quòd Deus prædeſtinet aliquos, quia præſcit eos benè operaturos. Et hoc quidem rationabiliter diceretur, ſi prædeſtinatio reſpiceret tantùm vitam æternam, quæ datur ex meritis.* Hæc S.Thomas loquens de prædeſtinatione, hoc eſt, electione propriè dicta, quæ non eſt ad gratiam, ſed ad gloriam. Atque hæc circa primam dubitationem ſatis.

m S. Th. lect. 6. in c. 8. Ep. ad Rom.

Circa ſecundum caput occurrit ſecunda dubitatio de ſenſu illorum verborum perobſcuro [n]: *Deus autē, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto* I E S V. Reſpondeo ſæpiùs in hac Epiſtola illud, *in cœleſtibus*, haberi: nam capite primo dicitur [o]: *Benedixit nos omni benedictione ſpirituale in cœleſtibus in Chriſto.* & infrà: *Conſtituens illum ad dexteram ſuam in cœleſtibus.* Et hîc capite ſecundo [p]: *Conſedere nos fecit in cœleſtibus in Chriſto.* Et capite tertio [q]: *Vt innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cœleſtibus.* Et capite vltimo [r]: *Contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* nec in alia eius Epiſtola talis loquendi modus inuenitur. Videtur autem in primis ex hoc ſignificari, quantò magis Apoſtolus vinctus in corpore catena illa ſua terreno carceri affixus detinebatur, tantò illum fuiſſe ſpiritu liberiorem, & cum Chriſto tota mente in cœleſtibus habitaſſe. Deinde voluit ſignificare, quāta eſſet eius ſpes, & fiducia, tandem aliquando futurum, vt in cœleſtibus thronis Chriſto aſſideret, idque adeò ſibi eſſe certum, vt non quaſi futurum, ſed tanquam iam peractum haberet, quod reddi non poteſt infectum: qua ratione ſæpè in diuina Scriptura Prophetæ, quæ futura prædicebant, tanquam præterita, & iam facta denunciabant. *Hoc autem* (inquit S. Hieronymus [s]) *ideo, ne quia futura ſemper nobis incerta ſunt, hominum ſpes fluctuet, & vacillet; ea, quæ Deus futura cognouit, apud quem nihil ambiguum eſt, quaſi iam facta memorantur.* Voluit prætereà S. Paulus repetita illa locutione, *in cœleſtibus*, dum ait, Chriſtum ſedere ad dexteram Patris in cœleſtibus, & nos per illum, & cum illo ſeſſuros in cœleſtibus, & ab illo nos habere omnem benedictionem in cœleſtibus, & oportere virtutem eius innoteſcere Principatibus, & Poteſtatibus in cœleſtibus; voluit, inquam, Apoſtolus varios errores Hæreticorum illius temporis redarguere, qui per Aſiam, & maximè Epheſi tunc vigebant, dicentium, Angelos eſſe Chriſto ſuperiores, eſſe cœlorum & mundi conditores, ab illis potiùs, quàm à Chriſto ſperandam ſalutem, & peccatorum purgationem. Ita refert S.Epiphanius [t] in hæreſi Simonis, Menandri, Corinthi, & Caianorum. Quare de Simone Mago ſic ait Epiphanius: *Nomina quædam ſupponit principatuum, & ſpirituum, cœlóſque diuerſos tradit, & in vnoquoque firmamento, ac in cœlo virtutes quaſdam exponit, & nomina barbarica his indit: non poſſe vero aliter aliquem, niſi hunc myſticum ductum didicerit, & alia ſacrificia patri vniuerſorum, per eos principatus, & poteſtates obtulerit.* Hæc S.Epiphanius.

n Epheſ. c. 2. v. 4.
o ibid. c. 1. v. 3 & 20.
p ibid. c. 2. v. 4.
q ibid. c. 3. v. 9.
r ibid. c. 6. v. 12.
s S. Hier. in c. 2. Ep. ad Epheſ.
t S. Epiph. in hæreſi Simonis, &c.

Tertia dubitatio verſatur circa id, quod dicitur in capite tertio [u]: *Aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicuti nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis*

u Epheſ. c. 3. v. 5. & 6.

Apoſtolis eius, & Prophetis, in ſpiritu: gentes eſſe cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis eius. Nam etiam antiquioribus Prophetis Gentium futura conuerſio ſæpè reuelata fuit: vnde Abrahæ dixit Deus: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Et Iacob Patriarcha filiis ſuis benedicens, de venturo Meſſia ſic prophetauit [y]: *Veniet, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium.* Et Aggæus Propheta [z]: *Veniet deſideratus cunctis Gentibus.* Dauid quoque in Pſalmis [a]: *Et adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes ſeruient ei.* Idémque ſæpiſſimè aſſerit Iſaïas. Sed auget difficultatem, quod Apoſtolus addit, adeò creuiſſe notitiam horum myſteriorum poſt Chriſti aduentum in Eccleſia, vt per illã etiam Angeli profecerint [b]: *Vt innoteſcat* (inquit) *Principatibus, & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* Reſpondent S. Chryſoſtomus, & S. Hieronymus, Prophetas antiquiores cognouiſſe quidem gentes ad Chriſtum vocandas; non tamen apertè cognouiſſe in vocatione, fide, & gratia pares futuras eſſe Iudæis, ſicut Apoſtoli cognouerunt: & ideò dixiſſe S. Paulum: *Aliis generationibus non eſt agnitum, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis, gentes eſſe cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis.* Nam magnum quid eſt extraneos & peregrinos fieri cohæredes; maius autem fieri concorporales, & adhuc maius gentes ſpem non habentes fieri participes diuinæ promiſſionis per fidem in Chriſto Saluatore. At contrà videntur eſſe aperta Iſaïæ teſtimonia, quibus Propheta ſæpè ſignificauit, Gentes futuras Iudæis non ſolùm pares, ſed etiam ſuperiores; & populum Iudaïcum reprobandum, Gentiles verò in filios admittẽdos [d]. *Affer filios meos de longinquo* (ait Deus per Iſaïam,) *& filias meas ab extremis terræ: educ foras populum cæcum,* &c. quæ fuſiùs habentur capite trigeſimoquarto, trigeſimoquinto, quinquageſimoquarto, & ſexageſimo illius prophetæ. Quare addunt SS. Chryſoſtomus, & Hieronymus aliam meliorem reſponſionem: Antiquos Prophetas nouiſſe non ſolùm gentes Eccleſiæ aggregandas, ſed etiam Iudæis præferendas; nõ tamen adeò clarè, diſtinctè, ſingillatim, iuxta omnẽ modum & circunſtantias, ſicut viderunt etiam propriis oculis Apoſtoli, & alij viri apoſtolici, qui laborarunt in ipſa conuerſione gentium. Vnde dicebat diſcipulis ſuis Chriſtus Dominus [e]. *Dico vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Præcipuè verò S. Paulus, propter aſſiduos & diuturnos labores in cõuerſione multarum Gentium, expetimẽtalem & perfectiſſimam de talium conuerſione habuit cognitionem. Et prætereà cùm ad tertium cœlum raptus fuiſſet, inter alia, quæ tunc vidit, probabile eſt, vt diximus, cùm de illius raptu ageremus, reuelatam illi fuiſſe ſingillatim proximè futurã gẽtium conuerſionem. Idque videtur hoc loco verbis illis ſignificare Epheſiis voluiſſe [f]: *Quoniam ſecundum reuelationem notum mihi factum eſt ſacramentum* (id eſt, myſterium,) *prout poteſtis intelligere prudentiam meam;* σύνεσιν, hoc eſt, intelligẽtiam meam, *in myſterio Chriſti, quod aliis generationibus non eſt agnitum: gentes eſſe cohæredes,* &c. Vnde mirum non eſt, adeò Paulum in hoc genere ſibi adſcribere, vt addat, non ſine tamen animi ſumma demiſſione [g]: *Mihi omnium Sanctorum minimo,* ἐλαχιστοτέρῳ, quaſi diceret, Chriſtianorum omnium infimiori infimiſſimo; mihi,

y Gen. c. 49. v. 10.
z Aggæus c. 2. v. 8.
a Pſ. 71. v. 11.
b Epheſ. c. 3. v. 10.
d Iſai. c. 43. v. 6.
e Luca c. 10. v. 24.
f ad Eph. c. 3. v. 3.
g ad Eph. c. 3. v. 8.

inquam, *data eſt gratia hæc, in Gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, vt innoteſcat Principatibus & Poteſtatibus.* Quare S. Cyrillus non veretur dicere [h], Paulo prædicante, Angelos didiciſſe circumſtantias Euangelij, & vocationis Gentium: & S. Chryſoſtomus [i]: *Paulus* (inquit) *Angelorum Euangeliſta, hic eos illuminat.* Ex quo error Simonis Magi ampliùs redarguitur, qui nimiùm Angelis tribuens, docebat eos pluris quam Chriſtum faciendos, & ab ipſis myſteria noſtræ redemptionis potiùs, quàm a Chriſto agnoſcenda, eiſque potiſſimùm tribuenda. Et propterea tum in hac Epiſtola, tum in ea, quæ eſt ad Coloſſenſes, & ad Hebræos, ſæpè Chriſti dignitatem extollit Apoſtolus ſupra omnes angelicas Virtutes, & Poteſtates. Et S. Ioannes, qui Epheſi diu vixit ſimul etiam cum Beatiſſima Virgine, ibique ſuum ſcripſit Euangeliũ ad hæreſes Aſiæ reuincẽdas, de Verbi Diuinitate ſcripſit ſublimiſſimè: & in ſua Apocalypſi, quam ſeptem Aſiæ Eccleſiis inſcripſit, bis teſtatur, apparuiſſe ſibi aliquoties Angelum Dei ſe voluiſſe adorare; ſed fuiſſe ab eodem Angelo prohibitum, dicente ſibi [k]: *Vide, ne feceris: conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum.* Quod eſſe factum, ait S. Gregorius [l], & alij Interpretes, propter reuerentiam humanitatis Chriſti, quam Angeli poſt myſterium Dominicæ incarnationis, præſertim in hominibus ſanctioribus, vt erant Apoſtoli, reuerebantur, illos agnoſcentes in aliquibus digniores, & ſibi aliquatenus ſuperiores.

h S. Cyrillus apud S. Thom. opuſc. 1. c. 26. Vide etiã 1. p. q. 117. q. 2. ad 1.

i Chryſ. hom. 7 in Ep. ad Epheſ.

k Apoc. c. 19. v. 10. & c. 22. v. 9.

l S. Greg. hom. 9 in Euang. & Glim. Beda, Ricard. & alij in Apocal.

Quarta occurrit dubitatio circa quartum caput, vbi de Chriſto ſic dicitur [m]: *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ? qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos.* Quomodo hæc duo extrema, in inferiores partes terræ, & ſuper omnes cœlos intelligenda ſunt? Et qualis ſit illa conſequentia: aſcendit illuc vſque, quia deſcendit primùm in inferiores partes terræ? Beza cum ſuo Magiſtro Caluino per inferiores partes terræ, ad quas hîc dicitur Chriſtus deſcendiſſe, non vult intelligi niſi ſepulcrum: quid verò per Chriſti aſcenſum ſuper omnes cœlos ſignificetur, curioſis Sophiſtis ait eſſe relinquendum. Ita putant iſti de terra tantùm nobis cogitandum, de Inferis & cœlis minimè curandum. At, quod ſpectat ad primum de Chriſti deſcenſu ad inferiores partes terræ, dicimus, hoc eſſe, quod inter articulos noſtræ fidei omnes credere debemus, & in Symbolo Apoſtolorum recitamus: *Deſcendit ad Inferos.* At hoc ſimiliter Beza interpretatur: *Deſcendit ad Inferos*: id eſt, ad ſepulcrum; *& ad inferiores partes terræ*, id eſt, ad ipſam terram, quæ inferior eſt pars mundi. Hoc tamen ineptè nimis, & non ſolùm perfidè: neque enim ſepulcrum eſt infima pars terræ, ſed potiùs ſuprema, ſeu circa ſuperficiem. Neque dixit Apoſtolus: Deſcendit ad inferiores partes mundi ſed, ad inferiores partes terræ: & in Symbolo Apoſtolorum, ſi, *Deſcendit ad Inferos*, ſignificaret, deſcendit ad ſepulcrum, idem abſurda tautologia repeteretur, cùm dicitur: *Mortuus, & ſepultus, deſcendit ad Inferos*: hoc eſt, ſepultus deſcendit ad ſepulcrum. Quare S. Hieronymus exponens hæc Apoſtoli verba [n]: *Inferiora terræ* (inquit) *Infernus accipitur, ad quem Dominus noſter, Saluatórque deſcendit, vt Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur incluſæ, ſecum ad cælos victor abduceret.* Iam verò, quod

m Epheſ. c. 4 v. 9.

n S. Hier. in c. 4 Ep. ad Eph.

quod addit Apoſtolus, aſcendiſſe Chriſtum ſuper omnes cœlos, aliqui exponunt, ſuper omnes cœlos æthereos, intra ipſum cœlum empyreum; ſed Apoſtolus abſolutè ſuper omnes cœlos dixit: non ergo dictum ad æthereos tantùm cœlos eſt reſtringendum. Alij in eo ſenſu dictum interpretantur, quo aliquis dicitur aſcendere ſuper arborem: quia ſupra maiorem partem arboris, nempe, ſupra truncum & plures ramos aſcendit, etiamſi arboris verticem non excedat. Sed neque is propriè dici poteſt aſcendiſſe ſuper omnem, hoc eſt, ſuper totam arborem. Quare, etiamſi prædicta reſponſio non diſplicuerit aliquando S. Thomæ [o]: tamen poſteà meliùs conſiderans hæc verba S. Pauli, & aliarum Scripturarum, mutata ſententia dixit [p], eſſe conuenientiſſimum, vt Chriſti Corpus ſit ſupra omnia corpora ſublimiùs conſtitutum. *Vnde*, inquit, *non oportet aliquam partem cœli eo ſuperiorem eſſe, ſed ipſum eſſe ſuper omnes cœlos, vt ait Apoſtolus. Et David in Pſalmo* [q]*: Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos, Deus.*

[o] *S. Th. in 3. ſent. d. 32. q. 3. a. 3. quæſtiunc. 1. & ſequitur Leſſius lib. 3. de ſummo bono, c. 8.*
[p] *3. p. q. 57. a. 4.*
[q] *Pſ. 8. v. 2.*

Atque hinc eam Pauli illationem intelligemus, dicentis [r]: *Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia.* Quaſi dixiſſet: Qui ſe tantoperè humiliauit pro mundi redemptione, & adeò ſe demiſit pro eruendis à carceribus Inferorum tot millibus ſanctarum animarum, quæ ab Adam, vſque ad hæc tempora per quatuor ferè annorum millia vixerunt, & in profundiſſima mundi parte claudebantur, meritò ſuper omnes cœlos debuit exaltari, vt videat omnia ſubiecta ſub pedibus eius, ſicut Rex in altiſſimo throno collocatus videt omnia, quæ geruntur in aula inferiori, vel in ſubſtrato ſibi amphitheatro. Præſertim, quia Chriſti poſſeſſio non clauditur finibus orbium creatorum; ſed etiam ad alios mundos extenditur, quos creare poſſet, & nouos ibi orbes cæleſtes etiam empyreos producere, & Beatis replere, pro quibus ſaluandis eius infinita promerita abundè ſufficerent.

[r] *Epheſ. c. 4. v. 9*

Quintum dubium occurrit circa caput quintum [s], vbi prohibetur non ſolùm ſtultiloquium, μωρολογία, verùm etiam εὐτραπελία, quam vulgatus Interpres reddidit, ſcurrilitatem: cùm tamen Ariſtoteles [t] eutrapeliam ponat eſſe virtutem ſpecialem, vt oſtendit etiam diſputans de illa S. Thomas [u], eam vocans iucunditatem, alij vrbanitatem, vel comitatem, ponentes eſſe virtutem quandam mediam inter duo extrema vitioſa, vnum per exceſſum, quod dicitur à Philoſopho, βωμολοχία, cùm iocus eſt nimius, vnde hæc videtur propriè ſcurrilitas: aliud vitium eſt per extremum defectus, & dicitur ab eodē Philoſopho, ἀγριότης, hoc eſt, ruſticitas, cùm quis agreſtem ſe exhibet in conuerſatione, ac nimis tetricum. Sed reſpondendum eſt, aliquam virtutem inter illa duo extrema inueniri non eſſe negandum, vt optimè oſtendit S. Thomas, tum ratione philoſophica, tum exemplo, & auctoritate Sanctorum. Neque huic doctrinæ Apoſtolus vlla ratione contradicit: nam ipſe quoque Ariſtoteles ſapienter adnotauit, cum homines vitio naturæ deprauatæ, nimiùm iocis ac facetiis plerunque delectentur, ſæpè contingere, vt ſcurras

[s] *Epheſ. c. 5. v. 4.*
[t] *Ariſt. lib. 4. Ethic. c. 8.*
[u] *S. Th. 2. 2. q. 168. a. 2.*

eutrapelos dicant, id eſt, verſatili ingenio dexteros ad conuertenda hominum,tum dicta, tum facta in relaxationem animorũ. *εὐτραπελία* enim quaſi bona conuerſio dicitur. Ideò S. Paulus non quancunque eutrapeliam reprehendit: *Sed quæ* (inquit) *ad rem non pertinet*. Et ideò cõuenienter vulgatus Interpres eam Latinè reddidit, ſcurrilitatem, quam S. Hieronymus ſic à ſtultiloquio diſtinguit, dicens [x]: *Inter ſtultiloquium autem,& ſcurrilitatem hoc intereſt, quod ſtultiloquium nihil in ſe ſapiens, & corde hominis dignum habet: ſcurrilitas vero de prudenti mente deſcendit, & conſulto appetit quædam,vel urbana verba, vel ruſtica, vel turpia,vel facta: quam nos iocularitatem alio vocabulo poſſumus appellare, ut riſum moueat audientibus. Verùm & hæc à ſanctis viris penitus propellenda, quibus magis conuenit flere atque lugere: vt in Hebraico quoque Euangelio legimus, Dominum ad diſcipulos loquentem: Et nunquam*(inquit) *læti ſitis;niſi cum fratrem veſtrum videritis in charitate*. Hucvſque S.Hieronymus. Sed mouet adhuc Ariſtoteles dubitationem,vtrùm,vt huiuſmodi ſales, ioci, vel facetiæ honeſtæ ſint,magis attendere circa illas debeamus, quid deceat proferentem,an apud quos proferantur; & vtrunque ait attendendum;magis autem primum. Id quod paucis hic ſignificare Apoſtolus voluit,dicens: *Sicut decet ſanctos*. Vnde illud quoque S. Bernardi extat documentum ad Eugenium Papam: *Inter ſæculares nugæ,nugæ ſunt; in ore Sacerdotis blaſphemiæ: interdum ſi incidant, ferenda fortaſſis, referenda nunquam*. Triplicis autem potiſſimùm generis ſcurrilitates ſunt maximè fugiendæ: primùm mordaces, ſiue maledicæ, quibus lædi charitas plurimùm poteſt,eòque magis,quò plus habere ſalis, & ingenij videbuntur. Secundò, ſi verſentur ioci circa flagitioſa, & obſcœna; ſic enim facile poterunt, ait S.Thomas [y], ad culpam mortiferam incitare. Tertiò, ſi fiant ſacrorum verborum abuſione, de quo grauiter monet ſacra Synodus Tridentina [z], ne quiſquàm de cætero audeat quomodolibet verba, vel ſententias ſacræ Scripturæ detorquere ad ſcurrilia,fabuloſa,ſuperſtitioſa, libellos famoſos,& ſimilia.

[x S.Hier. in c. 5. ad Eph.]

[y S. Th. 2.2.q. 168. a. 3.]

[z Trid. ſeſſ.4.ad finem.]

Vltima dubitatio erit circa poſtremum Epiſtolæ caput, vbi dicitur [a]: *Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli: quoniam non eſt vobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem: ſed aduerſus Principes, & Poteſtates*. Quomodo verum ſit,non eſſe nobis colluctationem cum carne & ſanguine, cùm idem Apoſtolus ſcribat ad Galatas [b]: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur*. Aliqui reſpondent, bellum contra carnem, & ſanguinem magis eſſe imperfectorum; nempe, contra vitia carnalia, & ſenſualia; perfectorum autem pugnam magis eſſe contra Dæmones: Epheſios igitur tanquam perfectos non ad primam, ſed ad hanc ſecundam pugnam exhortari. At id parum eſt veriſimilè, cùm in capite ſuperiori Epheſios monuerit inter alia, caueıent fornicationem, immunditiam, turpitudinem, ſtultiloquium, & ſimilia vitia hominum valde imperfectorum, quales in tanta multitudine aliqui non deerant; quamuis multi eſſent magna virtute præditi, & inſignibus Dei donis exornati. Alij ergo reſpondent, non eſſe nobis colluctationem cum carne & ſanguine, id eſt, non tantùm eſſe nobis pugnam contra carnem; verùm etiam contra Dæmones, ſiue non

[a Epheſ. c. 6. v. 12.13.]

[b Gal. c. 5.v.17.]

tum

tam contra illam, quàm contra iſtos: tum, quia multò grauiùs à Dæmonibus, quàm à carne impugnamur: tũ, quia ipſa caro non tam ex ſe, quam vt organum maligni Dæmonis eam inflammantis nos exagitat. Quia ergo vult Apoſtolus nos docere (inquit S. Hieronymus [c]) non ex natura corporis, & de materia carnis, & ſanguinis hæc vitiorum genera procreari, ſed inſtinctu Dæmonum; propterea ait; non eſt nobis colluctatio aduersùs carnem, & ſanguinem; ſed aduersùs Principatus, & Poteſtates. Fuit etiam veterum quorundam opinio, quam ſequitur Caſſianus [d], ſingulis vitiis proprios Dæmones præſidere, indéque vocari ſpiritum fornicationis, ſpiritum gulæ, ſpiritum ſuperbiæ, vel inuidiæ; quia ſoleant ad hæc vitia proprio ſingulorum officio incitare. Sed hæc valdè ſunt incerta, neque S. Hieronymus id ex propria retulit opinione, ſed Origenis. Quare addit idem Sanctus Doctor ſuam, quam magis veram putamus, reſponſionem, per carnẽ & ſanguinem ab Apoſtolo ſignificatos homines carne & ſanguine conſtantes, & hos oppoſuiſſe Dæmonibus, qui non cõſtant carne, vel ſanguine, cùm ſint puri ſpiritus: vt intelligeremus bellum hoc noſtrum cum illis valdè eſſe periculoſum: quia non eſt cum hoſtibus corporis, ſenſibilibus, & viſibilibus, ſed ſpiritalibus, ſubtiliſſimis, & fallaciſſimis. Vnde arma ſubminiſtrat ſpiritualia: ſcutum fidei, galeam ſpei, loricam iuſtitiæ, baltheum integritatis, ocreas promptitudinis, gladium diuini verbi, quo vſus Chriſtus Dominus, cùm ad eum tentandum Dæmõ in deſerto ſemel, iterum, ac tertiò acceſſiſſet, verbis diuinæ Scripturæ ſemper illum repreſſit, dicens [e]: *Scriptum eſt: Non in ſolo pane viuit homo. Scriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum. Et iterum ſcriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis.* Hæc igitur eſt panoplia ſpiritualis, & diuinum armamentarium, quo nos armatos vult Apoſtolus, vt poſſimus ſtare aduersùs inſidias Diaboli, de quibus agendum modò ſuſceperat, non de aliis.

[c] *S. Hieron. in c. 4. Oſeæ.*

[d] *Caſſ. coll 7.*

[e] *Matt. c. 4. v. 4. & 10.*

CAPVT VI.

Scribit hoc eodem tempore Epiſtolam ſecundam ad Timotheum: & de occaſione, materia, & ſtylo Epiſtolæ.

NOn ſatis habuit Apoſtolus Paulus Epheſiis Epiſtolã ardentiſſimo ſpiritu, & ſapiẽtia profundiſſima hoc tẽpore ſcripſiſſe, curam gerens & ſollicitudinẽ maximam Eccleſiæ Epheſinæ, tãquam in Aſia primariæ; ſed voluit prætereà Epiſcopo Timotheo diſcipulo ſuo dilectiſſimo alteram propriam dare, plurimùm illi commendans curam illius Eccleſiæ Epheſinæ, & quæ Romę circa ſe agerentur, confidentius exponere. Hæc enim magis in particulari Epheſiis ſignificare non eſt viſum; ſed potiùs à Tychico, per quem Epiſtolam mittebat, narranda relinquere, vt in fine illius deſcripſit, dicens [a]: *Vt autem & vos ſciatis, quæ circa me ſunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, quem miſi ad vos in hoc ipſum, vt cognoſcatis, quæ circa me ſunt.* Et per eundem Tychicum hanc ſecundam ad Timotheum Epiſtolam eſſe miſſam facilè credi poteſt ex eo, quòd ipſe Epheſum hoc tempore literas ferens mittebatur, ſicut in vtraque Epiſtola, tum ad Epheſios, tum ad Timotheum ſignificatur; neque huiuſmodi Epiſtolæ, niſi per certas, &

[a] *Epheſ. c. vlt. v. 21.*

valdè fideles perſonas, vt aliàs diximus, mittebantur. Scriptam verò eſſe Romæ ab Apoſtolo hanc Epiſtolam, nemo dubitat; & quidem eo tempore, quo ipſe erat in vinculis. Nam capite primo, ſic Timotheo ſcripſit [b]: *Noli erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum eius.* Et infrà: *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quia ſæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit: ſed, cùm Romam veniſſem, ſollicitè me quæſiuit, & inuenit.* Et capite ſequenti [c]: *Laboro* (inquit) *in Euangelio vſque ad vincula, quaſi malè operans, ſed verbum Dei non eſt alligatum.* Ex quibus verbis, & ex aliis, quæ de miſſa Epiſtola ad Epheſios iam ſunt dicta, conſtare ſatis potuiſſet, hoc tempore hanc poſtremam ad Timotheũ eſſe datam, quando Romæ ita erat vinctus Apoſtolus, vt verbum Dei prædicare non prohiberetur, & ſuſcipiebat omnes, qui ad eum, ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentilibus ventitarẽt, *Prædicans* (inquit S. Lucas [d]) *regnum Dei, & docens, quæ ſunt de Domino* IESV *Chriſto cum omni fiducia, ſine prohibitione.* Tamen oportet hoc loco rem apertiùs confirmare: non enim deſunt multi & graues Auctores, tũ antiqui, tum recentiores, quibus viſum eſt, non hoc anno Chriſti quinquageſimonono, & Neronis tertio, ſcriptam hanc Epiſtolam fuiſſe; verùm multò pòſt in ſecundis vinculis, quæ iterum Paulus ſub Nerone ſuſtinuit poſt decennium, nempe, anno Chriſti ſexageſimonono, & Neronis decimotertio, cùm iam illi mors immineret, & ad proximam ſui martyrij palmam anhelaret. Id autem ex illis in extremo Epiſtolæ capite verbis conuinci arbitrantur [e]: *Ego enim iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Vnde concludunt hanc ſecundam ad Timotheum Epiſtolam omnium Pauli Epiſtolarum editam ab eo quaſi cygnæa voce poſtremam. Quare ſic de illa ſcribit Euſebius in Hiſtoria eccleſiaſtica [f]: *Poſtquàm vrbem Romam Paulus ſecundò aduenerat, beato martyrio extremum vitæ diem obiturus; ſecundam texuit ad Timotheum Epiſtolam, in qua migrationis ſuæ ex hac vita, quæ è veſtigio ſecuta eſt, mentionem fecit.* Eadem ferè habet ex Euſebio S. Hieronymus [g]. Indicat S. Chryſoſtomus, dicens [h]: *Videtur tunc Paulus ſcripſiſſe hanc Epiſtolam, cum eſſet proximus fini; ait enim: Ego iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.* Idem volunt Theodoretus [i], Anſelmus, Theophylactus, quos plures recentiores ſequuntur.

Omnibus tamen attentè conſideratis, cogimur perſiſtere in noſtra ſententia, quæ ſuos quoque non paucos, & accuratos habet Auctores [k], magiſque conuincentes in hiſtoria rationes, ex quibus etiam obiecta in contrarium facilè diluuntur. Petimus itaque, ſi tam certò Paulus nouerat, & reuelatione diuina ſciebat ſibi martyrium imminere, atque in hunc ſenſum dixit: *Ego iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat, bonum certamen certaui, curſum conſummaui.* cur ſubdat inferius [l]: *Dominus autem mihi adſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes: & liberatus ſum de ore leonis.* id eſt, a furore Neronis mortem minitantis. Neque verò probabilis apparet Euſebij reſponſio, Paulum ab ore leonis, id eſt, ab ira Neronis per mortem, & martyrij conſummationem eſſe liberatum, ideò ſtatim quaſi pro explicatione adiunxiſſe [m]: *Liberauit me*

Dominus

b 2.Tim. c.1. v.8. & 16.
c ibid. c. 2. v.8.
d Act. c. 28. v. ult.
e 2.Tim. c.4 v.6.
f Euſeb. lib. 2. c.21.
g S. Hieron. lib. de Script. eccleſ. in Paulo.
h Chryſoſt. hom. 1. in ep. 2. ad Tim. quem ſequitur Niceph. l.2.c.34.
i Theodoretus in 2. ad Tim. vbi Caietanus, Marſalian. P. Steuartius, Corn. à Lapide, Pererius in Proleg. ep. ad Rom. n. 42.
k Baron. an 59. Salmerõ tom.15. d p.1. Eſtius in Ep.2. ad Timoth. Lintrenſi in Acta c.ult. Iuſtin. in 2. ad Tim.
l 2.Tim. c 4.v.17.
m 2.Timoth.c. 4 v.18. 19.

Dominus ab omni opere malo, & ſaluum faciet in regnum ſuum cœleſte. Nam, quomodo poſſunt iſta cum reuelatione Chriſti conuenire Paulum confortantis, vt ſuam prædicationem impleret? Reſpondent aliqui, vt impleret, id eſt, ſuo martyrio quaſi quodam ſigillo plenam illi fidem faceret. At verba Pauli aliud volunt, ait enim; *Dominus mihi aſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes.* Quare, ſicut cùm ante annum eſſet Ieroſolymis in ſimili diſcrimine conſtitutus, aſtitit illi Dominus,

n Act. c. 23. v. 11.

dicens [n]: *Conſtans eſto: ſicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari.* Quod ſine dubio Romæ adimpletum fuit; ita hoc adimplendum poſtea fuiſſe, non eſt quòd dubitemus. Vnde in Epiſtola, quam poſt hanc, vt infià videbimus, ſcripſit ad Philippenſes, ſuum eis pollicetur aduentum, di-

o Philip. c. 2. v. 24.

cens [o]: *Confido autem in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos citò.* Imò ſignificans ſe valdè cupere diſſolui à vinculis corporis, & eſſe cum Chriſto; tamen addit, ſe non audere, pro bono illorum id ſibi eligere, & certò ſcire, non tam citò ſibi hoc

p ibid. c. 1. v. 23.

euenturum [p]: *Coarctor (inquit) è duobus: deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto multo magis melius: permanere autem in carne neceſſarium propter vos. Et hoc confidens ſcio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum, & gaudium fidei: vt gratulatio veſtra abundet in Chriſto IESV in me, per aduentum iterum ad vos.* Aliqui ergo aliter reſpondent, negari non poſſe, hanc Chriſti apparitionem, de qua egi-

q lib. 12. c. 2.

mus ſuperiùs ſuo loco [q], accidiſſe hoc tertio Neronis anno, parum anteà quàm ſiſtendus Neroni Paulus fuiſſet; nihilominùs tamē Epiſtolam ſecundam ad Timotheum, vbi de tali apparitione fit mentio, non hoc anno ſcriptam eſſe; verùm multò pòſt, nempe, decimotertio Neronis. At, quis credat voluiſſe Apoſtolum poſt decem annos rem hanc Timotheo in Aſia commoranti tāquam nouam deſcribere, quam Romæ toties intra illud decenniū ex ore ipſius benè intelligere potuiſſet? ſiquidē fuiſſe Timotheum aliquādiu intra illud tempus Romæ cum Paulo, nō ſinunt dubitare Epiſtolæ ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, & ad Philemonē, quas eodem tempore ita Romæ Paulus ſcripſit, vt primis verbis ſignificet apud ſe Timotheū manere, nec ſuo tantùm, ſed illius quoque nomine illas literas ſe ſcribere. Hinc aliud ſumimus planè conuincens argumentum: nam, ſi tam diu cum Paulo Timotheus fuerat in vrbe Roma, quid opus erat, vt propè iam moriturus, iterum illum ad ſe ex Aſia vocaret?

r 2. Tim. c. 4. v. 21.

ita illi ſcribens [r]: *Feſtina ante hyemem venire.* Potiùs igitur credere debemus primo anno, quo Paulus Romā venit, qui fuit tertius Neronis, circa ver, quando ipſe non pridem aduenerit, ita ſcripſiſſe Timotheo, vt literæ per æſtatem ad eum ferrentur; ipſe verò circa finem æſtatis nauigationi ſe committens ante hyemem Romam perueniret: tum anno ſequenti, nempe, Chriſti ſexageſimo, & imperij Neronis quarto, qui fuit illius biennij ſecundus, quo Paulus in vrbe commoratus eſt ſcriptas fuiſſe literas ad Philippenſes, Coloſſenſes, & Philemonem, in quibus Timotheum iā adueniſſe, & ſecū Romæ verſari apertè ſignificatur: ſicut agendo de ſingulis magis poſteà cōfirmabimus. Tertiò, ſimilis, nec minùs valida coniectura ex eo deducitur, quòd in eadē Epiſtola ad Timotheū

s 2. Tim. c. 4. v. 11.

ſic illi ſcribit [s]: *Marcum aſſume, &*

adduc

adduc tecum: eſt enim mihi vtilis in miniſterium. Non igitur mortem Paulus tunc expectabat; ſed ad nouos labores ſe comparabat: niſi fortè poſt ſuam mortem illius vti miniſterio cogitabat: at in Epiſtola, quam ſcripſit poſt Marci & Timothei aduentum ad Coloſſenſes annô ſubſequẽti, ſignificat iã Marcum Romæ verſari, ſéque illius vti miniſterio, dicens: *Salutat vos Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata, & Iuſtus, qui ſunt adiutores mei.* Quarte Auctor geſtorum Barnabæ apud
u Metaphr. 19. Febr. Metaphraſtẽ [u], refert, Marcum ſemper cum Paulo mãſiſſe vſque ad Barnabæ obitum: inde verò in Cyprum ad eam Eccleſiam curandam à Paulo miſſum: niſi, quòd hic Auctor perperam cum Marco Euangeliſta hunc Marcum confundit. Quarta coniectura eſt, quia Paulus de Luca ſic ad
x 2. Tim. c. 4. v. 11. Timotheum ſcribit [x]. *Lucas eſt mecum ſolus.* conſtat autem Lucam cum Paulo Romam hoc tempore veniſſe, & manſiſſe, aliis eius ſociis timore Neronis per varia loca diſperſis, aut ab ipſo Paulo dimiſſis, qui de hac re
y ibid. v. 9 & 16. Timotheo ſcribẽs ait [y]: *In prima mea defenſione nemo mihi adfuit: ſed omnes me dereliquerunt. Demas enim me dereliquit diligens hoc ſæculũ, & abiit Theſſalonicã: Creſcens in Galatiam: Titus in Dalmatiã. Lucas eſt mecum ſolus.* Hæc igitur ex primis vinculis, & primo anno illius biennij, quo Romam venit, ſcripſit, quando ibi cum Luca morabatur; non autem poſt annos decem. Reſpondent quidam, fortaſſe Lucam poſt illos decẽ annos cum Paulo iam martyrio coronando iterum Romæ fuiſſe: at id certo Auctore non conſtat. Deinde, cur dixiſſet: *Lucas eſt mecum ſolus:* cùm eo tempore nihil de Luca ſciatur, & certum ſit, Paulum non manſiſſe ſolum, ſed ſimul cum Petro fuiſſe in eodem carcere Mamertino? Mirum etiam eſt, ſi Lucas vltra hoc biennium Romæ cum Paulo verſabatur vſque ad tempus martyrij ipſius; Hiſtoriam tamen Actuum Apoſtolorum vltra illud biennium producere noluiſſe, & præcipuam eius partem, nempe, martyrium duorum Principum Apoſtolorum, cui ipſe interfuiſſet, nobis denegaſſe. Sed tranſeamus ad quintam non minùs efficacem pro nobis coniecturam. Scribit in eadem Epiſtola ad Timotheum Paulus his verbis [z]: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros; maximè autem membranas.* z ibid. v. 13.
Quanam ratione apud Carpum hoſpitem ſuum Paulus hæc Troade reliquerit anno ſuperiori, ſuo loco expoſuimus [a]. Cum enim (vt ibi dicebamus) cogitaret Romam aliquãdo proficiſci, ſed priùs Aſia peragrata vellet peruenire Ieroſolymam, expedire non iudicauit, ea ſecum per tot regiones circunferre; ſed poſtea curare, vbi Romæ fuiſſet, ad ſe deferri, ſecuriùs, & faciliùs itinere breuiori. Quis ergo ſibi perſuadeat hæc Paulũ noluiſſe modò repetere, cùm primùm Romam venit; ſed expectaſſe vſque ad annos quatuordecim, aut quindecim, cùm iterum Romam adueniſſet, & iã imminere ſibi martyrium clauſus in cuſtodia certò ſciret? præſertim, ſi per penulam, quod multi volunt, veſtem hyemalem intellexiſſet; aut, quod aliis placet, ſenatoriam. Ad quid enim veſtes huiuſmodi homini captiuo, carceri incluſo, & pro Chriſto propediem morituro? Sed oſtendimus, potiùs nomine penulæ ſignificatum eſſe volumen ſacrorum Bibliorum, quo vti pro euangelica prædicatione cogitabat, ad quam a Chriſto ſibi apparente fuerat animatus; nec erat facile vbique inuenire, qui huiuſmodi exẽ- a lib. 10. c. 5.

plaria

plaria fideliter,& emendatè tranſcripſiſſent. Quam etiam ob cauſam ad ſe Timotheum hæc ferentem venire Romam volebat, vt qui bene eſſet in diuinis Scripturis à puero eruditus, Romam, vbi fundabatur arx Chriſtianæ religionis, pro ſubſidio aduenirer. Sextam coniecturam habemus à Tychico miſſo hoc tempore Epheſum cum Epiſtola ad Timotheum,& ad Epheſios,atque etiam vt ſuppleret vices Timothei, quem ad ſe Paulus vocabat. Septima ex Trophimo, quẽ in fine huius Epiſtolæ ſignificat Timotheo,ſe infirmum reliquiſſe Mileti [b]:quod oſtendimus in hac nauigatione a Palæſthina in Italiam contigiſſe. Alioquin, ſi non hoc tempore ſcripta ſit hęc Epiſtola,poſt annos decem ſignificaret ægrotum ſe Mileti Trophimum reliquiſſe,quod non eſt credibile: aut erit cum Caietano [c] fingendum, Paulum non multò ante martyrium, iterum cum Trophimo in Aſiam veniſſe, eúmque tunc infirmum Mileti reliquiſſe, quod alibi eſt reiectum, & ampliùs infrà refutabitur.Octaua coniectuta:*Demas*(inquit Paulus [d]) *me reliquit diligens hoc ſæculum, & abiit Theſſalonicam.* At hic Demas ad ſaniorem mentem rediit, & Apoſtolo deinde cum aliis fratribus in vinculis miniſtrauit, vbi poſt aliquod tempus vrbem repetiiſſet, vt ex Epiſtola ad Coloſſenſes [e], & ad Philemonem ſcriptis anno ſequenti exponetur.Nona coniectura:Eraſtum dicit ſe reliquiſſe Corinthi [f]:id autem factum in diſceſſu Apoſtoli anno ſuperiori Ieroſolymam feſtinantis, iam ſuperius [g] fuiſſe oſtenſum. Decima coniectura: *Salutat*(inquit eidem Timotheo ſcribens *Priſcillam, & Aquilam*: nimirum, quos habuerat ante annum itineris ſui comites vſque Epheſum, ibique eos reliquerat, vbi etiam Timotheum reliquit Epiſcopum Epheſinum conſtitutum.Vndecima coniectura:*Det* (inquit [h]) *miſericordiam Dominus Oneſiphori domui: quia ſæpè me refrigerauit, & catenam meam non erubuit,ſed, cum Romam veniſſet, ſollicitè me quæſiuit, & inuenit.* Id autem præſtitum ab Oneſiphoro circa hoc tempus, ſuprà narrauimus. Et ſanè loquitur Apoſtolus de recenti exhibita ſibi ab Oneſiphoro charitate;non autem de re perantiqua,ſicvt eſſet, ſi Epiſtola poſt decem annos ſcripta de his meminiſſet. Duodecima denique coniectura ſumitur ex toties repetito nomine vinculorum, & eadem forma verborum, tam in hac Epiſtola ad Timotheum, quàm in aliis quatuor,vna ad Epheſios, altera ad Philippenſes, tertia ad Coloſſenſes, & ad Philemonem quarta, in quibus eodem modo ſe vinctum dicit, & vinctum IESV Chriſti, & eſſe in vinculis,& in catena: ſed illæ Epiſtolæ ſcriptæ ſunt circa hoc biennium, atque adeò ex primis vinculis, non ex poſtremis:ſimiliter igitur hæc ſecunda ad Timotheum.Imò in annó vitæ ſuæ poſtremo fuiſſe Apoſtolum anguſto clauſum carcere, certiſſimum eſt;incertum tamen, an fuerit, ſicut hoc tempore, in catena,præſertim ea libertate,vt literas ſcribere, & ad longinquas regiones eas tranſmittere illi concederetur.

Quare non eſt, cur vltra de tempore huius Epiſtolæ dubitemus: nec illud nos mouere ab hac firmata tot argumentis ſententia debet, etſi multos permouerit, quòd in ea legimus, ab Apoſtolo quaſi martyrium expectante ſcriptum [i]: *Ego iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat: bonum certamen certaui, curſum conſummaui*: non enim deſunt variæ reſponſiones, quarum ſi non omnibus omnes,aliquæ certe poterunt ſatisfacere.Prima igitur eſt Baronij [k],dicentis,

b 2.Tim. c. 4. v. 20.

c Caiet. in c. 4. Ep. 2. Tim.

d 2.Tim. c.4.v. 9.

e Coloſſ c.4 v.14. Philem. v. 24.

Vide dicta ſuprà in hoc lib.c.2.

f 2. Tim. c. 4. v. 20.

g lib.10. c.3.

h 2 Tim. c.1.v.16.

i 2 Tim. c.4.v.6.

k Baron. anno 59.

tis, fortaſſe tunc Apoſtolo diuinitùs reuelatum, ſe ſub Nerone capite plectendum eſſe: ſatis autem illud tempus inſtans videri potuiſſe, quod ſub eodem Principe fuerat implendum. Nam, quomodo videti breue, ac penè momentaneum non potuit nouem, aut decem, quod reliquum erat, ſpatium annorum vitæ ſuæ, ſi eadem planè mẽſura, Saluatoris ad iudicandum aduentum poſt modicum tempus fore prædixit, ita ſcribens ad Hebræos [l]: *Adhuc modicùm, aliquantulùmque, qui venturus eſt, veniet, & nõ tardabit.* Alij verò cum Salmerone ſuſpicantur [m], hæc ab Apoſtolo ſcripta, cùm primùm Neroni ſiſtendus eſſet; coniecturam autẽ feciſſe Apoſtolum à ſæuitia tyranni, & malignitate accuſantium, probabiliter ſibi mortem imminere: poſteà verò, vbi mitiùs ſecũ agi obſeruauit, & à Chriſto ſibi apparente animatus de ſua liberatione promiſſionem accepit, tũc Epiſtolæ ſuæ nondum anteà completæ illa verba addidiſſe [n]: *Dominus autem mihi adſtitit, & confortauit me: & liberatus ſum de ore leonis.* tum mandaſſe Timotheo, vt ad ſe ante hyemem veniret. Hæc tamen videntur minùs certa, nec ſatis firma, niſi coniectura: nam, quamuis veriſimile admodum ſit, Paulum de ſuo futuro martyrio reuelationem aliquando habuiſſe, ſicut habuit S. Petrus, qui propterea in ſecunda ſua Epiſtola ſic ſcripſit [o]: *Certus ſum, quòd velox ſit depoſitio tabernaculi mei, ſecundùm quod Dominus* Iesvs *Chriſtus ſignificauit mihi.* tamen quando S. Paulus ſimilem à Deo obtinuerit manifeſtationem, ſcire non poſſumus; niſi quòd ipſe nunc refert, à Domino ſe accepiſſe, id non tam citò futurum; ſed pro tempore liberandum, vt miniſteriũ ſuæ prædicationis impleret. Neque videtur neceſſarium affirmare diuerſis temporibus partes aliquantulùm varias illius Epiſtolæ fuiſſe conſcriptas, cùm omnes optimè ſibi cohæreãt. Quamuis autem certò ſciret Apoſtolus, ſe ad tempus liberandum: tamen prudenter iudicabat, cõſiderata ſenili ſua ætate, Neronis immanitate, propoſito ſuo non deſiſtendi ab euangelica prædicatione, & à redargutione errorum, tum Iudaïzantium, tum idola colentium, ſe non diu extremum periculum euaſurum, & iam prope metam decurrere: præſertim, quia nondum ſic erat liberatus, vt poſſet Roma diſcedere; ſed cum cuſtodiente ſe milite in catena tenebatur: ideò dixit: *Curſum conſummaui*; hoc eſt, ferè confeci: *& iam delibor*; hoc eſt, offero pro libamento meum ſanguinem poſt tot ſacrificia gentium per me ad fidem conuerſarum, & pro victimis Deo immolatatum. Vnde loquitur eodem ferè modo ea de re ſic ſcribẽs ad Philippenſes [p]: *Quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui: ſed, etſi immolor ſupra ſacrificium & obſequium fidei veſtræ, gaudeo.* Cùm tamen hæc non ſcripſerit in extremis vinculis, vt omnes fatentur; ſed multò antè. Quare S. Auguſtinus [q] conſiderans Apoſtoli verba prædicta: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui. Quomodo* (inquit) *potuit hæc dicere, cui adhuc reſtabat ipſius paſſionis, quam ſibi iam impendere dixerat, tam magna conflictatio, tam moleſtum, & grande certamen? an ad eius conſummandum curſum parum adhuc deerat, quando illud deerat, vbi erat futurus acrior, & crudelior inimicus? quòd ſi ideò talibus verbis certus, ſecurúſque gaudebat, quia de victoria futuri tanti certaminis, certum eum, ſecurúmque iam fecerat, qui eandem paſſionem iam illi reuelauerat imminere, nõ re pleniſſima, ſed ſpe firmiſſima hæc dixit; &, quod futurum*

[l] Hebr. c. 10. v. 37.

[m] Salm. d. 1. in Ep. ad Timoth. 2. & tr. 59. in Acta. Iuſtin. in c. 4. Ep. 2. ad Timum.

[n] 2. Tim. c. 4. v. 17.

[o] 2. Petri c. 1. v. 14.

[p] Philip. c. 2. v. 16.

[q] S. Aug. lib. 2. de pecc. mer. & remiſ. c. 16.

turum eſſe præſumpſit, tanquam factum fuerit, indicauit. Hæc S. Auguſtinus.

Ex hactenus itaque diſputatis non ſolùm tempus, ſed etiã occaſio, materia, & argumentum cõſtare poterit harum literarum. Nam, vt breuiter ad ſummam omnia redigamus, cùm Paulus ſub initiũ anni Chriſti quinquageſimi noni, & Neronis tertij Romam perueniſſet, & in prima ſua defenſione apud Neronem; quamuis in extremo vitæ periculo conſtitutus, condonata vita manere in cuſtodia liberior eſſet permiſſus, poſt ſcriptam Epiſtolam ad Epheſios placuit alterã Timotheo Epiſcopo Epheſiorum adiungere, vt amicum omnium fideliſſimum, & dilectiſſimum de ſtatu rerum ſuarum faceret certiorem, & vt multa, quæ Epheſiis explicare non eſt viſũ, Timotheo ſignificaret; nẽpe, de ſingularibus perſonis, à quibus Romę fuerat, vel derelictus, inter quos Demas, vel diuexatus, vt ab Alexandro ærario; vel adiutus, vt à Luca, & Oneſiphoro. Deinde, vt exemplo ſuo Timotheum ad conſtantiam, & animi fortitudinem adhortetur. Tertiò, vt quæ ſint boni Paſtoris officia, illum admoneat, prædicare videlicet intrepidè Chriſti Euangelium, doctrina ſana ex diuina Scriptura omnes ad pietatem hortari, & inſtruere, peccatores arguere, Hæreticos reuincere, quorum prauos mores aptè depingit. Poſtremò rogat Timotheum, vt ante hyemem ad ſe veniat, Tychico, quem latorem, tam huius epiſtolæ, quàm alterius ad Epheſios dicebamus, vices interim Epiſcopi Epheſi ſubituro. Quare non eſt abſimilis huius Epiſtolę materia, ſtylus, & ardor ſcriptionis, alteri ad Timotheum primò ſcriptæ, & ad Titum: *Quas tres apoſtolicas Epiſtolas* (inquit S. Auguſtinus [f]) *ante oculos habere debet, cui eſt in Eccleſia Doctoris perſona impoſita.* Sed hæc trium poſtrema, quam & in vinculis ſcripſit, & cupiens iam diſſolui, & eſſe cum Chriſto, ardentioris adhuc zeli, & magis inflammatæ, ac tenerioris videtur eſſe charitatis.

[f] S. Aug. l. 4. de doctr. Christ. c. 16.

CAPVT VII.

Exponuntur paraphraſticè, quæ continentur in ſecunda Epiſtola ad Timotheum.

Continet primum Epiſtolæ caput mixtam laudibus Timothei adhortationem, ſic incipiens [a]: Paulus Dei volũtate Apoſtolus IESV Chriſti ad nunciandas mortalibus diuinas per merita Chriſti IESV æternæ vitæ promiſſiones, Timotheo chariſſimo filio multam precatur à Deo Patre gratiam, miſericordiam, & pacem. Aſſidua tui memoria in quotidianis orationibus meis coram Deo, (cui ab infantia cultum debitum in conſcientia ſimplici ſemper exhibui,) materiam mihi præbet ſolatij, & gratiarum actionis, deſiderans te videre, mẽmor ſuarum à te in vltimo digreſſu meo lacrymarum, & ſynceræ tuæ fidei, quam priùs agnoueram in auia tua Loïde, & matre tua Eunice; poſtea verò maximè in te. Quapropter volui te præſentibus hiſce meis literis admonere, vt qui talem fidem, quaſi hęreditarium theſaurum, obtinuiſti, ne illam ſinas longo vſu & conſuetudine, veluti feneſcentem, metu perſecutionum torpeſcere, & conſopiri; ſed eam æquè vt gratiam impoſitione manuũ mearum in ſacra ordinatione acceperam diligenter exſuſcites. Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timiditatis, & ignauiæ; ſed fortitudinis, ardentis dilectionis, & animi ad quæcunque aduerſa infracti, moderationis,

[a] 2. Tim. c. 1. v. 1. &c.

& æqualitatis. Noli ergo, fili, erubeſcere Chriſti fidem, ac doctrinam, etiam cum diſcrimine capitis profiteri: nec te pudeat meum, qui pro Chriſto vinctus hic ſum, diſcipulum oſtendere: ſed Euangelio Dei patienter collabora, ſecundùm virtutem tibi ab Omnipotente ſubminiſtratam: qui nos ſaluos effecit vocans vocatione ſua ſancta, non ſecundùm merita operum noſtrorum, ſed iuxta propoſitum & gratiam per Chriſti IESV merita nobis ante omnia ſæcula prędeſtinatá: nunc autem per illuminationem Saluatoris noſtri IESV Chriſti manifeſtatam: qui vires mortis attriuit, & in euãgelicam lucem eduxit vitam incorruptibilem: cuius ego poſitus ſum Pręco, Apoſtolus, & Doctor Gentium, ob quam cauſam vincula, carceres, & quaſcũque ærumnas tolerare minimè erubeſco. Noui enim, benéque perſpectum habeo, cui depoſitum meum concredidi, qui po eſt, & vult in extremo Iudicij magni die laborum meorum mercedem mihi ſeruare. Exemplar viuum, quod à me in fidei ſana doctrina, & Chriſti dilectione habuiſti, conſtanter retine. Bonum hoc depoſitum cuſtodi per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis. Scire autem debes, omnes ferè, qui ex Aſia Romæ degunt, à me non pridem eſſe auerſos; maxime verò Phigellum, & Hermogenem. Det miſericordiam Dominus Oneſiphori familiæ: is enim è paucis vnus fuit, qui ſæpè me recreauit, & adiuuit, & catenam meam non erubuit; ſed, cùm Romam veniſſet, ſollicitè me quæſiuit, & inuenit. Det illi Dominus Deus Filij ſui, Domini noſtri, & Iudicis vniuerſorum in die illa extrema inter electos & benedictos Patris ſui copioſam miſericordiam inuenire: nam, quanta etiam Ephesi, tum mihi, tum aliis pro Chriſto miniſtrauerit, tu ipſe, qui nunc ibi es, meliùs noſti. Pergit capite ſecundo Timotheum adhortari, & quæ ſint epiſcopalis muneris ſui partes oſtendere, dicens [b]:

Tu ergo, fili, animum inuictum ſume per gratiam Domini noſtri IESV Chriſti: & quæ à me accepiſti multis diuinarum Scripturarum teſtimoniis comprobata, hæc fidelibus multùm commenda; iis præſertim, qui alios quoque erudire idonei tibi videbuntur. Strenuè te gere tanquam egregius miles Chriſti: ſi enim, qui mundanæ militiæ nomen dedit, non ſolet aliis negotiationibus implicari, vt ei placeat, à quo in militiam eſt adſcriptus, quantò magis tu electus in militiam Chriſti? Sic etiam athleta non coronabitur, niſi iuxta leges ita benè certauerit, vt ſuperet ſuos antagoniſtas. Et ſimiliter, agricola de agri fructibus, niſi pro cultura agri laborauerit, non percipiet; quos tamen, benè laborans, omnium primus deguſtabit. Attende, quæ dixi, & dabit tibi Dominus hęc per omnia ſemper meliùs intelligere. Memor eſto, Dominum Saluatorem, ex Dauidis progenie natum, mortuum pro humana redemptione, admirabiliter ſurrexiſſe. Sũma hæc eſt prędicati à me Euãgelij, pro quo tãquã aliquis malefactor, detentus in vinculis tam multa ſuſtineo: ſed verbum Dei non propterea eſt alligatum. Ideò omnia ſuſtineo propter electos, vt & ipſi per Chriſtum IESVM ſalutem conſequantur, ac demum gloriæ cæleſtis æternam felicitatem. Nec eſt vlla ratione dubitandũ, ſi mundo propter Chriſtum commoriamur, futurum, vt cum illo viuamus: ſi patienter ſuſtinemus, & conregnabimus: ſi tormentorum formidine Chriſtum negauerimus, nos negabit & ipſe. Sed ſiue fateamur, ſiue diffiteamur, æterna Dei veritas non

b 2. *Tim.* c. 2. v. 1. *&c.*

non mutatur, fallere quenquam, aut in ſe falli neutiquam poteſt. Hæc moneas,& vt indubitata coram Deo firmiter cõteſteris: ſine contẽtione tamen,& pugna verborum, quæ ad nihil eſt vtilis, niſi ad audientium ſubuerſionem. Stude te probum Deo exhibere operarium, quem non pudeat crucis Chriſti, nec prædicare cum ſynceritate ac libertate verbum veritatis. Profanas verò, & vanas doctrinas reiice: multùm enim proficiunt ad impietatem, & eſt malum, quod quaſi gangrenæ morbus ſerpendo, vicina ſemper membra depaſcitur, donec ſenſim totum corpus inficiat. Talis eſt doctrina Hymenæi, & Phileti, qui putantes ſe ſcopum attingere veritatis, longè aberrarunt, dicentes reſurrectionem iam eſſe factam, & in ſuum errorem aliquos pertraxerunt. At non propterea firmiora Eccleſiæ fundamenta ſubuertent, nẽpe, fideles efficaci Dei gratia ſtabilitos, & duplici veluti ſigillo diuinitùs ſignatos: quorũ vnum eſt infallibilis Dei præſciẽtia, alterum in electis ſuis fuga omnis iniquitatis. Sed, ſicut in magna domo, non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia; & quædam in vſum honorificum, quædam autem in abiectum: ita etiam in Eccleſia. At quiſquis in ea emundare ſe voluerit à ſordibus peccatorum, erit vas ad honorem ſanctificatum, vtile Domino, & idoneum ad omne opus bonum. Caue autem elati animi impetus, & iuueniles cupiditates: ſectare iuſtitiam, fidem, ſpem, charitatem, & pacem erga fratres maximè puro corde Dominum inuocantes. Stultas & ſine diſciplina quæſtiones reſpue: nam ex illis litigioſæ naſcuntur concertationes: ſeruum autem Domini non expedit litigare; ſed eſſe cum omnibus manſuetum, docilem, patientem, cum lenitate corripientem eos, qui contraria ſentiunt veritati: ſi fortè det illis Deus pœnitere, agnita veritate, & a Diaboli laqueis, quibus captiui ad illius voluntatem detinebantur, aliquando reſipiſcant.

Cap. verò ſequenti mores Hæreticorum ſuis omnibus coloribus depingit, & quomodo ſe gerere cum illis Timotheus debeat, oſtendit, dicens [c]: c *Tim* 2. c. 3. v. 1. &c.

Hoc autem ſcire te volo, propediem inſtare tempora periculoſa: futuri enim ſunt quidam proprio amore capti, auidi pecuniarum, arrogantes, ſuperbi, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati, ſceleſti, inhumani, fœdifragi, criminatores, incontinentes, immites, bonorum oſores, proditores, præcipites, typho ſuperbiæ turgentes, & magis belluinas voluptates, quàm Deum bonorum omnium limpidiſſimum fontem diligentes, ſanctimoniam præſeferentes, & veram pietatem prorſus abnegantes. Hos itaque in primis auerſare: nam ex horum ſunt grege, qui ſe in alienas domos inſinuantes, captiuas ſecum ducunt mulierculas peccatis oneratas, & effrænatis cupiditatibus agitatas, ſemper addiſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Quemadmodum autẽ Ioannes, & Mambres reſtiterunt Moyſi: ita & hi reſiſtunt veritati, corruptæ mentis homines, & reprobi circa fidem: ſed vltrà non proficient; eorum enim inſipientia tandem aliquando omnibus innoteſcet. Tu verò, Timothee, benè aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, intentionem, fidei firmitatem, longanimitatem, & erga omnes charitatem: noſti etiam, quales perſecutiones Antiochiæ, Iconij, & Lyſtris aliquando ſuſtinuerim: ex quibus omnibus fui a Deo liberatus. Id autem

tem mirum non eſt, cùm ferè, quicũque ſpreto mundo ſectantur Chriſtianam pietatem, aduerſa, & perſecutiones patiantur. Interim perſecutores, ſeductores, & ſeducti in impietate ſua proficientes grauiùs ipſa impunitate, quàm alia quauis pœna puniuntur. Tu autem permane in accepta doctrina, & diſciplina, cogitans, à quo didiceris, & quia ab infantia in ſacris literis fueris eruditus: vnde poteris ſemper in fide Chriſti pro tua, & aliorum ſalute multùm à te ipſo proficere: omnis enim ſacra Scriptura, vtpote diuinitùs inſpirata, confert plurimùm ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in omni virtute, vt euadat homo Dei perfectus, & ad præſtandum omne opus bonum conſummatus.

Capite quarto, & poſtremo cœptam adhortationem concludit: tum de ſuo ſtatu Timotheum reddit certiorem, iubens illum venire ad ſe Romam, ſic dicens [d]:

d *Tim. Ep. 2. c. 4. v. 1. &c.*

Obteſtor igitur ego te in conſpectu Dei Patris, & Filij eius IESV Chriſti, qui iudicaturus eſt viuos, & mortuos, in aduentu ſuo, & regno ipſius, prædica verbum, inſta opportunè, importunè, conuince, increpa, obſecra cum omni patientia, & doctrina: erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ſecundùm proprias cupiditates aggregabunt ſibi magiſtros ad pruritus aurium ſuarum accommodatos: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu verò in omnibus vigila, patienter labora, opus fac euangelizantis, & comple miniſterium tuum: ego enim propè iam immoland⁹ ſum vitam meam & ſanguinem tanquam libamen Deo perfundam: inſtat enim tempus reſolutionis meæ. Agonem bonum decertaui, curſum perfeci, fidem ſeruaui, cæterùm iuſta corona mihi repoſita eſt, quam reddet mihi Dominus in extremo illo magni Iudicij die: non ſolùm autem mihi; ſed & iis, qui fidei ſynceritate, ſpei firmitate, & ardore charitatis expectant aduentum eius. Feſtina quamprimùm ad me Romã venire: Demas enim ſæculi amore ſeductus me dereliquit, & abiit Theſſalonicam: Creſcens à me miſſus eſt in Galatiam: Titus verò in Dalmatiã. Solus Lucas hîc eſt mecum. Marcum aſſume, & adduc tecum: nam illo ad Euangelij miniſterium opus habeo. Tychicum cum his literis, & aliis ad Epheſios, ad te mitto, vt cùm tu ad me Romam veneris, ille tuas Epheſi ſuppleat vices. Veniens autem affer tecum inuolucrum ſacrorum Bibliorum, alióſque libellos, & præcipuè membranas Troade apud Carpum à me relictas, dum tecum, & cum Tychico [e] anno ſuperiori inde diſcederem. Alexander ærarius multa mihi intulit mala: reddet illi Dominus iuxta demerita, quem & tu deuita: valdè enim reſtitit prædicationi noſtræ. In prima mea apud Neronem defenſione nemo mihi adfuit; ſed omnes me reliquerunt: parcat illis Deus. Sed adſtitit mihi Chriſtus Dominus, animum adiecit, & complendum à me curſum prædicationis, vt audiant omnes gentes, prædixit. Liberatus itaque ſum à Neronis furore, tanquam ab ore leonis; & ſpero, liberabit me Dominus ab omni opere malo, ac tandem in ſuo cœleſti regno ſaluum faciet, cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Saluta Priſcam, & Aquilam, & Oneſiphori domum. Eraſtus remanſit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Feſtina ante hyemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. Dominus IESVS Chriſtus cum ſpiritu tuo.

e *Act. c. 20. v. 4.*

tuo. Gratia Dei vobiſcum. Amen.

Hæc ſunt, quæ in tota hac Epiſtola continentur, circa quam & perſonas in ea nominatas, quia ſatis multa ſunt diſcuſſa ſuperiùs, aliud vltrà non ſupereſt examinãdum, niſi circa illa extrema ſalutationum verba [f]: *Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.* Illuſtres enim oportuit eſſe has perſonas, ſiquidem Timotheo in Aſia verſanti, & qui nunquam hactenus fuerat in Italia, vt benè notæ indicantur. Erat autem Pudens vir nobiliſſimus, & clariſſimus Senator Romanus, pater ſãctarum Virginum Praxedis, & Pudẽtianæ, ſiue Potentianæ, cuius domus ad radices Viminalis poſita prope Exquilinum patebat omnibus Chriſtianis, ibique ſacræ Synaxes habebãtur, & conuerſa poſteà in Eccleſiam, dicta eſt titulus, ſiue Eccleſia Paſtoris, in cuius ingreſſu inciſa lapidi hæc verba hodie leguntur: *In hac ſancta antiquiſſima Eccleſia, titulo S. Paſtoris, à S. Pio Papa dedicata, olim domo S. Pudẽtis Senatoris, & hoſpitio ſanctorũ Apoſtolorum, tria millia Beatorum Martyrum corpora requieſcũt, quæ ſancta Chriſti virgines, Pudentiana, & Praxedis, ſuis manibus ſepelierunt.* Linus verò, cuius etiam nomine Paulus Timotheum ſalutat, is fuit, cui Petrus ab vrbe recedens, fidelium, qui in vrbe erant, curã reliquit, quem anteà Paulo miniſtraſſe S. Ignatius in Epiſtola ad Trallianos ſignificat, his verbis: *S. Stephanus B. Iacobo: Timotheus, & Linus Paulo: Anacletus & Clemens B. Petro miniſtrarunt.* Poſt mortem autem S. Petri proximè illi in pontificatu hic S. Linus ſucceſſit. Claudiam ſimiliter hîc nominatam ponit Franciſcus Biuarius in apodicticis Commentariis L. Dextri, fuiſſe vxorem Pilati, de qua in Lucij Chronico ſic legitur: *Anno Chriſti 34. Claudia Procula vxor Pilati admonita per ſomnium in Chriſtum credit, & ſalutem conſequitur.* Quare, ait Biuarius, *forſan hæc eſt Claudia ſalutata nunc ab Apoſtolo: conueniunt in ea ſiquidem nomen, & tempus, & religio, & locus: nam in vrbe hæc Epiſtola ſcripta eſt, vbi vxorem Pilati, quando ipſe Lugdunum in exilium actus eſt, veriſimile eſt permanſiſſe, eùmque ob diſparitatem cultus non eſt comitata.* Hæc eruditus Commentator nõ ſine probabilitate, præſertim quia Nicephorus lib. 1. c. 3. vxorem Pilati Proclam vocat, quam Dexter appellat Claudiam Proculam. Tamen veroſimilius apparet, fuiſſe hanc Claudiam matrem S. Lini: nam Clemens libro ſeptimo apoſtolicarum Conſtitutionum [g], Linum Claudiæ appellat, nẽpe, Claudiæ filium. Ex quibus illud magis confirmatur, quod multis in ſuperiori capite probabamus, ex primis vinculis, non ex poſtremis hanc Epiſtolam datam eſſe: nam Lini, qui loco S. Petri hoc tempore Romæ inueniebatur tantùm, non verò S. Petri vlla fit mentio; qui tamen in vinculis poſtremis non ſolùm Romæ; ſed etiam in eodem carcere Mametino, cum Apoſtolo Paulo, vt infrà videbimus, claudebatur. Sed & huiuſmodi ſalutationes Timotheo miſſæ non ſolùm nomine ſingularium perſonarum, ſed etiam omnium fratrum, tempus illud reſpiciunt, quando Paulus in conducto hoſpitio, omnes ad ſe venientes excipere ſine prohibitione permittebatur, vt ait S. Lucas [h]; non autem cùm in poſtremis vinculis arctiſſima cuſtodia, furente Nerone, ad mortem deſtinatus, detinebatur.

f 2. Tim. c. 4. v. 21.

g Clemẽs lib. 7. Conſt. c. 46.

h Act. c. 28. v. vlt.

CAPVT

CAPVT VIII.

Veniunt Romam ad Paulum Epiſcopus Timotheus, & alter Epiſcopus Epaphroditus miſſus à Philippenſibus; & de occaſione, ac materia Epiſtolæ ad Philippenſes.

NOndum primus annus preterierat Apoſtoli Romæ in vinculis detenti, nec imperij Neronis tertius; qui tamen ad finem appropinquabat, cùm Timotheus per Epiſtolā à Paulo ante aliquot menſes vocatus, relicto Epheſi loco ſui Tychico, Romam venit. Et quia mandatum in litteris ei fuerat, vt feſtinaret ante hyemem peruenire, circa Septembrem, aut Octobrem attigiſſe illum Italiam exiſtimamus: nam poſt autumnum, hyeme incipiente, non eſt tuta nauigatio, per ea præſertim maria: vt ex iis licet agnoſcere, quæ dicta ſunt, cum de Pauli nauigatione, ac in eo mari naufragio ſuperiori anno ageremus. Eodem quoque tempore, & fortaſſis etiam ſimul aliqua ſaltem itineris parte cum Timotheo venit Epaphroditus, quem Paulus ſcribens poſt aliquod tēpus ad Philippenſes [a], ipſorum Apoſtolum vocat, ſuúmque fratrem, cooperatorem, commilitonem, & miniſtrum neceſſitatis ſuæ. Apoſtolum eum vocat; id eſt, vt Chryſoſtomus [b] interpretatur, Philippenſium Doctorem: quia illos in fide, poſt Apoſtoli diſceſſum inſtituerat: ſiue, vt exponit Theophylactus, dictus eſt Apoſtolus, quaſi miſſus Legatus à Philippenſibus, & nuncius ad Paulum: vel denique, quod eſt valdè probabile, & multis nititur oſtendere Theodoretus, dictus eſt Apoſtolus Philippenſium, hoc eſt, Epiſcopus. Tunc enim Epiſcopos appellari conſueuiſſe nomine Apoſtolorum monet idem Theodoretus, tāquam ſucceſſores Apoſtolorum, cùm nomen Epiſcopi proprium illorum nondum eſſet; ſed commune etiam Presbyteris, & ſimplicibus Sacerdotibus, ſicut à nobis alibi [c] eſt obſeruatum: idque ex primis verbis huius Epiſtolæ ad Philippenſes non ſolùm Theodoretus, ſed etiam Chryſoſtomus, & alij deduxerunt, vbi ſic legitur [d]: *Paulus, & Timotheus, ſerui* IESV *Chriſti, omnibus Sanctis in Chriſto* IESV, *qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & Diaconibus.* Dicunt enim, per Epiſcopos ſignificatos eſſe Presbyteros: tum, quòd plures fuiſſe Epiſcopos Philippis veriſimile non eſt: tum, quia Presbyteri inſalutati relinqui non debuiſſent, præſertim Diaconis ſalutatis: tum denique, quòd immediatè poſt Epiſcopos Diaconi nominentur. Neque ſolùm Apoſtolum vocat Paulus hunc Epaphroditum, ſed etiam fratrem, propter germanam dilectionem; & cooperatorem, ob ſuſceptos in euangelica prædicatione labores; & commilitonem, propter multa certamina cum aduerſantibus Euangelio Iudæis, Gentilibus, & cum Dæmonum incorporeis poteſtatibus. Ac denium appellat illum miniſtrum neceſſitatis ſuæ: quia Paulo in vinculis detento, quæ ad vitæ ſuſtentationem viſa ſunt neceſſaria, miſſa à Philippenſibus ipſe tulerat & ſubminiſtrabat: hic autem, qua ratione miſſus hoc tempore ſit Romam, ampliùs explicandum eſt.

Fuerant Philippenſes omnium primi, quos Paulus ſimul cum Luca euangelica fide ac doctrina inſtituerat, cùm in finibus Aſiæ verſanti Angelus ſpeciem Macedonis præſeferēs apparuit,

[a] Philip. c. 2. v. 25.

[b] Chryſ. in c. 2. Ep. ad Philip. Theoph. ibid. Theodor. ibid.

[c] lib. 9. c. 5.

[d] Philip. c. 1. v. 1.

e Act. c. 16. v. 9. apparuit[e], rogans illum, vt intraret Europam, & in Macedoniam veniret. Erat autem Philippi, primaria ciuitas, in ea parte Macedoniæ, qua interiecto Ægeo mari Europa ab Aſia diuiditur, Dathos anteà nominata; poſteà verò à Philippo Macedonum Rege inſtaurata, & Philippi appellata: tunc à Romanis Macedonia occupata, conſtituta erat hæc ciuitas inſignis colonia Romanorũ. Ibi Paulus multos ad Chriſti fidem ſua prædicatione, ac miraculis perduxit, Lydiæ honeſtæ mulieris familiam vniuerſam Baptiſmi Sacramento expiauerat, & ſimiliter domum cuſtodis carceris: ibi Pythoniſſam ab iniquo Dæmone liberauerat, ob quã virgis cæſus, in carcerem coniectus fuit; ſed ingenti miraculo terræmotus, & concuſſionis carceris, vinculis omnibus repentè ſolutis, apertíſque foribus, innocens declaratus eſt, & à Magiſtratu perhonorifice dimiſſus. Quapropter Eccleſia Philippenſis Paulum ſemper affectu præcipuo reuerentiæ, pietatis, ac eximiæ charitatis proſecuta eſt: ideò cùm primùm ab ea intellectum fuit de Pauli vinculis, & qualia Romæ pateretur, conſtituerunt Epaphroditum proprium eorum (vt diximus) Epiſcopum, debere quàm primùm Romam proficiſci, tum honoris, tum conſolationis, tum maximè ſubſidij gratia, ferentem ſecum eleemoſynam copioſam ad Apoſtoli alimenta, & quotidianas neceſſitates: nam etiam pro domo conducta, in qua tanquam in carcere liberiori detinebatur, ſuum pretium perſoluebat. Sed, etiamſi tanta premeretur Apoſtolus egeſtate; animo tamen non excelſo minùs, quam grato multò magis offerentium charitatem, quàm eſſent ipſa oblata, ſibi gratam, acceptámque fuiſſe ſignificauit, ita reſcribens Philippenſibus[f]: *Scio & humiliari, ſcio & abundare. vbique &* f Philip. c. 4 v. 11.
in omnibus inſtitutus ſum; ſatiari, 12. 13. 14.
& eſurire; & abundare, & penuriam 17. 18. 19.
pati. Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Veruntamen benè feciſtis communicantes tribulationi meæ. Non, quia quæro datum; ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra. Habeo autem omnia, & abundo: repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis, odorem ſuauitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo. Deus autem meus impleat omne deſiderium veſtrum ſecundum diuitias ſuas in gloria in Chriſto IESV. Sed accidit, dum Romæ Epaphroditus verſaretur, ſiue propter moleſtias itineris, & peractæ longinquæ nauigationis incommoda, ſiue ob cœli mutationem, aut labores in obſequio Pauli ſuſceptos, vt grauiſſimam contraxerit ægritudinem, ex qua parum abfuit, quin moreretur. Vnde Paulus valdè fuit ſollicitus, ne ſua cauſa Philippenſes tali viro priuarentur; quem proinde, licèt apud ſe retinere cum Timotheo cupiuiſſet; neque enim deerat Romæ, in quibus pro fidei propagatione tales operarij ſtrenuè laborarent: ramen ne Philippenſium Eccleſia nimis anxia remaneret, ſtatim vbi conualuit, eum remiſit. Teſtatur id totum ipſe Apoſtolus ad Philippenſes ſcribens: nam poſt Epaphroditi laudes, & commendationem ſic adiungit[g]: *Neceſſa-* g Philip. c. 2. v.
rium autem exiſtimaui eum mittere ad 25. 26.
vos: quoniam quidem omnes vos deſi- 27.
derat, & mæſtus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum. Nam & infirmatus eſt vſque ad mortem: ſed Deus miſertus eſt eius; non ſolùm autem eius, verùm etiam & mei, ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem. Feſtinantiùs ergo miſi eum, vt viſo eo ite-

rum gaudeatis, & ego ſine triſtitia ſim. Excipite ergo illum cum omni gaudio in Domino, & eiuſmodi cum honore habetote; quoniam propter opus Chriſti vſque ad mortem acceſſit, tradens animam ſuam, vt impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obſequium. Nempe, voluit dicere S. Paulus: Cùm vos propter locorum diſtantiam iuuare me tantùm orationibus, & eleemoſynis poſſetis, hic obſequiis etiam, & quotidiano ſuo miniſterio ſemper præſtò fuit. Et quia dubitare non debemus, Apoſtolum, vt etiam ipſe ſubindicat, pro impetranda Epaphroditi valetudine inſtanter Deo ſupplicaſſe, inſperatæ ſanitatis effectus ſubſequutus facilè perſuadet, quòd ex tali morbo euaſerit Epaphroditus, Apoſtoli orationibus eſſe tribuendum. Hic autem ab aliquibus ille fuiſſe putatur Epaphroditus, de quo in Romano Martyrologio ſub die vigeſimaſecunda Martij ſic habetur[h]: *Tarracinæ S. Epaphroditi Apoſtolorum diſcipuli, qui à B. Petro Apoſtolo Epiſcopus illius ciuitatis ordinatus fuit.* Idémque habet in quodam ſermone de Apoſtolis Metaphraſtes[i]: & tamen Dorotheus in Synopſi Præpoſitum illum Eccleſiæ Hadriæ, ſiue Hadrianæ, in Aſia fuiſſe teſtatur. Quare, niſi dicamus vnum, eundémque ad varios epiſcopatus, quantumuis inter ſe maximè diſſitos, fuiſſe tranſlatum, quod non putamus, ait Baronius[k]; oportebit diſtinguere tres eiuſdem nominis Epiſcopos, vnum Eccleſię Tarracinenſis, alterum Hadriæ in Syria, & hunc tertium Philippenſium.

h *Martyr Rom. die 22. Martij.*

i *Metaphr. de natali Apoſtolorum, 29 Iunij. Sur.*

k *Baron. an. 60.*

Intereà Chriſti Euangelium altas Romæ agebat radices, & multi Pauli prædicatione, adhortationibus, & heroïcarum virtutum exemplis excitabantur, non ſolùm ad fidem Chriſtianam admittendam; verùm & ad alios in eandem fidem, ac religionem inducendos, videntes neque vincula, neque carceres, neque Neronis iram, aut furores, inuictum Apoſtoli animum à ſancto inſtituto vllatenus retardare. Quamuis ad hoc nonnulli etiam humana quadam æmulatione atque inuidentia vrgebantur, cùm Paulus poſt bonam Orientis partem, poſt Aſiam, & Græciam prædicatione ſua illuſtratam, vix Romæ apparens, nec vnquam ſolutus à catena, tantam Euangelio Chriſti lucem intuliſſe animaduerteretur, quantam non modò infideles, ſed neque ex fidelibus operariis Euangelij aliqui, quorum inde redarguebatur ignauia, ferre poſſe videbantur. Significat hoc ipſe in eadem Epiſtola ad Philippenſes, dicens[l]: *Scire autem vos volo, Fratres; quia quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Euangelij: ita vt vincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni Prætorio, & in cæteris omnibus, & plures è Fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantiùs auderent ſine timore verbum Dei loqui. Quidam quidem & propter inuidiam, & contentionem: quidam autem propter bonam voluntatem Deum prædicant. Quid enim? dum omni modo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur: & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* Quod autem dixit[m]: *in cæteris omnibus*, ſiue, vt Græcè legitur, cæteris omnibus, vincula ipſius facta eſſe manifeſta, valet, ac ſi dixiſſet: non aulici tantùm, & qui ſunt de familia Neronis, de quibus antea locutus fuerat, per mea vincula Chriſti Euangelium, pro quo hæc patior, inaudiuerunt, ſed etiam aliæ nobiles, & illuſtres perſonæ Romanæ. Inter has aliqui[n] coniectant fuiſſe clariſſimam illam feminam Pomponiam Græcinam, quam propterea externæ

l *ad Philip. c. 1. v. 12. 13. 14. 15. 18.*

m *Philip. c. 1. v. 13.*

n *Baron. an. 59. Lipſius in Tacitum. Ludouicus Dorleans in eundem Tacitum lib. 13.*

religionis

religionis apud Neronem accuſatam, ſed vt inſontem abſolutam refert ad hunc annum Neronis tertium Cornelius Tacitus his verbis: *Pomponia Græcina, inſignis femina, Plautio, qui ouans ſe de Britannis retulit, nupta, ac ſuperſtitionis externæ rea, mariti iudicio permiſſa. Iſq; priſco inſtituto, propinquis coram, de capite famáque coniugis cognouit, & inſontem nunciauit. Longa huic Pomponiæ ætas, & continua triſtitia fuit. Nam poſt Iuliam Druſi filiam dolo Meſſallinæ interfectam, per quadraginta annos* (ſiue, vt alij meliùs legunt, *per quatuordecim annos*,) *non cultu niſi lugubri, non animo niſi mœſto egit.* Hæc Tacitus de Græcina, cuius maritus Plautius, teſte eodem Tacito [o], primus conſularium virorum Britanniam gubernauit: ipſa verò Græcina ex genere videtur fuiſſe illius Liuij Græcini, de quo Seneca [r]: *Vtamur* (ait) *Liuij Græcini exemplo, viri egregij, quem Caius Cæſar occidit, ob hoc vnum, quòd melior vir erat, quàm eſſe cuiquam Tyranno expediret.* Hæc igitur Græcina, cùm dicatur externæ religionis rea de capite accuſata, & ſine culpa deprehenſa, perſeueraſſe tamen in cultu lugubri, & mœſto animo, Chriſtianæ pietatis inſtituta tenuiſſe non leuis eſt coniectura. Vnde Tertullianus agens de habitu, & cultu mulierum Chriſtianarum [q]: *Si tanta* (inquit) *in terris moraretur fides, quanta merces eius expectatur in cœlis, nulla omnino veſtrûm, ſorores dilectiſſimæ, ex quo Deum viuum agnouiſſet, & de ſua, id eſt, feminæ conditione cognouiſſet, lætiorem habitum, ne dicam glorioſiorē, appetiiſſet: vt non magis in ſordibus ageret, & ſquallorem magis affectaret.* Quare Prudentius in hymno S. Eulaliæ, ſic habitum eius, cultúmque corporis deſcribit:

Spernere ſuccina,
Fulua monilia reſpuere:
Ore ſerena, modeſta gradu,
Moribus & nimium teneris,
Canitiem meditata ſenum.

[o] Tacit. in Vita Agricol.

[r] Senec. lib. 2. de benef. c. 21.

[q] Tertul. lib. de habitu mul. c. 1.

Imò ipſemet Apoſtolus externum habitum, formámque hominis Chriſtiani paucis ita deſcripſit [r]: *Quaſi triſtes; ſemper autem gaudentes.* Non dixit omninò triſtes, ſed quaſi triſtes: *Quia* (inquit S. Auguſtinus [s]) *triſtitia noſtra habet quaſi, gaudium noſtrum non habet quaſi; nam in ſpe certū eſt. Quare triſtitia noſtra quaſi habet? Quia, ſicut ſomnus tranſit. Nouit enim charitas veſtra, quia, qui ſomnum indicat, addit, quaſi. Quaſi dicebam, quaſi loquebar, quaſi prandebam, quaſi equitabam, quaſi diſputabam. Totum quaſi, quia, cùm euigilauerit, non inuenit, quod videbat. Quaſi mundanorum, felicitas eſt ſæculi; noſtrum autem quaſi triſtitia eſt, gaudium non eſt quaſi. Non enim ait Apoſtolus. Quaſi gaudentes; ſemper autem triſtes, aut quaſi triſtes, & quaſi gaudentes. ſed ait: Quaſi triſtes; ſemper autem gaudentes.*

[r] 2. Cor. c. 6. v. 10.

[s] S. Aug. in Pſ. 48. enarr. 2.

Hæc itaque dum Romæ geruntur, aliis falſa lætitia inaniter exultantibus, Paulo verò & fidelibus quaſi triſtibus, ſemper autem in Domino gaudentibus, annus imperij Neronis quartus aduenit, qui fuit vinculorum Pauli Romæ ſecundus, & Chriſti Domini ſexageſimus, cùm hyeme tranſacta Paulus remittere Epaphroditum ad ſuos Philippenſes conſtituit, datis ad eos literis, in quibus tria illis præcipuè commendat: primum, vt in Chriſti fide, ſicut hactenus fecerant, perſeuerent, nec propter ipſius vincula perturbentur, quæ nullum diſpendium, ſed magis gloriam & commodum propagationi Euangelij attulerūt. Secundò, eos adhortatur, ne Iudaïzantibus vllo modo cōſentiant, docētibus legalia Moyſis eſſe cū Euāgelio ſeruanda: neque Cerintho, Simoni

Mago, & eorum ſectatoribus cedant, negantibus Chriſtum verè crucifixum, quos propterea flens Paulus appellat inimicos Crucis Chriſti: addebant autem nugaciſſimi, tantùm quandam Chriſti imaginem, ſiue phantaſma pati apparuiſſe, Chriſto ſe ſubducente, vt ſancti Irenæus [t], & Epiphanius fabulas horũ Hæreticorum referentes tradiderunt. Tertiò, eoſdem adhortatur ad virtutes Chriſtiano homine dignas, maximè verò ad humilitatem exemplo Chriſti, qui humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem. Commendat illis modeſtiam, pacem, & mutuam charitatem, ſuoque & aliorum nomine omnes ſalutans Epiſtolã cõcludit.

t *S. Iren. lib. 1. c. 20. S Epiph. hær. 21.*

Extat eiuſdem fere argumenti ad eoſdem Philippẽſes Epiſtola S. Ignatij Martyris poſt annos quadraginta ſcripta, in qua & huius ad Philippenſes à Paulo miſſæ fit mentio, & redarguuntur negantes Chriſti crucẽ, ac veram eius paſſionem, & mortem. *Nam* (inquit) *huius mundi Princeps gaudet, cùm quis crucem negarit: cognoſcit enim crucis confeſſionem ſuum ipſius eſſe exitium: id enim trophæum eſt contra eius poteſtatem, quod videns expaueſcit, & audiens timet. Idcircò in quibuſdam, vt crucem negent, facit, vt paſſionem erubeſcant, & mortem opinionem vocent.* Hæc S. Ignatius Martyr. Scripſit quoque ad eoſdem Philippenſes celebrem epiſtolam S. Polycarpus, cuius meminit in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis S. Hieronymus [u], dicens eã per Aſiæ Eccleſias legi ſolere. Habet autem inter alia hæc verba: *Propterea quia neque ego, neque ſimilis alius mei poterit ſequi ſapientiam beati & glorioſi Pauli, qui fuit apud vos, & viſus eſt ſecundùm faciem illis, qui tunc erant hominibus, qui docuit certiſſime, atque firmiſſime verbum veritatis, qui & abſens ſcripſit vobis epiſtolas.* Hæc S. Polycarpus, qui, cùm dixit epiſtolas numero multitudinis, non ſignificauit plures quàm vnam à Paulo Philippenſibus datam: vnica enim ab omnibus ſine controuerſia agnoſcitur: ſed, vt indicaret etiam alias duas ab Apoſtolo ſcriptas ad Theſſalonicenſes, tanquam etiam ad ipſos pertinentes, cùm in vna, eademque Macedoniæ prouincia non procul inuenirentur; ſiue epiſtolas dixit, ſicut etiã literas dicere ſolemus, quamuis de vnica tantũ epiſtola ſermo ſit: nam iterum infrà in eadem epiſtola ſubdit S. Polycarpus: *Epiſtolas ſanè Ignatij, quæ tranſmiſſæ ſunt vobis, habeo.* Vbi ſimiliter de epiſtola loquitur S. Ignatij ſingulari.

u *S. Hier. lib. de Script. eccleſ. in Polycarpo.*

CAPVT IX.

Exponitur breui contextu Epiſtola miſſa ad Philippenſes.

ORditur à commendatione virtutis Philippenſium, & ſuam erga illos inſinuat charitatem, dicẽs:

Paulus, & Timotheus, ſerui IESV Chriſti, omnibus fidelibus per Chriſtum in Baptiſmo ſanctificatis, qui ſũt Philippis, cum Presbyteris & Diaconibus, ſalutem precantur, gratiam, & pacem, à Deo Patre, & Domino IESV Chriſto. Gratias ago Deo meo ſemper, cùm recordor veſtri in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, exultans ſpiritu, quòd tanta charitate communicetis laboribus meis, & afflictionibus vſque ad vincula pro Euangelio ſuſceptis: idque a prima die, quo Chriſto nomen dediſtis, vſque ad hoc tempus. Et confidò, qui opus bonum in vobis cœpit Deus, ipſe vſque ad finem cõtinuabit, atque perficiet, ſicut eſt mihi iuſtum hoc ſentire de omnibus vobis, eò quòd

quòd habeam vos in corde, memor fuiſſe vos omnes, & eſſe ſocios ac participes, non dicam triſtitiæ, ſed potius gaudij mei, quod ſentio in vinculis, & laboribus meis, pro defenſione, atque confirmatione Euangelij. Teſtis eſt enim mihi Deus, quali vos amore complectar ex intimo affectu cordis mei, tanquam in viſceribus IESV Chriſti. Et hoc oro, vt charitas veſtra magis adhuc & magis augeatur, cũ perfecta ſcientia, & omni ſpirituali ſenſu ad diſcernendum potiora, vt ſitis ſynceri, & inoffenſo pede viam Chriſtianæ perfectionis vſque ad extremam diem percurratis, repleti fructibus iuſtitiæ, per merita IESV Chriſti, ad Dei gloriam & honorẽ. Scire autem vos volo, Fratres, quod ad me attinet, quæ hic patior, aduerſa non tam impedimento, quàm profectui Euangelio fuiſſe: ita vt occaſione meorum vinculorum, quibus pro Chriſto libentiſſimè adſtringor, fama eius ſanctiſſimæ fidei, & aulam Cæſaris totam, & fora, cunctáque vrbis loca celebriora peruaſerit. Vnde iam plures ex meis in Chriſto Fratribus hoc bono rerum mearum ſucceſſu ad æmulationem excitati, euangelizare verbum Dei cum libertate non vereantur. Quamuis non omnes ſyncera voluntate id faciãt; ſed alij quidem ex charitate, alij potiùs ex quadam inuidentia; alij etiam ex contẽtione, vt magis me in vinculis premant, & affligant; vnde ipſi plures habeant ſectatores. Sed, quid tum? Ego certè in hoc gaudeo, & gaudebo, quòd Chriſti Euangelium & gloriam à quocunque, & quomodocũque, ſua tamen ſemper capiat incrementa: ſcio enim hanc eorum qualencũque æmulationem, qua & mœrorem meum, & Neronis iram videntur velle concitare, in bonum tãdem mihi ceſſuram per orationes veſtras. Et firmam habeo fiduciam, quia nulla ex parte confundar; ſed, quidquid de me fiet, ſiue pro Chriſto moriar, ſiue illi viuam, in me ſemper cum omni conſtantia magnificabitur Chriſtus. Nam, ſiue viuo, Chriſti cauſa viuo; ſiue moriar, meo bono moriar; atque ita Chriſtus, tam in morte, quàm in vita mihi erit in lucro. Quòd ſi adhuc viuere in carne operæpretium eſt, & mori lucrũ; ego quid eligam, ignoro. A duabus itaque partibus vtrinque coarctor, & in animo premor, deſiderãs à vinculis diſſolui huius corporis mortalis, vt quod eſt pro me optimum, ſim cum Chriſto: video tamen altera ex parte, manere me adhuc in carne pro bono veſtro magis eſſe neceſſarium. Et hoc faciliùs mihi perſuadeo, & confido: quia cum omnibus vobis permanebo ad profectum veſtrum, & gaudium fidei, vt abundet gratulatio veſtra per Chriſtum in meo, ſi fuerit Deo viſum, reditu ad vos. Interim dignam Euangelio Chriſti vitam agite; vt, ſiue cùm venero, & videro vos; ſiue abſens audiam de vobis, quòd vnanimes in eodem ſpiritu perſeueretis, generosè pro fide euangelica decertantes, & quòd in nullo terreamini propter infidelium perſecutionem, quæ illis perditionis; vobis autem, adiutore Deo, ſalutis eſt cauſa. Dono enim Dei, & gratia Chriſti particulari vobis datum eſt, vt non ſolùm in eum credatis; ſed, vt etiam pro illo patiamini: idem certamen ſuſtinentes, ac olim vidiſtis me Philippis patientem, & nunc me Romæ pati intelligitis.

Hæc habet capite primo: quia tamen fortè ab Epaphrodito aliquid de diſſenſionibus inter Philippenſes vigentibus illi fuit ſignificatum, eos ad animi demiſſionem, & mutuam

concordiam ardenti affectu ſic exhortatur [b]:

b cap. 2. v. 1. &c.

Si ergo propter Chriſtum conſolari me aliqua ratione vultis, ſi aliquod exhibere ſolatium charitatis, ſi qua vobis mecum eſt in Eccleſia Chriſti ſocietas, & communio ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis, meū hac in parte gaudium cumulate, vt idem ſapiatis, eandem inter vos charitatem habeatis, vnanimes idipſum ſentiatis. Nihil à vobis per contentionem fiat, aut ob inanem gloriam, ſed cum magna humilitate vnuſquiſque in animo ſuo alium ſibi præferat; non tam, quæ ſua ſunt, ſinguli proſpicientes, quàm aliena. Hunc etenim animi ſenſum habetote, quē in Chriſto fuiſſe non ignoratis, qui cum in forma Dei eſſet, ac proinde eſſe ſe ac profiteri æqualem Deo, quod erat naturæ, non arbitraretur rapinæ; tamen occultando maieſtatem, ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui naturalem aſſumens, factus homini per omnia ſimilis abſque peccato, vt qualis erat in ſubſtātia, talis in ſchemate appareret. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus ipsū ſuperexaltauit, & donauit illi nomē ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtriū, & infernorū; & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus IESVS Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Itaque, dilectiſſimi, ſicut mihi præſenti ſemper obediſtis, ita & multò magis nunc velim abſenti; vt cum metu & tremore veſtram ſalutem operemini. Deus eſt enim, qui intus operatur in vobis, tum velle per gratiam excitantem, tum perficere per adiuuantem; quæ, ſicut tribuitur miſericorditer pro illius beneplacito; ita iuſtè ſuperbis & negligentibus ſubtrahitur. Omnia facite ſine murmurationibus, & diſſidiis, vt nemo conqueri de vobis poſſit, ſed ſitis ſynceri, & tanquam filij Dei irreprehenſibiles in medio nationis prauæ, intra quam lucere debetis tanquam in nocte faces, & mundi luminaria. Doctrinam ſalutarem æternæ vitæ conſtanter retinete: erit enim in die magni Iudicij, de quo glorier pro vobis, quòd non in vacuum cucurri, neque in vanū laboraui. Quòd ſi mihi ſub Nerone contingat emori, propterea quòd vos, alioſque ad Chriſti fidem induxerim, non ideò triſtabor; ſed magis gaudebo: & vobis omnibus congratulabor, tāquam de oblato omnipotenti Deo multarum hoſtiarum ſacrificio, in quo vos fideles vt victimæ ſpirituales habebimini; meus verò ſanguis, vt libamen ad complendum omni ex parte huiuſmodi ſacrificium, de quo volo vos gaudere, mihique ipſi plurimùm gratulari. Spero autem per Dominum IESVM citò me miſſurum ad vos Timotheum, vt & ego alacriori animo ſim, vbi de felici veſtro progreſſu in pietate intellexero. Neminem enim habeo, qui meum erga vos animum tam adæquet, adeóque germana charitate pro vobis, ſicut eſt ipſe, ſollicitus ſit. Non facile inuenio, qui ſua non magis quærat, quàm quæ ſunt IESV Chriſti. Vos eius experimentum capiatis: nam profectò ita ſemper mecū vixit, adeóque mihi adiumento fuit in Euangelij prædicatione, tanquam filius ſuo parenti. Hunc igitur ſpero me miſſurum ad vos, vbi de exitu rerum mearum ampliùs cognouero. Habeo verò in Deo ſpem, quòd etiam ego potero paulò pòſt ad vos proficiſci. Interim debui Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, veſtrumque

que Apoſtolum, & in neceſſitatibus meis adminiſtrum mittere ad vos: nam valdè hoc ipſe deſiderabat, & erat omnium veſtrûm cauſa multùm anxius, proptereà quòd audieratis illum hic eſſe infirmatum; & reuerà grauiter, non ſine vitæ periculo ægrotauit. Sed Deus miſertus eſt eius: nec eius tantùm; ſed etiam mei, ne afflictionem afflictioni meæ ſuperadderet. Cùm primùm ergo conualuit, curaui, reuerteretur ad vos: vt eo viſo gaudeatis, & ego ſine triſtitia ſim. Excipite ergo illum in Domino cum omni lætitia, & charas habetote, atque in magno pretio huiuſmodi perſonas: hic enim propter opera Chriſtianæ miſericordiæ morti viciniſſimus fuit, nullam habens vitæ ſuæ rationem, vt nihil circa meum obſequium prætermitteret, quod veſtro nomine non adimpleret.

Sequenti capite tertio ingreditur præcipuum Epiſtolæ argumentum contra Iudaïzantes, & Simoniacos Hæreticos, docens non à lege Moyſis, ſed à Chriſto incarnato, & crucifixo ſalutem ſperandam [c]:

c cap. 3. v. 1 &c.

Cæterùm, Fratres mei, gaudete in Domino: eadem vobis ſcribere me quidem non piget; vobis autem, ſcio, proderit. Cauete caninam Hæreticorum improbitatem; fugite malos huiuſmodi operarios; videte, ne vos circuncisi Iudaïzantes decipiant. Noſtra enim vera & melior eſt circuncisio, qui ſpiritu verum Deo cultum exhibemus, & in Chriſto IESV, non in carne, externiſque cæremoniis per Chriſtum abolitis confidimus, & gloriamur. Quamuis ego quoque, ſi velim, poſſum perinde atque alius quicunque ex ipſis de huiuſmodi gloriari: ſiquidem octauo à natiuitate mea die circunciſus fui ex genere Iſraëlita, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundùm legem Phariſæus, ex zelo perſequens Eccleſiam Chriſti, ſectator Moſaïcæ legis, & Iudaïcæ iuſtitiæ, apud ipſos ſine querela. Sed hæc omnia, quæ mihi olim, cùm eſſem Iudæus, tanto erant in pretio, nunc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. Quinimò non tantùm ea omnia, ſed alia quæcunque huius mundi terrena bona contemno, & pro damno duco, perſuaſus eminenti ſcientia fidei euangelicæ, & ſublimi ſapientia Domini mei IESV Chriſti: propter quem horum omnium libenter iacturam feci, nec ea pluris æſtimo, quàm extracta ab exenteratis pecudibus, & proiecta canibus fœtida reiectamenta, vt cœleſtia Chriſti dona tantùm, veráſque virtutes eius adipiſcar, illíque inhæream, non per acquiſitam meis viribus iuſtitiam, obſeruationéſque ſine ſpiritu legales; ſed inueniar habens meam iuſtitiam, quæ per fidem, & gratiam Chriſti à Deo obtinetur, ad eum perfectè cognoſcendum, & virtutem noſtræ per Chriſtum ad nouam vitam reſurrectionis, dum afflictiones eius in me recipio, & illius paſſionem ac mortem in vita mea exprimo: ſi quo modo etiam mihi contingat (vt ſpero) in communi reſurrectione mortuorum, inter Sanctos Chriſto venienti ad Iudicium occurrere. Neque hæc dico, quaſi putem, me conſummatam obtinuiſſe Chriſtianam perfectionem: tantùm enim eam ſequor, ſi fortè aſſequar, eámque comprehendam: nam ad hoc ego à Chriſto IESV vocatus ſum, & in æſtu perſecutionis Damaſcum pergens ab eo comprehenſus fui. Fratres, ego me non arbitror cõprehendiſſe: vnum autem illud ſpecto, vt quid hactenus

hactenus peregerim ex memoria deponens, ad ea, quæ ſuperſunt, omni conatu meipſum protendam, vt ad deſtinatum brauium ſupernæ vocationis Chriſti IESV per gratiã eius aliquãdo perueniam. Quicunque ergo in hoc ſtadio perfectionis ſumus, ita de noſtra perfectione ſentiamus; & ſi quis aliter ſentiret, falli ſe poſteà tandem aliquando, Deo cuncta reuelante, cognoſcet. Veruntamen, vt ad ea redeam, quæ de cauendis deceptoribus dicere inceperam, rogo, idem omnes ſapiamus, & in eadem ſanæ doctrinæ regula permaneamus. Eſtote, vt ſunt etiam alij, imitatores mei; & obſeruate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis typum & exemplar in nobis. Multi enim longe aliter incedũt, de quibus ſæpe dicebam vobis: nunc autem ſcribo non ſine lacrymis, eos eſſe inimicos Crucis Chriſti, quorum finis perditio, quorum Deus venter eſt, & vana eorum gloriatio in dedecus, ac pudorem, qui non niſi abiectiſſima ſapiunt bona terreſtria. Noſtræ autem cogitationes, noſtra ſpes, viuẽdi ratio, & velveti municipatus in cœlis eſt. Vnde Saluatorem venturum ad vniuerſale iudicium expectamus, qui noſtrum hoc miſerum, & mortale corpus reformabit, vt ſimile reddatur corpori ipſius ſplendidiſſimo, & glorioſiſſimo, per admirabilem operationem omnipotentiæ ſuæ, virtutis in cœlo, & in terra perfectiſſimè dominãtis.

In capite quarto, & poſtremo ad omnem ſanctimoniam hortatur, gratias agit pro miſſis muneribus, & ſalutationibus Epiſtolam concludens, bona omnia Philippenſibus precatur, dicens:

c. 4. Itaque, Fratres mei dilectiſſimi, & deſideratiſſimi, gaudiũ meum, & corona mea, ſic perſeuerate, chariſſimi, cõſtantes in Chriſti Domini fide, atque doctrina. Euodiã nominatim, & Syntychen rogo, vt ſint in Chriſti charitate concordes. Sanè te quoque deprecor, collaborator ſyncere, adiuua illas, quæ mecũ pro Euangelio decertauerunt, vna cũ Clemente, & cęteris adiutoribus meis, quorũ nomina deſcripta ſunt in diuino Catalogo militantium ad vitam æternam. Gaudete in Domino ſemper; iterum dico, gaudete. Modeſtia veſtra innoteſcat omnibus hominibus: Dominus enim prope eſt. Non vos angat temporalium bonorum, aut malorum ſollicitudo: ſed in omni difficultate per orationem, & inſtantem obſecrationem, iuncta gratiarum actione, coram Deo notæ fiant petitiones veſtræ: & pacatæ per Deum conſcientiæ ſumma illa tranquillitas, quæ omnem humanam ſuperat intelligentiam, corda, mentéſque veſtras in Chriſti IESV fide, atque gratia tueatur. De cætero, Fratres, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonam famam cõciliant, quicquid tandem eſt virtutis, quod apud ipſos etiam ethnicos reddere poſſit commendabilem Chriſtianam religionem & diſciplinam, hæc vt exequamini, ſeriò cogitate. Quæ à me didiciſtis, audiuiſtis, & in me vidiſtis, hęc agite, & Deus auctor pacis vobiſcum erit. Gauiſus autem ſum valdè in Domino, quòd refloruerit pro me charitas veſtra, & fructus eleemoſynarum propter impedimenta intermiſſos denuò proferre cœperit. Non hæc dico, quaſi rerum indigentia preſſus: ego enim vſu iã didici, paucis, quæ ad manum ſunt, eſſe contentus. Scio experientia toties inſtitutus, quomodo in humili paupertate me debeam gerere, quomodo etiam in copia rerũ & affluentia, ſatiari, & eſurire; abundare, & penuriam pati. Ad omnia ſum fortis in

eius

eius virtute,qui me intus corroborat. Veruntamen benè feciſtis, quòd in hac mea tribulatione de veſtris opibus aliquid mihi communicaſtis. Memoria etiã tenetis,quomodo à principio meæ prædicationis,quãdo profectus ſum ad vos,impenderim labores meos, & quales diuitias ſpirituales contulerim Eccleſiis Macedoniæ;nec tamẽ quidquam ab eis accepi, niſi tãtùm à vobis,qui Philippis manetis,& adhuc quãdo eram Theſſalonicæ, ſemel atque iterum ad ſubleuãdam indigentiam meam, eleemoſynas miſiſtis. Quæ ſanè in re non tã ego meum commodum, quàm veſtrum fructum & emolumentum conſidero. Recepi ea omnia,quæ miſiſtis, & ſatis ſupérque,vnde meam inopiam ſubleuem, nũc habeo. Reddita verò mihi fuerũt ab Epaphrodito in hoſtiam acceptã, placentem Deo, & in odorem ſuauitatis. Deus meus repleat omnem indigentiam veſtram ſecundùm diuitias gloriæ paratas nobis per Chriſtũ Iesvm. Deo autem & Patri noſtro gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Salutate omnes ſanctificatos. Salutãt vos,qui mecum ſunt,fideles:ſalutant vos omnes ſanctificati,maximè autẽ, qui de familia Cæſaris ſunt. Gratia Domini noſtri Iesv Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen. Addunt in fine huius Epiſtolæ Græca exemplaria, ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης διʼ Ἐπαφροδίτου. nẽpe, ſcripta eſt ab vrbe Roma, miſſa per Epaphroditum. Qua de re multa ſunt à nobis dicta ſuperiùs, & alia dubia, quæ circa eandem Epiſtolam poſſent occurrere,pro noſtro inſtituto ſatis examinata. Illud tantùm, quod in poſtremo capite legimus de Euodia, & Syntyche, animaduertimus, veriſimile eſſe, quod Chryſoſtomus, Theodoretus,Theophylactus, & alij adnotarũt,has duas mulieres fuiſſe primarias inter Philippenſes, & quæ multùm iuuerint illius Eccleſiæ fundationem: nam in Actis apoſtolicis refert S. Lucas [e], vbi primùm ipſe cum Paulo veniſſet Philippos,Lydiam purpurariam cum tota familia baptizatam, poſtea verò etiam cuſtodem carceris,& omnes de domo ipſius. Vnde dubitat S. Chryſoſtomus [f],an Syntyches eſſet ille cuſtos carceris, & Euodia vxor ipſius: magis tamen credibile exiſtimat, vtrunque nomen eſſe mulieris, inter quas aliqua eſſet, quamuis prætextu pietatis,æmulatio ac diſſenſio, quam ſtatim conciliandam Paulus ſignificat, dicens [g]: *Euodiam rogo,& Syntychen deprecor, idipſum ſapere in Domino.* Quis autem ſignificetur per verba illa ſequentia [h]: *Etiam rogo & te germane compar*, Græcè, σύζυγε γνήσιε, quod reddidimus in paraphraſi, *collaborator ſyncere*, multis examinauimus [i], refellentes eos, qui verterunt, *coniux germana*, & inſulsè nimis de Pauli vxore interpretati ſunt. Quare de hac modò Epiſtola ſatis.

e *Act.* c. 16. v. 12. 33.
f *Chryſ. in proœm.* ep *ad Philip.*
g *Philip.* c. 4. v. 2.
h *ibid.* v. 3.
i *lib* 1. c. 8.

CAPVT X.

Hoc eodem anno ſcribit Epiſtolam ad Coloſſenſes, mittens illam per Tychicum, & Oneſimum: & de occaſione, materia, & argumento harum literarum.

Eodem anno ſalutis humanę ſexageſimo, imperij Neronis quarto, & vinculorum Pauli ſecundo, ſollicitus Apoſtolus à vinculis Satanæ omni ratione alios, quoſcunque poſſet, eripere, & ereptos in Chriſti libertate cuſtodire, poſt miſſam Epiſtolam ad Philippenſes, aliam parat ad Coloſſenſes. Hanc Romæ ſcriptam eſſe mirũ eſt aliquos dubitare,

dicentes, videri potiùs Epheſo miſſam, fortè quia in eius exordio ſic legitur [a]: *Paulus Apoſtolus* I E S V *Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater, eis, qui ſunt Coloſſis*, &c. Erat autem Timotheus Epheſi Epiſcopus. At non aduertunt Timotheum per literas euocatum hoc tempore non Epheſi, ſed Romæ cum Paulo manſiſſe: nec etiam aduertunt, in poſtremo huius Epiſtolæ capite Paulum ter vinculorum ſuorum apertam feciſſe mentionem, quem profectò Epheſi nunquam legimus in vinculis eſſe detentum. Quapropter inde potiùs inferre debemus, cùm Timotheus non venerit Romam ad Paulum in poſtremis vinculis, vt ſatis eſt probatum ſuperiùs, nō alio, quàm hoc tempore hanc ad Coloſſenſes Epiſtolam eſſe ſcriptam, hoc eſt, anno ſecundo illius biennij, quo Paulus Romæ vinctus catena, in hoſpitio conducto detinebatur. Timotheus enim anno ſuperiori per literas vocatus, circa illius anni finem Epheſo Romam aduenerat: ideò tam hæc ad Coloſſenſes, quàm altera ad Philippenſes hoc anno ſcripta, tum Pauli, tum Timothei nomen præſefert. Vtra verò ex his duabus hoc anno data ſit priùs, non eſt adeò certum: videtur tamen hęc ad Coloſſenſes ſcripta poſteriùs: nā in ea Tychicus, Epaphras, Marcus, Ariſtarchus, & Oneſimus nominantur, tanquam qui non niſi poſt Timotheum ſuperueniſſe omnes Romam videantur: vnde nulla de illis eſt mentio in Epiſtola priùs (vt ponimus) ſcripta ad Philippenſes; ſed tantùm de Timotheo, videlicet, quia ipſe præceſſerat.

a Coloſſ. c. 1. v. 1.

Erat Tychicus quaſi Pauli tabellarius, & legatus fideliſſimus, cui varia negotia expedienda, & literas, quæ non niſi probatæ fidei perſonis committebantur, perferendas tradebat. Vnde per hunc ipſum ante duos annos Paulus Tito literas miſit, & eum ex Creta ad ſe vocauit [b]: per eundem miſit ſecundam Epiſtolam ad Timotheum, vt dictum eſt anno ſuperiori, & Epiſtolam ad Epheſios, alia ore ſignificanda prętereà eidem committens [c]: qui, cùm hanc etiam tulerit ad Coloſſenſes, debuit eundo in Aſiam, & redeundo, vt iterum nunc eò reuerteretur, vnius propè anni tempus conſumpſiſſe. Quòd autem per Tychicum miſſa ſit hæc Epiſtola ad Coloſſenſes, teſtantur Græca ſubſcriptio, Syriaca, & Latina Complutenſis, his verbis: *Scripta eſt Romæ, per Tychicum miſſa, & Oneſimū.* Idémque non obſcurè indicat ipſe Apoſtolus circa finem Epiſtolæ, cùm ait [d]: *Quæ circa me ſunt, omnia vobis nota faciet Tychicus chariſſimus frater, & fidelis miniſter, & conſeruus in Domino, quem miſi ad vos ad hoc ipſum, vt cognoſcat, quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra, cum Oneſimo chariſſimo, & fideli fratre, qui ex vobis eſt. Omnia, quæ hic aguntur, nota facient vobis.* Addit prætereà: *Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ, & Epaphras, qui ex vobis eſt.* Hoc autem, quod de Epaphra dixit: *Qui ex vobis eſt.* idémque dixerat de Oneſimo, fuiſſe ambo Coloſſenſes ſignificat. Et videtur Epaphras à Coloſſenſibus Romam miſſus, ſicut miſerant Philippenſes Epiſcopum ſuum Epaphroditum, vt Paulum in vinculis ſolarentur, & eleemoſynis ſubleuarent. Epiſcopus etenim Coloſſenſium Epaphras fuit, gerens ſimul curam Eccleſiæ Laodicenſis, & Hierapolitanæ, tanquam ciuitatum propinquarum, à quo vice Pauli fuerant hæ Eccleſiæ in fide inſtitutæ. Sed, ſicut Epaphrodito Romam venienti accidit, vt grauiter infirmaretur:

b Tit. c. 3. v. 12.

c Epheſ. c. 5. v. 21.

d Coloſſ. c. 4. v. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

infirmaretur:ita Epaphræ contigit,vt in vincula cum Paulo conijceretur. Hæc autem omnia in ſuis literis Paulus ſignificauit: nam in primo capite Epiſtolæ ad Coloſſenſes, ſic habet [e]: *Cognouiſtis gratiam Dei in veritate,ſicut didiciſtis ab Epaphra, chariſſimo conſeruo noſtro, qui eſt fidelis pro nobis conſeruus Chriſti* I E S V,*qui etiam manifeſtauit nobis dilectionem veſtram in ſpiritu*.Et capite vltimo [f]: *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt,ſeruus Chriſti* I E S V *ſemper ſollicitus pro vobis in orationibus, vt ſtetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei. Teſtimonium enim illi perhibeo, quòd habet multùm laboris pro vobis, & pro iis, qui ſunt Laodiceæ, & Hierapoli*. Et in Epiſtola ad Philemonem hoc eodem anno, vt infrà videbimus,ſcripta [g] *: Salutat* (inquit) *te Epaphras concaptiuus meus in Chriſto* I E S V.Quare de eo ſic legimus in Romano Martyrologio ſub die Iulij decimanona:*Natalis S.Epaphræ,quem S. Paulus Apoſtolus concaptiuum appellat.Hic ab eodem Apoſtolo Coloſſis Epiſcopus ordinatus, clarus virtutibus,ibidem martyrij palmam pro ouibus ſibi commendatis virili agone percepit : cuius corpus Romæ in Baſilica S.* M A R I Æ *Maioris conditum ſte.*

e *Coloſſ. c.1.v.6.7.*
f *Coloſſ. c.4.v.12.*
g *Philem.v. 23.*

Sed de ciuitate Coloſſenſi, ad quam Paulus ſuam modò per Tychicum direxit Epiſtolam, nõ eſt omittendum dicere,aliquos eſſe deceptos, exiſtimantes cum Suida, Glyca, Zonara, Euſtachio, & Cyroprodromo, Coloſſenſes eſſe Rhodios, ita dictos à coloſſo quodam Solis, qui erat Rhodi, & numerabatur inter ſeptem orbis miracula: erat autem ſtatua ænea magnitudinis cubitorum ſeptuaginta, & circa illam centum minores coloſſi [h]: opus à quodam diſcipulo Lyſippi annis duodecim perfectum, pretio trecentorum talentorum, ex cuius maioris ſtatuæ ruina poſt aliquot annos terræmotu collapſæ, Soldanus Ægypti, capta Rhodo, nongentos camelos dicitur oneraſſe, vt itinere terreſtri Alexandriam fragmenta conueherentur.Sed hi Auctores erroris apertè conuincũtur ex Apoſtoli verbis, qui non ſemel [i] ciuitati Coloſſenſi Laodiceam, & Hierapolim, tanquam vicinas ciuitates adiũgit.Ideò iubet, vt Coloſſenſes legant Epiſtolam quandam Laodicenſium, & è contrà:*Cùm lecta fuerit* (inquit) *apud vos Epiſtola hæc, facite, vt & in Laodicenſium Eccleſia legatur : & eam,quæ Laodicenſium eſt, vos legatis*. Quæ verò fuerit hæc Epiſtola Laodicenſium, alibi [k] examinauimus.Neque eſt, quòd aliquis ſuſpicetur de Laodicea Syriæ Paulum hic eſſe loquutum,& multò minùs de illa, quæ eſt in Media : ſed de ea, quæ eſt in Phrygia maiori contra Hierapolim, iuxta fluuium Meandrum, à quo Lycus amnis emanat. Quare nõ eſt dubitandum Coloſſæ, vnde ſunt dicti Coloſſenſes, ad Rhodum inſulam Aſiatici maris minimè pertinere; ſed, ſicut Plinius [l],Strabo, & alij tradiderunt,ciuitatem fuiſſe in Phrygia maiori, non procul a Laodicea, & Hierapoli. Quæ tres ciuitates, vt refert Euſebius in Chronicis, terræmotu poſt ſex abhinc annos corruerunt ; hoc eſt, anno imperij Neronis decimo : ſed Cornelius Tacitus [m] diligentiùs rationes temporum iuxta Romanos Conſules ſupputando, ponit hunc terræmotum anno ſexto imperij Neronis accidiſſe, hoc eſt, annis duobus poſt datam hanc Epiſtolam ad Coloſſenſes, nec ea terræ concuſſione dixit Tacitus Coloſſas,& Hierapolim corruiſſe ; ſed tantùm Laodiceam, eámque breui à ciuibus reſtauratam; erat enim opulentiſſima. Quare

h *Plin. lib.34. c.7.* *Strabo lib. 14.*
i *Coloſſ. c.2.v.1. & c.4.v. 13.16.*
k *lib. 9. c.2.*
l *Plin. lib.5.c.32.* *Strabo lib.12.c. 13.*
m *Tacit. lib.14.*

 ſic

ſic inter cætera ſcripſit Strabo de ea regione [n]: *Oues alunt loca , quæ ſunt circa Laodiceam excellentes,non mollitie modo lanarum , quâ etiam Mileſiis præſtant , ſed etiam ad coruorum nigredinis æmulum colorem , vnde amplos quoque habent redditus.* Aquam prætera, dicit idem Auctor [o], fluere circa Hierapolim , quæ radicibus quibuſdam tincta, lanis rubro colore inficiendis ita deſeruiat, vt cum vermiculo, & purpura decertare videatur. Hæc aliqui putant in Apocalypſi S. Ioannem reſpexiſſe , cùm Epiſcopo Eccleſiæ Laodicenſis , occaſione huiuſmodi , tum diuitiarum , tum deliciarũ , teporem exprobrat charitatis, dicens [p] : *Vtinam frigidus eſſes,aut calidus. Quia dicis , quòd diues ſum , & locupletatus, & nullius egeo, ſuadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris , vt non appareat confuſio nuditatis tuæ.*

[n Strabo lib. 12.]
[o Strabo lib. 13.]
[p Apoc. c. 3. v. 15. 17. 18.]

Sed ad Coloſſenſes redeamus , ad quos an iuerit , & Euangelium aliquando prædicauerit S. Paulus, dubitare verba illius faciunt , quibus in Epiſtola ſic eos alloquitur [q]: *Volo enim vos ſcire, qualem ſollicitudinem habeam pro vobis, & pro iis, qui ſunt Laodiceæ, & quicunque nõ viderunt faciem meam in carne.* Quæ verba exponens Theodoretus , ſic ait [r] : *Nonnulli ſunt arbitrati, tã à Coloſſenſibus, quàm a Laodicenſibus Paulum nunquam viſum, fuiſſeque illis facie prorſus ignotum.* At hoc improbans Theodoretus ſuam adiungit ſententiam, dicens : *Oportebat conſiderare verborum ſententiam: vult enim dicere : Non ſolum veſtrum, ſed & eorum,qui me nõ viderunt,maximam curam gero.* Approbant hanc Theodoreti expoſitionem aliqui recentiores [s], dicentes, Paulum quidem vbi primùm cum ſociis in Phrygiam deſcendiſſet , in qua prouincia erant Laodicea, atque Coloſſę, ſine vlla verbi prædicatione pertranſiuiſſe in Bithyniã : *Vetiti enim ſunt* (inquit S. Lucas [t]) *a Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia.* ſed poſt aliquot annos reuerſum in Aſiam vltima ſua peregrinatione, Coloſſenſibus, & Laodicẽſibus Euangelium prædicaſſe , atque adeò tunc illis viſum, benéque cognitum fuiſſe. *Nam* (inquit S. Lucas [u]) *factum eſt, cùm Apollo eſſet Corinthi , vt Paulus peragratis ſuperioribus partibus veniret Epheſum.* Tum ſubdit , ibi per biennium concionatum eſſe ; ita vt omnes, qui habitabant in Aſia , audirent verbum Domini , Iudæi , atque Gentiles. Sed hæc Theodoreti ſentẽtia non probatur: nõ enim dixit S. Lucas, Paulum vnquam iuiſſe ad Coloſſenſes , aut Laodicenſes ; ſed Epheſi manſiſſe, ibíque per bienniũ in Schola cuiuſdam Tyranni docuiſſe , & potiùs Aſianos, ſiue qui Epheſi, ſiue qui circa illam regionem habitabant, ad Paulũ audiendum cõfluxiſſe; ita vt fama prædicationis eius totã Aſiã peruagata ſit. Cæterùm, quod ipſe Coloſſenſibus teſtatur, maximam ſe gerere pro illis ſollicitudinem, & pro iis, qui ſunt Laodiceæ, & quicunque non viderũt faciem eius in carne, ſatis apertè ſignificat , ſe notum illis de facie non fuiſſe , vt benè S. Athanaſius [x], Chryſoſtomus , Theophylactus & alij communiter intellexerunt. Quorſum enim oportuiſſet hoc loco illorum meminiſſe , qui faciem eius non viderunt , niſi quia tales erant Coloſſenſes , & Laodicenſes ? vt arguit illa coniunctio [y] : *Et quicunque non viderunt faciem meam in carne.* Græcè , καὶ ὅσοι , quod Syrus vertit : *Et cæteri , ſiue quicunque alij, qui ſicut vos faciem meam non viderunt.* Id ipſum verba illa primi capitis perſuadent , quibus Coloſſenſibus gratulatur propter ſuſceptum,

[q Coloſſ. c. 2. v. 1.]
[r Theod. in ep. ad Coloſſ. c. 2.]
[s Baron. an. 60.]
[t Act. c. 16. v. 6.]
[u ibid. c. 19. v. 1. & 10.]
[x S. Ath. in Synopſ. Chryſ. in proœm. Ep. ad Coloſſ. Theoph. in c. 2. Ep. ad Coloſſ. & recentiores.]
[y Coloſſ. c. 2. v. 1.]

non

z Coloſſ. c. 1. v. 7.

nó à ſe, ſed ab Epaphra Euangeliũ[z]: *Quod* (inquit) *peruenit ad vos, ſicut & in vniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit; ſicut in vobis, ex ea die, qua audiſtis, & cognouiſtis gratiam Dei in veritate, ſicut didiciſtis ab Epaphra, conſeruo noſtro, qui eſt fidelis pro vobis miniſter Chriſti* I e s v. Cur, quæſo, non dixit, eos à ſe didiciſſe Euangelium; ſed ab Epaphra? Nam ſic illos magis excitaſſet, & ſibi deuinxiſſet; vt paulò antè, cùm ita ſcripſit ad Philippenſes[a]: *Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiſcum.* Et ad Timotheum[b]: *Tu verò* (inquit) *permane in iis, quæ didiciſti, ſciẽs à quo didiceris. Et tu aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem.* Similiter in aliis Epiſtolis ad eos datis, quos in fide inſtituiſſet, id eis reuocare in memoriam nó omittit. Addit in eodem primo capite de Epaphra[c]: *Qui etiam manifeſtauit nobis dilectionem veſtram in Spiritu: ideò & nos, ex qua die audiuimus, non ceſſamus pro vobis orantes,* &c. Quorum verborum hic ſenſus videtur eſſe planiſſimus: Manifeſtauit mihi dilectionem, quam erga me geritis, licèt abſentem, & nunquam corpore, ſed ſpiritu tantùm vobis notũ. ſicut clariùs dixit capite ſequenti[d]: *Nam etſi corpore abſens ſum, Spiritu vobiſcũ ſum.* Et ad Corinthios[e]: *Ego quidem abſens corpore; præſens autem Spiritu.* Quibus teſtimoniis cõuenienter vtitur S. Chryſoſtomus[f] ad noſtrum inſtitutum. Addere his poſſumus, quod habetur in Epiſtola ad Philemonem Coloſſis manentem, miſſa ſimul cum hac Epiſtola ad Coloſſenſes, vt magis infrà oſtendemus: ſic enim illi mandat Apoſtolus[g]: *Para mihi hoſpitium: nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis.* Donari, dixit; non, reſtitui, ſicut dicere debuiſſet, ſi aliàs apud illos fuiſſet: vt cùm ſcribit ad Hebræos[h]: *Orate pro nobis, quo celeriùs reſtituar vobis.* Et ad Philippenſes: *Gratulatio veſtra abundet in Chriſto* I e s v *in me per aduentum meum iterum ad vos.* Neque verò debet mirum nobis videri à Paulo Phrygiam ſemel, & iterum peragrãte, Coloſſenſes, & Laodicenſes fuiſſe prætermiſſos: erant enim in ea regione plurimæ ciuitates, quas Plinius fusè recenſet[i], vnde vnus tot locis inſiſtere, præſertim adeò breui tempore non potuiſſet. Quare potiùs per Epiſtolas, quantùm abſens valebat, & expedire iudicabat, eos confirmare in fide curabat, quos priùs per ſubſtitutos ſibi fideles operarios, & adminiſtros in doctrina euangelica inſtituerat, & Baptiſmi Sacramento expiatos Eccleſiæ Chriſti aggregauerat.

a Philip. c. 4. v. 9.

b 2. Tim c. 3. v. 10. & 14.

c Coloſſ. c. 1. n. 8.

d Coloſſ. c. 2. v. 5.

e 1. Cor. c. 5. v. 3.

f Chryſoſt. in procem. Ep. ad Coloſſ.

g Philem. v. 22.

h Hebr. c. vlt. v. 10. Philip. c. 1. v. 26.

i Plin. lib 5. c. 32.

Cùm igitur Paulus ſtatum Eccleſiæ, tum Coloſſenſis, tum Laodicenſis intellexiſſet, hanc illis mittit Epiſtolam, mãdans[k], vt poſtquàm lecta eſſet in Eccleſia Coloſſenſi, etiam in Laodicenſi legeretur. In ea cuilibet ferè hominum generi propria quædam vitæ, ac morum dat documenta; ſed anteà triplex genus infideliũ cauendum oſtendit, contendentium variis erroribus in Aſia, & maximè circa Phrygiam, euertere euangelicã veritatem; primum, Iudæorum, ſiue Iudaïzantium: ſecundum, Hæreticorum arti magicæ deditorum: tertium, Gentilium quorundam Philoſophorum, & Platonizantium. Primi generis infideles obtrudebant, Iudaïcas cæremonias cum Euangelio obſeruandas, quos propterea illis verbis redarguit[l]: *Circumciſi eſtis circumciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti conſepulti ei in Baptiſmo Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu,*

k Coloſſ. c. 4. v. 16.

l ibid c. 2. v. 11. 16.

aut in parte diei Feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbathorum, quæ ſunt vmbra futurorũ. Secundæ claſſis infideles erãt Hæretici Simoniani, Menandriani, Cerinthiani, & alij ponentes Angelos quaſi minores Deos, qui homines, & mundum condidiſſent, & per Prophetas locuti eſſent, & Chriſto tanquam puro homine ſuperiores. Ideò S. Paulus ſæpè in hac Epiſtola, & in capite primo Epiſtolæ ad Epheſios, & ad Hebræos etiam capite primo, ſuper omnes angelicas Virtutes, ac Poteſtates Chriſtũ extollit, eúmque mundi opificem, & omnis creaturæ conditorem, ac demum humanæ ſalutis reparatorem deprædicat. *In quo* (inquit [m]) *habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum: qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Alia quoque multa inculcat pro hac certiſſima veritate in eadem Epiſtola, quam explanans Chryſoſtomus [n]: *Sunt* (inquit) *nonnulli, qui dicunt, non oportere per Chriſtum reconciliari, & ad Patrem accedere, ſed per Angelos: proptereà Paulus ſurſum, ac deorſum, quæ de Chriſto ſunt, verſat.*

m *Col. c. 1. v. 14.*

n *Chryſoſt. hom. 7. in Ep. ad Coloſſ.*

Tertij generis infideles praua dogmata inter Coloſſenſes, & Laodicẽſes diſſeminantes, erant quidam Philoſophi Gẽtiles, qui ex doctrina Platonis ponebant Angelos eſſe quoſdã minores Deos, mundi conditores, vt aſſerebant etiam Heretici ſupradicti; tum addebãt cultum peculiarem, ritus, ac cæremonias proprias, quibus Angeli ſupra Chriſtum adorarentur, fingentes circa hæc habitas viſiones, quod illis verbis indicauit Apoſtolus, dicens [o]: *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit in tẽplum Dei.* Quamuis non omnes in hunc ſenſum ea ſanè difficilia verba interpretentur: nam, vt omittamus Hæreticos noſtri temporis, volentes ibi damnari abſolutè à S. Paulo adorationem Angelorum, atque Sanctorum, quos Bellarminus benè refellit [p], aliqui exiſtimarunt, Apoſtolum redarguere infideles primi generis, quos diximus fuiſſe Iudæos, ſiue Iudaïzantes, eò quòd Angelis offerrẽt ſacrificia, & Solem, Lunam, ac ſtellas adorarẽt, omnémque militiam cœli, errore vetuſto, de quo in quarto libro Regum ſic dicitur [q]: *Adolebãt incenſum Soli, & Lunæ, duodecim ſignis, & vniuerſæ militiæ cœli.* Credentes fortaſſe cũ Pythagoreis, aſtra eſſe per Angelos animata, vt ſenſiſſe Phariſæos tradit S. Epiphanius [r]. Atque ita de ſenſu horũ verborum Apoſtoli conſultus S. Hieronymus reſpondit quæſtione decima ad Algaſiam. Idémque ſenſit Clemẽs Alexandrinus [s], & Ambroſio adſcriptus Cõmentarius. Sed, quãuis Apoſtolus ſæpè in ſuis Epiſtolis arguere ſoleat Iudaïzãtes, & Moſaïcas cæremonias legi euãgelicæ cõiungere volentes; tamen quòd Iudaïcã idololatriã hic reſpexerit, nõ eſt adeò veriſimile. Hæreſes enim recenter exortas potiùs, quã antiquos errores refellere in ſuis Epiſtolis S. Paulus conſueuit, præterquàm quòd Iudæos Chriſti tẽpore idololatras fuiſſe nõ ſatis cõſtat, & non fuiſſe docent Rabbi Salomon in libro de aduentu Meſſiæ, & alij plures. Quare viſum aliis eſt; potiùs notare Apoſtolum voluiſſe infideles ſecundi ordinis, nempe, Hæreticos Simonianos, Menandrianos, & præcipuè Cerinthianos, ait Baronius [t],

o *Coloſſ. c. 2. v. 18.*

p *Bellar. lib. 1. de cultu SS. c. 10.*

q *lib. 4. Reg. c. 23. v. 5.*

r *S. Epiph. lib. 1. c. 16.*

s *Clemẽs lib. 6. Strom.*

t *Baron. an. 60.*

Chriſtum

Chriſtum deprimentes, & Angelos extollentes: atque hoc eſſe, quod in Epiſtola dicitur: *Nemo vos ſeducat in humilitate,* Chriſti, videlicet, dum illum eſſe tãtùm hominem, nõ Deum, ob ſcandalum crucis humiliatũ prædicarent. Et quod ſubditur: *Quæ nõ vidit.* ſpectare videtur id, quod ſcribit de Cerintho Theodoretus, dicens [u]: *Confinxit etiam quaſdam reuelationes, tanquam eas ipſe eſſet contemplatus: illis enim vtebatur ad captandam audientium fidem, multa ſe diuinitùs vidiſſe mentiens, quæ, vt inquit Paulus, non vidit.* Sed habet hæc etiam opinio difficultatem: nõ enim videtur Apoſtolus illis duobus verbis: *In humilitate, & religione Angelorum.* duas res adeò inter ſe diuerſas, & diſparatas ſignificare intendiſſe, Chriſti, nimirum, deiectionem, & cultum Angelorum; deinde, quia in humilitate dixit, non addens, Chriſti; cur igitur ad Chriſtum referetur? Præterea, quod plurimùm refert, nõ habetur Græcè, ταπείνωσις, id eſt, abiectio; ſed ταπεινοφροσύνη, videlicet, animi demiſſio, atque etiam corporis, in ſignum venerationis & cultus Angelorum. Vnde omninò coniungenda eſt vox huiuſcemodi humiliationis cum voce θρησκεία, id eſt, religio, ſiue cultus, & vtrunque ad Angelos referendum, quos aliqui ſuperſtitioſi apud Coloſſenſes, & Laodicenſes altiori, quàm Chriſtum cultu venerabantur. Proptereà diximus ad tertium ordinem infidelium hunc errorem propriè pertinere, nẽpe, Gentilium quorundam Philoſophorum, qui partim decepti ex Platonica diſciplina, partim ex Cerinthi falſis reuelationibus, & Iudæorum cæremoniis, nouam pro colendis latriæ cultu Angelis commenti ſunt rationem, & ſectam proſternentium ſe humili quodam geſtu, & demiſſa corporis inclinatione, addito quodã in cibis delectu, & propriis ſacrificiis. Ideò S. Paulus anteà præmiſit Coloſſenſibus, dicens [x]: *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditiones hominum.* Et infrà obiicit illis delectum ſuperſtitioſum ciborum, & quòd ſoleret ſuis ſectatoribus de quibuſdam eduliis dicere: *Ne tetigeritis, neque guſtaueritis, neque contrectaueritis. Per irriſionem enim* (inquit ea verba exponens S. Auguſtinus [y]) *poſuit Apoſtolus verba eorum, à quibus nolebat decipi Coloſſenſes, atque ſeduci diſcernentibus cibos ſecundùm culturam Angelorum.* Et videntur hi fuiſſe, quos idem S. Auguſtinus in Catalogo hæreſũ [z] Angelicos vocat, dicens: *Angelici in Angelorum cultu inclinati, quos Epiphanius iam defeciſſe teſtatur.* Orta verò putatur hæc hæreſis Coloſſis, vel Laodiceæ: nam de ea non meminit Apoſtolus, niſi in hac Epiſtola ad Coloſſenſes, quam etiam legi voluit Laodicenſibus: & poſt aliquot annos cõtrà hanc ſuperſtitionẽ in Concilio Laodiceno edita eſt conſtirutio his verbis [a]: *Non oportet Chriſtianos derelicta Eccleſia abire, & ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere, quæ omnia interdicta ſunt. Quicunque autem inuentus fuerit occultè huic idololatriæ vacans, anathema ſit: quoniam derelinquens Dominum noſtrũ* IESVM *Chriſtum, acceſſit ad idola.* Meminit huius Cõſtitutionis Theodoretus in ſuis Commentariis Epiſtolæ ad Coloſſenſes, dicens [b]: *M..n-ſit hoc vitium in Phrygia, & Piſidia. Quocirca Synodus, quæ conuenit Laodiceæ, quæ eſt Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos, & in hodiernũ vſque diem licet videre apud illos, & eorũ finitimos, Oratoria S. Michaelis.* Hæc Theodoretus, quem aliqui [c] ob id grauiter reprehendunt, quaſi damnare his veibis voluiſſet cultum quencunque Angelorum, & ad

u Theod. lib. 2. fabul. Hæret. c. 4.

x Coloſſ. c. 2. v. 8. & 21.

y S. Aug. Epiſt. 59. ad Paulin. q. 7.

z S. Auguſt. lib. de hæreſibus. n. 39.

a Concil. Laodic. c. 35.

b Theodor. in c. 2. Ep. ad Coloſſ.

c Baron. an 60.

& ad hunc ſenſum pertrahere Concilium Laodicenum: templum quoque S. Michaelis celeberrimum in Coloſſenſi ciuitate, quæ hodie Chonis appellatur, ab Hæreticis ſuperſtitioſis cultoribus Angelorum, non verò à Catholicis ædificatum exiſtimauit. Sed veriſimile non eſt, Theodoretum in his tantopere hallucinatum; quippe qui in caput quartum Danielis, & libro diuinorum decretorum quinto de Angelis, cultũ Angelorũ, in Eccleſia vſitatum conſtanter admittit, tanquam noſtrorũ apud Deum interceſſorum, & ſalutis noſtræ miniſtrorum. Solùm igitur cultum aliquem ſuperſtitioſum, & latriæ, non duliæ Theodoretus excluſit, quod etiam hic vult S. Paulus, & prolatum Concilium Laodicenum. Nam ſimili ratione idem Concilium canone trigeſimoquarto, & quinquageſimoprimo damnat cultũ falſorum Martyrum Hæreticorum; approbat verò pium cultum Martyrum Sanctorum. Quod autem ſpectat ad templum; ſiue, vt loquitur Theodoretus, Oratoria S. Michaëlis apud Coloſſenſes, vel ſignificare voluit profana templa ab Hæreticis conſtructa, vt S. Michaeli ſacrificia idololatrica exhiberent, vel intellexit templa catholica, ſed reformata, cùm priùs eſſent ab Hæreticis in cultum ſacrilegum ædificata: vt inde cognoſceremus, quantùm hæc hæreſis Angelicorum in ea regione inualuerit. Neque verò nouum eſt templa idololatrica in vſum pium cõuerti, teſte ipſomet Theodoreto libro quinto de Martyribus. Et conſtat ex templo Romæ, Pantheon appellato, id eſt, omnium Deorum, quod conuerſum eſt in templum omnium Sanctorum; & templũ Caſtoris, & Pollucis, mutatum in templum Sanctorum Coſmę, & Damiani, ac plurium aliorum. Sed hæc ſatis de huius Epiſtolæ ad Coloſſenſes materia, ſcribendi tempore, & occaſione, ex quibus facile erit verborum per ſingula ſenſus alioqui difficiles explanare.

CAPVT XI.

Breuis paraphraſis Epiſtolæ ad Coloſſenſes.

INcipit more ſuo à gratulatione, & virtutum cõmendatione: deinde Chriſtum ſupra Angelos eminere oſtendit, dicens [a]: *a Coloſſ. c. 1. v. 1. &c.*

Paulus Apoſtolus IESV Chriſti per Dei voluntatem, & Timotheus frater, iis, qui ſunt Coloſſis, fidelibus in Chriſto Fratribus ſanctificatis, gratiam precatur, & pacem à Deo Patre noſtro, & Domino IESV Chriſto. Gratias agimus Deo Patri Domini noſtri IESV Chriſti aſſiduè pro vobis, dum oramus, ex quo per Epaphram intelleximus, qualis, & quanta ſit per Chriſtum fides veſtra, & dilectio erga omnes, ſiue incolas, ſiue peregrinos fideles Chriſti ſeruos, propter ſpem bonorum, quæ vobis repoſita ſeruantur in cœlis, & promiſſa ſunt per euangelicam veritatem ad vos diuino fauore delatam, vt ad omnes alias præcipuas mundi regiones, vbi lætos, & vberes, ſicut apud vos, edit fructus, & quotidiana ſuſcipit incrementa. Quemadmodum ab Epaphra edocti fuiſtis, chariſſimo conſeruo noſtro, & fideli pro vobis miniſtro Chriſti IESV, qui etiam expoſuit mihi dilectionem veſtram, quam erga me in ſpiritu, quippe nondum de facie cognitum, obtinetis. Ideò, ex quo primùm audiuimus nõ ceſſamus pro vobis orare, & à Deo poſtulare, vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni ſapientia,

ſapientia, & intellectu ſpirituali, vt dignè Deo per omnia vos geratis, eique in omnibus placeatis, fructum boni operis in quacunque veſtra actione reddẽtes, in Dei ſcientia ſemper proficientes, omni animi conſtantia in bono firmati, ſecundùm potentiam eius glorioſiſſimam, ad omnem tolerantiam, & longanimitatem, cum gaudio, gratias Deo Patri referentes, qui nullo noſtro merito dignos gratia ſua nos effecit, & participatione ſortis Sanctorum in luce euangelica: qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum vnicè dilecti Filij ſui: per quem habemus cõparatam ipſius ſanguine redemptionem, & omnium peccatorum perfectam remiſſionem: qui eſt inuiſibilis Dei Patris propria, & ſubſtantialis imago, vnigenitus, & ante omnem creaturam: quoniam per ipſum condita ſunt vniuerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates: omnia, inquam, per ipſum creata ſunt, & intra immenſum ambitum ſiſtunt diuinæ præſentiæ ipſius: & ipſe eſt ante angelicos Spiritus, & creatas res omnes, & omnia per ipſum conſeruantur. Ipſe quà homo, caput eſt myſtici corporis Eccleſiæ, fons, & auctor reſurrectionis ex mortuis, & omnium ad immortalem vitam reſurgẽtium primus: vt ſit in omnibus primatum tenens. Fuit enim Dei Patris beneplacitum, vt in Chriſto eius Filio omnis perfectio, tum ſapientiæ, tum gratiæ, tum potentiæ, tum denique ipſius in ſubſtantia Diuinitatis inhabitaret, & per eum omnia ſibi reconciliaret, pacificando per Sanguinem, quem fudit in cruce, tum homines, tum Angelos. Vos quoque cùm eſſetis aliquando à gratia Dei alieni, culpa propriæ voluntatis, iniquis veſtris operibus declaratæ, Chriſtus Deo reconciliauit per ſuam mortem ſuſcept. m in vero, & proprio ſuo corpore, non, vt quidam mẽtiuntur, ficto, vel phãtaſtico: vt exhiberet vos ſanctos, inculpatos, & irreprehenſibiles cor. in ſe, & in conſpectu Patris ſui: ſi tamen fundati, ſtabiles, & immobiles in ea fide, ac ſpe perſeueratis, quã per Euãgelium admiſiſtis, quod prædicatum ferè iam eſt omnibus ſub cœlo creatis nationibus, cuius factus ſum ego Paulus miniſter, qui nunc gaudeo in iis, quæ patior propter Euangelium inter vos diuulgãdum, & ea pro mea parte ſupplco, quæ Chriſto capiti noſtro iam impaſſibili adhuc in eius corpore, quod eſt Eccleſia, ſuſtinenda ſuperſunt, cuius factus ſum ego miniſter, & quaſi œconomus veſter, ac diſpenſator: vt perficiam diuini verbi prædicationẽ, & myſterij à ſæculis & generationibus abſconditi: nunc autem Sanctis eius manifeſtati, quibus voluit Deus ad gentium conuerſionem, prædicti myſterij glorioſiſſimas diuitias reuelare, ſpem, videlicet, omnis gloriæ noſtræ Chriſtum, quem prædicamus, admonentes, docentes, increpantes, omni cum ſapiẽtia, & prudentia, vt quoſcunque poſſumus, perfectos exhibeamus Chriſto IESV: pro quo ſemper tanquam in agone contendo, non meis, aut vllis humanis viribus confiſus; ſed vi, & efficacitate ſpiritus Chriſti, qui potentia ſua mirabili in me ſupra omnem meam virtutem operatur.

In capite ſecundo varios errores, & eorum proſeminatores cauendos monet dicens [b]: b cap. 2.

Volo etenim agnoſcatis, qualem pro vobis agonem hic modo ſuſtineã, & pro iis, qui ſunt Laodiceæ, & pro aliis vbique terrarum fidelibus, licet nondum ipſis, ſicut neque vobis ſim de facie notus, vt conſolationem v. 1 &c.

hinc accipiant, cùm fuerint inſtructi in charitate, & plene edocti de myſterio Dei Patris, & Filij eius Chriſti IESV, in quo ſunt omnes diuinæ ſapientiæ, ac ſcientiæ theſauri abſcõditi. Quod propterea dico, ne vllus ſpecioſo humanæ ſcientiæ nomine vos decipiat: nam, etiamſi corpore abſens ſum; mente tamen, & ſpiritu quaſi præſentes vos aſſiduè contemplor, & gaudeo cõſiderans ordinatam veſtrã viuendi rationem, & conſtantiã fidei, qua in Chriſtum credidiſtis. Sicut ergo cœpiſtis, pergite, radicati, ſuperędificati, confirmati in fide ipſius cum omni benedictione, & gratiarũ actione. Videte, ne quis vos decipiat per humanam Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundùm vanas hominum traditiones, & rudimenta mundanæ, non Chriſtianæ ſapientiæ. Quia in Chriſto verè, & ſubſtantialiter inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, per vnionem hypoſtaticam ipſius Verbi perſonæ cum humana in eodem ſuppoſito natura. Huic vos digniſſimo capiti hominum & Angelorum per gratiam, qua vos ſanctificauit, eſtis inſerti, nõ manufacta circunciſione per carnei præputij modicam præciſionem; ſed per expiationem omnis peccati, Sacramento Baptiſmatis ad nouam vitam reſurgentes, in virtute illius, quam fide tenetis, Dei omnipotentiæ, qua Filium ſuum à mortuis ſuſcitauit. Cùm enim eſſetis ſpiritualiter mortui propter delicta, & immundæ carnis veſtræ inquinamenta, Deus vos cum illo ſuſcitauit, & peccata omnia condonauit, eorum reatum, & à Deo decretam obligationẽ ad æternas pœnas tanquam chirographum contra nos ſcriptum, de medio ſuſtulit, & in ſua cruce aboleuit. Et expolians tyrannica poteſtate Dæmonũ principatus, præclarũ de illis triũphũ egit, ac veluti currui triũphali ſuæ cruci reuinctos, pro ſpectaculo circunduxit. Nihil eſt igitur, cur quiſquam vos condemnet in delectu ciborũ, aut potionum Iudæis præſcripto, in obſeruatione Feſtorum, Neomeniæ, aut Sabbatorum in hac parte: ſunt enim vmbræ, quæ tranſierunt, adumbratum autẽ corpus, quod tenemus, & veritas taliũ figurarum eſt Chriſtus. Ne igitur patiamini quenquã vobis ſuperbè ac fallaciter imperare, & quaſi brabeutam, ſiue agonothetam, velle in certamine religionis nouas leges ponere circa demiſſas quaſdã adorationes, & ſuperſtitioſũ cultũ Angelorũ, iactãs vanas, quas vel ſomniauit, vel cõfinxit viſiones, & caput, quod eſt Chriſtus, ignorans, ex quo totum Eccleſię corpus per nexus fidei, & coniunctiones charitatis ſubminiſtratũ ſuſcipit ſpiritũ vitæ, & creſcit ſẽper diuinæ gratiæ incremẽto. Si ergo mortui cũ Chriſto eſtis rudimẽtis mũdanę, & Chriſto cõtrarię Philoſophiæ, quid hæretis quaſi adhuc mũdo viuẽtes in vanis ſuperſtitioſorum hominũ decretis, & inhibitionibus, dicentium: Ne tetigeritis hoc, neque guſtaueritis illud, nullóque modo talia contrectaueritis. Quæ omnes vaniſſimæ obſeruationes æternã dãnationẽ afferunt iis, qui in tali cultu, & in ſuis Angelis, vel potiùs Dæmonibus, non in Chriſto ſpẽ ponunt: quãtumuis ſpeciẽ quandam ſapientiæ, & pietatis prætexant in huiuſmodi voluntariis adinuentionibus ſuperſtitioſæ culturæ Angelorum, cum ſimulata humilitate, ſingulari abſtinentia, & corporis, ac vitæ, alioquin impuræ, nimia auſteritate.

His improbatis hortatur capite tertio ad veras, & Chriſtiano homine dignas virtutes, pro gradu & ſtatu ſingulorum, dicens [c]: c cap. 3. v. 1. &c.

Igitur, ſi cũ Chriſto capite ad nouã vitã ſpiritualẽ conſurrexiſtis, opere, &

affectu

affectu id oſtendite:quærite bona ſuperna,& quæ in cœlis ſunt,vbi Chriſtus eſt in dextera Dei Patris cõſtitutus;illa,quæ ſursũ sũt,& non terrena, animo verſate,& ſapiant vobis. Mortui enim eſtis,& vita veſtra in Deo cũ Chriſto recondita mundũ latet. Sed, vbi auctor vitæ Chriſtus in extremo die vniuerſalis Iudicij cũ Sanctis ſuis ſplendidiſſimus apparebit.tũc & vos in ea gloria toti mũdo cõſpicui apparebitis. Interim ergo ex omni parte terreni veſtri corporis affectus, motúſque peruerſos mortificate,fornicationis,immũditiæ,libidinis,prauę cõcupiſcẽtiæ,auaritiæ,quæ veluti quędã idololatria videtur. Propter hęc enim experiũtur ſæpè graué irã Dei homines increduli,& Euãgelio repugnãtes, quales aliquando fuiſtis, cũ inquinatã huiuſmodi culpis vitã traduceretis. Nũc auté abiicite procul hæc omnia, irã,indignationẽ,malitiã,blaſphemiã, turpiloquium,nolli mẽtiamini,exuite veterem hominem, & nouũ induite, qui de die in diẽ ſemper magis innouetur, & creſcat in Dei cognitione, ad eius in vobis imaginẽ,inditam primo homini,reformandã. In qua ſpirituali renouatione nihil refert aliquem priùs fuiſſe Gentilẽ, vel Iudæum;circuncisum, vel incircuncisũ;barbarũ, vel Scythã;ſeruũ,vel liberum. Omnes enim poſt Baptiſmũ in Chriſto facti ſunt fratres,& vniti in charitate. Induite vos ergo, ſicut decet electos à Deo ad Chriſtianã perfectionẽ,viſcera miſericordiarũ,benignitatẽ,humilitatẽ,lenitatem,longanimitatem;offenſas inuicẽ,ſi quæ ſunt, condonantes, ſicut eas Dominus vobis condonauit. Super omnia autem hæc charitatem habete, quæ, tum has, tum alias virtutes vinculo inter ſe nectit perfectiſſimo. Et pax Chriſti tanquã Regina, & ſpiritualium agonotheta certaminum, in corde veſtro virtutibus contra vitia palmas, & brauia decernat:ad hãc enim pacẽ in Eccleſia Chriſti vocati eſtis, cui debetis per gratiã eius reſpondere. Doctrina, & Euangeliũ Chriſti copiosè imbuat mentes veſtras,vt cæleſti ſapiẽtia repleti,vos inuicẽ inſtruere,cõmonere, adhortari valeatis, pſalmis, hymnis, canticis ſpiritualibus,ex corde afflatu S. Spiritus erũpentibus Quæcunque, ſiue dicitis,ſiue facitis, talia ſint, quæ cedere ad Chriſti gloriã poſſint, adiuncta in omnibus Deo Patri per ipsũ actione gratiarum. Mulieres ſubditæ ſint,vt decet propter Dominum,propriis viris. Viri,vxores diligite,& nolite aſperè cum illis vos gerere. Filij, parentibus obedite:hoc eſt enim placitũ corã Deo. Patres,nolite ad indignationẽ filios veſtros prouocare, ne animum deſpondeant ob veſtram aſperitatẽ. Serui,dominis veſtris quibuſcunque per omnia obedite, non ficte, vt eorum gratiam captetis, ſed in ſimplicitate cordis, cum diuino timore. Quodcũque facitis,ex animo, tanquam ſi Deo, & non hominibus ſeruiretis, efficite, conſiderantes à Domino Deo mercedem hæreditatis vobis eſſe pendendam:Chriſto enim Domino ſic ſeruitis. Et ſiue ſerui, ſiue domini, tam pro meritis, quàm pro demeritis, digna recipient, quia nõ eſt acceptio perſonarũ apud Deũ.

Pergit capite quarto dominos inſtruere; addit monita generalia, & cõcludit Epiſtolam ſalutatione multorum,dicens [d]. d *cap.* 4. *v. &c.*

Quapropter iuſtitiam,& æquitatẽ ſeruis veſtris vos, domini, exhibete, memores vos quoque Dominum in cœlis habere. Orationi cum gratiarum actione inſtate, & in ea vigilate: orantes etiam pro nobis, vt à Deo habeamus in euangelica

prædicatione virtutem,& libertatem ad loquendum myſterium Chriſti, cuius cauſa vinctus hic ſum, vt illud, ſicut oportet,eloquar ac manifeſtem. Cum iis,qui extra Eccleſiam ſunt,infidelibus agite circunſpectè, occaſiones fidei promouendæ non prætermittentes. Sermo veſter ſit cum dulcedine charitatis;nec tamen ſine cõdimento diſcretionis, & ſapientiæ ſale,vt noueritis , quomodo vnicuique poſcenti fidei noſtræ rationes oporteat reſpondere.De ſtatu rerum mearum cognoſcetis à Tychico chariſſimo fratre , miniſtro fideli , & in Domino conſeruo , quem ideò miſi ad vos,vt,quid vobiſcum agatur,videat, cum Oneſimo chariſſimo , & fideli fratre,qui eſt ex veſtra ciuitate. Omnia,quæ hîc aguntur,hi vobis ſignificabunt. Salutat vos Ariſtarchus , qui mecum in vinculis pro Chriſto detinetur : & Marcus Barnabæ conſobrinus,de quo mandaueram , vt ſi veniret ad vos , illum humaniter excipere tis:ſimiliter ſalutat vos IESVS , qui dicitur Iuſtus. Hi tantùm ex domeſticis adiutores mei ſunt in prædicatione Euangelij,ad leuamen & ſolatium mihi. Salutat vos Epaphras , veſter Epiſcopus,ſeruus IESV Chriſti , ſemper apud Deum pro vobis in oratione ſollicitus , vt diuinam in omnibus voluntatem perfectiſſimè adimpleatis. Hoc de illo teſtari vobis benè poſſum:quòd magnam veſtri curam & ſollicitudinem gerit, ſicut etiã pro iis,qui ſunt Laodiceæ , & Hierapoli. Salutat vos Lucas , Medicus chariſſimus, & Demas. Salutate Fratres , qui ſunt Laodiceæ , & Nympham cum tota,quæ in domo eius conuenire ſolet,Eccleſia. Et cùm lecta fuerit hæc Epiſtola apud vos,facite , vt etiam in Eccleſia Laodicenſium legatur ; & vos legite exemplar Epiſtolæ miſſæ ad me ab ipſis Laodicẽſibus. Archippo dicite,vt partes muneris ſui paſtoralis,quas à Domino accepit, expleat diligenter. Salutationem conſuetam ego Paulus propria manu vobis ſubſcribo. Memores eſtote vinculorum meorum. Gratia Dei vobiſcum ſit. Amen.

CAPVT XII.

Eodem tempore ſcribit Philemoni breuem Epiſtolam commendatitiam Oneſimi olim ſerui eius fugitiui,nunc ad illum ſimul cum Tychico remiſſi.

Literis publicis ad Coloſſenſes datis,viſum eſt Apoſtolo priuatam quandam perbreuem Epiſtolam adiungere reddendam Philemoni viro nobili Coloſſenſi. Occaſio ſcribendi hæc fuit. Philemon antea Gentilis ad Chriſti fidem conuerſus,ciuis primarius valdè diues, Eccleſiam, quæ erat Coloſſis, multùm adiuuabat;adeò vt in eius domo fideles,tanquam in ędibus communibus ſacro cultui dicatis,ſolerent ad Synaxes conuenire Ibi Appia matrona pacis,pietatis,& liberalitatis,quę,vt Chryſoſtomus,& alij obſeruarunt, vxor videtur fuiſſe Philemonis , ibi quoque Archippus, qui Epaphræ Epiſcopo ſucceſſerat in cura paſtorali habitaſſe ſignificatur illis Epiſtolæ verbis [a]:*Philemoni dilecto,& adiutori noſtro,& Appiæ ſorori chariſſimæ , & Archippo commilitoni noſtro, & Eccleſiæ , quæ in domo tua eſt.* Fuiſſe [a] *Phil. v.1.& 2.* verò domũ hoſpitaliſſimam;& veluti Sanctorum (vt ait Chryſoſtomus) diuerſorium, ſatis indicant verba illa ſequentia [b] : *Gaudium enim magnum habui , & conſolationẽ in charitate tua: quia viſcera Sanctorum requieuerunt propter te,Frater.* Manſiſſe poſteà domum [b] *ibid.v. 7.*

mum illam ad plura ſæcula diuino cultui mancipatam, teſtatur Theodoretus, dicens [c], adhuc ſuo tempore Coloſſi, ædes illas, tanquã ſacroſanctas, eſſe cõſeruatas. Ipſum verò Philemonem poſteà Gazę creatum fuiſſe Epiſcopum tradit Dorotheus in Synopſi: & martyrio Coloſſis affectum ſub Nerone die vigeſimaſecũda Nouembris, legimus in Romano Martyrologio. Hic ergo Philemon cùm multã aleret familiã, inter alios ſeruũ habuit Oneſimum nomine, Gentilẽ, & natione Phrygẽ, qui transfuga Romam venit, non tã, vt aliqui putarũt, Pauli ſtudio, quã vt ſe in libertatem vindicaret, ſubreptis quibuſdam heri ſui pecuniis, aut aliis rebus, ſicut S. Hieronymus, Theodoretus, & Theophylactus collegerunt ex illis Pauli ad Philemonem verbis [d]: *Si antẽ aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa.* Cùm itaque Romæ Oneſimus verſaretur, in Paulũ incidit, à quo ad fidem & pœnitentiam inductus Baptiſmum Chriſti ſuſcepit, & ad Dominum ſuũ remiſſus eſt literis hiſce commendatitiis. Id ipſe Paulus Philemoni ſignificat, dicens [e]: *Obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo, qui tibi aliquãdo inutilis fuit; nunc autem & mihi, & tibi vtilis, quem remiſi tibi.* Alludit enim ad Oneſimi nomen, eò quòd, ὀνήσιμος, Græcè, Latinè vtilis interpretetur. Quantoperè autem Eccleſiæ Chriſti vtilis euaſerit Oneſimus, indicant Epiſtolæ verba illa ſequentia [f]: *Tu illum vt viſcera mea ſuſcipe: quem ego volueram mecum detinere, vt pro te mihi miniſtraret in vinculis Euangelij: ſine conſilio autem tuo nihil volui facere, vt ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium. Vides*, inquit Chryſoſtomus [g], *quàm multa perſtrinxerit, vt illum Domino venerabilem faceret.* Nec eſt dubitandum, fuiſſe Oneſimum ſtatim à Philemone perhumaniter receptum, & libertate donatum, neque ampliùs vt ſeruum; ſed vt fratrem habitum, ſicut illi Paulus ardẽtiſſima charitate commendauerat. Imò addit Theodoretus [k], fuiſſe Oneſimum à Philemone Romam ad Paulum remiſſum, vt eius opera in vinculis, quod optaſſe ſe Paulus indicauerat, vteretur. Et S. Hieronymus ait [i], Clericum illum ordinatum, & inter Pauli vincula Diaconum eſſe cœpiſſe de ſeruo: tãtúmque in doctrina & ſanctitate profecit, vt poſt Timotheum creatus ſit Epiſcopus primariæ in Aſia minori Eccleſiæ, videlicet, Epheſinæ. Extat hac de re illuſtre S. Ignatij teſtimoniũ in Epiſtola, quam ſcripſit ad Epheſios, vbi de Oneſimo tunc apud eos Epiſcopo magna commendatione ſic loquitur [k]: *Numeroſam veſtrã multitudinem in Oneſimo, viro nunquã ſatis ob charitatem prædicando; veſtro autem Epiſcopo, ſuſcepi, quem opto iuxta Chriſtum* IESVM *vos amare, omneſque vos illius ſimiles eſſe. Benedictus Deus, qui donauit vobis, qui tales eſtis, talem habere Epiſcopum.* Nec eſt, quòd aliquis dubitet, hunc, de quo loquitur S. Ignatius, eundem eſſe Oneſimum, de quo hic agit S. Paulus, qui poſteà ſub Traiano Imperatore vinctus Romã, ſicut & ipſe S. Ignatius, & anteà Apoſtolus Paulus miſſus fuit, ibique illuſtri martyrio coronatus. Vide in Romano Martyrologio, ſub die decimaſexta Februarij ſic legitur: *Natalis B. Oneſimi, de quo S. Paulus ad Philemonem ſcribit: quem etiam poſt Timotheũ Epheſiorum Epiſcopum ordinauit, prædicationiſque verbum illi commiſit. Hic vinctus Romam perductus pro fide Chriſti lapidatus, primo ibidem ſepultus fuit; inde ad locum, vbi Epiſcopus fuerat ordinatus, corpus eius delatum eſt.*

Quæ cùm ita ſint, apparet mani-

c Theod. in præf. Ep. ad Philem.

d Philẽ. v. 18.

e Philẽ. v. 10.

f ibid. v. 12. 13.

g Chryſ. hom 2. in Ep. ad Philem.

h Theod. in ep. ad Philem.

i S. Hier. ep. 62. ad Theoph.

k S. Ign. ep. 12 ad Epheſ.

feſtè, grauiter illos circa hanc Epiſtolam eſſe deceptos, de quibus S. Hieronymus ſcripſit his verbis [l]: *Volunt quidam, aut epiſtolam non eſſe Pauli, quæ ad Philemonem ſcribitur: aut, etiamſi Pauli ſit, nihil habere, quod ædificare nos poſſit, dum commendandi tantùm ſcribatur officio, non docendi.* Sed hos benè S. Hieronymus refellit, & quanta ſit huius Epiſtolæ, quamuis breuiſſimæ omnium, quæ ſcripſit Apoſtolus, præſtantia, & vtilitas, fuſo Commentario demonſtrat. Sanctus etiam Chryſoſtomus quatuor inter alia inſignia eruit ex hac Epiſtola documenta [m]. Primum, nullius perſonę quantumvis eſſe vilis videatur, ſalutem eſſe negligendam. *Si enim Paulus pro fugitiuo fure* (inquit Chryſoſtomus) *& pro mancipio, tantum prouidentiæ oſtendit, nec dubitat illum cumulatum tot laudibus mittere, nihilque veretur; quantò magis nos conuenit in huiuſmodi quoque non eſſe negligentes.* Secundò, nullius deſperandam eſſe reſipiſcentiam, etiamſi vitiis omnibus aliquis dederit manus: quandoquidem hic fugitiuus, & raptor, adeò poſteà virtutibus inclaruit, vt meruerit a Paulo appellari viſcera ſua, frater fidelis, adiutor Euangelij, & per omnes gradus eccleſiaſticos, vſque ad primarium Aſiæ Epiſcopatum promoueri, quod munus tandem laurea martyrij decorauit. Tertiò, non eſſe pietatis prætextu ſeruos à dominis abducendos, cum Paulus, etiamſi plurimùm valeret auctoritate apud Philemonem, & opera Oneſimi valdè indigeret, tamen ſine liberrima domini voluntate, nec ad modicum retinere illum apud ſe auſus ſit; ſed hero ſuo ſtatim ab vrbe Roma vſque in Aſiam remiſit. Quartò, ſeruos virtute præſtantes non eſſe paruifaciendos, ſed amandos, & iuxta eorum virtutem promouendos, nullamque eſſe in Chriſto ſerui, & Domini diſtinctionem, cùm perinde Chriſtus pro ſeruis, ac pro dominis mortuus ſit: ſolum autem, vt ipſe nos docuit, qui facit peccatum, ſeruum eſſe peccati.

l S. Hier. in proœ. Ep. ad Philem.

m S. Chr. in proœ. Ep. ad Philem.

Scriptam verò eſſe Romæ hoc tempore hanc Epiſtolam, tum omnes communiter docent; tum quater in ea facta mentio vinculorum perſuadet; tum denique, quòd non de aliis, niſi de primis hiſce vinculis ſe Apoſtolum eſſe loquutum apertè ſignificat, dicens [n]: *Para mihi hoſpitium: nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis.* Miſſam quoque per Oneſimum, & Tychicum cum Epiſtola ad Coloſſenſes inde colligimus, quia in vtraque mittere ſe Oneſimum ad Coloſſenſes teſtatur, & in principio ſuum cum Timotheo adiungit nomen: in fine verò vtriuſque Epiſtolæ recenſet eaſdem perſonas, quarum nomine ſalutari, tum omnes Coloſſenſes, tum ſingulariter Philemonem ſcribit. Hi ſunt Epaphras, Marcus, Ariſtarchus, Demas, & Lucas. Mirum autem eſt, Epaphram primo loco nominatum in hac Epiſtola ad Philemonem, appellari à Paulo concaptiuum ſuum; in Epiſtola verò ad Coloſſenſes, nihil hac de re ſignificari, etiamſi multa ibi addantur in illius commendationem [o]: vt, quòd eorum eſſet Doctor in fide, miniſter fidelis, ſemper pro illis ſollicitus, multúmque laborans: cum tamen eſſe pro Chriſto in vinculis, vt Paulus tunc erat, multùm ad eius commendationem pertineret. Narrat quidem S. Hieronymus [p], de vinculis Epaphræ, & eius cū Paulo adoleſcente olim captiuitate in oppido Gyſchalis quandā fabellam, quā meritò ipſe contemnit, ideò hîc non eſt referenda: tum ſubdit: *Fortaſſe reconditum aliquid, & ſacratum, vt quidam putant, in verbo captiuitatis Paulus oſtendit, quod capti pariter*

n Philip. v. 22.

o Coloſſ. c. 1. v. 7. & c. 4. v. 12.

p S. Hiero. in fine Com. Ep. Philem.

ac

ac vincti in hăc vallem adducti ſunt lacrymarum. Sed hoc myſticum eſt, nec ipſi S.Hieronymo ſatisfacit, qui propiereà ſubiungit: *Quòd ſi neutrum recipitur, eò quòd additũ eſt in Chriſto* Iesv *eſſe captiuum: poſſumus ſuſpicari eudem pro Chriſto Romæ vincula ſuſtinuiſſe, quæ Paulum.* Hæc S. Hieronymus: tamen eſt difficultas in eo, quòd Paulus id nõ ſignificauit Coloſſenſibus ad eos ſcribens, niſi tantùm priuatis literis vni Philemoni. Huius rei nulla alia nunc occurrit ratio, niſi ne fortaſſis nimiùm Coloſſenſes turbarentur de tali Epiſcopi ſui Epaphræ calamitate: hoc autem Philemoni tanquam in virtute conſtantiori Apoſtolus nõ timebat. Sed, cùm in epiſtola ad Coloſſenſes vice verſa Ariſtarchum Paulus dicat concaptiuũ ſuum; eundem verò, ad Philemonem ſcribens, dum nominat, non addit fuiſſe captiuum, ſubiit animum alia reſponſio, quam etiam S.Hieronymus [q], & Chryſoſtomus indicarunt, ne nõ debeamus concaptiuũ interpretari vinctum, aut in vinculis cõſtitutum; ſed tantummodò vexatum pro Chriſto: & quamuis nobilem, & honorabilẽ, quaſi ſeruilis conditionis mancipium, à Iudæis, & Gentibus reputatum. Nã etiam in Epiſtola ad Romanos ſimiliter ſcribit [r]: *Salutate Andronicum, & Iuniam, cognatos & concaptiuos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis.* Et tamen, cùm hi eſſent Romæ, Paulus verò dũ hæc ſcriberet, Corinthi; certum eſt, ſimul vinctos eſſe non potuiſſe. Cæterùm, quid tã de hac Epiſtola, quàm de aliis in vinculis ab Apoſtolo ſcriptis literis ſentiat Chryſoſtomus, audiamus [s]: *Omnes quidem* (inquit) *Epiſtolæ Pauli ſanctæ ſunt; habent tamen amplius quiddam, quæ ab eo ex vinculis ſunt miſſæ: vtpote, quæ eſt ad Epheſios, ad Philippenſes, quæ ad Timotheum, & quæ ad Philemonem.* Nos igitur, ſicut aliarum, ita huius ad Philemonem ſenſa paraphraſticè proponamus, quæ ſub vno contenta capite ſic habent [t].

q S. Hier. in Epiſt. ad Phile. S. Chryſ. ibid.

r Rom. c. 16. v. 7.

s Chryſ. in prolog. Ep. ad Coloſſ.

t Philem. v. 1. & c.

Paulus vinctus Chriſti Iesv, & Timotheus, Frater, Philemoni dilecto, & cooperatori noſtro, & Appiæ in Chriſto dilectæ, & Archippo cõmilitoni noſtro, & toti fidelium Eccleſiæ, quæ eſt domi tuæ, gratiã vobis à Deo Patre, & Filio eius Domino noſtro Iesv Chriſto precamur plurimam. Gratias ago Deo meo ſẽper in orationibus meis, audiẽs charitatẽ tuam, & fidẽ, quã habes erga Dominũ Iesvm, & omnes Sãctos: vnde hoc oro, vt huiuſmodi fides tua omnibus ſẽper magis eluceat per opera tua bona, & aſſiduas eleemoſynas, quas pro Chriſto elargiris. Magno ſanè gaudio, & multa conſolatione affectus ſum propter tot bona opera tam profuſæ charitatis tuæ erga ſanctos, & fideles Dei ſeruos, quos tu, Frater, ſoles omni ope & ſubſidio ex intimo corde releuare. Quapropter, licèt viderer mihi, tãquam Patri ſpirituali, liberum propter Chriſtum imperare tibi hac in parte; malui tamen obſecrare per charitatem te ſenem ego Paulus ſimiliter ſenex, & catena vinctus pro Chriſto. Obſecro, inquam, te pro meo filio Oneſimo, quem in vinculis per Euãgelium, & per lauacrum regenerationis Chriſto peperi, qui aliquãdo inutilis tibi fuit; nunc autẽ & mihi & tibi perutilis. Hunc ad te remitto. Tu ipſum, hoc eſt, mea viſcera, ſuſcipe. Equidem voluiſſem illũ apud me retinere, vt loco tui præſtò mihi eſſet detento in vinculis ob Euangelium; ſed ſine tuo conſilio nihil volui facere, vt bonum hoc ex te non extortum; ſed planè liberum obtinerem. Fortè autem non caſu, ſed diuina prouidentia factum eſt, vt à te breui hoc tempore ſe ſubduceret, vt illum perpetuum haberes iam non ſeruum,

ſeruum, ſed chariſſimum fratrem meum, & multò magis tuum, non ampliùs animo ſeruili, ſed Chriſtiana ingenuitate in omnibus te adiuuarem. Si ergo me inter amicos tuos numeras, rogo, illum, vt me, ſuſcipe. Quò[illegible]i aliqua in re ad iter ſibi ſublata nocuit tibi, debitum eius in me tranſcribe. Ego Paulus hanc Epiſtolam manu mea ſcriptam do tibi pro chirographo ſponſionis. Omitto dicere, teipſum, quem Chriſto prædicatione mea lucratus ſum, eſſe mihi quodammodo obligatum. Sed, quidquid ſit, ego totum pro Oneſimo perſoluam, Ita erit, Frater, non dubites. Vtinam fructum, & eam, quam à te ſpero, conſolationem capiam. Refice tali beneficio viſcera, & cor meum. Confidens obedientiæ tuæ ſcripſi tibi, non dubitans, quod poſtulo, te eſſe facturum. Interim hoſpitium mihi para: ſpero enim per orationes veſtras me ad vos venturum. Salutat te Epaphras, particeps tribulationum mearum propter IESVM. Marcus quoque, Ariſtarchus, Demas, & Lucas, adiutores mei. Gratia Domini noſtri IESV Chriſti ſit cum ſpiritu veſtro. Amen. Subſcriptum huic Epiſtolę in Gręcis exemplaribus legitur: ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης δι' Ὀνησίμου οἰκέτου, hoc eſt, ſcripta ab vrbe Roma, & miſſa per Oneſimum ſeruum domeſticum, de quo iam ſatis eſt dictum.

LIBER

LIBER DECIMVSTERTIVS.

De vltimis Pauli Apoſtoli peregrinationibus ad Euangelium propagandum, eiúſque ſub Nerone martyrio.

CAPVT I.

Liberatur à vinculis, & Roma propediem diſceſſurus Lucam præmittit.

ANNVS iam agebatur à Chriſti natiuitate ſexageſimusprimus, ab eius paſſione ac morte vigeſimusoctauus, ætatis Pauli propè ſexageſimus, ab eius conuerſione vigeſimusſeptimus, & Neronis imperij quintus, cùm Apoſtolus, expleto Romæ biennio, per omnia liber dimiſſus eſt, vt poſſet abire, quò vellet, innocens à Cæſare declaratus, ſicut aliàs ſæpè fuerat ab eius miniſtris Felice Præſide, & Porcio Feſto eius ſucceſſore, necnon ab Agrippa Rege in Iudæa. Quòd verò aliqui cum S. Hieronymo Euſebium ſequuto, biennium Pauli Romæ in vinculis detenti ad quartum Neronis annum, non vltrà protendant; nos autem extenderimus ad quintum; hoc mirum non eſt: nam Euſebius, & S. Hieronymus profectionem Pauli à Iudæa Romam anno imperij Neronis ſecundo poſuerunt: *Paulus* (inquit S. Hieronymus [a]) *poſt paſſionem Domini vigeſimoquinto anno, & Neronis ſecundo, eo tempore, quo Feſtus Procurator Iudææ ſucceſſit Felici, Romam vinctus mittitur.* Et id quidem veriſſimum eſt: at obſeruare ſimul oportet, quod ex Lucæ narratione circa Pauli nauigationem per dies ferè ſingulos ſuo loco digeſſimus, antequàm iter ſuum Apoſtolus abſoluiſſet, & trium menſium hybernatio in Inſula Melita finiretur, iam annum Neronis ſecundum Octobri menſe ad exitum perueniſſe: ita vt quando Romam Paulus ingreſſus eſt, tertius imperij Neronis annus peragetetur, cui ſi duos addimus, nam Romæ Paulus *manſit* (inquit S. Lucas [b]) *biennio toto in ſuo conducto*, planè reperiemus, quinto, quem poſuimus, Neronis anno, & non priùs liberum fuiſſe dimiſſum. Quod autem ipſe in ſecunda ad Timotheum Epiſtola teſtatus eſt de ſua prima apud Neronem defenſione, ſic ſcribens [c]: *In prima mea defenſione nemo mihi adfuit. Dominus autem mihi adſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur; & liberatus ſum de ore leonis.* hoc non ita debet intelligi, quaſi tunc fuerit à vinculis omninò abſolutus; ſed tantùm exemptus fuit à ſupplicio capitali, & permiſſus in conducta domo vinctus catena agere, cum quo vellet, & concionari; domo etiam exire, ſed non ſine catena.

a S. Hier. lib. de Script. eccleſ. in Paulo.

b Act. c. vlt. v. 30.

c 2. Tim. c. 4. v. 16.

XXxx Vnde

Vnde ſcripſit Timotheo tunc temporis [d]: *Noli erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum eius.* & infra [e]: *Laboro vſque ad vincula quaſi male operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum.* Cùm autem ſuæ primæ defenſionis mentionem facit Apoſtolus, ſecundam ſibi fuiſſe reſeruatam quodammodo ſignificat: hæc autem qualis fuerit, proditum non inuenimus. Vnde, quanam occaſione in eam ſententiam Nero venerit, alioqui crudeliſſimus, vt Paulum omninò liberum poſt vincula duorum annorum abire permiſerit, ambigitur.

d 1. Tim. c. 1. v. 8.
e ibid. c. 2. v. 9

Sciendum tamen eſt, hoc anno imperij ſui quinto, Neronem in abſurdiora quàm anteà ſcelera erumpere cœpiſſe, vt refert in Annalibus Cornelius Tacitus: nam, quod diu meditatus fuerat horrendum facinus, vt propriam matrem Agrippinam interficeret, propinato veneno ter fruſtrà tentauit. Deinde lacunaribus, quę noctu ſuper dormientem laxata machina deciderent: ſed neque hoc ſuccedente, ſolubilem nauem (inquit Suetonius [f]) cuius naufragio, vel cameræ ruina periret, commentus eſt. Quæ omnia cum Agrippina præcauens euaſiſſet, tandem menſe Martij in feſtis Quinquatriis miſſi ſunt ſicarij, qui eam in lecto perimerent. A quo tẽpore cœpit Nero conſciencia tanti ſceleris maxime per quietem exagitari, faſſuſque eſt ſe materna ſpecie terrefieri, ac veluti verberibus, tædiſque furiarum ardentibus affligi. Adulatione tamen non ſolum domeſticorum, ſed etiam aliorum ciuium, & Senatus, qui ſi pupillus eſſe deſiiſſet, exceptus eſt miris gratulationibus, & in Capitolium more triumphantium inuectus, poſita illi aurea ſtatua prope Mineruæ ſimulacrum, & decretæ apud omnium Deorum puluinaria ſupplicationes.

f Sueton. in Nerone c. 34

Tunc itaque ad aliquod hilaritatis, & clementiæ Principis argumentum, plures, qui exulabant, redire in vrbem ſunt permiſſi, & vincti non pauci dimiſſi: qua occaſione Paulum quoque à vinculis fuiſſe liberatum valde eſt veriſimile. Et quidem tempus circa Martium menſem, in quo hæc acciderunt, benè congruit, quando Pauli biennium, ex quo Romam venerat, iam erat expletum, & ver ad alias longinquas peregrinationes ſuſcipiendas aderat peropportunum. Sed non anteà diſceſſit, quàm præmitteret, ſiue potiùs aliò dimitteret Lucam Euangeliſtam, qui abſolutam à ſe Hiſtoriam de Actibus Apoſtolorum, vt ex verbis eius extremis intelligi poteſt, non vltra hoc biennium produxit. Id, quod teſtatur in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis S. Hieronymus, vbi, poſteaquàm de Lucæ Euangelio verba fecit, hæc adiungit: *Aliud quoque edidit Lucas volumen egregium, quod titulo, Πράξεις Ἀποστόλων, id eſt, Actus Apoſtolorum, prænotatur: cuius Hiſtoria vſque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, id eſt, vſque ad quartum Neronis annum.* Ita S. Hieronymus, quamuis, vt diximus, quartus Neronis annus iam præteriiſſet, & quintus ab aliquot menſibus ageretur: cur autem ſic hos annos Hieronymus cum Euſebio computauerit, adduximus anteà rationem. Non ſolum autem hiſtorica narratione Actuum Apoſtolicorum Lucas in ſuo ab vrbe digreſſu ditauit Romanum primum, deinde per illam alias quoque Chriſtiani orbis Eccleſias; verum etiam pluribus ſacris imaginibus à ſe depictis, de quibus ſic habet Nicephorus [g]: *Fertur quoque Lucas primus, Chriſti, & quæ eum, ita vt Deum decebat, genuit, Matris, atque item Principum Apoſtolorum effigiem*

g Niceph. lib. 2. c. 43.

ſigiem depingendi arte adumbraſſe. Vnde in omnem deinde habitabilem orbem tam venerandum & pretioſum opus eſt illatum. Agens autem idem Auctor de Lucę ab vrbe diſceſſu, ſic ait[h]: *Cum Paulo tamen Romæ vbi fuiſſet, in Græciam eſt reuerſus, plurimóſque ibi diuinæ doctrinæ, & cognitionis luce illuſtrauit, & tandem à diuini verbi contemptoribus, ex fructifera oleæ arbore ſuſpenſus, quòd aridi ligni, vnde crux fieret, copia non eſſet, Deo ſpiritum commendauit, cùm octuaginta, vt dicitur, annos natus eſſet.* Sed S. Hieronymus[i], ad annum octuageſimumquartum eius extēdit ætatem, nulla facta martyrij ipſius mentione; cuius tamen Gregorius Nazianzenus, Gaudentius Epiſcopus Brixianus, & Paulinus Nolanus meminerunt: Oecumenius autem ſcribit, S. Lucam, cùm à Paulo Roma diſceſſiſſet, in Orientem eſſe reuerſum, rurſumque Lybiam petiiſſe, Thebanos ad Chriſti fidem induxiſſe, atque in vltima ſenectute ſpiritum Deo reddidiſſe. De eodem quoque agens Epiphanius[k]: *Prædicat* (inquit) *primùm quidem in Dalmatia, ac Gallia, & in Italia, ac Macedonia.* Hæc tamen omnia non ſunt ſibi aduerſantia, & bene tot annorum ſpatio diuerſis temporibus perfici à Luca potuerunt. Quid verò priùs, quid poſteà, & quò ſtatim, atque Roma diſceſſit, Paulo mandante profectus ſit, hoc certò ſtatuere non poſſumus: ſicut neque quot diebus à ſua liberatione Apoſtolus Romæ ſubſtiterit; niſi quòd multi non fuerunt, cùm biennium pridem eſſet expletum, & S. Lucas dicat in Actis apoſtolicis, manſiſſe illum Romæ toto biennio.

h Niceph. lib. 2. c. 43.

i S. Hier. lib. de Script. eccleſ. in Luca. S. Naz. or. in Iulian. Gaud. tract. de dedic. Baſilic. S. Paul. ep. 12. Oecum. in Luc.

k S. Epiph. hær. 51.

Hinc ſumpſit occaſionem quidam Marſilius de Padua, homo ſchiſmaticus, in ſuo pernicioſo libro aduersùs Papæ poteſtatem, affirmandi, Paulum, non Petrum Romanæ vrbis Epiſcopum fuiſſe, cum conſtet ex diuina Scriptura, nempe, teſtimonio S. Lucæ, Paulum quidem Romæ fuiſſe; Petrum verò aliquando Romam veniſſe, nulla canonica Scriptura ſit proditum. At Paulum Apoſtolum vrbis Romæ fuiſſe Epiſcopum, nullus vnquam dixit: de Petro verò Hæretici recentiores libenter dubitant: & vt fabulam reddant plauſibiliorem, vndique argumenta conquirunt ad ſuadendum, nunquam Petrum Romæ fuiſſe, cùm Paulus tandiu ibi manens, & inde tot Epiſtolas ſcribens ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Timotheum, ad Philemonem, nullam Petri fecerit mentionem: nec Lucas quidquam ea de re in Actis apoſtolicis indicauerit. At hoc nimis impudens eſt mendacium: ſi enim ita liceret argumentari, ſimili ratione inferre poſſemus, neque vnquam Petrum fuiſſe Antiochiæ, neque Alexandriæ, neque in diſperſione Ponti, Galatiæ, & Bithyniæ: quandoquidem nihil ea de re ſcriptum à Luca in Actis apoſtolicis inuenimus: & S. Ioannes nunquam Epheſi fuiſſet, quia eius non meminit S. Paulus in Epiſtola ad Epheſios: neque S. Iacobus, Epiſcopus Ieroſolymitanus, vnquam fuiſſet Ieroſolymis: nam eum Paulus non appellat in Epiſtola miſſa Ieroſolymā ad Hebræos; & in nulla Eccleſia eſſet Epiſcopus, quia in nulla Epiſtola ad Eccleſias ſcripta Epiſcopus illarū nominatim ab Apoſtolo ſalutatur. Sed iā ſuo loco dictum eſt, Petrum multò ante Paulū Romæ fuiſſe, nēpe, anno ſecūdo Claudij Imperatoris, ante ſexdecim, vel hinc annos, ibique Chriſti Eccleſiā fundaſſe: qua de re nullus antiquorum vnquam dubitaſſe inuenitur, & ſolum

ex Auctoribus, qui ante mille annos ſcripſerunt plures quam triginta, nemine diſſentiente, proferuntur à Baronio [m], & Bellarmino, qui ad vnum omnes de Petri in Romana vrbe pōtificatu expreſſam faciunt mentionē. Alij Scriptores idem confirmantes numerari vix poſſunt, adeò vt in vulgi prouerbium abierit, ad ſignificandum, ſuo in loco aliquid benè eſſe collocatum: *Bene manet Petrus Romæ.* Et quòd in ea vrbe crucis ſupplicio ſit affectus, ſupra mille & quingentis annis ab orbe vniuerſo creditum ſemper fuit, extantibus intra, & extra Romam pluribus, & illuſtribus hac de re monumentis, vt non magis rationabiliter de hoc dubitari poſſit, quam de Tyberi per mediam illam ciuitatem fluente. Quare Caluinus [n] verſutior, cùm hanc dubitationem ab aliis huius temporis Hæreticis motam propoſuiſſet, ait ſe non audere negare propter conſenſum antiquorum Scriptorum, Petrum aliquando Romæ fuiſſe, & ibi mortuum eſſe; tamen Epiſcopum ibi, præſertim longo tempore extitiſſe, ſe non credere. At, ſi Petrum Romæ obiiſſe martyrium, cogitur hic Hæreticus credere propter conſenſum omnium antiquorum, tenetur propter eorundem conſenſum etiam fateri Epiſcopum Romanum fuiſſe S. Petrum: vtrunque enim illi aſſeuerant, quos longum eſſet hic referre; & legi poſſunt tranſcripti apud prædictos Auctores. Vnus pro omnibus ſit S. Auguſtinus [o], qui contra Schiſmaticos, & Hæreticos diſputans, inter multas & validiſſimas rationes, quibus teneri ſe profitetur in gremio, & vnitate Eccleſiæ catholicæ, hanc ponit inter præcipuas, perpetuam poſt Sanctum Petrum, cui oues ſuas paſcendas poſt reſurrectionem ſuam Dominus commendauit, in apoſtolica Sede continuatam ſucceſſionem Pontificum Romanorum, quorum ipſe vſque ad ſua tempora catalogum texit, ſicut etiam faciunt alij Patres. Neque ſuadere contrarium vlli debet Pauli Romæ tunc manentis vniuerſalis quædam cura, & ſollicitudo omnium Eccleſiarum totius ferè orbis Chriſtiani, ad quas tum Epiſtolas, tum Concionatores, & operarios deſtinabat: nam etiam dum eſſet in Macedonia, & cùm per Aſiam peregrinabatur, eodem modo ſe gerebat. Vnde ad Corinthios de ſe ſcripſit [p]: *Præter illa, quæ extrinſecùs ſunt, inſtantia mea, quotidiana ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Non enim vnius domus* (ait S. Chryſoſtomus in hæc Pauli verba [q],) *ſed ciuitatum, & populorum, & gentium, & totius orbis curam gerebat, & pro tantis negotiis, & tot inuadentibus, ſolus exiſtens, ac tanta ferens, & iam ſollicitus, vt pater pro filiis.* Sed quid, antequàm Roma diſcederet, à vinculis liber adhuc præſtiterit, in ſequentibus eſt exponendum, quo tempore Petrus Roma ſeceſſerat, nec dum redierat: vnde mirum non eſt, à Paulo in iis, quas hoc tempore ad varios ſcripſit, Epiſtolis nullam de eo, quamuis Romæ à tot annis cathedram habente fieri mentionem, ſicut neque in Epiſtola ad Galatas, neque ad Hebræos, de quibus infra referemus.

[m] Baron. an. 44. Bellar. lib. 2. de Rom. Pont.

[n] Caluin. lib. 4. Inſt. c. 6. §. 15.

[o] S. Aug. contra ep. Fundamenti, c. 4.

[p] 2. Cor. c. 11. v. 28.

[q] hom. 25. in 2. Corinth.

CAPVT II.

Scribit Epiſtolam ad Galatas: & de loco, tempore, occaſione & argumento huius Epiſtolæ.

INter omnes, quas hactenus examinauimus, & ſuis vtcunque locis repoſuimus, S. Pauli Epiſtolas,

.Epiſtolas, hæc ad Galatas, vnde, & quando ſit miſſa, maiorem deſiderat certitudinem, cùm tamen eſſe apoſtolicam, nemo in dubium reuocauerit. Communior ſententia eſt Romæ fuiſſe ſcriptam, ſicut in illins fine habent aliqua Græca exemplaria, & verſio Syriaca, Patres quoque Hieronymus [a], Athanaſius, Theodoretus, & alij tradiderunt. Chryſoſtomus [b] tamen, quē ſequitur Theophylactus, & magis placet Baronio [c], ſcriptam putat ante Epiſtolam ad Romanos: ſed, cùm Paulus, antequàm Romam veniſſet, ſcripſerit ſuam Epiſtolam ad Romanos, hæc ad Galatas ſcribi Romæ omninò non potuiſſet. Vnde ergo data? Dicunt aliqui [d] Epheſo: alij malunt, Philippis: nam ſic habent Græca nonnulla exemplaria ſubſcriptum. Cur autem Romæ ſcripta eſſe non videatur, illam adducunt præcipuam rationem: quia in omnibus, quas Paulus ab vrbe miſit, Epiſtolis, ſuorum vinculorum apertam, & repetitam facit mentionem: in hac autem de illis nihil planè ſignificat. Addamus & nos alias, ne quid diſſimulemus, pro hac ſententia coniecturas: quia legimus in alijs Epiſtolis Roma datis, Timotheum cum Paulo ſtatim in exordio nominatum: in hac autem nulla mentio Timothei. Neque verò Galatis ignotum fuiſſe Timotheum dici poteſt; tum, quòd primariæ Eccleſiæ in illis regionibus eſſet Epiſcopus; tum, quia, cum per Galatiam Paulus vltimò tranſiret, vt ſuo loco narratum eſt [e], ſocium ſuæ peregrinationis habuit Timotheum. Tertiò, quia in primo capite huius Epiſtolæ ad Galatas ſic eos Paulus alloquitur [f]: *Miror, quòd ſic tam citò tranſferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi.* Ergo nō multò poſtquam Galatæ, audita Pauli prædicatione Chriſtianam fidem ſuſcepiſſent, deliquerant, & a Paulo ſic monebantur: non igitur debuit hæc Epiſtola modò poſt tot annos ſcribi, ſed multò antequā Paulus Romam veniret, & ſuam ad Romanos Epiſtolam ſcriberet.

a S. Hier. in c. 5. Ep. ad Gal. S. Athanaſ. in Synopſi. Theodor. præf. in Ep. S. Pauli. Eſtius ibid.

b Chryſoſt. in Ep. ad Galat. Theoph. ibid. Iuſtinianus ibid.

c Baron. an. 59.

d Petrus Damianus in tractat. Cur Paulus ad Petri dexterā.

e lib. 5. c. 9. & 10.

f Gal. c. 1. v. 6.

Ex altera tamen parte legimus circa finem Epiſtolæ ad Romanos [g], Apoſtolum fuiſſe ſollicitum de colligendis pro pauperibus, qui erant Ieroſolymis, eleemoſynis: *Probauerunt enim*, inquit, *Macedonia & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui ſunt in Ieruſalem. Hoc igitur cum conſummauero, & aſſignauero eis*, &c. At in Epiſtola ad Galatas ſignificat, id ſe iam perfeciſſe, cùm ait, commendatam ſibi, & Barnabæ à Petro, Iacobo, & Ioanne hanc pauperum curam [h]. *Vt*, inquit, *pauperum memores eſſemus, quod etiam ſollicitus fui hoc ipſum facere.* Igitur poſt Epiſtolā ad Romanos hæc ſcripſit ad Galatas. Vnde etiam infertur, neque Epheſo, neque Philippis miſſam Galatis eam Epiſtolam; ſiquidem Epheſi, & Philippis non fuit Apoſtolus, niſi antequàm ſcriberet Epiſtolam ad Romanos. Quod autem in contrarium obiiciebatur, non videri ſcriptam poſt Epiſtolam ad Romanos, atque adeò neque Romæ, quia nullam Galatis facit vinculorū ſuorum mentionem; hoc aliqui negant, dicentes id illis extremis Epiſtolæ verbis indicari [i]: *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego ſtigmata Domini* IESV *in corpore meo porto.* Sed multò facilior, & ad rem noſtram accommodatior reſponſio eſt, quando hęc ad Galatas ſcripſit Apoſtolus, etiamſi Romæ adhuc maneret; vinculis tamen iam non fuiſſe adſtrictū, ſed mitigata Neronis ſæuitia liberatum. Quia tamen tribus fere annis, hoc eſt, a quo vinctus Ieroſolymis ductus eſt Cæſareā, & inde Romam,

g Rom. c. 15. v. 26.

h Gal. c. 2. v. 10.

i Gal. c. 6. v. 17.

vbi biennium expleuit, pedes habuit ferreis catenis oneratos, & ſæpè ſi nõ ſemper, etiam manus, præter alias plagas, quas non ſemel pro Chriſti nomine cæſus acceperat, fieri non poteſt, quin haberet in ſuo corpore præſertim circa manus & pedes, relictas aliquas cicatrices. Vnde ſcripſit ad Coloſſenſes [k]: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea.* Has igitur cicatrices propriè ſignificare illis verbis videtur: *Ego ſtigmata Domini* IESV *in corpore meo porto.* Nõ meminit in hac Epiſtola Timothei, ex quo aliqui ſuſpicati ſunt Galatis Romæ ſcriptam inter primas, antequàm Timotheus vocatus à Paulo Romam perueniſſet: ſed obſtat huic ſuſpicioni illud de prætermiſſa vinculorum mentione argumẽtum. Itaque veroſimilius arbitramur, Romæ quidem ſcriptam hanc Epiſtolam; ſed poſtremam, quando iam Timotheus, ſicut etiam Lucas, erat ab Apoſtolo ex vrbe dimiſſus; ipſe verò ſolutus à vinculis propediem diſceſſurus. Neque moueie quenquam debet, quod ex primis Epiſtolæ verbis tertio loco nobis opponebatur, ita ſcripſiſſe Galatis Apoſtolum: *Miror, quod ſic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti.* quaſi voluerit ſignificare, non multò poſt ab audita eius prædicatione, & fide Chriſti ſuſcepta, Galatas defeciſſe. Non enim hic poteſt eſſe talium verborum ſenſus, cum aduertetur manifeſtè illis aliis eiuſdem Epiſtolæ verbis [b]: *Scitis autem, quia euangelizaui vobis iam pridem.* Aduerſatur item intentioni Apoſtoli, qui non extenuare, ſed aggrauare potiùs culpam volebat, quam Galatis exprobrabat; minor autem fuiſſet culpa ſtatim ab audito Euangelio deficere, quàm eo poſt plures annos receptο, & benè intellecto peruerti: eſt enim culpa incipientium excuſabilior, quàm proficientium, & perfectorum. Voluit ergo dicere S. Paulus: Miror, ô Galatæ, cum iam pridem, hoc eſt, à pluribus iam annis audito à me Euangelio, in eo tam conſtanter aliquandiu perſeueraueritis, quomodo poſteà tam citò, hoc eſt, tam facilè primis inſultibus quorundam Pſeudoapoſtolorum ceſſeritis, ex quo non euertitur opinio noſtra; ſed quodammodo confirmatur, nempe, ſcriptam Epiſtolam ad Galatas tardius, quàm aliqui exiſtimarunt. Cùm enim Paulus circa annum Domini quinquageſimumprimum, ſicut anteà vidimus [m], fuerit in Galatia, Epiſtolam verò ad Romanos ſcripſerit Corinthi poſt ſex annos, & nunc Romæ cùm eſſet, annus Chriſti ageretur ſexageſimusprimus, nempe, decimus, ex quo Apoſtolus à Galatis vltimò diſceſſerat, multò veriùs Romæ ſcribere Galatis nunc potuit: *Euangelizaui vobis iam pridem.* quàm antequàm Corinthum veniret. Accedit his alia non incongrua ratio, cur ſcripta potius hoc tempore ſit Epiſtola: nam omnes aliæ, vel ſunt ad ſingulares perſonas, vt ad Philemonem, ad Titum, ad Timotheum, vel ad certam alicuius ciuitatis Eccleſiam, vt ad Romanam, Corinthiacam, Epheſinam, Philippenſem, Coloſſenſem, Theſſalonicenſem; hæc autem ad Galatas pluribus Eccleſiis amplæ illius regionis miſſa fuit; ideò primis Epiſtolæ verbis in numero multitudinis Eccleſiis Galatiæ inſcribitur; nempe, vniuerſis Chriſti fidelibus ex gentilitate ibi conuerſis, vt ſibi multùm caueant à Iudæis, qui Euangelium cum lege Moſaica miſcebant. Quare conuenienter hæc Epiſtola præmiſſa eſt Epiſtolæ ad Hebræos, quæ paulò

poſt

k Coloſſ. c. 1. v. 24.

b Gal. c. 4. v. 13.

m lib. 5. c. 10.

poſt hanc, vt infrà videbimus, miſſa fuit: vt, ſicut hæc non ad vnam tantum; ſed ad multas ex Gentilibus collectas Eccleſias; ita illa ad Hebræos, non ad vnius certæ ciuitatis, ſed ad omnes conuerſos ad Chriſti fidem Iudæos dirigeretur: & ſicut in Paulo creſcebat quotidie magis incendium charitatis; ita latiùs calorem ſuum, ardorémque diffunderet. His tamen coniecturis, & rationibus, vt verum fatear, non tam certò perſuadeor, ſcriptam hoc tempore hanc Epiſtolam, quàm non eſſe ad alia tempora minùs certa referendam.

Quod verò ſpectat ad occaſionem ſcribendi, & ad totius Epiſtolæ argumentum: Galatia regio eſt Aſiæ minoris, habens finitimam ab Oriente Cappadociam, ab Occidente Bithyniam, à Meridie Pamphyliam, & à Septentrione Pontum Euxinum. Regio in vniuerſum à Gentilibus incolebatur, qui ex Gallia eò ſe transtulerant, vt narrat Iuſtinus Hiſtoricus, his verbis [n]: *Gallorum ea tempeſtate tantæ fœcunditatis iuuentus fuit, vt Aſiam omnem, velut examine aliquo implerent. Denique neque Reges Orientis ſine mercenario Gallorum exercitu vlla bella geſſerunt, neque pulſi regno ad alios, quàm ad Gallos confugerunt. Itaque in auxilium à Bithyniæ Rege inuocati, regnum cum eo, parta victoria diuiſerunt, eámque regionem Gallogræciam cognominauerunt.* Hæc & plura Iuſtinus: Suidas tamen refert, eos, qui Galatiam incoluerũt, eíque nomen dederunt, fuiſſe Senonenſes à Duce Brenno Romam perductos ad vrbis expugnationem, ſed à Camillo repulſos, in Græciam traiecisſe: cúmque Delphos ſpoliare tentaſſent, vltore, vt putabant, Phœbo, imbre, grandinéque afflicti receſſerunt, ad eam venientes Aſiæ minoris partem, quam inde Galatiam, ſiue Gallogræciam vocauerunt: idémque etiam Strabo [o] teſtatur. Tres habuit Galatia, vt Plinius docuit [p], præcipuas ciuitates, Tanium, Peſſinuntem, & Ancyram Galatiæ metropolim. Erant omnes eo tempore, quo ibi Paulus fuit, ſub poteſtate, & imperio Romanorum: videtur autem Apoſtolus bis illac tranſiuiſſe: primùm cum Barnaba circa annum Domini quadrageſimumoctauum: deinde iterum poſt duos annos cum Timotheo. Quanta verò deuotionis promptitudine et ãgelicam prædicationem Galatæ ſuſceperint, & Apoſtolum Paulum exceperint, ipſe illis teſtatur, dicens [q]: *Scitis autem, quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iam pridem: & non ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis; ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum* IESVM. *Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia, ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.* Sed abſente Paulo poſt aliquod tempus, quidam ex Iudæis ad Chriſtum conuerſis praua dogmata, & mendacia valde pernicioſa ſpargere cœperunt, contendentes, Euangelium ſine circumciſione & obſeruationibus Moſaicis nihil prodeſſe. Inducebant pro confirmatione auctoritatem Petri, Iacobi, & Ioannis, qui concedebant veteris legis cæremoniis obſeruari cum lege euangelica. Arguebant ex ipſius Pauli facto, qui voluit in Galatiam veniens Timotheum circumcidi: quamuis inconſtanter (vt ipſi calumniabantur) aliud faceret propter Iudæos, & aliud Gentile doceret. Addebant, eum propriè non eſſe Chriſti Apoſtolum, ſed diſcipulum tantùm Apoſtolorum. Quapropter iuſta Paulus indignatione commotus, primum Galatas acriter reprehendit,

quòd

n *Iuſtinus lib. 25.*

o *Strabo lib. 12.*

p *Plin. lib. 5. c. ult.*

q *Gal. c. 4. v. 3.*

quòd tam facilè permiſerint ſe à talibus ſeduci: deinde oſtendit, quantæ auctoritatis & certitudinis eſſet euãgelica doctrina, quam Galatis, aliíſque nationibus ipſe prædicabat, quomodo non ab homine mortali, ſed ab ipſomet Chriſto illam didiciſſet. Narrat ſuam à Iudaïſmo ad Chriſtũ mirabilem vocationem, & quid egerit veniens Ieroſolymam cum Apoſtolis, Petro, Iacobo, & Ioanne, approbantibus quæcunque ipſe docebat, & agebat. Tertiò, refert, quid illi acciderit Antiochiæ cum Petro ſubtrahente ſe à Gentilium cõuictu; quomodo ei reſtiterit, ne inde Gentiles occaſionem ſumerent exiſtimandi cæremonias Iudaïcas neceſſariò eſſe obſeruandas, quæ ſolùm Iudæis pro tempore permittebantur, vt lex vetus iam defuncta cum aliquo honore ſepeliretur. Hæc autem non idcircò Paulus retulit, vt ſe ſupra Petrũ efferret, ſed coactus oſtendere firmitatem doctrinæ ſuæ, quòd eſſet à Deo, nec in illa inueniretur vlli Apoſtolorũ inferior. Quartò, grauibus diuinæ Scripturæ teſtimoniis, exemplis, & rationibus demonſtrat, per nouam Chriſti legẽ abrogatum eſſe Iudaïſmum, & explicat, quomodo per Chriſtum ſine Moſaïcis cæremoniis contingat vera iuſtificatio. Addit poſtremo loco inſignia quædã pro inſtitutione morum documenta.

Videtur autem hæc Epiſtola quaſi compendium Epiſtolæ ad Romanos, habens multas cum illa communes ſententias, modos loquendi, & ratiocinationes perſimiles: vt Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophylactus, & Anſelmus obſeruarunt. Niſi, quòd Epiſtola ad Romanos, tã Iudæos, quàm Gentiles redarguit; hæc tantummodo Gentiles. illa reiicit à merito gratiæ, & iuſtificationis, tam opera legis Iudaïcæ, quam naturæ; hæc opera potiſſimùm naturæ: illa fuſiùs, & profundiùs diſputat; hæc verò compendioſiùs, ſed vehementiùs: & ſicut ex illa, ita ex hac ſumpſerunt Hæretici huius temporis multas occaſiones deprauatiſſimis Commentariis errores ſuos inſinuandi, propter fidei in vtraque Epiſtola magnam commendationẽ, & operum fidem antecedentium reiectionem. Quamuis autem iuſto dolore commotus Apoſtolus interdum ſeueriùs increpaſſe Galatas videatur, vt cùm eos appellauit inſenſatos, dicens [r]: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati?* admiſcuit tamen, eadem perurgente charitate, affectus tenerrimæ dilectionis, vt cùm ait [s]: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Vellem eſſe apud vos, & mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis.* Ita enim cum talibus agendum, ipſe ad Timotheum ſcripſerat [t]: *Argue,* (inquit,) *obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.* & ad Titum [u]: *Increpa illos dure, vt ſani ſint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis.* Quare S. Hieronymus in Cõmentariis Epiſtolæ ad Galatas [x], obſeruauit, Apoſtolum ſolitum in ſuis Epiſtolis vnanquanque prouinciam ſuis, tam bonis, quàm prauis proprietatibus prudenter denotare: atque ita Galatas arguit leuitatis, inconſtantiæ, & vecordiæ, quod etiam nomen ipſum regionis ſignificat: Galatia enim, vt ait idem S. Hieronymus, ſonat in Hebraïca lingua reuolutionem, ſiue permutationem: quare non eſſe mirum, ſi ſtulti, & vecordes Galatæ pronunciati ſint. *Nam,* (inquit Hieronymus) *ſcit mecum, qui vidit Ancyram metropolim Galatiæ ciuitatem, quot nunc vſque ſchiſmatibus dilacerata ſit: quot dogmatum varietatibus conſtuprata: omitto Cataphrygas, Ophitas,*

r Gal. c. 3. v. 1.

s Gal. c. 4. v. 19.

t 2. Tim. c. 4. v. 2.

u Tit. c. 1. v. 13.

x S. Hieron. in proœm. lib. 1. Ep. ad Gal.

Ophitas, Borborитas, & Manichæos, (nota enim iam hæc humanæ calamitatis vocabula ſunt,) quis vnquam Paſſaloritas, & Aſcodrobos, & Artotyritas, & cætera magis portenta, quàm nomina in aliqua parte Romani orbis audiuit? Antiqua ſtultitia vſque hodie manent veſtigia. Hæc S. Hieronymus: ne miremur, Apoſtolum, nō, ſicut in aliis ſuis Epiſtolis conſueuit, à laudibus, & actione gratiarum, hanc ad Galatas exordiri; ſed magis à reprehenſione, quamuis paternæ, maternæque nuſquam immemor charitatis, vt infrà magis ex integro eius Epiſtolæ ſenſu intelligetur.

CAPVT III.

Epiſtola ad Galatas contextus breui paraphraſi expoſitus.

CОntinet primum Epiſtolę caput Galatarum reprehenſionem, & eorum, qui illos decipiebant, execrationem [a].

[a] *Gal. c.* 1. v. 1. &c.

Paulus Apoſtolus conſtitutus non ab homine vllo mortali, ſed ab immortali Domino Chriſto Iesv, & Deo Patre, qui eum à mortuis ſuſcitauit, & qui mecum ſunt omnes in Chriſto Fratres, Eccleſiis Galatiæ optamus, & precamur gratiam, & pacem à Deo Patre, & Domino Iesv Chriſto, qui obtulit ſeipſum in victimam, & pretium noſtræ redemptionis à peccatis, vt nos à nequitia mundi huius eriperet, ſecundùm voluntatem Dei & Patris noſtri, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſempiterna. Amen. Mirari ſatis non poſſum, quid cauſæ fuerit, cur tam facilè à Chriſto, qui vos per meram gratiam ſuam ad ſe vocauit, ingrati, & immemores tanti beneficij deuoluti ſitis in aliud Euangelium, quod nihil minùs habet, quàm Euangelij: niſi quis Euangelium dixerit, eius cum Moſaicis cæremoniis confuſionem, & ingeſtas à turbatoribus veſtris noui Teſtamēti deprauationes. Sed, licet nos, aut, quod fieri nō poteſt, Angelus de cœlo aliter, quàm nos fecimus, euangelizaret vobis, anathema ſit. Et hoc ipsū, quod dixi, repeto: ſi quis aliter, quam accepiſtis, euangelizauerit vobis, anathema ſit. Nunquid ego quæro nunc hominibus probatum reddere Euangelium meum, eíque placere; & non potiùs Deo? Si adhuc ſtuderé hominibus placere, ſeruus Chriſti non eſſem. Noſſe autem debetis, Fratres, Euangelium, quod à me percepiſtis, non eſſe humanæ adinuentionis: neque enim ego illud ab vllo mortalium didici, ſed per reuelationem Iesv Chriſti. Audiſtis enim, qualis aliquando vixerim in Iudaïſmo, quoniam ſummo animi ardore Dei Eccleſiam perſequebar, eámque modis omnibus expugnare conabar: nec vlli Iudæorum ætatis meæ in hac parte cedebam, æmulator acerrimus paternarum mearum traditionum. Cùm autem ſic placuit Deo, qui me elegit ab vtero matris meæ, & voluit in hanc lucem edi, ſuóque tempore alio multò excellentiori lumine donauit, nullo prorſus meo merito, ſed per ſolam gratiam & miſericordiam ſuam, vt mihi ipſi primùm, deinde per me aliis notam faceret gloriam Filij ſui: continuò relictis parentibus, conſanguineis, amicis, nullóque hominum adhibito in conſilium Deum vocantem ſecutus ſum: neque tunc venire volui Ieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos; ſed in Arabiam profectus ſum, & inde iterum redij Damaſcum: poſt tres autem annos veni Ieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim.

cim. Neminem autem cum Petro tunc vidi Apoſtolorum præter Iacobum, Fratrem Domini. Quæ autem vobis ſcribo, coram Deo, ſyncerè, & ſine vllo mendacio ſcribo. Veni poſteà in partes Syriæ, & Ciliciæ: & eram de facie nondũ notus Eccleſiis Chriſtianorum, quæ ſunt in Iudæa. Tantùm erat in illis auditum, quendam magnum eorum perſecutorem mutatum eſſe in propugnatorem, & miniſtrum Euangelij, & Deum mea cauſa glorificabant.

Capite ſecundo in confirmationem prædicationis ſuæ, narrat, quid ſibi cum Petro, Iacobo, & Ioanne acciderit Ieroſolymis, dicens [b]:

b c. 2. v. 1. &c.

Cùm itaque poſt tres annos à mea conuerſione primùm veniſſem Ieroſolymam, vt Petrum (ſicut dixi) viderem, iterum deinde poſt illos tres annos, elapſis aliis annis quatuordecim, iui cum Barnaba, & Tito Ieroſolymam. Fui autem diuina reuelatione permotus, & contuli cum illis primis Chriſti fidelibus Euangelium, quod prædico in Gentibus; ſeorſum autem cum Apoſtolis primariis: ne Pſeudoapoſtoli carpentes doctrinam meam, quaſi à Chriſti Apoſtolis improbatam, totum curſum prædicationis meæ irritum facerent. Sed neque Titus, qui mecum erat, Gentilis cùm eſſet, quantumlibet vrgentibus Iudæis, vt circunciderettur, ego permiſi. Nempe, propter inſidiantes Fratres, qui ſubintroierunt veluti exploratores noſtræ Chriſtianæ libertatis, quærentes nos redigere in antiquam abrogatæ Moſaicæ legis ſeruitutem. Quibus proinde iudicium ſubiicere, neque cedere vnquam voluimus, vt veritas euangelicæ doctrinæ ſuum locum apud vos retineret. In qua doctrina, cuiuſcunque auctoritatis eſſent, qui Ieroſolymis tunc mecum inueniebantur, Apoſtoli, nihil mihi contulerunt. Vt omittam dicere, quales ipſi ſimplices piſcatores, & qualis ego, antequam à Chriſto vocaremur, fuerimus: hoc enim mea iam nihil intereſt, & non eſt acceptor perſonarum Deus. Quin potiùs accidit mihi aliquando, cùm ſatis intelligerem Dei voluntate concreditam mihi prædicationem Euangelij pro Gentilibus incircunciſis, ſicut Petro pro circunciſis Iudæis, vt ipſe Petrus, Iacobus, & Ioannes columina Eccleſiæ Chriſti, agnoſcentes operatricem in me gratiam Dei, tum mihi, tum ſocio meo Barnabæ ſociales dextras porrigerent, hoc ipſum ſumma concordia firmantes, vt nos duo inter Gentes potiſſimùm; ipſi verò inter Iudæos apoſtolico munere fungerentur: hoc tantùm addentes, vt iuuare collectis eleemoſynis egentes Chriſtianos cordi haberemus. Id, quod etiam, quantùm potui, præſtare ſollicitus fui.Ptætereà, cùm aliquando Petrus veniſſet Antiochiam, apertè monere illum debui: erat enim, quamuis bono inductus zelo, quodammodo reprehenſibilis. Nam, antequam venirent aliqui Iudæi Ieroſolyma miſſi à Iacobo, edebat cum Gentilibus: poſteà verò, præſentibus illis Iudæis, ſubtrahebat ſe, nimiùm illis timens, ne ipſius exemplo & libertate offenderentur, qui ſimiliter eãdem obſeruantiam ſimulare inceperunt, ita vt etiam Barnabas in eam hypocriſim induceretur. Sed, cùm viderem, quòd non recto pede incederet ad euangelicam ſynceritatem, dixi Petro coram omnibus: Si tu, cùm ſis Iudæus, communi cibo & menſa cum Gentilibus hactenus indifferenter vixiſti, non ignorans mortuas eſſe per Chriſtum antiquæ legis cæremonias, quamuis nondum mortiferas, donec

ſufficienter

ſufficienter Euangelium promulgetur; quare modò Gentilium conuictum ita declinas, & Iudaïcè viuis, cogens hoc exemplo tuo Gentiles Iudaïzare? Nos nati, & educati in lege Iudaïca, non in ſuperſtitione Gentilium; ſcimus tamen, & certa fide tenemus, noſtram iuſtitiam, nō ex operibus Iudaïcæ legis; ſed ex fide Chriſti nobis, & multò magis Gentilibus prouenire. Quòd ſi quærentes iuſtificari per Chriſti fidem, & non per Moſaïcam legem, adhuc in peccato verſamur, nunquid Chriſtus abrogando veterem legem, & nouam per fidem ſubſtituendo, peccati miniſter eſt? Abſit. Quòd ſi ego, quæ publicè deſtruo, negans vim iuſtificandi Iudaïcis cæremoniis, hæc eadem priuatim agens cum Iudæis reædifico, dum illorum obſeruationibus me adſtringo; impoſtorem hac hypocriſi me conſtituo: ego enim per legem ad Chriſtum me ducentem, & in eo deſinentem, legi illi mortuus ſum, vt Deo viuam. Reciſus ex arido ligno veteris obſeruantiæ, & inſertus in nouam, virentémque arborem ſalutiferæ Crucis, Chriſto cōcrucifixus ſum, vt non tam ego viuam, quàm viuat in me ipſe Chriſtus. Viuo autem in viua fide Filij Dei, qui me omnium indigniſſimum adeò dilexit, vt etiam pro me tradiderit ſemetipſum ſupplicio crucis. Cur tantam Dei gratiam non admittam, ſicut illi non admittunt, qui quærunt ex lege iuſtitiam? ſi enim per legem Moyſis contingit nobis iuſtificatio, fruſtrà Chriſtus pro nobis ſuum ſanguinem, vitámque profudit.

Pergit capite tertio aliis multis rationibus demonſtrare nos iuſtificari per viuam Chriſti fidem, nō per opera mortua Moſaïcæ legis, dicens[c]: *c cap 3. v. 1. &c.*

O dementati Galatæ, quis oculos nequā, & inuidus vos in fide Chriſti tam benè proficientes ita faſcinauit, & in hanc Iudaïſmi cæcitatē induxit? quibus ante mentis oculos vita, paſſio, crux Chriſti Saluatoris ad viuum depicta obuerſabatur, tāquam ſi fuiſſet apud vos, vt fuit Ieroſolymis, crucifixus. Hoc vnum à vobis volo diſcere: ex operibúſne Moſaïcæ legis Spiritum ſanctum, eiúſque dona viſibilia, & inuiſibilia in Baptiſmo cōmunicata obtinuiſtis, an ex percepta Chriſti fide? Sic ſtulti eſtis, vt, cùm à ſpirituali per Baptiſmum regeneratione, Sacramentis nouæ legis, & gratiis tam multis, donísque cœleſtibus Chriſto viuere inceperitis, a circunciſione, & carnalibus cæremoniis antiquatæ legis conſummatam veſtram perfectionem expectetis? Tantáne propter Chriſtum ab infidelibus fruſtrà; fruſtrà, inquam, niſi reſipiſcatis, paſſi eſtis? Qui tanta energia ſpiritum vobis infundit, & miracula tam aperta inter vos operatur, ex operibúſne legis hæc efficit, an non potiùs ex Chriſti fide? Certè Abraham non ex operibus legis, quæ nondum data fuerat; ſed ex fide in Chriſtum venturum iuſtificatus eſt. Noſſe igitur debetis, eos eſſe veros Abrahæ filios, qui non per carnis generationē; ſed in regeneratione ſpiritus illius fidem imitantur. Id autē multò antè Scriptura proſpiciens, ipſi Abrahamo prænunciauit, dicens[d]: Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur, qui fideles ſunt cum fideli Abrahamo benedicentur: quicunque autem ſolis operibus legis nituntur, ſine fide & gratia Chriſti, æternæ maledictioni ſubduntur: ſcriptum eſt enim[e]: Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea. quæ ſanè omnia, & ipſa Decalogi præcepta neceſſariò ſemper obſeruanda; ſine fide

d Gen. c. 12. v. 3.

e Deut. c. 27. v. 26.

tamen & gratia Chriſti non faciet. Vnde alibi Scriptura dicit[f]: Iuſtus ex fide viuit. non dixit: Ex lege. lex autem non affert fidem, neque gratiam; ſed bona tantum temporalia ſuis obſeruatoribus promittebat. Chriſtus nos redemit à legis maledicto factus pro nobis hoſtia piacularis, ſuſtinens maledictum: ſcriptum eſt enim[g]: Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Vt Abrahæ benedictio in gentes per Chriſtum IESVM transfunderetur, & promiſſum Spiritum ſanctum diſponente nos ad iuſtificationem fide, reciperemus. Fratres, vt ab humanis exemplum ponam, teſtamentum, etiamſi ab homine conditum, ſi tamen confirmatum habeatur, nemo illud ſpernere, aut immutare audebit: multò igitur minùs pactum diuinum. Abrahæ promiſſiones à Deo ſunt factæ, & ei, qui erat ex eius progenie naſciturus Meſſias: vnde non dixit Scriptura[h]: Et ſeminibus. quaſi in multis: ſed, Semini tuo. quia in vno, nempe, in eo, qui ex te iuxta promiſſionem naſcetur Chriſtus. Atque hoc eſt, quod dicebam à Deo confirmatum teſtamentum, & pactum cum Abrahamo initum de Chriſto, per quem eſſent omnes gentes fideles promiſſam benedictionem participaturæ: quam Dei firmiſſimam promiſſionem lex Abrahæ temporibus tantò poſterior, nempe, data poſt annos quadringentos & triginta in monte Sina, irritam reddere nulla ratione potuiſſet. Nam, ſi ex Moſaïca lege hæredes efficimur Abrahæ benedictionis, hoc eſt, iuſtitiæ & ſalutis: ergo non ex promiſſione; cùm tamen certiſſimum ſit, in illa factà à Deo Abrahæ promiſſione donum futuræ per fidem iuſtitiæ noſtræ contineri. Ad quid igitur, dicet aliquis, data poſtea eſt lex, ſi promiſſas Abrahæ benedictiones non perfecit? Reſpondeo datam eſſe propter tranſgreſſiones notificandas, & puniendas, donec veniret Chriſtus auctor promiſſarum benedictionum, non vltrà duratura. Data verò fuit lex illa ſuo conſtituto tempore, loco, & modo conuenientiſſimo per Angelum vices Dei gerentē Moyſis, qui mediator erat inter Deum, & populum Hebræorum, non populum Chriſtianorum, cui per Chriſtum promiſſio facta fuit: & quamuis mediator vnius non ſit, ſed inter duos, aut plures eſſe debeat; Deus tamen non niſi vnus idémque eſt Iudæorum, & Chriſtianorum, qui tunc Moyſem conſtituit mediatorem inter ſe & populum Iudæorum pro tempore legis; nunc autem vult Chriſtum excellentiorem eſſe mediatorem inter ſe & populum Chriſtianorum ex omnibus Gentibus congregatum, vt promiſſam Abrahæ in Chriſto benedictionem ſortiantur. Nemo autem hinc inferat, legem videri contra Dei promiſſionem, donec Chriſtus adueniret, vſurpaſſe ſibi officium iuſtificationis: abſit: ſi enim data eſt lex, quæ poſſet iuſtificare, deberet gratiam nobis tribuere, qua liberaremur à peccato: at pronunciauit diuina Scriptura, omnes eſſe peccati reos, vt promiſſa iuſtitia ex fide IESV Chriſti daretur credentibus in illum, & ad eum nulla inuenta in lege peccati medela, confugientibus. Priùs itaque quàm hoc tempus fidei euangelicæ adueniret ſub lege tanquam ſerui ſub diſciplina cuſtodiebamur, vt diſponeremur ad eam fidem, quæ magis per Euangelium erat manifeſtanda. Iraque lex inſtar pædagogi nos tanquam paruulos, & ad omnia vitia procliues coërcebat, & ad Chriſti auctoris iuſtitiæ fidem

[f] *Habac. c. 2. v. 4.*

[g] *Deuter. c. 21. v. 23.*

[h] *Gen. c. 22. v. 18.*

dem manuducebat: vbi autem euangelica fides aduenit, legis pædagogia ceſſauit. Nõ enim iam ſerui eſtis, aut infantes, & paruuli; ſed filij per fidem euangelicam adulti: quid ergo ad legem tanquam ad pædagogũ adhuc recurritis? Quicunque enim Baptiſmo Chriſti baptizati eſtis, exuto vetere homine in Chriſtum quodammodo transformati nouum hominem induiſtis. Non eſt in hac filiatione differentia generis, conditionis, aut ſexus, ſiue Iudæus, ſiue Græcus; ſiue ſeruus, ſiue liber; ſiue maſculus, ſiue femina; vnum Chriſti corpus myſticum efficiunt, cuius caput eſt ipſe Chriſtus. Qui autem ita Chriſto incorporantur, omnes ſunt veri ſpirituales Abrahæ filij, & hæredes promiſſionis illius in Chriſto.

Proſequítur capite quarto exemplis & rationibus confirmare Iudæos ſub lege tanquam ſeruos, vel paruulos; Chriſtianos verò vt ingenuos filios, & adultos, ſpiritu amoris, non lege timoris gubernari, dicens [i]:

i cap. 4. v. 1. &c.

Atque vt ea, quæ dixi, exemplis reddã clariora: quandiu hæres ætate paruulus eſt, vix differt à ſeruo, licèt totius hæreditatis ſit Dominus; ſed eſt ſub tutoribus, & œconomis vſque ad tẽpus à patre conſtitutum. Ita & nos Iudæi, cùm eſſemus in virtutibus, & ſcientia myſteriorum Dei paruuli, ac rudes elementarij, ſub litera, & veluti alphabeto Moſaïcæ legis detinebamur. At, vbi tempus eſt impletum fini legis à Deo Patre præfixum, miſit ad nos Filium ſuum factum ex muliere, & legi non iure, ſed facto ſubiectũ, vt à ſeruitute legis veteris nos redimeret adoptatos in filios Dei. Quoniam autem eſtis filij Dei, miſit ipſe Deus Pater Spiritum à ſe, & à Filio ſuo procedentem, qui vos adoptatos in filios Dei faciat affectu filiali Deum tanquã Patrẽ agnoſcere, & ex corde Patrem eum vocare. Itaque iam non eſtis ſerui, ſed filij: quod ſi filij, etiam Dei hæredes per IESVM Chriſtum. Olim quidem, cùm eſſetis infideles, fictitios Deos, & vana idola colebatis: ſed modò, cùm veri Dei cognitionem acquiſiueritis, vel potiùs edocti à Deo fueritis, quomodo iterum conuertimini ad infima, & egena elementa Iudaicarum cæremoniarum, Sabbata obſeruatis, & Neomenias, & ſtata ritu Iudaico anni tempora? Timeo vobis, ne fruſtrà veſtri cauſa laborauerim. Eſtote ſimiles mihi, ſicut ego, licèt Iudæus, in eo quòd ſalua conſcientia poſſum, aſſimilor vobis Gentilibus. Obſecro vos, non indignor vobis; ſed magis miſereor: neque enim me, ſed magis voſmetipſos læſiſtis. Memoria enim retinetis, inter quot moleſtias, & perſecutiones iam pridem vobis euangelicam doctrinã tradiderim; & qua ratione me, quãtumuis tot afflictum calamitatibus, & miſeriis, vt facilè offendi in me poſſetis, tamen nullo modo ſpreuiſtis, ſed tanquam Angelum Dei excepiſtis, & ſicut Chriſtum IESVM. Vbi ergo ſunt illæ veſtræ acclamationes, quibus me tanta pro Chriſto patientem, beatum, ac vos propter me beatos prædicabatis, & ab aliis ob id ipſum prædicabamini? Teſtor eum fuiſſe animi veſtri tũc affectum erga me, vt ſi licuiſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & mihi dediſſetis. Factus igitur ſum veſter inimicus, quia dixi vobis veritatem; nempe, non ex lege, ſed ex fide Chriſti iuſtitiã eſſe expectandam? Zelo minimè bono quidã vos proſequũtur, vt excludamini à Chriſtiana libertate, & in eorum erroribus inuoluamini. Bona æmulatio debet eſſe in bonum ſemper, vt erat, cùm præſens aderam inter vos; eadem, cupio, ſit abſente me: filioli mei,

mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Vellem eſſe modò apud vos, & varios affe-ctus meos, quos perplexus quodammodo,& confuſus declarare per Epiſtolam non poſſum, viua voce manifeſtarem. Dicite mihi: qui ſub lege eſſe vultis, legem non legiſtis, in qua ſcriptum eſt [k], Abraham duos filios habuiſſe, vnum de ancilla, & vnum de libera: ſed,qui de ancilla vi naturali; qui autem de libera, nempe, Sara ſterili,virtute ſupernaturali natus eſt, iuxta Dei promiſſionem. Hæ verò duæ mulieres allegoricè duo ſignificant Teſtamenta: vnum quidem traditum in monte Sina, ſignificatum per ancillam Agar: Sina enim mons eſt in Arabia, qui cognationem, & ſimilitudinem habet cum terrena Ieruſalem: vt enim illius incolæ; ſic iſtius ſunt animo & conditione ſeruili. At verò altior Ieruſalem, quæ eſt Eccleſia Chriſti, ſignificata per liberam & dominatricem Saram,hæc eſt mater noſtra. De hac ſcriptum in Iſaïa legimus [l]: Lætare, quæ anteà ſterilis filios Deo parere non ſolebas,& decanta laudes: quia iam per Chriſti gratiam fœcundata es, vt multò plures filios ſpirituales modò parturias, quàm olim in antiquæ legis ſeuero connubio. At nos, Fratres,ex ſterili parente Sara, ſicut Iſaac, diuina virtute generati, filij ſumus promiſſionis. Et ſicut Iſmaël, qui tunc generatione tantùm naturali natus ex Agar, illudebat Iſaac, eúmque natum ex diuina virtute, ac promiſſione, ex ſterili Sara perſequebatur: ita nunc Iudaïca gens inſectatur nos populum Chriſtianum. Timendum tamen eſt illis, quod adiecit Scriptura, dicens [m]: Eiice ancillam, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque,Fratres,non ſumus nos ancillæ filij, ſed liberæ, ea libertate, quam nobis Chriſtus pretio ſui ſanguinis comparauit.

k *Gen c.* 16.*v.*15.

l *Iſai c.* 54 *v.*1.

m *Gen. c.* 21. *v.* 6.

Explicat ſequenti capite quinto magis hanc libertatem oppoſitam ſpiritui ſeruitutis,dicens [n]:

In hac igitur libertate perſiſtite, & nolite vos iugo depoſitæ ſeruitutis ſubiicere. Ecce ego Paulus pro certo vobis affirmo,ſi circuncidamini, Chriſtus nihil vobis proderit: & iterum teſtificor omni homini circuncidenti ſe, quaſi Iudaïcæ Eccleſiæ adſcribi neceſſarium modò ſit, erronea ſua conſcientia totius legis obſeruandæ ſubire grauiſſimam obligationem. Sed,quod plus eſt,interim ab omni fructu paſſionis Chriſti, totáque eius gratia euacuat ſeipſum, quiſquis à lege quærit iuſtificationem. Nos enim, & quicunque verus eſt Chriſtianus, non ab his corporalibus cæremoniis; ſed per ſpiritum gratiæ, & charitatis,ex fide Chriſti acceptum ſperatam iuſtitiam expectamus. Nam in Chriſtianæ vitæ inſtituto, ſicut Gentiliſmus, ita & Iudaïſmus iam non valet; ſed fides viuificata per charitatem, cuius ſpirituali influxu perfectarum virtutum actiones operatur. Hactenus in hoc ſtadio virtutum ſatis benè currebatis; quis vos interturbauit, vt excideretis à veritate? Non eſt à Deo,qui vos vocauit,falſa huiuſmodi perſuaſio. Modicum erroris fermentum totam maſſam veſtræ Chriſtianæ profeſſionis in acorem Iudaïſmi conuertet. Ego tamen in Domini clementia de vobis confido, non vltrà talem perſuaſionem admittetis: qui autem vos conturbat, quicunque ille ſit, Dei graue iudicium ſuſtinebit. Equidem,Galatæ,ſi agens cum Iudæis approbo circunciſionem, quam ſic apud vos improbo, vt de me aliqui calumniantur; cur

n *c.*5. *v.* 1. *&c.*

Iudæi

Iudæi tantoperè me perſequuntur? cur adeò ex cruce Chriſti, quam prædico, quaſi per illam Moſaïca lex aboleatur, ſcandalum patiuntur? Vtinam, qui vos propter circunciſionem conturbant, à veſtro conſortio abſcindantur, & hanc, vel aliam magis pœnalem conciſionem ad reſipiſcentiam ſuſtineant. Vos enim ad Euangelium vocati ab oneroſa, & inutili ſeruitute legalium cæremoniarum liberati eſtis: tantùm cauere debetis, ne libertatem hanc ad vllam concupiſcentiæ carnis licentiam extendatis; ſed per ſpiritum charitatis alter alteri opituletur, ac ſeruiat. Totius enim legis impletio, præſertim quæ ad proximum ſpectat, illa vna clauſula continetur: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Quòd ſi vos inuicem odiis, calumniis, detractionibus roditis, ac laceratis; meritò timere debetis, ne vos ipſos malè perdatis. Summa itaque dictorum hæc ſit: Spiritu incedite, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim ſuis concupiſcentiis contra ſpiritum mouetur, & ſpiritus honeſtis tuis deſideriis contra carnem: hæc enim ſic inuicem ſibi aduerſantur, vt non quæcunque voltis, ea ſemper faciatis. Quòd ſi ductu gratiæ diuinæ ſponte regamini, terroribus, & coactioni legis non ſubiacetis. Manifeſta autem ſunt opera, ad quæ incitat caro: ea nauque ſunt, adulterium, fornicatio, immunditiæ, laſciuia, idololatria, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, hæreſes, inuidentiæ, cædes, ebrietates, temulenta conuiuia, & ſimilia, quæ, vt aliàs dixi, nunc dico vobis, quicunque peragunt, regni Dei hæreditatem non conſequentur. Fructus autem, quos ſpiritus diuinæ gratiæ producit, ſunt, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Aduerſùs huiuſmodi fructus nulla eſt lex, quæ arguat obſeruatores, aut condemnet. Atque hi ſunt ſtrenui milites Chriſti, qui prauas carnis ſuæ concupiſcentias edomitas habent, & cruci aſſiduæ mortificationis affixas. Quare, ſi dono gratiæ vitam verè ducimus ſpiritualem, ſecundùm ſpiritus & gratiæ dictamina viuamus. Nihil per inanem gloriam, nihil per contentionem, aut inuidentiam faciamus.

Addit capite ſexto varia ad virtutes documenta, & hortamenta, vt Epiſtolam concludat, dicens g: g *cap. 6. v. 1 &c.*

Fratres, ſi deprehenſus homo fuerit in aliquo delicto, vos, qui Dei ſpiritum obtinetis, eum leniter corripite, ne ſi quis indiſcreto zelo, & ſeipſum non conſiderans, alium corripuerit, iuſto Dei iudicio permittatur ruere in eandem, aut etiam grauiorem tentationem. Alij viciſſim aliorum portate grauamina, & ita Chriſti legem adimplebitis. Nam, ſi quis nimiùm ſibi tribuens alium arguat indiſcretè, nullius ſe eſſe virtutis oſtendit, & decipit ſeipſum. Opera ſua examinet vnuſquiſque, & ſic gloriam intra propriam conſcientiam, quidquid alij dicant, vel ſentiant, obtinebit: ſinguli enim proprium onus ſuum coram Summo Iudice portare debebunt. Communicet autem Catechumenus bona ſua ſecundùm neceſſitatem ei, à quo in doctrina fidei catechizatur. Nolite propter auaritiam errare: non enim Deo illudere vllus poteſt: & quę vnuſquiſque

per

per eleemoſynas ſeminauerit, hæc & metet. Quoniam, qui opes ſuas profundit, vt delicate & molliter nutriat carnem ſuam, de carne non metet niſi corruptionem: qui verò eleemoſynas fundit ad opera pia, fructus colliget vitæ æternæ. Hæc autem bona opera facientes nunquam deficiamus; tempore enim ſuo fructus colligemus. Igitur, dum tempus habemus benè merendi, ſimus erga omnes benefici, maximè autem erga fideles fratres, qui nobiſcum in eadem Chriſti Eccleſia verſantur. Videte, quàm longa Epiſtola, tota mea manu, quod aliàs non ſoleo, vobis ſcripſerim. Quicunque ex Iudaïzantibus oſtentare ſe apud homines volunt, hi vobis circunciſionem ſuadēt, ne ab aliis Iudæis, qui pro Moyſe, & veteri lege pugnant, & Chriſti crucem oppugnant, perſecutionem patiantur. Neque id faciunt zelo legis, quam ipſi minimè obſeruant; ſed tātùm volunt vos circuncidi, vt ad eam induxiſſe aliquos veſtrùm apud ſuos Iudæos glorientur. A me verò abſit gloriari in circunciſione, Iudaïſmo, aut alia re, niſi in cruce Domini noſtri IESV Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mūdo. In Chriſtiana enim profeſſione non habetur ratio magis circunciſionis Iudæorum, quàm præputij Gentiliū; ſed ſolùm ſpiritualis generationis, & per gratiam veluti in nouam creaturam mutationis. Et quicunque iuxta hanc traditæ à me doctrinæ regulam incedent, ij pacē tranquillæ conſcientiæ, & Dei miſericordiam, vt veri, non carne, ſed ſpiritu Iſraëlitæ, conſequentur. Cæterùm non eſt, cur mihi Iudæi ſint moleſti circa legales obſeruantias: ego enim, cuius ſeruus ſim, non ex circunciſione præ me fero, vti faciunt ſerui Moſaïcæ legis; ſed ex ſtigmatibus, & cicatricibus, quibus in corpore notatus ſum propter catenas, verbera, & vulnera pro honore Domini IESV à me libentiſſimè tolerata. Gratia Domini noſtri IESV Chriſti ſit ſemper cum ſpiritu veſtro, Fratres. Amen.

CAPVT IV.

Roma diſcedens ſcribit Epiſtolam ad Hebræos: & de eius Epiſtolæ auctoritate, ſtylo, & argumento.

HOc eodem anno Chriſti Saluatoris ſexageſimo primo, & imperij Neronis quinto, poſteaquam Apoſtolus Paulus à vinculis liberatus Epiſtolam ad Galatas miſerat, Gentiles, qui variis aggregati erant Chriſti Eccleſiis, inſtruens, ne à Iudæis, & Iudaïzantibus deciperentur, cenſuit alteram eſſe ſcribendam Epiſtolam ad ipſos Hebræos, qui Chriſtianam amplexi erant religionem, vt eos ſui officij commoneret, & Chriſtum ſupra Moyſem, imò ſupra omnes Angelos venerarentur: Moſaïcam verò legem euangelicæ legi ceſſiſſe nulla ratione dubitarent: eſſe autem circa hoc tempus ſcriptā hanc Epiſtolam ad Hebræos, communior eſt opinio, quam, ſicut vltimo loco inter Pauli Epiſtolas poſitā videmus; ita poſtremam omnium fuiſſe ſcriptam exiſtimamus. Non tamen deſunt, qui eam ad annum referunt ſuperiorem, quādo nondum Apoſtolus vrbe exceſſerat, & in vinculis detinebatur. Id ex illis Epiſtolæ verbis coniectant, quæ capite decimo leguntur [a]: *Nam & vinctis compaſſi eſtis*. Græcè enim clarius dicitur; καὶ γὰρ τοῖς δεσμοῖς μου συνεπαθήσατε. id eſt, etenim vinculis meis cōpaſſi eſtis. Atque ita legunt, a *Hebr.* c. 10. v. 34.

& inter

& interpretantur Chryſoſtomus, Theophylactus, & Oecumenius. Quare, ſicut ex aperta mentione, quam facit, ſuorum vinculorum, in Epiſtolis ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Timotheum, & ad Philemonem, ſcriptas illas fuiſſe Romæ, dum in vinculis Apoſtolus teneretur, non dubitamus; ita etiam perſuadere nobis de hac ad Hebræos Epiſtola eadem ratione deberemus. At profectò eadem omninò ratio non eſt: nam, quamuis hìc Apoſtolus vincula nominauerit; non tamen vinctum ſe, dum hæc ſcriberet, fuiſſe ſignificat, ſicut in aliis Epiſtolis, vbi ſe vinctum IESV Chriſti appellat, dicit ſe in vinculis laborare, & eſſe in catena: hìc autem potiùs loqui videtur de re præterita, dicens: Vinculis meis compaſſi eſtis. Siue generaliùs, vt habet noſtra Vulgata: *Vinctis compaſſi eſtis.* Neque parum interceſſiſſe temporis oportuit, ex quo de ſe Romæ vincto perlatum eſt in Iudæam, & iterum à Iudæa ipſi Apoſtolo renunciatum, valdè condoluiſſe, qui ibi erant fideles, audita eius ſub Nerone calamitate.

Quare probabilius exiſtimamus, non ſolùm extra carcerem & vincula fuiſſe Apoſtolum, dum ſcriberet hanc Epiſtolam ad Hebræos; verùm etiam extra vrbem, quamuis adhuc intra Italiam. Id ex poſtremis illis Epiſtolæ verbis non parum confirmatur, cùm dicitur[b]: *Salutant vos de Italia Fratres.* non dixit: ab vrbe Roma; ſed, de Italia Fratres: imò Græcè non adduntur, Fratres; ſed tantùm dicitur: οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, qui ab Italia, ſiue per Italiam; nempe, Chriſtiani degentes in variis Italiæ ciuitatibus, quas Paulus non pridem Roma digreſſus, vt putamus, obibat, iuuando omnes, & animando. Nec minùs ad idem probandum faciunt illa eiuſdem capitis verba[c]: *Cognoſcite Fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum: cum quo, ſi celeriùs venerit, videbo vos.* non dixit: Spero, vel confido in Domino id futurum, ſicut ſcripſit ex vinculis ad Philemonem[d]: *Spero per orationes veſtras donari me vobis.* ſed nulla conditione appoſita, niſi de aduentu Timothei dixit: *Cognoſcite Fratrem noſtrum Timotheum, cum quo, ſi celeriùs venerit, videbo vos.* Erat igitur iam liber à vinculis Paulus hæc ſcribens, vt poſſet, quò vellet, abire. Quòd verò ait, Timotheum dimiſſum, ingerere videtur ſuſpicionem, Timotheum cum Paulo Romæ aliquandiu in vinculis fuiſſe detentum; priùs verò Paulum dimiſſum extra vrbem in aliqua Italiæ parte illum poſt ſe dimiſſum expectaſſe, ideò adiunxiſſe: *Cum quo, ſi celeriùs venerit, videbo vos.* oſtendens deſiderium ac propoſitum voluntatis ſuæ, eos reuiſendi; ſed ſimul cum Timotheo, ſi fieri poſſet, quippe qui Iudæis gratior videbatur, eò maximè, quòd ex matre Iudæa natus, poſteaquàm Chriſtianus effectus eſt, ipſo Paulo ſic volente, fuerat circumciſus. Sed non habetur ex vlla hiſtoria, Timotheum vnquam Romæ fuiſſe in vinculis: quare putant aliqui, ſaltem in alia extra vrbem ciuitate Italiæ, aut alterius regionis vinctum pro Chriſto fuiſſe, quod nobis æquè eſt incertum. Nec ille modus loquendi S. Pauli: *Cognoſcite*; id eſt, ſcitote, *Fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum*, ἀπολελυμένον, quod vertit Syrus Interpres, *à vinculis ſolutum.* cogit nos omninò de vinculorum ſolutione dictum intelligere: nam, vt Græci Interpretes adnotarunt[e], poteſt etiam ſignificare quacunque ratione dimiſſum, iuxta illud

b *Rom. c. 15. v. ult.*

c *Hebr. c. 13. v. 24.*

d *Phil. v. 22.*

e *Chryſ. Theophy. Oecum. in c. 13. ad Hebr.*

illud ab Apoſtolis Chriſto dictum in Euangelio [f] : *ἀπόλυσον τοὺς ὄχλους, dimitte turbas.* Quare illud, quod ſuo loco indicatum eſt, faciliùs credi poteſt, antequàm Paulus Roma diſcederet, tum Lucam, tum Timotheum ad alia negotia dimiſiſſe, & quidem Timotheum eo pacto, vt ſi fieri poſſet, ad ipſum in Palæſthinam proficiſcentem reuerteretur, vt ſimul eò peruenirent. Sed aliter Deo diſponente, non licuit amplius Iudæam reuiſere: vnde non eſt a vero alienum, quod legimus in fine huius Epiſtolæ ad Hebræos, tum in Græcis, tum in Syriacis quibuſdam exemplaribus adiunctum: *Scripta eſt Epiſtola ex Italia, & miſſa per Timotheum.* Iam enim oſtendimus, Apoſtolum ad Hebræos ſcribentem videri extra vrbem in aliquo Italiæ oppido ſubſtitiſſe: ſed quomodo per Timotheum miſſa fuerit, habet difficultatem: niſi fortè (quod minùs credimus) dum Timotheum aliò à ſe miſſum ibi expectaret, coactus eſt Paulus nihil mutando de verbis Epiſtolæ, mutare conſilium de ſua cum illo in Iudæam profectione, atque ideò hanc illi Epiſtolam ad Iudæos perferendam dediſſe. Neque enim, vt ſæpè dictum eſt, per quoſcunque, ſed per valdè fideles perſonas ad hoc ipſum deſtinatas mittere ſuas Epiſtolas Paulus conſueuit. Sed iam de auctoritate, & auctore ipſo huius Epiſtolæ videamus.

f Matth. c. 14 v. 15.

Quemadmodum à nullo hominum genere tot aduerſa Paulus ſuſtinuit, quot à Iudæis: ita nulla ex eius Epiſtolis, ſicut hæc ad Hebræos, tot habuit contradicentes, tum antiquos, tum recentiores, tum Hæreticos, tum etiam Catholicos: aliis negantibus hanc eſſe a Paulo ſcriptam; aliis nec eſſe inter canonicas Scripturas cenſendam aſſerentibus. In primis Marcion Hæreſiarcha, teſte Hieronymo [g], & Epiphanio [h], negabat eſſe apoſtolicam, eò quòd hæreſi ſuæ aduerſaretur: Arius ſimiliter & omnes Ariani, vt habent Theodoretus [i], & Epiphanius [k], eam repudiabant, quòd inde contra ipſos apertum teſtimonium habeatur pro Diuinitate Filij Dei, & eius cum Patre conſubſtantialitate. Quare mirum non eſt, etiam Euſebium Arianorum patronum ſæpè in ſua Hiſtoria [l] dubitationem de illa mouiſſe. Ex recentioribus verò Lutherus [m], Brentius, Kemnitius, Anabaptiſtæ, & Magdeburgenſes improbant, eò quòd plura falſa ipſorum dogmata ex illa euertuntur. Contrà verò Caluinus cum ſuis eam approbat, putans inde ſe poſſe impugnare Miſſæ Sacrificium: dubitat nihilominus, an ſit S. Pauli, & rationes dubitandi ab Eraſmo [n] deſumpſit, à quo etiam deceptus eſt Caietanus, qui in ſuis ad eam Epiſtolam Commentariis, præter illa Eraſmi, ſua etiam quædam ſparſim inſerit argumenta, dubitationem hac de re ſuggerentia; quæ tamen omnia expoſitis ſingulis Epiſtolæ capitibus, facile infrà expediemus.

g S. Hier. in proœm. ep. ad Tit. & Philem.
h S. Epiphan. hær. 42.
i Theod. præf. in Ep. ad Hebr.
k Epiph. hær. 69.
l Euſeb. lib. 3. c. 3. & 32. & lib. 6. c. 11. & 14.
m apud Bellar. lib. 1. de verbo Dei, c. 17.
n Eraſm. in fine adnot. Ep. ad Hebr. Caiet. initio Cōment. Ep. & c. ſequent.

Interim haberi debet omninò certum, etiam de fide, hanc Epiſtolam eſſe canonicam, nec ſine magna temeritate negari poſſe a S. Paulo Apoſtolo editam. Indicat id primum S. Petrus in epiſtola ſua ſecunda dicens [o]: *Sicut & chariſſimus Frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis*, id eſt, Hebræis Chriſtianis, & electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, Bithyniæ, vt loquitur initio prioris Epiſtolæ ad eoſdem, & communiter notant Interpretes.

o S. Petr. Ep. 2. c. 3. v. 15.

tes. Scripſit igitur, teſte Petro, aliquã Epiſtolam Paulus ad Hebræos, quæ alia quam hæc, ſapientia, & ſpiritu apoſtolico pleniſſima, eſſe non poteſt. Hinc Petri ſucceſſores eam Pauli ſine controuerſia eſſe aſſeruerunt. Clemens I. Anacletus I. Euariſtus I. Innocentius I. Gelaſius I. & alij deinceps. Concilia quoque, Laodicenum canone quinquageſimo; Carthaginenſe tertium, canone quadrageſimoſeptimo; Arauſicanum ſecundum, canone vltimo; Nicænum primum, teſte S. Thoma in huius Epiſtolæ Commentariis; Florentinum in inſtitutione Armenorum, & vltimò Tridentinum ſeſſione quarta in canone ſacrarum Scripturarum. Nec eſt vllum Eccleſiæ Concilium, aut decretum pontificium texens catalogum ſacrorum Librorum, in quo hæc Epiſtola vt canonica & Pauli Apoſtoli non cenſeatur. Hinc ſæpè in eccleſiaſticis per annum Officiis, & in Miſſæ Sacrificio lectiones de ea recitantur, & ſemper ſub nomine Apoſtoli S. Pauli: vt mirum ſit, auſum Euſebium affirmare [p], apud Romanos hanc Epiſtolam, S. Pauli non exiſtimari: quamuis Euſebij verba Græca poſſent etiam ita reddi: *Epiſtola autem ad Hebræos apud quoſdam Latinos Apoſtoli eſſe non exiſtimatur.* Fuerunt enim aliqui magis ex Latinis, quàm ex Græcis, qui dubitarent. Quare S. Hieronymus, etiamſi in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis in Caio, eadem Euſebij verba tranſcribat circa Epiſtolam ad Hebræos; tamen in epiſtola ad Dardanum loquens ex propria ſententia, ſic ait [q]: *Illud noſtris dicendum eſt, hanc Epiſtolam, quæ inſcribitur ad Hebræos, non ſolùm ab Eccleſiis Orientis, ſed ab omnibus retrò Eccleſiis, & Græci ſermonis Scriptoribus, tanquam Pauli Apoſtoli ſuſcipi, licet plerique eam, vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur, & nihil intereſſe cuius ſit: cùm eccleſiaſtici Viri ſit, & quotidie Eccleſiarum lectione celebretur. Quod ſi eam Latinorum conſuetudo non recipit inter Scripturas canonicas, nec Græcorum quidẽ Eccleſiæ Apocalypſim Ioannis eadem libertate ſuſcipiunt; & tamen nos vtraque ſuſcipimus.* Et in libro de Viris illuſtribus, in Paulo, ſic habet: *Epiſtola autem, quæ fertur ad Hebræos, non eius creditur, propter ſtyli, ſermonisque diſſonantiam: ſed vel Barnabæ iuxta Tertullianum; vel Lucæ Euangeliſtæ, iuxta quoſdam, vel Clementis Romanæ poſtea Eccleſiæ Epiſcopi, quem aiunt ſententias Pauli proprio ordinaſſe, & ornaſſe ſermone. Vel certe, quia Paulus ſcribebat ad Hebræos, & propter inuidiam ſui apud eos nominis, titulũ in principio ſalutationis amputauerit. Scripſit autem vt Hebræus Hebræis Hebraicè, id eſt, ſuo eloquio diſertiſſimè, vt ea, quæ eloquenter ſcripta fuerant in Hebræo, eloquentiùs verterentur in Græcum: & hanc cauſam eſſe, quod à cæteris Pauli Epiſtolis diſcrepare videatur.* Hæc Hieronymus, qui in eo, quod ait, à quibuſdam Latinis non ſolere hanc Epiſtolam recipi, videtur reſpexiſſe Tertullianum, Latinorum antiquiſſimum, & eius diſcipulum S. Cyprianũ, Arnobium, & Arnobij diſcipulũ, Lactantium Firmianũ, qui eam Epiſtolam nunquam citare inueniuntur, tanquam extra canonem ſacrarũ Scripturarum ab eis exiſtimatam. Sed hi pauci non debent cum vniuerſa antiquitate comparari, cum tot Conciliis, tot Pontificibus, & reliquis Eccleſiæ, tum Græcæ, tum Latinæ Patribus, quos longum eſſet hic enumerare, quorum hac de re teſtimonia multi [r] collegerunt. Deinde, aliud eſt alicuius Scripturę teſtimonium diſſimulare; aliud verò negare illã eſſe ſacram Scripturam. Prętereà, nec de illa tacuit

[p] *Euſeb. l. 6 hiſt. c. 15.*

[q] *S. Hier. ep 129. poſt init.*

[r] *Baron. an. 60. Bellar. lib. 1. de verbo Dei, c 17. Salmer. in Ep. ad Hebr. diſp. 1 & 2. & ib. Eſtius. Galenus Interpres. Iuſtin. Cornel. à Lapide.*

tacuit Tertullianus, ſed eſſe Barnabæ affirmauit, idque in ſuo libro de pudicitia [s], quem ſcripſit, poſteaquàm ob hæreſim ab Eccleſia Romana defecerat. Cyprianus animo hac in re aliquantulum ſuſpenſo fuit propter magiſtrum ſuum Tertullianum, ſicut de illo teſtatur S. Hieronymus [t]: quàuis in quodam ſermone de operibus cardinalibus, qui S. Cypriano à nonnullis adſcribitur, Epiſtola ad Hebræos vt apoſtolica inducatur. Arnobius, & Lactantius ſcripſerunt contra Gentiles, ideò teſtimoniis potiùs Gẽtilium Scriptorum, quàm ſacrorum librorum, quibus Gentiles non credebant, vtebantur: & ita cum Ethnicis diſputandũ monet ipſe Lactantius [u]. Nec tamen Arnobius prætermiſit, ſcribens Commentaria ſuper Pſalmũ centeſimumquartum, Auctorem Epiſtolæ ad Hebræos Paulum appellare: quamuis alius videatur aliquibus eſſe, qui ſcripſit illa Commentaria, quàm Arnobius Lactantij magiſter. Sed ridiculum eſt, quod aliqui apud Xiſtum Senenſem [x] dixerunt, eam ad Hebræos Epiſtolam eſſe Tertulliani: nam Clemens Alexandrinus [y], & Dionyſius Areopagita Tertulliano antiquiores, eam S. Paulo Apoſtolo tribuunt: & ipſe Tertullianus Barnabæ adſcribit. Sed neque Barnabæ, neque Lucæ Euangeliſtæ, neque Clementis Romani Pontificis eſſe poteſt, quidquid aliqui nimis temerè ſuſpicati ſint. Nam Barnabæ vna tantùm ſcripta habetur Epiſtola, & quænam illa fuerit, Clemens Alexandrinus in libris Stromatum [z], ſæpè teſtimonia inde proferens, oſtendit, nempe, longè diuerſa ab Epiſtola ad Hebræos: tum loquens de ipſa Epiſtola ad Hebræos, eam non Barnabæ, ſed Paulo Apoſtolo tribuit. Neque Barnabas tantæ fuiſſe videtur eloquẽtiæ, quantam præfert Auctor huius Epiſtolæ ad Hebræos: vnde Actorum capite decimoquarto [a], Lyſtrenſes Gentiles Paulum Mercurium, Barnabam Iouem appellabant, eò quòd Paulus dux erat verbi, vt ibi dicitur, & Barnaba multò eloquentior apparebat. Hinc apud Clementem in libris recognitionum Barnabas inducitur tanquam artis dicendi minimè peritus. Sed, neque Lucas tantæ fuit apud Hebræos auctoritatis, cùm Apoſtolus non eſſet, vt de profundis fidei myſteriis proprias eis literas daret, neque de vlla Epiſtola à Luca ſcripta conſtat apud antiquos. Clementis Romani Pontificis multò minùs eſſe poteſt, quamuis id magis Eraſmo placuerit, & in hanc ſententiam conetur S. Hieronymum pertrahere. Sed ipſemet Clemens ſuam eſſe epiſtolam negat expreſsè, dum eam S. Paulo adſcribit [b], & ſæpè ſententias ex illa, tanquam apoſtolicas, ſuis ſcriptis interſerit. Deinde canones Apoſtolorum ab hoc ipſo Clemente collecti habent vltimo loco catalogum ſacrorum librorum, & inter eos recenſetur Epiſtola ad Hebræos. Sed & multa, quæ in ea leguntur, Paulo quidem optimè; Clementi verò nullo modo conueniunt, vt de vinculis, quæ paſſus fuerat: de Timotheo, quem expectabat, vt cum eo rediret in Iudæam: de eo, quod profitetur, ſe eſſe Iudæum: de precibus, quas apud Deum pro ſe poſtulat [c]: *Quò celeriùs*, inquit, *reſtituar vobis*. Clemens autem, cùm eſſet Romanus Pontifex, Romæ natus, & educatus, qui nunquam fortè fuerat in Iudæa, & Romæ in cura vniuerſali Eccleſiæ detinebatur, quid erat, quòd in Iudæam ſe rediturum, & reſtituendum polliceretur? Denique poſtrema illa huius Epiſtolæ verba

s Tertul. lib. de pudic. c. 20.

t S. Hier. lib. de Scrip. eccl in Tertul.

u Lactãt. lib. 5. c. 4.

x Xiſtus lib. 7. Biblioth. c. 8.

y Clemẽs Alex. apud Euſeb. lib. 6. c. 11. & 14 Dionyſ Areop in Ep. ad Tim.

z Clem lib. 2. Strom & lib. 5.

a Act. c. 14 v. 11.

b apud Euſeb. lib. 3 c. 32.

c Hebr. c. vlt. v. 20.

verba poſita quaſi pro ſigillo in omnibus Pauli Epiſtolis: *Gratia cũ omnibus vobis. Amen.* oſtendunt, non alterius eſſe, quàm Pauli: de qua clauſula ſic ipſe in fine poſterioris Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes teſtatur [d]: *Salutatio mea manu Pauli, quod eſt ſignũ in omni Epiſtola, ita ſcribo: Gratia Domini noſtri* I E S V *Chriſti cum omnibus vobis. Amen.* Et ſimilia habet in fine omnium aliarum Epiſtolarum.

d 2. *Theſ. c. 3. v. 17.*

His de Auctore, & auctoritate huius Epiſtolæ pro noſtro inſtituto ſatis diſputatis, ſupereſt de ſtylo & idiomate, quo primùm ſcripta eſt ferè non minor controuerſia, quæ tum inter antiquos, tum inter recẽtiores, abſque vllo tamen fidei catholicæ diſpendio agitatur. Opinio valdè communis eſt, Hebraïcè ab Apoſtolo ſcriptam, quia ad Hebræos mittebatur, & à viro Hebræo genere, atque in ea lingua diſertiſſimo. Et hãc eſſe rationem, cur ſtylo ab aliis Pauli Epiſtolis diuerſo, & multò ſublimiori ſcripta videatur, quàm ſint aliæ omnes Græco, quaſi peregrino idiomate à Paulo ſcriptæ. Ita docuit Clemens Alexandrinus [e] apud Euſebium, quem ipſe ſequitur libro tertio, & ſexto Hiſtoriæ eccleſiaſticæ. Origenes quoque apud eundem Euſebium [f]; non tamẽ ſatis clarè. Clariùs verò S. Hieronymus; referendo tamen potiùs aliorum, quàm ſuam aſſerendo ſententiam, ſic ait [g]: *Scripſerat Paulus, vt Hebræus, Hebræis Hebraïcè, id eſt, eloquio ſuo diſertiſſimè, vt ea, quæ eloquenter ſcripta fuerunt in Hebræo, eloquentiùs verterentur in Græcum: & hanc cauſam eſſe, quòd à cæteris Pauli Epiſtolis diſcrepare videatur.* Ita Hieronymus, qui ſatis oſtendit illis verbis: *Et hanc cauſam eſſe*, &c. ſe non ex propria, ſed aliorum hæc afferre ſententia. Inclinant tamen in hanc opinionem magis Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius in ſuis ad eam Epiſtolam Commentariis; ſic vt etiam Nicephorus [h] Euſebium, & Clementem ſequutus, & plerique recentiores [i]. His, præter alias rationes, illa etiam fauet, quia conſtat ex Actorum capite vigeſimoſecundo, loquẽte Paulo in publica concione lingua Hebraïca, libentiùs à Iudæis, & attẽtiùs fuiſſe auditum. Videtur etiam aliqua diuina diſpoſitione factum, vt, ſicut in libris noui Teſtamenti primum locum tenet Euangelium S. Matthæi Hebraïcè ſcriptum; ita hæc Epiſtola vltimo loco poſita, & à Paulo ſcripta omnium poſtrema, Hebraïcè ſit edita, in gratiam Iudæorum, qui & primi à Deo vocati, & poſtremi in fine mundi conuertentur; & quorum ante alios ſalutem procurare Apoſtolus aggreſſus eſt; licèt magis cum Gentilibus profecerit; eos tamen vſque ad extremum adiuuare non deſtitit.

e *apud Euſeb. lib. 3. c. 32. & lib. 6. c. 1.*

f *Euſeb. lib. 6. c. 19.*

g *S. Hieron. lib. de Scrip. eccleſ in Paulo.*

h *Niceph lib. 2. c. 46. & lib. 4. c. 33*

i *Bar. n. an 60. Ribera in Ep ad Hebr. Iuſtinianus, Cornelius à Lapide, Ludou. Tena.*

Pro contraria tamen ſentẽtia plures ſunt & magis conuincẽtes rationes; hanc, nimirum, Epiſtolam, ſicut alias omnes apoſtolicas, Græcè fuiſſe ſcriptam: ſtylus enim, & vniuerſa eloquutio non Hebraïcam, ſed Græcam prorſus refert eloquentiam, vt non ſit adeò veriſimile ab Hebraïca lingua conuerſam. Hoc enim argumento ſapientiam Salomonis nõ eſſe ab Auctore ſuo Hebraïcè ſcriptam; ſed Græcè, S. Hieronymus affirmauit. Deinde, cùm Paulus in aliis Epiſtolis abundet Hebraïſmis, quas tamen Græcè ab ipſo eſſe ſcriptas dubium non eſt; multò magis abundare in hac, ſi Hebraïcè fuiſſet ſcripta, debuiſſet. At rariores ſunt in hac Epiſtola, quàm in vlla alia Hebraïſmi: non igitur Hebraïcè primùm, ſed Græcè fuit ſcripta. Tertiò, mirum ſanè, nullum non modò hoc tempore

Hebraïcum eius exemplar inueniri; ſed neque vllum eſſe antiquorũ, qui ſe illud vidiſſe teſtetur. Nec eſt, quòd aliquis dicat, etiam exẽplar Euangelij S. Matthæi Hebraïcum periiſſe: nam ſaltem habemus S. Hieronymum [k], qui ſe illud a Beroenſi Eccleſia accepiſſe, & legiſſe profitetur in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis. Quartò, ſuggerit nobis ibidẽ S. Hieronymus aliud validum argumentum: ait enim Euangeliũ S. Matthæi, quia primùm ab ipſo Hebraïcè ſcriptum fuit, vt omnes farentur, ideò teſtimonia veteris Teſtamenti in eo producta non eſſe ſecũdùm Græcam expoſitionem ſeptuaginta Interpretũ, vt in reliquo nouo Teſtamento Græcè primùm ſcripto; ſed iuxta fontẽ Hebraïcum: & profert huius rei aliquot exempla. At verò teſtimonia, quæ citantur in Epiſtola ad Hebræos, communiter ſunt ex verſione Græca ſeptuaginta Interpretum, quorum hic omnia exempla referre longum eſſet. Neque ſatisfacit quorundam reſponſio, dicentium, Paulum quidem in autographo Hebræo citaſſe Scripturam iuxta Hebraïcum textum; ſed Græcum Interpretem ſubſtituiſſe verſionem ſeptuaginta, veluti Græcis notiorem. At profectò minùs fidelis Interpres ille Græcus, quicunque fuerit, extitiſſet; quia ſæpe ducitur in ea Epiſtola argumentum ex Interpretibus ſeptuaginta, quale iuxta textum Hebraïcum non haberetur. Exempli gratia, capite nono ſæpè ex veteri Teſtamento habetur nomen Græcum, διαθήκη, iuxta Septuaginta, hoc eſt, Teſtamentum, quod Hebraïcè dicitur ברית *berith*, & pactum ſignificat. Quomodo igitur, ſi Paulus ſemper dixit pactum, & nõ teſtamentum, Interpres Græcus inde Chriſti mortem neceſſariam intuliſſet, dicens [l]: *Vbi enim teſtamentũ eſt, mors, neceſſe eſt, intercedat teſtatoris: teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum viuit, qui teſtatus eſt.* Simile eſt, quod capite ſeptimo ſic legitur de Melchiſedech [m]: *Qui interpretatur Rex iuſtitia; deinde autem & Rex Salem, quod eſt Rex pacis.* Nam, ſi Paulus hoc totum non Græcè, ſed Hebraïcè ſcripſit, ita dicere debuiſſet: Melchiſedech, qui interpretatur Melchiſedech; & Rex Salem, quod eſt, Rex Salem. *Et hoc argumentum,* inquit Caietanus [n], *me conuincit non eſſe ſcriptam Hebraïcè; ſed Græce Epiſtolam ad Hebræos.* Re tamen vera nõ ita conuincit, vt illud, quod de voce pacti, & teſtamenti adducebamus: quia admitti aliquo modo poſſet, illarum vocum interpretationem eſſe additamentum Græci Interpretis: ſicut illud in Euãgelio S. Matthæi [o]: *Vocabunt nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus.* quæ interpretatio in contextu Hebraïco non habetur. Quinta nõ minùs valida coniectura ex eo deducitur, quòd primæ tres Epiſtolæ catholicæ, vna Iacobi, & duæ S. Petri, ad diſperſos Iudæos in Chriſtum credẽtes per Pontum, Galatiam, Aſiam, & Bithyniam ſcriptæ fuerunt, & nulla illarũ, niſi ſtylo Græco primùm: cum igitur hæc ſimiliter ad eiuſdẽ diſperſionis Hebræos, vt anteà* diximus, conſcripta ſit, non alia, niſi Græca lingua, ſcribi primùm oportebat. Id ſextò magis poteſt confirmari: quia, ſi Hebraïca lingua Paulus eã Epiſtolam ſcripſit, vel fuit antiqua illa purè Hebraïca, vel mixta & corrupta dicta Syriaca, vel Syrochaldaïca, qua vulgò in Syria vtebantur Iudæi poſt reditum à Babylone, & vigebat ætate Chriſti, ac Apoſtolorũ. Primũ non eſt credibile: quia præter Rabbinos, & alios paucos eruditos, pura illa Hebraica

k *S. Hieron. lib. de Scrip. eccleſ. in Mattheo.*

l *Hebr. c. 9. v. 16. & 17. vide infrà c. 8. dub. 8.*

m *Hebr. c. 7. v. 2.*

n *Caiet. in c. 1. Ep. Hebr.*

o *Matt. c. 1. v. 3.*

Hebraïca ignorabatur à pleriſque:neque enim ampliùs erat in vſu.Quare potiùs arbitrantur, fuiſſe maternam illius tēporis, & vulgatam Syriacam: at neque hæc erat omnibus in vſu niſi Ieroſolymis, & in finitimis Iudææ,ac Syriæ ciuitatibus: vnde,ſi ea ſcripſit Apoſtolus,neque ſtyli elegātia benè defenditur, ob quam arguūt Hebraïcè ſcriptam Epiſtolam,neque intentio Apoſtoli,multos inſtruendi; neque commune deſiderium Iudæorum,vt taceam de gētibus,expletum fuiſſet, qui per diuerſas orbis terræ prouincias educati,neque Hebraïcā, neque Syriacam linguam didicerūt, ſed propriam regionis. Id,quod ipſimet Iudæi in die Pentecoſtes atteſtati ſunt Ieroſolymis conuenientes ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, vt inquit in Actis apoſtolicis S.Lucas [p], & concionantibus Apoſtolis ſtupebant dicentes: *Et quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram,in qua nati ſumus.* At verò lingua Græca latiſſimè per omnes ferè gentes audiebatur, vt ait M. Tullius: vnde Ioſephus [q] in libris Antiquitatum teſtatur, Iudæos omnes in Ægypto degentes plurimùm gauiſos,propter legis, & Prophetarum ex Hebræo in Græcum idioma traductionē Interpretum ſeptuaginta:quia iam per ſeipſos Græca poſſent legere, & intelligere;non ſic autem Hebræa,præter Rabbinos, legiſque Doctores. Hinc Ioſephus ipſe,& Philo,etiamſi ambo Iudæi,tam in Græcis,quā in Hebraïcis eruditi; tamen libentiùs teſtimonia veterū Prophetarum, & antiqui Teſtamenti proferunt,iuxta editionē Græcam ſeptuagintaduorū Interpretum,quàm ſecundum Hebraïcam lectionem: quæ etiam Græca editio à tempore Ptolomæi Philadelphij,qui eā fieri magnis ſumptibus curauerat, legebatur in Synagogis Iudæorū per annos octingentos, teſte Imperatore Iuſtiniano in libro Nouellarū, Cōſtitutione centeſima quadrageſimaſexta. Atque hæc ſūt,quæ nobis vidētur probabiliorē reddere hanc opinionē, licèt non tā multos,ſicut prior,agnoſcat Auctores [r]. Sed neque opinātes Hebraïcè ſcriptam adeò multi ſunt; nec ſatis id cōſtanter affirmant. Clemens enim nō dicit,ſe vidiſſe exēplar Hebraïcum. Origenes, Euſebius, & S.Hieronymus,aliorū potiùs ſententiā proferunt,& præſertim Clementis,quàm adſtruant ſuā:rationem etiā haud firmam aſſignant:ſi enim,vt dicunt,Apoſtolus tanquā Hebręus Hebræis debuiſſet Hebraïcè ſcribere, etiā duas miſſas ad Timotheum Hebraïcè, non Græcè ſcripſiſſet. Argumentū etiam ductum ex maiori Epiſtolæ ad Hebræos elegantia, & ſtyli ſublimitate, non probat inſtitutum: perinde ac ſi quis Iſaïę Prophetę editā à S.Hieronymo verſionem Latinā eſſe elegantiſſimā inde argueret,quia Iſaïas Hebraïcè ſcripſit ſtylo ſublimiſſimo, & elegātiſſimo:præſertim, ſi verum eſſet,quod Origenes, Euſebius, & S. Hieronymus addiderunt, eam Epiſtolam Græcam redditā ex Hebræo textu à S. Clemente. Cùm enim eſſet Clemens homo Romanus, parū veriſimile eſt,Hebraïcam linguam Gentilibus exoſam calluiſſe. At dicunt,ſi non Clementem Romanū, ſaltem Lucam Euangeliſtam, Pauli ſocium, eam Epiſtolam contexuiſſe:& hoc veriùs exiſtimamus;ſic tamen,vt à S Paulo dictante,nō Hebraïcè,ſed Græcè res & ordinē omniū rerū excepcrit proprio ſtylo exprimendarū.Et ſanè Clemens Alexādrinus apud Euſebiū [s],teſtatur, hanc Epiſtolam, & Acta Apoſtolorum à Luca cōpoſita,eundem referre ſtylū. Addere nos poſſumus [illegible] coniecturā:quia Lucas tam in ſuo Euangelio, quàm

p *Act. c. 2.5. & 8.*

q *Ioſeph. lib. 12. Antiq. c. 2.*

r *Salmeron diſp. 3 in ep. Hebr. Eſtius in eandem Ep. Caietan. ibid. Inclinat Bellar. lib. 1. de verbo Dei. c. 17. Medina lib. 6. de recta fide. c. 25.*

s *Euſeb. lib. 6. c. 11.*

quàm in Actis apoſtolicis perpetuò inducit Scripturæ veteris teſtimonia iuxta Interpretes ſeptuaginta, & idipſum in hac Epiſtola vbique factum obſeruatur. Tertia adhuc validior coniectura poſſet eſſe, quorundam Græcorum vocabulorum proprius vſus, qui vix alibi, quàm in Euangelio S. Lucæ, & in Actis Apoſtolicis, atque in hac Epiſtolà inuenitur: vt μαρτυρέμενος, quod vulgatus Interpres reddit: *habens bonum teſtimonium.* ad Hebræos capite vndecimo habetur quater: & ſimiliter Actorum capite ſexto, decimo, & vndecimo. Verbum quoque, χρηματίζεσθαι, pro eo, quod eſt, *accipere diuinum reſponſum*; habetur ad Hebræos capite octauo, & vndecimo, & in Euangelio S. Lucę capite ſecundo: vt alia plura prætermittamus ab aliis obſeruata. Illud etiam ad Hiſtoriam pertinens aliquo modo rē confirmat, quod anteà narrabamus, Paulum extra vrbem hanc Epiſtolam exaraſſe, quò Lucam anteà præmiſerat: vnde hunc ad manum habere faciliùs potuit, quàm alium huius Operis adiutorem. Neque mouere quenquam debet ab hac ſententia, ſtylum huius Epiſtolæ videri altiorem, quàm ſit Euangelij ſecundùm Lucam, & Actuum Apoſtolorum: aliam enim elocutionem hiſtoria poſtulat; aliam verò diſputatio de magnis & ſublimibus myſteriis inſtituta; & ad perſuadendum multis rationibus, oraculis, & exemplis oratorio ſtylo contexta.

Eſt autē huius Epiſtolæ argumentum, & intentio, vt hoc tandē caput abſoluamus, primùm, probare Chriſti Diuinitatē, & ſupra omnes Angelos dignitatem. Secundò, eiuſdem ſupremum ſacerdotium, & vnicum in Cruce Sacrificium, omnibus antiquis Sacrificiis adumbratum. Tertiò, Redēptoris, & Mediatoris officium, ad nos per ſuum Sanguinem à peccatis expiandos. Quartò, quāta ſit Chriſti Domini ſupra Moyſem, & Euangelij ſupra legem veterem eminentia. Poſtremò, afflictos, & multa pro Chriſti nomine patientes Iudæos cōſolatur. Vnde, quamuis hæc Epiſtola omnes diſperſos per mundum Hebræos reſpiciat: tamen eos potiſſimùm, qui erant Ieroſolymis alloquitur; tum, quòd ibi plura propter Chriſti fidem paterentur à Iudæis Magiſtratibus; tum, quia eò ſe quamprimùm adfuturum, ſi fieri potuiſſet, pollicebatur. Sed iam ſingula totius Epiſtolę ſenſa ſuo ordine, & ea, qua poſſumus claritate, referamus.

CAPVT V.

Enarratio totius Epiſtolæ ad Hebræos.

IN primo Epiſtolæ capite probat Chriſti Diuinitatem, & ſupra omnes creaturas, præſertim Angelos, eminentiam, dicens [a]:

Multis olim ac diuerſis vicibus, multíſque figuris, & viſionibus Prophetarū locutus patribus noſtris per eoſdem Prophetas Deus, nuper extremis iſtis temporibus locutus eſt nobis per ſuum propriū Filium, quē conſtituit, etiam qua homo eſt, Dominum, hæredem, & poſſeſſorē omnium creaturarū: quà verò eſt Deus, omnia per ipſum facta ſunt, quæ exiſtunt in aliqua duratione ſæculorum: qui, cùm ſit ſplendor glorioſæ maieſtatis, & imago ſubſtantialis ad viuum expreſſa paternæ perſonæ, ſuſtentans vniuerſa nutu potentiæ ſuæ, vbi per ſeipſum, ſuoque pretioſiſſimo Sanguine peccatorum noſtrorum expiationem compleuiſſet, dignam obtinuit tanto Redemptore ſedem, ad dexterā excelſiſſimæ

a *Hebr. c.1.v.1. &c.*

Dei Patris ſui maieſtatis: tantò præ-
ſtantior Angelis effectus, quantò ex-
cellentius præ illis nomen hæredita-
rio iure ſortitus eſt. Cui enim ali-
quando Angelorum dixit æternus
b Pſ. 2. Pater, vt Christo dixit [b]: Filius meus
v.7. es tu: ego hodie genui te. & in alio
c 1. Reg. Scripturæ loco [c]: Ego ero illi in Pa-
c. 17. v. 14. trem, & ipſe erit mihi in Filium. Si-
militer David in Pſalmo loquens de
altero eius aduentu ad extremũ Iudi-
d Pſ. 96. v. 8. cium, ait [d]: Adorate eum omnes An-
geli eius. At verò de Angelis ita di-
e Pſ. 103. cit [e]: Qui facit Angelos ſuos veloces,
v. 4. ac ſubtiles tanquam ventos, & in mi-
niſterio efficaces quaſi flammã ignis.
Filium autem ſuum in alio Pſalmo
f Pſ. 44. ſic alloquitur [f]: Thronus tuus, ô Chri-
v. 7. 8. ſte, qui mihi cõſubſtantialis es Deus,
non erit ſicut Dauidis, & Salomonis,
finiti temporis; ſed ſtabit in ſempi-
ternum, & ſceptrum regni tui æqui-
tatis erit impermutabilis. Quapro-
pter iuſtitiam ſemper dilexiſti, &
odio iniquos omnes proſecutus es:
ideò vnxit te Deus, Deus, inquam,
Pater tuus, oleo exultationis, & glo-
riæ, præ omnibus aliis, qui eiuſdem
gloriæ per tuam gratiam erunt parti-
g Pſ. 101. v. 26. cipes. & [g]: Tu in principio tempo-
rum orbem terræ à fundamentis con-
didiſti, & opera tuæ potentiæ ſunt
cœli. Ipſi mutabuntur, tu autem per-
manes immutabilis, & omnes ſub
cœlo res veluti attrita vſu, ac ſenio
veſtimenta veteraſcent aliquando, vt
ſua indigeant innouatione: tu autem
idem ſemper es, nec deficere vllate-
nus poſſunt anni tui. Ad quem autem
Angelorum vnquam dixit Deus Pa-
ter ſimilia verba iis, quæ Chriſto ſunt
h Pſ. 109. ab eo dicta [h]? Sede à dextris meis,
v. 1. quoadvſque ſubiiciam quaſi ſcabel-
lum æternum pedibus tuis Dæmo-
nes, tyrannos, & omnes impios re-
belles, & inimicos tuos. At angelici
Spiritus nónne omnes ſunt Deo mi-
niſtrantes, & ad eius nutum parati,
vt quocunque viſum ei fuerit, mit-
tantur ad electorum potiſſimum ſa-
lutem procurandam?

Pergit capite ſecundo Chriſti de-
fendere dignitatem, & incipit ſcan-
dalum Iudæorum ex eius paſſione ac
morte remouere, dicens [i]:

Quapropter operæpretium erit, i cap. 2. v. 1 &c.
auditam Chriſti doctrinam menti al-
tiùs infigere, ne vnquam excidat: ſi
enim, quæ olim in monte Sina per
Angelos data eſt lex, fulgoribus, to-
nitruis, ac terribili vindicta præuari-
cantium confirmata eſt; quomodo
nos iram Dei iuſtiorem, & grauio-
rem effugiemus, ſi oblatam nobis in
euangelica lege tantam ſalutem ne-
glexerimus? quæ, cùm cœpiſſet per
Dominum IESVM, ab Apoſtolis, qui
audierunt annunciari, vſque ad no-
ſtra tempora confirmata eſt, conte-
ſtante Deo ſignis, prodigiis, & variis
miraculis, diſtributiſque ſecundùm
voluntatem S. Spiritus, donis multi-
plicibus miraculorum. Non enim do-
minium orbis terræ innouandæ per
vniuerſale Iudicium futurum, vt an-
teà dicebamus, Angelis à Deo com-
miſſum eſt Noſtis, quis ille ſit qui ſic
in Pſalmo teſtatur [k]: Quid eſt homo, k Pſ. 8. v. 5. 6. 7.
quòd memor es eius; aut filius homi-
nis, quoniam viſitas eum? Minuiſti
eum paulò minùs ab Angelis, gloria
& honore coronaſti eum: & conſti-
tuiſti eum ſuper opera manuum tua-
rum: omnia ſubiecisti ſub pedibus
eius. Si omnia ei ſubiecit, nihil reli-
quit, quod homini ſubiectum, aut
ſubiiciendum non ſit, præcipue capi-
ti noſtro Chriſto, qui tenet in homi-
nibus principatum. Quòd ſi nondum
omnia videmus ei perfectè ſubiecta,
non miremur: adhuc enim extremi
Iudicij diem ſupremum expectamus,
in quo debellatis ad vnum omnibus
hoſtibus ipſius, plenum eius regnum

 apparebit,

apparebit, & nos cum illo tunc demum regnaturi ſumus. Interim videmus, hunc noſtrum Saluatorem, qui aliquantò minor Angelis apparuit in eo, quòd factus eſt homo paſſibilis, vt ex magna Dei erga nos miſericordia pro hominibus patiens, ac moriens, nos à morte atque Inferno liberaret, quãta maieſtate, quantíſque honoribus coronetur, ſparſa vbique eius sãctiſſimi nominis gloria & fama, fide euangelica per vniuerſum ferè iam orbẽ deprædicata. Enimverò ſic decebat Deum Patrem, qui multos hominũ deſtinauerat inducere ad cœleſtem ſuam gloriam, ipſum Chriſtum tanquam ſalutis eorum auctorẽ paſſione, ac morte conſummare. Nam, propterea & ipſe noſter ſanctificator, & qui ab eo ſanctificantur, eiuſdẽ omnes ſunt naturæ, atque ab vnó, eodémque parente Adamo deſcendentes. Quapropter non veretur fratres eos appellare, dicens [l]: Nunciabo nomen tuũ fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te. & rurſus [m]: Ego, inquit, tum pro me, tum pro meis in Deo fiduciã habebo. & apud Iſaïam: Ecce ego, & quos dedit mihi Deus Pater eiuſdem paſſibilis naturæ ſpirituales filios adoptiuos. Quia ergo, quos Chriſtus fratres, & filios dignatur appellare, carnis & ſanguinis, hoc eſt, humanæ, paſſibiliſque naturę ſunt participes, eandem ipſe mortalẽ naturam elegit aſſumere; vt per propriã mortem Diaboli tyrãnidem deſtrueret, qui habere mortis imperium videbatur, & vt mortales ab horrore, angoréque mortis ſemper imminentis liberaret. Nuſquam enim angelicã, ſed humanam aſſumpſit naturam, eóſque gratia & dilectione ſua proſequitur, qui fidẽ, & obediẽtiã Abrahæ imitantur. Quare decuit per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret, & Pontificis munus fideliter obiret in iis, quæ ſpectant ad Dei cũ hominibus reconciliationem, & peccatorum noſtrorum expiationem. In eo enim, in quo ipſe paſſus eſt, & tentatus, promptior, & paratior eis, qui tentantur, auxiliari.

l Pſ. 21. v. 23.

m Pſ. 17. v. 3. Iſai. c. 8. v. 17.

Capite tertio comparat Chriſtum cum Moyſe, & quãtò ſit illo dignior, oſtendit, dicens [n]:

n cap 3. v. 1. &c.

Vnde, fratres in Chriſto ſanctificati, & vocationis cœleſtis participes effecti, conſiderate miſſum è cœlo Apoſtolũ Summũ Sacerdotẽ, & eius, quã profitemur, doctrinæ auctorem IESVM: qui fidelis eſt ei, à quo talis vniuerſitati fidelium eſt conſtitutus, ſicut fuit Moyſes populo Iudæorum. Sed tantò maiori, quã Moyſes, gloria dignus eſt Chriſtus, quãtò præſtãtior & honoratior, & architectus & ædificator, quàm ſit eius ædificium. Habet enim vnaquæque domus fabricatorẽ ſuũ: omniũ autẽ cõditor eſt Deus: Eccleſię verò ſuę ſummus artifex homo Chriſtus Deus. Et quidẽ Moyſes fidelis erat, vt famulus in domo, ea populo denũcians, quæ à Domino accipiebat: Chriſtus verò tanquã filius præeſt domui æterni Patris ſui: quæ domus Eccleſia Chriſti eſt, & nos ipſi ſumus, ſi intrepidã fidei profeſſionẽ, & firmã ſpẽ gloriæ vſque ad extremũ retinuerimus. Quapropter dicit Spiritus sãctus [o]: Nolite corda veſtra indurare, & me exacerbare, ſicut patres veſtri obdurantes corda ſua per annos quadraginta in deſerto cõtra me rebellãtes, & de Moyſe murmurãtes, me irritauerunt: etiã dum viderent, & probarent opera mea mirabilia. Vnde infenſus fui generationi huic, & dixi: Hi ſemper ſunt vecordes: ipſi autẽ agnoſcere noluerunt leges meas: ideò, ſicut iuraui eis iratus, non introibunt in requiẽ terræ promiſſionis. Videte, fratres, ne fortè inter vos aliqui cor habeant incredulitate deprauatũ, & ad

o Pſ. 94. v. 8.

apoſtaſiam

apoſtaſiam inclinatum. Vos ergo inuicem per dies ſingulos adhortamini, quãdiu ſumus in vita præſenti, ne vlli vnquã contingat falli, & in peccatis obdurari. Participes enim facti ſumus redemptionis Chriſti, & ei inſiti: ſed hoc nobis non proderit, niſi perſeuerantiã in fide, ac in cæteris virtutibus retineamus, idque, ſicut dicebã, toto curſu vitæ præſẽtis: hoc enim eſt illud hodie, de quo dictum eſt patribus noſtris: Hodie ſi vocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, quemadmodũ in illa exacerbatione. Et quãuis non omnes, qui duce Moyſe profecti ſunt ab Ægypto, Deum irritauerunt; tamen plurimi hoc fecerũt: & hi fuerunt increduli illi, quibus per annos quadraginta indignatus eſt Deus: quorum ob id proſtrata in deſerto cadauera iacuerunt, nec ad promiſſam terram peruenire propter ſuam incredulitatem meruerunt.

Capite quarto ad conſtantiam ſic hortatur [a]:

[a] *cap. 4. v. 1. &c.*

Timeamus ergo, ne fortè abiecta ſpe pollicitationis introeundi in requiem non terrenã, ſed cœleſtem, per Chriſtum nobis comparatam, ac promiſſam, aliqui inueniantur infideliter defeciſſe. Etenim lætum Euangelij nuncium nos accepimus, ſicut etiam illi ſuum acceperunt: Sed eis nõ profuit audiuiſſe: quia iis, quæ à Deo per Moyſem intellexerunt de terra promiſſa, incredulitatem ſuam miſcuerunt. Nos igitur in requiẽ nobis promiſſam, ſi crediderimus, facilè ingrediemur: nam, ſi infidelitas eos excluſit, quibus Deus propterea iurauit, non ingreſſuros in requiem ſuam: igitur fides nos introducet, ad illam, videlicet, requiem ſignatam in requie terræ promiſſionis, ad quam cũ plurimi propter incredulitatem non introierint, tertiam nobis requiem patriæ cœleſtis per Dauidẽ pollicetur, & ad eam inuitat, dicẽs: Hodie ſi vocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Relinquitur itaque Chriſtiano populo melior ſabbatiſmus: nã primus in vmbra præteriit iã pridem à creatione mundi; ſecundus etiã deſiit in terra Chanaan; & niſi tertius ſupereſſet, fruſtrà poſt illos ad nos clamaret in Pſalmo Dauid: Hodie ſi vocem Domini audieritis. Quare, dum hodie, hoc eſt, in ſpatio totius vitæ præſentis, quemadmodum Hebræi per deſertum annis quadraginta peregrinabantur, tendimus ad requiem terræ promiſſæ in cœlis, feſtinemus, nec vllis territi difficultatibus hæreamus, ne quis in exemplũ fiat, tũ pœnæ, tũ culpæ incredulitatis, inſtar eorum, qui ſimili culpa excluſi ſunt à terra promiſſionis. Viuum enim eſt Verbum Patris, Filius Dei; & efficax, penetrans vndique omnia profundiſſimè, quaſi gladius vtrinque ſecans, & acutiſſimus, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, id eſt, optimè diſcernens omnes animi noſtri motus, ſiue naturæ, ſiue gratiæ; ſiue ſenſus, ſiue ſpiritus; cenſor, & Iudex internarum cogitationum, & intentionum cordis; & nihil creatum poteſt ſe ſubducere à conſpectu eius: ſed omnia nuda, & diſcooperta ſunt oculis ipſius. Habentes ergo Pontificem magnum IESVM Dei Filium, qui penetrauit cœlos, eóſque iam nobis aſcenſu ſuo peruios fecit, noſtræ fidei confeſſionem conſtanter retineamus. Non enim habemus Pontificem, qui nequeat compati noſtris infirmitatibus; ſed in his omnibus, excepta culpa, & quæ peccato ſunt affinia, ſimiliter experto, ac tentato. Adeamus ergo cum magna confidentia thronum eius diuinæ gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & beneuolentiam, atque auxilium opportunum.

Capite quinto Chriſti ſupremum pontificatum à Deo inſtitutum, & ſummè venerandum oſtendit, dicens [b]:

b cap. 5. v. 1 &c. Omnis nanque Pontifex ex hominibus aſſumitur, & pro hominibus conſtituitur, vt agat eorum cauſam apud Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis: qui facilis etiam ſit ad compatiendum ignorantiæ, & infirmitati delinquentium: quandoquidem ipſe quoque circundatus eſt infirmitate, & propterea debet ita pro ſuis, ſicut pro populi peccatis offerre. Deo placationes. Neque debet per ſe quiſquam huiuſmodi honorem ſibi aſſumere, ſed vocari à Deo ſicut Aaron. Sic etiam Chriſtus non ambiuit vlla ratione pontificiam hanc dignitatem; ſed electus fuit ratione primogenituræ à Deo Patre, cuius ad ipſum illa ſunt verba [c]: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Vnde in alio Pſalmo dicit [d]: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech. Qui dum viueret in hac noſtra carne mortali, preces, ſupplicationéſque æterno ſuo Patri, à quo poterat ſaluari, offerens cum clamore valido, & lacrymis, exauditus eſt propter ſuam reuerentiam. Et quidem cum eſſet Filius Dei, didicit noua experientia in re, ſummæ difficultatis, acerbiſſimæ, videlicet paſſionis, ac mortis, ſummam obedientiam, & oblatione perfectiſſima conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, auctor ſalutis ſempiternæ: appellatus à Deo noſter Pontifex ſecundùm ordinem Melchiſedech: de quo multa eſſent dicenda, ſed explicatu apud vos ardua: ſegnes enim facti eſtis ad intelligendum, & incapaces. Cùm enim deberetis eſſe magiſtri, quippe qui tanto tempore in lege Moſaica, & in Euangelio erudimini, indigetis rurſus edoceri tanquam catechumeni, quæ ſint Chriſtianæ doctrinæ rudimenta; & facti eſtis, quibus lacte puerilis inſtitutionis opus ſit, non ſolido profundioris eruditionis cibo. Perfectorum eſt enim talis cibus, & habentium intellectum ad ſanæ, prauæque doctrinæ diſcretionem benè exercitatum.

c Pſ. 1. v 7.

d Pſal. 109. v. 4.

Capite ſexto relictis rudimentis Iudæos confirmat in audita fide, dicens [e]:

e cap. 6. v. 1. &c. Nihilominùs tamen intermittentes rudimenta Chriſtianæ doctrinæ, poſteà ſi fuerit opus, reſumenda, tranſeamus ad perfectiora quædam, non iterum fundamenta iaciendo primæ conuerſionis ad fidem, & pœnitentiæ, Sacramenti Baptiſmatis, & Confirmationis, ac doctrinæ de reſurrectione mortuorum, & de Iudicio extremo: hæc, inquam, ſi Deo placet, miſſa nunc facio. Vix enim fieri poteſt, vt qui ſemel Sacramento Baptiſmi initiati, fide illuminati guſtauerunt donum ſupercœleſte remiſſionis peccatorum, facti ſunt participes gratiæ Spiritus ſancti, perceperunt bona ineffabilia, certò nobis per doctrinam euangelicam patefacta, & in futurum ſæculum promiſſa; tamen poſt tot diuinos fauores ingratiſſimi apoſtatare à fide non verentur, vt iterum ſe ad bonam frugem recipiant, & ad agendam ſeriò pœnitentiam inducantur. Videntur enim adeo turpi defectione, quantùm in ipſis eſt, Chriſti crucifixi ludibria, & tormenta renouare. Terra enim opportunis & frequétibus imbribus irrigata, lætam proferens cultori ſuo ſegetem, apparet à Deo benedicta: emittens autem ſpinas ac tribulos reproba eſt, & digna maledici, cuius erit exitus, vt cum ſuis ſpinis & ſentibus tandem immiſſis flámis comburatur. Quamuis, dilectiſſimi, de vobis etiamſi hæc loqui

loquimur, perſuaſi ſumus meliora, & ſaluti viciniora. Non enim eſt iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur boni operis veſtri, & laborioſæ charitatis, quam exhibuiſtis pro nomine ipſius, qui fidelibus Dei famulis miniſtratis, & adhuc miniſtrare non ceſſatis. Cupimus autem vnumquemque veſtrum eandem oſtendere in bonis operibus ſollicitudinem, vt ſpes ſalutis veſtræ in dies augeatur, & in fine plena inueniatur: ne ſegnes in via perfectionis efficiamini, ſed litis imitatores eorū, qui firma fide, & conſtanti perſeuerantia promiſſam hæreditatem ſunt conſecuti. Abrahæ namque facta promiſſio tantam habuit certitudinem, vt eam Deus iureiurando firmauerit: & quia, per quem iuraret, maiorem ſe non habuit, iurauit per ſemetipſū, dicens[f]: Per memetipſum iuro, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli. Atque ita longanimiter Abraham expectando adeptus eſt repromiſſionem. Homines enim iurare ſolent per maiorem ſe, vt finem controuerſiis imponant: Deus autem, vt nobis ampliùs oſtenderet immobilitatem conſilij ſui, certæ promiſſioni firmum addidit iuramentum, vt per duas immobiles pollicitationes, quas reuocare nullo modo poteſt, validiſſimum ſolatium habeamus, nos qui confugimus ad apprehendendam ſpem in Euangelio propoſitam, quam veluti anchoram animæ tutam, ac firmam tenemus, peruadentem non profundum maris; ſed altiſſimum cœlum, ſignificatum per Sancta Sanctorum, & interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiuit IESVS ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum.

f Gen. c. 22. v. 16.

Septimo capite oſtendit ſeptem rationibus ſub typo Melchiſedech Chriſti ſacerdotium eſſe Aaronico præſtantius, dicens[g]:

g cap. 7. v. 1. &c.

Hic enim Melchiſedech, cùm eſſet Rex Salem, quæ poſtea Ieruſalem dicta eſt, eſſétque Sacerdos Dei altiſſimi, obuiam Abrahæ venit regreſſo a cæde Regum quinque, & benedixit ei, cui Abraham decimas omnium ſpoliorum diuiſit. Interpretatur autē Melchiſedech primum Rex iuſtitiæ: deinde Rex erat Salem, quod eſt Rex pacis, cuius nec pater, nec mater, nec genealogia, neque initium, neque finis vitæ recenſetur, manens Sacerdos in perpetuum: aſſimilatus in his Filio Dei, ſine patre in terris, ſine matre in cœlis, ſine initio, & fine durationis, pro nobis offerens panis ac vini Sacrificium euchariſticum, de quo propterea Dauidis voce Deus Pater in Pſalmo dixit[h]: Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Conſiderate igitur, quantus ſit hic typus ſacerdotij Chriſti Melchiſedech, cui Abraham tantus Patriarcha decimas è ſpoliis Regum obtulit. Et quidem illi, qui de filiis Leui ſacerdotium acceperunt, nempe, Aaron, & poſteri eius, mandatum habent decimas ſecundùm legem à populo exigendi, id eſt, à fratribus ſuis, licèt tam Aaronici Sacerdotes, quàm ſoluentes eis decimas, ſint Abrahæ poſteri ac nepotes. At verò Melchiſedech, cuius non enumeratur generatio, decimas ſumpſit ab Abrahamo, & tanto Patriarchæ, cui Deus benedixerat, & tam multa bona promiſerat, benedixit. Sine vlla verò controuerſia minor à maiori, & non è contra, debet benedici. Deinde in Aaronico ſacerdotio decimæ ſoluuntur morituris: at verò Melchiſedech, qui typus eſt Chriſti, teſtimonio Scripturæ quaſi ſemper viuens inducitur: accepitque, vt ita dicā, non ſolū ab Abrahamo; ſed etiam à Leui, ab Aarone, & à poſteris eius deci-

h Pſal. 109. v. 4.

mas erat enim Leui, Aarō, & poſteri eius omnes ab Abrahamo per carnalē generationē naſcituri, quodāmodo in illo contenti, cùm Melchiſedech aduenienti ſe ſubmiſit, decimas illi obtulit, & ab eo benedictionem accepit. Si ergo Leuiticum ſacerdotiū Aaronis vim habebat iuſtificādi homines, & ſaluandi, ſub quo etiā legem, duce Moyſe, populus accepit, quid opus fuit ſecūdùm ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundùm ordinem Aaronis? Sed, nimirum, mutari ſacerdotium debuit: mutato autem ſacerdotio, etiam immutanda fuit Moſaïca lex illi ſacerdotio proportione reſpondens. Eſt autem manifeſtum, Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, quem diximus Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, non ex tribu Leui ortum eſſe, ſed ex tribu Iuda, de qua nullus ante ipſum altari præſtò fuit, nec Moyſes inſtituens iuſſu Dei Leuiticum ſacerdotium locutus eſt quidquam de tribu Iuda. Idem ex eo confirmatur, quòd iuxta typum ſacerdotij Melchiſedech exurgens Sacerdos, non debuit eſſe obſeruator Moſaïcæ legis interituræ; ſed iuxta virtutem vitæ indeficientis: teſtante Scriptura [i] Quoniam tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Non debet autem vlli mirum

i Pſ. 109. v. 4.

videri, abrogatam eſſe cum ſacerdotio veterem legem: erat enim ad ſaluandum inualida, nec ipſa perduxit quenquam ad perfectionem: adeò inducta eſt alia lex ſpei longe melioris, per quam Deo appropinquamus. Eatenus quoque præſtantius eſt Aaronico ſacerdotium Chriſti, quatenus in Melchiſedech figuratum, non ſine diuino iureiurando eſt repromiſſum. Iurauit enim Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Et alij quidem plures facti ſunt Sacerdotes, idcircò quia morte prohibebātur permanere: Chriſtus autem, eò quòd maneat in æternū, ſacerdotiū habet, quod in alium ampliùs non transfertur. Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt omnes per ipſum, & eius gratiam ad Deum Patrem accedentes: & ſemper viuit paratus ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat, vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, incontaminatus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis cōſtitutus: qui non habet neceſſitatem quotidie, ſicut alij, præſertim Leuitici generis Sacerdotes, priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi. Semel enim Chriſtus in cruce ſeipſum offerendo omnium peccata expiauit: Aaronici enim Sacerdotes in lege Moſaïca ſerui, miſeri, mortales, ſine iureiurando: Chriſtus Dominus cum diuino iureiurando, immortalis, filius æterni Patris, gratia, & gloria conſummatus, noſter Pontifex conſtituitur.

Capite octauo vrget eminentiam ſacerdotij Chriſti, atque inde abrogationem veteris legis euincit, dicens [k]: Sed, vt ea, quę hactenus dicta ſunt, ad ſummam redigamus: talem, ac tantum habemus Pontificem, vt ſupra omnes excellentiſſimus ſedeat in dexteri maieſtatis æterni Dei Patris in cœlis: miniſter non veteris ſanctuarij a Moyſe quondam fabricati; ſed Sancti Sanctorum à Deo in cœlis firmati tabernaculi ſempiterni. Omnis autem Pontifex ad offerendum munera, & ſacrificia conſtituitur, ideò non ceſſat ſupremus hic Sacerdos noſter Chriſtus offerre in cœlo ſacrificia, quæ quotidie toto orbe terrarum in perſona ipſius ſub panis, & vini ſpecie conſecrantur. Quare, ſi eſſet tale Chriſti ſacerdotium, quale fuit Leuitarum ſuper terram,

k cap. 8. v. 1. &c.

nihil

nihil opus fuiſſet eum eſſe Pontificem, aut vllo modo Sacerdotem, tot aliis illius ordinis exiſtentibus, & ſacrificia animalium ritu Moſaïco offerentibus, qui latriæ cultum exhiberent illi terreſtri tabernaculo tanquã imperfecto exemplari, & vmbræ rerum cœleſtium: ſicut diuino oraculo Moyſi dictum fuit, cùm conſummaturus eſſet tabernaculum [l]: Vide, ô Moyſes, omnia facias ſecũdùm exemplar, quod tibi in monte Sina monſtratum eſt. Nunc autem Sacerdos noſter Chriſtus tantò melius ſortitus eſt miniſterium, quantò melioris Teſtamenti mediator exiſtit, tantóque melioribus promiſſionibus, nempe, cœleſtibus, & æternis, non temporalibus, & terrenis ſancitum eſt. Nam, ſi vetus illa lex, & teſtamentum in nullo defeciſſet, non fuiſſet vtique noua lex euãgelica, nouúmque Teſtamentum eius loco ſubſtituendum. Quare incuſans Deus ea de re Iudæos, ſic ait per Ieremiam [m]: Ecce dies veniũt, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum: non ſecundùm teſtamentum, quod feci patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægypti, quoniam ipſi pacto meo non ſteterunt, & ego neglexi eos. Hoc autem eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſraël poſt dies illos, dando leges meas in mentes eorum, & in corde eorum deſcribam eas: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, & non docebit vltrà nimis laborioſè quiſquam proximum ſuum: quoniam omnes facilè percipere doctrinam meam poterunt, à puero vſque ad ſenem. Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non recordabor. Dicendo autem Teſtamentum nouum, antiquauit primum, & quod antiquatur, ac ſeneſcit, prope interitum eſt.

l Exodi c. 25. v. 40.

m Ierem. c. 31. v. 31.

Capite nono, cum ex Pontifice, ſacerdotio, & Teſtamento veteri oſtendiſſet veterem legem nouæ cedere debuiſſe, idem nunc ex fabrica tabernaculi confirmat, quod typus erat, & figura Chriſti, dicens [n]:

n cap. 9. v. 1 &c.

Et quidem priùs illud Teſtamentum habuit ritus ſuos, & mandata ad ſanctè Deum colendum, & fabricatum pro tempore tabernaculum. In prima verò tabernaculi parte erat ſepticeps candelabrum, & panes duodecim in menſa propoſiti, quæ pars, ſancta nominatur. Altera verò interior tabernaculi pars, poſt ſecundum velum vocabatur Sancta Sanctorum, habens ante ſe, inſtar magni thuribuli, altare concauum thymiamatis; intra ſe verò Arcam Teſtamenti circuntectam ex omni parte auro, iuxta quam ſeruabatur vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & duæ tabulæ legis: ſupra Arcam erant Cherubim glorioſi, obumbrantes propitiatorium, de quibus non eſt modò nobis per ſingula differendum. His ita ſe habentibus, in priori parte tabernaculi quotidie intrabant Sacerdotes miniſteria ſua perficientes; in altera verò interiori, Sancta Sanctorum appellata, ſemel in anno ſolus Pontifex ingrediebatur, non ſine ſanguine, quem offerebat pro ſe, & delictis populi. Voluit autem per id ſignificare Spiritus ſanctus, nondum aditum ad cœlum eſſe patefactum. Erat autem typica hæc repræſentatio eorum, quæ toto tempore legis veteris eueniebant: in quo donaria, & hoſtiæ offerebantur, quæ conſcientiam expiare non poterant; ſed tantùm emundare ab externa corporis immunditia, & à legalibus irregularitatibus, quibus arcebantur

tunc

tunc delinquentes à communi conuictu, per iuſtitias quaſdam carnales vſque ad tempus aduentus Chriſti, quo lex illa erat abroganda. Chriſtus autem exiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius Eccleſiæ militantis tabernaculum, non humano artificio fabricatum, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum; ſed per proprium Sanguinem introiuit ſemel in Sancta cœlorum: ſi enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus ſuper eos, qui inquinati erant, à legalibus maculis emundabat; quantò magis Sanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſeipſum obtulit immaculatum Deo, mundabit conſcientias noſtras à culpis mortiferis, vt Deo viuenti gratia ipſius digni ſeruiamus. Et ideò noui Teſtamenti mediator effectus eſt, vt morte intercedente in redemptionem omnium præuaricationum, etiam earum, quæ fuerunt ſub priori Teſtamento, promiſſionem acciperent omnes vocati ad æternam hæreditatem. Vbi enim teſtamentum eſt, mors ſequi debet teſtatoris: teſtantis enim morte confirmatum debet eſſe teſtamentum; alioquin, dum viuit teſtator, qui ſemper illud poteſt mutare, non valet. Quapropter etiam vetus Teſtamentum cruore victimarum ſignificantium futuram Chriſti mortem ſanciebatur. Lecto enim à Moyſe omni mandato legis populo vniuerſo, accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyſſopo, ipſum quoque librum, & omnem populũ aſperſit, dicens: Hic eſt ſanguis Teſtamenti à Deo mandati. Præterea, tabernaculum, & omnia vaſa miniſterij ſimiliter aſperſit, & omnia penè in ſanguine ſecundùm legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione remiſſio illa legalis non concedebatur. Neceſſe igitur fuit, ea, quæ typus erant cœleſtis inſtituti Eccleſiæ ſub Chriſto militantis, ita mundarentur: ipſa verò Eccleſia ſanctioribus Sacramentis, & hoſtiis ſanguinis & corporis Redemptoris ſanctificaretur. Non enim in manufactum, ac typicũ ſanctuarium ingreſſus eſt Dominus IESVS, ſed in ipſum cœlum, vt coram Deo Patre pro nobis interceſſor aſſiſtat. Neque opus habet ſæpiùs offerre pro nobis ſemetipſum, vt Pontifex Aaronicus intrans per ſingulos annos Sancta Sãctorum cum ſanguine alieno. Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem ſemel in vltima ætate mũdi peracto ſuimet ſacrificio, ſuum offerens Deo Patri Sanguinem, in cœlis apparuit, ad abolendum omne peccatum. Vt, quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, & poſteà omnes ad extremum vocandi ſunt Iudicium; ita Chriſtus ſemel obtulit ſe morti ad multorum exhaurienda peccata, & iterum ad Iudicium eſt venturus, non vt moriatur denuò pro peccatis; ſed vt ſaluet electos ſuos, & damnet mortuos in peccatis.

Capite decimo Chriſti ſacrificium veteribus ſacrificiis comparando Iudeos ad fidem, ſpem, & conſtantiam in Chriſtianæ vitæ inſtituto adhortatur, dicens [n]: *n cap. 10. v. 1. &c.*

Vmbram enim referens lex vetus futurorum bonorum, non verò vltimam eorum cõferens perfectionem, per ſingulos annos eiſdẽ ipſis hoſtiis, quæ indeſinenter offeruntur, non valet expiatos per omnia reddere offerentes: alioquin ceſſarent toties offerri, ſi expiare peccata, ſicut Crux Chriſti, potuiſſent: cùm tamen ob id ſingulis annis ſupra eadẽ præterita peccata repetantur. Non enim valet ſanguis taurorum, aut hircorum ad peccata propriè remittenda: & ideò ingrediens

grediens Dominus IESVS per myſterium ſuæ incarnationis hunc mundum, dixit Deo Patri [o]: Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Holocauſtomata pro peccato tibi non placuerunt. Tunc offerendo me Sacrificio Crucis, dixi: Ecce venio. Hæc enim ſumma eſt totius ſacræ Scripturæ; meus, videlicet, ad mundi redemptionem aduentus, paſſio, & mors. Venio igitur, vt adimpleam voluntatem tuam. Et cùm anteà dixerit, hoſtias, & oblationes, & holocauſtomata pro peccato non placuiſſe, addens poſteà: Ecce venio, vt faciam voluntatẽ tuam. ſatis oſtẽdit, vetus ſacerdotium, & priora ſacrificia ceſſiſſe ſacerdotio, & ſacrificio Chriſti: in cuius adeò prompta voluntate per oblationẽ eius in vnicum Sacrificium Crucis, gratiam ſanctificationis accepimus. Et omnis quidem Moſaïcæ legis Sacerdos adſtare quotidie debebat miniſterio ſacrificij, eaſdem hoſtias ſæpiùs offerendo, quæ nunquam poterant expiare peccata: hic autem vnam ſemel pro peccatis hoſtiam ſuimet offerendo, in ſempiternum quieſcit, ſedens in dextera Dei, de cætero expectans, donec in extremo vniuerſali Iudicio ſubiiciat ſibi tanquam pro ſcabello pedum omnes inimicos ſuos. Vnica enim ſui in Cruce oblatione pretium noſtræ redemptionis & ſanctificationis perſoluit integrum, & conſummatum. Teſtimonium huius rei nobis exhibet Spiritus ſanctus: poſtquàm enim dixit per Ieremiam [p]: Hoc autem teſtamentum, quod teſtabor illis, dando legem meam in cordibus eorum. addit: Et peccatorum eorum non recordabor ampliùs. Vbi autem remiſſio facta eſt peccatorum, nõ requiritur alia oblatio pro peccatis. Habentes itaque, Fratres, fiduciam intrãdi aliquando Sancta Sanctorum per Sanguinem magni Sacerdotis Chriſti IESV, via noua, quam ipſe nobis aperuit ad vitam ſempiternam, ſciſſo flagellis, clauis, & lancea ſacro velamine carnis ſuæ; accedamus ſyncero corde, plena fide, conſcientia munda, innocentia, ſi poſſimus, baptiſmali, profeſſionem ſpei noſtræ inconcuſſam teneamus: fidelis enim eſt, & non fallit, qui ea, quæ ſperamus, nobis bona repromiſit. Conſideret vnuſquiſque alterius exempla virtutis, vt inuicem ad charitatem, & ad omnia bona opera prouocemini: ſitis in ſacris cœtibus aſſidui; non autem Eccleſiæ deſertores, vt ſolent quidam transfugæ: ſed mutuò adhortamini, & eò magis, quò propinquius eſt tempus excidij; ſiue vrbis Ieroſolymitanæ, quod imminet; ſiue etiam, vt aliqui verẽtur, orbis vniuerſi. Qui enim ab agnita ſemel euãgelicæ profeſſionis veritate ſponte ad Iudaïſmum deſciſcunt, nullam ſibi pro tanto peccato hoſtiam expiatricẽ relinquunt: ſed expectare debent horrendum Iudicium Dei, & zelũ ignis impios deuorantis. Si enim, qui Moſaïcam legem tranſgreſſus eſt. duobus, aut tribus teſtibus conuictus, ſine vlla miſeratione traditur neci: quantò grauius ſupplicium putatis illum eſſe luiturum, qui Filium Dei conculcauerit, & Sanguinem Teſtamẽti, quo fuerat ſanctificatus, contumelia affecerit? Scimus enim, quis dixerit [q]: Mihi vindictam, & ego retribuam. & iudicabit Dominus populum ſuum. Horrendum eſt enim incidere in manus Dei viuentis. Reuocate vobis potiùs in memoriam priſtinos dies, in quibus Chriſti Baptiſmo ſuſcepto, magnum certamen ſuſtinuiſtis; partim ob egeſtatem, partim ob contumelias, & opprobria, partim compatiendo fratribus veſtris, dum ſimilia paterentur. Nam de meis, aliorũmque vinculis,

[o] *Pſ. 39. v. 7. 8.*

[p] *Ierem. c. 31. v. 31. 34.*

[q] *Deut. c. 32. v. 35.*

vinculis, & afflictionibus ex abundantia charitatis indoluiſtis, & ex eadem charitate rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio propter Chriſti nomen ſuſtinuiſtis, conſiderantes in cœlis eſſe veſtram hæreditatem, & multò meliorem, minimèque trãſituram poſſeſſionem. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, cui multa parata eſt merces: patientia enim vobis neceſſaria eſt, vt Dei voluntatem adimplentes, promiſſa in cœlis bona obtineatis. Tempus enim ſupereſt breuiſſimum vſque ad ſupremi Iudicis aduentum. Iuſtus interim fide, & ſpe in Deum vitam ſuam ſpiritualem traducit, à qua ſi deficeret, à Dei beneuolentia excideret. Nemo igitur noſtrûm ſe ſubtrahat in perditionem; ſed in fide atque obedientia pro tantorum bonorum conſecutione perducet.

Caput vndecimum continet fidei, & ſpei noſtræ commendationem per exempla multa Sanctorum [r].

[r] cap. 11. v. 1. &c.

Eſt autem fides, rerum ſperandarum baſis, & ſubſiſtentia; argumentum non apparentium. Propter hanc publico Dei & hominum teſtimonio commendati ſunt priſci maiores noſtri. Fide nouimus, quod tot Philoſophi agnoſcere nequiuerunt, mundum, & omnia, quæ ab initio ſæculorum exiſtunt, condita eſſe verbo iubentis Dei, & ex informi chao apparuiſſe formata omnia, & digeſta. Fide Abel plures, & præſtantiores hoſtias obtulit Deo, quàm Cain [s]: vnde reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius, & huc vſque omnium ore celebratur. Fide Henoch tranſlatus eſt, ne mortem obiret, & non inueniebatur, quia tranſtulit illum Deus, accepto priùs ab eo teſtimonio, quòd illi placeret. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo: nam, vt ad amicitiã Dei homo diſponatur, credere debet Deũ eſſe, & iis, qui ipſum quęrunt, præmia retributurum. Fide Noë oraculo diuino admonitus de futuro Orbis diluuio, reueritus Deum, ædificauit arcam in ſalutem domus ſuæ, redarguens eo facto aliorum, qui merſi sũt, incredulitatem & peccata, hæredem ſe demonſtrans auitæ piorum parentum fidei, & ſanctitatis. Fide Abrahã, cùm à Deo vocaretur, obediuit, vt iret in terram Chanaan, quam erat accepturus hęreditatem, neſciẽs quò iret. Fide fuit aduena terræ promiſſionis, tanquam in aliena regione in caſulis habitans cum Iſaac, & Iacob, cohęredibus eiuſdem promiſſionis. Reſpiciebat enim ciuitatem æternis constructam fundamentis, cuius artifex, & conditor eſt Deus. Fide Sara, cùm eſſet ſterilis, & per ætatem virtute generandi iam deſtituta; credidit tamen Deo filium ei promittenti: ex quo propterea propagata eſt filiorum multitudo inſtar ſyderũ cœli, & arenæ, quæ eſt in littore maris innumerabilis. Hanc fidẽ retinentes hi omnes defuncti ſunt, nondum obtẽta ſuperna patria promiſſa, ſed à lõgè eam per fidem aſpicientes, & ſalutantes, atque adeò profitentes ſe peregrinos, & hoſpites ſuper terram. Ideò reuerti ad terram, vnde exierant, etiamſi potuiſſent, quandiu vixerunt, minimè curarunt: ad meliorem enim, id eſt, cœleſtem aſpirabant. Quam cùm illis paraſſet Deus, vocare ſe illorũ Deum non eſt dedignatus. Fide permotus eſt Abraham, vt vellet filium ſuum Iſaac offerre in ſacrificium, cùm à Deo tẽtaretur, à quo tamen reſponſum acceperat, quòd ex Iſaac, non ex Iſmaele eius eſſet propaganda poſteritas: ratus, Deum poſſe illum etiam à mortuis excitare. Quare in exemplum factus eſt fidei, & obedientiæ planè admirabilis. Fide Iacob moriens ſingulos filiorum Ioſeph benedixit,

[s] Gen. c. 4. v. 4.

benedixit, & adorauit faſtigium virgæ eius. Fide Ioſeph, cùm moreretur, de exitu filiorum Iſraël meminit, & de oſſibus ſuis, vt in terram Chanaan reportarentur, præcepit. Fide parentes Moyſis occultauerunt eum menſibus tribus, eò quòd vidiſſent infantem ſupra decorem naturalem ſpecioſum, nihil veriti præceptum Pharaonis. Fide Moyſes iam vir factus renuit vocari filius filiæ Pharaonis, malens affligi cum populo Dei, quàm breui tempore deliciari in peccatis, maiores diuitias exiſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: reſpiciebat enim æternæ mercedis retributionem. Fide exiit ab Ægypto, nihil timens Regis minas, atque terrores: Deum enim per fidem ita ſibi præſentem fecerat, ac ſi coram ſe illum ſemper videret oculis ſuis. Fide celebrauit Paſcha, & ſanguinis aſperſionem, ne Angelus vaſtator primogenitorum Ægypti eos tangeret. Fide tranſierunt mare rubrum, tanquam per aridam terram, quos inſecuti Ægyptij, recurrentibus vndis omnes ſubmerſi ſunt. Fide muri Iericho dierum ſeptem circuitu corruerunt. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, pacificè excipiens exploratores. Et quid vltrà commemorem? Dies enim me deficiet enarrantem de Gedeone, Barac, Samſon, Iephte, Dauid, Samuël, & Prophetis, qui per fidem regna deuicerunt, operati ſunt fortia, & iuſta, promiſſam terram obtinuerunt: alij, vt Daniel, ora leonum fame rabida obturauerunt; vel etiam, vt Samſon, diſcerpſerunt: alij impetum ignis in fornace Babylonica extinxerunt, aciem gladij mortem intentantis euaſerunt, conualuerunt ex deſperatis infirmitatibus, exterorum caſtra euerterunt, filios à mortuis excitatos matribus ſuis reddiderunt: alij crudeliter excruciati redimi non curarunt, propter ſpem futuræ à mortuis reſurrectionis: alij ludibria, & flagella, vincula & carceres ſuſtinuerunt, lapidati, ſecti, variis cruciatibus tentati, gladio interfecti: circumierunt pauperes induti pellibus ouinis, & caprinis, rebus neceſſariis deſtituti, anguſtiati, afflicti, homines propter admirabilem ſanctitatem tãtæ dignitatis, vt eos mundus habere non mereretur. Et hi omnes teſtimonio præſtantiſſimæ fidei commendati certam bonorum cœleſtium promiſſionem ante Chriſtum impletam obtinere non potuerunt, Deo pro nobis ita diſponente, vt non ſine nobis in cœleſti patria coronarentur.

Capite duodecimo allatis tot exemplis Sanctorum concludit oportere Iudæos in fide Chriſti maximè eſſe conſtantes, dicens[s]: *s cap. 12. v. 1. & ſeq.*

Quapropter etiam nos tantam habentes exemplorum, ac teſtium multitudinem, qua vndique veluti nube circundamur, excutiamus omnia impedimenta, declinemus obſtacula, ſtadium Chriſtianæ fidei propoſitum conſtanti animo decurramus, aſpicientes exemplorum omnium prototypum, Chriſtum IESVM, fidei noſtræ auctorem, & perfectorem, qui propoſito ſibi ex opere noſtrę redemptionis lętiſſimo fructu ſecuturo, crucem pertulit, opprobria deſpexit, & nunc ad dexteram throni Dei ſedet. Hunc igitur contemplamini, qui talia, ac tanta ſuſtinuit ab improbis peccatoribus ſibi crudeliſſime obſiſtentibus: ne animo fatigati deficientes, in medio curſu deſiſtatis. Nondum enim in certamine contra peccatum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis: imò videmini obliti primæ illius inſtitutionis, qua vobis Dominus

tanquam filiis locutus eſt per Salomonem, dicens [t]: Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus, caſtigat; & flagellat, quos per gratiam in filios adoptauit. In diſciplina igitur perſeuerate, per quam vobis ſe patrem exhibet Deus. Quis enim filius, quem non corripiat pater? Quòd ſi expertes huiuſmodi correctionis inueniamini, cuius participes facti ſunt omnes filij genuini: ergo non eſtis veri filij, ſed adulterini. Deinde, ſi patres mortales, à quibus corpus tantùm, & carnem obtinuimus, eruditores, & caſtigatores reuerebamur; quantò magis Patri ſpirituum, & animarum, vt in eius gratia viuamus, obtemperare debemus? E. illi quidem ad modicum tempus vitæ præſentis iuxta voluntatem ſuam erudiebant nos: Deus autem, vt gratia ſua ſanctificatos diſponat, ac præparet in vitam æternam. Omnis autem vitæ præſentis diſciplina mœroris videtur eſſe, nō gaudij; ſed exercitatione diuturna fructus proferet iucundiſſimos pacatæ conſcientiæ, & perfectæ in omni virtute iuſtitiæ. Quapropter remiſſas manus in operibus ſanctis, & ſoluta in itinere perfectionis genua roborate: & greſſus rectos facite pedibus veſtris, ne quis claudicando corruat in apoſtaſiam; ſed priſtinæ virtuti, & Chriſtianæ conſtantiæ reſtituatur. Pacem cum omnibus perſequimini, ſed cum ſanctitate, & conſcientiæ puritate, ſine qua nemo Deum videbit. Diligenter attendentes, ne quis à gratia Dei, culpa ſua deſtituatur; ne qua radix inter vos pullulet amaritudinis, & propter illam ſcandalizentur multi. Ne quis appareat fornicator, aut profanus, vt Eſaü, qui propter vilem eſcam ius vendidit primogenituræ: ſcitis enim, cum poſteà reiectum fuiſſe, quamuis ſtuduiſſet recuperare benedictionem. Non enim inuenit apud parentem retractationi locum, etiamſi cum lacrymis illum requiſiuiſſet. Neque verò acceſſiſtis ad corporeum montem Sina, ad ignem ibi ardentem, ad turbinem & caliginem, fulgura, & tonitrua, tubæque clangentis ſonum, & terrificas voces, quas qui tunc audiebant, ſupplicabant, ne ſic illis loqueretur Deus: non enim ferre poterant, quæ tanto terrore denunciabantur. Vbi ſi montem beſtia tetigiſſet, lapidabatur. Adeò apparebat formidabile tunc, quod ibi gerebatur. Quare Moyſes ipſe de ſe dixit: Exterritus ego quoque ſum, & tremebundus. Sed vos acceſſiſtis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem cœleſtem, ad ſupernum cœtum multorum millium Angelorum, ad tot Eccleſiæ primitiuæ Martyres, Virgines, Confeſſores, qui veluti primogeniti Sanctorū, in lege gratiæ cōſcripti, multi etiam iam adſciti ſunt in cœlis, ad Iudicem omnium Deum, ad iuſtorū, & perfectorū veteris Teſtamēti animas beatiſſimas, & ad noui Teſtamenti mediatorem Iesvm, ſuo nos Sanguine emundantē; nō vindictā, ſicut ſanguis Abel, ſed miſericordiā poſtulantē, & nos ad remiſſionē peccatorū vocantē. Cauete igitur, ne vocantē deſpiciatis: ſi enim Iudæi, loquentē Moyſem ſuper terrā audire cùm recuſaſſent, ira Dei nō effugerūt; multò minùs nos, ſi loquentē è cœlo Chriſtū Iesvm, Deum, & hominem auerſemur, cuius diuina vox montē Sina olim cōmouit, ac tremefecit; nunc autem ita per Prophetam pollicetur [u]: Adhuc ſemel ego commouebo cœlum & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus. Quod autem dixit: Adhuc ſemel commouebo. deſignat verus Teſtamentum,

t *Prou.c. 3.v.11.*

u *Agg.c. 2.v.7.*

Teſtamẽtum, ac tabernaculum cum ſuis vaſis ac cæremoniis mobile trãsferendum fore, ideò data fuit lex illa cum terræmotu: nouam autem legem indicat fore immobiliter permanſuram. Vnde nos, qui adepti ſumus regnum immobile, gratiam obtinemus, per quam Deo placentes cum metu & reuerentia ei ſeruiamus: etenim Deus noſter ignis deuorans eſt.

Capite tandem decimotertio, & poſtremo, Hebræos ad fraternam charitatem, omnéſque virtutes ſic adhortatur [y].

y cap. 13. v. 1. &c.

Charitas fraterna perſeueret in vobis. Nolite hoſpitalitatis obliuiſci: per hanc enim aliqui, cùm minùs putabant, Angelos hoſpitio recipere meruerunt. Mementote vinctorum, ac ſi vos ipſi vincti cum illis teneremini: & ſimiliter afflictorum, tanquam vos quoque mortali corpore prægrauati, eiſdémque calamitatibus ſubiecti. Iura honeſti connubij ſeruentur apud omnes inuiolata: adulterantium enim, & fornicantiũ vindex eſt Deus. Sint mores ſine affectu opum augendarum, contenti eorum, quæ habetis: Dei enim illa vox eſt [z]: Nõ te deſeram, neque derelinquam. Confidenter itaque cum Dauide dicamus [a]: Dominus mihi adiutor: nõ timebo, quid faciat mihi homo. Mementote ſanctorum Antiſtitum veſtrorum, qui vobis cœleſtem doctrinam tradiderunt, quorum finem honeſtiſſimum recogitantes, imitemini fidem. IESVS Chriſtus, qui ante aliquod tempus cum illis in terris vixit, viuit etiam nobis glorioſus in cœlis, viuet ac regnabit in æternum. Doctrinis variis, ac peregrinis ne vos ſinatis abduci: cui malo remedium erit, cor ſuum gratia roborare, non eſcis ſacrificiorum, & ciborum delectu, ex quibus obſeruatores in lege Moſaïca ſanctificari minimè potuerunt. Habemus nos Chriſtiani Altaris ac guſtiſſimum Sacramentum, & Sacrificium, de quo non Leuitæ, & veteres Iudæi; ſed noui Teſtamenti Sacerdotes, & alij omnes Chriſti fideles edendi habẽt facultatem. Hinc fiebat, vt non poſſent Leuitæ edere de victimis, quarum ſanguis ſymbolum noſtri Sacramenti inferebatur pro peccato à Pontifice in Sancta Sanctorum, & corpora talium victimarum extra caſtra cremabantur. Vnde & IESVS, vt ſanctificaret per ſuum Sanguinem populum, extra portam Ieruſalẽ paſſus eſt. Exeamus igitur nos ad eum extra caſtra, improperiũ ipſius ſubeuntes. Non enim habemus hic ciuitatem permanentẽ, ſed futuram inquirimus. Per hunc ergo mediatorẽ noſtrum, magnúmque Pontificẽ hoſtias immortalium gratiarum, & omnium laudum ſemper Deo, nomini eius ſanctiſſimo benedicentes, offeramus. Beneficentiæ, & communicationis nolite vnquam obliuiſci: talium enim quaſi hoſtiarum promerito placamus nobis & reconciliamus Deum. Obedite Præpoſitis veſtris: ipſi enim tenentur inuigilare, tanquam rationem Deo pro animabus veſtris reddituri, vt cum animi lætitia id faciant, & non ſub onere gementes: hoc enim non paruum eſt etiam veſtrum incommodũ, ac detrimentum. Orate pro nobis: confidimus enim in conſcientia, quidquid aliqui obloquantur, bonam nos gerere in omnibus, quæ agimus, & docemus, voluntatem. Ampliùs idipſum, deprecor, pro me faciatis, vt celeriùs, ſi Deo placuerit, reſtituar vobis. Deus autem auctor, & amator pacis, qui à mortuis excitauit Paſtorem magnum ouium pretioſo eius Sanguine Teſtamẽti æterni redemptarũ, Dominum noſtrum

z Ioſue c. 1. v. 5.

a Pſ. 117. v. 6.

IESVM Chriſtum, adaptet vos omnes, atque perficiat in omni opere bono, vt impleatis eius voluntatem, & fiat in vobis, quod placet coram ipſo per IESVM Chriſtum, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Rogo, fratres, bono animo accipiatis meam hanc ad veſtrum ſolatium adhortationem, ſi materiam, de qua egi, & meum erga vos affectum ſpectetis, non longam, ſed potiùs breuem. Scirote fratrem noſtrũ Timotheum iam eſſe dimiſſum, cum quo, ſi celeriùs ad me venerit, videbo vos. Salutate omnes Præpoſitos veſtros, & omnes Sanctos. Salutant vos ex Italia Fratres. Gratia Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

CAPVT VI.

Explicantur tredecim difficultates circa tredecim capita Epiſtolæ ad Hebræos.

QVia hoc tempore ſcriptam hãc Epiſtolam, & eius Auctorem nonniſi Paulũ fuiſſe, vbi anteà oſtenderemus, quædam in contrariũ obiecta ab iis, qui eam in dubium reuocant, prætermiſimus; hîc erunt opportunè per ſingula capita explicanda, necnon peruerſæ quædam Hæreticorũ expoſitiones, quàm vanæ ſint, oſtendendum. Primùm itaque circa primũ Epiſtolæ caput arguũt aliqui, nõ videri Pauli hanc Epiſtolam, propterea quòd omnes aliæ tredecim Epiſtolæ ipſius, ſtatim initio nomen eius præ ſe ferunt: hæc autem, nec in principio, nec in toto progreſſu vllã habet Pauli Apoſtoli mẽtionẽ. Deinde, quia circa mediũ caput [a] ad probãdam Chriſti Diuinitatẽ vtitur illo veteris Scripturæ teſtimonio [b]: *Ego ero illi in patrẽ, & ipſe erit mihi in filiũ.* quod conſtat eſſe dictũ Dauidi à Deo de filio eius Salomone, qui peccator fuit. Vnde ſubdit Deus: *Qui ſi iniquè aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum.* Ergo non videtur veriſimile, Paulum eſſe, qui ſic argumentatur pro Chriſti Diuinitate. Denique in fine capitis de Angelis vniuerſaliter ita loquitur [c]: *Nonne omnes ſunt administratorij Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatẽ capiunt ſalutis?* At S. Dionyſius Areopagita Pauli Apoſtoli diſcipulus, à quo doctrinam ſuam maximè de Angelis ſe didiciſſe profitetur, in libro de cœleſti hierarchia [d] negat Angelos, qui ſunt ex quatuor ordinibus ſuperioribus mitti ad nos; ſed tantùm, qui ſunt ex quinque ordinibus inferioribus: quod etiam docet S. Gregorius [e], & defendit Angelicus Doctor S. Thomas [f]. Non eſt igitur hæc doctrina Paulo adſcribenda.

Sed primæ obiectioni reſpondendo cum S. Hieronymo [g], dicimus: Si propterea Pauli nõ eſt hæc Epiſtola, quia nomẽ illius præfixũ non habet; nullius erit, quia nullius nomẽ habet adſcriptum: cùm tamen, neque Epiſtola prima S. Ioannis illius habeat nomen; & tamen illius eſſe non dubitetur. Deinde, non deſunt plures rationes, cur Apoſtolus nomen ſuum huic Epiſtolæ nõ appoſuit. Prima eſt eiuſdem Hieronymi [h]; quia ſciebat Apoſtolus, nomen ſuum Hebræis eſſe aliquantulùm odioſum, quamuis ad fidem conuerſis, eò quòd ipſe præ cæteris legem veterẽ abrogatam eſſe contendebat. Altera ratio eſt Theodoreti [i]: quia Paulus nõ erat propriè Apoſtolus Iudæorum, ſed magis Gẽtiliũ; & ita ſe vocat in Epiſtola ad Galatas: vnde in fine huius ad Hebræos: *Rogo*, inquit, *vos, Fratres, vt ſuffferatis verbum ſolatij: etenim perpaucis ſcripſi vobis.* Ac ſi dixiſſet: Quamuis veſter vſque adeò Apoſtolus non ſim; hoc tamen qualecũque per literas officiũ

nolui

[a] Hebr. c. 1. v. 5.
[b] 2. Reg. c. 7. v. 14.
[c] Hebr. c. 1. v. ult.
[d] Dion. de cœleſti hier. c. 8. & 13.
[e] S. Greg. hom. 34. in Euãg.
[f] S. Th. 1. p. q. 112. a. 2. & 4.
[g] S. Hieron. præf. in Epiſt. Pauli.
[h] S. Hieron. ibid. & in lib. de Script. eccleſ. in Paulo.
[i] Theodor. præfat. in Ep. ad Hebr.

nolui prętermittere,ad veſtram conſolationẽ. Tertia ratio eſt Clementis
k apud Euſeb. lib. 6. c.11. Alexandrini [k],qui etiam indicat duas ſuperiores,ex modeſtia noluiſſe Paulũ ſe Apoſtolũ nominare Iudæis;tum vt hunc titulum Chriſto relinqueret,
l Hebr. c.3.v.1. de quo ſic ſcribit capite tertio [l]. *Conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ* IESVM.tum S.Petro,
m Gal.c.2.v.8. de quo ſic ſcripſit ad Galatas [m]: *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circũciſionis,operatus eſt & mihi inter Gẽtes.* Addunt aliqui,non fuiſſe conſuetudinis apud Hebræos, nomina ſua Epiſtolis præfigere;quod tamẽ incertum eſt:potiùs addendũ;quia ſi Apoſtolus ſe Paulũ vocaſſet,nomine Romano & Gentili,Iudæis ingratũ fuiſſet, quaſi ex Saulo Paulus, ex Iudæo Gentiliseſſet factus:ſi verò nominaſſet ſe Saulũ, Gentilibus diſplicuiſſet, quaſi ad Iudaïſmũ rediiſſet ex Chriſtianiſmo. Satius igitur eſſe putauit omittere,tum Sauli, tum Pauli, tum Apoſtoli appellationem: nec tamen ad Epiſtolæ finem diſſimulauit quis eſſet, dicens, ſe cum Timotheo quàmprimùm adfuturum.

Secunda obiectio,in qua magnam vim poſuit Caietanus,nõ magni momenti eſt: in primis enim reſpõderi
n 2.Reg. c.7.v.14. eum multis poteſt,etiãſi verba illa [n]: *Ego ero illi in patrẽ,& ipſe erit mihi in filium.*ad literam accipiantur dicta de Salomone,quod videtur nõ poſſe negari,licet id aliqui negent;tamen etiã de Chriſto eſſe intelligenda: neque enim vnius Scripturæ ſacrę duos eſſe ſenſus literales inuſitatum eſt. Nec obſtant ſequentia illa verba de Salomone tãtùm intelligenda: *Qui ſi iniquè aliquid egerit, arguã eum.* nã, neque verba præcedentia poſſunt vice verſa intelligi de Salomone: *Stabiliã thronum eius vſque in ſempiternũ.* Sed tantùm de Chriſto, de quo Angelus Gabriel Beatiſſimæ Virgini prænunciauerat [o]:*Dabit illi Dominus Deus ſedẽ Dauid patris eius,& regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* o Luc. c.1.v.32.
Quare vnumquodque accipiendum eſt, vt conuenit vnicuique: ſicut ſæpè aliàs dicta de Dauide, & Salomone, quos in multis figuraſſe Meſſiam Iudæi nõ ignorabant. Secũdò reſpõderi poteſt, etiãſi verba illa: *Ego ero illi in patrẽ.*ſolùm de Salomone ad literã intelligantur,& de Chriſto tãtùm myſticè,& allegoricè quod aliquibus videtur eſſe probabilius; nihilominùs tamẽ negandũ eſt,inde nõ poſſe deſumi efficax argumentũ, quando conſtat ſenſum myſticũ eſſe etiã intẽtum à Spiritu ſancto,vt hoc loco, vbi non ſolum reuerà intentus eſt; ſed etiam magis quàm literalis. Myſteria enim Chriſti & Eccleſiæ myſticè ſignificata in geſtis Dauidis, & Salomonis, multò ſunt excellentiora, quàm quæ ad literam in ſacra Scriptura de Dauide, & Salomone referuntur: quod Hebræi, præſertim ad Chriſtum conuerſi, non ignorabant. Neque inuſitatũ Apoſtolo fuit, ex allegorico ſenſu interdum argumentari: nam etiã in prima Epiſtola
ad Corinthios [p], ex eo, quod legitur p 1.Cor. c.9.v.9.
in Deuteronomio: *Non alligabis os* Deut. c.25.v.4.
boui trituräti. probat alimoniam miniſtris Euangelij non denegandã: & reddit rationem argumẽtationis ſuæ dicens, hoc allegoricũ magis, quàm illud literale docere nos Spiritũ ſanctũ intẽdiſſe: *Nunquid enim(inquit)de bobus cura eſt Deo? an propter nos vtiq; hoc dicit?nam propter nos ſcripta ſunt.*

Quod ſpectat ad tertiã obiectionem,nihil eſt, cur Apoſtolum cũ ſuo diſcipulo Areopagita, quidquid aliqui velint,vlla ratione pugnare arbitremur: ſed vtriuſque ſententia cum aliquo tẽperamento admittenda eſt. q Hebr. c.1.v.
Dicit Apoſtolus de Angelis [q]:*Nonne omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus in*

miniſterium

miniſterium miſſi? At particula, *omnes*, non eſt accipienda æquè vniuerſaliter de miſſis, ac accipitur de miniſtrantibus; alioquin cùm miſſi dicantur de præſenti, ἀποστελλόμενα, exiſtimare deberemus, nullum à ſupremo ad infimum ita quieſcere in cœlis, quin ad nos ſæpè mittatur, quod nemo dicit. Voluit igitur Apoſtolus ſignificare, omnes quidem Angelos eſſe miniſtrantes, id eſt, ſubſeruientes Deo aliqua ratione; ſiue per actus illos, quos S. Dionyſius [r] appellat hierarchicos, illuminandi, perficiendi, mandata, & myſteria diuina occultiora proponendi, quod ſuperioribus conuenit reſpectu inferiorum; ſiue etiam vſque ad nos in terram deſcendendi, quod proprium eſt inferiorum: idque magis explicans S. Dionyſius, dixit pertinere ſic mitti ad quinque ordines inferiores; quatuor verò ſuperiores non mitti, de lege, videlicet, ordinaria: nam, quòd ex abſoluta Dei poteſtate mitti non repugnet, quis poterit dubitare? Vtrū autem in hac lege aliquando fuerit diſpenſatum, probabiliter pro vtraque parte diſputatur: ſed ad Apoſtoli quæſtionem id non pertinebat, qui tantùm voluit oſtendere, omnes Angelos eſſe Chriſto Domino inferiores, eò quòd omnes exhibere illi cultum, reuerentiam, & obſequium variis modis, atque ad nutum præſtò eſſe teneantur.

r Dionyſ. de cœleſti hier. c. 4.

Circa ſecundum Epiſtolæ caput arguunt non ſolùm Caluinus, & Beza; ſed etiam Caietanus, non poſſe eſſe auctorem huius Epiſtolæ Paulum, quia ſic ſcribit [s]: *Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ cùm initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portentis.* At Paulus teſtatur ad Galatas ſcribens, Euangelium ſuum non eſſe ab vllo hominū: *Neque enim* (inquit) *ab homine accepi illud, neque didici; ſed per reuelationem* IESV *Chriſti.* Aliquis igitur alius erit auctor huius Epiſtolæ, qui diſcipulus extiterit Apoſtolorum. Reſpondeo, potuit etiam hoc dicere S. Paulus in perſona, non ſua, ſed aliorum: ſic enim interdum expedit loqui ex modeſtia. Deinde non dixit ſe confirmatum, ſed ſalutem, id eſt, ſalutis prædicationem confirmatam: prætereà non dixit, eſſe confirmatam doctrina, quaſi idem per idem; ſed confirmatam ſignis, atque portentis, id eſt, variis miraculis. Quis autem dubitare poteſt Paulum auditis, & viſis aliorum Apoſtolorum miraculis, & quæ per ipſum Deus operabatur, tum ſe, tum doctrinam ſuā inde confirmaſſe? Certè conſtat, vt alia omittamus, illo miraculo Ananiæ, quo à cæcitate ipſe ſanatus eſt, confirmaſſe Actorum capite vigeſimoſecundo fidem euangelicam, audientibus omnibus Iudæis in publica concione.

s Hebr. c. 2 v. 3

Tertiò, circa tertium caput dubitatur [u], quomodo adaptetur Iudæis ad Chriſtum conuerſis, quod ibi ex Pſalmo adducitur [x]: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, &c. nam Dauid ea verba profert tanquam à Deo dicta antiquis Iudæis in deſerto: Paulus tamē quaſi à Chriſto eſſent dicta Hebræis ſui temporis: & quomodo tantam vim ponit in illo, *hodie*, quod toties hîc, & ſequenti capite inculcat, ac repetit; deinde ſubdit: *Quadraginta annis infenſus fui generationi huic.* At verò Eccleſia proponens ſingulis diebus pro Inuitatorio ad preces matutinas totum illum Pſalmum, legit: *Quadraginta annis proximus fui generationi huic.* quod videtur ſignificare planè contrarium. Pro reſponſione dicimus,

u Hebr. c. 3 v. 7.

x Pſ. 94. v. 8.

cimus, Apoſtolum ſatis oſtendiſſe duobus capitibus ſuperioribus, Chriſtum eſſe verum Dei Filium, Patri conſubſtantialem,& vnum,eundémque Deum cum Patre, ſicuti etiam cum Spiritu ſancto;ideò non tantùm Patri, & Filio; ſed etiam Spiritui ſancto ea verba tribuuntur, de quo ſic ait S. Paulus [y]: *Quapropter, ſicut dicit Spiritus ſanctus: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Sed magis attribuuntur Filio; tum,quia ipſe Verbum eſt Patris;tum propter aſſumptam naturam noſtrã, in qua propria ſua sẽſibili voce nobis tradidit doctrinam cœleſtem: vnde initio huius Epiſtolæ dicitur: *Olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* Hoc autem nouiſſimum tẽpus dierum iſtorum,id eſt,euangelicæ legis,probat Apoſtolus ſignificatum in illo Pſalmo per, *hodie*: nam aliàs fruſtrà Dauid induceret poſt tot annos illa verba dicta antiquis Hebræis ſub Moyſe pridem ad terram promiſſionis proficiſcẽtibus.Nobis igitur dicta ſunt aſpirantibus ad bona promiſſa præſtantiora, per ea terrena bona præfigurata. Quod autem adiungitur: *Quadraginta annis infenſus fui generationi huic.*idem eſt, ac illud Romani Breuiarij: *Proximus fui generationi huic.* verbum enim ſeptuaginta Interpretum Græcum, προσώχθισα, vtrunque ſignificat, & offenſus ſum, & appropinquaui; ſicut qui impingit in aliquid,& inde offenditur. Quamuis autem vox, *appropinquaui*, ſiue, *proximus fui*, magis ambigua videatur; plùs tamen quodammodo ſignificat, nempe, & cauſam, & effectum offenſionis: cauſam, quia Deus multis fauoribus, ac beneficiis illi populo appropinquauerat; vnde aliquando dicebant [z]: *Nõ eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquãtes ſibi,ſicut Deus noſter adeſt nobis.* effectũ verò iuſtiſſimæ indignationis Dei arguit; quia eorum ingratitudo magis Deum irritauerat, & appropinquare fecerat diuina flagella.

[y] Hebr. c.3. v.7.

[z] Deut. c. 4. v.7.

Quartò,quærunt aliqui circa quartum caput, quid intellexerit Apoſtolus per ſermonem, vbi dixit [a]: *Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Caluinus,& Beza, vt faueant buccinatoribus ſui noui Euangelij, volunt ſignificari ſermonem concionatorium à quocunque ipſorum, etiam minimo prædicante, prolatum. Sed hoc riſu potiùs, quàm refutatione dignum eſt. Alij diuina eſſe oracula Scripturarum interpretantur: at non poſſunt ei cõuenire illa, quæ ſubduntur [b]: *Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius,ad quem nobis ſermo.* Neque enim habetur ſermo ad ſermonem, ſiue ad ſacram Scripturam;neque hęc habet oculos, aut intuitum creaturarum. Meliùs igitur ſermo, Græcè, λόγος,intelligitur Filius Dei,Verbum Patris,de quo Ioannes in primo capite ſui Euangelij dixit: *In principio erat Verbum.* & in capite primo ſuæ Apocalypſis dixit, ſe vidiſſe Filium hominis, de cuius ore procedebat gladius vtraque parte acutus. Quare ſignificatur ab Apoſtolo Filius Dei, tum quoad naturã diuinam, tũ quoad humanam loquens olim per Prophetas, nunc per ſeipſum, & per Apoſtolos. Senſus igitur eſt, quidquid Dei Filius, tum per ſe, tum per alios promiſit, vel comminatus eſt, efficaciter præſtabit: quia omnia poteſt, omnia nouit, omnia penetrat. Quòd ſi vlteriùs quis interroget, cur non dixit Apoſtolus,Filium,ſed λόγον; & cur noſter Interpres nõ reddidit, verbum, ſed ſermonem: Reſpondendum eſt,Verbũ Patris,& Filium eſſe idem

[a] Hebr. c.4. v.12.

[b] Hebr. c.4. v.13.

prorſus: quia in tantum eſt Filius, in quantum eſt conceptus ſubſtantialis & adæquatus paterni intellectus: vnde S. Auguſtinus [c]: *Eo*, inquit, *Filius, quo Verbum: & eo Verbum, quo Filius.* Et quamuis λόγος, tam verbum, quā ſermo, Latinè reddi poſſit; tamen ad eius ſimplicitatem indicandam benè Interpres in Euāgelio S. Ioannis vertit: *In principio erat Verbum.* hic verò ad exprimendā multiplicitatem diuinæ locutionis olim per Prophetas, nūc per Filium meliùs dixit: *Viuus eſt ſermo Dei, & efficax.* Non deſunt tamē ex antiquioribus Patribus, qui legāt [d]: *Viuum eſt verbum Dei.* ſicut vice verſa in Euangelio S. Ioannis aliqui legunt: *In principio erat ſermo, & ſermo erat apud Deum.*

c S. Aug. lib. 1. de Trin. c. 2.

d S. Ambr. lib. 4. de fide, c. 3. & alibi. S. Cypr. Hieron. Tertull.

Quintò quæritur, quid ſit, quod habetur de Chriſto in capite quinto, vbi dicitur, ſupplicaſſe tempore paſſionis æterno ſuo Patri [e]: *Et exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Siquidē orabat, vt à ſe tranſiret calix paſſionis, & hoc non obtinuit: quomodo igitur eſt exauditus? & quæ fuit illa reuerentia, pro qua dicitur exauditus? Reſpondeo, voluntatem illam Chriſti conditionatam & naturalem, vt ſi fieri poſſet, mortē euaderet, nō fuiſſe exauditam, quia efficax non fuit; ſed eā reſoluit in aliam perfectiorem, vt fieret æterni Patris voluntas de noſtra per mortem ipſius copioſiſſima redemptione; & iuxta hanc fuit exauditus, & quidem pro ſua reuerentia; hoc eſt, qua tantæ dignitatis Patrem reueritus eſt, & qua tanti Filij perſonam ipſe Pater reuerebatur: optimè enim actiuè, & paſſiuè ſimul ſumitur hæc reuerentia. Horrenda verò Caluini, & Bezæ blaſphemia fuit interpretantium hanc reuerentiam, Græcè, εὐλάβειαν, metum talem in Chriſto cum deſperatione propriæ ſalutis, qualem habent in Inferno damnati: eò quòd (vt ipſi dicunt) expediret Chriſtum excipere in ſe totam iram Dei, & experiri pro nobis etiam pœnas Inferni, quarum vna eſt, nullam ſperare ſalutem. Ita iſti non aliud eſſe Infernum damnatorum putauerunt, quàm deſperantis animi cruciatum ex vehementi apprehenſione irę Dei: & ſummum ſalutis noſtræ pretium in ſumma deſperatione ſalutis, ac dānatione noſtrī Saluatoris poſuerunt: quo nihil magis inauditum, ac nefarium eſt dictum vnquam, aut excogitatum. Vt propterea videatur iuſtiſſimus Deus non expectaſſe Caluini ſupplicium in Inferno; ſed adhuc viuentem ita dereliquiſſe, vt in extrema ſua fœda ægritudine [f] deſperādo, blaſphemando, & maledicendo diei, qua libros ſcribere incepit, miſerrimam mortem obierit, vt teſtantur, qui interfuerunt.

e Hebr. c. 5. v. 7.

f refert Hieron. Bolſecus in Vita Calu. c. 22.

Quæritur ſextò, quid ſibi velint illa verba capitis ſexti [g]: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerūt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam.* Propter hæc enim verba Lutherus cum ſuis negat hanc Epiſtolam eſſe apoſtolicam, eò quòd negare videatur peccantibus, culpæ remiſſionem, quam ipſe adeò facilem putauit ſemel baptizatis, quos hic S. Paulus vocat illuminatos, vt ſola Baptiſmi recordatione penitùs expietur, quod eſt planè contrarium huic Apoſtoli teſtimonio. At verò Hæretici antiquiores Nouatiani videntes non eſſe de huius Epiſtolæ auctoritate dubitandum, ea verba in ſuum errorem traxerunt, dicentes, lapſos poſt Baptiſmum non eſſe ad pœnitentiam admittendos. At id ſimiliter doctrinæ Apoſtoli aduerſatur, qui prima Epiſtola ad Corinthios, capite quinto, & ſecunda ad eoſdem, capite

g Hebr. c. 6. v. 4

ſeptimo

ſeptimo,atque aliàs ſæpè docet , ac mandat lapſis,etiam inceſtuoſo excõmunicato veniã,& pœnitẽtiam cõcedendã. Quare vel dicendũ eſt,cùm ait Apoſtolus, impoſſibile eſſe ſemel baptizatos,& prolapſos renouari ad pœnitentiã,loqui de iteratione Baptiſmi, quæ non conceditur,ſiue pœnitentię, quę præit ſemel Baptiſmum,vt exponũt omnes ferè Patres antiquiores:vel certè loquitur de impoſſibilitate morali,hoc eſt , de maxima difficultate, quã cõmuniter habent apoſtatantes à fide Chriſtiana ad Iudaïſmũ, vel ethnicismum ; vel relapſi in hæreſim, vt iterum ſeriò conuertantur , ſicut in noſtra paraphraſi eſt indicatum , & experientia ſæpè comprobatum. Quę ſanè expoſitio eſt facilior, & toto cõtextui,atque intẽtioni Apoſtoli accõmodatior , ideò illam magis amplectuntur Interpretes recentiores.

Quæritur ſeptimò circa ſeptimũ Epiſtolæ caput [h],in quibus tantoperè ſimilis extiterit Chriſto Melchiſedech , quod toties repetitur in hoc capite. Reſpondeo , in duodecim rebus:primùm in appellatione:appellatus eſt enim Melchiſedech,id eſt,Rex iuſtitię,nẽpe,iuſtiſſimus:hoc autẽ nulli Regũ meliùs,quàm Chriſto , cõuenit:de quo propterea in Pſalmo dicitur [i]:*Virga æquitatis,virga regni tui:dilexiſti iuſtitiam,* &c. Secũdò,in regno: fuit enim Melchiſedech Rex in Salẽ, poſteà dicta Ieruſalẽ,vbi mons Sion, de quo Chriſtus in Pſalmo ait [k]: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ſuper Sion montẽ ſanctum eius.* Tertiò,in ſignificatione regni:nã Rex Salẽ ſignificat Regẽ pacis : Chriſtus autẽ appellatur ab Iſaïa [l],Princeps pacis. Quartò,in generatione,quia Melchiſedechi neque pater,neque mater,neque genealogia recenſetur:& Chriſtus ſine patre fuit in terris,& ſine matre in cœlis: *Et generationem eius* (inquit Iſaïas [m]) *quis enarrabit?* Quintò, in duratione: ſicut enim Melchiſedech proponitur ; ita Chriſtus verè eſt , ſine initio & fine durationis Ideò ipſe Iudæis dicebat [n]: *Amen,amẽ dico vobis,antequam Abrahã fieret,ego ſum.* Sextò,in ſuprema dignitate ſacerdotali : ſicut enim Melchiſedech fuit Rex , & Sacerdos maximus,ſiue Põtifex;ita Chriſtus. Septimò , fuit Melchiſedech primus & vltimus ſui Ordinis Sacerdos : neque enim cui ſucceſſerit , vel quis ei ſucceſſerit , inuenitur: ſimiliter neque Chriſto. Octauò, ſicut Melchiſedech nõ legitur vnctus ſẽſibili oleo Sacerdos,vt fuit cõſecratus Aarõ, & vngũtur alij omnes Sacerdotes:ita Chriſtus oleo tantum gratiæ inuiſibilis,de quo Dauid [o] : *Vnxit,* inquit, *te Deus,Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Nonò, Melchiſedech fuit principaliter Sacerdos Gentiliũ;ſecundariò autẽ Hebrçorũ in vno Abrahã,qui fama eius ſãctitatis permotus,aut etiã prophetico ſpiritu agnoſcẽs in illo typũ Chriſti vẽturi acceſſit,vt exhiberet ei cultũ ac reuerẽtiã:ſic & Chriſti ſacerdotium,atque euangelica lex admiſſa magis à Gẽtilibus eſt,quam a Iudæis. Decimò , Melchiſedech ſuperauit in dignitate ſacerdotali omnes Leuitici generis;ita & multò magis Chriſtus; ſiquidẽ Abrahã etiã ipſe Sacerdos,& ex quo Leuitæ omnes erãt naſcituri, decimas obtulit Mechiſedecho,tãquã ſibi ſuperiori,& voluit ab eo benedici. Vndecimò , Melchiſedech vixit ſine vxore ſẽper virgo,vt teſtatur S.Ignatius in epiſtola ad Philadelphios : & multò magis Chriſtus. Duodecimò denique, ſacrificiũ Melchiſedech fuit panis, & vini, quod eſt apertiſſima figura ſacrificij Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutæ. Meritò igitur toties hic Apoſtolus illud Pſalmi repetit : *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* ad probandam

h *Hebr. c.7.v.1. &c.*

i *Pſ. 44. 7.*

k *Pſ. 2. v 6.*

l *Iſai.c. 9 v.7.*

m *Iſai.c. 53.v.8.*

n *Ioan.c. 8. v. 58.*

o *Pſ 44. v.7.*

ſummam ſacerdotalem Chriſti dignitatem,& eminentiam noui ab eo inſtituti ſacrificij : ſicut etiam faciunt Concilia p & Patres,inter quos S.Cyprianus: *Quis magis* (inquit) *Sacerdos Dei ſummi , quàm Dominus noſter* I E S V S *Chriſtus , qui ſacrificium Deo Patri obtulit ; & hoc ipſum, quod Melchiſedech obtulerat?*

p Concil. Trid. ſeſſ. 22.c.1. & 2. Cypr. ep.3.l. 2.

Octaua dubitatio circa octauum caput occurrit in voce Teſtamenti ſæpiùs , tum ibi, tum capite ſequenti repetita, alludendo ad teſtimonia veteris Scripturæ, in qua nunquam Hebraïcè legitur Teſtamentum;ſed fœdus,ſiue pactum, ברית : vel igitur Auctor huius Epiſtolæ non eſt Paulus, vel Paulus non fideliter Hebraïcum nomen interpretatus eſt , ex pacto faciens teſtamentum. Reſpondent aliqui, Paulum Hebraïcè hanc Epiſtolam ſcribendo , ſemper pactum , ſiue fœdus ſcripſiſſe : Interpretem autem reddidiſſe , teſtamentum. Sed præterquàm quòd eandem pateretur calumniam Pauli Interpres , ipſe quoque Paulus redargui poſſet male intuliſſe , Chriſtum mori debuiſſe pro confirmatione noui Teſtamenti , dicens r : *Vbi enim teſtamentum eſt, mors, neceſſe eſt,intercedat teſtatoris ; alioquin nondum valet, dum viuit , qui teſtatus eſt.* Quod verum eſt de teſtamento; non autem ita de pacto. Quare ſuperiùs oſtendimus , veroſimiliùs hinc deduci, Paulum eam Epiſtolam Græcè ſcripſiſſe ; ideò ſemper vſum voce διαθήκης , quam ſeptuaginta Interpretes authenticam quodammodo fecerunt , vt proptereà iam paſſim nouum ac vetus Teſtamentum ab omnibus dicatur.Quamuis enim vetus Teſtamentum non ita propriè teſtamentum ſit,ſicut nouum, cùm pro illo confirmando Chriſtus non ſit mortuus, ſicut pro confirmãdo nouo; niſi quòd pro veteri occidebatur Deo cõſecratæ victimæ:vnde inquit de illo S.Paulus m:*Nec primũ quidẽ Teſtamentũ ſine ſanguine dedicatum eſt : lecto enim omni mandato legis à Moyſe vniuerſo populo,accipiẽs ſanguinẽ vitulorũ, & hircorũ,omnẽ populũ aſperſit, dicẽs* n: *Hic eſt ſanguis Teſtamenti*,(Hebraïcè, pacti) *quod mãdauit ad vos Deus*. tamẽ quia pactum illud,quo Deus Hebræis pollicebatur , ſi eius præcepta & cæremonias ſeruaſsẽt,daturũ ſe bona tẽporalia, & regnũ terræ Chanaan,erat figura noui Teſtamẽti, quo in Chriſti ſanguine & morte promittebatur nobis hæreditas cœlorũ:ideò ſeptuaginta Interpretes quaſi diuino Spiritu, pactum illud ac fœdus ſemper verterunt, διαθήκη,nẽpe,Teſtamentũ typicũ,& verã noui futuri Teſtamẽti figurã. Fuiſſe autẽ eam verſionẽ maximę auctoritatis , & apud ipſos Hebræos receptiſſimã, anteà dictũ eſt. Optimè igitur S.Paulus,& ad inſtitutum ſuum accommodatiſſimè hac voce Teſtamenti ſæpiùs vſus eſt in eo capite.

r Hebr. c.9.v.16.

m Hebr. c.9.v.18.

n Exod. c.24.v. 8.

Nona difficultas circa caput nonũ occurrit in illis verbis o : *Tabernaculũ,quod dicitur Sancta Sanctorũ, habẽs Arcã Teſtamẽti,in qua vrna aurea habens manna,& virga aurea,quæ frõduerat, & tabulæ Teſtamẽti.* Sed huic planè contrariũ videtur,quod legimus libro tertio Regũ capite octauo,vbi ſic dicitur p : *In Arca autẽ non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ,quas poſuerat in ea Moyſis in Horeb,quãdo pepigit Dominus fœdus cũ filiis Iſraël.* & libro ſecundo Paralipomenon,capite quinto ſimiliter dicitur q:*Nihilque erat aliud in Arca,niſi duæ tabulæ , quas poſuerat Moyſes.* & de manna, quòd illud non fuerit intra Arcam,habetur ex capite decimoſexto Exodi, vbi Moyſes Aaroni ſic mãdat r:*Sume vas vnũ,& mitte ibi man, & repone corã Domino,* id eſt, corã Arca Domini:nõ dixit , intra arcã,& virga Aaron, cùm eſſet baculus paſtoralis,

o Hebr. c.9.v.3.

p 3.Reg. c.8.v. 9.

q 2. Paral c 5. v. 10.

r Exod. c.16.v. 33.

paſtoralis, nō videtur intrare Arcam potuiſſe, quæ in longitudine tantùm erat duorum & ſemis cubitorum, vt habetur Exodi capite vigeſimoquinto. Quare hinc auſus eſt Caietanus [s] Epiſtolam ad Hebræos ſuſpectę fidei cenſere, quaſi aliis indubitatis diuinæ Scripturæ teſtimoniis repugnantem: additque Auctorem huius Epiſtolæ videri deceptum ex eo, quòd Moyſes mandauerit Aaroni manna ponere coram Arca Domini, & ſimiliter de virga Aaron, Numerorum capite decimoſeptimo [t], vbi Deus mandat Moyſi, ponat eam virgam in tabernaculo; non dixit intra Arcam. Sed valdè ipſe Caietanus deceptus eſt: neque enim Auctor Epiſtolæ ad Hebræos, quē certò fuiſſe S. Paulum iam conuicimus, dixit, manna, vel virgam Aaronis eſſe intra Arcam. Itaque miſſis aliis variis reſponſionibus apud Interpretes legendis [u], quæ minùs ſatisfaciunt, hæc cæteris expeditior eſt, & probabilior: cùm dixit Apoſtolus, in Arca fuiſſe vas mannę, virgam Aaronis, & duas tabulas Decalogi, propoſitionem illam, *in*, ſumpſiſſe, quatenus ſignificat, iuxta; ſiue intra eſſent, vt erant tabulæ Decalogi; ſiue extra prope Arcam, vel circa ipſam Arcam, & coram Deo, vt ipſe fieri mādauerat. Sic apud S. Ioannem legimus [x]: *Ambulabat* IESVS *in templo, in porticu Salomonis*. Porticus autem intra templum non fuit, ſed circa templum. & apud Matthæū [y]: *Eiiciebat omnes ementes, & vendentes in templo*. id eſt, ante ipſum tēplum: neque enim intra hæc fiebant, vbi ſacrificia offerebant Sacerdotes; ſed in parte anteriori, nempe, atrio laïcorum.

s Caiet. in c. 9. Hebr.

t Num. c. 17. v. 10.

u Cornel. à Lapide. Bened. Iuſtin. Guliel. Eſtius. Galenus Tena in ep Hebr. Becan in analog. vet. & nou. Teſt. c. 12.

x Ioan c. 10. v. 23.

y Matt. c. 21. v. 12.

Decimam obiectionem Caluinus, & alij Hæretici contra Sacrificium Miſſæ deducūt ex capite decimo, vbi ſic dicitur [z]: *Et omnis quidem Sacerdos preſtò eſt quotidie miniſtrās, & eaſdem ſæpè offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata: hic autem* (videlicet, Chriſtus in Cruce) *vnam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternū ſedet in dextera Dei*. Ergo præter Sacrificium Crucis non agnoſcit Apoſtolus, in lege noua aliud Sacrificiū. Hinc vlteriùs peruerſiſſimè deducūt, Miſſam inſigni contumelia afficere vnicum Sacrificium Crucis. Contra hoc extat Canon Concilij Tridentini [a]: *Si quis dixerit, blaſphemiam irrogari ſanctiſſimo Chriſti Sacrificio in Cruce peracto, per Miſſæ Sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema ſit.* Nihil verò aliud ex prolato Pauli teſtimonio habemus, niſi ſacrificium cruentum Chriſti non iterari; quia Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, neque eſt quòd moriatur; ſemel enim moriens infiniti valoris pretium obtulit pro noſtra redemptione: quod tamen pretium applicatur nobis per ſacrificiū incruentum iteratū celebratione Miſſarum, non ad augendum illud pretiū, quod eſt ſufficiētiſſimum, & Chriſtus Dominus non eſt ampliùs in ſtatu merendi; ſed ad applicandum pretium iam perſolutum, ſiue, vt loquitur Tridentinū [b], ad fructū oblationis cruentę per hanc incruentam percipiendū.

z Hebr. c. 10. v. 11.

a Trid. ſeſſ. 22. can. 4.

b Trid. ſeſſ. 22. c. 2.

In capite vndecimo mouetur vndecima dubitatio, de fide creationis mundi, vbi dicitur [c]: *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.* Videtur enim hoc dictum ſecundùm fictas Platonis ideas, quas ſæpè Ariſtoteles, & alij oppugnant. Reſpondeo, magnos Auctores, tum hoc Apoſtoli pronunciatum, tum Platonis ideas interpretari de ideis in mente Dei, iuxta quas ſapienti arte res extrà operatur. Vnde illud Boëtij de Deo mūdi Cōditore [d]:

Pulchrum pulcherrimus ipſe,

c Hebr. c. 11. v. 3.

d Boët. lib. 3. de conſol.

Mundum mente gerens, ſimilique in imagine formans.

Sed verius eſt, reſpexiſſe Apoſtolum ad verba Geneſis capite primo, vbi iuxta lectionem ſeptuaginta Interpretum habetur [e]: ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος, καὶ ἀκατασκεύαστος, id eſt, terra autē erat inuiſibilis, & imparata, ſiue incōpoſita: quia nondum in ea quidquam viſebatur, non homo, non animal, non virgultum: imò cooperta erat aquis terra vniuerſa, nec dum creata lux, donec dixit Deus: *Fiat lux. Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida. Germinet terra.* Tum animalia, & hominem creauit. Hoc igitur eſt, quod ait Apoſtolus: *Fide credimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei.* κατηρτισμένα, hoc eſt, compoſita, & ſuis quaſi artubus mira varietate coagmentata, quæcunque extare ſub duratione temporum tunc incipiebant, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent, id eſt, ſuper terrā priùs non viſa ſucceſſiuè apparerent: ſicut ex ſacra Geneſi narratum, diuina tantùm fide cognoſcimus: neque enim vllus mortalium tunc adfuit, qui teſtetur. Atque hinc illud confirmatur, quod anteà dicebamus, ſcriptam potiùs Græcè hanc Epiſtolam, quàm Hebraïcè: ſiquidem toties à Græca ſeptuaginta Interpretum lectione ſuas Paulus deducit non ſolùm elocutiones; ſed etiam ratiocinationes. Simile eſt, quod legitur Sapientiæ capite vndecimo [f]: *Omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa.* Ex quibus Græcanicis loquendi modis colligit S. Hieronymus, vt anteà dictum eſt, librum Sapientiæ Græca lingua primùm ab Auctore ſuo fuiſſe conſcriptum.

e Gen. c. 1. v. 1.

f Sap. c. 11. v. 18.

Duodecimam dubitationem faciunt verba illa capitis duodecimi [g]: *Eſau propter vnam eſcam vendidit primogenita ſua. Scitote, quoniam & poſteà cupiens hereditare benedictionē, reprobatus eſt: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.* Videtur enim iterum, vt ſupra vidimus, reddere impoſſibilem pro aliquibus pœnitentiā, quod Nouatiani pro defenſione ſui erroris accipiunt, & Lutherus ob id Auctorem huius Epiſtolæ ſuſpectum hæreſeos facit. Sed in primis ſupponendū eſt, quamuis Eſaü hic profanus, & reprobus ab Apoſtolo dicatur pro tempore, quo ita ſe gerebat; tamen veroſimilius eſſe, tandem ſaluatum, ſicut etiam plures nepotes ipſius, inter quos etiam S. Iob à ſanctiſſimis Patribus numeratur, vt alibi [h] examinauimus. Deinde reſpondent alij qui, pœnitentiam eius hoc tempore veram non fuiſſe, ideò veniam non impetraſſe, quod ſignificatur Geneſis capite vigeſimoſeptimo [i], vbi dicitur: *Oderat ergo ſemper Eſau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater; dixitque in corde ſuo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob, fratrem meum.* Tertiò, reſpondemus, cùm hic ait Apoſtolus, non inueniſſe Eſaü pœnitentiæ locum, non tam loqui de pœnitentia ipſius Eſaū, quàm Iſaac patris eius: hunc enim Eſaü rogabat, vt mutata voluntate, benedictionem, quam contulerat Iacob, reuocaret, vt ipſi tanquam primogenito redderetur. Id autē ſignificant illa verba S. Pauli [k]: *Cupiēs Eſau hereditare benedictionē, reprobatus eſt.* tum ſubditur pro ratione: *Non enim inuenit pœnitentiæ locum.* quia, nimirum, noluit pater, quaſi eum facti pœniteret, ſemel datam alteri filio benedictionem retractare.

g Hebr. c. 12. v. 16.

h lib. 10. c. 4. dub. vlt.

i Gen. c. 27. v. 41.

k Hebr. c. 17. v. 17.

Vltimò, circa extrema verba poſtremi capitis dubitari poſſet, cur Hebræos ſalutet Apoſtolus nomine Fratrum Italorum, & nō potiùs Romanorum, dum ait [l]: *Salutant vos de Italia*

l Hebr. c. vlt. v. 17.

Italia Fratres. Aliqui reſpondent, vt eos ſignificaret, qui ex Italia ad illum Romæ videndum accedebant. Sed verius eſſe dicebamus, Apoſtolum hoc tempore ab vrbe digreſſum per Italiam fuiſſe, & inde in Hiſpaniam (vt infrà narrabitur) iter ſuſcepiſſe.

CAPVT VII.

Ex Italia per Gallias in Hiſpaniam proficiſcitur.

QVo ſe primùm Apoſtolus contulerit à vinculis exemptus, & non ſolùm vrbem Romam, ſed etiã Italiam derelinquens, haud omninò videtur exploratum. Euſebius tamen in eccleſiaſtica Hiſtoria [a], illa conſiderans ipſius Apoſtoli verba poſterioris Epiſtolæ ad Timotheum [b]: *Dominus autem mihi adſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes: & liberatus ſum de ore leonis. Manifeſtiſſime* (inquit) *per hæc deſignat, quia primò quidem, vt per ſeipſum cœpta prædicatio impleatur, liberatus eſt de ore leonis, id eſt, crudelitate Neronis.* Idémque reſpiciens S. Hieronymus in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis, quò ſe tunc Apoſtolus verterit ad prædicandum, magis exponit, dicens: *Paulus a Nerone dimiſſus eſt, & Euangelium Chriſti in Occidentis quoque partibus prædicauit.* Ad quam verò partem Occidentis hoc tempore ſe receperit, aperte docet S. Ioãnes Chryſoſtomus in homilia ſeptima de laudibus S. Pauli, cum ait: *Romam venit: verum nec ibi ſtare contentus, etiam in Hiſpaniam percurrit.* Idipſum amplùs declarat S. Hieronymus in ſuis ſuper Amos Commentariis, ad illa verba prophetica [c]: *Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ Dominus nomen eſt eius. Paulus* (inquit Hieronymus) *vocatus à Domino effuſus eſt ſuper faciem vniuerſæ terræ, vt prædicaret Euangelium de Ieroſolymis vſque ad Illyricum, & ædificauit, non ſuper alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum, ſed vſque ad Hiſpanias tenderet, & à mari rubro, imò ab Oriẽtis Oceano vſque ad Oceanum Occidentis curreret; imitans Dominum ſuum, & Solem iuſtitiæ, de quo in Pſalmo legimus* [d]: *A ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius. vt antè eum terra deficeret, quàm ſtudium prædicandi.* Et in caput vndecimum Iſaïæ de eodem S. Paulo ait: *Ad Hiſpanias alienigenarum portatus eſt nauibus.* Itaque videtur ſignificare S. Hieronymus, Paulum ex Italia per mare ad Hiſpanias modò nauigaſſe, accommodans illi verba Iſaïæ de Apoſtolis ita prophetantis [e]: *Volabunt in nauibus alienigenarum per mare, ſimul prædabuntur filios Orientis.* Sed, ſi nauigationẽ Pauli ad Hiſpaniam, hoc eſt, Occidẽtem versùs, Propheta indicare voluiſſet, non filios Orientis, ſed Occidentis deprædabuntur, dixiſſet. Potius igitur de reditu ex Hiſpania per mare Oriẽtem versùs eſſent illa verba intelligenda, quãdo, ſicut ſequenti capite narraturi ſumus, rediens Apoſtolus ex Hiſpania per mare mediterraneum, aliquas adiuit Orientis regiones. Nunc autem itinere terreſtri Gallias pertranſeundo iuiſſe in Hiſpaniam veriſimilius eſt: legimus enim in Romano [f], & aliis Martyrologiis, Paulum hoc itinere Narbona, quæ ciuitas eſt Galliæ, tranſiuiſſe, ibique Sergium illum Paulum Proconſulem, quẽ ante plures annos in Inſula Cypri ad Chriſti fidem induxerat, Epiſcopũ conſtituiſſe. Itaque ſic de illo habetur in Romano Martyrologio ſub die Martij vigeſimaſecũda: *Narbonæ in Gallia natalis S. Pauli Epiſcopi,*

Apoſtolorum

a Euſeb. lib. 2. c. 21.

b 2. Tim. c. 4. v. 17.

c Amos c. 5. v. 8.

d Pſ. 18. v. 7.

e Iſai. c. 11. v. 14. iuxta Septuag.

f Martyr. Rom. die 22. Maij.

Apoſtolorum diſcipuli; quem tradunt fuiſſe Sergium Paulum Proconſulẽ, qui à Paulo Apoſtolo baptizatus,& cùm in Hiſpaniam pergeret,apud Narbonam relictus,ibidem epiſcopali dignitate donatus eſt. Hinc Prudẽtius in quodam Hymno de eodem cecinit [g]:

Surget & Paulo ſpecioſa Narbo.

g *Prudens. Hym.4. periſteph.*

Anſelmus quoque exponens illa S. Pauli verba Epiſtolæ ad Romanos [h]: *Hoc igitur cùm conſummauero,per vos proficiſcar in Hiſpaniam. Nec falſum* (inquit) *loquitur,qui ſe in Hiſpaniam profecturũ pollicetur:profectus eſt enim, ſicut Hieronymus, & Beda, cæterique Doctores teſtantur. Vnde & Narbonã præteriens, quendam diſcipulum ſuum, nomine Paulum, fertur ibi reliquiſſe Epiſcopum. Peruenit igitur vſque ad Hiſpanias, & à mari rubro vſque ad Oceanum prædicando cucurrit,imitans Solis curſum,ab Oriẽte vſque ad Oceanum, vt antè ei terra deficeret, quàm ſtudium prædicandi.* Conſentiunt Sophronius Patriarcha Ieroſolymitanus in ſermone de Natali Apoſtolorum,& Iſidorus Hiſpalenſis,vel quiſquis eſt Auctor libri de ortu, & obitu Sanctorum, capite ſeptuageſimoprimo: nam dicunt, Italiam, deinde Gallias,tum Hiſpanias Pauli Apoſtoli tranſitu, & euangelica eius prædicatione fuiſſe illuſtratas. Addit præterea in ſuis Chronicis Ado [i], Vienenſis Epiſcopus, eodem itinere Paulum reliquiſſe Trophimum diſcipulum Arelatæ, quæ ciuitas eſt in Gallia Narbonenſi: Viennæ autem, quæ altera eiuſdem Galliæ ciuitas eſt, reliquiſſe Creſcentem. Et quidẽ hæc de Trophimo ab Adone relata, benè conueniunt cum iis, quæ de ipſo anteà à nobis ſunt expoſita, iuxta ſenſum illorũ Pauli verborum, in ſecunda Epiſtola ad Timotheum ſcribentis [k]: *Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.* nempe, dum

h *Anſel. in c.15. v.28. Ep. ad Rom.*

i *Ado in Chron. an 59.*

k *1. ad Tim. c.4 v.10.*

ante duos annos cum illo ex Iudæa Romam nauigaret, & prope Inſulam Cretam ſimul tranſirent, vbi Miletum oppidum diximus inueniri [l], quidquid de alia Mileto, & de alio tempore huius ægritudinis aliqui arbitrentur. Intra hoc enim annorum duorum tempus benè potuit Trophimus conualeſcere, & Romam ad Paulum pridem veniſſe; nunc autem cum illo in Galliam proficiſci. De Creſcente verò dubitare aliquis poſſet ex eo, quòd in eadem Epiſtola ad Timotheum Paulus inquit [m]: *Creſcens in Galatiam,*ſiue in Galliam,vt S.Epiphanius [n], & alij legendum putant.Sed nihil obſtat,quominùs potuerit Creſcens, ſiue ex Galatia, ſiue ex Gallia ad Paulum venire,& illi,cùm eſſet in Galliis,adeſſe,vt ei Viennenſis Eccleſiæ paſtoralis cura committeretur. Vnde ſic de illo habemus in Romano Martyrologio [o]: *In Galatia S.Creſcentis, diſcipuli B. Pauli Apoſtoli, qui in Gallias tranſitum faciens verbo prædicationis multos ad Chriſti fidem conuertit*, &c. His ita per Galliam à Paulo compoſitis,progreſſus eſt in Hiſpaniã, ſicut ante tres annos habere ſe maxime in votis ad Romanos ſcribens his verbis ſignificauit [p]: *Cupiditatem autem habens veniendi ad vos, ex multis præcedentibus annis:cùm in Hiſpaniã proficiſci cœpero,ſpero,quòd præteriẽs videã vos.*Et iterum infrà [q]: *Hoc igitur* (inquit*)cùm conſummauero, per vos proficiſcar in Hiſpaniam.* Ex quibus facilè agnoſcimus,magis certum, ac fixum in animo tunc Paulum habuiſſe in Hiſpaniam,quàm Romam,proficiſci: ſiquidem non niſi per tranſitum eo tẽpore Romanos adire ſe velle pollicetur, vt citiùs in Hiſpaniam perueniret:tum, quòd eam Orbis occidentalis partem indigere magis ſua opera intelligeret,cùm Romæ S. Petrus, & alij

l *lib.11. c.8.*

m *Tim. c.4. v.10.*

n *S.Epiph. hæreſ. 51.*

o *Martyr. Rom. die 27. Iuny, vbi Baron. in Notis.*

p *Rom. c.15. v.23. 24.*

q *Rom. ibid. v. 28.*

& alij viri Apoſtolici non deeſſent: tum,quia,ſicut S. Hieronymus ſuprà memoratus aſſeruit,Dominum ſuum iuſtitiæ Solem imitari cupiebat, de quo per ſimilitudinem Solis ab oriēte feſtinantis ad occidentem in Pſalmo dicitur[r]: *A ſummo cœlo egreſſio eius,& occurſus eius vſque ad ſummum eius.* Præſertim,quia ipſemet Dominus Romæ illi apparuerat, & ad id præſtādum animauerat, vt ipſe Apoſtolus in poſtrema Epiſtola ad Timotheum teſtatus eſt,dicens[s]: *Dominus autem mihi adſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes:& liberatus ſum de ore leonis.* Si ergo tantopere cupiebat in Hiſpaniam excurrere, antequam Romam veniret,vt propterea nollet, priuſquā id perficeret, in vrbe morari,cur dubitabimus,poſt tam longam ibi protractam in vinculis moram,& obtentā diuinitus ad hoc exequendū liberationem,exequi tamē poſteà noluiſſe? Et quamuis id multò tardius, quàm animo conſtituerat, efficere datum fuerit; longum tamen ſupererat octo, vel nouem annorum tempus ante martyrium, in quo vix aliquid certi de geſtis & peregrinationibus Apoſtoli, niſi hanc Hiſpanicam peregrinationem habemus.

r Pſ. 18. v. 7.

s 2. Tim c. 4. v. 17.

Nihilominùs id reuocare in dubium aliqui Auctores non verentur, & adducunt Innocentij I. teſtimonium, qui in quadam epiſtola ad Decentium ſcribit,neminem Apoſtolorum, excepto Petro, Hiſpanias, & alias occidentales Orbis prouincias docuiſſe. Verba ipſa Pontificis ſunt hæc: *Manifeſtum eſt, in omnem Italiam,Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſulaſque interiacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias,niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes. Aut legant, ſi in iſtis prouinciis alius vllus Apoſtolorum inuenitur, aut legitur docuiſſe. Quod ſi nuſquam inueniunt, oportet,eos id ſequi, quod Romana Eccleſia cuſtodit, a quo eos principium accepiſſe non dubium eſt. Nec dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere.* Sed clarius adhuc pro hac ſententia videtur Gelaſius Papa eſſe locutus[t], cuius etiam verba iuri canonico ſunt inſerta, 22.q.2. cap. *Beatus Paulus.* ſic enim habent: *B.Paulus Apoſtolus non ideo,quod abſit, fefelliſſe credendus eſt, aut ſibi extitiſſe contrarius:quoniam,cùm ad Hiſpanos ſe promiſiſſet iturum, diſpoſitione diuina maioribus occupatus ex cauſis implere non potuit,quod promiſit. Quantùm enim ipſius voluntati interfuit, hoc pronunciauit,quod reuera voluit,et efficere:quātùm autem ad diuini ſecreta conſilij,quæ vt homo non potuit, licet ſpiritu Dei plenus, agnoſcere; ſuperna prætermiſſa diſpoſitione præuentus.* Hæc Gelaſius, ex quibus inductus eſt S. Thomas in Commentariis Epiſtolæ ad Romanos,circa illa verba, quibus Apoſtolus iturum ſe in Hiſpaniam pollicebatur, ita ſcribere: *Videtur Apoſtolus hoc loco falſum dixiſſe: nunquam enim in Hiſpaniam iuiſſe legitur, quippe in Ieruſalem captus fuit, & inde Romam in vinculis perlatus eſt, vt habetur Actorum vltimo,& ibi eſt occiſus ſimul cum Petro. Dicunt ergo quidam, ſtatim eo biennio,quo Romæ manſit, traditus cuſtodiæ vnius militis, tunc iuiſſe in Hiſpaniam.Sed,quia hoc certū non eſt, poteſt melius dici, quòd Apoſtolus falſū non dixit:quia tunc volebat,& ſtatuebat facturum ſe,quod dicebat. Verba itaque eius declarant voluntatem, & propoſitum,quod tunc habebat: non autem futurum euentum,qui incertus erat ipſi.Et ſic etiam ſe excuſat apud Corinthios de eo,quòd non iuerat ad ipſos,ſicut promiſerat:ſic enim ſcribit[u]: Cum ergo voluiſſem, nunquid leuitate vſus ſum? aut,quæ cogito,*

t in Act. Concilij Rom. ma. nuſcr.

u 2. Cor. c. 1. v. 17.

ro,ſecundùm carnem cogito, vt ſit apud me eſt,& non? Quibus verbis oſtendit, quia iuſta ex cauſa pretermiſerat ire ad Corinthios. Atque hoc etiam ſenſit, & tradidit Gelaſius Papa in Decretis. Hactenus S. Thomas, quem Sotus, licèt Hiſpanus, in ſuo Commentario eiuſdem Epiſtolæ ad Romanos, eſt ſecutus: vbi eaſdem ac S. Thomas ferè ad verbum affert rationes; tum adiungit ſuas dicens: *Quòd ſi vſque ad Hiſpaniam Paulus iuiſſet, Lucas ipſe, qui tam curioſè omnia eius acta proſecutus eſt, hanc tam inſignem Pauli functionem nō pretermiſiſſet. Atque etiamſi Lucas hoc tacuiſſet, non defuiſſent alij Scriptores, qui rem tam memorabilem memoria tradidiſſent, ſicut de aduentu Iacobi Apoſtoli in Hiſpaniam tradiderunt.* Addit
x *Eſtius in c. 15.* aliam Gulielmus Eſtius [x] coniecturam: quia nulla eſt in Hiſpania Eccleſia, quæ à S. Paulo fundata noſcatur: videtur autem incredibile, ſi Paulus ibi ad prædicandum fuiſſet, nullam Eccleſiam inſtituiſſe.

Nihil tamen iſta nos debent à firmata tot auctoritatibus ſententia dimouere. Nam, quod ſpectat ad allata in contrarium duorum Pontificum teſtimonia, quis credat, cōtra hos duos Pontifices voluiſſe Romanum Martyrologium, & alia omnia Martyrologia docere, Apoſtolum in Hiſpaniam eſſe profectum? Deinde reſpondeo, primùm ad Innocentium in particulari, non poſſe eum eſſe ſenſum, qui fingitur verborum ipſius: ſic enim ſignificaſſet, non ſolùm Paulum nunquam in Hiſpaniam iuiſſe; ſed neque Romæ fuiſſe, neque per Italiam, neque in Sicilia, neque in Inſula Melita, aliáve Orbis occidentalis, ſiue Inſula, ſiue regione, quod eſt apertiſſimè cōtra fidem. Non igitur Paulum à Petro ſeparabat Innocētius, cū dixit, ſolūPetrū, id eſt, cathedrā Romanā Petri fidē illis regionibus Occidētis intuliſſe, & Eccleſias ibidē inſtituiſſe, non alios Apoſtolos, qui ſuas cathedras certis locis affixas quodammodo habuerūt, vt S. Iacobus Ieroſolymis, & Epheſi S. Ioānes Euāgeliſta. At verò S. Paulus nulli diu addictus Eccleſię fuit, ſed tātū Romanæ ſub Petro extremis annis inſertus eſt. Et hoc ſufficiebat ad Innocenti inſtitutū cōtra quoſdā, qui à ritu, & conſuetudinibus Romanę Eccleſiæ, ad quā ſuā referre debebāt originē, degenerabant. Quid, quòd ipſe Pontifex, cū ait: *Legant, ſi in iſtis prouinciis alius vllus Apoſtolorū inuenitur, aut legitur docuiſſe.* noſtrā nō infirmat, ſed maximè confirmat ſententiā? cùm toties in Actis apoſtolicis inueniamus, Paulum Romæ Euāgelium prędicaſſe omnibus ad ſe venientibus, ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentilibus, & antequā Romā veniret, in Inſula Melita tribus mēſibus nō pauca miracula in fidei cōmendationē operatū eſſe: inde Syracuſas, Rhegiū, Puteolos veniſſe: excurriſſe verò poſt biennium in Hiſpaniā, quamuis teſtimonio ſacræ Scripturæ nō habeatur, vnde non eſt dogma fidei; tamē ex iis, quę diximus, non videtur eſſe dubitandum. Quibus alia non deſunt veterū Patrum illuſtriora teſtimonia: nam S. Gregorius Magnus in libro Moraliū trigeſimoprimo [y]: *Ecce (inquit) ipſe, quē ad teſtimoniū iā ſæpè deduximus, cum nunc Iudæā, nunc Corinthū, nunc Epheſū, nunc Romā, nūc Hiſpanias peteret, vt in peccati morte iacentibus æternæ vitæ gratiā nunciaret, quid ſe aliud, quā eſſe aquilā demonſtrabat?* S. Athanaſius in epiſtola ad Dracontium: *Studium*, inquit, *S. Paulo fuit vſque ad Illyricum Euangeliū prædicare, & Romā ire, & in Hiſpanias aſcendere, vt pro grauiori labore, maiore laboris frueretur mercede.* S. Chryſoſtomus homilia ſeptuageſimaſexta in Matthæū: *Videas, ait, Paulū ab Ieroſolymis ad Hiſpanias vſque* y *S. Greg. lib. 17. Moral. c. 22. aliàs 7.*

currentem:

currentem: nã, cũ Roma bienniũ exegiſſet in vinculis, tandem dimiſſus eſt : deinde in Hiſpaniam profectus. Et homilia ſeptima de laudibus Pauli: *Poſtquã,* inquit, *Romã ingreſſus eſt, ibi quoque quãta cũ modeſtia annunciat veritatẽ? quãta etiam cũ libertate obſtruit ora impiorum? Verùm, nec ibi ſtare contentus, etiã in Hiſpaniã percurrit.* Eadem habet S. Cyrillus, Epiſcopus Ieroſolymitanus, in catecheſi decimaſeptima: *Ab Ieroſolymis vſque ad Illyricum diſſeminauit Euangeliũ, qui regiam vſque vrbem inſtituebat, & in Hiſpaniam vſque promptitudinem prædicationis extendit.* S. Epiphanius hæreſim impugnans vigeſimamſeptimam: *Paulus in Hiſpaniam* (inquit) *profectus eſt.* His addere poſſumus Hippolytum in libro de ſeptuagintaduobus diſcipulis; Dorotheum in Synopſi, & libro de duodecim Apoſtolis; Theodoretũ in caput primum Epiſtolæ ad Philippenſes, & in caput vltimum Epiſtolæ poſterioris ad Timotheum; Theophylactum in præfatione Epiſtolæ ad Hebræos; Oecumenium in caput decimũquintum Epiſtolæ ad Romanos, præter Interpretes, & Hiſtoricos ferè omnes recentiores. Itaque ad teſtimoniũ pro contraria ſententia prolatum alterius Romani Põtificis Gelaſij in ſua Decretali, in qua maior eſſe difficultas videbatur, aliqui reſpondẽr, illud non eſſe Decretũ pontificiũ pertinens ad vniuerſalem fidei, vel Chriſtianę religionis diſciplinã; ſed iudiciũ quoddã veluti Doctoris particularis, cui pro veritate poſſunt opponi tot, tantorũque Patrũ, & Eccleſiæ Doctorũ irrefragabilia teſtimonia. Sed nihil neceſſe eſt, ad iſtas nos anguſtias redigere, ſi mentem Pontificis attẽdamus: erat enim eius intẽtio declarare, in nullo caſu licere mendacium. Sed duo caſus per exempla in contrariũ obiiciebantur: vnus S. Petri, qui Chriſto Domino proteſtabatur [z]: *Nõ lauabis mihi pedes in æternũ.* & tamẽ paulò pòſt ait: *Domine, nõ tantũ pedes, ſed & manus, & caput.* Alter caſus erat S. Pauli, qui promiſit Romanis [a], ſe quãprimũ ad eos iturũ, & per eos in Hiſpaniã tranſiturũ; & tamẽ nõ præſtitit. Reſpondet ad hæc Gelaſius, S. Petrũ ideò nõ eſſe mentitũ, quia verè tũc habuit illã voluntatẽ nunquã permittẽdi, vt ei pedes à Chriſto lauarẽtur; ſed Chriſtus illi cor, & volũtatẽ immutauit. De S. Paulo reſpõdet ſimiliter, in animo illi fuiſſe ire in Hiſpaniã, ideò non eſſe mẽtitũ, quia nihil contra mentẽ locutus eſt. *Quantũ enim* (inquit Pontifex) *ipſius voluntatis interfuit, hoc pronũciauit, quod reuerà voluiſſet efficere.* Quaſi diceret Gelaſius: Eſto, nõ iuerit, ſiquidem ex diuina Scriptura non conſtat eum iuiſſe, licèt conſtet, eum ire promiſiſſe, nihil propterea mentitus eſt. Quòd ſi quis inſtet, oportuiſſe Pontificem fateri, ſi non ex ſacra Scriptura, ſaltem ex multis antiquorum Patrum auctoritatibus haberi, tandem Paulum iuiſſe in Hiſpaniã; reſpondemus, minimè oportuiſſe: nam obiectionem directè non ſoluiſſet, cùm certum ſit, Paulum in Hiſpaniam non iuiſſe tunc, quando ire propoſuerat, & Romanis pollicitus fuerat; quia diu Romæ in vinculis detentus fuit. Deinde, quia præiudicium quæſtioni, de qua agebatur, feciſſet, affirmando abſolutè, Paulum aliquando iuiſſe: quaſi verò, ſi nunquam iuiſſet, aut ſi non iuiſſet, quando ſe iturum promiſerat, mendax fuiſſet. Ideò bene reſpondit Pontifex, etiamſi nunquam iuerit, quãdoquidem non eſt ita certum de fide, quòd iuerit, ſicut certum eſt iturum ſe promiſiſſe; nihil ob id fuiſſe mentitum. Ad S. Thomam tria reſpondeo: Primùm, non negaſſe abſolute, ſed tantùm dixiſſe rem non eſſe certam; tum, quia non eſt res

z Ioann. 13 v. 9.

a Rom. c. 16. v. 18.

fidei; tum, quia, quòd aliqui ab ipſo relati dicebant, iuiſſe Apoſtolum in Hiſpaniam intra illud biennium, quo ligatus in catena cum cuſtodiente ſe milite morabatur, non ſolùm eſt incertum, ſed etiam parum veriſimile. Secundò reſpondeo, eodem modo pertractatam hanc quæſtionem à S. Thoma, ſicut à Gelaſio Papa, & ferè iiſdē verbis, dū mouet quæſtionē, an Paulus mētitus ſit promittēdo profectionem in Hiſpaniam, quā fortè pro. miſſionem non impleuit: & reſpondet, etiamſi nunquam impleſſet, non fuiſſe mentitum. Tertiò, reſpondeo, non prætermiſiſſe S. Thomam, poſtquàm ita ſcripſit in Epiſtola ad Romanos, ſuper Epiſtolam ad Galatas perficiens Commētaria, circa ſecundum caput affirmare, Paulum reuerà in Hiſpaniam iuiſſe. Sotum magis aliquis admirabitur, qui ex eo Paulum non iuiſſe in Hiſpaniam argumentatur, quòd in Actis apoſtolicis id non referatur; cùm Lucas hiſtoriā illam vltra biennium non extenderit, quo toto tempore Romæ Paulus manſit in catena: & adhuc mirabilius eſt, quod addit, etiamſi Lucas hoc tacuiſſet, alios Scriptores non debuiſſe rem adeò memorabilem ſilentio prętetire, ſicut de aduentu S. Iacobi in Hiſpaniam ſcribere non omiſerunt, quaſi Sotus nullum ex antiquis Patribus legiſſet, & ex tot Scriptoribus à nobis anteà pro hac veritate recenſitis. Vt ſi Scriptores antiquiores ſpectentur, magis hoc certum videatur de S. Paulo, quàm de S. Iacobo, quòd fuerit in Hiſpania. Nullam verò ibi fundatam ab Apoſtolo Paulo Eccleſiam, aliqui tribuunt breuitati moræ, dum Apoſtolus ad alias regiones feſtinaret: præſertim ſi S. Iacobus, qui martyrium tunc obierat, hæc habuit ibi pro tempore diſpoſita. Sed alij negant, nullam Eccleſiam in Hiſpania inueniri à S. Paulo fundatam: nam Dertoſenſis Eccleſia dicitur agnoſcere, & colere primum ſuum Epiſcopum B. Rufum Simonis Cyrenenſis filium, quem ibi tradunt relictum ab Apoſtolo Paulo, idque totum recitari in Officio illius Eccleſiæ matutino [b]. Sed & Sophronius, Patriarcha Ieroſolymitanus, apud Ioannem Vaſæum in Chronicis Hiſpanicis, & apud Iacobum Fabrum Stapulenſem, multa tradit de Probo, Xantippe, Philotheo, & aliis à S. Paulo in Hiſpania conuerſis. *Sophronius* (inquit Vaſæus) *Patriarcha Ieroſolymitanus, ſcribit, Italias, Gallias, Hiſpanias tranſitu B. Pauli illuſtratas: qui, cùm in domo Probi, illuſtris cuiuſdā viri, hoſpitio ſuſceptus in Hiſpania fuiſſet, & Xātippe vxor eiuſdem Probi, modeſtiā hoſpitis ſedulius in eū intēta admiraretur, diuina voluntate factū eſt, vt dū ſic intēta vultui peregrini inhæreret, appareret ante frontē Pauli quaſi literis aureis ſcriptū:* PAVLVS APOSTOLVS, PRÆDICATOR CHRISTI. *Quæ cùm prenuncia fama multa de Apoſtolo audiuiſſet, & diu deſideraſſet vultū eius videre, gaudio pariter reſoluta, & ſtupore, cū lacrymis corruit ad pedes eius. Edocta autem myſteria Chriſti, cum viro, & familia Chriſto regenerata eſt. Sed & Philotheus eius regionis Princeps traditur Paulo adhæſiſſe factus Chriſti Confeſſor.* Hæc Vaſæus. De Xantippe verò, etiam Menologium Græcorum meminit die vigeſimaquinta Septēbris: Metaphraſtes [c] quoque in ſermone de Apoſtolis, idem confirmat Euſebij teſtimonio; apud Euſebium tamen modò nihil tale inuenitur, vnde ſuſpecta reddita eſt aliquibus hæc hoſpitum Pauli hiſtoria. Sunt etiam, qui Philotheum prædictum, Ierotheum vocent, eundémque cum illo eſſe velint [d], de quo ſæpè meminit in ſuis libris Dionyſius Areopagita,

b *Gaſpar Sanctius in tract. de prædicatione Pauli in Hiſp.*

c *Metaphr. ſer. de Apoſt. die 29. Iunij apud Sur.*

d *apud Gaſp. Sanchez tract. de aduentu S. Pauli in Hiſp.*

ta, vocans illum virũ cœleſti ſapientia pleniſſimum, ſuúmque poſt Paulum Apoſtolum præceptorem, quem à Paulo Athenis concionante fuiſſe ad Chriſti fidem perductum, ſuo loco [c] narrauimus. Si tamẽ ea conſiderẽtur, quæ ibi de Ierotheo ſunt dicta, qui vir Athenienſis fuiſſe videtur; non ſatis cohærere videbuntur cum his, quæ de hoc Philotheo, Hiſpaniæ Principe Vaſæus attulit ex Sophronio. Nec tamen omittam Chronicon hoc tempore prodiiſſe, in quo varia breuiter adnotantur, quæ Paulus in Hiſpania geſſerit: & eſt liber ſub nomine Auctoris valdè antiqui ſuprà ſæpe à nobis prolati, L. Dextri, Præfecti prætorij imperialis, ſicut eum appellat S. Hieronymus in ſuo libro de Scriptoribus eccleſiaſticis, cuius Præfecti hortatu ſe talem librum ſcripſiſſe S. Hieronymus teſtatur in procemio, eique illum dedicat. Et ſanè ſi is eſſet, qui dicitur Auctor tam illuſtris, & antiquus huius Chronologiæ, nec vlla ex parte corruptus, plura de geſtis Pauli in Hiſpania ſciremus: ſed, quia minimè id conſtat, vt monet etiam noſter Cornelius à Lapide in fine ſuæ Chronotaxis in Acta, fides tota ſit penes Auctores.

c lib. 6. c. 10.

CAPVT VIII.

Ex Hiſpania nauigans in orientem varias luſtrat Romani orbis regiones, inde per Siciliam in Italiam reuertitur.

QVanto tempore in Hiſpaniæ regionibus Apoſtolus fuerit commoratus, licèt non longam fuiſſe moram anteà indicauerimus; tamen ſatis certò definiri non poteſt. Quòd ſi non dubiæ fidei habenda ſint ea, quæ in adducto ſuperiùs L. Dextri Chronico circa annum Chriſti ſexageſimumquarrum adnotantur, alterutrum è duobus affirmare oporteret; aut non hoc anno, quo à vinculis liberatus eſt Paulus, in Hiſpaniam profectum, ſed multò pòſt; aut ibi totum ferè tempus, quod ab anno præſenti vſque ad eius martyrium interceſſerit, peregiſſe: cùm tamen vtrunque difficile creditu videatur. Narrat enim hic Auctor, Senecam Philoſophum Romæ manentem ſuas literas, de quibus multa alibi diximus, Paulo inſcriptas verſanti in Hiſpania miſiſſe. Verba Lucij Dextri in Chronico ſunt hæc: *Anno Domini ſexageſimoquarto Lucius Annaus Seneca, Cordubenſis Hiſpanus, miſſis vltrò, citróque ad Paulum litteris, de Christiana re benè ſentit, factúſque Chriſtianus, occultus eius diſcipulus fuiſſe creditur, dulcitérque ſcribit ad Paulũ in Hiſpania manentẽ.* At nos alibi oſtẽdimus [a], S. Auguſtini, & Taciti Annaliũ teſtimonio, Senecam mortuũ eſſe Gentilem, non Chriſtianũ. Quod verò ad eius attinet literas Apoſtolo Paulo reſcriptas, etiamſi quæcũque illæ fuerint, aliquas verè miſſas fuiſſe negare non poſſimus; tamen cùm in iis, quæ extant, & quarum alibi varia fragmenta retulimus [b], multa mentio habeatur illius magnæ conflagrationis ferè totius Vrbis Romæ, quæ contigit anno imperij Neronis decimo, Chriſtianis falsò imputatæ, quibus vt innocentibus Seneca compatiebatur; oportebit aſſerere tardiùs quinque abhinc annis Paulum in Hiſpania fuiſſe. Et cùm in altera eiuſdem Senecæ ad eundem Apoſtolum epiſtola hæc ſubſcriptio inueniatur: *Data quinto Aprilis, Aproniano & Capitone Conſulibus*, qui Conſules, teſte Cornelio Tacito [c], conſulatum quinto Neronis anno adminiſtrauerunt; debuiſſet Paulus

a lib. 7. c. 8.

b lib. 7. c. 8.

c Tacit. lib. 14.

Paulus pridem ante quinque annos eſſe in Hiſpania;nempe,ab anno præſenti vſque ad decimũ Neronis. Addit idem Lucius Dexter, Epiſtolam Pauli ad Hebræos,non Ieroſolymam, ſiue in Iudæam miſſam, ſed ad eos Hebræos, qui tunc erant in Hiſpania ad Chriſti fidem conuerſi. At quæri ab hoc Auctore poſſet, vtrùm, antequàm eò Paulus veniſſet, eam Epiſtolam ſcripſerit, an poſteaquàm redierat ex Hiſpania? Certè primum nõ videtur aſſerendum, cùm in vltimo Epiſtolæ capite apud illos ſe aliquando fuiſſe,apertè ſignificet illis verbis[d]: *Ampliùs autem deprecor vos hoc facere, quò celeriùs reſtituar vobis.* Neque videtur dici poſſe, ſcriptam Epiſtolam, poſteaquàm ex Hiſpania Paulus rediiſſet:nam in eodem poſtremo Epiſtolæ capite, ſe ad eos reditutum ſimul cum Timotheo pollicetur, dicens:*Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum,cum quo, ſi celeriùs venerit, videbo vos.* Niſi fortè quis aſſeruerit,non ſemel tantùm,ſed iterum, aut ſæpiùs Apoſtolum in Hiſpaniam iuiſſe, ac rediiſſe, quæ ſunt hactenus inaudita, neque ex tam multis anteà prolatis antiquorum hac de re teſtimoniis erui poteſt; ſed magis videntur indicare contrarium.

d *Hebr. c.vlt.v. 20. & 24.*

At nimirum hoc eſt, quod Arnobius libro primo, & quarto aduersùs Gētes, Optatus quoque Mileuitanus, & S. Auguſtinus ſæpe lamentantur, iacturam eſſe factam ſacrorum librorum,& eccleſiaſticarum hiſtoriarum, propter impia edicta Imperatorum, vt huiuſmodi ſcripta Chriſtianorum omnia igni traderentur. Rem executioni mandatam ſub Diocletiano refert Euſebius libro octauo Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, capite ſecundo, & tertio:quam ſpectare propriis oculis potuit Arnobius,cum eo tēpore in vrbe viueret, & incendium librorum eſſet in publico foro. Quamuis autem exemplaria ſacrorum Bibliorum,quæ per vniuerſas totius Chriſtiani Orbis Eccleſias plurima ſeruabantur,petire ex toto non potuerunt; tamen alia multorum Martyrum Acta, & Hiſtoriæ Sanctorum,quorum adeò multiplicata non erant exemplaria, illo incendio facilè perdebantur: quantumuis ea cum aperto etiam vitæ periculo fideles defendere conarentur. Vnde ſic de illis in Romano Martyrologio legimus ſub die ſecunda Ianuarij: *Romæ commemoratio plurimorum ſanctorum Martyrum, qui ſpreto Imperatoris Diocletiani edicto, quo tradi ſacri Codices iubebantur, potiùs corpora carnificibus, quàm ſancta dare canibus maluerunt.* Nos igitur ex iis,quæ habemus, ſacris & indubitatis Scripturis alia, vt poſſumus, deducemus.

Iuiſſe Apoſtolum aliquando in Hiſpaniam,certum anteà ſtatuimus, & eam profectionem hoc anno ſuſcepiſſe, licèt non adeò certum, probabilius tamen exiſtimamus, præſertim propter allatũ ſuperiori capite Chryſoſtomi teſtimonium. Cùm verò vſque ad poſtremum eius in vrbem reditum ſub Neronis anno decimotertio,octo anni ſuperſint,in quibus non vnam tantùm,aut duas obire prouincias; ſed totum Orbem Romanum, aliáſque barbarorum exteras regiones circumire potuiſſet, meritò credi poteſt, eas ſaltem Eccleſias inuiſere voluiſſe, quibus ſuum in poſtremis literis aduentum pollicebatur. Primùm itaque redire mari mediterraneo ſuſcepta Orientem versùs nauigatione debuit in Iudæam: ſic enim in Epiſtola ad eos ſcripta facturum ſe promiſerat. Nec eſt, quòd alicui minus id veriſimile videatur ob inſidias tam multas, & capitale odium Iudæorum, quod circa

cà Iudæam, & maximè Ieroſolymis fuerat expertus: nam quinque vel plures anni iam præterierant, in quibus magna ſolet fieri Magiſtratuum, & aliarum ſæpè rerum permutatio: fuerat quoque poſt tot accuſationes in ſupremo Neronis tribunali innocens declaratus; deinde potuit non intrare Ieroſolymam, aut non diu ibi morari, nec publicè conuerſari. Syriam egreſſus, ad eam Aſiæ partem, quæ maiorem Phrygiam continet, videtur iter direxiſſe, niſi eò diuertiſſet, priuſquàm in Syriam perueniret. Nam in Epiſtola ad Philemonem, qui nobilis erat Coloſſenſis, ita ſcripſit [e]: *Para mihi hoſpitium: nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis.* Erat autem ciuitas Coloſſenſis, vt vidimus ſuo loco, in Phrygia maiori: Aſia relicta, & Ægæo mari ſuperato, venire debuiſſet in Europam, tranſiens per Macedoniam, vt ibi inuiſeret Eccleſiam Philippenſium: in literis enim ad eos Roma datis anno ſuperiori, ſic ſcripſit [f]: *Coarctor è duobus, deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto multò magis melius: permanere autem in carne neceſſarium propter vos. Et hoc confidens ſcio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum, & gaudium fidei: vt gratulatio veſtra abundet in Chriſto IESV in me, per meum aduentum iterum ad vos.* Et in capite ſequenti [g]: *Timotheum* (inquit) *ſpero me mittere ad vos, mox vt videro, quæ circa me ſunt. Confido autem in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos citò.* Hæc ita ſe habuiſſe cùm credere debeamus, ſiquidem Apoſtolo vltra promiſſionem ſuam, nec voluntas, nec opportunitas, nec tempus defuit, nec apparet, quæ ſit ei obiecta in contrarium difficultas: tamen illud opponere aliquis poſſet, quòd Paulus ipſe ante tres annos ex Aſia diſcedens, cùm ſubſtitiſſet Mileti, & ad ſe conuocaſſet maiores Eccleſiæ Epheſinæ, inter alia prophetico ſpiritu illis denunciauit, ſe non ampliùs eò venturum, dicens [h]: *Et nunc ecce ego ſcio, quia ampliùs non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſiui prædicans regnum Dei.* Atque id acceptum ab Epheſiis tanquam diuinum Oraculum magnus omnium fletus ſubſecutus ſignificauit, qui *dolebant* (ait S. Lucas) *maximè in verbo, quod dixerat, quoniam ampliùs faciem eius non eſſent viſuri.* Quare, ſi hæc (vt videtur) omninò prophetia fuit, oportet dicere Paulum aliquibus impedimentis fuiſſe detentum, vel aliquas habuiſſe rationes, ob quas Epheſinam Eccleſiam reuiſere non debuerit: ſatis enim diu ibi ferè per triennium fuit, & quantùm in nulla alia Eccleſia conſtituenda moratus eſt, Timotheum optimum, & vigilantiſſimum Paſtorem ei præfecerat: denique S. Ioanni Euangeliſtæ multũ cordi futuram eam Eccleſiam intelligebat. Vnde, ſicut, quando illac vltimò pertranſibat, voluit (vt ait S. Lucas [i]) *tranſnauigare Epheſum, ne qua mora illi fieret in Aſia.* ita modo fortaſſis, quia Romam properabat reuerti, propter magnas illius Eccleſiæ ſub Nerone difficultates, breuiorem ſuſcepit versùs Italiam nauigationem.

Poſt aliquot igitur dierũ iter ingreſſus mare Siculũ, Meſſanam peruenit: nã ad hanc ciuitatẽ aliquãdo Apoſtolũ veniſſe, firma traditio eſt Meſſanẽſium, eique Epiſcopum Bacchylũ dicunt præfeciſſe, quem corrupto vocabulo Barchirum ibi vulgus appellat. Sed & annis ſingulis ex antiqua conſuetudine in die Feſto Conuerſionis S. Pauli, habẽtur Meſſanæ ſolẽnes ſupplicationes

e Philem. v. 22.

f Philip. c. 1. v. 23.

g ibid. c. 2. v. 23.

h Act. 20. v. 25. 38.

i ibid. v. 16.

ſupplicationes in memoriam Bacchyli Epiſcopi ab Apoſtolo Paulo Eccleſiæ Meſſanenſi relicti: quo etiam tēpore Apoſtoli reliquiæ per vrbem ſacra pompa circumferuntur. Quando autem hæc Pauli nauigatio in Siciliam contigerit, aliqui ambigunt: ſunt, qui eam modo cum prima confundāt, quando poſt naufragium circa Inſulam Melitam Paulus vinctus appulit Syracuſam, & inde venit Rhegium: alij ad alia priora tempora rem transferunt multo remotiora, eoque magis à vero aliena. Tamen, quia de Bacchylo Meſſanenſi Eccleſiæ à Paulo in Epiſcopum conſtituto (vt dicebamus) habet illius Eccleſiæ firma traditio: neque ſolùm traditione, ſed etiam graui teſtimonio S. Ioannis Chryſoſtomi [k] creditur Paulus Inſulam Siciliæ peragraſſe: id autem fieri non potuit, antequàm ex Iudæa diſceſſiſſet, vt vinctus ad Neronem perduceretur, & Romam, vt ipſe optabat [l], tunc primum videret: neque ſtatim poſteaquàm à primis vinculis eſt liberatus: tunc enim (vt oſtendimus) iter ſuſcepit in Hiſpaniam: reliquum eſt, vt Orientis Eccleſias his vltimis annis reuiſere voluerit. Vnde mirum non eſt, ſi per idem mare Siculum, & per nota ſibi littora, eàdem, qua per tot annos venerat, via nauigationem ſuam direxerit in Italiam.

k *Chryſ. hom 2 in ep. ad Rom.*

l *Act. c. 19. 21.*

CAPVT IX.

Venit Romam, vt Eccleſiæ ſæuiſsima Neronis perſecutione afflictæ ſubueniat: & in vincula ſimul cum Petro conijcitur.

ABſente Roma Paulo ab anno imperij Neronis quinto vſque ad duodecimum, necnon inde Petro ad alias Eccleſias digreſſo, magna rerum in deterius mutatio ſecuta eſt: multique per orbem terrarū ex Apoſtolis martyria obierunt. Quare anno ſexto Neronis, qui fuit humanæ ſalutis ſexageſimusſecundus, infauſtum ſydus cometes effulſit, ait Cornelius Tacitus [a], quod opinione vulgi mutationem imperij portendere putabatur. Icta quoque illapſo fulmine menſa Neronis auxit eundem rumorem: ſed, quia tardabant diuinæ vltionis effectus, inde Nero crudelior quotidie, ac ſceleratior reddebatur. Hoc item anno in Achaïa cruci affixus Apoſtolus Andreas ponitur [b]. Anno verò ſequenti, qui fuit Chriſti ſexageſimustertius, & Neronis ſeptimus, S. Iacobus frater Domini, primus Ieroſolymorum Epiſcopus, cognomento Iuſtus, cui vni licebat ingredi Sancta Sanctorum, lapidibus appetitur: mox in altiſſimum templi locum adductus inde præcipitatur, cuius necem vlciſcente Numine, cœpit Ieroſolyma variis prodigiis, tanquam vltimi excidij prænunciis, exagitari. Anno inſequenti, qui fuit humanæ ſalutis ſexageſimusquartus, & Neronis octauus, S. Marcus Euangeliſta Alexandriæ, quò antea miſſus Roma fuerat à S. Petro, cùm Miſſam die Dominico celebrare, irruentibus in eum Gentilibus fune ad collum iniecto, per ſaxa raptatur, & interficitur. Eodem anno in Perſide Simon, & Iudas Apoſtoli martyrio affecti ponuntur ab aliquibus [c]. Anno verò Chriſti ſexageſimoquinto, & Neronis nono, prodigia, & minæ cœleſtes contra Ieroſolymam increbreſcebant. Hæc autem Ioſephus [d], quamuis Iudæus, totumque poſtea ſecutum Ieroſolymitanum excidium, ob iniquam cædem ſāctiſſimi viri Iacobi Apoſtoli à Deo Iudæis irato immiſſa fuiſſe interpretatus eſt. Anno ſequenti, qui fuit Chriſti

a *Tacit. lib. 14.*

b *Onuphr. in Chron.*

c *Onuphr. in Chron. ſed negat Baron.*

d *apud Euſeb. l. 2. c. 23. Orig. l. 1. contra Celſum.*

Chriſti ſexageſimusſextus, & Neronis decimus, occiſum S. Matthiam Apoſtolum aliqui [e] tradunt. Romæ verò primitiæ Martyrum in magno numero prima,& grauiſſima Neronis perſecutione dicatæ ſunt:ſic enim eas appellat Romanum Martyrologium die vigeſimaquarta menſis Iunij, in hæc verba: *Romæ commemoratio ſanctorum plurimorum Martyrum,qui ſub Nerone Imperatore, de vrbis incendio per calumniam accuſati, diuerſo mortis genere ab eodem iuſſi ſunt ſæuiſſimè interfici: quorum alij ferarum tergis tecti, laniatibus canum expoſiti ſunt: alij crucibus affixi: alij incendio traditi, vt vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis deſeruirent. Erant hi omnes Apoſtolorum diſcipuli, & primitiæ Martyrum, quas Romana Eccleſia,fertilis ager Martyrum, ante Apoſtolorum necem tranſmiſit ad Dominum.* Et quoniam hinc potiſſimùm excitatus fuiſſe videtur Apoſtolus Paulus, vt cum Petro in vrbem reuerti hoc tempore cogitaret, ambo generoſiſſimi Eccleſiæ Principes fidelibus ibi extremè laborantibus præſtò futuri, rem hanc explicare ampliùs debemus, quam non ſolùm noſtri, ſed etiam ethnici Scriptores literis conſignarunt. Itaque Cornelius Tacitus in ſuis Annalibus ſic habet [f]: *Sequitur clades,fortè an dolo Principis, incertum: nam vtrunque Auctores prodidère: ſed omnibus, quæ huic vrbi per violentiam ignium acciderunt, grauior, atque atrocior.* Deinde, vbi retulit hic Hiſtoricus, hominum lamenta, oppreſſiones, interitus, iacturam incomparabilem diuitiarum, ædificiorum ruinas, ita vt ex quatuordecim regionibus, in quas diuidebatur vniuerſa ciuitas, quatuor tantùm integrę permanſerint; Nerone interim ex loco ſecuro ſpectante, ridente, & incendium Troianũ Homericis verſibus decantante, ſubdit Tacitus, ſuſpicari populum cœpiſſe, nonniſi iuſſu Neronis id eſſe factum: quam ipſe infamiam vt à ſe auerteret,ſupplicari Vulcano,Proſerpinæ,& aliis Diis voluiſſe: vſum quoque erga populum fame pereuntem aliqua liberalitate. *Sed non ope humana*, inquit Tacitus, *non largitionibus Principis, aut Deûm placamentis decedebat infamia, quin iuſſum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos,& exquiſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inuiſos, vulgus Chriſtianos appellabat. Auctor nominis eius Chriſtus, qui Tiberio imperante, per Procuratorem Pōtium Pilatum ſupplicio affectus erat. Repreſſáque in præſens exitiabilis ſuperſtitio, rurſus erumpebat, non modò per Iudæam,originem eius mali; ſed per vrbem etiam, quò cuncta vndique atrocia, aut pudenda confluunt, celebrantur. Igitur primo correcti, qui fatebantur, deinde iudicio eorum multitudo ingens haud perinde immani crimine incendij, quàm odio humani generis conuicti ſunt. Et pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti,laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi:atque vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis vrerentur. Hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat, & circenſe ludicrum edebat habitu aurigæ permixtus plebi, vel circulo inſiſtens. Vnde quanquam aduersùs ſontes,& nouiſſima exempla meritos, miſeratio oriebatur.* Huc vſque Tacitus, qui tamen odio Chriſtianorum in aliquibus non ſolùm veritati, ſed etiam ſibimet ipſi contradicit, dum ſontes Chriſtianos vocat, & quoſdam eorum ait falſos culpam incendij. At nónne ipſe, vbi primùm orditur huius incendij narrationem, ſic ait? *Sequitur clades,fortè an dolo Principis incertum.* Tum addit,nulla,nec humana,nec diuina ope fieri potuiſſe, quin iuſſum à Nerone

e Onuphr. in Chron. L. Dexter in Chron.

f Tacit. lib. 15. Ann.

EEeee incendium,

incendium crederetur. Deinde infrà: *Nec, inquit, quiſquam defendere audebat, crebris multorum minis reſtinguere prohibentium: & quia alij palam faces iaciebant, atque eſſe ſibi auctorem vociferabantur.* Scilicet, pauperes Chriſtiani, ſuperbis Gentilibus cótemptibiles, luce palàm id feciſſent, nec vllus Gentilium eos prohibere auſus fuiſſet? niſi quod audaciſſimi incendiarij à Nerone erant ſubmiſſi, quem, etiáſi apertè non nominabát; ſatis tamé indicabant, ſe miſſos cũ auctoritate, & ab eo iuſſos id facere. Vnde addit Tacitus, Subrium Flauium, Tribunũ militũ, non eſſe veritum, id Neroni corã, palámque exprobrare, illis verbis: *Odiſſe te cœpi, poſtquàm parricida matris, & vxoris, auriga, hiſtrio, & incendiarius extitiſti.* Nec omittit Tacitus exponere, quænam fuerit in re tam abſurda, Neronis intentio: *Videbatur,* inquit, *Nero condendæ vrbis nouæ, & cognomento ſuo appellandæ gloria quærere.* Nempe, Romã voluiſſet appellare Neropolim, ait Suetonius [g], qui ré ampliùs exponens, ita ſcribit: *Sed nec populo, aut mœnibus patriæ pepercit: dicente enim quodam in ſermone communi:*

g Suet. in Nerone, c. 38. 55.

Ἐμοῦ θανόντος, γαῖα μιχθήτω πυρί.

hoc eſt: Me moriente, terra miſceatur igni. *Imò, inquit, ἐμοῦ ζῶντος.* id eſt, me adhuc viuéte. *Planeq́; ita fecit: nã quaſi offenſus deformitate veterum ædificiorũ, & anguſtiis, flexuriſque viarum, incẽdit vrbem tã palam, vt plerique conſulares, cubicularios eius cum ſtuppa, tædáque in prædiis ſuis deprehenſos, non attigerint.* Addit infrà Suetonius: *Hoc incendium è turri Mecœnatica Nero proſpectans, lætúſque, flammæ, vt aiebat pulchritudine, ἅλωσιν Ilij, Troianúmque excidium decantauit in illo ſuo ſcenico habitu. Ac ne non hinc quoque quantũ ſuiſſet prædæ, & manubiorum inuaderet, pollicitus cadauerum, & ruderũ gratuitã eiectionẽ, nemini ad reliquias rerum ſuarum adire permiſit.* Hæc Suetonius, quę ſimiliter à Dione, & aliis confirmantur, nulla de Chriſtianis, quaſi criminis auctoribus facta mentione. Sed hoc loco non omittendum, quòd Tacitus dixit de Chriſtianis, aliquos eorum culpam eſſe faſſos, fieri potuiſſe, vt aliqui, non tam ex Chriſtianis, quàm ex Iudæis, quos non ſatis inter ſe Gentiles diſtinguebant; ſiue etiam ex Chriſtianis ipſis, ſed minùs conſtantibus, ob exquiſita tormenta, & diriſſimos cruciatus cogerentur fateri culpam, quam nõ admiſerant. Quod indicat Hiſtoricus, dum ait: Non perinde crimine incendij, atque odio conuictos. Neque mirum videri debet, ethnicum idololatram tanto odio Chriſtianos eſſe proſecutum, vt eos vocet, odium humani generis; tum, quia hoc eſt illud à Domino pronunciatum [h]: *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* tum, quia Chriſtiani Deos Gentilium maximè deteſtabantur, ſicut viciſſim Gentiles Chriſti Crucem execrabantur. *Verbum enim Crucis,* inquit Apoſtolus [i], *pereuntibus ſtultitia eſt.* tum denique, quòd Hæretici complures ſub nomine Chriſtiano tunc vagarentur, ait Baronius [k], obſcœniſſima perpetrantes, atque ita nomen Chriſtianum infamantes: multa etiam turpia de Iudæis ab Appione, aliiſque conficta, in Chriſtianos, quòd viderẽtur à Iudæis progeniti, reiiciebantur. Aderat præterea Romæ hoc tẽpore Simon magus, & quoſdam ſibi aggregauerat diſcipulos, quibus ſe eſſe Chriſtum perſuaſerat: ſed ne in tanta Chriſtianorũ ſtrage diſpendiũ pateretur, eos docuit palã negare fidẽ, & ſi opus eſſet etiã pro tẽpore idola colere: nã, quod hactenus nõ fuerat factũ, omnes cogebantur idola venerari.

h Matth. c. 24. v. 9.

i 1. Cor. c. 1. v. 18.

k anno Dom. 66.

Additum præterea fuit anno inſequenti,

quenti, qui erat Chriſti ſexageſimuſſeptimus,& Neronis vndecimus,crudele edictum contra Chriſtianam religionem, vt ſine alio delicto ſolum nomen Chriſtiani haberetur inter crimina capitalia, mādatúmque Præfectis omnium prouinciarum, vt qui à Chriſto ad idola non conuerterentur,cruciatibus exquiſitiſſimis necarentur. Meminit huius edicti Seuerus libro Hiſtoriarum ſecundo, vbi poſt narratum vrbis incendium ab ipſo Nerone procuratum,ſic ait: *Hoc initio in Chriſtianos ſæuiri cœptum: pòſt etiam datis legibus religio vetabatur, palámque edictis propoſitis Chriſtianum eſſe non licebat.* Atque hæc prima numeratur celebris Eccleſiæ perſecutio, de qua ſic ſcribit in Apologetico aduersùs Gentes Tertullianus [l]: *Conſulite commentarios veſtros; illic reperietis primum Neronem in hanc ſectam tum maximè Romæ orientem, Cæſariano gladio ferociiſſe. Sed tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur: qui enim ſcit illum, intelligere poteſt, non niſi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.* Quare,quod Tacitus ſuperiùs indicauit, ſuperſtitionem, vt ipſe vocat, Chriſtianam, aliàs reprimi tentatum fuiſſe, non eſt intelligendum id Romæ factum gladio Cæſariano; ſed alibi per Magiſtratus, & Poteſtates inferiores: à quibus proximè præteritiš annis,vt ſuprà recenſuimus, plures ex Apoſtolis in variis regionibus martyrio ſunt affecti. Sed numerus hoc anno coronatorum pro Chriſto fuit longè maximus. Vbi verò interim Apoſtoli, Petrus, & Paulus, morarentur, aut quàm prope Romam,aut Italiam acceſſerint, exploratum ſatis non habetur. Veterum conſtans opinio eſt,ambo Romā non eſſe reuerſos, niſi anno ſequenti,Neronis, videlicet,duodecimo,qui fuit Chriſti ſexageſimus octauus:quādo propter detectā in Neronē coniurationē, furor aduersus innocētes Chriſtianos aliquantulùm deferbuerat, & gladius Cæſaris magis in eos erat cōuerſus, qui vel inter cōiuratos fuiſſe, vel eis aliqua ratione fauiſſe,quāuis leuiſſima ſuſpicione inſimularentur:hi autem non erant, niſi Gentiles.Ea occaſione plures ex ordine ſenatorio,alíique viri primarij necati ſūt;inter quos fuit Seneca, Philoſophus, præceptor eiuſdē Imperatoris,& Lucanus Poëta, Senecæ nepos, & Plautius Lateranus,vir clariſſimus, Cōſul deſignatus,qui habebat in Cœlio monte palatiū,quod poſteà à Cōſtantino Imperatore mutatum in Eccleſiam Saluatoris,ab eo denominata eſt Baſilica Lateranenſis, vt inter alios S. Hieronymus [m] adnotauit.

l Tertul. in Apol. c. 5. & apud Euſeb. l. 2. c. 24.

m S. Hier. ep. 30 ad Oceanū.

Hæc dum in vrbe geruntur, non eſt viſum Apoſtolo Paulo Romam venienti, hoſpitium ſtatim ſibi deligere intra vrbē, ſicut cum anteà primùm ex Iudæa ad Neronem mittebatur: ſed habitauit in ſuburbiis;nec ibi tam domum, quàm horreum pro hoſpitio nactus eſt. Expectabatur interim in vrbe à Luca,qui non pridem venerat ex Galatia, & à Tito eò vocato ex Dalmatia: ſic enim Acta Lini teſtantur his verbis [n]: *Cùm veniſſet Romam Lucas à Galatia, & Titus à Dalmatia, expectauerunt Paulum in vrbe. Quos cùm aduenicns Paulus vidiſſet, lætatus eſt valdè, & conduxit ſibi extra vrbem horreum publicum, vbi cum his, & aliis fratribus de verbo vitæ tractaret.* Sed, antequàm plura ex hoc Auctore afferamus, oportet, quod aliàs admonuimus, animaduertere, S. Linum, qui proximè S. Petro in Romano pontificatu ſucceſſit, Acta quædam ſcripſiſſe: nam id plures ex antiquioribus apertè teſtantur; ea tamen, quæ modò extant in Bibliotheca Patrum

n Linus lib. 2. de Martyr. S. Pauli, tom. 5. Bibl. PP.

ſub hoc titulo, *Acta paſſionis Petri & Pauli*, duobus diſtincta libris, in quorum primo de Petro, in ſecundo de Paulo agitur, vel eſſe Lini non poſſunt, vel ab Hæreticis præſertim Manichæis putantur fuiſſe deprauata [n]. Quare hic eatenus illis vtemur, quatenus non diſcrepant à ſana doctrina, vel ab Hiſtoriis certioribus. Iam verò de Pauli ad vrbem reuerſione pergit Linus, vel quiſquis eſt ille antiquus auctor, his verbis: *Cœpit intereà Paulus colligere multitudinem maximam, adiiciebanturquè per eum fidei multæ animæ, operante Dei gratia, ita vt per totam vrbem ſonus prædicationis, & ſanctitatis eius fieret, & exiret fama per vniuerſam regionem de illo. Iam enim admodum innotuerat orbi Romano ſignis, & prodigiis, & doctrina multa atque admirabili ſanctitate. Concurſus quoque multus de domo Cæſaris fiebat ad eum credentium in Dominum* IESVM *Chriſtum, & augmentabatur quotidie fidelibus gaudium magnum, & exultatio. Sed & inſtitutor Imperatoris adeo eſt illi amicitia copulatus, videns in eo diuinam ſcientiam, vt ſe a colloquio illius temperare vix poſſet, quominùs ſi ore ad os illum alloqui non valeret, frequentibus datis & acceptis epiſtolis, ipſius dulcedine & amicabili colloquio atque conſilio frueretur: & ſic eius doctrina, augente Spiritu ſancto, multiplicabatur, & diligebatur, vt licitè iam doceret, & a multis libentiſſimè audiretur. Diſputabat ſiquidem cum ethnicorum Philoſophis, & reuincebat eos: vnde & plurimi eius magiſterio manus dabant. Nam & ſcripta illius quidam magiſter Cæſaris coram illo relegit, & in cunctis admirabilem reddidit. Senatus quoque de illo alta non mediocriter ſentiebat.* Hactenus ille Auctor: hæc tamen non ſatis inter ſe cohærent: nam, quòd ait Paulum conduxiſſe ſibi extra vrbem hoſpitium, ſine vlla dubitatione de hoc ſecundo Pauli ad vrbem acceſſu deberet intelligi; non autem de primo, in quo teſte S. Luca [o], conductam ſtatim habuit domum intra vrbem pro toto biennio. Deinde, quia Lucas cum Paulo tunc venerat ex Iudæa: hoc verò tempore dicitur ex Phrygia veniſſe, & ante Paulum Romā perueniſſe. Prætereà, nulla hic mentio vinculorum, ſed poſtea coniectus in vincula iuſſu Neronis aſſeritur, quod accidit hoc anno Neronis duodecimo. Attamen, quæ in hac narratione ſubdūtur non poſſunt huic tempori conuenire: vt de contracta Pauli cum Seneca familiaritate: erat enim ab anno ſuperiori Seneca, ſicut retulimus, interfectus: concurſus etiam de Cæſaris domo fieri ad Paulum ſolitos hoc tempore non eſt veriſimile, quando ſeueriſſimis edictis Chriſtiana religio, præſertim Romæ, prohibebatur. Et multò minùs credibile videtur, fuiſſe, qui Pauli ſcripta coram Nerone recitaret; ſiue Seneca id feciſſe putetur, & ſignificatur, cùm quidam magiſter Cæſaris dicitur, ſiue alius, vt admirationem Imperatori de Apoſtoli ſapientia moueret. Quare ſi hæc pro veritate ſint concilianda, erit dicendum, Auctorem hunc rationes temporum confudiſſe, & quæ ante plures annos euenerant, ne prætermitteret, huic tēpori adiunxiſſe. Quæ verò ait de frequentibus datis, & acceptis à Seneca literis, vbi colloquio Pauli perfrui non concedebatur, videntur ſignificare illas non fuiſſe propriè literas, ſed ſchedas intra vrbem vltrò, citróque miſſas, quod nos alias, vt veriſimile, admittebamus, factúmque inde fortaſſis fuit, vt eorum maior ratio non haberetur, ſed facilè interciderint, & data ſit occaſio fingendi ſimiles. quaſi ad longinquas miſſæ fuiſſent regiones.

n Trithem. de Viris illuſt. Six. Senenſ. Bellar. de Scrip. eccleſ. Baron. an. 80.

o Act. c. vlt. v. 30.

Quid

Quid autem Neronem mouerit, vt iuberet Paulum iterum in vincula conijci, multis idem Auctor exponens ait, cùm multi de domo Cæſaris ad Paulum audiendum conuenirent, inter eos fuiſſe quendam adoleſcentem pincernam Cæſaris, nomine Patroclum, qui, dum auidior audiendi, propter populi multitudinem introire non poſſet, ad excelſam feneſtram aſcendit, ibique auditurus conſedit. Apoſtolo autem diu protrahente ſermonem, Patroclus, partim ſomno correptus, partim Dæmone inuidente, & extrà propellente, ab excelſa illa feneſtra decidens, fractis ceruicibus interiit. Id Paulus in ſpiritu cognoſcens, deferri corpus mortui adoleſcentis ad ſe mandauit, eúmque ſtatim ad vitam his verbis reuocauit: *Patrocle, ſurge, & narra, quanta fecerit tibi Deus.* Hæc Nero non ſolùm intellexit, ſed etiam vocatum ad ſe Patroclum multis de hoc miraculo examinauit, quē cum audacter prò rei veritate reſpondentem, ſéque Chriſtianum profitentem Imperator videret, impacto ei colapho in carcerem detrudi mandauit. Addit idem Auctor, Paulum ipſum ad Neronis conſpectum vocitū veniſſe, illique rationem prædicationis ſuæ excelſo animo reddidiſſe, cui cùm Nero mortē minitaretur, Paulum viciſſim inter alia diuinæ vltionis ſupplicia comminatum quoque ſe poſt mortem ei appariturum. Et quidem huiuſmodi narrationem de Patroclo nemo non videt eſſe confictam ad ſimilitudinem ſuſcitati Eutychi adoleſcentis, qui, dum Troade Paulus diu aliquando concionaretur, & ipſe in feneſtra, quam ad audiendum cōſcenderat, graui ſomno mergeretur, cecidit de tertio cœnaculo deorſum, & ſublatus eſt mortuus, vt refert S. Lucas [p], Actorum capite vigeſimo. Quia tamen pincernam aliquem Neronis ad fidem Chriſti à Paulo conuerſum, & inde Neronem grauiter contra Paulum fuiſſe indignatum, alij plures meminerunt, & tradidit S. Ioannes Chryſoſtomus [q], ac Theophylactus circa finem Commentariorum ſecundæ Epiſtolæ ad Timotheum, & ibidem quoque Oecumenius; ideò poſſet dici, nudam huius rei veritatem fuiſſe ab aliquo veſtitam, aliunde petitis, & emenritis circūſtantiis. Illud prætereà, quod de Paulo ad cōſpectum Neronis vocato, liberè Cæſarem arguente, nec aliquid grauius præter vincula tunc paſſo dicebatur, ita reddi poſſet veroſimile. Erat Nero tunc maximè aduersùs Gentiles coniuratos furore in cenſus: intelligebat, ſe nihil tale ab inſontibus Chriſtianis habere, vel habuiſſe vnquam, quod timeret, etiamſi pœnas de illis crudeliſſimas nulla ex cauſa ſuſcepiſſet: agnouerat ante plures annos poſt diuturna Pauli duorum annorum vincula, & varias accuſationes, eius innocentiam. Fortè etiam, quia hoc tempore, occaſione Simonis magi, quem poſteà Romam eſt ſubſecutus Apollonius Tyanæus, Nero ardentiſſimo artis magicæ ſtudio tenebatur, & huiuſmodi artis homines etiā ab extremis regionibus euocabat, Paulū, de quo mortuorum ad vitam reductionem, & alia mirabilia referri audiebat, ad eam hominum claſſem reuocabat: idque tantò magis, quantò aduertebat, Simonem magum, quem habebat in deliciis, æmulatione quadam ferri in Paulum, & Petrum, imò & in Chriſtum, quem Paulus cum Petro prædicabat. Quare committere illos fortaſſis inter ſe voluit, & experiri, quis eórum præſtantior appareret; niſi, antequàm Apoſtoli traderentur in cuſtodiam, quod infrà videbimus,

[p] *Act. c. 20. v. 7. &c.*

[q] *Chryſoſt. hom. 10. in 2. Timoth.*

bimus, Simon magus iam perierat. Certè fuiſſe Neronem ſtudio magiæ addictiſſimum, multi teſtantur, & inter hos Plinius, dum ait [a]: *Nemo vnquam vlli artiũ validius fauit. Ad hæc non opes illi defuêre, nõ vires, non diſcẽdi ingenium, aliaque non patiẽte mundo: & fortuna rerum humanarum ſumma geſtiente in profundis illius animi vitiis.* Satius itaque Nero habuit, non ſtatim Paulum, nec Petrum neci tradere; ſed ambos mancipatos aliquandiu carceri detinere: præſertim, quia tunc in Achaïam ipſe proficiſci cogitabat. Quare Mamertino carceri vterque Apoſtolus deſtinatur, in quo quid egerint, & qualia paſſi fuerint, ſequenti capite narrabitur.

a Plin. lib. 30. c. 1.

CAPVT X.

In carcere Paulus cum Petro diu manet: multi ad Chriſtum conuertuntur, baptizantur, & varia miracula eduntur.

EOdem anno Chriſti Domini ſexageſimooctauo, & Neronis duodecimo deſinẽte in Octobri, hoc enim mẽſe ante annos duodecim imperiũ obtinuerat, ſancti Apoſtoli, Petrus, & Paulus, carceri Mamertino includuntur. Incertũ, qua die; tamen hoc menſe Octobris id factum inde colligimus: quia, cùm cõſtet ex Romano Martyrologio, necnon Bedæ, & Vſuardi, aliiſque Scriptoribus eccleſiaſticis, nouem ipſos mẽſes in ea cuſtodia vſque ad martyriũ Apoſtolos eſſe detẽtos: martyrium verò die vigeſimanona Iunij eos cõſummaſſe, nemo ambigit; ſi à Iunio per nouem ſuperiores mẽſes retrocelſerimus, ad Octobrem deueniemus, qui initium erat anni Neronis decimitertij. Vnde verò hic Imperator ſit permotus, vt cum Paulo Petrum eidem carceri manciparet, ac demũ ſupplicio Crucis adiudicaret, omnes, tam Græci, quàm Latini Scriptores conſentiunt, id factum ob Simonem Magũ Neroni gratiſſimum, & chariſſimum ab Apoſtolis ſuperatum, & infami præcipitio necatum, dum in cœlum volare Dæmonibus illũ deferentibus incepiſſet, ſicut magus corã Cæſare facturũ ſe eſſe in ſe receperat. Et quidem à primo anno poſt Saluatoris in cœlum aſcenſionẽ inceperunt graues inter Petrum, & Simonẽ magũ diſceptationes, cùm Ieroſolymis vellet Simõ oblata pecunia emere donũ Spiritus ſancti, & gratiã miraculorum. Quapropter Ieroſolyma expulſus venit Cæſaream, vbi, ſicut refert S. Clemens [a], denuò à S. Petro publica diſputatione conuictus, in Italiã fugere cõpulſus fuit, & præueniẽs S. Petrum Romam tunc accedentem, tantã ſui admirationem omnibus Ethnicis vrbem ingreſſus excitauit, vt in Inſula Tiberina, vbi nunc eſt templũ S. Bartholomæi, ſtatua illi poſita fuerit cũ hac ſubſcriptione: *Simoni Deo ſancto.* ſicut ex Iuſtino refert Euſebius [b]. Quales verò, & quantæ eſſent huius magi præſtigiæ, explicãs Athanaſius, ſiue potiùs Anaſtaſius Nicænus [c], ſic ait: *Statuas faciebat ambulare, & in igne volutatus non exurebatur: in aere volabat: & ex lapidibus panes faciebat: ſerpens fiebat, & in aliquas alias beſtias trãsformabatur: duas habebat facies: in aurum conuertebatur: fores clauſas aperiebat: vincula ferrea ſoluebat: in cõuiuiis exhibebat ſpectra formarum omnis generis: vaſa, quæ erant in ædibus, faciebat videri, tanquã ſi ſua ſponte mouerẽtur ad miniſteriũ, iis, qui portabant, non viſis; efficiebátque, vt multa vmbræ cum præcederent, quas dicebat eſſe animas mortuorum.* Hæc, & alia Anaſtaſius de Simonis magi impoſturis, quæ, vt à S. Petro detectæ fuerint, & profligatæ, narrat Clemens Romanus in perſona

a Clemẽs lib. 6. Conſt. c. 7.

b Euſeb. lib. 2. Hiſtor. c. 12. aliàs 13.

c Athanaſ. q. 23.

perſona eiuſdem S. Petri ſic dicentis [d]: *Romam Simon cùm veniſſet, Eccleſiam vehementer perturbauit, multos auertens, atque ad ſuã adducens ſententiam: Gentes verò commouebat magicis artibus. Itaque quodã die in theatrũ in meridie proceſſit, pollicitus ſe in aere volaturum. Cùm omnes hac de re erecti eſſent, ego ſeorſum orabam. Itaque ſublatus à Dæmonibus volabat ſublimis, dicens, in cœlum ſe aſcendere, vnde illis bona ſuppeditaturus eſſet. Populo illi veluti Deo acclamante optima: attollens ego manus in cœlum, tota mente ſupplicabam Deo, vt per* I E S V M *Chriſtum Dominum frangeret ſceleſtum illum, & Dæmonum vim labefactaret in fraudem, & perniciem hominum illo utentium, illúmque perfractum non occideret, ſed comminueret. Tunc Simonem intuitus: Si Dei, inquam, homo ſum, Apoſtolus verè Chriſti verus, Doctórque pietatis, non erroris huiuſmodi, vt tu, Simon; impero improbis Virtutibus, quibus vehitur Simon magus, vt remittant ſuas vires, & ab alto hic decidat in riſum eorum, qui ab ipſo decepti ſunt. Cúmque hæc dicerem, deſertus à Virtutibus Simon cum magno fragore corruit, vehementérque concuſſus fregit coxendicem, & pedum talos; clamórque plebis ortus eſt, quo ferebatur, vnum Deum eſſe, quem iuſte Petrus nunciaret tantùm Deo fretus: multique à mago defecerunt.* Hactenus Clemens in Conſtitutionibus apoſtolicis, quæ, licèt in aliquibus deprauatæ inueniantur, tamen hic in parte cum aliis antiquioribus Auctoribus conueniunt: niſi quòd S. Cyrillus Hieroſolymitanus [e], Paulum ſimul cum Petro coniungit in hac victoria, dicens: *Dilatato autem errore*, (nempe. Simonis magi,) *par amicorum bonorum illam calamitatem correxit, Petrus, & Paulus, cùm eſſent Præſides Eccleſiæ, & oſtẽtantem ſeſe iſtum Simonem ſtatim extinxit. Cum enim prædicaret Simon, in cœlos ſe aſcenſurum, & vehiculo Dæmonum in aërem eſſet ſublatus: ſerui Dei genibus flexis, & concordiam oſtendentes, & concordiæ hoc telum per orationem emittentes in magum, deiecerunt illum in terram. Nec mirum eſt: Petrus enim erat, qui claues regni cœlorum portabat: Paulus erat, qui in tertium cœlum raptus eſt.* Hæc omnia confirmans Egeſippus [f] addit miraculum hominis mortui ad vitam reuocati, & præcipitium Simonis ait fuiſſe in Capitolio, ſic ſcribens: *Simon Magus venerat, & ſuis magicis artibus animum Principis ſibi conciliauerat. Cùm igitur Petrus, quocum eo tempore erat & Paulus, cum Simone mago decertaſſet ſuper ſuſcitatione mortui cuiuſdam: quia Simon tantùm motum capitis in illo cadauere efficiebat; Petrus verò in nomine* I E S V *Chriſti eum ſurgere, ſtare, ambulare, & loqui feciſſet: ille irritatus, ſtatuto die in montem Capitolinum conſcendit, & inde ſe deiiciens volare cœpit, vmbris Dæmonum nigris eum portantibus. Sed precibus Apoſtolorum præceps factus eſt: & fracto, debilitatóque crure, Ariciam conceſſit, atque ibi extinctus eſt.* Itaque non ſtatim Simon interiit, ſed vna die ſuperuixit, ſicut ait Metaphraſtes [g], vt haberet tempus, ſi vellet, reſipiſcendi. Sed Arnobius addit, delatum Brundam iterum ſe præcipitaſſe: ſic enim ſcribit libro ſecundo aduersùs Gentes [h]. *Viderunt Romani curſum Simonis magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Chriſto euanuiſſe. Viderunt, inquam, fidẽtem Diis falſis, & ab eiſdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum ſuo, cruribus iacuiſſe perfractis; poſt deinde perlatum Brundam, cruciatibus & pudore defeſſum, ex altiſſimi culminis ſe iterum præcipitaſſe faſtigio.* Hæc Arnobius, ſcribens aduersùs

Gentiles

d *Clemẽs lib. 6. Conſt. c. 9.*

e *S. Cyrill. catech. 6.*

f *Egeſip. lib. 3. excidij Ieroſ. c. 2.*

g *Metaphr. apud Sur. 29. Iuly.*

h *Arnob. lib. 2. poſt init.*

Gentiles tempore Diocletiani, ſub quo ipſe viuebat, qui profectò nihil tale dixiſſet, quod facile negari, aut quaſi fabuloſum in duorum reuocari cum irriſione fidei noſtræ potuiſſet. Sed nec ipſi Gentiles Hiſtorici rem talem diſſimulauerunt: nam, vt omittamus Lucianum [i], deſcribẽtem quendam huius temporis præſtigiatorem per aërem volantem, ſuper aquas ambulantem, & in igne medio ſenſim ac lentè incedentem, teſtatur Dio, cognomento Chryſoſtomus, iuſſum cuidam à Nerone, vt volaret, illúmque id ſe facturum promiſiſſe, ac propterea diu in aula Cæſaris nutritum fuiſſe tanquam volaturum. Huiuſmodi autem Icarium volãtem aliquando exhibitum ſpectãte Nerone in theatro, ſic narrat Suetonius [k]: *Sed Icarus primo ſtatim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipsúmque cruore reſperſit.* Porrò hunc Simonis caſum orationibus Apoſtolorũ adſcribunt non ſolùm Auctores ſuperiùs recenſiti, ſed alij prope innumeri [l], Auguſtinus, Epiphanius, Gregorius Turonenſis, Maximus Taurinenſis, Proſper Aquitanus, Seuerus Sulpitius, Theodoretus, Nicephorus, Glycas, Cedrenus, Egeſippus, aliúque permulti, vt, etiamſi modis aliquantò diuerſis id referatur, æquum non ſit quidquam de ipſa ſubſtantia facti dubitare. Varietas autem narrationum inde videtur proceſſiſſe, quòd huiuſmodi impoſturæ, atque præſtigiæ ipſos etiam intuentium oculos ſoleant ludificare, nec ea ſemel, ſed ſæpiùs per aliquot annos Simon diuerſis modis exercuit, tum alibi, tum maximè Romæ. Vnde mirum non eſt, ſi varia in aliquibus, & tamẽ certa feratur huiuſce rei fama, ex qua nec de tempore definiri ſatis poteſt; verùm ante amborum Apoſtolorum vincula poſtremus Simonis caſus acciderit; an vtroque, vel alterutro ſub cuſtodia detento, & inde ad certamẽ educto. *Eſt quidem hæc opinio plurimorum*, (inquit S. Auguſtinus [n],) *quamuis eam perhibeant eſſe falſam plerique Romani, quòd Apoſtolus Petrus cum Simone mago die Dominico certaturus, propter ipſum magnæ tentationis periculum, pridie cum eiuſdem vrbis Eccleſia ieiunauerit, & conſecuto tam proſpero, glorioſóque ſucceſſu, eundem morem tenuerit, eúmque imitata ſint nonnulla Occidentis Eccleſiæ.* Sed, ſiue dies Dominicus, ſiue alius fuerit huius Petri cum Simone mago certaminis, & ſiue eadem die, ſiue diuerſa in carcerem vterque Apoſtolus coniectus fuerit; certum eſt, ambo cum Simone Mago decertaſſe, & ambo fuiſſe detentos ſub eadem cuſtodia carceris Mamertini, ſic appellati; ſiue à Marte, quem etiam Mamertem aliqui dixerunt; ſiue ab aliquo ex nobili familia Mamertina, qui carcerem illum non tam extruxerit, (nam carcer antiquior ea familia videtur,) quàm innouauerit, & à ſe denominari fecerit. Hodie carcer dicitur S. Petri, ſiue S. Petrus in carcere: quamuis etiam S. Paulum, & alios plurimos ſubinde Chriſtianos Martyres continuerit: vnde non rara illius mentio in Hiſtoriis Martyrum inuenitur. Iacet autem ad radices montis Capitolij, ex quo monte Simon magus, vt antè retulimus ex Egeſippo, fuerat præcipitatus. Et eſt carcer ſupra forum Boarium, versùs Orientem, prope arcum triumphalẽ Septimij, habens deſcenſus ſubterraneos, qui locus à fidelibus certis anni temporibus magna populi frequentia celebratur. Non paruam autem carceris Tulliani gerit Mamertinus ſimilitudinem, quem Saluſtius in Catilinam ita deſcripſit: *Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur, vbi paulatim*

i Lucian. in Dial. Philopſeud. Dio orat. 21.

k Sueton. in Nerone, c. 12.

l S. Aug. lib. de hær. n. 1. & ſer. 27. de SS. Epiph. hær. 21. Greg. Tur. hiſt. Franc. c. 26. Maximus ſer. 5. in natali Apoſt. Proſper. de promiſſ. c. 3. Seuer. Sulp. lib. 2. Hiſt. Theodor. lib. 1. hæret. fab. c. 1. Niceph. lib. 2. c. 36 Glycas ann. l. 2. Cedrenus in compendio. Egeſipp. lib. 3. excidij, c. 2.

m S. Auguſt. ep. 86. ad Caſulanum, poſt medium.

paulatim deſcendens ad læuam, circiter duodecim pedes humi depreſſus, eum muniunt vndique parietes, atque inſuper camera lapidis fornicibus iuncta, & inculta tenebris, odore fœda, atque terribilis eius eſt facies. Hæc de Tulliano carcere Saluſtius: ex quo aliqui ſunt decepti [n], putantes, hunc Mamertinum nō alium fuiſſe carcerem, quàm Tullianum. Sed alius profectò à Mamertino eſt carcer Tullianus olim à Tullo Rege ſic appellatus, qui diu vnicus Romæ fuit, de quo Iuuenalis [o]:

n Pomp. Hug. de ſtation. vrbis, ſtat. 32. & aly ab eo cit. Panciroła in Theſaur. vrbis, lit. P. Petrus in carcere.

o Iuuen. ſat. 3.

Felices proauorum atauos, felicia dicas
Sæcula, quæ quondam ſub Regibus, atque Tribunis,
Viderunt vno contentam carcere Romam.

Hic erat, vbi nunc cernitur Eccleſia S. Nicolai, dicta in carcere Tulliano. Sed Mamertinus, de quo nunc agimus, poſt Saluſtij tempora extructus fuit, vt patet ex inſcriptione antiqua in fronte parietis poſita, & multis aliis argumētis benè oſtendit in Notis Martyrologij Baronius [p]. Quare non potuit à Saluſtio, cùm Tullianum deſcripſit, hic Mamertinus carcer ſignificari, qui nondum extabat. In hac igitur cuſtodia cum Sancti Apoſtoli detinerentur, non ceſſabant Euangelium Chriſti prædicare, tam iis, qui eodem carcere claudebantur, quàm aliis multis ad eos inuiſendos accurrentibus. Et ſicut legimus in Actis ſāctorum Martyrum Proceſſi, & Martiniani, ex antiquiſſimis, & fide dignis codicibus manuſcriptis à Surio [q] prolatis, plurimi variis afflicti morbis curabantur, & obſeſſi à Dæmonibus liberabantur: vnde in magno numero, multiſque precibus Baptiſmum poſtulabant. Quoniam verò aqua pro tanta multitudine non habebatur, fontem perennem Apoſtoli ſuis orationibus à Deo ibidem impetrarūt, qui intra carcerem vſque ad hanc diem perſeuerat, non ſolum pro memoria geſtorum admirandorum; verùm etiā ad perpetuū, & veluti quotidianū miraculum. Cùm enim imum illud carceris pauimentū ſtratum ſit ingentibus lapidibus Tiburtinis inuicem cohærentibus, erumpit ex medio carcere à perforato ſaxo altitudine ferè cubitali, & latitudine ſemicubitali, aquæ talis copia, vt neque ſupereffluat, neque deficiat vnquam: etiamſi religionis cauſa plurimis aliquando accedentibus, indéque haurientibus, tota exhaurienda eſſe aqua illa videretur. Breuem huius miraculi Hiſtoriā in Actis prędictis emendatioribus SS. Proceſſi & Martiniani, ſic legimus: *Tunc omnes Chriſti fidem recipientes abiecerunt ſe ad pedes Apoſtolorum, rogantes, vt Baptiſmum ab eis reciperent. At verò Beatiſſimi Apoſtoli orauerunt Deum, orationéque expleta, Beatus Petrus in monte Tarpeio ſignum Crucis expreſſit in eadem cuſtodia; atque eadem hora emanarunt aqua de monte: baptizatique ſunt promiſcui ſexus, & diuerſæ ætatis numero quadragintaſeptem.* Hi omnes ſacro Baptiſmate regenerati, quinto menſe, poſtquàm Apoſtoli in cuſtodia Mamertina detinebantur, Martij menſis die decimaquarta, inſigni martyrio coronati cœlo naſci meruerunt. Quare de illis in Romano, & aliis Martyrologiis ſic habetur [r]: *Romæ natalis ſanctorum quadragintaſeptem Martyrum, qui baptizati ſunt à B. Petro, cùm teneretur in cuſtodia Mamertiri cum Coapoſtolo ſuo Paulo: vbi nouem menſes detenti ſunt, qui omnes ſub deuotiſſima fidei confeſſione Neroniano gladio conſumpti ſunt.* Hos ſecuti non multò pōſt Torpes, vir primarius ex familia Neronis, & huius exemplo virtutum, ac in martyrio conſtantia permotus Euellius, qui erat

p Baron. in Notis Martyr. die 14. Martij noua edit.

q Sur. die 2. Iuly.

r Mart. Rom. & Adonis 14. Martij.

ex eadem Cæſaris familia: vnde habetur amborum ſacra mentio die vndecima menſis Maij, & decimaſeptima in Romano Mattyrologio. His addit Metaphraſtes [s], Herodionem, & Olympam, quos omnes atque alios in magno numero poſt ſe coronandos, vel ante ſe coronatos ſancti Apoſtoli ex iiſdem carceribus in cœlum tranſmiſerunt. Inter hos præcipui extitère Proceſſus, & Martinianus, qui, cùm eſſent carceris cuſtodes, tot viſis miraculis Chriſtianam religionem ardentiſſimo ſtudio ſunt complexi; &, vt ad eam, quos poterant, apoſtolica inſtitutione perducerent, omni ope iuuabant. Permiſerunt itaque Apoſtolis, vt à carcere, quò vellent, abirent; imò, vt id facerent, hortabantur, pro bono Eccleſiæ Chriſti, & ad ſalutem plurimorum magis procurandam. Acta verò paſſionis Petri, & Pauli, quæ, ſicut anteà retulimus, Lino tribuuntur, addunt, fideles multis precibus ac lacrymis, vi etiam piè quodammodo illata Petrum coëgiſſe à cuſtodia exire, & ſe ab imminenti vitæ periculo ſubducere, ne Eccleſia Capite & Paſtore orbaretur. Petro autem Roma noctu diſcedenti obuiam Chriſtum Dominum veniſſe, cui Petrus: *Domine, (inquit,) quò vadis?* Chriſtum verò ei reſpondiſſe: *Vado Romam iterum pro te crucifigi.* Eandem hiſtoriam fusè retulit Egeſippus [t]: meminit quoque breuiter S. Gregorius [u]. Pluribus S. Ambroſius contra Auxentium ita ſcribens: *Petrus, victo Simone, cùm præcepta Dei populo ſeminaret, & caſtimoniam doceret, excitauit animos Gentilium, quibus eum quærentibus, Chriſtianæ animæ deprecatæ ſunt, vt pauliſper cederet. Et quamuis eſſet cupidus paſſionis; tamen contemplatione populi precantis inflexus eſt: rogabatur enim, vt ad inſtituendum, & confirmandum populum ſe reſeruaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit: & videns ſibi in porta Chriſtum occurrere, vrbémque ingredi, ait: Domine, quò venis? Reſpondit Chriſtus: Venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad ſuã crucẽ diuinũ pertinere reſpõſum. Chriſtus enim non poterat iterũ crucifigi, qui carnẽ, paſſione ſuſcepta, mortis exuerat: quòd enim mortuus eſt, mortuus eſt ſemel; quòd autem viuit, Deo viuit. Intellexit ergo Petrus, quòd iterum Chriſtus eſſet crucifigendus in ſeruulo: itaque ſponte remeauit.* Hæc Ambroſius, quæ videntur à dicto Lino deſumpta: nec enim quæcunque leguntur in libro apocrypho, debent eſſe falſa. Sed & Origenes ab aliis quibuſdam Actis apocryphis, ea verba dicta fuiſſe à Domino recedenti Paulo indicauit dicens [x]: *Quòd ſi cui placet admittere, quod in Actis Pauli ſcriptum eſt, tanquam à Saluatore dictum: Denuò debeo crucifigi.* Poſſent autem hæc inter ſe conciliari per ea, quæ in adductis ſuperiùs Actis magis fide dignis ſanctorum Proceſſi, & Martiniani leguntur; nempe, non ſolum Petrum, nec ſolum Paulum, ſed ambos ſimul è carcere abiiſſe: quod pietati, & ſollicitudini fidelium pro vtriuſque Apoſtoli incolumitate videtur congruentius, licèt illa Chriſti reſponſio: *Vado iterũ Romam crucifigi*, magis Petro ſit reddita; tũ, quia ipſe Chriſtũ interrogauerat: *Domine, quò vadis?* tum, quia Petrus, non Paulus debebat crucifigi; tũ etiã, quòd, vt par eſt credere, præiret Petrus, & eum Paulus per noctis tenebras dubius, quò ille tenderet, ſequeretur. Extat in huius rei memoriam hodie antiquum ſacellum, non procul à porta S. Sebaſtiani, via Appia, vulgò appellatum, *Domine, quò vadis?* & ſuperiori ſæculo à Reginaldo Polo, Cardinali Britannico,

ſicut

s *Metap. 29. Iunij, apud Surium.*

t *Egeſip. lib. 3 excidij c. 2.*

u *S Gregor. in Pſ. 4 pœnit*

S. Ambr. contra Auxent.

x *Orig. tr. 27. in Ioan.*

y Onuphr. l. de ſeptem vrbis Eccleſ.

ſicut ait Onuphrius [y], renouarum. Ex his apertè innotuit Apoſtolis, diuinæ eſſe voluntatis, vt qui hactenus vita, & prædicatione Chriſtum honorificauerant, morte iam ac martyrio ſuo illum glorificarent. Quare ad carcerem redeuntes, ea, quæ acciderant, expoſuerunt fidelibus, vt omnes diuinę ſe voluntati per omnia conformarent.

CAPVT XI.

Cur Paulus à Nerone capite damnatus: & de tempore, loco, & genere beati eius martyrij.

Sicut Pauli Apoſtoli extrema vincula ab vltimis S. Petri vinculis; ita etiam vnius mortem, & illuſtre martyrium, ab alterius beato fine ſeparare non debemus. Cauſam, cur Petrus carceri fuerit incluſus primùm, deinde neci traditus à Nerone, Simonis magi probroſum interitum extitiſſe, in confeſſo eſt apud omnes. Eandem cauſam aliquo modo cõmunem, ſiue carceri, ſiue etiam martyrio S. Pauli anteà propoſuimus; incertum tamen, cui magis, & an ſola hæc ſuffeciſſet. Quare aliam propriam adducebamus, nempe, adoleſcentis Patrocli, pincernæ Cæſaris, ab Apoſtolo Paulo ad Chriſti fidem inducti, & inter audiendum Paulum è feneſtra delapſi, mortui, atque ad vitam reuocati. Sed, quia, neque hæc admodũ certa viſa eſt, & vtrùm carceris tantùm, an etiam extremæ capitis ſententiæ in Paulum prolatæ cauſa fuerit, ideò tertiam adhuc magis propriam, & certam ex Chryſoſtomo adducemus. Hic enim in libro contra oppugnatores vitæ monaſticæ ſic ſcribit [a]: *Neronem prorſus ex fama noviſtis: vir enim impudicitia, ſceleribúſque omnibus inſignis fuit, primúſque ac ſolus in tanto imperij culmine, nouos quoſdam laſciuiæ, flagitij, ac turpitudinis modos excogitauit, exquiſiuit, inuenit. Hic itaque Paulo Beatiſſimo (vno enim, eodémque tempore vitam iſtam agebant) eiuſmodi, ac prorſus ſimillima crimina obiiciens his, quæ vos modò ſanctis Viris obiicitis. Pellicem enim eius, quam ipſe deperibat, atque in deliciis habebat, cùm induxiſſet, fidei, & religionis Sacramenta ſuſcipere, perſuaſerat quoque inceſtum illum, impurúmque congreſſum declinare: hac, inquam, ille crimina obiectans, corruptorémque nequam, flagitioſum, atque nebulonem, & his ſimilia, quæ vos modò perſtrepitis, Paulum vocitans, primùm quidem coniecit in vincula: cùm vero, vt puellæ huiuſmodi monita, atque conſilia dare deſineret, illi perſuadere non poſſet, necauit tandem.* Hæc omnia Chryſoſtomus necis Apoſtoli propriam cauſam exponens, quam Metaphraſtes omnibus aliis, quæ afferri ſolent, anteponit, addito teſtimonio etiam Caij, antiqui Theologi, & Zephyrini, Romani Pontificis, & Dionyſij, Epiſcopi Corinthiorum, ſic ſcribens [b]: *Dicunt, Neronem eo tempore fuiſſe motum aduerſus Chriſtianos, propter eius feminas, quæ in Dominum crediderant, & pudicè, caſtéque viuere ſtatuerant; nec cum eo congredi deinceps ſuſtinebant: non autem propter Simonẽ magũ. Ei verò, quod ab eis dicitur, fert teſtimonium Ioannes ille lingua aureus, in rebus diuinis egregius, & cuius mens eſt plena Spiritu, ſcribẽs in oratione aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ.* Tũ profert Metaphraſtes verba Chryſoſtomi à nobis adducta ſuperiùs. Sed & in appendice commẽtariorum ſuper Epiſtolam ad Philippenſes, ita ſcriptum iuxta hanc ſententiam reliquit S. Chryſoſtomus: *Quemadmodum prædo aliquis domum cunctis dormientibus ingreſſus, vt auferat omnia, ſi quem videri*

a Chryſ. l. aduerſ. oppugn. vitæ monaſticæ, c. 4.

b Metaphr. de conſũmat. tione SS. 2. Iunij.

viderit accendere candelam, illum mox interimit, & lumen extinguit, vt auferre & rapere alia abſque metu poſſit: ita Nero tunc latronem & furem agens, dormientibus omnibus, & profundo ſomno grauatis, omnium bona diripiebat, nuptias inuadebat, domos ſubuertebat, nullúmque malitiæ genus intermittebat. Proinde mox vt Beatum Paulum vidit accendere in mundo cādelam, & afferre ſermonem doctrinæ, quo ſua reprehēdebatur iniquitas, quò omnia facere licenter poſſet, curauit, vt extingueretur prædicatio, & interficeretur magiſter. Ita Chryſoſtomus. Linus quoque in Actis ſæpè citatis affirmat, Neronem in Apoſtolos, & in omnes Chriſtianos commotū, ob duas potiſſimùm ſibi charas feminas, ad pudicitiam, & Chriſti fidē inductas. Neque id mirum: teſtantur enim Cornelius Tacitus, Suetonius, Dio, & alij, qui vitam, & mores corruptiſſimos Neronis deſcripſerunt, ſolitum illum in nobiliſſimas quaſque feminas, ſine vllo prorſus fræno pudoris, libidine maxima graſſari. Scimus prætereà conſueuiſſe Paulum libenter, & ardenter de caſtimonia diſſerere, vt aliquādo Felicē Præſidem, & Druſillam, tractans hoc argumentū [c], non timore ſolùm, ſed etiam tremore affecerit vehementi. Quare, ſicut Matthæus Apoſtolus, propter perſuaſam Iphigeniæ regiæ virgini caſtitatē, in altari ſacrificās ab impio Rege interfectus eſt; & S. Ioannes Baptiſta Herodis effrænatā impudicitiam reprehendens, obtruncari capite iuſſus eſt: ita Paulus Apoſtolus iram Neronis primùm potuit excitaſſe ob damnatam in Proclo eius pincerna idololatriam, & vanum cultum falſorum Deorum; deinde magis ob ſuperatam in Simone magiam, qua plurimùm Nero delectabatur; demum verò maximè ob id, vnde obſcœnis amoribus obcæcati facilè ad inſaniā, & furores rediguntur, videlicet, propter obſtructas ſibi vias expugnandæ ſacratæ Deo pudicitiæ.

c *Act. c. 24. v. 25.*

Redierat hoc tempore Nero ex Achaïa, quò ſe contulerat ante aliquot menſes ad Iſthmi ſuffoſſionem, labore non irrito ſolùm, & ſuperuacaneo; ſed etiam ridiculo: quod non ſuccedere cùm aduertiſſet, totum ſe dedit ludicris Græciæ ſpectaculis, & certaminibus. Extat ea de re apud Lucianum integer Dialogus, Irriſorius, inſcriptus, de Nerone Iſthmum fodiente: qui tamen inde rediit ſuperbè triumphando: *Ingreſſus Romam eo curru* (ait Suetonius [d]) *quo Auguſtus olim triumphauerat, & in veſte purpurea, diſtinctáque ſtellis aureis chlamyde, coronam capite geſtans olympicam, dextra manu Pythiam, præeunte pompa cæterorum, cum titulis, vbi, quo genere cantionum, quóve argumēto fabularum, & quos viciſſet: ſequentibus currum ouantium ritu plauſoribus. Incedenti paſſim victimæ cæſæ, ſparſo per vias idētidem croco, ingeſta bellaria, immiſſæ aues volitantes, & cantillantes.* Hæc & alia Suetonius: quæ cauſa fuiſſe exiſtimatur, cur detentos ad plures menſes in carcere Apoſtolos neci tradere Nero abſēs huc vſque diſtulerit. Quare, vbi rediens inueniſſet Romæ obfirmato in quibuſdam primariis feminis propoſito pudicitię, turbatos amores, ac delicias ſuas, Paulum ad ſe vocari iuſſit, quem adductum catenis vinctum, ait Linus, acriter obiurgauit, quòd hominum mentes imperio ſuo ſubiectas ita peruerteret: Apoſtolum autem generosè reſpondiſſe, ſtudere ſe, quantùm poſſet, inducere non tantùm homines imperij Romani, ſed Orbis terrarū vniuerſi, ad cultum ſummi omnium Monarchæ, veri Dei, qui omnes eſt iudicaturus, & mundum totum incendio ignis vniuerſalis aliquando perpurgaturus.

d *Suet. in Nerone, c. 25.*

His.

His auditis, Neronem exarſiſſe vehementer, & edictum emitti feciſſe, vt Chriſtiani omnes igne abſumerentur; Paulus autem, quòd eſſet Romanus ciuis, capite plecteretur. Sed, quod ait Linus, vel quiſquis ille eſt Auctor, de hoc nouo edicto contra Chriſtianos, & de ignis ſupplicio, ad alia ſuperiora tempora ſpectare ex dictis à nobis ſuperiùs facilè agnoſcitur: niſi quis exiſtimaret, edictum fuiſſe hoc tẽpore innouatum, & quos antea falſa criminis imputatione, quaſi vrbis incendiarios igne necari Nero mandauerat, nunc ſolùm tanquam Chriſtianos, extremũ incendium toti mundo minitantes iterum iuſſerit igne cremari. Addit idem Auctor, quod acceptum S. Antoninus refert in ſuis Chronicis [e], Paulum Apoſtolum Neroni pollicitum, ſe poſt mortem ei appariturũ; vt vel hinc ipſe Chriſti potentiam addiſceret, & ſe non tam mortuum abſciſſione capitis, quàm à mortali ad immortalem, ſempérque beatam vitam eſſe tranſiniſſum. Illud adhuc certius, quod refert Lactantius Firmianus [f], multa, & mira hoc tempore Apoſtolos Romæ prænunciaſſe, atque inter alia excidium Ieroſolymitanum, per Neronis ſucceſſores, Veſpaſianum, ac Titum, non multò pòſt exequendum: *Petrus, & Paulus* (inquit Lactantius) *prædicauerunt Romæ, & ea prædicatio in memoria ſcripta permanſit, in qua cùm multa alia mira, tum etiam hoc futurum dixerunt, vt poſt breue tempus immitteret Deus Regem, qui expugnaret Iudæos, & ciuitatem eorum ſolo æquaret: ipſos autem fame, ſitique confectos obſideret. Tum fore, vt corporibus ſuorum veſcerentur, & conſummarent ſe inuicem: poſtremò, vt capti venirent in manus hoſtium, & in conſpectu ſuo acerbiſſimè coniuges ſuas vexari cernerent, violari, & proſtitui virgines, diripi pueros, alli di paruulos; omnia denique igne, ferróque vaſtari, captiuos in perpetuum terris ſuis exterminari: eò quod exultauerunt ſuper amantiſſimum & probatiſſimum Filium Dei.* Hæc de Apoſtolorũ prophetia illius temporis Lactãtius.

e S. Anton. 1. p. Chron. tit. 6. c. 5.

f Lactan. lib. 4. c. 21.

Iam verò, cùm de menſe, ac die martyrij Apoſtolorum, Petri, & Pauli, omnium ſit explorata ſententia, vnum, eundémque fuiſſe, nẽpe, menſis Iunij diem vigeſimamnonam, de anno magna eſt controuerſia, de qua ſic ſcripſit Metaphraſtes [g]: *Dicunt verò quidam, præceſſiſſe Petrum anno vno, & beatam illam ac dominicam ſuſcepiſſe paſſionem, cùm animam poſuiſſet pro ouibus. Eum autem fuiſſe conſecutũ magnum illum Apoſtolum Paulum, vt dicit Iuſtinus, & Irenæus, quibus ego magis aſſentior.* At in Operibus, quæ modò extant, Iuſtini, & Irenæi, hoc, quod ſentit Metaphraſtes, non inuenitur: legitur tamen in quodam ſermone S. Auguſtini de Feſto Apoſtolorum, his verbis [h]: *Currunt vterque Petrus, & Paulus, ad palmam martyrij, & vterque perueniunt ad coronam: non quidem eodem temporis curſu, ſed eodem anni vertentis occurſu.* Si tamen S. Auguſtini eſt hic ſermo: nam in altero ſimiliter illi adſcripto, quem infrà referemus, contrarium affirmatur. Gregorius quoque Turonenſis pro eadem opinione ſic ſcribit [i]: *Paulus Apoſtolus poſt reuolutum anni circulũ, ipſa die, qua Petrus Apoſtolus paſſus, apud vrbem Romam gladio percuſſus occubuit.* Idémque docet in compendio ſuæ hiſtoriæ Georgius Cedrenus, & ante ipſum Prudentius his verſibus [k]:

Feſtus apoſtolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli, atque Petri nobilis cruore.
Vnus vtrunque dies, pleno tamen innouatus anno,

g Metaphr. ſer. de conſ. Apoſt.

h S. Auguſt. ſer. 4. de feſto SS. Apoſt.

i Turon. lib. de gloria Martyr. c. 28.

k Prudent. peri ſteph.

Vidit ſuperba mente laureatum.

& Arator Poëta loquens de martyrio Apoſtolorum, Petri, & Pauli, ſic librum ſecundum concludit:

His etiam germanus amor, quibus
amplius auctus,
Quàm natura dedit, geminos, quos
edidit aſtris,
Non eadem tamen vna dies, anni-
que voluto
Tempore ſacrauit repetitam paſſio
lucem.

Imò Abdias Babylonius in libro primo de Vitis Apoſtolorũ ait, Paulum duobus annis elapſis à Petri paſſione, martyrio fuiſſe coronatum. Sed hic Auctor, nec Abdias eſt, nec alius fide dignus: & contraria ſententia, nempe, eodem non ſolùm die, ac menſe, ſed etiam anno, quamuis diuerſo martyrij genere, Petrum, & Paulum ſub Nerone coronatos, vt eſt communior, ita verior, & certa haberi debet, quam S. Auguſtinus Sermone tertio in Feſto Apoſtolorum, Petri, & Pauli, pertractans, ait: *Puto illos æquales eſſe meritis, qui æquales ſunt paſſione, & ſimili eos fidei deuotione vixiſſe, quos ſimul videmus ad martyrij palmam perueniſſe. Non enim ſine cauſa factum putamus, quòd vna die, vno in loco, Tyranni vnius tolerauêre ſententiam: vna die paſſi ſunt, vt ad Chriſtum pariter peruenirent: vno in loco, ne alteri Roma deeſſet: ſub vno perſecutore, vt æqualis crudelitas vtrũque conſtringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, perſecutor decretus eſt pro virtute.* Hunc tamen Sermonem aliqui S. Maximo adſcribunt, & ſub eius nomine legitur intra octauam Apoſtolorum: alij tribuunt S. Ambroſio, vnde inter Sermones ipſius habetur ſexageſimusſeptimus, eique conſentit ſexageſimusoctauus, in quo ſic legitur: *Prima hæc in Petro, & Paulo Beatitudo eſt, quod ambo vna die paſſi eſſe noſcuntur, ſcilicet, vt quos vna dies ſeruitio deuinxerat, vna dies martyrio coronaret.* Hoc ipſum videtur Eccleſia verbis illis innuere, cùm ait: *Glorioſi Principes terræ quomodo in vita ſua dilexerunt ſe; ita & in morte non ſunt ſeparati.* Ponuntur etiam pro hac ſententia à Metaphraſte antiqui illi Caïus Theologus, Zephyrinus Pontifex, & Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus. His adduntur Euſebius [l], Hieronymus, Epiphanius, Caſſiodorus, Nicephorus, Egeſippus, Iſidorus, & alij, quos longum eſſet enumerare. Inter hos omittere tres Pontifices non poſſumus, in primis S. Leonem, qui Sermone de natali Apoſtolorum ſic Petrum alloquitur: *Ad quam gloriam beatus Coapoſtolus tuus, & Vas electionis, & ſpecialis Magiſter Gentium Paulus occurrens, eodem tibi conſociatus eſt tempore.* Nicolaüs Papa in Epiſtola ad Michaëlem Imperatorem: *Petrus, & Paulus Romam venientes,* (inquit,) *verbum vitæ euangelizantes, ab ea erroris caliginem amouentes, veritatis lumine mentes hominum illuſtrantes, & in vno, eodémque die martyrium conſummantes, ſanctam Romanam Eccleſiam roſeo cruore ſuo conſecrauerunt.* Gelaſius verò Papa ſic loquitur pro hac ſententia, vt erroris arguere videatur contrariã opinionem, dum ita ſcribit in Epiſtola ad omnes Epiſcopos orthodoxos: *Sancta, Romana, catholica, & apoſtolica Eccleſia nullis ſynodicis Conſtitutionibus, cæteris Eccleſiis prælata eſt; ſed euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri, primatum obtinuit. Tu es,* inquiens, *Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Cui data eſt etiam ſocietas Beatiſſimi Pauli Apoſtoli, Vaſis electionis, qui non diuerſo, ſicut Hæretici garriunt, ſed vno tempore, vno, eodémque die glorioſa morte cum Petro in vrbe Roma ſub Cæſare Nerone*

coronatus

l *Euſeb. in Chr. S. Hier. de Script. eccl. S. Epiph. hær. 27. Caſſiod. in Chr. Niceph. lib. 2. c. 36. Egeſipp. l. 3 c. 2. Iſid. Hiſp. in vita S. Pauli.*

coronatus eſt. Non fuit tamen Pontificis mens per hæc verba hæreticam declarare opinionẽ contrariam: aliud enim eſt aliquid dici ab Hæreticis, qui non ſemper hæretica loquuntur; aliud eſſe propoſitionem hæreticam, hoc eſt, ab Eccleſia damnatam, qualis hæc hactenus non fuit. Minùs tamen eam eſſe probabilem, & à Catholicis minùs receptam, agnoſci poteſt ex dictis: vnde in Romano Martyrologio de martyrio Apoſtolorum die vigeſimanona menſis Iulij ſic legimus: *Romæ Natalis SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, qui eodem anno, eodémque die paſſi ſunt ſub Nerone.* Et ſanè veriſimile non videtur, crudeliſſimum Neronem tantoperè in Chriſtianos ſæuientem, dum Petrum tãquam eorum Caput mandaret occidi, Paulo parcere voluiſſe, & ita parcere, vt annum integrum reuolutum vſque ad eandem eiuſdem menſis diem expectaret.

Sed hic alia ſuboritur controuerſia, quis hic annus fuerit Neronis imperij: nam Euſebius in Chronico, & hunc ſecutus S. Hieronymus in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis, Beda quoque ſuper Acta Apoſtolorum, capite extremo, aliíque hos ſequentes non pauci arbitrati ſunt, Petrum, & Paulum decimoquarto Neronis anno martyrium ſubiiſſe; quod tamen nullo modo poteſt cum vera temporum ſupputatione conſiſtere. Conuenit enim inter Hiſtoricos, Neronem decimumquartum imperij ſui annum non expleuiſſe; ſed imperaſſe annos tredecim, menſes ſeptem, & dies viginti octo, numerando à die ſequenti obitus Claudij Imperatoris, qui accidit tertio Idus Octobris, cui ſtatim eo menſe Nero ſucceſſit, & poſteà mortuus eſt, decimoquarto imperij ſui anno adhuc non elapſo, die decima Iunij. Cùm igitur certiſſimum habeatur, Apoſtolos à Nerone interfectos die vigeſimanona menſis Iunij; ſi hic menſis non fuit anni decimitertij, ſed decimiquarti Neronis imperij, ſequeretur, nequaquam ſub Nerone, quippe qui ante nouem dies erat mortuus, eos martyrium ſubiiſſe. Poſſet tamen dici, Neronis anno decimoquarto, Apoſtolos affectos eſſe martyrio, annos Chriſti eccleſiaſtico ritu, non autem Neronis imperij computando: hic enim anno Chriſti quinquageſimoſexto cœpit imperare: quando verò hæc Apoſtoli patiebantur, annus decurrebat humanæ ſalutis ſexageſimusnonus, à Dominica paſſione trigeſimusſextus; trigeſimus verò quintus à Pauli conuerſione; ætatis autem ipſius ſexageſimusoctauus, vt S. Chryſoſtomus his verbis atteſtatur[m]. *Triginta quinque annis Paulus Apoſtolus Chriſto Domino, cum omni promptitudine deſeruiuit: curſu autem pietatis conſummato, cùm eſſet annorum ſexagintaocto, requieuit.* Quod teſtimonium reſpexiſſe videtur Metaphraſtes [n], cùm dixit, Pauli Apoſtoli prædicationis tempus vniuerſum trigintaquinque annorum extitiſſe, & trigeſimoſexto anno Dominicæ paſſionis; imperij verò Neronis anno decimotertio martyrium conſummaſſe.

m S. Chryſoſt. hom. de SS. Petro, & Paulo, addita tomo 5. noua edit.

n Metaphraſt. de conſum. Apoſtolorum apud Sur die 29 Iunij.

Quamuis autem in genere mortis Apoſtoli Pauli habita ſit ratio nobilitatis, eò quòd ciuis eſſet Romanus, dum abſciſſione capitis eſt damnatus, non ſicut Apoſtolus Petrus, ſupplicię crucis, quod erat vilium perſonarum; vterque tamen ante mortem flagellatus eſt, more Romano. Nam, etiamſi lex Porcia, ſicut ait Marcus Tullius [o], virgas ab omnium Romanorum ciuium corpore amouiſſet: tamen ex lege

o Cic. in orat pro Rabir.

lege duodecim tabularum, qui de immani aliquo ſcelere damnati fuiſſent, verberibus primùm, deinde capitis abſciſſione puniebantur. Cum ergo Paulus de ſpreto cultu Deorum argueretur, quod impium & maximè ſacrilegum cenſebatur, oportuit antea flagellis ſubiiceretur. Qua de re non ſinit nos antiqua traditio dubitare, quæ vſque ad hoc tempus in Eccleſia S. Mariæ Tranſpontem appellata, Romæ columnas illas exhibet venerandas, in quibus SS. Apoſtoli, Petrus, & Paulus, alligati, & virgis cæſi memorantur. Poſt hæc ambo educti extra portam Trigeminam, quæ dicitur Oſtienſis, ad maiorem, vt aliqui coniiciunt, terrorem Chriſtianorum, & Iudæorum, qui frequentes eam vrbis partem inhabitabant, mutua ſalutatione impertita, more illius tẽporis Chriſtianorum, in oſculo ſancto, inuicem diuiſi ſunt. Petrus ductus ad Ianiculi collem, qui Mons aureus appellatur, vbi frequẽtiores tunc erant Iudæi, optato ſalutiferæ Crucis ſupplicio potitus eſt; ſed conuerſis ad cœlum plantis, vt ei placuit pro reuerentia Saluatoris. Paulus verò vlterius via Appia, ſiue Oſtienſi, perducendus fuit, tertio ab vrbe lapide, prope locum Aquas Saluias appellatum, & alio nomine Guttam iugiter manãtem, vulgò autem, *Tres fontes*: vbi ſequentibus annis tanta multitudo Chriſtianorum à Gentilibus martyrio coronata eſt, vt vna die vltra decem millia ibidem pro Chriſto ſint cæſa, ſicut habent nona Iulij Romanum, & alia Martyrologia. Antequàm autem huc Apoſtolus Paulus perueniret, plura in itinere cõtigerunt obſeruatione digna. Primùm, non procul à porta ciuitatis, dum comitatu plurimorum Paulus hilari vultu quaſi ad triumphum progrederetur, aliis circa ipſum fidelibus lacrymantibus, inter hos fuiſſe dicitur Plautilla, matrona Romana nobiliſſima, a qua, vt flentem aliqua ratione conſolaretur, Apoſtolus velum petiit, quòd illo vellet ſibi oculos obducere, gladio feriendus, promittens illud ſe ei poſteà, ſicut præſtitit, redditurum. Hæc matrona in quadam epiſtola Dionyſij Areopagitæ ad Timotheum inſcripta, non Plautilla, ſed Lemobia nominatur, & geſta res alio modo narratur: ſed Auctor illius Epiſtolæ nec eſt Areopagita, nec alius admodum fide dignus, licet ſe præſentem intra illam populi multitudinem fuiſſe teſtetur. Veriùs autem cum Baronio [p] exiſtimamus, hanc illam eſſe Plautillam, matrem Flauiæ Domitillæ, de qua ſic legitur in Romano Martyrologio: *Romæ S. Plautillæ, feminæ conſularis, matris B. Flauiæ Domitillæ, quæ a S. Petro Apoſtolo baptizata, omnium virtutum laude refulgens, quieuit in pace.* Extat etiam hoc tempore prope portam Oſtienſem, quæ dicitur S. Pauli, ſacellum S. Saluatoris appellatum, vbi ædes huius matronæ antiquitùs fuiſſe dicuntur [q], ex quibus ad Paulum illac tranſeuntem creditur deſcendiſſe per ſcalam, quæ ante paucos annos ibi viſebatur; nunc autem eſt ablata. Vlteriùs S. Paulus progreſſus, tres milites apparitores induxit ad Chriſtianam fidem. Horum nomina ponuntur in Actis Lino adſcriptis, & in Actis SS. Nerei, & Achillei, necnon apud Metaphraſtem [r], Longinus, Aceſtus, & Megiſtus. Tantam autem exemplo Apoſtoli, & adhortationibus eius conſtantiam breui tempore didicerunt, vt tertia die à S. Pauli martyrio, nempe, ſecunda Iulij ſimul cum Proceſſo, & Martiniano, poſt dira tormenta victoriæ palmam ab eodem Nerone ſint conſecuti: de quibus proinde ſic legimus in Romano

p *Baron. an 69. & in Notis Martyr. die 20. Maij.*

q *Pācir. in Theſauro vrbis. Indicat Baron. loco cit.*

r *Metaphr. apud Sur. die 29. Iunij.*

s Mart. 1. Iulij. Vſuardi, Adonis, & aliorū Martyr. mano Martyrologio [s]: *Romæ via Aureliæ natalis SS. Martyrum Proceſſi, & Martiniani, qui a B. Apoſtolo Petro in cuſtodia Mamertini baptizati, ſub Nerone, oris concuſſionem, equuleum, neruos, fuſtes, flammas, ſcorpiones perpeſſi, nouiſſimè gladio cæſi. Romæ item paſſio trium militum, qui in martyrio B. Pauli Apoſtoli ad Chriſtum conuerſi, cum eo cœleſtis gloriæ participes fieri meruerũt.* Teſtatur præterea S. Ioannes Chryſoſtomus [t], non tantùm hos tres milites, ſed ipſum quoque carnificem, & alios plurimos tunc ad Chriſtianam fidem eſſe inductos, ita vt eſſent numero trigintaquinque. *Qualis locus* (inquit Chryſoſtomus) *tuum, Paule, ſanguinem excepit, qui lacteus apparuit in eius veſte, qui te percuſſit: qui quidem ſanguis barbaricum illius animum reddens melle dulciorem, vt ipſe vnà cum ſociis ad fidem traduceretur, ita effecit? Sit mihi inſtar coronæ gladius ille, qui triginta & quinque viros flamma ad ſeruiendum Deo alacritate mancipauit.* Ita Chryſoſtomus, quamuis hæc extrema verba non habeantur in quibuſdam exemplaribus. Illud planè mirandum, nec à Chryſoſtomo tantùm, ſed etiam à multis aliis teſtatum, è reciſa Pauli ceruice primùm non fluenta ſanguinis, ſed lactis copiam effluxiſſe. Nam præter Acta ſuperiùs recenſita, confirmat id ipſum S. Ambroſius in ſermone ſexageſimooctauo, ſic dicens: *De Pauli ceruice, cùm eam perſecutor gladio percuſſiſſet, dicitur fluxiſſe lactis magis vnda, quàm ſanguinis, & mirum in modum S. Apoſtolum, Baptiſmi gratia, in ipſa cæde extitiſſe ſplendidum potiùs, quàm cruentum. Quid enim mirum, ſi abundat lacte nutritor Eccleſiæ, ſicut ipſe ad Corinthios ait: Lac vobis potum dedi.* & infrà: *Quæ enim* (inquit) *Pauli Epiſtola non melle dulcior, non lacte candidior? Quæ Epiſtolæ tanquam vbera Eccleſiarum, populos enutriunt ad ſalutem. De ceruice ergo Pauli pro ſanguine lac manauit.* Hæc S. Ambroſius: & eadem planè verba leguntur in ſimili Sermone de Apoſtolis, tomo decimo S. Auguſtini [u]: præter plurima recentiorum Scriptorum ea de re teſtimonia. Sed aliud adhuc voluit Deus extare miraculum ab illa martyrij hora vſque ad hæc noſtra tempora perſeuerans: nam ſacrum Pauli caput à collo reciſum ter IESV ſanctiſſimum nomen articulatè pronuncians, quod in ſuis Epiſtolis propè trecenties inſcriptum inuenimus, quaſi ſatiari eius appellatione non poſſet, vi quadam diuini Spiritus tribus ſaltibus quaſi exultando ſe ſuſtollens, tres ſignauit, & aperuit in terra fonticulos aquæ dulcis, & ſalutaris, parum inter ſe diſtantes: quorum primus dulcior quodammodo, & veluti lactis ſaporem guſtantibus præbet, eam, vt pie creditur, ob cauſam, quia primo fluxu è ſectis venis lac, deinde ſanguis emanauit. A tribus his fontibus Eccleſia ibidem poſteà ædificata, & à Cardinali Petro Aldobrandino annis ſuperioribus pereleganti ſtructura à fundamentis inſtaurata, trium fontium communiter appellatur. Quòd verò maius templum S. Pauli à Conſtantino Imperatore poſtea, non hîc vbi occiſus eſt Apoſtolus, fuerit conſtructum; ſed vrbi viciniùs via Oſtienſi, cauſa exiſtimatur loci commoditas, & celebritas; & maximè, quia corpus Apoſtoli trecentis propè annis ibi fuerat aſſeruatum. Locus verò trium fontium poſſeſſio fuit iuris Monaſterij S. Pauli, vt apparet in marmoreo diplomate S. Gregorij Papæ, quod eſt in porticu S. Pauli, parieti appoſitum, vt Onuphrius [x], & Pererius adnotarunt: qui etiam addunt, locum hunc trium fontium vocatum fuiſſe

t Chryſ. or. de primic. Apoſt. tom. 5. nouæ edit.

u S. Aug. ſer. 2. de Feſto Apoſt. Petri, & Pauli, aliàs ſer. 26. de SS.

x Onuph. in lib. de 7. Eccleſiis: & Pererius in prolog. ep. Rom. d. 1. §. 46.

fuiſſe Maſſam aquæ Saluiæ, fortaſſe a Saluia gente olim Romæ valdè, nobili, quæ Othonem poſteà dedit Imperatorem. Extat quoque inter epiſtolas S. Gregorij, libro duodecimo Regiſtri, nona ad Felicem Subdiaconum, Rectorem patrimonij viæ Appiæ, in qua iuta Eccleſiæ S. Pauli vſque ad Aquas Saluias illi commendat, quamuis multa exemplaria corrupte habeant Aquas Saliuas. Addit S. Gregorius: *Ne minùs illic habere luminaria idem præco fidei cernatur, qui totum mundum lumine ſuæ prædicationis impleuit, & valdè incongruum, ac eſſe duriſſimum videtur, vt illa ei ſpecialiter poſſeſſio non ſeruiret, in qua palmam ſumens martyrij, capite eſt truncatus, vt viueret.* Hæc S. Gregorius.

CAPVT XII.

Forma, & ſtatura corporis; ſepultura, & mira quædam poſt eius martyrium ſecuta.

Effigiem & lineamenta corporis, quod eximiæ ſanctitatis, & magnarum virtutum fuit receptaculum, ſicut coloribus, ita oratione depingere, officium quoque pietatis eſt non prætermittendum. Quare Nicephorus in libro ſecundo ſuæ Hiſtoriæ, poſt narratum S. Pauli martyrium, ſic eius corporis habitum, & formam deſcribit [a]: *Erat Paulus corpore paruo, & contracto, & quaſi incuruo: facie candida, annóſque plures præſeferente: capite modico, & oculis admodum venuſtis, & gratia plenis: ſupercilia deorſum versùs deuexa: naſus pulchrè inflexus, idémque longior: barba denſior, & ſatis prolixa, eáque non minùs, quàm capitis coma canis aſperſa. Cùm inſpiciebatur ab aliis, diuinum quid præferebat, atque toto ore ſpirabat: vt qui eum cernerent fideles, ex ſolo aſpectu arcanam quandam, & latentem conciperent gratiam, & ad benè, ſanctéque viuendum incitarentur.* Similem habent S. Pauli deſcriptionem Baſilius Seleuciæ, & Metaphraſtes in vita S. Theclæ: ſed putant aliqui [b], hæc non tam ab ipſius Pauli præſentia, & aſpectu fuiſſe deſumpta, quàm ex antiqua eius imagine, quæ apud Chriſtianos ad viuum depicta iam pridem à primis Eccleſiæ temporibus conſeruabatur, & colebatur. Et ſanè imagines non tantùm Pauli, ſed etiam Petri, & Chriſti Domini variis coloribus fuiſſe olim expreſſas, ab iis præſertim ex gentilitate fidelibus, qui eos agnouerant viuentes, atque ita piè conſeruatas, & in poſteros per manus traditas, teſtatur Euſebius his verbis [c]: *Nos Petri, & Pauli Apoſtolorum, & Chriſti etiam ipſius imagines in picturis colorum varietate expreſſas, conſeruatáſque aſpeximus. Idq; propterea, ſicut veriſimile eſt, quòd maiores noſtri ad Gentilis conſuetudinis ſimilitudinem quàm proximè accedentes, eos, qui tanquam Saluatores illis fuiſſent, id eſt, qui illis aliquid ſalutis, & ſubſidij attuliſſent, apud ſe honore afficere hoc modo conſueuerunt.* Scribit etiam S. Auguſtinus in libro primo de conſenſu Euangeliſtarum [f], ſolitum ſuo tempore in picturis conſpici expreſſum Chriſtum Dominum medium inter Petrum, & Paulum. Præterea, S. Lucam varias huius generis imagines depinxiſſe conſtat ex iis, quæ alibi recenſuimus. Nihilominùs tamen, quæ de Pauli ſtatura, & habitu corporis dicta ſunt, non omnia haberi potuerunt ex ſolis picturis, & optimè conſentiunt

a Nicep. lib. 2. c. 37.

b Baron. an. 69.

c Euſeb. lib. 7. c. 14.

f S. Aug. lib. 1. de conſen. Euang. c. 10.

onſentiunt iis, quæ ab oculatis teſtibus afferuntur. Hos inter Lucianus, qui ea vixit ætate, Chriſtianis licèt infenſiſſimus, quendam inducit à S. Paulo baptizatum, ita de hoc Apoſtolo referentem [g]: *Quando enim me Galilæus ille conuenit recaluaſter, naſo aquilo, qui tertium vſque ad cœlum per aerem ingreſſus eſt, quæque optima & pulcherrima ſunt, inde didicit, per aquas nos renouauit, in Beatorum veſtigia inſiſtere fecit, & ex impiorum regionibus nos redemit.* Præterea S. Ioannes Chryſoſtomus [h] loquens de parua ſtatura S. Pauli, dicit, illum fuiſſe trium cubitorum: quod ſanè mirum eſt, cùm iuſta humani corporis menſura eſſe ſoleat quatuor cubitorum: & ſi ita erat, occaſionem hinc habuerunt Pauli obtrectatores, vt indicatur in Epiſtola ſecunda ad Corinthios [i], dicendi fuiſſe illum præſentiæ quodammodo contemptibilis. Sed videtur Chryſoſtomus more concionatorio Pauli corpoream paruitatem nimis extenuaſſe, ſicut etiam valdè extulit eius ſpiritus celſitudinem, vt appareret elegantior oppoſitio, dum ſic dixit: *Paulus os Chriſti, qui tricubitalis es, & cœlum pertingis, qui loco circunſcriberis, & mundum vniuerſum Domino circunſcribis.*

g Lucià. in Dial. Philop.

h S. Chr. or. de SS. Apoſt. apud Sur. die 29. Iunij, tom. 5.

i 2. Cor. c. 10. v. 10.

Sacro Pauli corpore à reciſo capite aliquantulum ſemoto, & humi iacente, lucem magnam ſupra vtrunque micuiſſe Acta Lini ſæpè allegata teſtantur: velum autem, quo facies Apoſtoli tegebatur, diſparuiſſe; miniſtris interim ad vrbem reuertentibus, nec id ſatis obſeruantibus, donec obuiam eis in porta Oſtienſi Plautilla proceſſiſſet, eóſque ſollicitè de Paulo interrogaſſet: quibus reſpondentibus, relictum cadauer illius in Valle Pugilum dettuncatum, capite velato eo linteamine, quod ei Plautilla commodauerat: ipſam verò tunc reſpondiſſe: Nequaquam ita eſt; ſed ecce nunc intrauerunt Petrus, & Paulus ciuitatem, induti veſte præclara, coronas fulgentes in capitibus ſuis habentes, & velum meum Paulus mihi, iuxta promiſſa, reſtituit. Quod eis oſtendit: vnde plures conuerſi ſunt ad Chriſti fidem. Hæc Auctor prædictus: putatur autem hoc velum eſſe illud ſudarium, quod Conſtantina Auguſta magnis votis à S. Gregorio Papa poſtulauit, vt ſi non poſſet caput S. Pauli, ſaltem velum ipſius obtineret, pro ſacello, quod in eius honorem ſibi ædificauerat in Palatio imperiali. At verò S. Gregorius reſpondit, locum illum, vbi B. Pauli corpus aſſeruabatur, tantum terrorem incutere accedentibus, & aliquid inde amouere tentantibus, vt aliqui proptereà ſtatim ſint mortui. Quare poſt multas excuſationes epiſtolam ſuam S. Pontifex ita concludit [k]: *Sudarium vero, quod ſimiliter tranſmitti iuſſiſtis, cum corpore eius eſt, quod ita tangi non poteſt, ſicut nec ad corpus illius accedi. Sed, quia Sereniſſima Dominæ tam religioſum deſiderium eſſe vacuum non debet, de catenis, quas ipſe S. Paulus Apoſtolus in collo, & in manibus geſtauit, ex quibus multa miracula in populo demonſtrantur, partem aliquam vobis tranſmittere curabo, ſi tamen hanc tollere limando præualuero: quia, cùm frequenter ex catenis eiuſdem multi venientes benedictionem petant, vt parum quid ex limatura accipiant, aſſiſtit Sacerdos cum lima, & aliquibus petentibus ita concite aliquid de catenis ipſis excutitur, vt mora nulla ſit. Quibuſdam vero petentibus diu per catenas ipſas ducitur*

k S. Greg. lib. 3. ep. 30.

lima ; & tamen vt aliquid exinde exeat, non obtinetur. Hæc S. Gregorius. Vt autem circa S. Pauli ſepulturam illa omittamus apocrypha, quæ leguntur in epiſtola falsò adſcripta Dionyſio Areopagitæ, conſtat ex magis fide dignis Auctoribus, Lucinam clariſſimam feminam ſenatoriã corpus Apoſtoli ſublatum honorificè in ſuo prædio, via Oſtienſi, honeſtiſſimo tumulo ſepeliuiſſe, ſicut etiam non multò pòſt corpora ſanctorum Proceſſi, & Martiniani, qui tertia die poſt martyrium S. Pauli ſua palma illum in cœlis ſubſecuti ſunt : de quibus Acta ſanctorum Proceſſi, & Martiniani ſic habent [l] : *Erat tunc ibi matrona nobiliſſima, Lucina nomine: ea aſſiſtens eis confirmabat illos his verbis: Conſtantes eſtote, milites Chriſti, & nolite metuere pœnas, quæ ad tempus ſunt. Cùm vidiſſet autẽ illos Beatiſſima Lucina extra muros vrbis Romæ duci, cum familia ſua ſequebatur eos vſque ad aquæductum, vbi etiam decollati ſunt, & trũca eorum corpora relicta canibus devoranda: quæ eadem ſanctiſſima matrona collegit, & condiuit pretioſis aromatibus, ſepeliuitque in prædio ſuo.* Quare meritò de illa tale habetur elogium in Romano Martyrologio, die menſis Iunij trigeſima: *Romæ S. Lucinæ Apoſtolorum diſcipulæ, quæ de facultatibus ſuis Sanctorum neceſſitatibus communicans, Chriſtianos in carcere detentos viſitabat, ac Martyrum ſepulturæ inſeruiebat, iuxta quos & ipſa in crypta à ſe conſtructa ſepulta eſt.* Neque verò pro minori miraculo haberi debet, loca, in quibus ſepulta primùm iacuerunt hæc ſacra corpora Apoſtolorũ, ſub ipſa tyrannide Gentilium Imperatorum, & tantorum Eccleſiæ Chriſti perſecutorum, non ſolùm ſine cõtumelia prorſus inuiolata perſtitiſſe; verùm etiam clariſſima, & tanquam trophæa victoriæ noſtræ perilluſtria celebrata, & ſummo in honore ſemper a fidelibus habita fuiſſe. Teſtis inter multos eſſe poteſt Caïus, antiquus Theologus, apud Euſebium [m], qui diſputans aduersùs quendã Proculum Cataphrygam, hæc de monumentis Apoſtolorum Petri, & Pauli ſubtexuit: *Ego habeo trophæa Apoſtolorum, quæ oſtendam: ſi enim procedas via regali, quæ ad Vaticanum ducit, aut via Oſtienſi, inuenies trophæa defixa; quibus ex vtraque parte ſtatutis, Romana communitur Eccleſia.* Hæc apud Euſebium Caïus Theologus perantiquus de ſepulcro Apoſtolorum.

l *Act. SS. Proceſſi, & Martin. apud Sur. 1. Iuly. Breuiar. 16. Sept. & Nota ad Mart. ea die in feſto S. Cornelij.*

m *Euſeb. l. 2. c. 24. aliàs 25.*

Paulus interim, vt viuens fuerat Neroni pollicitus ſe poſt obitum ei appariturum, ita præſtitit. Rem narrat in ſua Hiſtoria Nicephorus, dicens [n] : *Ferunt autem, Paulum Neroni anteà teſtatum eſſe, ſe illi tertio à cæde ſua die viuum repræſentaturum. Quod vbi eſt factum, in conſternationem illum coniecit: & cùm poſt mortem Paulus, ita vt prædixerat certò & verè illi aſſiſtens, liberè Chriſtum verum eſſe Deum profiteretur, neque veram ſalutem in alio, quàm* IESV *nomine eſſe oſtenderet: illum quidem dicunt, conatum eſſe; minime autem (quòd viſio ea repentè euanuerit) comprehendere Paulum potuiſſe.* Ita Nicephorus: tamen Acta Lini, ex quibus S. Antoninus accepit [o], aliquantò aliter rem narrant his verbis: *Hæc audiens Nero,* nempe, quæ contigerant in nece Pauli admiranda, *obſtupefactus, cùm loqueretur amicis, & Philoſophis ſuper his, ianuis clauſis intrauit Paulus, dicens: Cæſar, viuo æterni Regis* IESV *Chriſti miles: vel nunc crede, quòd non ſum mortuus, ſed viuo: tu verò æterna morte morieris, eò quòd Sanctos Dei iniuſtè interficis. Nero vt amens effectus ſuaſu amicorum, Patroclum, Barnabam, & alios Chriſtianos ſoluit, vt irent, quò vellent. Die ſequenti miniſtri illi, qui conuerſi fuerant ad verba*

n *Niceph. l. 2. c. 36.*

o *S. Anton. in Chron. p. 1. tit. 6. c. 5.*

Pauli,

Pauli, euntes ad locum, vt dixerat eis, inuenerunt Titum, & Lucam, à quibus baptizati ſunt. Hæc Auctor ille; ſed non ſatis cohærentia: nam, ſi Neroni die tertio talia contigerunt à Pauli martyrio, quod incidit in diem menſis Iunij vigeſimumnonum, cùm anteà certum ſtatuerimus ex Romano, & aliis Martyrologiis, die tertio à Pauli nece, hoc eſt, ſecunda Iulij martyrio coronatos Proceſſum, & Martinianum, & tres alios milites, Longinum, Aceſtum, & Megiſtum ſupplicij miniſtros; quid eſt, quòd ille Hiſtoricus ait, die ſequenti, nempe, quarto, miniſtros, qui conuerſi fuerant ad verba Pauli, veniſſe ad Lucam, & Titum, vt baptizarentur? Non eſt etiam admodum credibile, Barnabam, Titum, & Lucam Romæ hoc tempore fuiſſe. Præterea, ſi tertia die Nero ſic erat mitigatus, qua ratione illa ipſa die tot Chriſtianos interfici iuſſiſſet? & cur Patroclum pincernam ſuum à Paulo ad Chriſti fidem inductum eadem die mandaſſet è carcere liberari; Proceſſum verò, & Martinianum, ſuos ſimiliter miniſtros, ab eodem Apoſtolo conuerſos crudeliſſimis cruciatibus enecari? Denique, quod ait, conſuluiſſe Neronem Philoſophos de admirandis, quæ audiuerat in Pauli nece accidiſſe, non congruit iis, quæ à Cornelio Tacito hac in re fide digno referuntur [p], Neronem hoc tempore, promulgato Edicto, Philoſophos omnes ab vrbe exegiſſe: *Cum*, inquit, *conaretur ex vrbe virtutes ipſas excidere, ac penitùs profligare.* Tacito conſentit Philoſtratus, cùm ait [q]: *Eo tempore Nero philoſophari non ſinebat homines: inanem operam ſibi videri Philoſophiam dicens, quæ diuinandi peritiam adumbraret.* Videtur autem Nero mutata mente in hanc ſententiam fuiſſe perductus, poſteaquàm agnouit à Simone mago, cui tantùm fidebat, ac tribuebat, turpiter ſe eſſe deluſum; eâque occaſione illo fœdè præcipitato & mortuo, reliquos etiam magos multis ſumptibus anteà Romam ad ſe vocatos, maximo deinde odio proſecutus eſt; eadémque ratione magorum quaſi affines Philoſophos. Quamuis autem circa diem, locum, & modum, quo ſe Paulus poſt mortem, vt promiſerat, Neroni videndum præſtitit, aliqua eſſe conficta cenſeamus; negare tamen proptereà non debemus illi aliquo modo apparuiſſe, terruiſſe illum, & tanti ſceleris arguiſſe. Nam, ſi poſt necem illatam Agrippinæ matri, quamuis feminæ tunc omnium nequiſſimæ, *ſæpè confeſſus eſt Nero* (inquit Suetonius [r]) *exagitari ſe materna ſpecie verberibus furiarum, ac tædis ardentibus*: idémque confirmat Dio [s], dicens, poſt matricidium ita hunc tyrannum fuiſſe conſternatum, ac talibus terroribus exagitatum, vt non valeret loco conſiſtere; quantò iuſtiùs pari eum ſimilia conueniebat poſt hæc duo parricidia ſanctiſſimorum, & Deo amiciſſimorum Principum Eccleſiæ Chriſti? Illud certum eſt, anno proximè inſequenti, qui fuit eius imperij decimuſquartus, atque poſtremus, nec niſi à decimotertio per ſeptem menſes reuolutus, eodem menſe Iulij redeunte, in quo Apoſtolos mandauerat occidi, ſuimetipſius fuiſſe carnificem. Nam terroribus plenus, & periculis vndique circumuentus, vili veſte indutus, & tecta linteo facie, ne agnoſceretur, duos ſecum ferens pugiones arripuit fugam inter viam Salariam, & Nomentanam, tum in ſpelunca quadam pauidus, ac tremens ſeipſum iugulauit, omniſ-

p *Tacit. l. 13. Annal.*

q *Philoſt. lib. 4.*

r *Suet. in Nerone c. 34.*

s *Dio in Nerone.*

que in eo familia, & ſtirps Auguſti extincta eſt [t]. Sed & vniuerſum imperium Romanum, quod florentiſſimum Nero acceperat, concuſſum, & inclinatum iam videbatur quodammodo cedere imperio Chriſti. Nam, cùm per hos dies ab hoc Tyranno Gallia, deinde Hiſpania defeciſſet, tum Romę exercitus ipſius, & cuſtodia corporis iuſſa, & obſequium eius detrectaret, damnatus à Senatu fuit tanquam hoſtis reipublicæ perditiſſimus, nec vltrà ferendus, vt propterea illius ceruice inſerta furcæ, nudum corpus ad necem vſque cæderetur: & factum id fuiſſet, niſi manus ipſe ſibi priùs (vt diximus) intuliſſet. Poſt cuius interitum intra annum tres alij, qui ſucceſſerunt, Imperatores occiſi, Galba, Otho, Vitellius, & tribus bellis ciuilibus imperium funeſtatum. Quare Cornelius Tacitus poſt narratum Neronis interitum alium librum ſic orditur [u]. *Opus aggredior plenum variis caſibus, atrox prælijs, diſcors ſeditionibus, ipſa etiam pace ſæuum. Quatuor Principes ferro interempti. Tria bella ciuilia, plura externa, ac plerunque permixta.* Et poſt multa tum in vrbe, tum extra formidoloſa, & atrocia recenſita, addit hæc notanda verba. *Præter multiplices rerum humanarū caſus; cœlo, terráque prodigia, & fluminū monitus, & futurorū præſagia, læta, triſtia, ambigua, manifeſta. Nec enim vnquam atrocioribus populi Romani cladibus, magiſve iuſtis iudiciis approbatum, non eſſe curæ Deis ſecuritatem noſtram, eſſe vltionem.* Hæc Tacitus, qui quod dixit, viſa hoc tempore cœlo, terráque prodigia, fulminum monitus, & præſagia futurorum, læta, triſtia, ambigua, ſuſpicionem facit, ne etiam ad ea ſpectet, quamuis minùs à Tacito intellecta, quæ narrat. S. Gregorius accidiſſe paulò poſt necem Apoſtolorum, cùm Chriſtiani orientales, audito Petri & Pauli tam illuſtri martyrio, ſiue ne in tanta rerum perturbatione ſacra eorum corpora minùs ſecurè ac dignè Romæ haberentur, ſiue quòd tam Petrus, quàm Paulus in Oriente nati, ibi à Chriſto vocati, & Apoſtoli cōſtituti, quamuis in Occidente mortui, magis Orienti deberentur, venerunt Romam, vt eorum Reliquias ſecum aſportarēt: ſed turbato fulguribus, ac tonitruis cœlo, deſiſtere à propoſito compulſi ſunt. Rem ita narrat S. Gregorius in epiſtola ad Conſtantinam Auguſtam petentem ſibi mitti velum S. Pauli, vt anteà referebamus [x]: *De corporibus verò Apoſtolorū, quid ego dicturus ſum, dum conſtet, quia eo tempore, quo paſſi ſunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora, ſicut ciuium ſuorum repeterent? Quæ ducta vſque ad ſecundum vrbis milliarium, in loco, qui dicitur ad Catacumbas, collocata ſunt. Sed dum ea exinde leuare omnis eorū multitudo conueniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque diſperſit, vt talia denuò nullatenus attentare præſumerent. Tunc autem exeuntes Romani, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, eorum corpora leuauerunt, & in locis quibus nunc ſunt condita, poſuerunt.* Hæc S. Gregorius. Nec omittenda etiam huc ſpectantia, quæ prodidit is, qui tunc viuebat Plinius, eáque benè potuit ipſe vidiſſe: amnes obſeruatos retrò fluere, & ſola quædam terrarū ſponte auulſa ſedem, ac locum mutaſſe. Quæ profectò non auſus fuiſſet hic Auctor aſſerere, ſi vera non eſſent, præſertim Imperatori Traiano dicans Hiſtoriam, quando à viuentibus adhuc teſtibus argui mendacij manifeſtè potuiſſet. Sic autē ipſe ſcribit [y]: *Amnes retro fluere noſtra vidit ætas, Neronis Principis annis poſtremis ſicut* iu

[t] Suet. in Neron. Tacit. Dio, & aly.

[u] Tacit. lib. 1. Hiſt. poſt Annal.

[x] S. Greg. lib. 3. ep. 30.

[y] Plin. lib. 2. c. 103.

in rebus eius retulimus. De migratione verò terrarum, ſic ait [z]: *Non minùs mirum oſtentum cognouit ætas anno Neronis Principis ſupremo, ſicut in rebus eius expoſuimus; pratis, oleiſque, intercedente via publica, in contrarias ſedes tranſgreſſis in agro Marrucino, prædiis Vectij, Equitis Romani, res Neronis procurantis.* Hæc eadem Plinius alibi repetit, dicens [a]: *Super omnia, quæ vnquam audita ſunt, erit prodigium in noſtro æuo Neronis Principis ruina, factum in agro Marrucino Vectij Marcelli è primis equeſtris ordinis, olineto vniuerſo viam publicam tranſgreſſo, aruis inde è contrario in locũ oliueti profectis.* Hæc magnã aliquam rerum mutationem portendiſſe, irato Gentilibus Numine, ipſi quoque Gẽtilium ſapientiores intellexerunt.

z l. eod. c. 83.
a l. 17. c. 25.

Interim è longinquis tam Orientis, quàm Occidentis regionibus à fidelibus ad ſepulcra Principum Apoſtolorum, etiam cum vitæ periculo adoranda concurrebatur. Ita ex Perſide conſtat aduenisse perſonas illuſtres, Marium cum vxore Martha, & duobus filiis Audiface, & Abacho, eáque peregrinatione Romæ obtinuiſſe martyrium, quorum natalis dies in Eccleſia celebratur decimanona Ianuarij: & hæc pietas vigebat ſub ethnicis Imperatoribus: reddita verò Eccleſiæ pace, quantùm creuerit ſub Chriſtianis Imperatoribus, paucis explicari non poteſt. Tantùm S. Auguſtini, & S. Ioannis Chryſoſtomi proferam hac de re teſtimonia; conteſtantium ſpretis iam ſimulacris, ac dirutis templis idolorum, Imperatores depoſito aureo ſceptro, & gemmato diademate venerabundos ad ſepulcra Petri, & Pauli ſe proſternere, gratias & beneficia humillimè poſtulantes [b]: *Videtis* (inquit S. Auguſtinus alloquens idololatras) *ſimulacrorum templa, partim ſine reparatione collapſa, partim diruta, partim clauſa, partim in vſus alios commutata. Ipſaque ſimulacra, vel confringi, vel incendi, vel includi, vel deſtrui: atque ipſas huius ſæculi poteſtates, quæ aliquando pro ſimulacris populum Chriſtianum perſequebantur, victas & domitas, non à repugnantibus, ſed à morientibus Chriſtianis, & contra eadem ſimulacra, pro quibus Chriſtianos occidebant, leges vertiſſe, & imperij nobiliſſimi eminentiſſimum culmen ad ſepulcra piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare. Relictis,* inquit Chryſoſtomus [c], *rebus omnibus, ad ſepulcra piſcatoris, & pellionis, Petri, videlicet, ac Pauli, currunt & Reges, & Præſides, & milites. Et in Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant, ſi non prope Apoſtolos; ſed vel extra eorum veſtibula, corpora ſua ſepeliantur.* Et in alia homilia [d]: *Nullus* (inquit) *ex Romanis Regibus tanto in honore fuit, quanto eſt Paulus. Imperator enim foris alicubi iacet abiectus: hic autem velut viuens, [illegible] ans medium vrbis tenet. Longè Imperatore clarior, & honoratior eſt pellium ſutor,* videlicet, Paulus. Explicans verò alibi idem Chryſoſtomus, vehemens deſiderium ſuum ſacras haſce Reliquias propiùs venerandi [e]: *Quis mihi* (inquit) *nunc dabit circunfundi corpori Pauli, affigi ſepulcro, videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Chriſto deerant implentis, ſtigmata illa geſtantis, prædicationem Euangelij vbique ſeminantis; puluerem, inquam, oris illius, per quod Chriſtus locutus eſt. Vellẽ videre ſepulcrũ, quo recõdita ſunt arma iuſtitiæ, arma lucis, nunc viuentia, tunc amẽ, cum in hac vita eſſent, mortua.* Poſtremò, quid ſentiat de vrbe Roma propter Petrum, & Paulum, ſic explicat [f]: *Ego Romam propterea diligo, tametſi eam aliunde laudare queam; nempe, a magnificentia, ab antiquitate, a pulchritudine, a diuitiis, a bellis,*

b S. Aug. ep. 41. & plura ſer. 28. de SS.
c Chryſ. hom. Quòd Chriſtus ſit Deus.
d hom. 4. in 2. Timoth.
e hom. 32. in ep. Rom.
f in eadẽ hom.

bellis,& triumphis. Sed relictis omnibus illis ob id illam beatam prædico, quòd erga illos Paulus, dum viueret, adeo fuit beneuolus, adeo illos amauit, coràm diſſeruit, & poſtremò vitam finiuit. Vnde & ciuitas iſta hinc facta eſt inſignis, pluſquàm à reliquis omnibus, & ſicut corpus magnum, ac validum, duos habet oculos illuſtres; Sanctorum, videlicet, illorum corpora. Non ita cœlum ſplendeſcit, quando radios ſuos Sol ex ſeſe dimittit; ſicuti Roma duas illas lampades vbique terrarum effundens. Proptereà celebro hanc vrbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantaſiam; ſed propter columnas illas Eccleſiæ.

Sed concludamus, tam preſens caput, quàm librum hunc, illa celebri comparatione à Venantio Fortunato verſibus expoſita, inter Apoſtolos, Petrum, & Paulum; paucis tamen ex ea, quæ apud alios legi poſſunt, prætermiſſis [g]:

Cælorum portæ, lati duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter apoſtolicas radianti luce coronas,
Doctior hic meritis, celſior ille gradu.
Corda per hunc hominum reſerantur, & aſtra per illum:
Quos docet ille ſtylo, ſuſcipit ille polo.
Pandit iter cœlis hic dogmate, clauibus alter:
Eſt via cui Paulus, ianua fida Petrus.
A facie hoſtili duo propugnacula præſunt,
Quos fidei turres vrbs, caput orbis habet.

g Fort. lib. 3. Car.

LIBER

LIBER DECIMVSQVARTVS.

De miraculis S. Pauli.

CAPVT I.

Mortui ad vitam à S. Paulo reuocati: alij quamplurimi à faucibus mortis erepti.

NON eſt noſtræ, nec mentis, nec facultatis, omnia referre miracula, quæ per Apoſtolũ Paulum Deus, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis, variis téporibus, atque in omnibus per orbẽ Chriſtianum illi dicatis Eccleſiis dignatus eſt operari; ſed tantùm præcipua quędam ex ſactis & probatis Auctoribus hic perſtringere, & ad certa capita reuocare: vt, quantis Dei donis cumulatus fuerit Apoſtolus, etiam in hoc genere gratiarum, quæ gratis datæ à Theologis appellantur, meliùs agnoſcamus. Nam, quamuis hæc Dei dona non ſint ipſa ſanctitas, nec propriè virtutes, de quibus toto libro ſequenti poſtremo dicturi ſumus; imò etiam interdum ſine his in aliquibus non adeò ſanctis inueniantur; ſicut è contra non pauci, quamuis ſanctiſſimi, & omnibus virtutibus ornatiſſimi, donis huiuſmõdi potiùs pro aliorũ bono, quàm pro recipientis emolumento conceſſis, caruerunt: tamen vbi aliæ non deſunt virtutes, hæc inſignia eſſe decora, & præclara quædam argumenta probitatis, ac ſanctitatis negare non poſſumus. Quare S. Gregorius exponens illa Ezechielis Prophetæ verba [a]: *Et ante fores templi pictura palmarum. Plerunque* (inquit) *ſanctos viros aſpicimus, mira agere, virtutes multas facere, leproſos mundare, Dæmonia eiicere, tactu ægra corpora ſanare, prophetiæ ſpiritu ventura prædicere. Cuncta hæc nondum palmæ ſunt, ſed pictura palmarum. Q[u]a de eis foris oſtenditur, quales apud omnipotentem Dominum intùs habeantur.* Ita S. Gregorius. Vnde in Chriſto Domino omnes huiuſmodi gratias ac dona fuiſſe, & tanquam ſenſus in capite viguiſſe multò magis, quam in reliquo Eccleſiæ corpore, nihil eſt dubitandum: idque optimè oſtendit in epiſtola ad Dardanum S. Auguſtinus [b]; & Apoſtolis omnibus aliqua ratione fuiſſe conceſſas, doctrina eſt Theologorum: in ſancto verò Paulo maxime enituiſſe manifeſtum ex iis, quæ toto hoc libro dicturi ſumus, apparebit. Tria verò de his nos docet ipſe S. Paulus in priore Epiſtola ad Corinthios. Primùm, quænam ſint hæc dona, ſic ea recenſens [c]: *Alij per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alteri fides, alij gratia ſanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum.* Deinde docet, hæc omnia inueniri diſtributa per Eccle-

a *Ezech. c.4. v.16. S. Greg. hom. 17. in Ezech.*

b *S. Aug. ep. 57. ad Dardan.*

c *1. Cor. c.12. v. 8.*

ſiæ membra ordine quodam prouidentiæ diuinæ ſapientiſſimo. Nam inquit [d]: *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde Virtutes: exinde gratias curationum, opitulationes gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum.* Poſtremò addit Apoſtolus, non expediuiſſe, vt omnia in ſingulis collecta inuenirentur [e]. *Nunquid enim* (inquit) *omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes Virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum?* Nos autem hæc in vno Apoſtolo Paulo fuiſſe collecta oſtendemus. Et primùm ab ea ordiemur, quæ eminet in gratia curationum, videlicet, mortuorum ad vitam reuocatio, atque adeò ſummæ apud mortales eſſe ſolet admirationis. Eutychum adoleſcentem præcipiti caſu mortuum à Paulo ſuſcitatum, referente S. Luca [f], qui præſens aderat, & ſuis oculis miraculum intuebatur, iam antea ſuo loco [g] referebamus. Auget autem huius miraculi magnitudinem oſſium talis confractio, propter feneſtræ, vnde ceciderat, altitudinem, vt Apoſtolus debuerit quaſſatas totius corporis partes circumplectendo conſtringere, & quaſi diſperſas componere, ad vitam recipiendam. Vitam autem fortunato adoleſcenti (nam Eutychus fortunatus interpretatur) adeò felicem & diuturnã Paulus reddidit, vt ad annos quinquaginta ſuperuixerit, cuius bonam partem cum S. Ioanne Euangeliſta traduxit, ac tandem eam vitam, quam miraculo receperat, Chriſto per illuſtre martyrium obtulit anno Domini centeſimo duodecimo, vt in ſuis Chronicis Lucius Dexter adnotauit. Procli pincernæ olim Neronis ſimili præcipitio, vel alio caſu extincti reuocationem ad vitam, non quidem retulit S. Lucas, quia vſque ad illud tempus, in quo id accidit, Hiſtoriam ſuam non perduxit; alij tamen plures meminerunt: qui, licèt eandem rem narrent variis modis; tamen in facti præcipua veritate conſentiunt. Sed & alios plures extinctos, vita fuiſſe ab hoc Apoſtolo donatos, tum ipſe in ſuis Epiſtolis, tum Lucas, tum Ioannes Chryſoſtomus indicarunt. Itaque ſic ipſe Paulus ſcripſit ad Theſſalonicenſes [h]: *Euangeliũ noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantũ; ſed & in virtute & in Spiritu ſãcto, & in plenitudine multa.* Et ad Corinthios [i]: *Signa* (inquit) *Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.* Sanè talis, ac tanta miraculorum, tot nominibus expreſſa varietas, præſertim apud eos, quos huius rei teſtes oculatos appellabat, non niſi quædam valdè eximia notare in hoc genere pro Pauli modeſtia debebat. Vnde Lucas Pauli comes fideliſſimus [k]: *Virtutes* (inquit) *non quaslibet faciebat Deus per manus Pauli.* Et addit rem planè mirabilem S. Chryſoſtomus [l], ipſam Pauli vmbram non tantùm morbos, æquè ac Petri, depuliſſe; verùm etiam mortuos ad vitam reuocaſſe. Nec minus ſæpè miraculum, imò etiam aliquando maius debet exiſtimari, vt maius ſemper eſt beneficium, mortem anteuertere imminentem, quàm auertere iam præſentem. Ita illi, qui adſtabant Chriſto Domino vocanti Lazarum ad vitam è monumento, dicebant [m]: *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt hic non moreretur?* Eſt autem in hoc genere præclariſſimum id, quod Paulo contigit in mari mediterraneo, dum in Italiam

nau gare

d 1. Cor. c. 12. v. 28.

e ibid. c. 12. v. 29.

f Act. c. 20. v. 9.

g lib. 10. c. 6.

h 1. Theſſ. c. 1. v. 14.

i 2. Cor. c. 12. v. 12.

k Act. c. 19. v. 11.

l Chryſ. hom. 8. in ep. Rom. & hom. 6. in 1. Corinth.

m Ioan. c. 11. v. 37.

nauigaret: quando, horribili facto naufragio, quotquot erant in ea naui, nẽpe, homines ducẽti & ſeptuagintaſex, omnes Orco deſtinati, ab interitu corporis & animæ Pauli ope ſunt vindicati [n]: *Et nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe* (dicebat ſalutẽ omninò deſperantibus:) *aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius ſum ego, & cui deſeruio, dicens: Ne timeas, Paule: ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum. Quod tantundem eſt* (inquit Chryſoſtomus [o]) *ac dicere: Digni quidem erant, qui perirent, quoniam inobedientes fuerunt: veruntamen in tuam gratiam hoc fit. Nam certè, quantùm ad rei naturam pertinet, periiſſent, ſed Deus prohibuit.* Ita Chryſoſtomus, qui benè præterea notat, conſtantem Pauli hac de re prophetantis aſſeuerationem, cùm diceret: *Credo Deo, quia ſic erit, quemadmodum dictũ eſt mihi.* & infrà: *Nullius veſtrûm* (inquit) *capillus de capite peribit.* & iterum id magis confirmans, ait: *Amiſſio nullius animæ erit ex vobis, præterquàm nauis.* Voluit intereà Deus, vt nauis confracta periret; tum ad reddendum miraculum manifeſtius; tum, vt ea ratione Gentiles illi hoc vno detrimento punirentur, proptereà quòd obedire Paulo noluerũt, ſuadenti in Inſula Creta ſubſiſtere, vbi Trophimum ægrotantem relinquere coactus fuit, non ſine magno animi ſui mœrore, & Trophimi afflictione, qui deſtitui à Paulo noluiſſet. Addit Chryſoſtomus: *Si nauigantes, periclitantes, & naufragium ſuſtinẽtes, ſi & vincti per Paulum ſaluati ſunt, cogita, quid eſt eſſe virum ſanctum in domo: multæ enim tempeſtates etiam nobis incumbunt his multò grauiores; ſed poteſt Deus etiam nos donare, modò credamus Sanctis, & quæ præcipiunt, faciamus. Et conſidera hoc factũ. Solutus Cẽturio vinctο illo habebat opus, Paulo, videlicet, in catena conſtituto. Gubernator peritus non gubernante egebat. Non enim talem gubernabat Paulus ſcapham, ſed Orbis Eccleſiam.* Hæc, & alia in hanc ſententiam multa Chryſoſtomus, vt nos ad Pauli Apoſtoli venerationem, cultum, inuocationẽ incitaret, quaſi Caluini præuidens impudentiſſimam impietatem, qui donatas hîc Paulo animas interpretatur, non eius meritis, aut interceſſioni, ſed fortuitæ tantùm præſentiæ conceſſas, inde vanam eſſe contendens Sanctorum inuocationem, contra quem ſatis egimus ſuo loco [p]. Vnum tamen hîc adiungere S. Auguſtini teſtimonium operæpretium videtur, qui exponens illa Actorum verba [q]: *In plateis ponebant infirmos, vt, veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & ſanarentur,* ſic ait [r]: *Si tunc ſupplicantibus opem ferre poterat vmbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc proderat aura quædam pertranſeuntis, quanto magis gratia nunc permanentis? Meritò per omnes Chriſti Eccleſias auro pretioſius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tam medicabilis fuit obumbratio viſitantis, quantò magis catena vincientis? Vt vmbra, inquit, tranſeuntis Petri obumbraret eos. Si inanis quædam ſpecies vacuæ imaginis habere potuit in ſe vim ſalutis, quantò plùs de corpore meruerunt attrahere ſalubritatis, ferreo pondere ſacris impreſſa membris vincula paſſionis? Si ad præſidia ſupplicantium tam potens fuit ante martyrium, quantò magis efficax poſt triumphum?* Hæc S. Auguſtinus: vnde factum eſt, vt Pauli triumphantis in cœlis, ſacræ apud nos Reliquiæ aſſeruatæ in terris, varie periclitantibus, & in mari naufragantibus remedium ſæpè fuerint præſentiſſimum.

[n] Act. c. 27. v. 22. 23. 24.
[o] Chryſ. hom. 53. in Acta.
[p] P. l. 11. c. 9.
[q] Act. c. 5. v. 15.
[r] S. Aug. ſer. 29. de SS.

a Greg. Turon. lib. de gloria Mart. c. 82. 83. Narrat Gregorius, Turonenſis Epiſcopus [a], obtinuiſſe ſe à Romano Pótifice Reliquias inter alias B. Apoſtoli Pauli, vt in Galliam deferrentur: id cùm fieret, excitatam in mari, prope Maſſiliæ portum, ſæuam tempeſtatem, vbi ſcopulus ingens quaſi mons lapideus ante nauigantium oculos obuerſabatur, vento vehementi nauē ad eum ſcopulum præcipiti curſu impellente, vt illiſa penitùs quaſſaretur. Tunc Diaconum eleuatis ſupra caput ſacris pignoribus Reliquiarum, & S. Pauli nominatim patrocinio inuocato, quod & alij ſimiliter magno clamore, ac gemitibus faciebant: *Statim*, (inquit Gregorius) *in ſanctarum contemplatione Reliquiarum, ab ipſo loco commotus cum violentia maiori ventus huic vento contrarium fluctum eliſit, ventúmque aduerſum repulit, ac nauem in altum pelagus reuocata, vinctos à mortis periculo liberauit: ſicque gyrata mole periculi, portum, quem deſiderabant, cum Domini gratia, & Sanctorum patrocinio contigerunt.*

Narrat præterea capite ſequenti iiſdem ſanctis Reliquiis magnum incendium fuiſſe repreſſum; tum, quæ ſibimet eas deferenti aliquando in periculo tempeſtatis euenerint, adiungit his verbis: *Cùm iter de Burgundia ad Aruernum ageremus, oritur contra nos magna tempeſtas, cœpitque crebris ignibus micare cœlum, validiſque tonitruorum fragoribus reſonare. Tunc extractas à ſinu beatas Reliquias manu eleuo contra nubem, quæ protinus diuiſa in duas partes dextra, leuáque præteriens, neque nobis, neque vlli deinceps nocuit. At ego, vt iuuenilis feruor agere ſolet, vanæ gloriæ inflari ſupercilio cœpi, & tacitus cogitare, ne hoc tam Sanctorum meritis, quàm mihi propriè conceſſum fuiſſet; atque ad ſocios itineris iactans, ea proferre, quæ innocentia mea Deus præſtiterit, vt hæc mererer. Nec mora elapſus ſubitò ſub me equus ad terram eliſit, in quo caſu tam grauiter ſum confractus, vt vix ſurgere poſſem. Intellexi autem iſta à vanitate eueniſſe, ſatiſque fuit dehinc obſeruare, ne me vltra vanæ gloriæ ſtimularet aculeus.* Hactenus Gregorius.

Neque ſolùm in aqua, igne, tempeſtatibus, & naufragiis, Apoſtoli Pauli miris modis profuit inuocatio, & patrocinium; verùm etiam mortem ſibimetipſis, ac manus inferre, Diabolo inſtigante, volentibus. Teſtem, ne longè abeamus, proferimus eundem Gregorium Turonenſem, poſt martyrium S. Pauli breuiter enarratum, ita ſcribentem [b]: *De Pauli virtutibus multa quidem audiuimus; ſed de pluribus vnum tantùm miraculum ſtuduimus declarare. Factum eſt autem in quodam loco, vt homo laqueum ſibi ad extorquendam vitam, inſtigante Diabolo, prepararet. Cúmque ſecretum cellulæ, in qua hæc ageret, reperiſſet, funem trabi tranſmiſſum laqueum cœpit innectere; nomen tamen S. Pauli Apoſtoli ſemper inuocabat dicens: Adiuua me, S. Paule. Et ecce vmbra ſqualida, atque funeſta, quæ nihil minùs vultu, quàm Diabolum ſimulabat, apparuit ei, hortans ac dicens: Eia age, ne moreris: exple celeriùs, quod cœpiſti. At ille cùm hoc opus vitæ extorquendæ pararet, ſemper aiebat: Beatiſſime Paule, eſto adiutor meus. Deinde expedito laqueo, cùm vehementiſſimè vrgeretur ab vmbra, vt collum immitteret: ſubitò affuit alia vmbra huic ſimilis, dicens ei, quæ cum homine erat: Fuge, miſerrime: en Paulum Apoſtolum huc venientem: inuocatus enim ab homine, ecce adeſt. Tunc euaneſcentibus vmbris hic ad ſenſum ſuum reuerſus, & Crucem virtutis dominicæ pectori nutanti depingens, pœnitentiam, genis lacrym irā imbre perfuſis, agebat, cur iſta tentaſſet. Vnde manifeſtum eſt, hunc*

b Greg. Turon. l. eodem, c. 28.

eundem

eundem hominem per virtutem B. Apoſtoli ab hoc ſaua mortis præcipitio fuiſſe ſaluatum. Huc vſque Turonenſis.

CAPVT II.

Sanati à variis morbis, & infirmitatibus corporis.

EOrum, qui à S. Paulo curati ſunt à variis infirmitatibus corporis, dum adhuc ipſe mortalis ageret inter mortales, iniri numerus profectò non poteſt. Ideò S. Lucas, vbi vnum, vel alterum in Actis apoſtolicis fuſiùs enarraſſet, de hoc genere miraculorum, alia plurima paucis verbis, ſed multùm ſignificantibus eſt complexus. Fuit autem in primis inſigne illud miraculum, Actorum capite decimoquarto ſic expoſitum [a]: *Et quidam vir Lyſtris infirmus pedibus ſedebat, claudus ex vtero matris ſuæ, qui nunquam ambulauerat. Hic audiuit Paulum loquentem, qui intuitus eum, & videns, quia fidem haberet, vt ſaluus fieret, dixit magna voce: Surge ſuper pedes tuos rectus. Et exiliuit, & ambulabat.* Circa quod prodigiũ, præter ea, quæ in Hiſtoria illius anteà ſunt dicta [b], quinque hìc addimus obſeruãda. Primum, antequàm hic infirmus curaretur in corpore, fuiſſe in anima prædicatione Pauli ſanatum, imò ad vitam animæ à ſpirituali morte reuocatum, quod non debet haberi pro minori diuinæ gratiæ miraculo, quàm corporalis vitæ, nedum ſanitatis integra reſtitutio. Secundum, etiam ſupra naturam cẽſeri debet, fidem, deuotionem, ac vota huius ægroti, nondum explicantis quid haberet in corde; tamen primo intuitu à Paulo fuiſſe perſpectam. Tertium, planè incurabilem fuiſſe ipſius ægritudinem: ſiquidẽ ab vtero materno illam cõtraxerat, nunquam ambulauerat, & ſemper ſedere cogebatur. Vnde, quod ait vulgatus Interpres: *Sedebat pedibus infirmus.* Græcè Lucas dixit: ἀδύνατος, hoc eſt, impoſſibilis; nempe, cui eſſet penitùs impoſſibile pedibus incedere [c]: *Sed non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.* Quartum eſt, clamaſſe Paulum voce magna, & imperando, vt ſurgeret; tum, vt magnam ſuam in virtute diuina fiduciam, fidémque declararet; tum, vt operis difficultatem indicaret, ſicut cùm Chriſtus Dominus Lazarum quatriduanum è ſepulcro vocauit clamans [d]: *Lazare, veni foras.* tum denique, vt omnibus, qui aderant, ſiue propè, ſiue longè, innoteſceret, non eſſe illud opus magicæ incantationis, ac muſſitationis, ſed ſanctiſſimi Nominis IESV Chriſti apertæ & explicitæ inuocationis. Quintum, perfectiſſima reſtitutio integræ ſanitatis, adeò vt claudus non ſolùm ſurgeret, & ambularet, ſed etiã ſtatim exiliret, iuxta oraculũ Iſaïæ [e]. *Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus.* Denique obſeruatione dignũ eſt, adeò clarum, & manifeſtum apparuiſſe hoc miraculum, vt cùm non poſſet Diabolus illud infidelibus, qui aderant, obſcurare, ſuaderet Gentilibus, Paulo, & Barnabæ, tãquam Deis è cœlo lapſis, offerre ſua impia ſacrificia. Quòd verò aliqui arbitrantur, propterea Paulum ab illis Gentilibus, viſo tali miraculo, Deum Mercurium appellatum, quòd Mercurius nuncius Iouis putaretur; ideóque pedibus eius talaria pingebant, & Alipedem eum vocabant, quaſi ad cœlum facilè aſcendentem, & inde cœleſtia iuſſa deferentem: Paulus verò penetraſſe vſque ad tertiũ cœlum ſciebatur; hoc ſatis credibile nõ apparet. Vnde enim Lyſtrenſes talia de Paulo tam breui tempore cogno-

[a] *Act. c. 14. v. 7.*

[b] *lib. 4. c. 7.*

[c] *Luc. c. 1. v. 37.*

[d] *Ioan. c. 11. v. 43.*

[e] *Iſai c. 35. v. 6.*

ſcere potuiſſent, niſi fortè aliqua Dæmonũ apud illos ea de re ſuggeſtio, & illuſio fuiſſet. Sicut etiam poſſet aliquis de eo ſimiliter ſuſpicari, quòd Mercurio caduceum Gẽtiles tribuebant, nempe, virgam duobus in illa ſerpentibus complicatis: Paulus verò poteſtatem contra venenatas beſtias, excuſſa è ſarmentis vipera declarauit [f], cùm in Inſulam Melitam perueniſſet. Sed hæc, neque à Dæmonibus ſciri tunc poterant, quia longo poſt hoc miraculum tempore contigerunt. Quare his omiſſis, ad ea curationũ miracula tranſeamus, quæ præter veneni vim in ſe ſuperatam, in ea Inſula operatus eſt, quæ quidem adeò multa extiterunt, vt poſt ibi ſanatum à graui morbo Publium, Principis Inſulæ parentẽ, addat S. Lucas [g]: *Quo facto, omnes, qui in Inſula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur.* Horum quanta fuerit multitudo, ſi non aliunde liceat definire, ſaltẽ poſſumus hinc agnoſcere, quòd tota illa Inſula frequentiſſimè habitabatur: deinde, quia omnes, quotquot ibi aliqua laborabant infirmitate, ait S. Lucas ad Paulum acceſſiſſe, omnéſque curatos fuiſſe: atque id non fuit vnius, aut alterius diei occupatio; ſed trium menſium negotium, ita vt vna die, aut etiam vna hora potuerit ingens multitudo fama tãtæ virtutis excitata pro beneficio bonæ valetudinis obtinendo, cõuenire. Quapropter nulli mirum videri debet, totam illam Inſulam cum ſuo Principe, à quo miraculũ reſtitutæ valetudinis incepiſſet, ad Chriſti fidem adeò breui tempore menſium trium eſſe perductam: & præterea omnes illos ducentos ſeptuaginta Pauli nauigationis, & naufragij ſocios Baptiſmi Sacramẽtum in ea Inſula ſuſcepiſſe: extat enim vno circiter à portu milliari, vnde Paulus, & alij cum ipſo naufragi aſcenderunt, ſacellum S. Ioanni Baptiſtæ propterea dicatum, inter ruinas ædium antiquarum ibi olim conſtructarum, in quo loco fuiſſe illos omnes à S. Paulo baptizatos, incolarum firma traditio eſt. Id autem non parum ex eo comprobatur, quòd ante aliquot annos, cùm illud ſacellum inſtauraretur, inuentus ſub terra fuerit fons baptiſmalis è duro lapide fabricatus, vt locus tali miniſterio ſemel ab Apoſtolo Paulo deſtinatus, eidem muneri perpetuò conſecratus haberetur. Sed, ſi præterea computare voluerimus, ex vno illo miraculo viperæ redditæ Paulo ſemel innoxiæ, quot ſint ſecutæ, & ſequantur ſemper morborum curationes, non Melitenſibus tantùm, aut eam Inſulam adeuntibus, verùm etiam vbicunque terrarum de antidoto illius terræ participantibus; apparebit numerus gratiarum propè infinitus. Conſtat enim teſtimonio etiam peritorum Medicorum, ex illa terra parari antidota cõtra ſcorpiones, & ſerpentes, & cuiuſcunque venenati animantis ictus, ſi vel potu ſumatur, vel plagæ ſuperponatur: contra febres quoque lethales, dyſenteriam, toxica, morſus canum rabidorum: nec ſolùm hominibus, ſed etiã belluis inde laborantibus attuliſſe, & afferre ſalubritatem. Quòd autem aliqui non tam diuinæ benedictioni per Paulum illi terræ impetratæ, quã naturali cuidam glebæ illius virtuti hos effectus adſcribunt, alibi ſatis eſt refutatum [h], vbi de Pauli ad eam Inſulam aduentu tractaremus. Teſtatur præterea Alanus Copus [i], natos eo die, in quo memoria Conuerſionis S. Pauli in Eccleſia celebratur, nempe, vigeſimaquinta Ianuarij, vbicunque terrarum ſint editi, non formidare ſerpentes, aut angues, quin

[f] *Act. c. 28. v. 3.*
[g] *Act. c. 28. v. 9.*
[h] *lib. 11. c. 10.*
[i] *Alanus dial. 3. c. 28.*

quin etiam eorum morſibus ſua ſaliua mederi. Hoc idem certa experientia confirmat Thomas Fazelus, Siculus, initio ſuæ Hiſtoriæ [k]. Sunt etiam aliqui per Italiam vagantes, qui iactant, ſe eſſe de familia, ſeu cognatione S. Pauli, ac propterea non lædi à venenis, quos & nos vidimus ſerpentes, & ſcorpiones ſine vlla pernicie, vel horrore contrectare, quin & ori proprio & linguæ applicare. Sed hi cenſentur eſſe impoſtores à Delrio [l] libro primo de Magia; Lorino, & Cornelio in Acta apoſtolica; eò quòd compertum habeatur, huiuſmodi homines antidotis quibuſdam contra venena ſe præmunire. Et certè duos huiuſmodi generis homines, quos ipſe diuerſis temporibus vidi talia impunè peragere, parabant, & publicè vendebant contra toxica & venenum medicamenta. Quare nihil ad gloriam S. Pauli tales pertinere, nec ipſum indigere tali impoſtura, meritò exiſtimamus. Nihilominùs tamen ita Deus erga Paulum Apoſtolum extitit hac in parte munificus, vt ipſo etiam quodammodò renuente, non aduertente, aut neſciente, virtus miraculorum in rebus quoque vilioribus ad Paulum aliqua ratione pertinentibus multiplex appareret. *Ita vt etiam ſuper languidos*, inquit S. Lucas [m], *deferrentur a corpore eius ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores.* Quod aliqui ſic factum intelligunt, vt, quoniam S. Lucas loquitur in numero multitudinis, nominans ſudaria, & ſemicinctia, venirent diuerſi, & linteolis ac faſciis corpus Apoſtoli, non aduertente illo, contingerent, atque inde vim miraculorum quaſi ſuffurarentur. Simile eſt enim, quod de floribus, qui corpus, ſiue Reliquias S. Stephani attigiſſent, narrat S. Auguſtinus libro vigeſimoſecundo de Ciuitate Dei, dicens [n]: *Ad aquas Tibilitanas Epiſcopo afferente Proiecto Reliquias Martyris glorioſiſſimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus, & occurſus. Ibi cæca mulier, vt ad Epiſcopum portantem ſacra pignora duceretur, orauit: flores, quos ferebat, dedit: recepit, oculis admouit, protinus vidit. Stupentibus, qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlterius non requirens.* Quamuis igitur ita fieri potuerit, & fortè ſit factum, circa ea, quæ vndecunque allata, & à quocunque applicata ſacrum Pauli corpus attigiſſent; videtur tamen veroſimilius, illa ſudaria, & ſemicinctia, fuiſſe ipſiuſmet Pauli, quæ dum ab illo deponebantur, aliqui ſurripiebant, illo abſente, vel non aduertente, vt ſanctitatis beneficium pro illo contactu obtinerent: Deo ſic honorante res Pauli qualeſcunque, & venerabiles per omnia reddente.

k Fazelus lib. 1. c. 1. dec. 1.

l Delrius lib. 1. Mag. c. 3 q. 4. Ioan. Lorinus. Corn à Lapide.

m Act. c. 19. v. 12.

n lib. 22. de Ciu. c. 8.

CAPVT III.

Liberati ab ægritudinibus animi, & à Dæmonum vexationibus.

CONſueuerat S. Paulus non edere miracula pro reſtituenda corporum ſanitate, quin etiam animi ægritudines, ſi aderant, ſimul curaret: quod in miraculis à Chriſto Domino ſimiliter editis, aliorumque inſignium Sanctorum communiter licet obſeruare: neque enim erant Medici corporum, niſi vt eſſent animorum. Quapropter ducentos illos, & ſeptuaginta prope Inſulam

Melitam

Melitam à naufragio liberatos, eodẽ miraculo ad Chriſti fidem Paulus induxit; & vbi ad Inſulam deſcendiſſent, lauacro ſacri Baptiſmatis, vt anteà diximus, expiauit: Eũtycho adoleſcenti mortuo vitam non minùs animi per gratiam, quàm corporis à Deo impetrauit: & ſimiliter Proclo, atque aliis, ſiue à morte, ſiue à morbis corporis liberatis. Sed de his nunc agimus, qui in corpore ſano mentem habentes non ſanam, Apoſtoli beneficio ſalutaria cõſilia ſuſcipientes, toto animo conualuerunt. Hoc donum gratiæ gratis datæ, vt appellant, ipſe Apoſtolus vocat diſcretionem ſpirituum in priori Epi-

a 1. *Cor. c.* 12. *v.* 10. ſtola ad Corinthios [a]: *Alij*, inquit, *datur diſcretio ſpirituum.* nempe, cogitationum, & intentionum cordis, an ſint à natura, vel Dæmone; an à bono Angelo, ſiue à Deo. Vnde mo-

b *ep* 1. *c.* 4. *v.* 1. nebat S. Ioannes [b]: *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint: ipſe enim Satanas*, ait S. Pau-

c 1. *Cor c.* 11. *v.* 12. lus [c], *transfigurat ſe in Angelum lucis.* Vidimus id ſuperiùs in exemplo à

d *Greg. Turon. lib. de gloria Martyr. c.* 28. Gregorio Turonenſi relato [d], miſeri hominis à malo Dæmone incitati, per ſpeciem boni Angeli, vt laqueo collum inſereret, & infelicem vitam abrumperet, quomodo ad ſolius nominis Pauli inuocationẽ detecta eſt fraus, diſſipata eſt vmbra mortis, & Angelus lucis auxiliator apparuit. Sed hoc ipſum Pauli nomen, adiuncto etiam Dei nomine, Dæmonibus alias formidabile, ficta pietate prolatum potius Dæmones aduocabat, vt tanquam diuinæ iuſtitiæ adminiſtri tales contemptores, & minùs erga Paulum religioſos punirent. Ita nar-

e *Act. c.* 19. *v.* 3. rat S. Lucas [e] accidiſſe filiis Sceuæ, Principis Sacerdotum, qui cùm munus exorcizandi Dæmones indignè a[p]peterent, & viderent, quantam poteſtatem contra malignos Spiritus Apoſtolo Paulo Deus tribuiſſet, vt etiam ſudaria ipſius, ac ſemicinctia energumenis applicata Dæmones ab humanis corporibus effugarent, tentauerunt, adhibito Pauli nomine, honorificum reddere miniſteriũ ſuum. Hoc autem faciebant ad vanitatem, quæſtum, & curioſitatem, vel etiam ex perfidia, vt homines à Paulo, & eius doctrina reuocarent, & ad Iudaïſmum inducerent: ſi enim ea ratione Spiritus nequã eieciſſent, cùm ipſi eſſent Iudæi, non Chriſti virtuti, ſed Iudaïſmo id miraculi tribuiſſent: quòd ſi expulſionis miraculum non fuiſſet ſubſecutum, IESV nomen, & Pauli tanquam vanum, & nullius planè virtutis calumniati fuiſſent. At iuſto Dei iudicio, vt praua eorum intentio, & nequitia ſpiritus diſcerneretur, quos expellere quærebant Dæmones, contra ſe incitarunt. Rem

f *Act. c.* 19. *v.* 13. S. Lucas ita narrat [f]: *Tentauerũt quidam de circunſtantibus Iudæis Exorciſtis, inuocare ſuper eos, qui habebãt Spiritus malos, nomen Domini* IESV, *dicentes: Adiuro vos per* IESVM, *quẽ Paulus prædicat. Erant autem quidam Iudæi Sceuæ Principis Sacerdotũ ſeptẽ filij, qui hoc faciebant. Reſpondens autem Spiritus nequam dixit eis* IESVM *noui, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis? Et inſiliens in eos homo, in quo erat Dæmonium peſſimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt nudi, & vulnerati effugerent de domo illa.* Eadem virtute, atque diſcretione ſpiritus, diuinus Apoſtolus, cùm primùm per Macedoniam ab Angelo inuitatus, Europam ingreſſus fuiſſet, exegit Dæmonem calidiſſimum ex muliere Pythonica. Hic adulabatur Paulo, & comitibus ipſius, & cogebat obſeſſam muliercula[m], audiẽte populo, tale reddere de viris ſancti teſtimonium [g]: *Iſti homines ſer-* g *Act. c.* 16. *v.* 17.
ui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vo[bis]

n

viam ſalutis. Hoc autem (inquit S. Lucas) *faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuerſus, ſpiritui dixit: Pręcipio tibi in nomine* IESV *Chriſti exire ab ea. Et exiit eadem hora.* Penetrabat Apoſtolus, quantæ ſub illo fuco veritatis laterent implicatæ fraudes, & fallaciæ. Quærebat Dæmon, quos paulò antè non potuit, oblatis diuinis honoribus per idololatram Sacerdotem, ſacrilegos facere, ſaltem humanis laudibus inflectere ad aliquam vanitatem: timebat, ne ab antiqua poſſeſſione deiiceretur, ideò Pauli fauorem aucupari adulatione illa voluiſſet: ſperabat poſt Apoſtoli diſceſſum, ſe poſſe ad fidem Chriſti perductos faciliùs priſtinis erroribus implicare. *Si enim* (inquit Chryſoſtomus [h]) *illius teſtimonium Paulus admiſiſſet, multos etiam fideles decepiſſet, vtpote iam ab illo approbatus.* Quòd ſi nec Paulo, nec vlli fidelium nocere potuiſſet, infidelibus ſaltem, qui ſalutaria monita, & prædicationem euãgelicam recipere detrectaſſent, culpam ſtudebat accreſcere, & æternæ damnationis pœnam, eò quòd à ſe ludicra, & vana, tanquam oracula tam auidè recipiebant; vetiſſimas autem de Pauli & ſociorum eius probitate, ac ſanctimonia teſtificationes obſtinatè reſpuebant. Ambiebat prætereà non ſolùm fallaciſſimus, & nocentiſſimus, ſed ſuperbiſſimus Spiritus aliquam ſpeciem Diuinitatis apud ſimplices oſtentare per ſcientiam rerum abſconditarum, & huiuſmodi ſecretorum diuinationem. Denique, ſi ægrè tuliſſet Paulus, hanc ſuam à Dæmone profectam commendationem, ſicut ægerrimè tulit, & inde motus eſt, vt eum expelleret, aliud malum creare nequiſſimus Spiritus moliebatur; nẽpe, vt illius Pythoniſſæ dominum, propter amiſſum ex illa diuinandi arte lucrum, grauiter contra Paulum incitaret, qui proinde accuſaretur apud Magiſtratum, detineretur in carcere, ſupplicio etiam mortis afficeretur, atque adeò fructus euangelicæ prædicationis perderetur. Has omnes nocendi artes cùm haberet Apoſtolus ſumma diſcretione ſpiritus benè perſpectas, inuocato nomine Saluatoris, Dæmonem abire imperauit, eiecit, & omnia ſuperauit.

h *Chryſ. hom. 35. in Acta.*

Sed non minori ſapientia, & prudentia ſpiritus indigent ægritudines animorum, tam multiplices, tam variæ, tam fallentes, ſiue à Dæmone immiſſæ, ſiue à natura peccato vitiata progenitæ, in quarum curatione quãtùm hic Apoſtolus excelluerit, eius Epiſtolæ nos docent: ex quibus totum ferè librum illum inſignem curæ paſtoralis in quatuor partes diſtinctũ S. Gregorius compoſuit, profeſſus in illius exordio artem artium eam eſſe, cùm nemo ignoret occultiora & periculoſiora eſſe morbis & vulneribus viſcerum, vulnera cogitationum, & ægritudines animorum. Quare in ſola tertia parte ſupra triginta documẽta, & quaſi aphoriſmos huius artis S. hic Doctor elicit ex Epiſtolis S. Pauli, de quibus multa in libro ſequenti dicturi ſumus, cùm de ſumma Pauli prudentia diſſeremus. Interim, qua diſcretione ſpiritus ea, quæ in hac arte alios doceb[illegible], ipſe exerceret, à S. Chryſoſtomo audiamus, qui homilia quinta de S. Pauli Apoſtoli laudibus ait, eum fuiſſe in hac parte Deum quodammodo imitatum, gratiam ſuam hominum ingeniis, ac naturis miris modis attemperantem, & cum diuerſis propenſionibus, etiam diuerſis diſpenſationibus vtentem: *Ita igitur Paulus* (inquit Chryſoſtomus) *credite ſibi diſpenſationis modum ſæpe variando, nequaquam de Domini ſui imitatione culpatus eſt, cùm modo Iudæus fieret, modo ſe illis nulla cõmunicatione*

miſceret, & nunc quidem cuſtodiret legem, nunc verò deſpiceret: & aliquando conſeruaret præſentem vitam, aliquando cōtemneret; & nunc quidē poſtularet pecunias; nunc etiam oblatas refutaret: nam & ſacrificium obtulit, & purificationē ex more celebrauit: ſed rurſus & anathematizauit ita facientes. Et nunc quidē circumcidebat ipſe, nunc circumciſionē penitus excludebat. Et erant facta quidē diuerſa inter ſe, atque contraria; mens verò atque ſententia ex illa fiebat ſibi valdè conſonans, atque concordans. Idipſum optimè declarat exemplo Medicorū, dicens: *Siquidē & Medicū nunc vrentē videris, nunc fouentē; nunc ferro vtentem, nunc malagmate: & aliquando quidem ægrotū à cibo, potúque prohibentem; aliquando verò eum in iſta laxantē: & modò quidē cooperientē vndique, & vndique confouentē: nunc verò illi ipſi calefacto ſecuriùs plenā frigidis aquis imperantē epotare phialam. Nec vtique ſuper hac eum varietate culpabis; ſed tūc præcipue ſtupebis artē, quando ea, quæ nobis contraria videtur & noxia, illum cū fiducia videris offerentē. Hoc eſt enim veri artificis, & periti. Quòd ſi approbamus Medicum cōtraria iſta facientem, multò magis Pauli debemus animā prædicare, tam multis ſe, ac diuerſis modis ægrotantibus coaptantē. Non enim minus hi, qui animarum, quam illi, qui corporum languore vexantur, arte opus habent, ac varietate curandi.* Hactenus Chryſoſtomus, qui adhuc ſublimiùs extollens ſimilitudinē, comparat Paulum Deo in veteri Teſtamento nunc oſtendenti ſe in igne, nunc in aura leni, nunc ſedenti ſuper thronum, nunc ſuper Cherubim: vnde per Oſeā dicebat [i]: *Et ego viſionem multiplicaui, & in manu Prophetarum aſſimilatus ſum.* Tandem in nouo Teſtamento apparuit verus homo, nunc humilis & paſſibilis, nunc miraculis coruſcās omnibus admirabilis: nunc mortu ſubiacens, nunc victa morte triumphator inſuperabilis. Sed de Pauli apparitionibus agendum nobis eſt capite ſequenti.

i Oſeas c. 12. v. 10.

CAPVT IV.

Apparet S. Paulus variis perſonis, eáſque à grauibus periculis, tum animi, tum corporis, eripit.

AB ea primùm celebri apparitione incipiemus, qua S. Paulus cū Apoſtolo Petro Imperatori Conſtantino ſe manifeſtauit, eúmque à lepra corporis, & ſimul ab animi ægritudine multò grauiori liberauit: omittimus enim aliud dicere de illa eiuſdem Apoſtoli Pauli apparitione Imperatori ſceleſtiſſimo Neroni exhibita, ex qua, vt anteà retulimus [a], nihil Nero profecit, ſed territus tantùm, & quaſi mente captus, veluti alter Pharao magis obduruit in ſceleribus; in quibus tamen non diu potuit infamē vitam traducere, morte ignominioſiſſima breui tempore ſubſecuta, fuítque Imperatorum omnium vt perditiſſimus, ita etiam infeliciſſimus, & ſupra omnes deteſtabilis. At verò Conſtantinus à veneratione Apoſtolorum ſuam auſpicatus felicitatem, omnes ferè alios Principes, vt pietate, ita etiam gloria principatus, & imperij florentiſſimi amplitudine, ac maieſtate ſuperauit. Sed, quoniam viri aliqui non indocti [b] auſi ſunt in dubium reuocare hanc SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Conſtantino exhibitam viſionem, & metū ſomnium interpretari, atque adeò liberationem eius à lepra per Baptiſmi ſuſceptionem incertam reddere, eam expedir audire narratam primùm verbis ipſis Romani Breuiarij, a quo non eſt tem.ere

a l. 14. c. 11.

b Caiet. 3. p. q. 69. a 8. Sot. in 4. d 6 a 6. in fine, & d. 7. q. vnica, a. 4. Naucler. Gener. 11 Platina.

temerè diſſentiendum; tum ex aliis probatis Auctoribus planè ita ſe rem habuiſſe confirmabimus. Sic igitur pro Feſto S. Sylueſtri, Romani Pontificis, ibi narratum legimus[c]: *Conſtantino Imperatori, cùm lepra curandæ cauſa, ſibi ex infantium ſanguine, Medicorum conſilio balneum parari iuſſiſſet, SS. Apoſtoli, Petrus & Paulus, in quiete apparuerunt, præcipientes ei, vt ſi ex lepra liberari vellet, omiſſa impij balnei immanitate, Syluestrum in Soracte monte latitantem accerſeret: à quo ſalutari lauacro recreatus, in omni ditione Romani imperij templa Chriſtiano more ædificari imperaret; ſublatiſque inanium Deorum ſimulacris, vero Deo cultum exhiberet. Conſtantinus verò cæleſtibus monitis obtemperans, Sylueſtrum diligentiſſimè conquiſitum vocat: à quo Apoſtolorum imagines recognoſcens, Baptiſmo ſanatur, & ad tuendam, propagandámque Chriſti religionem inflammatur.* Hæc reſpexit Gregorius Turonenſis, cùm in ſua Hiſtoria de Baptiſmo Clodouei, Francorum Regis, agens, ita ſcripſit[d]: *Procedit nouus Conſtantinus ad lauacrum, deleturus lepræ veteris morbum, ſordentéſque maculas geſtorum antiquorum recenti latice mundaturus.* Eadem leguntur in Actis S. Sylueſtri à Metaphraſte collectis, tomo ſexto apud Surium, & in aliis Actis à Baronio tomo tertio Annalium prolatis, tanquam fide dignioribus à Gelaſio quoque Pontifice approbatis[e], & ab Adriano ex parte recitatis in quadam epiſtola decretali, Concilio Nicæno ſecundo inſerta.

c Breu. die 31. Decembris, lect. 4.

d Greg. Tur. l. 2. hiſt. c. 31.

e Gelaſ. in Cōcil. Rom. de libris authent. & apocryph.

Quæ verò in ea Hiſtoria poſſent alicuius mendi facere ſuſpicionem, hæc ſunt. Primùm, quia rem hanc modis aliquantulùm diuerſis varij Auctores retulerunt. Secundò, nam plures eorum dicunt, propterea Conſtantinum lepra fuiſſe à Deo percuſſum, quia Eccleſiam perſequeretur, & Sylueſtrum Papam coëgerit ad montem Soractem confugere. Hoc autem non adeò videtur veriſimile, cùm Conſtantinus, etiamſi nondum baptizatus hoc tempore; tamē animi propoſito eſſet Chriſtianus, & iam pridem Catechumenus; quippe qui, oſtenſo ſibi cælitùs ſigno Crucis fulgentiſſimo, à Deo vocatus vexillo ſigni ſalutiferi, contra duos tyrannos, vnum Orientis, alterum Occidentis, inſignes victorias obtinuerat. Tertiò, propter eandem rationem minùs credibile videri poſſet, petiiſſe Conſtantinum à S. Sylueſtro, quinam eſſent illi duo Dij, quos per noctem vidiſſet. Nam inquit Metaphraſtes[f]: *Vbi ad Conſtantinum ex monte Soracte adductus fuiſſet S. Sylueſter, Imperator eum libenter vidit, & ei iuit obuiam, cumque complexus eſt. Deinde, Adiuro te (ait) per Crucifixum, quem tu colis, vt dicas mihi, an aliqui apud vos Dij colantur, nomine Petrus, & Paulus. Ille autem contrà reſpōdit: Vnus à nobis Deus cognoſcitur, ô Imperator, qui creauit cœlū, & terram, & omnia, quæ ſunt in eis. Quos autem ipſe nominaſti, non Dij, ſed Dei ſunt miniſtri, qui vbique Chriſti nomen annunciauerunt, & poſtremò pro illo ſunt a Nerone interfecti.* Hæc Metaphraſtes, quæ Conſtantinus, niſi valdè rudis fuiſſet myſteriorum noſtræ fidei, nunquam dixiſſet. Denique vexatum Imperatorem ſordido morbo lepræ mendicorum proprio, & hominum infimæ ſortis, hoc etiam creditu difficile aliquibus videtur.

f Metaphr apud Sur. 31. Decemb.

Sed hæc mouere quenquam à receptiſſima Hiſtoriæ huius veritate minimè debent: nam, quod primùm obiiciebatur, eā à diuerſis vario modo eſſe relatam, nihil eſt mirum: neque enim vnus alterius verba tráſcripſit, ſed vnuſquiſque, vt varie ferebatur, & magis viſum eſt, aliqui etiam

fortaſſe minùs fideliter deſcripſerũt. Itaque, quod ſecundo loco eſt obiectum, vix credi poſſe Conſtantinum Chriſtianæ religioni adeò benè affectum, & iam Catechumenum, perſecutionem contra Chriſti Eccleſiam mouiſſe, redditur ſatis veriſimile, ſi non de grauiſſima perſecutione intelligatur, qua fideles ob religionẽ morti traderentur; ſed de alienata nonnihil à Chriſtiana profeſſione voluntate, & ad antiquam ſuperſtitionem inclinata per Ethnicos adulatores, & hoſtes infenſiſſimos Chriſtianorum, qui de idololatriæ imminente iam excidio ſolliciti, nacti occaſionem, Principe non tam iubente, quam cõniuente, Chriſtianis extrema quæque minitarentur: vnde Summus Pontifex Syluester latebras quærere compulſus eſt. Maximè, quia graui tunc indignatione percitus Imperator in ſuos cõiunctiſſimos crudeliter ſæuiebat, mãdans interfici Criſpum, filium chariſſimum, & Cæſarum primum, ac, vt putatur, iam Chriſtianum; deinde amantiſſimã vxorẽ Fauſtã Auguſtã, ob tentatum cũ Criſpo inceſtũ, & illatã in eum calumniam: vnde lepra fuit à Deo percuſſus, vt à crimine reſipiſceret. Tertium, quod opponebatur, nõ potuiſſe eſſe niſi hominis valdè rudis in myſteriis noſtræ fidei eam interrogationem, vtrùm Petrus, & Paulus tanquam Dij à nobis adorentur, ita quidem legimus relatum à Metaphraſte: ſed ab Adriano Papa in epiſtola decretali ſuperiùs adducta, ſic dicitur: *Percunctabatur, qui eſſent Dij, Petrus, & Paulus, qui illum viſitarent ob cauſam ſalutis ſuæ. Syluester reſpondit: Hi quidem Dij non ſunt, ſed idonei ſerui Chriſti, & Apoſtoli electi ab eo.* Hæc verba expendens Baronius [g], ſic ait: *Conſtantini de Apoſtolis interrogatio: Quinam Dij eſſent, non eo ſenſu accipienda eſt, vt qui tot annis erga Chriſtianam religionem viſus eſt eſſe propẽſior, & eius elementis imbutus; quinam eſſent Apoſtolorum Principes, ignoraret. Sed, licet Apoſtolos optimè ipſe nouerit fuiſſe homines: quiddam tamen ſuperhumanum eo viſu de eis mente concepit, quòd in facta diuinitùs apparitione Spirituum beatorum ſæpè contingere ſoleat, tanta ſuperni luminis claritudine videri coruſcos, vt ſupra humanum, & angelicum, diuinum quid, qui eos vident, in eis fuerint meditati: vt de Manue Samſonis patre teſtatur diuina Scriptura, cùm ait* [h] *: Statimque intellexit Manue, Angelum Domini eſſe; & dixit ad vxorem: Moriemur, quia vidimus Deum. Et de anima ſuſcitati Samuelis libro Regum primo, ait mulier ad Saul* [i] *: Deos vidi aſcendentes de terra. Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio. Et intellexit Saul, quòd Samuel eſſet. Si ergo vnus ex Diis credita eſt anima Samuelis, hominis nuper defuncti, & facie viſuque notiſſimi: quid adeò mirũ, ſi Cõſtãtinus in ea diuinitùs facta viſione, cõſpiciens Petrũ, & Paulũ, nõ de terra ſurgẽtes, ſed de cœlo veniẽtes, & cœleſtis gloria fulgore clariſſimos, Deos eſſe putauerit? id eſt, omniũ hominũ præſtãtiſſimos, quos Gẽtiles vocabãt Heroas: imò & Dauid in Pſalmo* [k] *: Ego, inquit, dixi: Dij eſtis, & filij Excelſi omnes. & in eodem Pſalmo: Deus ſtetit in Synagoga Deorũ: in medio autẽ Deos diiudicat.* Idipſum reſpiciens poſteà Conſtantinus in Concilio Nicæno, cùm illi fuiſſent oblati libelli accuſationum contra quoſdam Epiſcopos, reſpondit, Epiſcopos eſſe à Deo conſtitutos, quaſi quoſdã minores Deos: æquum igitur nõ eſſe, vt ab homine iudicentur, ſed ab eo tantùm, de quo in Pſalmo dicitur: *Deus ſtetit in Synagoga Deorum: in medio autem Deos diiudicat.* vt Ruffinus [l], & alij referunt. Poſtrema obiectio de morbo lepræ, ſordidorũ, & mẽdicorum proprio, non Regum, & Imperatorum,

[g] Baron. an. 324. tom. 3.

[h] Iud. c. 13. v. 22.

[i] 1. Reg. c. 28. v. 13.

[k] Pſ. 81. v. 6.

[l] Ruffin. l. 1. c. 2. Greg. l. 4. ep. 75. Baron. an. 324.

Imperatorum, facilè ſoluitur ex Plinio, qui agens de hoc morbo [m], quē elephantiaſim vocat, teſtatur, neque Regibus parcere, & cùm tali morbo vexantur, funeſtum populis exiſtimari: ſolere autem balneum humani ſanguinis poſcere pro medicina. Ex quo maximè confirmatur, quod de balneo ſanguinis puerorum præſens habet hiſtoria. Sed, ne tam crudelem fuiſſe Conſtantinum arbitremur, audiamus quid ea de re narret Metaphraſtes: *Cùm* (inquit [n]) *deplorata eſſet curatio Imperatoris, Sacerdotes Iouis ad eum accedunt ex Capitolio, dicentes, fore vt non aliter curetur, niſi facta eſſet piſcina plena ſanguine infantium, eoque adhuc bulliente, & exhalante in ipſo lauaretur. Hæc cùm execrandi illi Sacerdotes ſuggeſſiſſent Imperatori, per vniuerſam miſſi ſunt regionem, qui infantes colligerent in Capitolium. Eorum autem matres cùm occurriſſent Imperatori lugentes & eiulantes, precibus implebant aërem. Tunc Imperator ad ſe reuerſus: Actionis, inquit, impietas eſt euidens, & manifeſta: incertum eſt autem, an ſit euenturum, vt polliciti ſunt, qui hoc impium facinus ſuggeſſerunt. Quòd ſi etiā eſſet manifeſtum, ſatius eſſe duco, vt ipſe patiar morbis vexatus, quàm tot infantium, qui nihil mali fecerunt, volens cædem faciam. Hæc cùm dixiſſet, reuerſus in Regiam infantes reddi matribus iuſſit. Statuit autem, vt vnicuique eorum præberentur pecuniæ, vt eorum dolori ex æquo reſpondentem afferrent lætitiam.* Hæc à Metaphraſte ſcripta optimè conſentiunt verbis Apoſtolorum, Petri, & Pauli, ſic Imperatorem Cōſtantinum in viſione alloquentium, vt refert Adrianus Papa in epiſtola decretali ſuperiùs inducta, quæ eſt ad Imperatores Oriētis: *Quoniam flagitiis tuis poſuiſti terminum, & effuſionem innocentum ſanguinis horruiſti, miſſi ſumus à Chriſto* IESV *Domino dare tibi ſanitatis recuperandæ conſilium. Syluestrum cùm ad te adduxeris, ipſe tibi piſcinam oſtendet, in qua dum tertiò merſerit, omnis te mala valetudo deſeret lepræ.* Addit Metaphraſtes: dum Conſtantinus à S. Syluestro baptizaretur, ſquammas ex illius corpore defluxiſſe, & totam eius carnem mundiſſimam, in ſignum internæ mundationis apparuiſſe. Qua ratione etiam Paulus Apoſtolus, cùm baptizaretur [o], pro ſigno interioris illuminationis, cadentibus ex oculis eius tanquam ſquammis, viſum recepit. Poſtremò addit Adrianus, petiiſſe Conſtātinum à S. Syluestro, num haberet in tabula depictos Apoſtolos Petrū, & Paulum, vt ex eorū imagine meliùs oblatā ſibi ſpeciē recognoſceret. Tunc Syluestrum Papam miſiſſe ſtatim Diaconum, qui talem picturam afferret: quam vt aſpexit Imperator, magna voce exclamauit, hos eſſe prorſus, quos viderat. Hæc autem ipſa tabula tunc Imperatori Conſtantino à S. Syluestro exhibita. ſeruatur Romæ in Baſilica S. Petri Vaticana, & magna in veneratione habetur: cuius etiam plura exemplaria æneis formis expreſſa, ſed non æquè omnia ſimilia circunferuntur. Et hæc quidem euenerunt anno Domini trecenteſimo vigeſimoquarto.

Sed anno trecenteſimo octuageſimoſeptimo apparuit idem Apoſtolus Paulus ea ſpecie, qua in tabula depingi conſueuit, S. Ambroſio, Epiſcopo Mediolanenſi, vt eum ab Arianorum furore protegeret, quibus Iuſtina Auguſta fauebat, & vnà cum Valentiniano filio ab ea incitato extrema Catholicis minitabatur. Rem narrat ipſe Ambroſius in epiſtola, quam ſcripſit ad omnes Epiſcopos Italiæ, cuius breue fragmentū

[m] Plin. lib. 26. c. 1.

[n] Metaphr. apud Sur. 31. Decem. in Vita S. Syluestri.

[o] Act. c. 9. v. 18.

n *Damaſc. or. 2. de imag. propè ſinem.*

(nam integra periit) refertur à S. Ioanne Damaſceno in hæc verba [n]: *At Mediolani Pontifex Ambroſius in epiſtola, quam ad vniuerſam Italiam ſcripſit, hæc habet: Mihi autem tertia nocte, cùm ex inedia corpus laboraret, non dormienti, ſed in mentis ſtupore conſtituto, ſeſe oſtenderunt cum quadam perſona B. Paulo Apoſtolo ſimili, vt eius pictura in tabulis expreſſa facilè declarabat.* Hæc apud Damaſcenum ipſe Ambroſius.

o *P. Octauius Caiet. in Manuſcr. Iſagog. c. 13. & Cornel. à Lapide Act. c. 18. v. 2.*

Illud multò recentius, nec abſimile prodigium, & multorum oculis clara luce obiectum, quod accidit anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo [o], in Inſula Melita, Pauli hoſpitio trimeſtri, & innumeris eius miraculis nobilitata: quã cùm Turcæ validiſſima claſſe militum octodecim millium inuaſiſſent, iámque expoſitis in Inſula tormentis ad quatiendam vrbem veterem ea diſponerent, apparuit die tertia S. Paulus Apoſtolus, veſte amictus ſtellata, quali conſpicitur depictus in Eccleſia cathedrali, equo inſidens, & gladium vibrans. In hunc Turcæ cum multas ſagittas nimis inſano conatu conieciſſent, omnes in ipſos retortæ magna vi reſiliebant, eóſque vulnerabant, quouſque tandem ſaucij, & exanimati hoſtes ceſſerunt, atque in fugam omnes, obſidione ſoluta, ſe dederunt.

CAPVT V.

Eiuſdem apparitiones ad erudiendos quoſdam inſignes viros.

A Chryſoſtomo Apoſtoli Pauli ſtudioſiſſimo incipiamus, qui, vt illus, quem in corde ſemper gerebat, & animo hærentem effigiem aſſiduè meditabatur, haberet etiam externo aſpectui ſubiectam, Pauli ad viuum depictam imaginem domi ſeruabat. Huius intuitu, tum inter orandum, tum ſtudendo, & maximè dum eiuſdem Apoſtoli Epiſtolas ſuis Commentariis explicabat, identidem accendebatur, & animo reficiebatur. Teſtatur id S. Ioannes Damaſcenus, dum in oratione prima de imaginibus, loquens de ſingulari S. Chryſoſtomi erga ſacras imagines deuotione, ſic ait: *In vita Ioannis Chryſoſtomi hæc ad verbum ſunt ſcripta: Habebat effigiem Apoſtoli Pauli in imagine, in loco, vbi propter corporis imbecillitatem parumper quieſcebat: erat enim, ſupra quàm natura patiebatur, vigilans. In hanc ille effigiem, quando perlegebat illius Epiſtolas, oculorum aciem intendebat; in eáque non ſecus ac ſi Paulus ipſe viuus fuiſſet, obtutu defixus inhærebat, beatum ipſum appellans, totámque animi cogitationem ad illum dirigens, & cum eo verſans, & loquens contemplando.* Poſt hæc breuiter refert Damaſcenus, qua ratione Apoſtolus Paulus præſentem ſe Chryſoſtomo exhibuerit aliquoties, eúmque de rebus diuinis erudierit: fuſiùs tamen Metaphraſtes [a], & Leo Auguſtus, aliíque vitam S. Ioannis Chryſoſtomi deſcribentes ex inſtituto. Et quidem Ioannes Damaſcenus verba illa teſtatur ſe accepiſſe ex vita quadam S. Ioannis Chryſoſtomi, quam non extare ait Baronius: tamen ante paucos annos inuenta eſt, & addita primo tomo Surij nouæ editionis, olim Græcè ſcripta à Georgio Archiepiſcopo Alexandriæ, à quo poſteà videntur accepiſſe Metaphraſtes, & Leo Auguſtus Imperator Cõſtantinopolitanus, in ſuo de S. Chryſoſtomo encomio. Quoniam verò hæc Alexandrini antiquior eſt Hiſtoria,

a *Metaphr. apud Sur. die 27. Ianuary. Leo Aug. ibid. in Vita S. Chryſoſtomi.*

&

& Damaſceno teſte probatior, inde rem totam proferemus. Igitur Auctor ille ſic ferè habet: Chryſoſtomus exiſtimans non mediocre prætium opetæ ſe rogantibus facturum, ſi Epiſtolas Apoſtoli Pauli dilucidiùs explanaret, hoc ipſum operæ præſtitit. Adueſperaſcente enim die, quo tempore domus ſua ferias ageret, & nemo adſtaret interpellator obſtreperus, ſuum illud anachoreticum cubiculum ſubibat, & in ſedili quodam ſeſſitans coram ſe funale cereum accendebat, & arreptis in manu tabellis per ſeipſum inſcribebat formulas dicendi Apoſtolo peculiares, ſimul & in eaſdem enarrationes. Sed enim nemo tum auſus fuiſſet ad eum ingredi, nec foris ſtare pro foribus, non etiam ſermonem texere, ne per hoc eius animi conceptio diſpergeretur. Id obſeruabatur, quandiu animum habebat ad ſcribendum. Iámque maxima ex parte Epiſtolas fuerat interpretatus, & ecce humanum quoddam ei contigit: nimirum, angi cœpit tædio, ſecum dicens: Ecquis nouit, Deóne accepta ſint hæc? & gratiam ab eo relaturus ſim? Scopúmne attigi ſapientis iſtius, & ſancti viri? Hac de re vt argumento aliquo redderetur certior, ſupplex efflagirauit Deum. Non ita multò pòſt hunc ſortita eſt finem poſtulatio. Etenim vir quidam vnus eorum, qui dignitate præcellebant in ea ciuitate, prætextu cauſæ cuiuſdam, infamiæ nota ſugillabatur ab iis, qui liuore torquentur alienæ famæ. Aduersùs hunc incanduit, & ſtomachatus eſt Imperator. Eiectus tandem è palatio, excuſſus etiam è dignitate eſt. Hic in mœrore tanto, & deliquio animi conſtitutus, cùm neminem haberet, qui ſe conciliaret Imperatori, præter Epiſcopum Chryſoſtomum; tamen verebatur, ne ſi per diem eum adiret, à quopiam conſpectus inimicorum ſeptum, in ſuſpicionem rurſus veniret Imperatori, quaſi quæſiuiſſet Epiſcopum ad impetrandam ſibi gratiam. Hic igitur Princeps ad ſe accerſit Proclum, virum eximiæ virtutis, qui poſteà Chryſoſtomo in epiſcopatu ſucceſſit: huius fidei de negotio arcanum cōmittit. Exurgit Proclus eadem nocte, Ioannem Chryſoſtomum adit, propiùs accedit ianuæ, & per foramen quoddam limis inſpectat oculis: videt Ioannem in ſuo conſidentem ſedili, ac ſcribentem, ſimul & S. Paulum, quem priùs inuocarat, ex aduerſo ſedis prope Ioannis caput, immittentem os ſuum deorſum verſùs, in aurem Ioannis dexteram, & familiariter colloquentem ei. Forma autem eius præferebat Eliſeum, barba iuſtam exprimebat ætatem lata admodum. Auſcultans proinde erat Proclus percupidus quiduis audiendi: at nihil potuit audire. Conſedit, & poſt paululum rurſus animo conſternatus propter hominem illum, exurgens, per prius foramen introſpexit; & ecce deprehendit eos iuxta modum priorem nihilo ſeciùs facientes. Is etenim, qui videbatur, in aurem B. Ioannis inſerebat ſermonem. Sequenti nocte ſimiliter adueniens Proclus, rurſus videt Apoſtolum B. Ioanni loquentem iiſdem figura, habitu, & geſtu, quemadmodum priùs. Et idem contigit tertia nocte: poſtquam manè tandem aduocatus à Chryſoſtomo, & intus fuit admiſſus Proclus in genua prouolutus, quid per noctes vidiſſet, aperuit: & quam gratæ eſſent Apoſtolo Paulo Epiſcopi Chryſoſtomi lucubrationes declarauit. Hæc & alia, quæ contraximus, Georgius Alexandrinus, quibus optimè conſentiunt ea, quæ in

Romano

Romano Breuiario in hæc verba de Chryſoſtomo leguntur [b]: *Multitudinem, pietatem, ac ſplendorem concionum eius, cæterorúmque Scriptorum, interpretandi etiam rationem, & inhærentem ſententiæ ſacrorum librorum explanationẽ, omnes admirantur: dignumque exiſtimant, cui B. Apoſtolus, quem ille mirificè coluit, ſcribenti & prædicanti multa dictaſſe videatur.* Quod verò aliqui dicunt, viſum fuiſſe Apoſtolum Paulum aſſidentem Chryſoſtomo, & auri, quæ ſcriberet, inſuſurrantem, dum Commentaria perficeret in Epiſtolam, quæ eſt ad Galatas; id vnde habeatur, non conſtat. Certè ipſe Chryſoſtomus, quantoperè, non in vna, vel altera tantùm Pauli Epiſtola; ſed in omnibus illarum Commentariis addictiſſimum ſibi ſemper habuerit hunc Apoſtolum, primis verbis docuit in prooemio illorum Commentariorum: ſic enim orditur: *Beati Pauli Epiſtolarum lectionem aſſiduè dum auſculto, pérque hebdomadas ſingulas bis ſæpè, & ter, & quater peragenda SS. Martyrum memoriæ celebratione, gaudio exulto: interim tuba illa ſpirituali perfruens, exurgo quidem, & deſiderio incaleſco, vocem mihi amicam cognoſcẽs: quin & tantùm non præſentem mihi imaginatus, differentem audire videor. Neque verò quæ nos ſcimus, (ſi quæ ſcimus,) ab ingenij bonitate, atque acumine ſcimus: ſed quòd illi nos Viro impensè affecti ab illius lectione nunquam diſcedimus: ſiquidem, qui amant, ij ante omnes eorum facta norunt, quos amant.* Ita de ſuo in Paulum Apoſtolum pietatis, ac deuotionis affectu Chryſoſtomus, verum exemplar, & idea abſolutiſſima eccleſiaſtici Concionatoris, expreſſa potiſſimùm a Prædicatore ac Doctore Gentium Paulo Apoſtolo.

[b] Breuiar. die 27. Ian. in Feſto S. Chryſoſt.

Quare mirum non eſt, ſi S. Dominicus, cùm de inſtituenda Familia Prædicatorum, Deo inſtigante, cogitaret, & pro ea multis precibus ſupplicaret, apparuerit illi S. Paulus, qui librum ei tradere videbatur, ſimúlque dicere, (ait Theodoricus Auctor antiquus Vitæ S. Dominici [c]:) *Vade, concionare, diuinitùs ad id miniſterium electus.* Tunc cœpit alumnos ſuæ diſciplinæ, licèt eo tempore paucos, per varias mundi partes ad Euangelium prædicandum, ſpe & fiducia in Deum pleniſſimus, diſtribuere, eis ſtudium Pauli Epiſtolarum valdè commendans. Nec omittendum in hac materia, quòd eiuſdem Familiæ Dominicanæ alterum decus, Albertus Magnus, ſibi accidiſſe teſtatur, & in quadam ſcheda manu propria ſcriptum ita reliquit: *Cùm expoſitionem libri B. Dionyſij de cœleſti Hierarchia laboribus multis perfeciſſem, & aggreſſus expoſitionem de eccleſiaſtica Hierarchia, primum capitulum, quod de Baptiſmatis Sacramento tractat, multo labore tranſiſſem, ad expoſitionem ſecundi capituli manum mittens, fateor, deficiens deſperaui. Et ecce poſt Matutinas ſomnium tale vidi. In quadam enim Eccleſia me inueni, in qua B. Paulus Miſſam celebrabat: vnde plurimùm conſolatus, ſperabam per ipſum de intellectu librorum S. Dionyſij erudiri. Et cùm diceret, Agnus Dei. per oſtium Eccleſiæ magnus populus ingreſſus eſt, quos Apoſtolus reſalutando placidè requiſiuit, quid peterent. Qui dixerunt: Ecce Dæmoniacum tibi adduximus, ſupplicans, vt digneris hunc à Dæmone liberare. Quod promiſit ſe facturum, & præſtitit; & fugato Dæmone hominem particula Hoſtiæ conſecrata communicauit. Cùm poſt, Agnus Dei. eſſet ablutio tribuenda, ego me obtuli, & cum reuerentia ſum locutus: Domine,*

[c] Theodor. de Apoldia lib. 2. c. 11. Vita S. Dom. apud Sur. tomo 4. nouæ edit.

Domine, multo tempore optaui, vt poſſem de abditis in libris B. Dionyſij, pietatis tuæ beneficio edoceri. Qui mihi beneuolè reſpondit, dicens: Poſt Miſſam ad domum Aaron Sacerdotis (qui erat illius Eccleſiæ Pontifex) *venito vltra aquam. Poſt Miſſam Apoſtolum ſecutus ſum; & cùm ventum eſſet ad aquam, Apoſtolus facilè tranſibat. At, vbi aquã ego meis pedibus attigiſſem, illa excreuit quaſi in immenſum, vt mihi aditus non pateret. Apoſtolus verò tranſiens, domum Sacerdotis ingreſſus eſt, & ego ſollicitus de ſequela, à ſomno excitatus, mecum rem cogitans, meipſum interpretem ſomnij, & viſionis feci. Quia primum capitulum per me expoſitum egit de eiectione Dæmonis ab homine per Baptiſmum, & baptizato homine datur participatio Sacramenti, atque ad domum Aarõ vocatio, qui chriſmate vngebat: ſequens capitulum, quod de chriſmate eſt, quo Pontifices conſecrantur, inuitabat. Verùm aquæ profunditas excreſcens me retraxit à ſcribendo, cuius mihi tranſitus B. Paulus oſtendebat diuina gratia innitenti. Accinctus ergo ſum in me, & Dei adiutorio, conſummaui, quod ex infirmitate propria deſperaueram.*

Hæc de Alberto refert Auctor Appendicis Annalium eccleſiaſticorum [d]. Videtur autem propterea Paulus Apoſtolus Albertum iuuare in doctrina Dionyſij rectè percipienda voluiſſe, quòd illam ipſam doctrinam profiteatur Dionyſius ſe ab hoc Apoſtolo didiciſſe, quem proinde Magiſtrum vocat, & Inſtitutorem ſuum.

d Bzouius to. 15. Annal. an. 1160. §. 7.

His adiungere debemus, quæ in hoc genere poſteà contigerunt præſtantiſſimo Alberti Magni diſcipulo S. Thomæ Aquinati. Huic aliquando Iſaïam interpretanti locus ſe obtulit valdè difficilis, pro cuius intelligentia ſæpiùs Deo ſupplicauit, & dies aliquot in ieiunio, & oratione tranſegit, donec à Domino aperiretur, quod tantoperè abditum ei videbatur. Cùm autem nocte quadam orationi vacaret, audiuit ſocius eius Reginaldus, quoſdam cum illo in ſecreto cubiculi miſcere ſermones; licèt percipere non poſſet, quinam eſſent, vel quibus de rebus colloquerentur. Illis verò abeuntibus, B. Thomas Reginaldum ad ſe vocat, eúmque iubet ſcribere commentaria quędam in locum Iſaïæ, perinde illa dictans, ac ſi ex libro recitaret. Deinde iuſſus Reginaldus nocturnæ quieti ſe reddere, hic ad pedes ſancti Viri corruit, eum obnixè rogans, & per Chriſti nomen obteſtans, vt diceret, cum quibus tãto tempore locutus fuiſſet. Recuſante diu Thoma, Reginaldus perſtitit, quovſque tandem, ne Chriſti nomen, quod ille obteſtabatur, parui facere videretur, non ſine lacrymis ei dixit: Scis, fili Reginalde, quàm me hiſce diebus afflixerim ob loci huius Prophetæ obſcuritatem, cuius iam expoſitionẽ à me excepiſti: miſit pius Dominus ad me Apoſtolos, Petrum, & Paulum, quos mihi apud illum interceſſores adhibuerã, & cum illis dulcia habui colloquia, iíque mihi hunc locum luculenter expoſuerunt. Sed ego omnipotentis Dei verbis tibi præcipio, ne hoc, quod à me iurato cognouiſti, donec ero in hac vita, cuiquam omninò reueles. Hæc Auctor Vitæ Doctoris Angelici, qui aliud de Apoſtolo Paulo non minùs admirandum adiungit: ea, nempe, hora, qua in Monaſterio Foſſæ nouæ S. Thomas ex hac mortali vita, ad æternam ac beatã migrabat, Fratrẽ Paulum Aquilinum eiuſdem Familiæ Religioſum inſignis, & notæ probitatis virum, cùm in Cœnobio Neapolitano verſaretur, vidiſſe imaginaria viſione B. Thomam Neapoli in frequenti auditorio prælegentem, & Apoſtolum Paulum cum multa Sanctorum fre-

quentia ſcholas ingredientem: dũ autẽ vir beatus è cathedra vellet deſcẽdere, honoris cauſa in occurſum Paulo Apoſtolo proceſſurus, iuſſit Apoſtolus pergeret in ſuſcepta prælectione. Tunc cœpit ab eo Thomas ſciſcitari, probéne aſſecutus eſſet mentem Epiſtolarum eius. Cui Apoſtolus reſpõdit: Quantùm quidem poteſt homo aſſequi in mortali corpore. Tum ſubdidit: Veni tamen eò te nunc perducturus ſum, vbi lõgè maioris inſtrueris rerum diuinarum intelligentia. Atque hæc dicens videbatur illum apprehenſa eius veſte ſecum è ſcholis educere. Tunc autem cœpit Aquilinus clamare: Succurrite, Fratres, ſubuenite: ecce aufertur à nobis Thomas. Ad quos clamores excitati Fratres quærebant ab eo, quidnam vidiſſet ita inclamans? Illo autem viſionem omnem referente, hora annotatur: & facta diligenti inquiſitione animaduerſum eſt, eo planè tempore Doctorem ſanctum viuere nobiſcum deſiiſſe, vt ad cœlum cum Apoſtolo Paulo transferretur. Poſſent his addi plures viſiones, & inſignes reuelationes, quibus ab eodem Apoſtolo Paulo S. Franciſca Romana meruit erudiri circa varias virtutes, præſertim obedientiæ. Sed valdè fusè narratæ in tertio libro vitæ ipſius, capite ſeptimo, & octauo inueniuntur.

CAPVT VI.

Eiuſdem aliæ apparitiones quibuſdam morientibus.

Narrat S. Gregorius in quarto ſuorum Dialogorum libro, capite vndecimo, quendam Presbyterum, nomine Vrſinum, tantæ probitatis & innocentiæ fuiſſe, vt cùm per annos quadraginta Eccleſiæ cuidam in Nurſiæ prouincia ſanctiſsimè præfuiſſet, & iam graui ſenio confectus lethali morbo decumbens extremum ſpiritum eſſet redditurus, honeſtam matronam illi coniunctiſsimam, vt exploraret, an adhuc adſpirare aduerteretur, faciem ſuam prope vultum morientis admouiſſe. *Quod ille ſentiens*, (inquit S. Gregorius,) *cui tenuiſſimus inerat flatus, quantulo adniſu valuit, vt loqui potuiſſet, infruneſcente ſpiritu collegit vocem, atque erupit, dicens: Recede à me, mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle. Illa igitur recedente, creſcente virtute corporis, cum magna cœpit lætitia clamare, dicens: Benè veniant Domini mei, benè veniant Domini mei: quid ad me tantillum ſeruulum veſtrum eſtis dignati conuenire? Venio, venio: gratias ago, gratias ago. Cùmque hoc iterata ſæpè voce repeteret, quibus hoc diceret, noti ſui, qui illum circunſteterant, requirebant. Quibus ille admirando reſpondit, dicens: Nunquid hic conueniſſe ſanctos Apoſtolos non videtis? Beatum Petrum, & Paulum, primos Apoſtolorum non aſpicitis? Ad quos iterum conuerſus dicebat: Ecce venio, ecce venio. Atque inter hæc verba animam reddidit. Et quia veraciter ſanctos Apoſtolos viderit, eos etiam ſequendo teſtatus eſt. Quod plerunque contingit iuſtis, vt in morte ſua Sanctorum præcellentium viſiones aſpiciant, ne ipſam mortis ſuæ pœnalem ſententiam pertimeſcant. Sed dum eorum menti ſupernorum ciuium ſocietas oſtenditur, à carnis ſuæ copula ſine doloris & formidinis fatigatione ſoluantur.* Hæc ſcripſit S. Gregorius, de cuius libris, antequàm ad alias morientibus exhibitas Apoſtoli Pauli apparitiones tranſeamus, hoc addemus,

demus, quod etiam ſpectat ad eiuſdem Apoſtoli apparitiones. Scripſerat Magnus Gregorius libros triginta quinque moralis expoſitionis in Iob, rogante S. Leandro, Epiſcopo Hiſpalenſi, vt ex proœmio illorum librorum agnoſcitur. Hos itaque libros in Hiſpaniam delatos Leander Epiſcopus apud ſe habuit, quandiu vixit: poſt eius verò mortem, incertum quo caſu, ita perierunt, vt exemplar in Hiſpania nullum ampliùs inueniretur. Poſt aliquot ergo annos Cyndeſindus, Rex Hiſpaniarum, Concilium Epiſcoporum triginta in vrbe Toletana collectum habuit, vbi iuſta omnium querela interceſſit de amiſsione horum S. Gregorij librorum. Quapropter vnanimi Concilio Epiſcoporum, placuit Regi, Tagionem, Cæſarauguſtanum Epiſcopum, Romam deſtinare, cum literis ad Summum Pontificem, pro libris ſancti Gregorij optatiſsimis recuperandis. Cùm ergo Romæ iam eſſet Cæſarauguſtanus Antiſtes, & à Pontifice in longum poſtulatio traheretur, quòd eorum librorum exemplaria defeciſſent, petiit fieri ſibi poteſtatem, integra nocte in Eccleſia S. Petri vigilandi. Ibi dum intentis ſupplicationibus pernoctaret, vidit totam Eccleſiam repentè immenſo lumine compleri: deinde inſignium virorum multitudinem niueis veſtibus indutam, ianuam Eccleſiæ decenti ordine, ac pompa ingredientem. Hos omnes binos procedentes, Apoſtoli Petrus, & Paulus anteibant. Hęc dum Tagionius ſumma cum admiratione reſpiceret, interrogatus fuit, quid ibi ageret, vnde, & ad quid veniſſet? Ad libros S. Gregorij recuperandos, ſe Romam miſſum eſſe, reſpondit, ſed nondum poſſe inueniri. Tunc is, qui eum interrogabat, ait: In ſcrinio illo, quod cernis, libri, quos quæris, continentur. Nec multò pòſt omnis illa multitudo, & quod impleuerat templum, lumen diſparuit: Epiſcopus verò Tagion ad Pontificem veniens, cuncta, quę viderat, expoſuit: atque hac ratione libros acceptos ex deſignato loco, & deſcriptos in Hiſpaniam reportauit, & quæ tunc Romæ acciderant, curauit literis fideliter conſignari. Habetur autem tota hęc viſio edita initio Operum S. Gregorij ſub hoc titulo: *Miraculum de inuentione librorum Moralium S. Gregorij.* Nos ad magis propria præſentis capitis reuertamur.

Inter alias apparitiones S. Pauli, quæ decedentibus ex hac vita contigerunt, illa profectò eſt memorabilis, quam retulit Venerabilis Beda in Hiſtoria Anglorum, libro quarto, capite decimoquarto accidiſſe in quodam Saxoniæ Monaſterio, ſic ſcribens: Eodem ferme tempore, quo ipſa prouincia nomen Chriſti ſuſceperat, multas Britanniæ prouincias mortalitas ſæua corripiebat: quæ cùm præfatum quoque Monaſterium nutu diuinæ diſpenſationis attingeret, multique paſsim de hac vita raperentur, viſum eſt Fratribus triduanam ieiunium indicere, & diuinam ſuppliciter exorare clementiam, vt miſericordiam ſuam dignaretur impendere; ſiue periclitantes hoc morbo à præſenti morte liberaret, ſeu raptos e mũdo à perpetua animæ damnatione ſeruaret. Erat tunc temporis in eodem Monaſterio puerulus quidam de natione Saxonum, nuper vocatus ad fidem, qui eadẽ tactus infirmitate, non pauco tempore in lecto decumbebat. Cùm ergo ſecunda memorati ieiunij ac ſupplicationum dies ageretur, contigit fortè, ipſum puerũ hora fermè ſecũda diei, in loco, in quo æger iacebat, ſolum inueniri, cui diuina diſpenſatione ſubitò Beatiſsimi

Apoſtolorum Principes dignati ſunt apparere: erat enim puer multũ ſimplicis, ac manſueti animi, ſynceraque deuotione Sacramenta fidei, quæ ſusceperat, ſeruans. Salutantes ergo illũ verbis piiſſimis Apoſtoli, dicebant: Noli timere, fili, mortem: nos enim te hodierna die ad cœleſtia regna ſumus perducturi. Sed primùm expectare debes, donec Miſſæ celebrentur, ac Viatico Dominici Corporis & Sanguinis accepto, ſic infirmitate ſimul & morte abſolutus ad æterna in cœlis gaudia ſubleueris. Voca igitur ad te Presbyterum Eappam, & dicito illi, quia Dominus exaudiuit preces veſtras, & deuotionẽ ac ieiunia propitius aſpexit; neque aliquis de hoc Monaſterio, ſiue de adiacentibus ei poſſeſſiunculis, hac clade vltrà moriturus eſt; ſed omnes, qui alicubi de veſtris hac ægritudine laborant, reuerſuri ſunt à languore ad priſtinam ſuam ſoſpitatem, prçter te ſolum, qui hodierna es die liberandus à morte, & ad viſionem Domini Chriſti, cui fideliter ſeruiſti, perducendus ad cœlum: quod diuina vobis miſericordia, per interceſſionem religioſi ac Deo dilecti Regis Oſuualdi, qui quondam genti Nordan Humbrorum, & regni temporalis auctoritate, & Chriſtianę pietatis, quæ ad regnum perenne ducit, deuotione ſublimiter præfuit, cõferre dignata eſt. Hac etenim die idẽ Rex ab infidelibus in bello interfectus, mox ad ſempiterna animarum gaudia aſſumptus in cœlum, & electorum eſt ſociatus agminibus. Quęrant in ſuis codicibus, in quibus defunctorum notata eſt depoſitio, & inuenient, illum hac, vt diximus, die raptum eſſe de ſæculo. Celebrent igitur Miſſam per cuncta Monaſterij Oratoria huius, ſiue pro gratiarum actione exauditæ ſuæ deprecationis, ſiue etiam in memoriam Regis Oſuualdi: & cunctis conuenientibus ad Eccleſiam Fratribus, communicent omnes Sacrificiis cœleſtibus, & ita ſoluto ieiunio, corpus quoque ſuis reficiant alimentis. Quæ verba cùm vocato ad ſe Presbytero puer omnia narraſſet, interrogauit Presbyter, quales eſſent habitu, vel ſpecie viri, qui ſibi apparuiſſent. Reſpondit: Præclari omninò habitu & cultu erãt, lętiſſimi, ac pulcherrimi, quales nunquam anteà videram, neque aliquos hominũ tanti decoris, ac venuſtatis eſſe poſſe credebam. Vnus quidem attõſus erat, vt Clericus: alius barbã habebat prolixam, dicebátque, quòd vnus eorum Petrus, alius Paulus vocaretur, & ipſi eſſent miniſtri Domini, & Saluatoris noſtri IESV Chriſti, ad tuitionem noſtri Monaſterij miſſi ab ipſo de cœlis. Credidit ergo verbis pueri Presbyter Monaſterij Præſes, ac ſtatim egreſſus quæſiuit in Annali ſuo, & inuenit eadem ipſa die Oſuualdũ Regem ante plures annos fuiſſe peremptum. Vocatíſquę Fratribus Miſſas fieri, atque omnes communicare præcepit, ſimul & infirmanti puero de eodem Sacrificio Dominicæ oblationis particulam deferri mandauit. Quibus ita geſtis, non multò pòſt eadem ipſa die puer defunctus eſt, ſuáque morte probauit vera fuiſſe verba, quæ ab Apoſtolis audiuerat. Sed & hoc verbis eius teſtimonium perhibuit, quòd nemo, præter ipſum, tẽpore illo, ex eodem Monaſterio e vita deceſſit; & ex eo tempore, non ſolùm in eodem Monaſterio; ſed & in pleriſque locis aliis cœpit annuatim eiuſdem Regis ac militis Chriſti Oſuualdi natalitius dies Miſſarum veneratione celebrari. Hæc omnia, paucis intermiſſis, habentur ex Beda.

Sed, quid mirum eſt, Apoſtolum Paulum vita prædit[illegible]m immortali, adeò circa mortem pio[illegible]m quo[illegible]dam

dam fuiſſe ſollicitum, quando etiam ſtatua ipſius impiis quibuſdam, ob aliquam erga hunc Apoſtolum obſeruantiam, in morte compati, & & illacrymari viſa eſt. Andronicus vbi atrociſſimis facinoribus imperium occupaſſet Orientis, erat tamen erga Apoſtolum Paulum ſingulari pietate ac deuotione affectus. *Quare* (ait Nicetas [a]) *Pauli diuini Praeconis Epiſtolas ſupra modum amanit, & melle inde promanante ſubinde eſt refectus, & literas ſuas elegantiſſimas inde ad perſuadendum efficaciùs inſtruxit. Imago verò cœleſtis illius Oratoris, antiquæ manus opus, quam auro exornatam in Eccleſia à ſe ædificata repoſuit, imminente eius exitio lacrymauit. Quo audito Imperator explorari iubet, an verum ſit? Ad id miniſterium præter cæteros quidam Stephanus eſt delectus, qui per gradus aſcendens (erat enim ſimulacrum in alta baſi collocatū) Pauli pupillas puriſſimo linteo abſterſit: quo facto lacrymæ magis etiam tanquam ex fonte exuberarunt. Quod vbi cū admiratione Imperatori Stephanus retulit, Andronicus graui dolore perculſus, & diu agitato capite cū gemitu dixit, Paulum videri ſuâ cauſâ lacrymaſſe, ac grauiſſimam ſibi cladem impendere: ſe enim ex animo amare Paulum, & eius dicta maximi facere, & à Paulo vtique redamari.* Hæc Nicetas de Andronico, qui non multò pòſt propter tyrannidem, & immania ſcelera, quibus omnium in ſe odia, furorémque populi concitauerat, crudeliſſime, & ignominioſiſſimè interfectus eſt. Et hæc quidem contigerunt circa annum Domini milleſimum centeſimum octuageſimumquintum.

a Nicet. in Andron. lib. 2. circa fin.

Sed poſt annum milleſimum ducenteſimum euentu longè feliciori oſtendit ſe Apoſtolus Paulus viro religioſiſſimo Vlrico Friſacenſi, cum in Cœnobio Friſacēſi Patrum Dominicanorum ſanctiſſimè moreretur [b]. Hic virtutum B. Hyacinthi præcipuus æmulator, à quo ad illud vitæ inſtitutum fuerat incitatus, vir contemplationi rerum diuinarū addictiſſimus, qui eos, quos prædicatione, aut colloquiis, reuocare à vitiis non poterat, orationibus, & effuſarum vi lacrymarum apud Deum iuuare non ceſſabat. Cúmque in lecto non tā morbo corporis deiectus, quàm languore ardentiſſimæ charitatis, cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, decumberet, petiit Euchariſtiæ, & extremæ Vnctionis Sacramenta ſibi adminiſtrari, quæ, vbi maxima deuotione ſuſcepiſſet, abreptus in ecſtaſim cœpit in facie ſplendore admirabili coruſcare. Id ſuperior, qui ſolus in cubiculo, aliis dimiſſis remanſerat, conſpicatus, vrgebat ſanctum Virum, vt quid ei accidiſſet hoc tempore, ſibi narraret. Cui Vlricus: Vidi (inquit) S. Paulum Apoſtolum ſimul cum aliis quibuſdam Cœlitibus me ad æternæ felicitatis gaudia inuitantem: qui etiam adiecit, omninò craſtina luce, hora Tertiarū, ab huius corporis ergaſtulo me liberandum. Cæterùm peto, ne vlli, antequàm per Dei benignitatem hæc euenerint, manifeſtentur. Die ſubſequenti vocauit manè Vlricus Fratrem infirmorum ſeruitio deputatum, rogans illum, vt mundum, exornatúmque cubiculum pro aduentu quorundam magnorum hoſpitum, eſſe curaret. Id cùm fuiſſet præſtitum diligentiſſimè, hora tertia iam appropinquante, exclamare protenſo brachio Vlricus multis adſtantibus cœpit: Date locū, cedite: nonne Paulum Apoſtolum, nonne alios, (quos nominabat è numero Beatorū,) cernitis? Hæc dum Fratres in terra proſtrati audirent, ſignum Tertiarum ęre campano inſonuit. Vlricus verò, ea, qua prædixerat, hora ſolutus e vinculis

b Leander de Viris illuſtr. Ordinis S. Dominici. Michael Pius ibid. Bzouius an. 1236.

lis agræ mortalitatis, cum beatis illis comitibus ſanctam animam ad cœlorum ſublimia tranſmiſit.

CAPVT VII.

Fueritne præſens S. Paulus Ieroſolymis, morti, ac funeri Beatiſsimæ Virginis.

OPortuiſſet quidem agere de hac re in progreſſu vitæ S. Pauli ſuperiùs, neque enim potuit, niſi viuente S. Paulo, id euenire: quia tamen omninò certò definire non licuit, cui anno ætatis Pauli obitus ſanctiſſimæ Dei Genitricis, & eius in cœlum aſſumptio reſpondeat, & ſequendo probabiliora oſtenſuri nunc ſumus, Pauli præſentiam, ſi qua fuit, non naturalem, ſed miraculoſam hîc interuenire debuiſſe: ideò conuenientius viſum eſt hoc loco, vbi agimus de huiuſmodi exhibitis à Paulo diuina virtute apparitionibus, hanc etiam explicare. In primis autem reuocare in dubium non licet, etiamſi non habeatur in diuinis Scripturis expreſſum, & S. Epiphanius aliquando videatur dubitaſſe [a], vtrùm Beatiſſima Virgo verè mortua ſit, an potiùs in cœlum neſciens mortem fuerit tranſlata. Sed ſufficit auctoritas Eccleſiæ vniuerſæ, traditio perpetua & immemorabilis, regula ſacrarum Scripturarum de omnibus filiis Adæ ſæpè prolata, vt non ſolùm mortales ſe agnoſcant, ſed etiam morituros aliquando, à qua lege nec ipſe Chriſtus Dominus pro ſe voluit exceptionem. Etenim mors corporis nullam huiuſmodi habet imperfectionem, quæ, ſicut Dei Filium, ita & Dei Matrem non deceret: imò ait Dauid [b]: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.* Pro certo etiam ſupponere nunc debemus, talem ſanctiſſimæ Deiparæ mortem, quam Græci Patres propterea dormitionem vocant, quòd non tam fuerit ex violenta ægritudine, quam ex ſuaui quodam languore charitatis, ac deſiderij ardentiſſimi videndi Filium ſuum Chriſtum Dominum, & quia, veluti ſomnus breui tempore durauit, ſecuta ſtatim ad beatam vitam glorioſa reſurrectione; Ieroſolymis in monte Sion eueniſſe, vt Patres, tam Græci, quàm Latini teſtantur infrà referendi. Eſt autem ſolùm inter eos de tempore, ſiue anno diſſenſio: nam Anſelmus in ea Pauli verba ad Galatas primo: ***Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini.*** cenſuit eo tempore mortuam Beatiſſimam Virginem: quia tunc Ieroſolymis cum Iacobo non erat S. Ioannes, qui nunquam viuentem Dei Matrem deſeruiſſet. Fuit autem hic annus Chriſti trigeſimusoctauus, & ſanctiſſimæ Virginis quinquageſimusſecundus. At verò Hippolytus Thebæus apud Epiphanium Presbyterum Conſtantinopolitanum in oratione pro Deipara, tribuit illi annos ætatis quinquagintaſeptem. Tertiò, Euodius apud Nicephorum [c], annos eidē adſcribit quinquagintanouem. Quartò, ipſe Nicephorus tribuit ſexagintaduos; & videtur pia vulgi opinio, attigiſſe B. Virginem ætatis ſuæ annum ſexageſimum tertium: vnde inſtituta eſt ſub hoc numero piacularis Corona Salutationum angelicarum ſexagintatrium, quamuis Roſarij pars tertia, iuxta primam opinionem, conſtet Salutationibus quinquagintaduabus. Poſtrema tamen opinio

[a] S. Epiph. hær. 78.

[b] Pſ. 115. v. 5.

[c] Niceph. lib. 2. c. 3 & 21.

opinio omnium probabilior, eſt ad annum perueniſſe ſeptuageſimumſecundum. *Ætas B. Virginis* (inquit S. Epiphanius ſuprà inductus) *ad ſeptuagintaduos annos proceſſit, auctore etiam Andrea Cretenſi, Patriarcha Ieroſolymitano, qui ad ſummam ætatem ait S. Virginem perueniſſe.* Auctor innominatus Opuſculo de forma, & moribus B. Virginis: MARIA, *cùm aſſumpta eſt in cælum, fuit annorum ſeptuagintaduorum.* Georgius Cedrenus [d]: *Tradidit* (inquit) *ſanctam animam Domino, ac Filio, & Deo ſuo, annos nata ſeptuagintaduos.* Atque hanc ſententiam veriorem putãt doctiſſimi recẽtiores [e], Baronius in primis, & ex noſtra Societate, Franciſcus Suarez, Petrus Caniſius, Chriſtophorus à Caſtro: quibus eò maximè aſſentimur, quòd omnes ſuperiores opiniones, præter hanc poſtremã, ex probatiſſimo teſtimonio S. Dionyſij Areopagitæ refelluntur. Hic enim in libro de diuinis nominibus, capite tertio, iuxta communem grauium Auctorum interpretationem infrà reponẽdam, apertè ſignificat, ſe morti ac funeri B. Virginis interfuiſſe. Hoc autem eſſe non potuit, niſi poſt ipſius Dionyſij ad Chriſtum cõuerſionem, quæ, ſicut ſuo loco vidimus, per Apoſtolum Paulum Athenis concionantem ſecuta eſt; anno Chriſti quinquageſimoſecundo, quando Virgo Deipara ætatis annum ſuperauerat ſexageſimũſextum. Neque propterea credere debemus illo ipſo anno iuiſſe Dionyſium Ieroſolymam; ſed nonniſi poſt aliquot annos, atque adeò facilè in annum Chriſti incidiſſe quinquageſimumoctauum, qui fuit ætatis ſanctiſsimæ Virginis ſeptuageſimusſecundus.

d Cedr. in compendio Hiſt. in Tiberio.
e Baron. an. 48. Suarez tom. 2. in 3 p. d. 21. ſect. 1. Caſtro in Hiſt. Deipara. Caniſ & alij.

Nec eſt à nobis hoc loco prætermittendũ, cùm ad Apoſtolũ Paulum pertineat, & ad primum Dionyſij aduentũ Ieroſolymam, vt viuentem Dei Genitricem videret, extare hac de re epiſtolam Dionyſij Areopagitæ nomine ad S. Paulum ſcriptam, in hæc verba: *Non credidi, confiteor corã Deo, Princeps mi maxime, extra Deũ ſummum, & optimum eſſe, haberi etiam, nec poſſe ab hominibus percipi, quæ ego oculis, non tantùm mentis, ſed corporis vidi, perſpexi, atque intuitus ſum, Deiformẽ, atque ſuper omnes cæleſtes Spiritus, ſanctiſſimam Matrem Chriſti* IESV *Domini noſtri, qua mihi benignitas Dei apoſtolicique culminis auctoritas, & Virginis almæ indeficiens clementia videre conceſſit. Fateor iterũ atque iterum coram omnipotentia Dei, & clementia Saluatoris, quoniam cùm à Ioanne, Vertice & Euangelij, & Prophetarũ, qui in corpore habitans quaſi Sol fulget in cælo, ductus ſum ad Deiformẽ præſentia altiſſimæ Virginis, & tantus me diuinus ſplendor circumfulſit exteriùs, ac pleniùs irradiauit interiùs: tanta etiam in me omnium odoramentorum ſuperabundauit fragrantia, vt nec corpus infelix, neque ſpiritus poſſet, totius ac tanta æternæ felicitatis inſignia ſuſtinere. Defecit cor meum, defecit & ſpiritus tanta gloria maieſtatis oppreſſus. Teſtor, qui aderat in Virgine, Deum, ſi tua diuina concepta mente non me docuiſſent, hanc ego verũ Deum eſſe credidiſſem: quoniam nulla videri maior eſſe poſſet gloria Beatorum, quã felicitas illa, quã ego infelix nũc, tũc verò feliciſſimus deguſtaui. Gratias ago ſummo atque optimo Deo meo, diuinæ Virgini, & eminẽtiſſimo Apoſtolo Ioanni, & tibi Eccleſiæ Vertici atque Principi triumphanti, qui mihi talia clariſſimè, & clementiſſimè præſtitiſti. Vale.* Sunt quidem multi [f], qui hanc epiſtolam cenſeant apocrypham, nec inter opera Areopagitæ nunc inuenitur: alij [g] tamen ſine nota recipiunt, nec abhorret à ſtylo S. Dionyſij. Sed non deeſt

f Bellar. lib. de Script. eccl. in Dionyſ.
g Chriſtoph. à Caſtro in Hiſt. B. V. c. 19.

deeſt eiuſdem S. Dionyſij teſtimoniũ indubitatum, in tertio capite libri de diuinis nominibus, vbi ex veterum Patrum & recentiorum Interpretum intelligentia, tradidit ſe interfuiſſe Ieroſolymis ſimul cum Timotheo, & Ierotheo, aliiſque ſanctis Apoſtolis, qui tunc viuebant, morti & funeri Sanctiſſimæ Dei Genitricis: ſic enim Timotheo ſcribit: *Nam apud ipſos etiam Pontifices noſtros, qui Numine diuino permoti erant, cùm & nos, vt ſcis, & tu, & multi ex ſanctis Fratribus noſtris, corporis, quod Auctorem vitæ, Deúmque recepiſſet, videndi cauſa conueniſſemus, (aderat autem & Iacobus frater Domini, & Petrus ſupremum, & maximè venerandum Theologorum, ſiue Apoſtolorum faſtigium,) placuiſſétque eo viſo, ab omnibus Pontificibus, vt quiſque idoneus erat, infinita potentia præditam bonitatem laudare*, &c. Eſt autem improbabile, quod cenſuit Hilduinus [h], hæc Dionyſij verba non ad ſacroſanctum corpus Genitricis Dei eſſe referenda; ſed potiùs ad ſepulcrum Domini Saluatoris. Et adhuc improbabilius, quod Matthæus Galenus [i], ad ædes Ioannis Euangeliſtæ, in quibus ſanctiſſima Virgo habitauit, putauerit pertinere. Sed omnium minùs veriſimile, quod Anaſtaſius [k], & nonnulli alij putauerunt, carnem ipſam Chriſti Saluatoris Diuinitatem continentem à Dionyſio talibus verbis ſignificatam. Quomodo enim ante tot annos; quàm Dionyſius, imò & Paulus fidem euangelicam recepiſſet, Ieroſolymis cum Timotheo, & Ierotheo funeri Saluatoris ea ratione inter Apoſtolos intereſſe potuiſſet? Quapropter non niſi de ſacroſancto Genitricis Dei corpore locutum eſſe Dionyſium, Græci omnes intellexerunt: nempe, Iuuenalis, Ieroſolymorum Epiſcopus [l], Ioannes Damaſcenus [m], Andreas Cretenſis [n], Epiphanius Presbyter [o], Metaphraſtes [p], Euthymius [q], Maximus [r], Nicephorus [s], Glycas [t], & innumeri Interpres recentiores. Iuuenalem Epiſcopum Ieroſolymitanum audiamus: *In ſancta quidem* (inquit) *& diuinitus inſpirata Scriptura, de deceſſu Deiparæ* Mariæ *nihil traditur: ex antiqua autem, & veriſſima accepimus traditione, quòd tempore eius glorioſæ dormitionis, vniuerſi quidem ſancti Apoſtoli, qui orbem terræ ad ſalutem gentium obibant, momento temporis ſublimè ſublati, conuenerunt Ieroſolymis. Tunc autem aderant cum Apoſtolis ſanctiſſimus Timotheus, primus Epiſcopus Epheſiorum, & Dionyſius Areopagita, ſicut hic ipſe magnus teſtatur Dionyſius, in his, quæ de B. Ierotheo, qui ipſe quoque tunc aderat, conſcripſit ad dictum Timotheum ſic dicẽs*, &c. Tum profert Epiſcopus Iuuenalis verba S. Dionyſij, quæ nos ſuprà retulimus: idémque facit Metaphraſtes, ſic ſcribẽs: *Ne videatur eſſe inane, quod dictum eſt de congregatis Apoſtolis Ieroſolymis in dormitione Virginis, ſatius fuerit ea ſummatim addere, quæ à Dionyſio dicuntur in libro Timotheo ſcripto, nempe, de diuinis nominibus.* Cùm ergo tam hi, quàm alij conſentiant, omnes Apoſtolos, qui tunc per orbem terrarum diſperſi erant, ad ſanctum hoc ſpectaculum conueniſſe, certum etiam ſit, Paulum eo tempore nondum à Nerone martyrio ſublatum, imò neque adhuc Romam perueniſſe; ſed vel fuiſſe Epheſi, vt aliqui putant, vel Ieroſolymæ, vel Cæſareæ manſiſſe detentum in vinculis; vel, quod probabilius exiſtimamus, erat in nauigatione, qua vinctus Romam ad Neronem tranſmittebatur; præſens quæſtio eſt, quam explicare hoc loco potiſſimum intendebamus, an, & qua ratione Paulus inter alios Apoſtolos ſacro funeri Sanctiſſimæ Virginis potuerit interfuiſſe.

Cardinalis

h *Hilduin. in Areop.*
i *Matth. Gal. in præf. ad Areop.*
k *Anaſt. præf. ad Carolũ.*
l *Iuuen. apud Niceph. lib. 15. c. 14.*
m *Orat. de dormit. B. Virg.*
n *Andr. Cret. ſer. eodem.*
o *Epiph. eodẽ ſer.*
p *Metaphr. apud Sur. 15. Aug.*
q *Euth. apud Damaſc.*
r *Maximus Abbas in ſchol. præf.*
s *Niceph. lib. 15. c. 14.*
t *Glycas in Annal.*

a Baron. ſuprà cit. Suarez ſuprà. Cardinalis Baronius [a], & Doctor Franciſcus Suarez, quos alij quidam ſequuntur, in eam magis inclinant opinionem, vt id factum fuerit ſine miraculo, præmonitis ante aliquod tẽpus; tum, qui Ieroſolymis habitabant; tum, qui non valdè procul aberant, inſtare diem feliciſſimi obitus ſanctiſſimæ Deiparæ, ſicut ei diuinitùs fuerat reuelatum, ideóque ad vltimam tantæ Matris benedictionẽ Ieroſolymis eſſe conueniendum. Sed nõ caret ea res difficultate: nam plerique Apoſtolorũ valdè longè aberant; Petrus eo tempore in Ægypto verſabatur, vt ait Metaphraſtes: Andreas in Achaïa: Thomas apud Æthiopes, Indos, & Parthos: Bartholomæus in Armenia maiori, niſi iam obierat martyriũ, vt aliqui arbitrantur: Matthæus erat in Æthiopia: Simon Zelotes in Meſopotamia: Iudas Taddęus ſimiliter, aut in Meſopotamia, aut in Arabia, vel in Idumæa; his enim omnibus populis prædicandum Euãgelium ſuſceperat: Iacobus, Frater Ioannis, & Philippus hoc tempore martyriũ obierant: S. Paulus, vt diximus, cùm veniſſet hoc ipſo tempore Ieroſolymam, Iudæorum inſidiis ſtatim interceptus, Romam ad Neronẽ, quem appellauerat, vinctus mittebatur, eráque in progreſſu nauigationis, quam inchoauerat ante menſem Auguſti anno Chriſti quinquageſimo octauo, & Neronis ſecundo: mors autem Beatiſſimæ Virginis hoc ipſo anno, die decimaquinta Auguſti ſecuta eſt, cùm ipſa ætatis annum ageret ſeptuageſimumſecundum, explẽdum octaua die Septembris proximi, in qua eius glorioſa Natiuitas celebratur. Itaque, qui propè aderant Apoſtoli, & ſine miraculo congregari potuerunt, tantùm erant Ioannes Euangeliſta, qui Dei Matrem ſibi à Chriſto cõmendatam non deſerebat; Iacobus, Epiſcopus Ieroſolymorum; & Matthias, qui ex Iudæa non exierat. Qua igitur ratione affirmare S. Dionyſius potuiſſet, ſe tunc Ieroſolymis interfuiſſe cũ Petro, & aliis omnibus, qui tunc erant ſuperſtites ex Apoſtolis? Quid, quòd tot antiqui, & graues Auctores exprimunt, id factum non ſine diuino miraculo fuiſſe? Damaſcenus [x]: *Eos quidem*, inquit, *qui diſperſi erant per vniuerſum orbẽ Apoſtoli, eos, inquam, iuſſio diuina, nempe, nubes, retis cuiuſdam inſtar, ad Ieruſalem adurget, velut aquilas quaſdam compellens, atque in vnum cogens: vbi enim fuerit corpus, ait Veritas, illic congregabuntur & aquilæ. Aderant igitur Apoſtoli, vt pro eo, quod debebant, ipſi etiam Matri operam nauarent, benedictionémque ex ipſa, non ſecùs atque ampliſſimam hæreditatem haurirent.* Ita Damaſcenus. x Damaſc. Orat. de dormit. Deip.

Iuuenalis autem, Epiſcopus Ieroſolymorum [y]: *Tempore* (inquit) *eius glorioſæ dormitionis, vniuerſi quidem Sancti Apoſtoli, qui orbem terræ ad ſalutem gentium obibant, momento temporis ſublimè ſublati conuenerunt Jeroſolymis.* y Iuuen. apud Niceph. l. 1. c. 14.

Metaphraſtes [z]: *Per nubem autem ſuos congregat diſcipulos, vt venerandum corpus Deiparæ mandarent ſepulturæ.* z Metaphr. in orat. de dormit. Deiparæ.

Gregorius Turonenſis: *Denique impleto a B.* MARIA *huius vitæ curſu, cùm iam vocaretur a ſæculo, congregati ſunt omnes Apoſtoli de ſingulis regionibus ad domum eius.* a Turon. l. 1. de gloria Martyr. c. 4.

S. Idelphonſus in ſermone de Aſſumptione [b]: *O quàm venerandum, & præ cæteris honorandum diem, in quo Dei Genitrix, Virgo* MARIA, *de mundo migrauit ad Chriſtum! O tabernaculum gloriæ, templum cæleſte, cui Apoſtoli ſacrum reddunt obſequium*, &c. b S. Idelphon. in ſer. de Aſſumpt. Deiparæ.

Imò verò Michaël Syngelus in Vita S. Dionyſij Græcè ſcripta, teſtatur, ipſum quoque Dionyſium, ſicut Apoſtolos, eo tempore Ieroſolymam diuino miraculo fuiſſe aſportatum. *Multa quidem* (inquit) *&*

lymam propter Dei Matrem rapi nō potuit:ad quam potiſſimùm inuiſendam pertrahi ſpiritu videbatur, dicens [g]: *Ecce ego alligatus ſpiritu vado in Ieruſalem,quæ in ea ventura ſunt mihi ignorans.* Deinde, quia ſuprà recenſiti Auctores cum Areopagita, teſte oculato, aſſeuerant, Apoſtolos non ſpiritu tantùm, ſed etiam corpore ibi adſtitiſſe, hymnos decantaſſe, & pias exequias ſacratiſſimi funeris proſecutos fuiſſe. Atque hinc factum eſſe cōuenienter exiſtimamus, vt Apoſtolus ex toto nauigationi ſuæ reſtitutus, cùm poſt duos circiter mēſes,ab obitu Deiparę,& glorioſa eius in cœlum aſſumptione, ad Inſulam Melitā peruenìſſet, vbi per tres menſes hyemādo commoratus eſt, mandauerit S. Lucæ Euangeliſtæ, quem habuit in tota illa nauigatione ſocium, & fortè etiam comitem in hoc raptu Ieroſolymam ad funus Deiparæ, vt coloribus exprimeret Auguſtiſſimæ Virginis propriam effigiem, quam tribus tabulis depictam fidelibus Melitenſibus reliquit: & dicūtur hæ tres imagines per tres primarias illius Inſulæ regiones piè aſſeruari. Poſteà verò quàm Paulus, & Lucas Romam perueniſſent, ibique ſimul biennio demorarentur, plures huiuſmodi ſacras imagines, vſque ad ſeptem, vt aliqui numerant, per varias vrbis Eccleſias diſtributas, & magna deuotione conſeruatas, tanquam à S.Luca depictas, traditione accepimus, de qua plura diximus ſuo loco [h]. Enimverò ſicut inter Apoſtolos S. Paulus extitit ſacratiſſimæ humanitatis Chriſti ardentiſſimus amator,& venerator, ita eius ſanctiſſimę Genitricis cultor fuit eximius, & pietatis erga illam in nobis augendæ ſtudioſiſſimus. Nam & illi potiſſimùm acceptam referre ſuam admirabilem cōuerſionem debuit: ſiquidem, antequàm ſpirans minarum & cædis in itinere Damaſceno, ab occurrēte Chriſto Domino ex diro Eccleſiæ perſecutore in Apoſtolum conuerteretur, dum Stephanus Protomartyr, inſtigante ipſo Paulo, iuxta torrentem Cedron lapidaretur,occurrit illi gratiarum & miſericordię Mater ſimul cum S.Ioanne Euangeliſta, quæ, ſicut pro Stephani conſtantia, ita pro Pauli conuerſione ſupplicaſſe, præter alibi dicta [i], argumento eſt lapis, qui vſque ad hanc diem à peregrinis ibi habetur in veneratione,propterea quòd in eo flexis genibus manſiſſe Beatiſſimam Virginem toto tempore martyrij S.Stephani, antiqua traditio ſit. Vbi poſteà templum magnificentiſſimum exædificari curaſſe Eudoxiam Auguſtam, teſtantur [k] Euagrius,& Nicephorus.

g *Act. c. 20. v. 22.*

h *l. 11. c. 10. & l. 13. c. 2.*

i *l. 2. c. 1.*

k *Euagr. l. 1. hiſt. c. 12. Niceph. l. 14. c. 51.*

CAPVT VIII.

De inſigni dono prophetiæ S. Pauli iuxta ſeptem, hoc eſt, omnes eius gradus.

TRes potiſſimùm gradus,ſiue ſpecies prophetici ſpiritus, iuxta tres potentias in homine cognoſcitiuas,diſtinxerunt ſancti Auguſtinus [a], & Iſidorus,nempe,ſenſus externi, internæ imaginationis, & intellectus. Sed per diuerſos actus, modos varios prophetandi, & varia lumina, magis diſtinxit vſque ad ſeptem gradus hoc donum prophetiæ B. Thomas [b]: quos omnes in ſancto Paulo viguiſſe vſque ad perfectiſſimum & ſupremum. hîc oſtenſuri ſumus. Infimum prophetici ſpiritus gradū,vt hinc ordiamur,ponit S. Thomas, eſſe diuinum inſtinctū ad aliquid operandū ſine alia magis expreſſa reuelatione:ſicut, inquit, in libro Iudicū [c],legimus de Sāſone,quòd irruit

a *S. Aug. l. 12. de Gen. ad lit. c. 7. S. Iſidor. l. 2. etymolog. c. 8.*

b *S. Th. 2. 2. q. 174. a. 3.*

c *Iud. c. 15. v. 14.*

irruit in eum Spiritus Domini,& ſicvt ſolent ad odorem ignis lina conſumi, ita vincula quibus ligatus erat, diſſipata ſunt, & ſoluta. Addit tamen S. Doctor,gradum hunc inſtigationis diuinæ non eſſe prophetiæ adeò propriè dictæ;quia ſupernaturalem veritatem non attingit. Quapropter, ſi non caruit Apoſtolus aliis gradibus in toto genere prophetici Spiritus multò altioribus,vt infrà videbimus, mirum non eſt hoc etiam ſe præditum in multis oſtendiſſe. Inter hæc illud excellit, quod Philippis dum vinctus in carcere detineretur [d], aduocato precibus diuino Spiritu,ſenſit ſibi, nō ſolùm vt Samsō vincula diſſoluta;ſed etiam patefactas omnes carceris fores, & concuſſa maximo terræmotu ædium fundamenta tanquam aduenientis ſpiritus vehementis [e], fractáſque compedes, non ſibi ſolùm, ſed aliis quoque omnibus in eodem carcere cū ipſo detētis, & factā vniuerſis abeundi, quò vellent, poteſtatē. Sed, quia non ita cæco inſtinctu Numinis hæc gerebantur, vt altiori lumine illuſtrata mens Pauli, cur fierent, ignoraret, nempe, vt miraculi obſeruata magnitudine,multi per hoc ad Chriſti fidē inducerentur,& ipſius innocētia probaretur,ſimúlque cōſtantia, & in aduerſis pro Chriſto ferēdis animi magnitudo appareret, noluit vlla ex parte à periculo ſe ſubtrahere; ſed ſpōte, libetriméque mālit in carcere, vt alios à Dæmonum vinculis,exemplo virtutis ſuæ, ac protectionis diuinæ documento liberaret.Eodē inſtinctu diuini Spiritus,& quadam præſagitione futuri, cùm aliquando Phrygiam,& Galatiam pertranſiret, abſtinuit ab Euangelij prædicatione, propter quam tamē itineris illius laborē antè ſuſceperat;& cùm ire in Bithyniā cogitaret,non eſt permiſſus [f]:*Nā* (inquit S.Lucas)*tranſeuntes Phrygiam, & Galatiæ regionē,vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbū Dei in Aſia. Cùm veniſſent autem in Myſiam,tentabat ire in Bithyniam,& non permiſit eos Spiritus* IESV:vt nimirū ſic dilata in aliud tempus opportunius ſemente prædicationis, in ſegetes lætiores germinaret, & meſſem redderet vberiorem. Alias verò quaſi vinculis animi interiùs circumligatus Ieroſolymam ad aperta pericula trahebatur: vnde dicebat [g]:*Ecce alligatus ego ſpiritu, vado in Ieruſalem,quæ in ea ventura ſunt mihi ignorans. Niſi quòd Spiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur, dicens: Quoniam vincula,& tribulationes Ieroſolymis me manent.*

d Act. c. 16.v. 26.

e ibid.c 2.v. 2.

f ibid. c. 16.v.6. 7.

g ibid. c. 20.v.22.

Atque hæc omnia in Paulo ſic pertinebant ad gradum primum prophetiæ,vt multùm etiam haberent de ſecundo,de quo S.Thomas ita ſcribit [h]: *Secundus autem gradus prophetiæ eſt, cùm aliquis ex interiori lumine illuſtratur ad cognoſcendum aliqua; quæ tamen non excedunt limites naturalis cognitionis: ſicut legimus in tertio libro Regum de Salomone* [i]: *Dedit Deus ſapientiam Salomoni, & prudētiam multam nimis, & diſputauit ſuper lignis à cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopū, & diſſeruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus.* Quod totum fuit ex diuina inſpiratione, etiamſi de rebus ordinis naturalis:nam,vt ait S.Petrus loquens de Auctoribus ſacrorum librorum [k]:*Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.* Et S.Paulus ad Timotheum ſcribens [l]: *Omnis Scriptura*(inquit)*diuinitus eſt inſpirata.* Atque in hunc ſenſum appellauit ibidem S. Petrus diuinam Scripturam, ſermonē propheticū; dicens [m]:*Et habemus firmiorem propheticū ſermonē.* Tū addit rationē,cùm ait:*Quia omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione nō fit. Nō enim volūtate humana allata eſt aliquādo prophetia:ſed Spiritu ſancto inſpirati*

h S.Th. 2.2.q. 174.a.3.

i 3. Reg. c. 4.v. 29. & 33.

k 2. Petri c. 1.v. 21.

l 2. Tim. c.3.v.16.

m 2. Petri c.1.v. 19.20.21.

inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. Quapropter quidquid conſtat à S. Paulo fuiſſe literis commẽdatum, & pro tali ab Eccleſia recipitur, etiãſi materia non ſit ordinis ſupernaturalis, certitudinem habet quaſi propheticam, & prorſus infallibilem. Ideò ait in Epiſtola ad Demetriadẽ S.Hieronymus [n], Apoſtolũ Paulum aſſumendo verſum ſæcularem, feciſſe illum eccleſiaſticum, vbi dixit [o]: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Quare grauis error fuit quorundam antiquorum Hæreticorum, admittentium quidẽ Epiſtolas S. Pauli tanquam Scripturas canonicas; ſed ita, vt exiſtimarent in iis, quæ ordinis ſunt naturalis,& quę Paulus proprio ingenio, vel ex aliorum hominum familiari congreſſu didiciſſet, non habuiſſe inter ſcribendum infallibilem S.Spiritus directionem, ideò falli potuiſſe in huiuſmodi, & aliquando eſſe deceptum. Idémque auſus eſt affirmare Eraſmus in ſuis Cõmentariis ſuper Matthæum [p], dicẽs, ſacros Scriptores interdum memoria lapſos, & ſubinde leues quoſdam errores admiſiſſe. Hoc autẽ eſt, quod acerrimè impugnat S.Auguſtinus libris duobus contra aduerſarium legis, & Prophetarum, & libro vndecimo contra Fauſtum Manichæum, & epiſtola octaua,& nona ad S.Hieronymum, cui, ne concedat fuiſſe illud à Paulo in epiſtola ad Galatas [q], minùs verè, aut ſyncerè ſcriptum: *Reſtiti in faciem Petro, quia reprehenſibilis erat.* mauult in Petro operante, quàm in Paulo ſcribente, vel minimum erratum eſſe admittendum. Nam inquit, *Mihi videtur exitioſiſſimè credi, aliquod in libris ſanctis eſſe mendacium, id eſt, eos homines, per quos nobis illa Scriptura adminiſtrata eſt, atque conſcripta, aliquid in libris ſuis fuiſſe mentitos. Alia quippe quæſtio eſt, ſitne aliquando mentiri boni viri: & alia quæſtio eſt, vtrùm Scriptorem ſanctarum Scripturarum mentiri oportuerit: imò verò non alia, ſed nulla quæſtio eſt.* Hæc S.Auguſtinus pro Pauli prophetica veracitate, quæ non tantùm in eius ſcriptis, verùm etiam in dictis enituit. Hinc illa tam certa ipſius de rebus futuris pronunciata [r]: *Ego ſcio* (dicebat Epheſiis) *quia ampliùs faciem meam non videbitis vos omnes.* Et infrà: *Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces, & ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa.* Et cùm in Italiam nauigaret, imminente naufragio, ſalute omniũ propè deſperata [s]: *Suadeo vobis* (inquit) *bono animo eſſe: amiſſio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquàm nauis: propter quod bono animo eſtote, viri: credo enim Deo, quia ſic erit, quẽadmodum dictum eſt mihi. In Inſulam autem quandam oportet nos deuenire: & nullius veſtrûm capillus de capite peribit.* Quod totum ſtatim euentus comprobauit in naufragis ducentis, & ſeptuaginta ſex, tantò mirabiliùs, quantò periculum naue diffracta, & penitùs diſſoluta ineuitabilius videbatur. Nec ſolùm in auertẽdis malis, vt homines reuocarentur ad bonum; verùm etiam in denunciandis contra improbos ſuppliciis repentinis ſpiritus Pauli propheticus ſæpè innotuit. Tale eſt, quod in Inſula Cypro ei contigit, dum ad Chriſti fidem adducere Proconſulem nitebatur, & Magus quidam Elymas aduerſaretur. *Tunc enim Paulus repletus Spiritu ſancto* (inquit Lucas [t]) *intuens in eum dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus non videns Solem vſque ad tempus. Et confeſtim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circumiens quærebat, qui manum daret.*

Sed ad tertiũ prophetiæ gradum

n S.Hier. ep.8. ad Demetriad.
o 1.Cor. c.15.v.33.
p Eraſm. in c.2. & 27. Mat.
q Gal. c. 2.v.11.
r Act. c. 20. v. 25.29.
s Act. c. 27. v. 22.25. 26.34.
t ibid. c. 13. v.10.

tranſeamus, qui ſecundùm eundem S. Thomam non conſiſtit in occulto tantùm inſtinctu ad aliquid agendũ, vel dicendum ex inſtigatione diuina, de quo hactenus dicebamus; ſed in aliqua viſione imaginaria per ſomnium diuinitùs immiſſum, iuxta diuinam illam apud Ioëlem promiſ-
u *Ioël. c. 2. v. 28.* ſionem [u]: *Prophetabunt filij veſtri, iuuenes viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt.* Id autem S. Petrus prima ſua concione in die Pentecoſtes interpretatus eſt de Prophetis noui Teſtamenti: & innotuit in Apoſtolo Paulo non ſemel gradus huiuſmodi prophetiæ: vt cùm ab Aſia tranſire debuit in Europã, fuit enim ea de re prophetico ſomnio per Angelum admonitus: *Et viſio*
x *Act. c. 16. v. 9.* (inquit Lucas [x]) *per noctem Paulo oſtenſa eſt: Vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum, & dicens: Tranſiens in Macedoniam adiuua nos.* Addit deinde S. Lucas, qui tunc Paulum comitabatur: *Vt autem viſum vidit, ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam, certi facti, quòd vocaſſet nos Deus euangelizare eis.* Simili per ſomnum immiſſa diuinitùs viſione Indorum Apoſtolus S. Franciſcus Xauerius intellexit, ſe ad graues labores pro illius gentis conuerſione ſubeundos à Deo vocari: viſus eſt enim ipſe ſibi aliquoties inter dormiendum quaſi Indum hominem humeris geſtare adeò grauem, vt illius pondere prægrauatus excitaretur à ſomno. Alia non minoris prodigij eiuſdem generis viſio contigit S. Paulo, cùm alienata ab externis ſenſibus mente, ſicut euenit dormiẽtibus, vidit imaginaria, & ecſtatica viſione ipſum Chriſtum Dominum præcipientem ſibi, diſcedere Ieroſolyma, & ad longinquas gentium regiones pro Euangelio annunciando proficiſci: ſic enim ipſe narrauit Iudæis in publica concione [y]: *Factum eſt autem reuertenti mihi in Ieruſalem, & oranti in templo, fieri me in ſtupore mentis, & videre illum*; nempe, Chriſtum IESVM, *dicentem mihi: Feſtina, & exi velociter ex Ieruſalem, quoniam non recipient teſtimonium tuum de me.* Sed hæc imaginaria tum viſio, tum auditio ſolùm videtur in internis ſenſibus conſtitiſſe, adeóque ad tertium prophetiæ gradum non vltrà proceſſiſſe. y *Act. c. 22. v. 17.*

Quartum itaque gradum ſuperioribus altiorem ponit S. Thomas tunc eſſe, cùm viſio prophetica rem ſubiicit etiam ſenſibus externis hominis vigilantis: nam talis viſio, ait ipſe, maiorem vim prophetici luminis requirit, vt hominem occupatum circa ſenſibilia in vigilando abſtrahat ad ſupernaturalia, quàm illa, quæ animam hominis in dormiendo inuenit à ſenſibus abſtractam. Quot huius generis viſiones S. Paulus obtinuerit, non eſt facile recenſere: nam poſt illam omnium excellentiſſimam Chriſti Domini apparitionem prope Damaſcum in luce meridiana, ſimul accepit à Domino promiſſionem [z], futurum, vt ei ſæpius in poſterum appareret. Vnde aliquoties meminit in ſuis Epiſtolis talium viſionum: vt ad Corinthios ſcribit [a], apparuiſſe Chriſtum Petro, Iacobo, & aliis Apoſtolis: *Nouiſſimè autem omnium* (inquit) *tanquam abortiuo viſus eſt mihi.* & in Epiſtola ad Timotheum [b]: *Omnes,* ait, *me dereliquerunt: Dominus autem mihi adſtitit, & confortauit me.* Similiter in naufragio Adriatico [c]: *Adſtitit mihi* (inquit) *Angelus Dei, cuius ſum ego, & cui deſeruio, dicens: Ne timeas, Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere.* Sed & aliàs ſæpè fuiſſe Apoſtolum Paulum à Chriſto Domino, & beatis Spiritibus huiuſmodi viſitationibus

z *ibid. c. 26. v. 16.*
a *1. Cor. c. 15. v. 5.*
b *2. Tim. c. 4. v. 16.*
c *Act. c. 27. v. 23.*

tationibus recreatum, minimè eſt dubitandum; quamuis vbi, quando, quáve ratione id euenerit, tum ipſe in Epiſtolis, tum Lucas in Actis apoſtolicis explicare prætermiſerint.

Iam verò quintum altiorem huius doni prophetiæ gradum explicans S. Thomas, tunc ait contingere, cùm viſioni, qua res oculis obiicitur, exteriùs verba magis exprimẽtia myſteriũ adiunguntur: *Quia* (inquit ipſe [d]) *ſigna magis expreſſa intelligibilis veritatis ſunt verba, & ideò altior gradus prophetiæ videtur, quando Propheta percipit cum viſione verba magis ſignificantia veritatem. In quibus ſignis adhuc tantò altior videtur eſſe Propheta, quantò ſigna ſunt magis expreſſa.* Hæc Doctor Angelicus, quæ in Apoſtoli Pauli viſionibus, ac reuelationibus qualia extiterint, indicat ipſe, cùm de ſuo raptu vſque ad tertium cœlum ait, audiuiſſe ſe in illo arcana verba, quæ non licet homini loqui [e]: *Nam*, inquit, *ſi voluero gloriari, non ero inſipiens: veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id, quod videt in me.* Et ferè in omnibus recenſitis, & quæ recenſeri poſſent Pauli viſionibus, non tantùm verba, ſed longæ interrogationes, & dialogiſmi interceſſerunt, ex quibus plurimùm inſtrui potuit de myſteriis, & euentu rerum ſibi prænunciatarum, ſiue abſentium, ſiue futurarum.

d S.Th. 2. 2. q. 174. a. 3.

e 2. Cor. c. 12. v. 1.

Sed nec illi defuit ſextus altioris prophetiæ gradus, quo quis ab ipſo Deo apparente ſibi, vel ab alio cœleſti ſpiritu Dei perſonam referente, expreſſis verbis inſtruitur de diuinis: neque defuit ſeptimus, & ſupremus, quo intelligibilis veritas ſupernaturalis, ait S. Thomas, abſque imaginaria viſione oſtenditur, per proprium, nempe, lumen inditum intellectui, quod excedit prophetiæ ordinarias regulas, & rationes. Atque hæc demũ in Apoſtolo Paulo adeò fuerunt eximia, vt ſi aliis prætermiſſis, conſideremus hæc tãtùm duo prodigioſa genera viſionum; alterũ, videlicet, cùm è ſũmo cœlorũ Chriſtus deſcendens Sole meridiano ſplẽdidior Paulum circunfulſit; alterum, dum eundem rapuit ad ſe vſque ad tertiũ cœlum; fateri cogamur, nihil tale vlli Prophetarũ, Apoſtolorum, aut Sanctorũ vnquã fuiſſe conceſſum. Quòd ſi tantus Propheta Moyſes eſt habitus, eò quòd in monte Sina cum Deo intra nubem apparẽte, ſeu potiùs cũ Angelo vices Dei gerente ſit collocutus, & inde prodiit vultu adeò radiante, *vt non poſſent intendere filij Iſrael* (ait ipſe S. Paulus [f]) *in faciem eius propter gloriam vultus illius.* quid de hoc Apoſtolo aſcendẽte vſque ad ſummũ cœlum, & ibi audiẽte arcana verba, quę nõ licet homini loqui, exiſtimare oportebit? Vnde ipſe, quãuis parcè admodum velle ſe loqui de his diuinis fauoribus proteſtetur, dicẽs [g]: *Parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id, quod videt in me, aut audit ex me. Et ſi gloriari oportet, non expedit quidem.* tamen affirmare coactus fuit, Magiſtrũ ſuæ doctrinæ, nõ tam hominem, aut Angelum, quàm ipſum Chriſtũ ſe habuiſſe [h]: *Quia Euãgeliũ* (inquit) *quod euangelizatum eſt a me, non eſt ſecundùm hominem: neque enim ab homine ego accepi illud, neque didici; ſed per reuelationem* IESV *Chriſti.* Ideò ſe Doctorem Gentium à Chriſto cõſtitutum profitetur, & gratiã accepiſſe ad illuminandos circa myſteria quædam fidei non tantùm homines, verùm etiam angelicas mentes [i]. Nam inquit: *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus euãgelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi in Deo, vt* innoteſcat

f 2. Cor. c. 3. v. 7.

g ibid. c. 12. v. 1. & 6.

h Galat. c. 1. v. 11.

i Epheſ. c. 3. v. 8.

innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiã (hoc eſt, per me Eccleſiæ Doctorem) *multiformis ſapientia Dei.* Vnde non veretur S. Ioannes Chryſoſtomus exponens hæc verba [k] Paulum appellare Angelorum, & Archangelorũ Euangeliſtam. Adeóque nonnulli apud Origenem, quamuis aberrando, progreſſi ſunt, vt crediderint, Paulum illum eſſe Spiritũ veritatis per Chriſtum à Patre promiſſum, de quo Ioãnis capite decimoquinto legimus: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracli- tum dabit vobis, Spiritum veritatis: & ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia.* Sed meliùs S. Dionyſius Areopagita, capite ſecundo de diuinis nominibus, Paulum appellat mũdi lucem, & ad illuſtrationes diuinas Principem, ac Ducem; & alibi, ſapiẽtiæ abyſſum. Chryſoſtomus verò ſic ait [l]: *Paulus archetypus bonorum, cui omnem prædicationem, res orbis, myſteria cuncta, vniuerſámque diſpenſationem Deus conceſſit. Ipſe cœlum, Solem habens iuſtitiæ; ipſe mare ſapientiæ puriſſimum, & profundiſſimum.* Et in alia homilia [m]: *Cui* (inquit) *comparauerit quis Pauli verba? mari, vel oceano? Sed nihil par eſt: illo ſunt verba eius copioſiora, puriora, profundiora. Et ſic non peccauerit quis, ſi cor Pauli mare etiam, ac cœlum dixerit, tum ob puritatem, tum ob profunditatem. Mare eſt, nauigantes non à ciuitate in ciuitatem, ſed à terra in cœlum vehens. Si quis in hoc mari nauigauerit, ſecũda aura nauigat. Non eſt in hoc mari ventus, ſed pro vento Spiritus ſanctus, qui in illo nauigantes animas vehit. Non eſt ibi procella, non eſt ſcopulus, non eſt bellua; ſed omnia tranquilla ſunt. Mare eſt portu tranquillius & ſecurius, nihil habens ſalſum, ſed purum ac dulcem laticem, Sole limpidiorem, & magis perſpicuum. Mare eſt, non gemmas habẽs, vel purpuras; ſed his multò meliora. Qui vult in hoc pelagus deſcendere, non opus habet natatione, vel remo; ſed magna gratia: ſic, qui hoc mare nauigat, nunquam naufragium faciet, ſed omnia bona ſciet. Sed, quemadmodum illi, qui imperiti ſunt maris, ſuffocantur; ita & hic fit, id, quod Hæreticis euenit, qui pluſquàm vires ipſorum permittunt, attentant: oportet ſine profunditatẽ noſſe, vel non attentare. Nauigaturi hoc pelagus, pauperes ſimus, & humiles: nullus ſine patientia ingrediatur hoc mare, paremus nobis naues, ſtudium, alacritatem, preces, & in ſilentio hoc pelagus tranſeamus. Etenim aqua hæc viuens eſt.* Hactenus os aureum Chryſoſtomi.

[k] Chryſoſt. hom. 7. in Ep. ad Epheſ.

[l] Chryſoſt. hom. 4. de laud. S. Pauli.

[m] hom. vlt. in Acta.

CAPVT IX.

De dono linguarum, & gratia ſermonum S. Pauli.

INter gratias, quas vocant gratis datas, ipſemet S. Paulus ad Corinthios ſcribens enumerat poſt donum prophetiæ, gratiam ſermonum, & donum linguarum. Multùm enim addit miraculo prophetiæ, audire occulta manifeſtantem, & futura prædicentem lingua etiam peregrina, & gentis cuiuſcunque vel em proprio idiomate. Hoc verò genus miraculorum in ciuitate Corinthi maximè aduertebatur, erátque omnibus ſtupori, propter magnos concurſus omnis generis populorum, & diuerſarum nationum ad eam vrbẽ confluentium, conſtitutam inter duo maria Europam & Aſiam ſpectantia. Hac ratione vbi primùm Ieroſolymis in die Pentecoſtes donum huiuſmodi variarum linguarũ in Apoſtolis apparuit [b]: *Stupebant* (inquit S. Lucas) *omnes, & mirabantur, dicentes:*

[b] Act. c. 2. v. 7.

tes: Nónne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt. Et quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus, Parthi, Medi, & Elamitæ? Sed, antequàm videamus, in quanta perfectione Paulus hoc donum omnium linguarum obtinuerit, ſcire oportet, exiſtimaſſe nonnullos, id in eo ſitum, vt dum aliquis Apoſtolorum vna certa lingua loqueretur, nimirum, Hebraïca, vel Syriaca, aut quæ tūc Iudæis in Palæſthina vulgaris erat, Syrochaldaïca, ſimul à variis diuerſarum linguarum auditoribus intelligeretur: ſicut de S. Vincentio Ferrerio legimus, quòd Hiſpanicè dum concionaretur, non ab Hiſpanis tantùm; ſed etiam à Gallis, Flandris, Anglis, Italis intelligeretur. Et huic ſententiæ nonnihil fauere videtur,
c ibid. v. 11. quod dicitur in Actis apoſtolicis [c]: *Audiuimus eos loquentes noſtris linguis.* Nam fieri non poteſt ſine implicatione dictionum manifeſta, vt eodem prorſus tempore ſimul edat quis articulatas voces plurium linguarum inter ſe diuerſarum, & interim ſine confuſione à diuerſis auditoribus benè percipiatur. Quare valdè veriſimi-
d Act. c. 2. v. 41. & c. 4. v. 4. le eſt, cùm S. Petrus [d] prima ſua concione tria millia hominum, & poſteà quinque millia conuertit ad fidem Chriſti, & ad Baptiſmum ſuſcipiendum, loquutum eum fuiſſe patria lingua; ſed intellectum ſimul à diuerſis, ac ſi proprio ſingulorum idiomate loqueretur. Sed aliud eſt donum linguarum propriè acceptū, quale profitetur ſe habuiſſe S. Paulus Corinthiis hac de re ſcribens, tanquam iis, qui eum audiuerant ſæpè loquentem, quacunque lingua voluiſſet. Vnde
e 1. Cor. c. 14. v. 18. dicebat [e]: *Gratias ago Deo meo, quòd omnium veſtrûm lingua loquor.* Nec dubitare debemus, hoc illud eſſe donum Apoſtolis conceſſum in die Pentecoſtes, S. Paulo verò poſteà tributum, iuxta diuinam apud Iſaïam promiſſionem, quam in hunc ipſum ſenſum, ibidem Corinthiis interpretatur Apoſtolus, cùm ait [f]: *Scriptum eſt: Quoniam in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic.* Et clariùs Chriſtus Dominus in cœlum aſcenſurus promiſit, dicens [g]: *Linguis loquentur nouis.* Vnde in Actis apoſtolicis apertè dicitur [h]: *Et cœperunt loqui variis linguis.* Græcè, *ἑτέραις*, id eſt, aliis, atque aliis, & à ſua patria lingua diuerſis: ideò Syrus Interpres: *Loquebantur* (inquit) *lingua, & lingua*; id eſt, non vna, & eadem, ſed pluribus, ac diuerſis. Deinde, quia ſicut rectè ad noſtrum ſenſum arguit S. Gregorius Nazianzenus [i], non tam loquentium fuiſſet hoc miraculum, quàm audientium; nec tam donum linguarum, quàm aurium: non enim in lingua, ore, vel mente concionantis quidquam inditum fuiſſet; ſed in auribus tantùm, aut in aëre prope audientes, aut in eorum mente, ac intelligentia. Quare non ſolum huiuſmodi donum, Apoſtolorum propriè non fuiſſet; ſed præterea debuiſſent in auditoribus ſine vlla neceſſitate miracula varia nimiùm multiplicari. Nam, ſi loquente Paulo, aut alio Apoſtolorum vnica lingua, videlicet, Hebraïca, intelligebatur locutio à Græcis, Latinis, & barbaris ſimul, vel debuiſſet omnibus illis auditoribus infundi ſtatim ſcientia illius idiomatis, quam poſteà ſtatim amitterent; vel oportuiſſet per aërem interiacentem vox loquentis ita deferretur, vt circa vniuſcuiuſque aures pro illius linguæ, quam ſolùm nouiſſet, qualitate, ac proprietate ſingillatim reformaretur. Si autem dicamus, vt omninò eſt dicendum, Apoſtolum Paulum, alióſque hoc dono præditos, variis linguis fuiſſe locutos, vnum tantùm ſimplex miraculum ſufficiet. Quapropter expo-

f 1. Cor. c. 14. v. 21. Iſai. c. 28. v. 11.
g Marci c. 16. v. 17.
h Act. c. 2. v. 4.
i Nat. or. 44.

nens S. Auguſtinus verba illa Pſalmi decimioctaui: *Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum*[k]. *Per quos*(inquit)*non ſunt audi-ta voces Euangeliſtarum, id eſt, euange-lizantium Apoſtolorum, cùm omnibus linguis Euangelium prædicarent?* Hac igitur indita diuinitùs variarum linguarum ſcientia preditū fuiſſe S. Paulū, teſtis eſt ipſe locupletiſſimus, teſtes Corinthij, qui tanti hoc donū, vt magis ſenſibile, faciebant, quanti nec ſpiritum prophetię. Qua de re inſtruendi ab Apoſtolo fuerunt, & corrigendi illis verbis[l]: *Volo vos loqui linguis: magis autem prophetare: nam maior eſt, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis.* Et addit rationem: quia peritia linguarum Eccleſiæ non prodeſſet, ſine prophetia, & ſcientia rerum diuinarum[m]. *Nam* (inquit) *ſi venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, niſi vobis loquar, aut in reuelatione, aut in ſcientia, aut in prophetia?* Deinde, quia prophetia magis prodeſt fidelibus; lingua magis eſt, vt in admiratione excitet infideles[n]. *Itaque* (inquit) *linguæ in ſignū ſunt non fidelibus, ſed infidelibus: prophetiæ autē nō infidelibus, ſed fidelibus.* In aliquo tamen præſtat donū linguarū gratię prophetiæ, quatenus non eſt prophetia qualitas per modū habitus in anima perſeuerans, ſed lumen quoddam menti prophetantis tranſeunter impreſſum, vt benè S. Thomas[o], & alij Theologi docuerunt: vnde non poſſunt Prophetæ, quandocunque voluerint, prophetare: cùm tamen habitibus, quotieſcunque volumus, vti poſſimus. Atque hac ratione donū linguarū in habitu conſiſtit ſcientiæ infuſæ de tali ſermocinandi, vt placuerit, ratione. An autē ad vniuerſas, quæ in mundo sūt, linguas, & idiomata, hæc S. Pauli notio ſe extenderet, aliqui dubitarunt, idémque in dubium reuocant de aliis

k S. Aug. in Pſ. 18. enarr. 1.

l 1. Cor. c. 14. v. 5.

m ibid. v. 6.

n ibid. v. 22.

o S. Th. 2. 2. q. 171. a. 2.

Apoſtolis: affirmare tamē Eccleſia videtur in Hymno Pentecoſtes, dū ait: *Linguis loquuntur omniū.* Numerantur autē à pleriſque omnes linguę primęuæ ſeptuagintaduæ, iuxta diuiſionem factā in ædificatione turris Babel, pro numero totidē familiarū, vt colligunt ex capite decimo Geneſeos[p]. Sed in primis veroſimilius eſt, fuiſſe familias illas numero pauciores, nempe, quinquagintaquinque, vt notarunt accuratiores Interpretes. Deinde conſtat, ſæculis ſuccedentibus valdè mutatas, & multiplicatas eſſe linguarum differentias, adeò vt in vna tantùm valle Indiæ occidentalis tradant Hiſtorici huius temporis inuentas eſſe linguas ſeptingentas: eò quòd pleræque ciuitates propriā ſibi adinuenerint, & illæ præſertim, quæ cū alia gererēt ſimultatē, ne cum inimicis, vel ipsā linguā habeant communem, aut ne à vicinis incolis alterius ciuitatis facilè intelligantur. Quare non videtur veriſimile, S. Paulum, aut quencunque ex Apoſtolis notitiam accepiſſe omniū planè linguarum, quæ vnquam in mundo extiterunt, aut extare debuerunt; ſed earum duntaxat quæ in vſu illo tempore haberentur, & fortè nō-niſi tot gentium, ad quot præuidit Deus Apoſtolos peruenturos. Id enim aliquo modo videntur indicare illa in Actis apoſtolicis verba[q]: *Et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* Cū igitur Paulus inter Apoſtolos lōgè plures obire prouincias, inſtruere nationes, & ferè totū orbē ſua prędicatione illuſtrare diuinitùs fuiſſet deſtinatus, hoc dono copioſiſſimè inſtructum ſupra omnes alios Apoſtolos exiſtimamus. Hac etenim ratione docuit S. Thomas[r], iuxta doctrinā S. Auguſtini, angelicis mētibus in ea proportione ſpecies intelligibiles fuiſſe impreſſas à principio creationis, ſecūdū quā Deus cōſtitue-rat

p Gen. c. 10. v. 32.

q Act. c. 2. v. 4.

r S. Th. 1. p. q. 56. a. 2.

rat cõdere creaturas ab Angelis cognoſcendas: quòd ſi plures huiuſmodi creaturas producere ſtatuiſſet, plures ſpecies intelligibiles Angelorũ mẽtibus impreſſiſſet. Erit autẽ hîc fortaſſe qui obiiciat, mirum videri, Paulum ita linguarum dono per omnia ſuo miniſterio neceſſaria diuinitùs inſtructum; indiguiſſe tamen Interprete aliquando, & Hebraïcam linguam humana induſtria acquiſitam meliùs nouiſſe, quàm alias linguas diuinitùs infuſas: vt propterea dixerit S. Hieronymus [s], inter Pauli Epiſtolas illam, quæ eſt ad Hebræos, omnium eſſe elegantiſſimam, propterea quòd patrio ſermone ſcripta fuerit ab Apoſtolo, qui erat in ea lingua diſertiſſimus. Sed reſpondemus, in primis falſum aſſumi circa Epiſtolam ad Hebræos, quòd fuerit Hebraïcè ſcripta: iam enim oſtenſum eſt ſuo loco [t], magis videri Græcè ſcriptam, neque id S. Hieronymum negaſſe, niſi ex aliorum ſententia. Deinde, quamuis concedamus, ornatum quendam orationis magis ad humanam, quàm ad diuinam eloquentiam pertinẽtem meliùs Paulum in lingua patria tenuiſſe; tamen factum id videtur quadam Dei prouidentia, vt per hoc intelligeremus in ſermone de rebus diuinis ſuperuacaneum eſſe ornatum huiuſmodi, nimiùm comptæ orationis, quem propterea in Auctoribus ſacrorum librorum non videmus. Quapropter accuratè diſputans hac de re S. Thomas [u], cùm ſimilem obiectionem propoſuiſſet, ita reſpondet: *Dicendum quòd, ſicut habetur in prima Epiſtola ad Corinthios, capite duodecimo, manifeſtatio ſpiritus datur ad vtilitatem; & ideò ſufficienter Paulus, & alij Apoſtoli fuerunt inſtructi diuinitùs in linguis omnium gentium, quantùm requirebatur ad fidei doctrinam; ſed quantùm ad quædam, quæ adduntur humana arte ad ornatum, & elegantiam locutionis, Apoſtolus inſtructus erat in propria lingua, non autem in aliena. Sicut etiam in ſapientia, & ſcientia fuerunt ſufficiẽter inſtructi, quantum requirebat doctrina fidei, non autem quantùm ad omnia, quæ per ſcientiam acquiſitam cognoſcuntur, putà de concluſionibus Arithmeticæ, ſiue Geometriæ.* Hæc S. Thomas. His adiungimus, quia diuina virtus, vt fruſtrà non operatur, ſic nunquam deficit in neceſſariis, credibile videri, hoc donũ linguarũ S. Paulo fuiſſe cõceſſum quaſi reciprocũ, ſeu duplicatũ, ita vt non ſolùm qualibet lingua ſubinde loqueretur, & loquẽtes quocunque idiomate perciperet: verùm etiã vt vbi vna tantùm lingua concionabatur, & auditores aderãt diuerſarũ linguarũ, multiplicato interdũ ex parte ipſorũ miraculo, benè vnuſquiſque intelligeret. Neque enim id fuit vllatenus Deo difficile, & aliquando neceſſarium videbatur, ne multi audientium fruſtrà vni aliena lingua concionanti ſuas aures accommodarẽt. Vnde ſæpè aliis viris ſanctis inter concionandum diuino miraculo id conceſſum certò accepimus, & de S. Vincentio iam diximus. De S. Antonio Vlyſſiponenſi legimus, dum coram Sũmo Pontifice concionaretur, à diuerſarum nationum, & idiomatũ hominibus fuiſſe intellectum. De S. Bernardino ſimiliter, qui, dum in Concilio Florentino Latinè concionaretur, etiam à Græcis percipiebatur, & noſtra ferè ætate S. Franciſcus Xauerius, Indorum Apoſtolus, vtroque modo, linguarum donum perfectiſſimè obtinuit, vt teſtatur proceſſus canonizationis ipſius à Gregorio XV peractæ, cui anno proximè præterito interfuimus, qui fuit 1622.

Aliud non minori admiratione dignũ in eodẽ linguarũ dono S. Paulus obtinuit, vt aliquãdo in vno loco verba

[s] S. Hier. l. de Script. eccleſ. in Paulo.

[t] l. 10. c. 4.

[u] S. Th. 2. 2. q. 176. a. 1. ad 1.

faciens, delato diuina virtute ad longinquam regionem articulato verborum omnium ſono, perinde audiretur, ac ſi eo loco non alibi concionaretur. Extat hoc tempore in Inſula Melita, prope ſpeluncam, in qua, ſicut traditio fert, Apoſtolus habuit per tres menſes hoſpitium, ædicula S. Paulo dicata, & altera B. Publio Principi, & eiuſdem Apoſtoli diſcipulo: non procul autem ab his ædibus in loco editiori erecta cernitur columna, cruce illi ſuperpoſita, vbi tradunt, S. Paulum ſolitum concionari accolis regionis, & inde aliquando fuiſſe auditum etiam ab iis, qui in proxima Inſula Gaulo habitabant, quamuis ad duodecim millia paſſuum interiecto mari diſtarent. Quo permoti miraculo Gaulitani fidem Chriſti ab Apoſtolo edocti ſuſceperūt. Hæc P. Octauius Caietanus in elaborato Opere, ſed nōdum typis edito, de Sanctis Siciliæ [x]. Nec eſt abſimile, quod ex antiquiſſima traditione affirmant Rhegienſes, naui, qua Paulus in Italiam vehebatur, Rhegium appellente, eius viſendi cauſa conueniſſe ad littus Rhegienſium multitudinem, non tam vt Apoſtolum hominem ipſis ignotum, quàm vt ſua illa ficta Numina Caſtoris, & Pollucis, quibus erat inſignita nauis, venerarētur. Apoſtolum autē prædicare illis ſtatim cœpiſſe myſteria fidei Chriſtianę, obſtrepentibus primùm Gentilibus, & irridentibus, donec rogante Apoſtolo imperatum eſt, vt aures modiciſſimo illo tempore præſtarent, quo exigua candela columnæ affixa, cui alligabantur in portu naues, abſumeretur: eáque breui conſumpta Paulo concionem protrahente, ardere columnam veluti facem incepiſſe. Quo miraculo Rhegienſes ad Chriſti fidem inducti ſunt: atque in huius prodigij memoriam, hactenus columna ibi ſeruatur, & in magna veneratione habetur, tum propter antiqua, tum etiam ob quotidiana ferè miracula reſtitutæ pluri-mis ſanitatis, accedentibus, tangentibus, aut de illius puluere in aliqua potione hauriētibus: vnde ſic de illa in Hymno Eccleſiæ Rhegienſis canitur:

[x] P. Octauius in Iſagoga de SS. Siciliæ, c. 19.

Aue, columna nobilis,
Electro, & auro ditior,
Illáque Moſis ignea
Columna fortunatior.
Quod ore Paulus prædicat,
Te fulgurante, comprobat;
Te conflagrante, Rhegium
Chriſti fidem complectitur.
Te palma tangens languida
Senſit medelam cœlicam,
Hauſtúſque puluis illicò
Ægris ſalutem contulit.

Plura de hac re alibi diximus, dum de aduentu Pauli Rhegiū ageremus. Dono verò tam eximio linguarum habuiſſe Apoſtolum adiunctam gratiam ſermonum ſingularem, facile iam eſt ex dictis intelligere. Vt autem meliùs agnoſcatur, in quo gratia hęc, quæ dicitur ſermonum, à dono linguarum diſtinguatur, ſciendum eſt, quòd nos vna voce gratię complectimur in hac materia, Paulum tripliciter expoſuiſſe, cùm dixit [y]: *Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem: alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapiētiæ: alij autē ſermo ſcientiæ, ſecundùm eundem ſpiritum.* Et infrà: *Alij datur interpretatio ſermonum.* Itaque donū linguarum eſt gratia loquendi quolibet idiomate, vt iā diximus: gratia verò ſermonis ſapientiæ, iuxta expoſitionē S. Auguſtini [z], eſt facultas cōceſſa diuinitùs, explicandi altiſſima de rebus fidei myſteria: gratia ſermonis ſcientiæ eſt ſimilis facultas diſſerendi cum emolumento ſpirituali de rebus humanis, & temporalibus: gratia verò interpretandi ſermonem

[y] 1. Cor. c. 12. v. 7.

[z] S. Aug. l. 12. de Trin. c. 3. & l. 13. c. 19.

ſermonem eſt perfecta intelligentia ſanctarum Scripturarum ad alios inde erudiendos. Quæ tria Paulus Apoſtolus in gradu perfectiſſimo eſt conſecutus: nam de ſermone ſapientiæ ad eoſdē Corinthios ita ſcribit [a]: *Sermo meus, prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis. Sapientiam autem loquimur inter perfectos; ſapientiam verò non huius ſæculi; ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio.* Et hanc ipſe appellat ſolidum cibum perfectorum, diſtinguens illam à ſermone ſcientiæ, de rebus facilioribus, quam nomine lactis ſignificat, dicens [b]: *Etenim, cùm deberetis Magiſtri eſſe propter tempus; rurſus indigetis, vt vos doceamini, quæ ſint elementa exordij ſermonis Dei: & facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Omnis enim, qui lactis eſt particeps, paruulus eſt: perfectorum autem eſt ſolidus cibus.* Eadem ratione, vbi ſuperiùs extuliſſet Corinthiis ſermonem ſapientiæ de myſteriis ſublimiſſimis, excuſat adhibitam à ſe in hoc genere concionandi apud illos moderationem, dicens [c]: *Num ego, fratres, non potuì vobis loqui quaſi ſpiritualibus; ſed quaſi carnalibus, tanquā paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis.* Quod verò ſpectat ad tertiam gratiam ſermonū, ſitam in intelligentia, & interpretatione recta Scripturarum, adeò in ea S. Paulus excelluit, vt non dubitauerit Tertullianus affirmare [d], neminem magis nouiſſe medullam Scripturarū, quam Apoſtolum Paulum. Et S. Hieronymus ad Paulinum ſcribens: *Cur* (inquit) *Vas electionis dicitur Paulus? nempe, quia legis & Scripturarum erat armariū.* Tribus hiſce præſidiis diuinæ ſapientiæ, proficuæ ſcientiæ, & profundæ intelligentiæ Scripturarum in gratia ſermonum S. Pauli, tria illa eminebant huius gratiæ propria, & concionatori apoſtolico maximè conuenientia, quæ optimè explicat S. Thomas [e], dum inter dona S. Spiritus gratiā ſermonum examinat: nempe, docere, delectare, permouere. Docebat illuminando intellectum, quaſi Sol oriens mentibus infidelium, & mundum euangelizādo circumiens; vnde aiebat [f]: *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus euāgelizare imueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes.* Delectabat in talem rapiens auditores admirationem, vt homines Lycaonici exclamarent, Deum ipſis loqui, non hominem [g]: *Et vocabant Paulum Mercuriū,* (inquit S. Lucas;) *quoniā ipſe dux erat verbi.* Denique ſic mouebat auditores, vt illo diſputante de iuſtitia, de caſtitate, & iudicio futuro coram Præſide Felice, & eius vxore Druſilla [h], non timorem tantùm, ſed etiam tremorē eis incuſſerit vehementem: & Feſtus exclamauerit [i], inſanire Paulum concionantem: Rex quoque Agrippa [k], quamuis obſtinatior, tamen ſe flecti verbis, & prædicatione Apoſtoli quodammodo faſſus ſit. Erat in dicendo Paulus ardentiſſimus quaſi alter Elias, de quo ſcripſit Eccleſiaſticus [l]: *Et ſurrexit Elias Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat. Qui deiecisti Reges ad perniciem, & confregiſti facilè potentiam ipſorum, & glorioſos de lecto ſuo. Qui receptus eſt in turbine ignis. Beati ſunt, qui te viderunt,* &c. Hinc illud à multis de S. Auguſtino traditum, habuiſſe ipſum hæc tria maximè in votis; videre Chriſtum in carne conuerſantem; Romam triumphantem; & Paulum concionantem. *Etenim* (inquit Chryſoſtomus [m]) *Euangeliū Paulo diſſeminante,*

a 1. Cor. c. 2. v. 4. 5. 6.
b Hebr. c. 5. v. 12.
c 1. Cor. c. 3. v. 1.
d Tertul. lib. 5. contra Marcionem. circa finem.
e S. Th. 2. 2. q. 177. a. 1.
f Philip. c. 3 v. 8.
g Act. c. 14. v. 11.
h ibid. c. 24. v. 25.
i ibid. c. 26. v. 24.
k ibid. v. 28.
l Eccli. c. 48. v. 1.
m Chryſoſt hom. 4. de laud. S. Pauli.

& eius prædicatione fulgente, ſicut radiis Solis orientibus fugantur tenebræ, feræ abſconduntur, abdunt ſe fures atque latrones; ita fugabatur error, veritáſque remeabat, idololatria, ebrietates, comeſſationes, ſtupra, adulteria, aliáque dictu fœda defecerunt, atque conſumpta ſunt, inſtar ceræ ignis vapore pereuntis, & inſtar palearum, quæ ſubito cremantur incendio.

CAPVT X.

De quibuſdam Eccleſiis S. Pauli, & beneficiis eius patrocinio impetratis: pœnis verò contemptoribus irrogatis.

SI quis Eccleſias vniuerſas S. Paulo dedicatas per totum Orbem Chriſtianum, cum miraculis, quæ in ſingulis patrocinio & inuocatione ipſius contigerunt, cogitaret exponere, opus per ſe benè magnum, & immenſi laboris moliretur. Nam, quæ tantùm conſtructæ ſunt Eccleſiæ in Inſula Melitenſi, & in ea Siciliæ parte, quam Apoſtolus acceſſu ſuo, dum in Italiam nauigaret, honorauit, & quodammodo ſacrauit, adeò multæ ſunt, adiunctis tot fontibus, puteis, ſpeluncis, vnde aqua ſalutaris, & argilla pro antidoto morborum diuerſi generis eruitur, vt Hiſtoricis Siculis, & Melitenſibus copioſam ſcribendi materiam ſubminiſtrarint. Nobis ſatis fuerit, inter plures, quæ in ipſa vrbe Roma ſunt Eccleſię huic Apoſtolo conſecratæ, aliquid de primaria indicare, & huius occaſione de aliis nonnullis. Poſteaquàm pius Imperator Conſtantinus ope SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli à lepra liberatus, & lauacro ſacri Baptiſmatis expiatus eſt, primarias tres Baſilicas, vnam Saluatori ædificauit, quæ Conſtantiniana à conditore, Lateranenſis à loco, & aurea ab ornatu eſt appellata: alteram Principi Apoſtolorum in colle Vaticano: tertiam Apoſtolo Gentium S. Paulo in eo loco, vbi ſacrum eius corpus poſt martyrium trecentis propè annis iacuerat, inter viam Oſtienſem & Tiberim, ſecundo ab vrbe lapide, in prædio, quod Lucina nobilis matrona Romana Chriſtianæ pietatis cultrix ardentiſſima obtulerat ante multos annos Eccleſiæ Romanæ: ſicut ex Damaſo retulit Onuphrius [n]. Acta verò S. Syluestri apud Baronium [o] ſic habent: *Eodem tempore Conſtantinus Auguſtus fecit Baſilicam S. Paulo Apoſtolo ex ſuggeſtione S. Syluestri Pontificis, cuius corpus ſanctum ita recondidit in ære, & concluſit, ſicut B. Petri, & dona ingentia eiſdē obtulit.* Imò teſtatur ipſe Imperator Conſtantinus in epiſtola ad Catholicos, quæ legitur in primo tomo Conciliorum, ſe corpora Apoſtolorum Petri, & Pauli, in electro concluſiſſe: *Quia* (inquit) *electro nulla præualet materia elementorum.* adeò vt Plinius aſſeruerit, electrum auro cenſeri pretioſius. Addit Onuphrius, templum hoc Apoſtoli Pauli fuiſſe ab eodem Imperatore centum nobiliſſimis columnis marmoreis refertum, multiſque aureis, argenteiſque ornamentis, ac redditibus ampliſſimis ditatum: id autem à Prudentio illis verſibus eſſe deſcriptum [p]:

Parte alia titulum Pauli via ſeruat Oſtienſis,
Qua ſtringit amnis ceſpitem ſiniſtrum,
Regia pompa loci eſt, Princeps bonus has ſacrauit arces,
Clauſitq; magnis ambitū talētis.
Bracteolis trabibus ſubleuit, vt omnis aurulenta
Lux eſſet intus, ceu iubar ſub ortu.

n *Onuphrius in lib. de ſeptem Eccleſiis.*
o *Baron. tom. 3. Ann. an. 324.*
p *Prudent. in periſteph. de paſſione Apoſt.*

Subdidit

Subdidit & Parias fuluis lacquearibus columnas,
Diſtinguit illic quas quaternus ordo.
Tum camyros hyalo inſigni variè cucurrit arcus:
Sic prata vernis floribus renident.
Sed ſcire oportet, templum S.Pauli, quod hodie in via Oſtieſi cõſpicitur, non eſſe,quale fuerat primùm à Cõſtantino extructum: nam poſt annos circiter ſexaginta,hoc eſt, anno ſalutis trecenteſimo octuageſimoſexto, Valentinianus iunior curauit eam Eccleſiam fieri ampliorem, cùm anteà viam Oſtienſem tranſuerſam nõ excederet, poſteà illam interſecaret, vt vlteriùs ad eam extenderetur magnitudinem, quæ omnes alias vrbis Eccleſias tum longitudine, tum latitudine ſuperaret. Quatuor habet ordines columnarum, & pro ſingulis ordinibus columnas quadraginta. Extat autem epiſtola Valentiniani Imperatoris, necnon Theodoſij,& Arcadij nomine ſcripta Saluſtio vrbis Præfecto, quam ex codice Vaticano Baronius protulit, in qua epiſtola mandatur Præfecto vrbis, vt curet S.Pauli Baſilicam inſtrui ampliorẽ, & magnificentiorem,adhibitis peritiſſimis architectis, & artificibus, nullis parcendo ſumptibus: eam tamen aliqui putant nonniſi poſt aliquot annos ab Honorio Imperatore abſolutã. Atque hanc potiùs videtur ſuis illis verſibus Prudentius deſcripſiſſe;nõ verò, vt poſuit Onuphrius, illam Conſtantini: tum, quòd magis huius templi formam ſua deſcriptione Poeta reſpiciat, quàm illius antiquioris: tum,quia tempore Honorij Imperatoris floruit Prudentius:vnde per bonum Principẽ, hunc,non aliũ Imperatorẽ videtur ſignificaſſe, cùm dixit: *Princeps bonus has ſacrauit arces.* quamuis,quod ait de laquearibus inauratis,vetuſtate plurium ſæculorum deficientibus, hodie vix appareat. Erat autem antiquitùs à porta vrbis Oſtienſi,vſque ad hanc S.Pauli Baſilicam pertingens longiſſima porticus [q], cuius adhuc veſtigia quædã, & parietinæ ſuperſunt, qua eam adeuntibus cœli iniuriæ arcerentur,vẽtus,aqua,grando,& æſtiuus Sol.Sed, quod inſtar miraculi haberi poteſt, Gothis vrbem inuadentibus, & omnia furore barbarico deuaſtantibus, nulliſque hominum catholicorũ, cuiuſuis eſſent conditionis,parcẽtibus; tamen iis, qui vel in Eccleſia S Pauli, vel in hac porticu ſe recepiſſent, vllam inferre iniuriam, reueriti huius Apoſtoli ſanctitatem,non audebant. Meminit huius rei Procopius libro ſecundo de bello Gothico, ſic ſcribens: *Extat S. Pauli Apoſtoli tẽplũ Romanis procul à mœnibus ſtadiis quatuordecim,iuxta quod Tiberis fluit. Porticus eodẽ ab vrbe pertinens, & circa alia multa ædificia erãt. Patebat Gothis ad id ſacrarium via,per quos omnibus conſtat eo belli tẽpore in neutra dedicata Apoſtolis æde quidpiam editum, quod incolẽtibus, vel moleſtius eſſet, vel quoquã pacto ingratum,ſed ſacratos ibidem viros permiſiſſe liberè rem diuinã agere.* Meminit etiã S.Auguſtinus libro primo de ciuitate Dei,cùm ait [r]: *Teſtantur hoc Martyrũ loca,& Baſilicæ Apoſtolorũ,quæ in illa vaſtatione vrbis ad ſe cõfugientes ſuos, alienóſque receperunt. Huc uſque cruentus ſæuiebat inimicus: ibi accipiebat limitẽ trucidatoris furor: illo ducebantur à miſerantibus hoſtibus, quibus extra ipſa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui ſimilem miſericordiam non habebant. Qui tamen etiam ipſi alibi truces, atque hoſtili more ſæuientes, poſteaquàm ad loca illa veniebant, vbi fuerat interdictum, quod alibi iure belli licuiſſet, tota ſæuiendi refrenabatur immanitas, & captiuandi cupiditas frangebatur.*

[q] Onuphr. lib. de ſept. vrbis Eccleſiis.
[r] S. Aug. lib. 1. de ciu. Dei, c. 1. & 7.

Poſt

Poſt hæc inuehitur S. Auguſtinus in incredulos, qui hæc facta patrocinio Sanctorum, & diuina prouidentia nolunt agnoſcere. *Quidquid igitur vaſtationis, inquit, trucidationis, deprædationis, concremationis, afflictionis, in iſta recentiſſima Romana clade commiſſum eſt, fecit hoc conſuetudo bellorum. Quod autem more nouo factum eſt, quod inuſitata rerum facie, immanitas barbara tam mitis apparuit, vt ampliſſimæ Baſilicæ implendæ populo, cui parceretur, eligerentur, & decernerentur, vbi nemo feriretur, vnde nemo raperetur, quò liberandi multi à miſerantibus hoſtibus ducerentur, vnde captiuandi nulli, nec à crudelibus hoſtibus abducerentur: hoc Chriſti nomini, hoc Chriſtiano tempori tribuendum, quiſquis non videt, cæcus: quiſquis videt, nec laudat, ingratus: quiſquis laudanti reluctatur, inſanus eſt. Abſit, vt prudens quiſquam hoc feritati imputet barbarorũ: truculentiſſimas, & ſæuiſſimas mentes ille terruit, ille frænauit, ille mirabiliter temperauit, qui per Prophetam tantò antè prædixit* [s]*: Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in flagellis peccata eorum: miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis.* Eandem vrbis ex Gothorum inuaſione ruinam, ac depopulationem tanquam hiſtoriam ſui temporis deſcribens S.Hieronymus in epiſtola ad Principiam [t], exemplo Marcellæ, & filiæ eius Principiæ oſtendit verum eſſe, quod indicauit S. Auguſtinus, barbaros minùs crudeles, vt à crudelioribus defenderent aliquas honeſtiores perſonas, & maiori commiſeratione dignas, traxiſſe illas ad porticus, vel intra Baſilicam S. Pauli. *Chriſtus* (inquit S.Hieronymus) *dura corda molliuit, & inter cruentos gladios inuenit locum pietas, cùm & illam,* nempe, S.Marcellam, *& te filiam eius ad B. Apoſtoli Pauli Baſilicam barbari duxiſſent, vt vel ſalutem vobis oſtenderent, vel ſepulcrum.* Nimirum, ſanctus hic Apoſtolus, vt olim in ſua cæca infidelitate, Eccleſiam hoſtiliter fuerat perſecutus, ſic eam in poſterum ab hoſtibus, & ab infideliũ cæco furore defendendam ſuſcepit, vbi præſertim ipſius nomini & patrocinio conſecrata Eccleſia inueniretur.

s Pſ. 88. v. 33.

t S. Hier. ep. 16. ad Principiam.

Rem aliam plane admirabilẽ in hoc genere S.Gregorius narrat in libro tertio ſuorum Dialogorũ [u]: *Cùm* (inquit) *ad Spoletanam vrbem Longobardorum Epiſcopus,* nempe, *Arianus, veniſſet, & locum illic, vbi ſolennia ſua ageret, non haberet, cœpit ab eius ciuitatis Epiſcopo Eccleſiam petere, quam ſuo errori dedicaret. Quod dum valdè Epiſcopus negligeret, idem, qui venerat, Arianus, B.Pauli Eccleſiam illic comminus ſitã ſe die altero violenter intraturum eſſe profeſſus eſt. Quod eiuſdem Eccleſiæ cuſtos audiens, feſtinus cucurrit, Eccleſiam clauſit, feris muniuit. Facto autem veſpere, lampades omnes extinxit, ſéque in interioribus abſcondit. In ipſo autem ſequentis lucis crepuſculo Arianus Epiſcopus collecta multitudine aduenit, clauſas Eccleſiæ ianuas effringere paratus. Sed repentè cunctæ ſimul portæ diuinitùs concuſſæ, abiectis longiùs feris, apertæ ſunt, atque cum magno ſonitu omnia Eccleſiæ clauſtra patuerunt. Effuſo deſuper lumine, omnes, quæ extinctæ fuerant, lampades accenſæ ſunt. Arianus verò Epiſcopus, qui vim facturus aduenerat, ſubita cæcitate percuſſus eſt, atque alienis iam manibus ad ſuum habitaculum reductus. Quod dum Longobardi in eadem regione poſiti omnes agnoſcerent, nequaquam in poſterum præſumpſerunt catholica loca temerare. Miro enim modo res geſta eſt, vt quia eiuſdem Ariani cauſa lãpades in Eccleſia B. Pauli fuerant extinctæ, vnò eodémque tempore & ipſe lumen perderet, & in Eccleſia lumen rediret.*

u S. Auguſt. lib. 3. dial. c. 29.

Ita

Ita S. Gregorius, qui proinde ſollicitus adeò fuit, ne luminaria deeſſent in templo S. Pauli primario, quod eſt Romæ, vt illi ad hunc maximè finem prædia, & amplas poſſeſſiones circa viam Oſtienſem aſſignauerit, vt apparet ex epiſtola ipſius ſcripta Felici Rectori patrimonij Eccleſiæ S. Pauli [x]: *Cum (inquit) ſollicitudo debita pro Eccleſia B. Pauli Apoſtoli nos commoneret, ne minus illic habere luminaria idem Præco fidei cerneretur, qui totum mundum lumine ſuæ prædicationis impleuit.* Reliquerat ſanè Imperator Conſtantinus in antiqua huius templi fundatione redditus copioſiſſimos, vt etiam ex Ægypto penderentur ad annos ſingulos aliquot libræ tum olei nardini, tum balſami, & aromatum precioſorum, ad huius tēpli perpetuum ſplendorem [y], ſed tempore S. Gregorij hæc defecerant: propterea ipſe reſtituendi, quantùm poterat, redditus huius Eccleſię talem gerebat ſollicitudinem. Alij quoque Romani Pontifices eandem Baſilicam multis, magníſque donis ſimiliter exornare non omiſerunt.

x S. Greg ep. 9 lib. 12. Regiſtri.

y Baron. tom. 3. an. 324.

Sed, vt ad S. Pauli patrocinium pro tuendo cultu Eccleſiarum redeamus, ad hoc pertinet, quod S. Ambroſius de ſe teſtatur in epiſtola, quam ſcripſit ad vniuerſam Italiam [z]: cùm ab Arianis, quibus tunc maximè fauebat Iuſtina Ariana Imperatrix, Eccleſiæ Catholicorum per vim peterentur, ne illas traderet Ambroſius, nec vlla ratione aduerſariis cederet, fuiſſe ſe ab Apoſtolo Paulo apparente ſibi, animatū, & in propoſito valdè confirmatum. Neque verò in tali cauſa mortales ſolùm huic B. Apoſtolo ſupplicaſſe legimus, & eius auxilium facile impetraſſe, verùm etiam Cœlites immortales einſdem Apoſtoli patrocinium in ſimili neceſſitate aliquando expertos fuiſſe inuenimus. De S. Stephano Protomartyre narrat Gregorius Turonenſis [a], apparuiſſe illum aliquando cuidam viro pio & fide digno, veluti conferentem cum Apoſtolo Paulo de quadam ſua Eccleſia Metenſis ciuitatis, rogaméque hunc Apoſtolum, ne permitteret Hunnos à Pannonia egreſſos, & omnia ferro, flammáque vaſtantes, inuadere illam ciuitatem, in qua ipſe dicatum ſuo nomini Oratorium, & Eccleſiam obtineret. Quòd ſi peccata populi non merebantur, vt ab incendio, & depopulatione ciuitas eſſet immunis, ſaltem ne illud eius Oratorium flammis violari pateretur. Tunc reſpondiſſe Apoſtolū: Oratorium quidem incendio liberandū; reliquam verò ciuitatem propter populi peccata, iuſto Dei iudicio à barbaris affligendam, & totam igne cremandam. Fuiſſe autem veram prædictionem, euentus proximè ſubſecutus apertè declarauit: tota enim euerſa, & conflagrante ciuitate Oratorium S. Stephani permanſit illæſum.

z S. Amb. apud S. Damaſcenum, or. 1 de imag.

a Turonenſis in hiſt Fracorū, c. 6. Barō. an. 451.

Poſtquàm hæc in Gallia contigerunt anno ſalutis quadringenteſimo quinquageſimoprimo, anno proximè ſequenti in Italia ſub S. Leone Pontifice huius nominis primo, res accidit tantò memorabilior, quantò malum erat grauius, & vniuerſalius. Rex enim Hunnorum Attila, flagellum Dei cognomento appellatum, cum exercitu barbarorum ſeptingentorum millium Alpibus ſuperatis inuadebat Italiam, & Romam ardenti furore rapiebatur: iam copias, vbi Mincius in Padum influit, traiicere feſtinabat, cum occurrens ei S. Pontifex Leo, malorum Italiæ impendentium, & maximè Romanæ vrbis miſeratione permotus, primo congreſſu ſic illum repreſſit, & mitem reddidit, vt firmiſſima ſtatim pace promiſſa retroceſſerit, & vltra Danubium amplius

plius nō rediturus abierit. Interrogatus verò à ſuis Attila, quid hoc miraculi fuiſſet, vt præter ſuã, & omnium expectationẽ tam humiliter Romani Pontificis imperata feciſſet: reſpõdit, vidiſſe ſe ſupra caput illius Pontificis quendã habitu ſacerdotali ſtricto gladio ſibi mortẽ minitantẽ, niſi Leoni obtẽperaret. Hũc Sacerdotẽ gladium ſtringentẽ alij S. Paulũ, alij S. Petrũ interpretantur, vtrunque ſimul adfuiſſe veroſimilius videtur; tũ, quòd in alio textu duos viros ſupra S. Leonẽ apparuiſſe legamus, vnũ à dextris, alterum à ſiniſtris; tum etiã, quia ipſe S. Leo in ſermone, quẽ habuit poſteà pro octaua horũ Apoſtolorũ, grauiſſimis verbis aſſeruit, beneficio Principũ Apoſtolorũ fuiſſe vrbẽ à tanto periculo liberatã: idque cõtra vanitatẽ, ac ſuperſtitionẽ Gentiliũ, qui adhuc multi tũc in vrbe inueniebãtur, & occupati ludis Circenſibus per eos dies, iactabãt, Romã à furore Attilæ aſtrorum vi, & quadã fati neceſſitate liberatã. Quare inquit S. Leo [b]: *Magnũ periculũ eſt eſſe homines ingratos Deo, & per obliuionẽ benefi:iorũ eius, nec de correctione compungi, nec de remiſſione lætari. Pudet dicere, ſed neceſſe eſt non tacere: plus impẽditur Dæmoniis, quã Apoſtolis: & maiorẽ obtinent inſana ſpectacula frequentiã, quàm martyria. Quis hanc vrbẽ reformauit ſaluti? quis a captiuitate eruit? quis à cæde defendit? ludus Circenſium, an cura Sanctorũ? quorũ vtique precibus diuina cenſura flexa ſententia eſt, vt qui merebantur irã, ſeruentur ad veniã. Ne ergo iſta ingratorũ nota etiã vobis, dilectiſſimi, poſſit adſcribi, reuertimini ad Dominũ, intelligentes mirabilia, quæ in nobis dignatus eſt operari: & liberationem noſtrã, non ſicut opinantur impij, ſtellarũ effectibus, ſed ineffabili omnipotẽtis Dei miſericordiæ deputãtes, qui corda furẽtiũ barbarorũ mitigare dignatus eſt, ad tanti vos beneficij memoriam toto fidei vigore cõferte.* Hucvſque S. Leo I.

b S. Leo ſer. de oct. Apoſt.

Exemplum huius S. Pontificis in ſimili diſcrimine alter Leo eiuſdem nominis quartus, Romanus Pontifex, imitatus eſt: cũ enim circa annũ Domini octingenteſimũ quadrageſimũ ſextũ, vt habet Nauclerus [c], multitudo Saracenorũ euecta nauibus circa Tuſciæ littora pluribus ciuitatibus maxima damna intuliſſet, ad vrbem Romã diripiendã auidi properabant. Tunc Leo Pontifex Oſtiã profectus, vt Chriſtianorũ copias contra hoſtes Mahumetanos animaret, hãc habuit ad Deũ, ante cõflictũ, orationẽ: *Deus, cuius dextra Beatũ Petrũ ambulantẽ in fluctibus, ne mergeretur, erexit, & Coapoſtolũ eius Paulũ tertiò naufragantẽ de profundo pelagi liberauit, exaudi nos propitius, & concede, vt amborũ meritis, horũ fideliũ tuorũ brachia cõtra inimicos Eccleſiæ tuæ ſanctæ dimicãtia, omnipotenti dextera tua corroborentur, vt de recepto triũpho nomen ſanctum tuum in cunctis gentibus glorioſũ appareat.* His pronunciatis, & benedictione põtificia ſigno Crucis omnibus impertita, cõfligẽdi poteſtas militibus facta eſt, qui ſtatim ſũma alacritate, atque impetu pugnã inierunt, quaſi de victoria nihil eſſet dubitandũ. Itaque poſt acre aliquot horarũ certamẽ, hoſtes penitus deuicti, ſtrati, profligati, & plurimi vini capti pro triũpho Romam sũt perducti. Poſt annũ inſequentem, qui fuit humanæ ſalutis octingenteſimus quadrageſimusſeptimus, quamuis alij ad alium annum referãt [d], Anglorũ Rex Athulphus, ſiue Etheluulphus ad limina Apoſtolorũ Petri & Pauli Romã venit, ea quæ nuncupauerat vota perſoluturus, propter obtentam à Danorũ incurſionibus liberationem, vbi ab eodem Pontifice Leone benignè ſuſceptus, Romanæ Eccleſiæ reliquã illam partẽ Angliæ fecit vectigalem, quam pater eius Egbertus regno adiunxerat,

c Naucl. vol. 2. gener. 2. an. 846.

d apud Baron. to. 10. an. 847. Polyd. Virg. ex antiquis rerum Anglic. monum.

iunxerat, legémque ſanciuit, vt qui ex ſuis poſſeſſionibus triginta denariorũ vectigal in ſingulos annos caperent, aut plures domos haberent pro eis, quas habitarent, ſinguli ſingulos denarios quotannis Romano Pontifici ipſo die feſto SS. Apoſtolorũ Petri, & Pauli ſoluerẽt. Poſt aliquot annos iterũ hi Principes Apoſtolorũ propugnatores inſigni miraculo ſe oſtenderunt aduerſsùs Eccleſiæ hoſtes barbaros, & infideles. Nã anno Chriſti nongenteſimo decimoquinto[e], maxima Saracenorũ multitudo, quæ in Campania apud Garilianum diu, multúmque ſedes tenuerat, ingẽti pernicie Chriſtianorum, debellati tandẽ, profligatíque ſunt, atque in nihilũ redacti: dũ viſi à Chriſti fidelibus in eo bello fuiſsẽt ſãctiſſimi Apoſtoli, Petrus, & Paulus, quorũ auxilio, & patrocinio tãtę victoriæ adeptio iure optimo eſt adſcripta.

e *Leo Oſtienſis in Chrõ. Caſſin. Luitpr. lib. 2. c. 14.*

Neque verò minùs ciuiles diſcordias, & inteſtina bella, quã extera cõponere, aut profligare apoſtolicæ protectionis eſſe, pluribus eſt miraculis declaratum. Nam circa annum Domini ducenteſimũ trigeſimum ſupra milleſimũ, tẽpore Gregorij IX.[f] cùm Federicus Imperator magna ex parte patrimoniũ Eccleſiæ occupaſſet, vrbẽ quoque Romam obſidebat, eámque iam propè capturus videbatur, corruptis pecunia pleriſque ciuiũ Romanorum. Tunc vigilantiſſimus Eccleſiæ Paſtor Gregorius ad inuocandum patrocinium SS. Apoſtolorum, Petri, & Pauli, ſe conuertit, eorũ ſacra capita inſtitutis ſolenni pompa ad Apoſtolorum Eccleſias ſupplicationibus, circumtulit. Inde autem factum eſt, vt Romani omnes, mutato ſtatim animo, pro Chriſti Vicario cõtra Schiſmaticum Imperatorẽ ſtarẽt, & ſignum Crucis in veſtibus tanquã defenſores Eccleſiæ aſſumerẽt. Quod vbi fuit intellectũ ab Imperatore, qui ſe iam vrbẽ intraturũ certò ſperabat, non ſolùm obſidionẽ ſoluit, ſed etiam coegit omnes Eccleſiæ rebelles arrepta fuga longè ſe proripere. Didicerat optimus hic Põtifex Gregorius à primo & magno Gregorio, quãtæ eſſent virtutis ſacræ Reliquiæ horũ Apoſtolorũ, de quibus lo[...]ĩ ipſe ſcripſit Epiſtolã ad Cõſtantin[...] Auguſtam[g], poſtulantẽ pro Eccleſia, quã in ſuo imperiali palatio ad honorem S. Pauli Apoſtoli curabat ædificari, aliquid de ſacroſanctis Pauli Apoſtoli Reliquiis ad ſe tranſmitti, quando ſacrum eius caput, quod tamen votis ardentiſſimis expectabat, accipere non mereretur. Cui S. Gregorius ita reſpõdit: *Serenitas veſtra pietatis religionis ſtudio, & ſanctitatis amore conſpicua, propter eã, quæ in honorem S. Pauli Apoſtoli in palatio ædificatur, Eccleſiam, caput eiuſdem S. Pauli, aut aliquid de corpore ipſius ſuis ad ſe iuſſionibus à me præcipit debere tranſmitti. Et dum illa mihi deſiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens veſtram erga me ampliùs potuiſſem gratiam prouocare: maior me mœſtitia tenuit, quòd illa præcipitis, quæ facere nec poſſum, nec audeo. Nam corpora SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, tantis in Eccleſiis ſuis coruſcant miraculis, atque terroribus, vt neque ad orãdum ſine magno illuc timore poſſit accedi.* Deinde narrat aliquot huius generis miracula, quæ apud S. Doctorẽ legi poſsũt. Hîc vnũ nõ adeò remotũ a noſtris tẽporibus addemus, vnde Apoſtoli Pauli ſingulare patrocinũ circa religioſas quoque Familias agnoſcatur. Narratur autẽ ab Hieronymo Plato in hæc ferè verba[h]: Quidã, neſcio quo ſpiritu inducti, de Frãciſcano Ordine abolẽdo cõſilia inter ſe cõtulerũt, & ad eã rẽ perficiẽdã quod iã aliquot Epiſcoporũ Conuẽticulũ coegerunt. Erat autẽ in eadẽ vrbe Eccleſia præcipua, & in Eccleſiæ

f *Martin. Polõ. an. 1231.*

g *S. Greg. lib. 3. ep. 30.*

h *Platus lib. 1. c. 33.*

feneſtris vitreis duæ imagines pictæ; vna S.Pauli,qui enſem;altera S.Franciſci, qui Crucem manibus tenebat. Nocte Æditutus viſus eſt ſibi Paulum audire hæc dicentem: Quid agis, Franciſce? cur tuam non defendis Familiam? Cui ille:Quid faciam?nihil habeo præter Crucem,& hæc ipſa me admonet de patientia ſeruanda. Tum Apoſtolus hortari, ne tantam ferret iniuriam, ſuúmque ei offerre gladium. Territus Ædituus,ſtatim ac illuxit,accurrit in templum,certóque vidit vtranque imaginem inſignia inter ſe commutaſſe, atque in Pauli dextra Crucem adhuc eſſe; Franciſcum verò gladium habere cruore ſtillantem. Quod dum ſecum tacitus miraretur, increbruit rumor, Epiſcopum illum, qui eius conſilij auctor fuerat, repertum eſſe mortuum, præciſis ceruicibus. At ipſe quoque nocturnum viſum narrare cœpit, ac pro eius fide ipſas imagines omnibus oſtentare. Atque hæc ſatis de Apoſtoli miraculis: agendum iam ſupereſt de virtutibus.

LIBER

LIBER DECIMVSQVINTVS.

De virtutibus S.Pauli.

CAPVT I.

De virtutibus S. Pauli in genere,& earum imitatione.

CVm Pauli Apoſtoli præclariſſimas actiones,eximiáſque virtutes non admirandas tantùm, verùm etiam imitandas pro rerum ac temporum ſerie promiſcuè libris tredecim fuerimus anteà proſecuti;libro verò decimoquarto proximè ſuperiori quædam ſepoſuerimus miracula, quæ magis faciunt admirationem ; iam in hoc poſtremo libro virtutes, quæ propriè imitationem exigunt, diſtinctiùs explicare operæpretium fore exiſtimauimus. Vt hac ratione cum maiori tum Dei gloria, tum Pauli commendatione, tum emolumento, & vtilitate noſtra, huius Hiſtoriæ inſtitutam tractationem perficiamus. Illuſtrari autem non minùs diuinam gloriam heroïcis Pauli virtutibus, quàm omnibus aliis editis ab ipſo miraculis, illa Saluatoris verba dubitare non ſinunt, Apoſtolis dicta,& viris apoſtolicis [a] : *Vos eſtis lux mundi: ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Et alia ab eodem Saluatore noſtro aſſerta de Paulo in particulari [b] : *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus. Vas*, vt myſticè expreſſit Eccleſiaſticus [c], *admirabile, opus Excelſi. Vas caſtrorũ in excelſis in firmamento cœli*, videlicet, Eccleſiæ, *reſplendens glorioſè, ſpecies cœlè,gloria ſtellarum. Sol enim quidam hominibus eſt Paulus*(ait Chryſoſtomus [d]) *cuius tanta eſt pulchritudo,vt Deus ipſe illam depradicet : nam aſtra cùm fierent, admirabantur Angeli : hunc autem Deus ipſe admiratus eſt, dicens:Vas electionis eſt mihi iſte.* Et in alia homilia de laudibus S.Pauli [e] : *Sæpè* (inquit) *fulgido cœli globo delectatus oculus ad ſpectaculũ oppoſiti è regione luminis ſe ſe violenter intendit : & licèt ſentiat aciem ſuam imparem radiorum eſſe certamini, deſiderio tamen illius pulcherrimi luminis intuendi, libenter inacceſſibili radiantis orbis reluctatur coruſco. Tale igitur quidpiam ego ipſe perpetior,qui cùm videam propria mentis oculos ex radiis apoſtolici ſplendoris hebetari, cupio tamen Pauli animam miro fulgore virtutum rutilantem velut eminus intueri,& contra importabiles huius Solis micatus contentioſa ſubire certamina: Sol enim quidam eſt hominibus Paulus.* Hæc & alia inſatiabilis admirator,& laudator Pauli Chryſoſtomus, ad quem proïnde nos quoque ſimiliter ſæpiùs ſine ſatietate reuoluimur. Iam verò eſſe multò maioris emolumenti, ac vtilitatis ſpiritualis, imitari virtutes Sanctorum, quàm eorum

a Matth. c.5.v.14.
b Act. c. 9.v.15.
c Eccli.c. 43.v.2. & 9.
d hom. 18.in ep. ad Rom. digr. mor.
e hom.8. de laud. S.Pauli.

miracula demirari, nemo eſt, qui neſciat: vt propterea dicat idẽ Auctor [f]: *Nolo proponas mihi mortuos, quos Paulus ſæpius ſuſcitauit, neque leproſos, quot eadem virtute mundauit: nihil horum requirit à te Deus. Poſſide charitatem Pauli, & perfectam adipiſceris coronã* [g]. *Neque verò iſtud impoſſibile putemus, quoniam, vt ſæpè dixi, & nunc inculcare non ceſſo, tale illi, quale etiam nobis corpus fuit; talis anima, tales cibi: ſed volũtas in eo mirabilis, & præclara deuotio, & iſtud eſt, vnde talis ille effectus eſt. Nemo igitur diffidat, nemo deſperet.* Huc vſque Chryſoſtomus. Sed nihil eſt, quod ita declaret, quanti ſit momenti ſedula omnium Pauli virtutũ imitatio, ſicut eiuſdem Apoſtoli repetita ſæpiùs ad hoc ipſum exhortatio, qui, licèt de ſe perquàm demiſse ſentiret; tamen quia mentis erat illuminatiſſimæ: *Nos enim* (dicebat Corinthiis [h]) *non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis.* Propterea monebat eoſdem Corinthios, dicens [i]: *Imitatores mei eſtote, fratres, ſicut & ego Chriſti.* Idémque infrà repetit: *Rogo ergo vos, imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* & ad Philippenſes [k]: *Imitatores mei eſtote, fratres, & obſeruate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Qua de re laudat Theſſalonicenſes, tanquam optimos ſuos in hac ſchola diſcipulos, eiúſque diſciplinam benè aſſecutos [l]: *Quia* (inquit) *Euangelium meum non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed & in virtute, & in Spiritu ſancto, & in plenitudine multa, ſicut ſcitis, quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini.* Quapropter exclamat exponens hæc verba Chryſoſtomus [m]: *Papæ! quanta magiſtri fiducia, quàm certa ſimilitudo, & cùm alios ad hoc hortetur, non tamen vt ſe laudibus efferat, id facit, ſed, vt facilem eſſe virtutẽ oſtendat. Neque mihi dixeris: Non poſſum te, Paule, imitari; tu enim magiſter es, & magnus. Sed non eſt tanta, inquit, inter te & me differentia, quanta inter Chriſtum & me: veruntamen illum ego imitatus ſum.*

f Chryſ. hom. 3. de laud. S. Pauli.
g hom 4. ſeq.
h 1 Cor. c. 2. v. 12.
i 1. Cor c. 4. v. 16. & c. 11. v. 1.
k Philip c. 3. v. 17.
l 1. ad Theſſal c. 1. v. 5.
m Chryſ. hom. 13. in 1. ep. ad Cor

Quòd ſi quærat hoc loco aliquis, cur toties ſeipſum Paulus imitandum proponat, & non potiùs immediatè Chriſtum, ſicut aliquando Epheſios eſt adhortatus ad imitationem Dei, non conſtituendo medium ſeipſum, cùm dixit [n]: *Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos.* Ad id primùm reſpõderi poteſt, hoc perfectorũ eſſe, illud autẽ imperfectorũ: ſicut aduerſum intueri Solem oculis immotis, & irreflexis, aquilarum eſt; nõ verò habentiũ infirmã aciem oculorũ. Deinde Sanctorũ omnis virtus, ac tota perfectio à Chriſto, tanquã à Sole iuſtitiæ deriuatur, qui, ſicut ait ipſe Apoſtolus [o], *factus eſt nobis ſapiẽtia à Deo, & ſanctificatio, & redemptio, vt quemadmodũ ſcriptũ eſt* [p]: *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Quare, ſicut vbi fulgere aſtra conſpicimus, & Lunam per noctẽ inclareſcere, beneficio Solis id fieri agnoſcimus de ſua luce lumen illis eminẽtibus à terra corporibus impertientis: ita cùm virtutes Sanctorũ ſuſpicimus, & nitimur imitari, ipſum quodãmodo Chriſtũ nobis in illis contemplandũ, & imitandum proponimus. Ad id verò tantò efficaciùs incitamur, quantò magis ad viuũ imago nobis propoſita ſuũ prototypũ repræſentat: qualis viua Chriſti imago erat Apoſtolus, qui propterea de ſe dicebat [q]: *Viuo ego, iam non ego; viuit verò in me Chriſtus.* & quod maximi momenti eſt in arduo, vt multis videtur, imitationis Chriſti negotio, modum quoque addiſcimus, quo eũ facile imitari poſſimus, quantumuis infirmi, fragiles, & innumeris miſeriis,

n Epheſ. c. 5. v. 1.
o 1. Cor. c. 1. v. 30.
p Ierem. c. 9. v. 23.
q Gal. c. 2. v. 20.

ac Dæmonum vndique oppugnationibus ſimus expoſiti: ſpem inde magnam concipientes, vt qui Paulum talem ac tantum Eccleſiæ perſecutorem ad gradum adeò ſublimis ſanctitatis euexit, etiã nos, niſi gratiæ ipſius omninò defuerimus, ad imitationem ſui per iuſtitiæ gradus & incrementa perducet. *Quia Chriſtus* IESVS (ait Apoſtolus[r]) *venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum: ſed ideò miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus* IESVS *omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitã æternam. Si enim Saulus ſanatus eſt* (inquit S. Auguſtinus[s]) *ego quare deſpero? Si à tanto Medico tam deſperatus æger ſanatus eſt, ego vulneribus meis illas manus non opt*[illegible]*bo? ad illas manus non feſtinabo? Vt hoc dicerent homines, ideò factus eſt Saulus de perſecutore Apoſtolus.* Diximus de hoc argumento alibi plura[t], nunc duo ſuperſunt ampliùs explicanda: primum, qua ratione Chriſti Saluatoris imaginem hic diuinus Apoſtolus in ſeipſo formauerit coloribus eximiarum virtutum pretioſiſſimis: ſecundò, quãtoperè Sanctos pleroſque, tũ veteris, tũ noui Teſtamenti in hac imitationis Chriſti ſchola ſuperauerit: quæ quidem omnia ex ſenſu potiſſimùm S. Ioannis Chryſoſtomi deducemus. Agit autem hac de re variis occaſionibus Chryſoſtomus; ſed præcipuè verba illa S. Pauli ſcripta ad Corinthios exponens[u]: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* vbi primùm exquirit, quæ nam fuerit, & qualis tabula, in qua Paulus veram in ſe depinxit Chriſti Saluatoris imaginẽ, vt eius pingendi artem imitemur: *Vultis* (inquit) *allata in medium tabula ſubſcribamus vobis Pauli vitam? Proponatur igitur tabula longè clarior, quàm Regum imagines, cuius ſubiectum non ſunt ligna glutine compacta, non lineum ſuperinductum, ſed Dei opus. Anima nanque & corpus eſt: anima Dei opus, non hominum, & itẽ corpus. Primum itaque materia ſubiicitur communis ad omnes; anima enim, quatenus anima, nihil ab anima differt, ſed voluntas oſtendit differẽtiam. Nam, quemadmodum corpus nullam habet differentiã, ſed ſimile eſt Pauli corpus & multitudinis; pericula autem hoc, quàm illud, clarius reddiderunt: ſic & in anima. Hæc Pauli tabula, nempe, anima, iacebat nuper fuliginis, & aranearum plena: nihil enim blaſphemia peius eſt: verùm cùm veniret, qui omnia diſponit, videns nõ propter deſidiam, & delicias ſic deformata, confeſtim regiam retexit imaginẽ.* Hinc ad omnes huius imaginis partes exponendas Chryſoſtomus progreditur: ac primùm à pedibus orditur, nempe, ab itineribus tã multis, & tam longinquis peregrinationibus ob Euangelij propagationẽ à Paulo ſuſceptis, ſecũdùm quod prædixerat Iſaïas[y]: *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Manus fuerunt operũ ſanctarum indefeſſa exercitatio, diſtributio collectarum tanta ſollicitudine eleemoſynarum, labor aſſiduus non ad acquirendum ſibi, ſed aliis largiẽdum, & omnibus benefaciendũ: vnde ipſe dicebat[z]. *Quoniã ad ea, quæ mihi opus erãt, & iis, qui mecũ ſunt, miniſtrauerũt manus iſtæ.* Quas tamẽ diu catenis propter Chriſtũ oneratas libenter habuit: vnde illas nõ tã vt Pauli, quàm vt Chriſti manus venenoſa vipera eſt reuerita. Pectus erat eius inuicta conſtantia, generoſus animus in aduerſis, patiẽtia prorſus inſuperabilis. Humeri, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Facies, vita exemplaris, ſplendidior quàm fuerit facies Moyſis in monte Sina: hæc autem Chriſti gloriã quocunque ſe verteret, circunferebat: vnde dicebat[a]: *Mihi data eſt hæc*

r 1. Tim. c. 1. v. 15.

s S. Aug. ſer. 9. de verbis Apoſt.

t l. 1. c. 13.

u 1. Cor. c. 4. v. 16. ibique Chryſ. hom. 13.

y Iſai. c. 52. v. 7.

z Act. c. 20. v. 34.

a Ephes. c. 3. v. 8.

hac gratia, illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi a ſeculis. Sed agite (ait Chryſoſtomus) *omiſſo corpore, aliam Pauli pulchritudinem à veſtimentis intueamur. Hæc Dæmones quoque reueriti ſunt, propter quæ diffugerunt, & morbis fugabantur. Etenim vbicunque Paulus apparebat, omnia cedebant, omnia inferiora erant, tanquam adeſſet qui mundum exuperaret. Et quemadmodum, qui in bello multa vulnera accipiunt, ſi vel arma vulnerantis videant, exterrentur: ſic Dæmones illius ſudariolum tantùm conſpicati exibant.*

Iam verò, vt ad ſecundum, quod propoſuimus circa Pauli virtutes, progrediamur, nempe, ad earum comparationem cum virtutibus Sanctorum, tum noui, tum veteris Teſtamenti, ab Abel incipiemus, qui proptereà in ſacra Geneſi primus laudatur [b], quòd gratas Deo hoſtias immolaret: ſed oſtendit Chryſoſtomus à Paulo multò nobiliores, & Deo gratiores, eáſque propè innumerabiles immolatas fuiſſe hoſtias, non brutarum animantium, ſed ſuimet per dies ſingulos dupliciter, primùm aſſidua mortificatione, de qua dicebat [c]: *Propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Deinde propter quotidiana mortis pericula, quibus ad ſalutem animarũ procurãdam ſe obiiciebat. Vnde Corinthiis dicebat [d]: *Quotidie morior per gloriã veſtra, Fratres.* Prætereà ob certã expectationẽ martyrij, vt ſcripſerit ad Timotheum [e]: *Ego iam immolor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.* Sed neque replicatis huiuſmodi hoſtiis cõtentus, alios fideles offerre Deo vt rationabiles victimas ſatagebat, ideò illos hortabatur, dicens [f]: *Obſecro vos, Fratres, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem.* Imò vniuerſum orbem terrarum ſic Deo ſacrificare voluiſſet, ideò tot maria nauigabat, Aſiam & Europam obibat, ab Oriente ad Occidentem, & iterum ab Occidente redibat ad Orientem, vt Iudæos, Græcos, Gentiles, barbaros, Deo immolaret, vt ex hominibus Angelos faceret, quin & homines quoſuis quaſi ex Dæmonibus ad Angelorum puritatẽ proueheret. Quòd ſi Abel à fratre nihil à ſe læſo interfectus eſt: & Paulus à fratribus Iudæis neci eſt traditus, quos innumeris affecerat beneficiis, & æternis eripere miſeriis omni ſtudio conabatur. Sed Noë inuenit gratiam coram Domino, vir iuſtus in generatione ſua, atque perfectus [g], qui cum Deo ambulauit, & arcam conſtruxit, in qua homines ab vniuerſali diluuio ſaluarentur. At Paulus Vas fuit electionis ad Chriſti nomen portandum, multò ſæuiore in mundum diluuio inundante, qui non arcam compagibus tabularum coaptando, ſed Epiſtolas cõponendo, non duos, vel tres, aut quinque cognatos, vt Noë, ſed vniuerſum propè orbem mergi periclitantem è mediis fluctibus liberauit, & huc vſque in hanc arcam plurimos inducit, quam ſaluandæ cuicunque multitudini capaciſſimam, & aptiſſimam præparauit. Sed & in eo arcam Noë multùm ſuperauit, quòd illa coruum recipiens, coruum emiſit; & includens lupum, eius feritatem immutare non potuit: hęc verò accipitres, miluóſque ſuſcipiens, facit columbas; ac admittens irrationalibus ſtultiores, imitatores efficit Angelorum. Manétque hodie hæc arca nauigans; neque tamen vlla ex parte diſſoluitur, aut valet vlla malitiæ tempeſtas eius tabulas relaxare; quin potius ipſa tempeſtatis motus, fluctúſque componit. Non enim bitumine, aut pice, ſed ſancto Spiritu eius tabulæ ſunt imbutæ.

[b] Gen. c. 4. v. 4.

[c] Rom. c. 8. v. 36.

[d] 1. Cor. c. 15. v. 31.

[e] 2. Tim. 4. v. 6.

[f] Rom. c. 10. v. 1.

[g] Gen. c. 6. v. 8. 9.

butæ. At virtus Abrahæ admirationi eſt omnibus, qui audiens ſibi dictum à Deo [h]: *Exi de terra tua, & de cognatione tua.* & domos reliquit, & patriam, & amicos, atque cognatos. At Paulus non ſolùm domos, patriam, & propinquos, ſed ſeipsũ planè, totúmque mundum reliquit, imò cœlum, & cœlum cœli propter eminentem Chriſti charitatem poſthabuit. Vnde dicebat [i]: *Neque præſentia, neque futura: neque altitudo, neque profũdum: neque Angeli, neque Principatus, neque alia creatura poterit nos ſeparare à charitate Chriſti.* Abraham vóluit ſuum filium Iſaac immolare: at Paulus millies (vt diximus) immolabat ſeipſum. Ioſeph propter caſtimoniam celebratur: ſed, quæ cum Paulo in hac virtute comparatio, qui carnem ſuam crucifixerat cum vitiis, & omnibus concupiſcentiis ſuis? cui mundus totus erat crucifixus, & ipſe mundo [k]? qui non ſolùm humanorum corporum fucatam pulchritudinem; ſed etiam quidquid ſpecioſum, decorum, ſublime, in omnibus rebus creatis ſimul aggeſtum in cumulum excogitari poteſt, quaſi viliſſimum fimum deſpiciebat? S. Iobi admirabilis patientia meritò ab omnibus celebratur: at huius Apoſtoli nihilo minor: non enim diebus, aut menſibus aliquot, ſed annis plurimis in huius virtutis perpetua exercitatione fuit. Et quidem vlcera, & vermes intolerabiles S. Iobo dolores non modicos inferebant: ſed nihilo mitiora paſſum eſſe Paulum intelligemus, ſi verbera, catenas, carceres conſiderauerimus; tum naufragia, famem, frigora, nuditatem, perſecutiones, inſidias à domeſticis, ab extraneis, à coniuratis, à tyrannis, à Dæmonibus, ab orbe ferè vniuerſo, quæ per tot annos paſſus eſt. Quòd ſi addamus his alia etiam amariora, nempe, aſſiduos pro iis, qui labebantur, animi angores, pro obſtinatis in malo triſtitiam, & cordis ſui mœrorem, pro tot Eccleſiis curas & ſollicitudines, pro omnibus lacrymas, facile agnoſcemus, quàm omni ſaxo durior, ferro & adamante infractior anima Pauli inter hæc omnia debuerit extitiſſe. Poſt Iob Moyſes in choro antiquorũ iuſtorum meritò celebratiſſimus habetur: ſed & hunc Paulus virtute ſuperauit. Moyſes enim in monte Sina cum Deo egit: Paulus in tertio cœlo. Moyſes cum Pharaone: Paulus cum Diabolo, & eius potentiſſimo inſtrumento Nerone pro populi fidelis liberatione pugnauit. Moyſes pro vno populo Iudæorum: Paulus non pro Iudæis tantùm, ſed etiam pro Gentilibus, Græcis, barbaris, & pro orbe quaſi vniuerſo, non ſudore tantùm, ſed etiam ſanguine decertauit. Moyſes cum cæteris optabat perire, Deo ſupplicans, ac dicens [l]: *Aut parce populo huic, aut dele me de libro vitæ.* Paulus autem non cum aliis, ſed pro aliis anathema eſſe voluiſſet [m]: *Optabam* (inquit) *ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Poſſemus & alios tum Patriarchas, tum Prophetas in eandem comparationem vocare; ſed ne longum faciamus, eos tantùm adducimus, qui ſuperſunt ſine ambiguitate cæteris eminentiores, nempè, Dauidem, Eliam, & Ioannem Baptiſtam. Et ſane Dauid in deuotione, in pietate erga Deum, in ardenti charitate fuit ſingularis: at hæc animam Pauli tanquam propriam ſedem ac ſolium ſibi vindicabant, quod toto ſequenti capite ſumus demonſtraturi. Eliæ Prophetæ zelus ſatis laudari non poteſt: ſed Pauli multò excellentior, qui coarctabatur ſpiritu, cupiens deſiderio ardentiſſimo ſeparari ab hoc mundo, & à vinculis corporis mortalis tandem liberari, vt in cœlis eſſet cum Chriſto; & tamen

h Gen. c. 12. v. 1.
i Rom. c. 8. v. 38.
k Gal. c. 5. v. 6.
l Exod. c. 32. v. 32.
m Rom. c. 9. v. 3.

men pro bono plurium animarum adhuc permanere in hac vita non recuſabat, nec è duobus quid magis eligeret, inueniebat [n]: *Quod ſi* (inquit) *viuere in carne hic mihi fructus operis eſt; quid eligam, ignoro.* Ioannes in ſolitudine locuſtis, & melle ſylueſtri vitam valdè aſperam traducebat: Paulus in mundi ſtrepitu tanquam in quiete eremi diuerſabatur, fame, ſiti, inopia rerum omnium ſæpè afflictatus, & per diem euangelizando, per noctem manibus laborando, ad victum, ne quenquam ſua cauſa grauaret, comparandum, in nullo ſibi parcere, nunquam ſibi indulgere viſus eſt. Ioannes Herodem ob inceſtam vitam redarguendo, collum gladio intrepidè ſubiecit: Paulus non vnum, aut duos, vel tres, ſed innumeros pro ſimilibus ſceleribus ac flagitiis obiurgando, ac tandem Neronem ipſum increpando, propterea ab eo capite obtruncatus eſt in arce idololatriæ, & capite omnium ſuperſtitionum vrbe Roma; vt eam ſuo ſanguine expiatam in arcem conſecraret totius Chriſtianæ religionis. Supereſt, vt Paulum cum angelicis Spiritibus comparemus, in quibus etiamſi millies ſint incorporei, Paulus autem mortali carne circundatus, veruntamen illud in eis præcipua commendatione dignum inuenitur, quòd per omnia Deo ſunt obſequentes. Vnde in Pſalmo de illis legimus [o]: *Potentes virtute facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius.* [p] &, *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.* At, quis Deo fuit obſequentior, quàm Paulus, qui, vbi primùm Chriſti fulgore in terram proſtratus, illi totum ſe mancipauit, dicens [q]: *Domine, quid me vis facere?* nullo deinceps alio titulo magis gloriabatur, quàm dici, & inſcribi: *Paulus ſeruus* IESV *Chriſti.* & tanquam eſſet ab omni corporis concretione ſeiunctus, ita orbem circunvolitare, ac veluti ignis acceſſu ſuo omnia illuſtrare, accendere, perpurgare feſtinabat. Ita ratiocinatur S. Ioannes Chryſoſtomus [r], & adhuc fuſiùs, quæ modò nos contraximus, aurea ſua eloquentia ipſe proſequitur. Neque his contentus, ea omnia, quæ priùs longa oratione digeſſerat, iterum alio in loco voluit breuiori tractu verborum, ſi fortè hac ratione altiùs menti noſtræ infigerentur, magis exprimere: quæ profectò iucundum erit pro huius capitis concluſione propriis eius verbis audire: ſic autem ait [s]: *Cui te, ô Beate Paule, iuſtorum veteris Teſtamenti, vel noui audeam comparare? Omnium quippe virtutes quaſi in arca quadam, ſed cum multo prorſus cumulo condidiſti. Denique, etiamſi totũ contra te aliquis ſigillatim iuſtorum appendat chorum, inueniet trutinam virtutum põderibus à tua parte depreſſam. Paulus verè ſecundus Abel, at non ſemel, ſed per ſingulos dies immolatur. Paulus alter Noë, ſed abſque arca inſurgentes in ſe vndas impietatis enanigans. Paulus alter Abrahã non modò à patria, vel gente; ſed poſt vocationem ſuam ab ipſa etiam vita prorſus abſciſſus. Paulus alter Iſaac ſponte in hoſtiam colligatus. Paulus alter Iacob quaſi pro vno quodã totius mundi grege ſemper inuigilãs. Paulus alter Ioſeph, ſpiritali fame tabeſcente mundo, veritatis alimenta diſtribuens. Paulus alter Moſes, qui omnes gentes a tyrannide Diaboli reduxit ad Chriſtum. Paulus alter Aaron totius mundi populis inunctus Sacerdos. Paulus alter Phinees, impietatem Iudæorum, atque Gentilium, quaſi fornicationem mentium vno fidei mucrone confodiens. Paulus alter Dauid, qui velut quendam Goliam in certamine Diabolum prouocat. Paulus alter Elias, clariùs raptus in cœlum.*

Paulus

[n] Philip. c. 1. v. 14.

[o] Pſ. 102. v. 20.

[p] Pſ. 103. v. 4.

[q] Act. c. 9. v. 7.

[r] Chryſ. hom. 1. de laud. S. Pauli.

[s] Chryſ. hom. 7. de laud. S. Pauli.

Paulus alter Eliſeus, qui gentes ab interioris lepra pollutione mund.uit. Paulus alter Ezechias, qui ad vnam fidem Chriſti diuerſos populos attraxit. Paulus alter Ioſias, qui abominationes gentium diſſipauit ac perdidit. Paulus alter Ioannes, pro Chriſto capite truncatus. Paulus alter Petrus de cœlo vocatus ad Euangelium. Paulus alter Gabriel, qui cunctis gentibus Chriſti ortum annunciauit. Paulus alter Michael, qui Chriſtianorum dux eſſe ſortitus eſt. Etiamſi Angelorum, etiamſi iuſtorum hominum circumuolem choros, non inuenio comparationem, cui non cumulo meritorum Paulus occurrat. Opulentiſſimum igitur hunc tbeſ urum in noſtris auidè pectoribus recondamus. Hauriamus certatim virtutes ex abundanti iſto bonæ voluntatis fonte manantes, & cupiditate maxima feraciſſime huius arboris poma rapiamus, variiſque floribus, ac fructibus plenum apoſtolicarum virtutum pratum metentes, ſumamus è Paulo fulgentem roſam caſtitatis, eligamus fidei florem marceſcere neſcientem, decerpamus ex eo vberrimos patientiæ fructus, & omnium exempla virtutum colligamus. Hactenus Chryſoſtomus. Nos iam ad ſingulas Pauli virtutes magis in ſpecie declarandas progrediamur.

CAPVT II.

De accenſa Pauli charitate in Deum, & Chriſtum Dominum.

MVlta quidē ſunt, & præclariſſima, quæ de charitatis virtute, omnium aliarum virtutum matre, ac Regina, diuinus hic Apoſtolus nos docuit per omnes ferè ſuas Epiſtolas; ſed plura & potiora, quæ opere impleuit, & proprio exēplo monſtrauit.
Vt ſicut de Chriſto dixit S. Lucas [a]: *Cœpit* IESVS *facere & docere.* prius, vi- a *Act.* c.
delicet, facere, tum docere: ſic Paulus 1.v.1.
hanc regiā charitatis viā, qua in Deū
non paſſibus corporis, ſed greſſibus
cordis recta cōtenditur, primùm ingreſſus,
deinceps ad illā alios omnes
ſecū inuitare, ac pertrahere nunquam
deſtitit. Quare dicebat [b]: *Æmulamini* b 1. *Cor.*
chariſmata meliora, & adhuc excellen- c.12.v.
tiorē viā vobis demonſtro. nēpe, vt infrà 31.
explicat, charitatē, ſine qua nihil prodeſſe
ait [c], neque fidē, neque miracu c *ibid.* c.
la, neque etiā martyriū: *Etſi tradidero* 1 .v.3.
(inquit) *corpus meū, ita vt ardeam, chari-* & 4. &
tatē autē nō habuero, nihil mihi prodeſt. c.14 v.1.
cum qua venire affirmat omnes alias
virtutes: *Quia charitas patiens eſt, benigna
eſt*, &c. & eminere omnibus etiā
theologalibus virtutibus: *Manet fides,
ſpes, charitas, tria hæc; maior autē horū
eſt charitas. Sectamini ergo ch uitatē.* &
infrà [d]: *Viriliter*, inquit, *agite, conforta-* d *ibid.* c.
mini, omnia veſtra in charitate fiāt. Ad 16 v.15.
debat præthereà, qualia experiebatur
in ſeipſo ad hāc virtutē incitamēta efficaciſſima:
primùm, conſiderāda eſſe
immēſa Dei beneficia, & illud maximè
adoptionis noſtræ in filios Dei,
tot alia includēs in ſe beneficia [e]: *Eſto-* e *Epheſ.*
te ergo imitatores Dei, ſicut filij chariſ- c 5.v.1.
ſimi, (ſcribit ad Epheſios,) *& ambulate
in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit
nos, & tradidit ſemetipsū pro nobis.* Et
hoc eſt aliud validiſſimū ad idē motiuū,
nēpe, inæſtimabile beneficiū noſtræ
redēptionis per Chriſti Domini
in humana carne operationes, paſſiones,
ac mortē. vnde ſibi ad amoris incendiū
quaſdā veluti faces admoneri
ſētiebat: ideò profitebatur vni ſe Chriſto
viuere per dilectionē: *Quod enim
viuo in carne* (dicebat ad Galatas ſcribēs [f]) *in fide viuo filij Dei, qui dilexit me,* f *Gal.* c.
& tradidit ſemetipsū pro me. Tertiū ad- 2.v.20.
debat motiuū dilectionis, ſummā Dei
bonitatē, charitatē, benignitatē aliáq;

perfectionis immenſæ diuina attributa, in quarum alta conſideratione, velut in profundo mari ſæpè ita mergebatur, vt emergere ad res creatas inſpiciendas iam non poſſe videretur. Atque hoc eſt illud immenſum pelagus omnium diuinarum perfectionũ, ad quod pertingere optabat Epheſios, dicens [g]: *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profũdum. Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Ea eſt enim ex ſe natura pulchri, ac boni, vt ſine alio collato beneficio excitet, & ſuaui quadam vi rapiat ad ſui dilectionem, & eò vehementiùs, quò maius eſt bonum, & meliùs a diligente cognoſcitur. Sed ſummo bono quid melius? quid pulchrius? quid excogitari poteſt amabilius? Et à quo meliùs in hac mortali vita cognitum poſt illuminatiſſimam Chriſti animam, & Virginis Deiparæ, quàm ab eo, qui priuilegio ſingulari ad Paradiſi delicias prægustandas vſque ad empyreum cœlum raptus fuit [h]? His accedebat quartum eiuſdem in Deum charitatis incitamẽtum; certa, nimirum, expectatio huius prægustatæ felicitatis, præparatæ iis, qui diligunt illum in perpetuam æternitatem, de qua ſcripſit ad Corinthios [i]: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligũt illum: nobis autẽ reuelauit Deus per Spiritum ſuum.* Et ad Timotheum [k]: *Repoſita eſt* (inquit) *mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex: non ſolùm autem mihi; ſed & iis, qui diligunt aduentum eius.* Intelligebat quintò excellentiam huius eminentiſſimæ virtutis charitatis, qua homo arctiſsimè vnitur Deo: *Qui enim adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt:* ſcripſit ipſe ad Corinthios [l]: & ad Romanos [m]: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ideò exhortabatur, dicens [n]: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Hoc igitur vinculo ipſe Chriſto Saluatori alligatus proteſtabatur, dicens [o]: *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Vide* (ait Chryſoſtomus [p]) *B. Pauli prudentiam: neque enim ea protulit, quibus quotidie capimur, pecuniarum amorem, gloriæ appetitionem, iræ tyrannidem: ſed quæ multò ſunt his truculentiora, atque impetuoſiora, & talia, vt poſſint ipſi naturæ vim inferre, & animi firmitudinẽ, vel nobis nolentibus ſæpenumerò loco diuellere.* At hæc ipſa quaſi eſſent infirma, & modica tranſcendens, audet quoque prouocare ad multò ſublimiora, dicens [q]: *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto* IESV. Hinc abalienatis à Chriſti charitate, aut in eius amore tepentibus dicit anathema, & quaſi excommunicationem interminans ait [r]: *Si quis nõ amat Dominũ* IESVM, *anathema ſit.* Non vult gloriari niſi in Chriſto, & cruce ipſius [s]: *Mihi autẽ abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri* IESV *Chriſti.* Nõ vult loqui niſi de Chriſto [t]. *Prædicamus Chriſtum crucifixum.* Nihil ſe ſcire profitetur præter Chriſtum [u]: *Non enim iudicaui, me ſcire aliquid inter vos niſi* IESVM *Chriſtum, & hunc crucifixũ.* Propter Chriſtũ omnia deſpicit, & non tantùm reputat eſſe viliſsima, ſed etiam prorſus abominanda [x]: *Verumtamen exiſtimo, omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam* IESV *Chriſti Domini*

mei,

g Eph. c. 3. v. 18.
h 2. Cor. c. 12. v. 4.
i 1. Cor. c. 2. v. 9.
k 2. Tim. c. 4. v. 8.
l 1. Cor. c. 6. v. 17.
m Rom. c. 8. v. 28.
n Coloſſ. c. 3. v. 14.
o Rom. c. 8. v. 35.
p Chryſ. hom. 15. in Ep. ad Rom.
q Rom. c. 8. v. 38.
r 1. Cor. c. 16. v. 22.
s Gal. c. 6. v. 14.
t 1. Cor. c. 1. v. 23.
u 1. Cor. c. 2. v. 2.
x Philip. c. 3. v. 7.

mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. Pro illo ſe millies mori paratiſſimum eſſe [y]: *Ego enim non ſolùm alligari, ſed etiam mori paratus ſum propter nomen Domini* IESV. Illius in omnibus ferè ſuis Epiſtolis ſeruum pro titulo ſummi honoris ſe inſcribit [z]: *Paulus ſeruus* IESV *Chriſti.* Illius ſe ſtigmatibus notatum gloriatur [a]: *Ego enim ſtigmata Domini* IESV, *in corpore meo porto.* Illius ſe cruci affixum, cum illo ſe mortuum, neque ampliùs ſibi, ſed illi tantùm viuere; imò Chriſtum in ipſo profitetur [b]: *Chriſto confixus ſum cruci. Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Chriſtus.* Nihil magis habere ſe in votis, in expectatione, in propoſito, quam vt Chriſtus, tum in vita, tum in morte ipſius glorificetur [c]: *Secundùm expectationem, & ſpem meam, quia in nullo confundar: ſed in omni fiducia ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem. Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Denique cupere ſe tandem à vinculis corporis diſſolui, vt Chriſto in cœlis meliùs perfrueretur [d]: *Coarctor deſiderium habēs diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Nec eſt vox, quam ſæpiùs in omnibus ferè paginis ſuarum Epiſtolarum repetat, & inculcet, quàm Chriſtum IESVM, quaſi eo ſatiari nomine nunquam poſſet. Vnde numeratur repetitum in Epiſtolis Pauli ſanctiſſimum nomen IESV ducenties decies nouies; Chriſti verò ſupra quadringenties.

Quæ cùm ita ſint, hic Pauli amor erga Chriſtum Dominū, atque adeò erga Deum, verè omnibus fuerit numeris abſolutus, qualem ipſe Deus in veteri Teſtamento, & magis Chriſtus in nouo eſſe debere pronunciauit, cùm dixit: *Diliges Dominum*

y Act. c. 21. v. 13.
z Rom. c. 1. v. & alibi.
a Galat. c. 6. v. 17.
b Gal. c. 2. v. 19.
c Philip. c. 1. v. 20. 21.
d ibid. v. 23.

tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua: vt eſt apud S. Matthæum [e]; & additur in S. Luca [f]: *Et ex omnibus viribus tuis.* & in S. Marco [g]: *Et ex tota virtute tua.* in Deuteronomio verò [h]: *Ex tota fortitudine tua.* Amabat Apoſtolus Chriſtum Dominum ex toto corde ſuo; nimirum, ex tota ſuæ rectiſſimæ, & ſynceriſſimæ voluntatis intentione: erat enim talis eius charitas, qualem ipſe eſſe debere ad Timotheum ſcripſit [i]: *Charitas de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta.* Amabat ex tota anima, nempe, de vita, nomine animæ ſignificata, pro Dei gloria effundenda, & pro ſalute animarum Chriſti ſanguine redemptarum, ex affectu vehementi ſuæ charitatis ſæpè recogitans. Quare dicebat Epheſiis [k]: *Nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem, quam me; dummodo conſummem curſum meum, & miniſterium verbi, quod accepi à Domino* IESV, *teſtificari Euangelium gratiæ Dei.* & infrà: *Ego non ſolùm alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum, propter nomen Domini* IESV. Amabat ex tota mente, ideò dicebat [l]: *Ego ipſe mente ſeruio legi Dei.* Sicut enim in ſuprema huius mundi maioris parte, quæ eſt empyreum cœlum, maximè Deus inhabitat; ita in ſublimiori mundi minoris, id eſt, hominis portione, quæ mens eſt, & pars eius ſpiritualior, cupit Deus ſuā ſedem obtinere, & veluti proprium templum ſibi vni conſecrari, in quo nullum prorſus inueniat locum vitij alicuius idolum. Ideò Corinthios admonebat [m]: *Quis conſenſus templo Dei cum idolis? vos enim eſtis templum Dei viui: ſicut dixit Deus: Quoniam inhabitabo in illis.* Amabat omnibus viribus ſuis, potentiis, videlicet, omnibus animæ ſuæ, non tantùm ſuperioribus intellectus, memoriæ, ac

e Matth. c. 22. v. 37.
f Luca c. 10. v. 27.
g Marci c. 12. v. 30.
h Deut. c. 6 v. 5.
i 1. Tim. c. 1. v. 5.
k Act. c. 20. v. 24.
l Rom. c. 7. v. 25.
m 2. Corinth. c. 6. v. 16.

voluntatis ei per omnia deſeruientibus; ſed etiam quodammodo viribus inferioribus, & facultatibus ſenſitiuis, omnia propter amatum Dominum operātibus. Vnde ſcripſit ad Romanos [n]: *Qui ſapit diem, Domino ſapit; & qui manducat, Domino manducat. Nemo enim noſtrûm ſibi viuit, & nemo ſibi moritur: ſiue enim viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur, Domino morimur. Siue ergo viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus.* Amabat ex tota virtute ſua, hoc eſt, conatu virium, & virtutis maximè intenſo [o]: *Charitas enim Chriſti vrget nos* (dicebat Corinthiis) *ſiue mente excedimus Deo, ſiue ſobrij ſumus vobis.* Denique amabat tota fortitudine ſua, id eſt, animi ſumma conſtantia, & omniū, quæ vnquam accidere potuiſſēt, malorum inſuperabili tolerantia. Propterea tanta animi generoſitate conteſtabatur [p], certum ſe eſſe, quia neque mors, neque vita, neque inſtantia, neque futura, neque creatura alia ſeparare illum valuiſſet à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto IESV. Et ſanè ſi quis attentè conditiones omnes examinet, quas de ſua erga Chriſtum dilectione, atque in Deum charitate Paulus enumerat, facilè intelliget, quam propè acceſſerit ad illam inuiolabilem charitatem, quam ex clara Dei viſione beatæ mentes eliciunt, etiam ſupremæ in Ordinibus Angelorum, & quæ ab ardore Seraphim appellantur. Quapropter multò minùs erit dubitandum, ſex illos gradus ſeraphicæ dilectionis, quos pro iuſtis adhuc in hac vita mortali degētibus aliàs expoſuimus [q], omnes in Apoſtolo Paulo perfectiſſimè viguiſſe. Significauit hos gradus diuina ſapientia verbis illis Cantici Canticorum [r]: *Pone me vt ſignaculum, ſuper cor tuum; vt ſignaculū, ſuper brachium tuum: quia fortis eſt, vt mors, dilectio; dura, ſicut Infernus, æmulatio: lampades eius, lampades ignis, atque flammarum. Aqua multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Primùm enim diuina charitas Dei amatorem amati perfectionibus reddit ſimilem, & format quaſi cerā impreſſo ſigillo cōgruentem. Huiuſmodi verò ſignaculū non cordi tantùm, id eſt, tenero affectui voluntatis; ſed etiam brachio, nimirum, operationi eſt imprimendum. Quapropter Galatas teneros in hac dilectione hortabatur Apoſtolus, dicens [s]: *Bonum æmulamini in bono ſemper, filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Et quia firmiùs, & altiùs impreſſam ſibi talem Chriſti ſimilitudinē benè aduertebat, iterum atque iterum eos adhortabatur [t]: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Non quidem, vt ſe laudibus efferat* (inquit Chryſoſtomus [u]) *ſed vt facilem eſſe virtutem oſtendat.* Secundus charitatis gradus illis verbis exprimitur: *Quia fortis eſt, vt mors, dilectio. Magnum verbum* (ait S. Auguſtinus [x]) *fortis eſt, vt mors, dilectio: magnificentius exprimi non potuit fortitudo charitatis. Quid enim reſiſtit morti? Reſiſtitur ignibus, vndis, ferro, reſiſtitur poteſtatibus, reſiſtitur Regibus. Venit vna mors, quis ei reſiſtit? Nihil eſt illa fortius; propterea viribus eius charitas comparata eſt. Quia enim ipſa charitas occidit quod fuimus, vt ſimus quod non eramus, facit in nobis quandā mortem dilectio. Iſta morte mortuus erat Paulus, qui dicebat: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Iſta morte mortui erāt, quibus dicebat: Mortui enim eſtis vos, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Ita S. Auguſtinus. Sed tertius dilectionis gradus illis verbis expreſſus: *Dura, ſicut Infernus, æmulatio.* vt altior, ita fuit in Apoſtolo manifeſtior.

n Rom. c. 14. v. 6.

o 2. Cor. c. 5. v. 14

p Rom. c. 8. v. 38.

q lib. 7 de cœleſti conuer. c. 4.

r Cant. c. 8. v. 6. 7.

s Galat. c. 4 v. 18. 19.

t 1. Cor. c. 4. v. 16. & c. 11. v. 1.

u Chryſoſt. hom. 3. in 1. Corinth.

x S. Auguſt. in Pſ. 12.

niſeſtior. In quem ſenſum ſcripſit Eccleſiæ Corinthiorum [y]: *Æmulor vos Dei æmulatione: deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Quòd autem dura eſſet hæc æmulatio, vt Infernus, ad Romanos ſcribens illis verbis expreſſit [z]: *Triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. Quid ais, Paule* (inquit Chryſoſtomus [a]) *nónne iam dixiſti: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Imò, ait, quia amo Chriſtum, cupio ſeparari à fruitione Chriſti, vt plures, imò omnes eum ament, & laudent.* Addit prætereà Chryſoſtomus, hæc Pauli dicta ideò à nobis non ſatis intelligi, quia longè abſumus à gradu tantæ charitatis. Sed eſt quartus altior gradus charitatis verbis illis expoſitus: *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Sicut enim ignis appoſita materia ſemper creſcit, & eſt quodammodo inſatiabilis: vnde Sapiens dixit [b]: *Ignis verò nunquam dicit, Sufficit.* ita quantò plura pro Chriſto agenda, & ſuſtinenda Paulo ſe obiiciebant, eò ad labores perferendos, atque ad omnis generis moleſtias deuorandas acriùs accēdebatur. Scripſit Corinthiis aliquando [c]: *Permanebo Epheſi vſque ad Pentecoſten: oſtium enim mihi apertū eſt magnum, & euidens, & aduerſarij multi.* Nimirum, propterea maiori accenſus eſt cupiditate in ea ciuitate diutiùs pro Chriſti gloria, quàm ſtatuiſſet, perſiſtendi; quia multa difficilia exequenda, multa aduerſa perferenda illi ſe obtulerunt. Neque verò tantùm inſatiabilis erat huiuſmodi charitas apoſtolica, ſed etiam inſuperabilis, qui gradus dilectionis eſt quintus illis ſequentibus verbis ſignificatus: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Hæc eſt charitas Chriſti, à qua non ſeparat tribulatio, non anguſtia, non fames, non nuditas, non periculum, non gladius, aut quæuis perſecutio [d]. *Quia propter te* (inquit) *mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis: ſed in his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos.* &, *Certus ſum, quia nulla creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto* I e s v. Sextus demum acceſſit ſeraphicæ dilectionis gradus, ibidem in hæc verba deſcriptus: *Si dederit homo omnē ſubſtanti. m domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Ad hunc perfectionis gradum hortabatur Apoſtolos Chriſtus Dominus, illis verbis [e]: *Cùm hæc omnia feceritis, dicite: Serui inutiles ſumus.* Quàm multa, quàm ſtrenua præſtabat Apoſtolus [f]? *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.* & alia, quæ licèt ab ipſo pro rerum multitudine, & magnitudine modeſtè admodum, ac parcè, pluribus etiam prætermiſſis receſeantur, nos verò pluribus libris explicare vix potuimus: tamen ad Romanos ſcribens [g]: *Exiſtimo* (inquit) *quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis,* (ſiue, vt S. Auguſtinus, legit, *ſunt indignæ,*) *ad futuram gloriā, quæ reuelabitur in nobis.* Et reddit rationē dicēs [h]: *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitatibus æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quòd ſi ſupremi illi Seraphini, quos vidit Iſaïas [i], quaſi eſſent in Dei charitate minùs quàm deberent feruidi, alis ſibi pedes & caput præ reuerentia obtegebant, quid ſentire in ſe debuit illuminatiſſima mens Pauli, & cor eius tot à Chriſto beneficiis, quaſi congeſtis carbonibus incenſum, adhuc

[y] 2. Cor. c.11.v.2.
[z] Rom. c. 9.v.2.
[a] Chryſoſt. hom. 16. in ep. Rom.
[b] Prou. c.30.v.16.
[c] 1. Cor. c.16.v.8.
[d] Rom. c. 8. v. 35. 36.
[e] Matt. c. 17. v. 10.
[f] 2. Cor. c. 11. v. 23.
[g] Rom. c. 8. v. 18.
[h] 2. Cor. c. 4. v 17.
[i] Iſaias c. 6 v. 2.

adhuc ab eo tempore, cùm ſpirans
minarum, & cædis in diſcipulos eius,
penitùs extinguere naſcentem Dei
Eccleſiam moliretur? Itaque videtur
profectò amor diuinus in Pauli cor-
de, tanquam in curru triumphali, de
ipſo Paulo victoria tam glorioſa ſu-
perato triumphare quodãmodo vo-
luiſſe. Nam, quemadmodum trium-
phantes Imperatores aurato curru
delati hoſtem primarium, quem vi-
ciſſent, onuſtum catenis ſecum addu-
cere gloriabantur; ita diuinus amor
in corde huius Apoſtoli omni auro
propter charitatem fulgentiori, ſe-
dem ſibi delegit: vnde Chriſtus de
k Act. c. illo dicebat [k]: *Vas electionis eſt mihi*
9 v. 15. *iſte, vt portet nomen meum coram Gen-*
tibus, & Regibus, & filiis Iſrael. Ipſe
verò Paulus nihil magis præ ſe fere-
bat, quàm ſe eſſe vinctum Chriſti
I E S V, ligatum, catenatum; ſed non
tam ferreis catenis, quas libentiſſimè
pro eius nominis gloria ſuſtinebat,
quàm aureis gratiarum, & beneficio-
rum eius propè innumerabiliũ. Hinc
illa toties inſcripta in eius Epiſtolis
l Philemon. v. 1. leguntur [l]: *Paulus vinctus* I E S V
Chriſti. & alibi [m]: *Ego Paulus vinctus*
m Epheſ. c. 3. v. 1. *Chriſti* I E S V. & iterum: *Propter*
ſpem Iſrael, inquit [n], *catena hac cir-*
n Act. c. 28. v. 20. *cundatus ſum.* & ad Philippenſes: *Se-*
quor (inquit [o]) *ſi quomodo comprehen-*
o Philip. c. 3. v. 12. *dam, in quo & comprehenſus ſum à*
Chriſto I E S V. & ad Corinthios [p]:
Deo (inquit) *gratias, qui ſemper trium-*
p 2. Cor. c. 2. v. 14. *phat nos in Chriſto* I E S V. id eſt,
de nobis, in nobis, atque per nos
triumphum agit gloriæ Filij ſui, vt
q S. Hieron. ep. 150. ad Hedibiam. inter alios S. Hieronymus exponit [q].
Hæc modò ſatis de charitate Pauli
in Deum; iam de charitate in proxi-
mos agendum, ſed commodiùs ca-
pite ſequenti.

CAPVT III.

De ardenti charitate proximorum.

EX accenſa in Deum charitate
ardens erga proximos Apoſtoli
charitas naſcebatur, quæ quidẽ alia
ſpecie virtus non eſt, niſi quòd in alia
magis propinqua nobis materia ali-
quantò meliùs innoteſcit. Sic ignem
in propria ſphæra elementari nõ ad-
uertimus, cùm autem circa terram
flamma vagatur, & in materia cor-
ruptibili proxima nobis exardeſcit,
facilè ſentitur, & eſt omnibus ma-
ximè conſpicua. Impleuerat diuina
charitas cor Apoſtoli Pauli, Vas ele-
ctionis, *Vas auri ſolidum, ornatum*
omni lapide pretioſo, ait Eccleſiaſti-
cus [a]: & Paulus ipſe de ſe [b]: *Chari-* a Eccli. c. 50. v. 10.
tas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris
per Spiritum ſanctum, qui datus eſt no- b Rom. c. 5. v. 5.
bis. Tum verò maximè odoris ſua-
uiſſimi fragrantia intùs clauſa, fundi
extrà per orbem vniuerſum incepit,
cùm eius in omnes profuſiſſima cha-
ritas effundebatur, quæ illum multò
clariorem, quàm quæcunque mira-
cula reddiderunt. *Odorem* (inquit [c]) c 2. Cor. c. 2. v. 15.
notitia ſua manifeſtat per nos Chriſtus
in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſu-
mus in iis, qui ſalui fiunt, & in iis, qui
pereunt: aliis quidem odor mortis in
mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.
Vita enim huius ſanctiſſimi Apoſto-
li omnium inſtituta cõplexione vir-
tutum, quaſi mixtum quoddam fuit
perfectiſſimum ex vniuerſis aroma-
tibus pretioſiſſimis, quod à feruore
charitatis concalefactum, vitalem
odorem bonis afflabat; improbis au-
tem, & præcipuè in malo obſtinatis
mortiferũ cruciatũ afferebat. Quare
deſcribens ipſe qualis erga proximos
eſſe

eſſe debeat charitas perfectiſſima, ſiue qualis iam eſſet ſua ipſius [d]: *Charitas* (inquit) *patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet: charitas nunquam excidit.* Hæc omnia & adhuc plura charitati Pauli erga proximos conueniſſe, ipſiuſmet ſyncera confeſſione iam oſtenſuri ſumus. Et quod primùm ad patiētiam pertinet, quam rectè definiuit S. Auguſtinus [e], nihil aliud eſſe, niſi amorem omnia propter amatum facilè tolerantem, ita de ſe teſtatur S. Paulus [f]: *Omnia ſuſtineo propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto* IESV. Ad Coloſſenſes verò [g]: *Gaudeo in paſſionibus meis pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia, cuius factus ſum miniſter.* Et alibi [h]: *Miniſtri Chriſti ſunt? vt minus ſapiens dico, plùs ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum.* Et alia quamplurima ibi fusè recenſet, quæ pro Euangelij propagatione ſuſtinuit à Iudæis, à Græcis, à barbaris, à falſis fratribus; in terra, in mari, in ſolitudinibus, in ciuitatibus. Quid autem pectus illud omni adamāte fortius non ſuſtinuiſſet pro electis, quando etiam pro reprobis Iudæis ipſam gehennam perferre, ſi Deo placuiſſet, non recuſaſſet, imò vltrò etiam exoptaſſet [i]: *Optabam enim* (inquit) *ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem Iſraëlitæ. Talis eſt anima cœleſti amore ſublimis,* (ait Chryſoſtomus [k]:) *nam ſicuti, qui fœdis amoribus capiuntur, nihil putant vel glorioſum, vel pretioſum, niſi quòd ipſorum ſeruit concupiſcentiis, & ſit eis omnia, perſonas quam diligunt; multo magis, qui tali amore flagrant, nihili faciunt pretioſa. Si autem non conſideratuus, quæ dicuntur, haud mirum eſt: imperiti enim ſumus huius Philoſophiæ. Qui enim igne Chriſti captus fuerit, talis ſit, qualis eſſet homo ſolus ſuper terram. Tentationes autem ſic contemnit, & flagella, & carceres, quaſi in alieno corpore pateretur, vel quemadmodum ſi adamantinum poſſideret cor.* Sed pluribus de inuicta Pauli patientia inferius ſeparato capite dicendum erit. Charitas itaque Pauli patiens primùm, at non minùs erga omnes benigna fuit: nullus, ſiue pater, ſiue mater, ea charitate filios, quos genuit, aliquando complexus eſt, vt Paulus quoſcunque per Euangelium in Chriſto regeneraſſet. Audiamus eius ſynceras, & quæ abſcondi non poterant huius benigniſſimæ charitatis ſignificationes. *Filioli mei,* (ſcribit Galatis [l]) *quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Vellem eſſe apud vos modò, & mutare vocem meam.* Ad Theſſalonicenſes verò [m]: *Facti ſumus* (inquit) *paruuli in medio veſtrûm, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos, ita deſiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis non ſolùm Euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras, quoniam chariſſimi nobis facti eſtis.* Eadem charitate ſcribit ad Corinthios [n]: *Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi: non eſcam: nondum enim poteratis; ſed nec nunc quidem poteſtis.* Et infrà [o]: *Non vt confundam vos, hæc ſcribo; ſed vt filios meos chariſſimos moneo. Nam, ſi decem millia Pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos Patres. Nam in Chriſto* IESV *per Euangelium ego vos genui.* At nihil tenerius in hoc genere legi poteſt, quā quod eſt in Epiſtola ad Philemonem, cui Oneſimum

[d] 1. Cor. c. 13. v. 4.
[e] S. Aug. lib. de moribus Eccleſ. c. 15.
[f] 2. Tim. c. 2. v. 10.
[g] Coloſſ. c. 1. v. 24.
[h] 2. Cor. c. 11. v. 23.
[i] Rom. c. 9. v. 3.
[k] Chryſ. hom. 52. in Acta.
[l] Gal. c. 4. v. 19.
[m] 1. Theſſal. c. 2. v. 7.
[n] 1. Cor. c. 3. v. 1.
[o] ibid. c. 4. v. 14.

commendat ſeruum eius fugitiuum,
p Philē. v.10.12. 16. 20. dicens [p]: *Obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo: tu illum, vt mea viſcera, ſuſcipe: iam non vt ſeruum, ſed pro ſeruo chariſſimum fratrem: refice viſcera mea in Domino.* Meritò hìc admiratur S. Hieronymus tantā Pauli Apoſtoli charitatem, qui in vinculis conſtitutus, in ſquallore, in catena, de vnius ſeruuli fugitiui, & raptoris, quoniam baptizatus redierat ad bonā frugem, talem gerat ſollicitudinem. *Tenetur in carcere Paulus*, (inquit S.
q S. Hier. in ep. ad Philem. Hieronymus [q],) *vinculis ſtringitur, ſquallore corporis, charorum ſeparatione, pœnalibus tenebris coarctatur, & non ſentit iniuriam, non dolore cruciatur, non nouit aliud, niſi de Chriſti Euangelio cogitare: ſciebat ſeruum, ſciebat fugitiuū, ſciebat raptorem.* Eadem à S. Chryſoſtomo in toto illius Epiſtolæ Commentario benè obſeruata legi poſsūt. Philippenſes ſimiliter quanto affectu benigniſſimæ charitatis proſequere-
r Philip. c.1. v.8. tur, teſtatur illis ita ſcribens [r]: *Teſtis eſt mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus* Iesv *Chriſti. Et hoc oro, vt charitas veſtra abundet magis.*
s ibid. c. 2.v.1. Addit inferiùs [s]: *Si qua ergo cōſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes.* Et
t ibid. c. 4.v.1. rurſus infrà [t]: *Itaque, fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum & corona mea, ſic ſtate in Domino, chariſſimi.* Certè ſi ex abundantia cordis os loquitur, vt docuit nos in Euange-
u Matth. c. 12. v. 34. lio Chriſtus Dominus [u], quali abundare oportuit charitate cor eius, qui talia, toties, tantóque affectu loquebatur, ſic in animo ſuo ſentiebat, & opere ipſo præſtabat, atque ad idem omnes exemplo non minùs, quàm verbis incitabat? *Exhibeamus noſmetipſos*, (dicebat Corinthiis [x],)
x 2. Cor. c.6.v.4. *ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta. Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthy, cor noſtrum dilatatum eſt, non anguſtiamini in nobis: anguſtiamini autem in viſceribus veſtris.* Ac ſi dixiſſet: Ego, ſicut loquor, planè ita ſentio: vos in meo corde minimè anguſto latiſſimè receptos contineo, ego non perinde in veſtro: dilatetur itaque per charitatem, vt gratiæ ſancti Spiritus reddamini capaciores. *Nemini quidquam debeatis*, (ait ad Romanos ſcribēs [y],) y Rom. c. 13. v. 8. 9. 10.
niſi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit: nam omne mandatum in hoc verbo inſtauratur [z]*: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Dilectio proximi malum non operatur: plenitudo ergo legis eſt dilectio.* z Leuit. c.19. v.18.
Ita benè didicerat Chriſti Apoſtolus, ſicut etiam dilectus Chriſto Ioannes Euangeliſta, præceptum fraternæ dilectionis, quod in extremo vitæ ſuæ, quaſi pro teſtamento, Dominus reliquit nobis illis verbis commendatiſſimum [a]: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* a Ioan. c. 13. v. 34. 35.
Verè igitur docuit exemplo, & experientia ſua non minùs, quàm Epiſtolis, & doctrina B. Apoſtolus [b], quia *charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt.* b 1.Cor. c. 13. v. 4.
Lamentabatur ipſe hac de re cū Philippenſibus, dicens [c]: *Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ* c Philip. c. 2. v. 21.
Iesv *Chriſti.* De ſe verò cogente veritate & charitate, aliter debuit ſcribere [d]: *Non enim quæro*, inquit, *quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.* d 1. Cor. c. 10. v. 33.
Et alibi: *Non quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos. Nec enim debent filij parentibus theſaurizare,*

ſed

ſed parentes filiis. Ego autem libentiſſimè impendam, vt ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris; licèt plùs vos diligens, minùs diligar. Sed quod adiunxit circa proprietates perfectiſſimæ charitatis,dicens: *Charitas non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate; congaudet autem veritati, omnia ſuffert, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* id ſemel in Epiſtola, ſemper autem in vita ſua, quotidianis, videlicet, exemplis expreſſit. Quis enim enumeret, quoties à Iudæis paſſus ſit inſidias, accuſationes, carceres, verbera, lapidationes, capitales coniurationes? nec tamen ſpem de illorum ſalute deponere, curam abiicere, ſollicitudinem intermittere vllo vnquã tempore poſſe videbatur: loca ſubinde mutando, eundo, redeundo, longiſſimas peregrinationes ſuſcipiendo, tempora, occaſiones opportunas, importunas quaſcunque perueſtigando. Et vbi cum hominibus non ſuccederet, in conſcientia ſua coram Deo vicem illorum dolere, atque amoris lacrymis, & gemitibus diuinam miſericordiam efflagitare[f]: *Veritatem dico in Chriſto*, ait ad Romanos ſcribens, *non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto: quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo.* Tum narrat, quomodo pro ſalute Iudæorum optauerit etiam ipſam gehennam, & à Chriſti gloria, non tamen à gratia, & charitate, ſeparationem ſuſtinere. Audiuerat ſcandala quædam erupiſſe inter Corinthios, ad quos proinde venturus, ſcripſit[g]: *Timeo, ne fortè cùm venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt.* Debuit quendam inceſtuoſum in eadem Eccleſia Corinthiorum mandare, vt excommunicaretur; eas literas quanto cum dolore ac lacrymis ſcripſerit, ſignificat, dicens[h]: *Et hoc ipſum ſcripſi vobis, vt non cùm venero, triſtitiam ſuper triſtitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere, confidens in omnibus vobis; quia meum gaudium, omnium veſtrũ eſt. Nam ex multa tribulatione, & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lacrymas: non vt contriſtemini, ſed vt ſciatis, quam charitatem habeam abundantiùs in vobis.* Idem aliàs dicebat[i]: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Et ruſus[k]: *Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerẽ. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerẽ ſaluos. Nã, cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem, & factus ſum Iudæis tanquã Iudæus, vt Iudæos lucrarer: iis, qui ſub lege ſunt, tanquam ſi ſub lege eſſem, (cùm ipſe non eſſem ſub lege) & iis, qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem, cùm ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti, vt lucrifacerem eos, qui ſine lege erant. Vidiſtine, quæſo, animam terrena ſuperantem?* (ait Chryſoſtomus[l]:) *omnem prorſus hominem Deo exhibere cupiebat, & omnes, quantùm ad ipſum ſpectabat, exhibuit. Quaſi enim vniuerſum mundum ipſe genuiſſet, ſic perturbabatur, ſic curabat, ſic omnes in regnum Dei feſtinabat inducere, docendo, orando pro ipſis, terrendo Dæmones, fugando corruptores animarum, aliquando Epiſtolis, aliquando præſentia, nunc ſermone, nunc rebus, per diſcipulos, per ſemetipſum erigere labentes, ſtantes confirmare, humi iacentes attollere, ſanare contritos, omnes animare: & vt miſſum in igne ferrum, ignis efficitur; ſic Paulus charitate ſuccenſus, totus factus eſt charitas; qui quaſi communis*

f Rom. c. 9. v. 1.

g 2. Cor. c. 12. v. 20. 21.

h 2. Cor. c. 2. v. 3.

i 2. Cor. c. 11. v. 29.

k 1. Cor. c. 9. v. 19. 20. 22.

l Chryſ. hom. 3. de laud. S. Pauli.

totius mundi eſſet parens, ita amore hominum ipſos etiam imitabatur parentes, imò cunctos nō carnales modò, ſed etiam ſpiritales patres ſollicitudine ac pietate ſuperabat, & pecunias, & verba, & animam pro his, quos diligebat, impendens. Propter hoc itaque charitatē plenitudinē legis appellabat, & vinculum perfectionis, & omnium bonorum matrem, & initium, & finem virtutum. Hæc & alia Chryſoſtomus, omnes propterea exhortans, vt in hac potiſſimùm virtute imitari Paulum, & ſupra omnia, quæ fecit, miracula ob id eum colere, ac venerari ſtudeamus. Iam ad alias eiuſdem virtutes huic affines progrediamur.

CAPVT IV.

De feruentiſſimo zelo diuinæ gloriæ, & ſalutis animarum.

Virtus zeli, de quo hîc agimus, effectus eſt primarius geminæ charitatis, Dei, nimirum, & proximorum, in eo conſiſtens, vt quia charitatis eſt, velle Deo bonum, & proximis propter Deum, cùm multa occurrant hoc bonum impedientia, zelo perurgente, quātùm fieri poteſt, remoueantur. Vnde, ſicut ex doctrina Dionyſij Areopagitę docuit S. Thomas [a], zelus ab amoris feruore generatur: quantò enim aliqua virtus vehementiùs tendit in aliquid, tantò fortiùs nititur ad contrarium impediens repellendum. Et propterea Deum appellari zelotem in diuinis Scripturis, ait S. Dionyſius, quòd amore vehementi res à ſe conditas proſequatur. Vnde igni vrenti diuinus zelus à Dauide aſſimilatur [b]. *Accendetur* (ait) *velut ignis zelus tuus.* Et Moyſes in Deuteronomio [c]: *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt, Deus æmulator.* Quo teſtimonio vtitur etiam S. Paulus in Epiſtola ad Hebræos, virtutem diuini zeli deſcripturus [d]. Imò verò non igni cuicunque, ſed ipſius Inferni, quod mirum videbitur, zelus perfectæ charitatis in Cantico diuini amoris comparatur, cùm dicitur [e]: *Dura, ſicut Infernus, æmulatio,* quæ Græcè zelus appellatur. Nam, ſicut Infernus eos, quos detinet, igne animas ipſas vrentes, acerbiſſimè diſcruciat: ita, qui diuino zelo perfectæ charitatis corripiuntur, videntes commiſſa in Dei maieſtatem, & in perniciem redemptarum pretioſo Chriſti Sanguine animarum, inde in ſeipſis æſtuant, vruntur, & contabeſcunt [f]. *Vidi præuaricantes, & tabeſcebam,* (ait Dauid,) *quia eloquia tua non cuſtodierūt.* & *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* Sed Paulum iam audiamus [g]. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Proſus neminem excipit, nec dicit, doleo tantùm, aut contriſtor; ſed infirmor, & vror, ad magis, vt obſeruauit S. Chryſoſtomus, afflictionis ſuæ vehementiam ortam ab exceſſu amoris exprimendam. Talis autem erat cordis Pauli cruciatus, vt Inferni vſtionem non æquare ſolùm, ſed etiam ſuperare videretur; ſiquidem incendia gehennæ tolerare maluiſſet, quàm videre contemptum gloriæ Chriſti, perfidiam & obſtinationem Iudæorum, ac æterna detrimenta tot pereuntium animarum. Et quia hic Apoſtoli ſenſus ſuperare humanam fidem videbatur, iureiurando affirmabat [h]: *In Chriſto* IESV *non mentior, teſtimonium mihi perbibente conſcientia mea in Spiritu ſancto: quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo Optabā enim ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* At id fortaſſe non adeò mirum

a S. Th. 1. 2. q. 28. a. 4. S. Dion l. 1. de diu. nom. c. 4.
b Pſ. 78 v. 5.
c Deuter c. 4. v. 24.
d Hebr. c. 12. v. 29.
e Cant. c. 8. v. 6.
f Pſ. 118. v. 158. & 139.
g 2. Cor. c. 11. v. 29.
h Rom. c. 9. v. 1.

mirum alicui videbitur, conſideranti Paulum iam inde à iuuētute, priuſquàm ſe Chriſto conſecraſſet, zelo ſimili in cauſa, quamuis diſſimili, & omninò contraria ſolitum exardeſcere, cùm exiſtimans obſequium ſe præſtare Deo [i], ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo Epiſtolas, vt ſi quos tales inueniſſet, perduceret in Ieruſalem. *Et Eccleſiam deuaſtabat* (ait S. Lucas) *per domos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in cuſtodiam.* Qua de re ſcribens ipſe poſteà ad Galatas [k]: *Audiſtis* (inquit) *conuerſationem meam aliquando in Iudaiſmo, quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator, ſiue zelator exiſtens paternarum mearum traditionum.* Et ad Philippenſes: *Secundùm æmulationem* (inquit) *eram perſequēs Eccleſiam Dei.* Fuit autem hoc indolis Pauli ad magna profuturæ, vbi gratia Dei acceſſiſſet, non leue argumentum: *Nam* (vt ait S. Auguſtinus [l]) *animæ virtutis capaces, ac fertiles, præmittunt ſæpè vitia, quibus hoc ipſum indicent, cui virtuti ſint potiſſimùm accommodatæ, ſi fuerint præceptis excultæ. Sic ille animi motus, quo Moyſes peregrinum fratrem à ciue improbo iniuriam patientem* [m]*, non obſeruato ordine poteſtatis, inultum eſſe non pertulit; non virtutum fructibus inutilis erat; ſed adhuc incultus, vitioſa quidem, ſed magnæ fertilitatis ſigna fundebat. Illa etiam Pauli ſæuitia, cùm ſecundùm æmulationem paternarum traditionum perſequebatur Eccleſiam, putans ſe obſequium præſtare Deo, tanquam ſylueſtre erat vitium, ſed magnæ fertilitatis indicium.* Hæc S. Auguſtinus.

i *Act. c. 9. v. 1. & c. 8. v. 3.*

k *Gal. c. 1. v. 13. & Philip. c. 3. v. 6.*

l *S. Aug. l. 22. cõtra Fauſt. c. 70.*

m *Exod. c. 2. v. 11.*

Hoc igitur zelo per diuinam gratiam correcto, & in melius commutato, ſtatim atque à terra Paulus ſurrexit in via Damaſci, vbi proſtratus à fulgurante in eum Chriſti lumine iacuerat, totum ſe obſequiis ſui Saluatoris mancipauit, redditus ad omnia promptiſſimus, & paratiſſimus, dicēs [n]: *Domine, quid me vis facere?* Indéque non ad propinquos, vel amicos, aut notos; ſed ad prorſus incognitos in Arabiam profectus eſt. *Hoc eſt enim perfecti Zeli proprium* (ait S. Ambroſius [o]) *vt omnes ſibi aduerſarios putet, quos ſentit in Dei negotio ſibi aduerſari, aut eſſe impedimento, ſiue pater, ſiue frater, ſiue propinquus, ſiue amicus.* Qua de re Paulus ipſe ad Galatas ſcribens, ait: *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit de vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, & euangelizarem illum in Gentibus, continuò non acquieui carni & ſanguini; ſed abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum.* Eodem incitatus zelo per annos triginta-quinque, hoc eſt, à tempore conuerſionis ſuæ, vſque ad obtentam beati martyrij coronam, nunquam à Dei procuranda gloria, & ſalute animarum conquieuit: ſed quaſi flamma ignis totum ferè percurrebat orbem terrarum, purgando à vitiis, illuſtrādo in fide, ad amorem bonorum æternorum accendendo, impiger, infatigabilis, imperterritus. Poſt tres annos ab Arabia reuerſus eſt Damaſcum, inde Ieroſolymam venit, vt Petrum, Apoſtolorum Principem, ſalutaret. Nec potuit continere ſe, quin publicè Ieroſolymis, etiamſi cum magno vitæ periculo, Iudæis, ac Gentibus Chriſtum prædicaret. Diſcedens venit Cæſaream Phœniciæ, deinde Tharſum Ciliciæ: à Tharſo cum Barnaba profectus eſt Antiochiam: inde ab Eccleſia Antiochena legatus cum Barnaba miſſus eſt Ieroſolymam, ferens collectas pro pau-

n *Act. c. 9. v. 6.*

o *S. Amb. in c. 1. Ep. ad Gal. v. 15.*

peribus eleemoſynas. Diſtributis Ieroſolymæ eleemoſynis tẽpore famis vniuerſalis, qua potiſſimùm fideles affligebantur, qui erant in Ieruſalem, ſtatim rediit Antiochiam, vnde à Spiritu ſancto miſſus eſt Seleuciam, nec multò pòſt nauigauit ad Inſulam Cypri. A Cypro per Pamphyliam, Piſidiam, Lycaoniam, tertiò Ieroſolymã eſt reuerſus, vt ibi primo Concilio apoſtolico intereſſet, quod eodem zelo gloriæ diuinæ, & pacis Eccleſiarum congregari procurauerat. Ieroſolymam relinquens cum Sila, & Barnaba Syriam peragrauit, poſteà Ciliciam, tum Phrygiam, deinde Galatiam, & Myſiam. Inde peruenit Troadem, vbi angelica viſione admonetur tranſire in Macedoniam. Europam Ægeo mari ſuperato cùm eſſet ingreſſus, Bœotiam pertranſiuit, Achaïam circumiuit, Epirũ viſitauit, vbique Chriſtum annuncians, edens miracula, Eccleſias fundans, fideles innumerabiles Eccleſiæ adiungens: ita vt, ſicut ipſe ait ad Romanos ſcribens [p], in virtute ſignorum, & prodigiorum, operante Spiritu ſancto, ab Ieruſalem in circuitu vſque ad Illyricum, omnes regiones Euangelij prædicatione repleuerit. Rediit poſt hæc iterum Ieroſolymam, inde tranſmiſſus eſt vinctus Romam: ſed verbum Dei, vt ipſe inde ſcripſit, nunquam fuit alligatum: liber à catena dimiſſus, Italiam, Galliam, Hiſpaniam peragrauit. Regreſſus inde longo tractu marium ac terrarum, Orientis Eccleſias denuò viſitauit, & ab Oriente reuerſus in Occidentem, cum Apoſtolo Petro iterum Romam venit, vt primariæ Chriſti Eccleſiæ à ferociſſimo Nerone afflictæ ſuccurreret, atque ibi tandem aliquando poſt tot labores, ærumnas, diſcrimina, etiam ſanguinem, ac vitam pro Chriſti gloria, & animarum ſalute profunderet.

p Rom. c. 15. v. 19.

Quapropter exponens S. Gregorius [q] verba illa Ezechielis à Deo Prophetę dicta: *Sume tibi ſartaginem ferream, & pones eam in murum ferreum inter te, & ciuitatem*, ſartaginẽ hãc interpretatur eſſe zelũ animarũ talẽ, qualem habuit S. Paulus. *Quã benè* (inquit) *ſartaginem ferream Paulus aſſumpſerat, cùm zelo animarum cruciatus dicebat* [r]: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Ipſum ſuum cor, quod animarum zelo ſuccenderat, quid aliud quàm ſartaginem fecerat, in quo amore virtutum contra vitia ardebat. Quod enim vrebatur, ſartago erat: inardeſcebat enim, quia incendebatur amaritudine, ſed virtutum alimẽta praparabat ex ſua afflicta cogitatione. Nullũ quippe omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt Zelus animarũ.* Hæc & alia plura de zelo apoſtolico S. Gregorius. Cenſet autem S. Auguſtinus zelum, ſiue zelotypiam, vt Græci dicunt, Latini verò æmulationem, ab affectu maritali, quo propriè vir de vxoris ſuæ caſtitate nimis redditur ſollicitus, eſſe tranſlatam appellationem: explicans enim illa in Exodo Moyſis verba [s]: *Noli adorare Deum alienum, Dominus zelotes nomen eius, Deus æmulator.* ſic ait [t]: *Quod zelans & zelator dicitur Deus, hoc verbo indicat non impunè plebem ſuam per alienos Deos fornicaturam. Ductum eſt enim verbum à Zelo maritali, quòd caſtitatem cuſtodit vxoris* [u]. *Nam, quia coniugis caſtitatem Zelãdo viri cuſtodire conſueuerunt; illam Dei prouidentiam, per quam præcipitur, atque agitur, ne anima corrumpatur, & Deos alienos ſequens quodammodo meretricetur, Zelum Dei appellauerũt.* Quapropter S. Paulus, vt virtutem zeli, qui in viris erga vxores ſolet eſſe maximus, & quẽ in ſe ipſe experiebatur erga Chriſti ſpõſam Eccleſiam Corinthiorum exprimeret, ſic ad Corinthios ſcripſit [x]: *Ti-*

q S. Greg. in Ezech. c. 4. hom. 12.

r 2. Cor. c. 11. v. 19.

s Exod. c. 34. v. 14.

t S. Aug. l. 2. in Exod. c. 158.

u Idem l. 83 qq. q. 52.

x 2. Cor. c. 11. v. 1. 2.

nam

ſtam ſuſtineretis modicum quid inſipientia mea; ſed & ſupportate me; æmulor enim vos Dei æmulatione: deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. *Non dixit*, ait S. Chryſoſtomus [y], *Diligo enim vos. ſed, quod his multò vehementius erat, Zelotypus enim ſum erga vos. Zelotypæ enim ſunt animæ, quæ immodico dilectorum amore flagrãt: & nõ aliunde naſcitur zelotypia, quàm ex amore vehementi. Ad hæc, ne putarent, quòd vel dominationis, vel honoris, vel diuitiarũ, vel aliquorũ iſtorum gratia amicitiam expetat Corinthiorũ, adiecit, dicẽs: Zelo Dei. Talis eſt enim Dei zelus, talis & meus eſt, magnus, videlicet, & purus. Deſpondi enim vos: itaque non mihi ipſi, ſed illi, cui vos deſpondi, zelotypus ſum. Virginẽ caſtam exhibere Chriſto. O noua res! in mundo virgines manent ante nuptias, poſt nuptias non item: hîc autem non ſic: nam, licèt non ſint virgines ante nuptias; poſt nuptias tamen virgines fiunt. Sic omnis Eccleſia virgo eſt. Hæc enim Apoſtolus omnibus dixit, & coniugatis, & non coniugatis Eccleſiæ Corinthiorum.* Ita Chryſoſtomus. Ex hoc itaque zelo minabatur Apoſtolus perturbatoribus Eccleſiæ Corinthiorum [z], ſe ad illos venturum in virga ſeueræ correctionis, & mandauit inceſtuoſum quendam publicè in Eccleſia excommunicari, tradens illum Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret. Hoc zelo cùm veniſſet ad Inſulam Cyprum, & Magum Elymam ibi offendiſſet quærentem auertere Proconſulem à Chriſti fide [a], *repletus Paulus Spiritu ſancto, intuens in eum dixit: O plene omni dolo, & fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas?* Et confeſtim cecidit in magum tetra oculorum caligo, vt cæcus circumiens quæreret, cui manus daret. Hoc zelo Ananiæ ini-

y hom. 23. in Ep. ad Cor.

z 1. Cor. c. 4. v. 21. & c. 5. v. 6.

a Act. c. 13. v. 8. & 9.

quo Pontifici non tam mala imprecatus, quàm ab irato Numine ſuperuentura denuncians, dixit [b]: *Percutiet te Deus, paries dealbate: & tu ſedens iudicas me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti.* Neque verò ipſe tantùm huiuſmodi zelo iuſtiſſimo & perfectiſſimo opportunè incendebatur; ſed & alios eodem ſtudebat accendere, præſertim Eccleſiæ Paſtores, & quibus cura commiſſa eſſet animarum. Propterea Timotheum inſtruens, dicebat [c]: *Peccantes coram omnibus argue: vt & cæteri timorem habeant.* Et infrà [d]: *Prædica* (inquit) *verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.* Et ad Titum ſimiliter ſcripſit [e]: *Sunt enim* (inquit) *multi inobedientes, vaniloqui, & ſeductores, quos oportet redargui. Quamobrem increpa illos durè, vt ſani ſint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis.* Quia tamen hic zelus erat effectus perfectiſſimæ charitatis, apparebant non rarò cum acrimonia mixtæ plures & apertæ materni amoris ſignificationes. Itaque Galatas quidem ſic obiurgabat [f]: *O inſenſati Galatæ, qui vos faſcinauit non obedire Euangelio?* Sed totum ſtatim inferiùs mitigauit, dicens [g]: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Sicut Angelum Dei excepiſtis me, & ſicut Chriſtum* IESVM. *Vbi eſt ergo beatitudo veſtra? teſtimonium enim perhibeo vobis, quia, ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi. Ergo inimicus vobis factus ſum verum dicens?* Hortabatur Epheſios, vt arcerent Hæreticos ab Eccleſia, & cauerent ſibi à talibus ſeductoribus: ſed multas addebat lacrymas [h]: *Per trienniũ*, inquit, *nocte & die* non

b Act. c. 23. v. 3.

c 1. Tim. c. 5. v. 20.

d 2. Tim. c. 4. v. 2.

e Tit. c. 1. v. 11. 13.

f Gal. c. 3. v. 1.

g ibid. c. 4. v. 19. 14. 15.

h Act. c. 20. v. 31.

non ceſſaui monens cum lacrymis vnumquemque veſtrûm. Cautos eadem ratione Philippenſes reddebat à talibus improbis, nec ſine fletu [l]: *Multi enim ambulant* (inquit) *quos ſæpè dicebã vobis, nunc autẽ & flens dico, inimici Crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorũ Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum.* Mandauit excommunicari ſcandaloſum in Eccleſia Corinthiorum; ſed Epiſtolam ea de re ſcripſit multis lacrymis inſperſam: ſic enim in illa teſtatur [k]: *Ex multa tribulatione, & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lacrymas.* Denique cùm zelus velvti armiger ſit charitatis, Paulus eo plenus, non ſeipſum modò, ſed etiam omnes alios fideles quocunque genere armorum ſpiritualium contra inſidias Dæmonum inſtructos eſſe volebat. Vnde hortabatur Epheſios [l]: *Induite vos armaturã Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli.* Tradebat illis pro lorica iuſtitiam, pro ſcuto fidem, pro galea ſpem, pro gladio verbũ Dei, quo, vt ipſemet in primis vti ſtrenuè, ac fortiter poſſet, impetrari ſibi à Deo per orationes Eccleſiæ poſtulabat, etiam in carcere, & catena pro Chriſto conſtitutus. Quare dicebat: *Vigilate in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus Sãctis, & pro me, vt detur mihi ſermo in apertione oris mei cum omni fiducia, notum facere myſteriũ Euangelij, pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipſo audeã, prout oportet, me loqui.* Id autẽ quàm feruentĩ zelo ab eo præſtaretur, indicant illa verba ad Corinthios [m]: *In neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate, in ſcientia, in lõganimitate, in ſuauitate, in Spiritu ſancto, in charitate nõ ficta, in virtute Dei, per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam: vt ſeductores, & veraces: ſicut qui ignoti, & cogniti: quaſi morientes, & ecce viuimus.* Sed de zelo Apoſtoli cùm multo plura dici poſſent, hæc erunt pro noſtro inſtituto ſatis.

[l] Philip c. 3. v. 18.
[k] 1. Cor. c. 5. v. 4.
[l] Epheſ. c. 6. v. 11. & 19.
[m] 2. Cor. c. 6. v. 5. & 7.

CAPVT V.

De ſumma eius prudentia, & diſcretione ſpiritus.

QVia zelus ſine prudentiæ temperamento non tam ſolet prodeſſe, quam officere; ſicut ipſa prudentia ſine zelo ferè languet ac friget; ideò ſolertiſſimè S. Paulus vtrunque coniunxit, & eos, qui hæc diſiungerent, ſæpè redarguit [a]: *Æmulantur,* (inquit ad Galatas,) *ſed non benè: bonum autem æmulamini in bono ſemper* [b]. Et ad Corinthios: *Æmulamini charìſmata meliora.* Ad Romanos verò [c]: *Teſtimonium* (inquit) *perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent; ſed non ſecundùm ſcientiam:* nempe, illam ſcientiam voluit ſignificare, de qua dixit Salomon [d]: *Scientia Sanctorum prudentia.* Quapropter ipſam prudentiæ virtutem definiuit S. Auguſtinus [e], *eſſe ſcientiam rerum bonarum, & malarum, ac neutrarum.* Et S. Baſilius [f]: *Prudentiam* (inquit) *vnam ex virtutibus præclaris exiſtere palam eſt, qua bonorum, & malorum, ac indifferentium nos homines ſcientes reddimur.* Hæc eadem virtus diſcretio ſpiritus appellatur, quatenus non ſolùm quæ mala, quæ bona, quæ meliora ſint, in ſingulis diiudicat atque diſcernit, ſed etiam quæ vni magis conducibilia ſint, quàm alteri, & quo quiſque ſpiritu moueatur, quove dirigendus ſit, internoſcit. *Diſcretio ſuppe* (ait S. Bernardus [g]) *omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decorem,*

[a] Gal. c. 4. v. 17. 18.
[b] 1. Cor. 12. v. 31.
[c] Rom. c. 10. v. 2.
[d] Prou. 9. v. 10.
[e] S. Aug. lib. 83. qq. q. 30.
[f] S. Baſil. hom. 12. in Prou.
[g] S. Ber. ſer. 49 in Cant.

decorem, etiam & perpetuitatem. Eſt ergo diſcretio non tam virtus, quàm quadam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrix affectuum, & motuũ doctrix. In ea quantopetè S. Paulus excelluerit, ex triplici capite hìc oſtenſuri ſumus: primùm ex eo, quòd optimè nouerit hominum ingeniis, quantumuis inter ſe variis, ac diuerſis, pro illorum ſalute mira prudentia ſe accommodare: deinde virtutes quaſcunque, licèt quodammodo contrarias, ſecúmque pugnantes, omnium vbique libramenta conquirens & extrema declinans, perfectiſſimè conciliabat: tertiò, quia prudentiam & diſcretionem ſpiritus aliis quoque affatim communicabat, & iis maximè, quos in animarum cultura ſocios ſibi adiungebat.

In primis itaque tanta egit cũ Iudæis, ac Gentilibus dexteritate, vt, quantùm æquitas permittebat, & lex diuinæ charitatis ſuadebat, videtetur Iudæus cum Iudæis, & cum Gentilibus factus eſſe Gentilis: quare dicebat [h]: *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.* Et ideò Timotheum ex Iudæa matre natum in gratiam Iudæorum voluit circuncidi: Titum autem noluit vnquam permittere, vt circunciderctur, ne Gentiles inde putarent, Sacramentum Circunciſionis adhuc eſſe neceſſarium, & ad legem quoque euangelicam pertinere. Quinimò coacto Ieroſolymis ea de re vniuerſali Concilio inſtitit, vt omninò definiretur, nullo modo Iudæos teneri, & multò minùs Gentiles, euangelicam legem ſuſcipientes, neque circunciſionem, neque alias Moſaïcas veteris legis cæremonias obſeruare. In hanc ſententiam exponens S. Gregorius illa veiba Iob [i]: *Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam?* applicat hoc dictum Eccleſiæ fundationi opera Apoſtolorum, & præcipuè S. Pauli, iuxta regulas diuinæ prouidentiæ, ac diſcretionis. *Nam* (inquit [k]) *lineam diſcretionis benè ante intuẽtium oculos Paulus tetendit, qui & Gentiles ad libertatem fidei venientes circuncidi prohibuit; & tamen Lyſtris, atque Iconium tranſiens, ipſe Timotheum, qui ex Gentili patre editus fuerat, circuncidit. Videns enim, quod niſi ſe mandata literæ ſeruare oſtenderet, Iudæorum rabiem, etiam in his, qui ſibi tunc comites aderant, excitaret; aſſertionis ſuæ vim poſtpoſuit, & ſine damno fidei ſe, ſuóſque comites à perſecutionis immanitate cuſtodiuit. Fecit, quod fieri fidei amore prohibuit: ſed ad fidei retorſit miniſterium, quod quaſi non fideliter fecit. Plerunque enim virtus, cùm non diſcretè tenetur, amittitur; cúmque diſcretè intermittitur, plus tenetur.* Idem S. Doctor in tertia parte libri ſui de cura paſtorali, quæ tota eſt de hac prudentia, & diſcretione ſpiritus circa regimẽ animarum, plurima & inſignia eruit ex S. Paulo documenta, pro diuerſa qualitate, moribus, & conditionibus perſonarum. Nam, vt præcipua quædam hîc afferamus, quomodo agendum ſit cum ſenibus, quomodo cum iuuenibus, tum viris, tũ mulieribus, inſtruit Timotheum his verbis [l]: *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra, vt patrem; iuuenes, vt fratres; anus, vt matres; iuuenculas, vt ſorores in omni caſtitate. Viduas honora, quæ verè viduæ ſunt.* Pauperes animandos, & in ſpem erigendos: diuites autem grauiter de periculis propriæ ſaluris admonendos ſic docet ad eundem Timotheum ſcribẽs [m]: *Quæſtus magnus eſt pietas cum ſufficientia: nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quid poſſumus: & qui volunt diuites fieri, incidũt in tentationes, & laqueum Diaboli.* Tũ addit inferiùs: *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare*

h 1. Cor. c.9.v.22.
i Iob c. 38.v.5.
k S. Greg. l. 28. mor. c.7.
l 1. Tim. c.5.v. 1. 2.3.
m 1. Tim. c.6.v 6. & 17.

in incerto diuitiarũ: diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere. Quales formari debeant domini erga ſeruos, & ſerui erga dominos, patres erga filios, & filij erga parentes, viri erga vxores, & viciſſim mulieres erga proprios vi-
n Coloſſ. ros, ita docet ſcribẽs ad Coloſſẽſes[n]:
c.3.v.18. *Mulieres, ſubditæ eſtote viris, ſicut opor-*
19 20. *tet in Domino. Viri, diligite vxores ve-*
21. 22. *ſtras, & nolite amari eſſe ad illas. Filij, obedite parẽtibus per omnia. Patres, nolite ad indignationẽ prouocare filios veſtros, vt non puſillo animo ſint. Serui, obedite per omnia dominis carnalibus, ſicut Domino, & non hominibus*[o]*. Do-*
o ibid. c. *mini, quod iuſtum eſt, & æquum ſeruis*
4.v.1. *præſtate; ſcientes, quòd & vos Dominum habetis in cælo.* Qua ratione agendum ſit cum ſapientibus, & qui nimis de humana ſcientia inflãtur, qualiter verò ſit agendũ vice verſa cũ ſimplici-
p 1. Cor. bus, tradit ita ad Corinthios ſcribẽs[p]:
c.3.v.18. *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens: ſapientia enim huius mundi, ſtultitia eſt*
q 1. Cor. *apud Deum*[q]*. Et videte vocationẽ ve-*
c.1.v.26. *ſtrã, fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnẽ, nõ multi potẽtes, nõ multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat fortia.* Tũ ſe nõ minùs iſtos, quàm illos inſtruere, paratũ eſſe profitetur, dicẽs[r]: *Sapientibus &*
r Rom. c. *inſipientibus debitor ſũ.* Durius agendũ
1.v. 14. cũ peccantibus, molliùs cũ pœnitentibus, & peccata emẽdantibus, docet
s Gal. c. ita ſcribẽs ad Galatas[s]: *O inſẽſati Ga-*
4.v.1. *latæ, quis vos faſcinauit?* Ad Philippenſes verò[t]: *Gauiſus ſũ* (inquit) *in Domi-*
t Philip. *no vehementer, quoniam tandẽ aliquan-*
c.4.v.10. *do refloruiſtis ſentire pro me.* Amantiſſimè Corinthiis de pœnitentia gratu-
u 2. Cor. latur, dicẽs[u]: *Nunc gaudeo, nõ quia cõ-*
c.7.v. 9. *triſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad*
& 13. *pœnitentiam. In conſolatione autẽ noſtra abundantiùs magis gauiſi ſumus ſuper gaudio Titi, quia refectus eſt ſpiritus eius ab omnibus vobis: & ſi quid apud illum de vobis gloriatus ſum, nõ ſum confuſus.*

Agendum cum debilibus, & corpore, vel animo infirmioribus aliquantò remiſſiùs; cum firmioribus verò ardentiùs, ſæpè docuit: itaque Timotheo
potum aquæ prohibuit ſcribens illi[x]: x 1. Tim.
Noli adhuc aquam bibere; ſed modico c.5.v.
vino vtere propter ſtomachum, & fre- 23.
quentes tuas infirmitates. Cùm tamen interim ipſe non niſi aquam biberet,
& de ſe diceret[z]: *Ego ſic pugno, non* z 1. Cor.
quaſi aërem verberans: ſed caſtigo cor- c.9.v.
pus meum, & in ſeruitutem redigo. Et 26.
alibi adhortatur[y]: *Ecce nunc tempus* y 2. Cor. c.6.v.2.
acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: in 4. 5.
omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in vigiliis, in ieiuniis, &c.
Et alibi[a]: *Qui autem* (inquit) *ſunt Chri-* a Gal. c.
ſti, carnem ſuam crucifixerũt cum vitiis, 5.v. 24.
& concupiſcentiis. Terrendos eſſe proteruos, & obſtinatos; pios verò timore depoſito in ſpem erigendos, oſtendit, vbi ad Romanos ſcribens in perfidos
ita inuehitur[b]: *An diuitias bonitatis* b Rom. c.
Dei, & patientiæ, & longanimitatis 2.v.4.
contemnis? ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thezaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. Et tamen poſteà in eadem Epiſtola ſic
pios fideles alloquitur[c]: *Vos in carne* c Rom. c.
non eſtis, ſed in ſpiritu. Non enim acce- 8.v.9. &
piſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timo- 15.
re; ſed accepiſtis ſpiritum filiorum Dei.
Et ad Philippenſes[d]: *Confidens* (ait) *hoc* d Philip.
ipſum; quia, qui cœpit in vobis opus bo- c.1.v.6.
nũ, perficiet vſque in diem Chriſti Iesv, *ſicut eſt mihi iuſtum hoc ſẽtire pro omnibus vobis: eò quod habeam vos in corde.* Aliter hortandos, qui parci ſunt, & illiberales: aliter qui faciles ſunt & profuſi in eleemoſynis largiendis. Il-
los enim ſic monet[e]: *Qui parcè ſe-* e 2. Cor.
minat, parcè & metet: & qui ſemin. t c 9 v.6.
in benedictionibus, de benedictionibus & metet.

f ibid. c. 8. v. 11.

uetet. Iſtis autem ait [f]: *Si voluntas prōpta eſt, ſecundùm id, quod habet, accepta eſt, nō ſecundùm id, quod non habet. Non enim vt aliis ſit remiſſio, vobis autē tribulatio, ſed ex æqualitate.* Ieiuniis & abſtinentiæ deditos non debere ſibi nimiùm in ea re placere, & alios ob id contemnere: at verò minùs abſtinentes, aut lautiùs viuentes non debere ieiunantes faſtidire, monet his

g Rom. c. 14. v. 3. & 6.

verbis [g]: *Qui manducat, non manducātem non ſpernat; & qui non manducat, manducantem non iudicet. Qui manducat, Domino mâducat: gratias enim agit Deo: & qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.* Interim

h Rom. c. 14. v. 21.

magis ad abſtinentiam adhortatur [h]: *Bonum eſt* (inquit) *non manducare carnem, neque bibere vinum,* præſertim ad

i ibid. c. 14. v. 15.

ſcandalum euitandum [i]. *Si enim* (ait) *Frater tuus propter cibum contriſtatur, iam non ſecundùm charitatem ambulas. Noli cibo tuo illū perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Addit exemplū ſuum,

k 1. Cor. c. 8. v. 13.

dicens [k]: *Quapropter, ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne ſcandalizem fratrē meū.* Vexatas à ſcrupulis conſciētias,

l Rom. c. 14. v. 22.

ne decipiātur, ſic inſtruit [l]: *Beatus, qui nō iudicat ſemetipsū in eo, quod probat,* (falſo, nēpe, iudicio erroneæ cōſcientiæ in re aliàs licita & honeſta.) *Qui autem diſcernit, ſi manducauerit, damnatus eſt, quia non ex fide: omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Quaſi diceret: Caueant huiuſmodi perturbatæ cōſcientiæ, ne inter comedēdū, aut aliquid aliud ex ſe honeſtū ac licitum agendum, falſo dictamine propriæ fidei culpam vereantur, vbi culpa non eſt: quia niſi hoc vano timore depoſito operentur, in eam, quæ aliàs nulla culpa fuiſſet, iam ſibi culpam redditam propter conſcientiæ errorem, incurrent.

In eo autem ſingularis Pauli prudētia, & ſapientia maximè elucebat, quòd ſapiētioribus magiſtrum ſe exhibebat ſapientiſſimum [m]: *Sapiētiam enim,* dicebat, *loquimur inter perfectos,*

m 1. Cor. c. 2. v. 6.

quibus regulas tradebat perfectionis exactiſſimas, vt æmularentur ſemper charismata meliora [n]. *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro,* dicebat

n ibid. c. 12. v. 31.

Corinthiis, idque nō doctrina ſolùm, ſed exemplo potiſſimùm in ſeipſo exprimebat: quæ enim maior perfectio dari poteſt in hac vita, quā nulla aduerſitate, nulla proſperitate, nulla re viſibili, aut inuiſibili, neque etiā ſpirituali, & angelica poteſtate à Chriſti charitate poſſe vllatenus ſeparari? Et tamen ita ſe rudibus, & imperfectis accommodabat, vt ab ingreſſu pietatis, & progreſſu Chriſtianæ perfectionis neminem deterreret. *Opto apud Deum,* (dicebat catena vinctus apud Agrippam Regem [o],) *& in modico, & in magno non tantùm te, ſed etiā omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego ſum, exceptis vinculis his. Quid dicis, ô Paule,* (ait S. Ioānes Chryſoſtomus [p],) *vbique catenā circunfers, vbique vincula proponis, & de iis vbique gloriaris: in iudiciū autem veniens, diſciplinā perdidiſti?* Tum addit reſponſionem dicēs: *Non ex anxietate, vel timiditate hoc Paulus faciebat; ſed ex ſapiētia multa, & ſpirituali prouidētia: nā ad Gentilem loquebatur, & infidelem, nec noſtra ſciētem. Nolebat igitur ipſum per grauia inducere, ſed quod alias dicebat* [q]: *Factus ſum carentibus lege tanquam ſine lege. & hoc hîc faciebat. Si vincula audierit* (inquit) *& tribulationes, ſtatim refugiet, cùm vinculorum virtutē non nouerit. Fiat priùs fidelis, & prædicationē guſtet, & tūc ipſe quoque ad hæc vincula curret. Audiui Dominū Deū dicentē* [r], *quòd nemo imponit indumentum panni illoti ſuper veſtimentum vetus, quoniam tollit plenitudinē ipſius, & peior ſciſſura fit. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, quoniam dirumpuntur*

o Act. c. 26. v. 29.

p Chryſ. hom. 16. ad pop. Antioch.

q 1. Cor. c. 9. v. 21.

r Matth. c. 9. v. 16.

vtres. Anima huius eſt veſtimentũ vetus, & vter antiquus, non eſt renouatus fide, debilis adhuc eſt, & te renus, mundana ſapit, & ad mundanam vanitatẽ expandi ſt, gloriam amat præſentẽ. Si a primordiis ſtatim audiuerit, quod factus Christianus captiuus mox fiet, & catena circumdabitur, confuſus, & reuéritus à prædicatione reſiliet, proptereà dicit: Abſque vinculis his; nõ ipſe vincula recuſans, abſit: ſed illius condeſcendens infirmitati, quoniam ſic ipſe illa diligit, & illa amplectitur, vt ambitioſa mulier monilia ſua. Huc vſque Chryſoſtomus. Sed non minùs enituit Apoſtoli Pauli diſcretiſſima prudentia in conciliandis iis inter ſe virtutibus, quæ per extrema quaſi contraria ſecum pugnare videri potuiſſent: vt cum zelo iuſtitiæ tanquam Iudicis ſeueriſſimi, lenitatem paternæ, maternæque charitatis (id, quod exemplis aliquot anteà recenſitis ſatis fuit oſtenſum;) eximiam erga maiores, & in poteſtate, ſiue temporali, ſiue eccleſiaſtica conſtitutos obſeruantiam, & ſummã in cauſa Dei libertatem. Adeò vt S. Petro, cui tanquam Christi Vicario plurimùm deferebat, in faciem aliquando ſe reſtitiſſe ſcribat ad Galatas[s]: ad quem tamen ſe veniſſe ait in eadem Epiſtola Ieroſolymam, tum honoris gratia, tum vt cum illo conferret Euangelium ſuum: *Ne fortè* (inquit) *in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* Nihil magis habebat in votis, quàm pro Chriſto deſpici, affligi, torqueri, plurima pati; ideò dicebat[t]: *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quòd tribulatio patientiam operatur.* Et alibi[u]: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto.* & iterum alibi[x]: *Omnia ſuſtineo propter electos.* Et tamen ſuſtinere noluit Ieroſolymis[z], cùm iuſſu Centurionis adſtrictus loris erat iam flagellandus: ſed exclamauit, ciuem ſe eſſe Romanũ, quem virgis cædi leges Romanorum nõ ſinebãt. Sed & hoc non niſi propter electos, ne qui erãt in fide debiliores, c. o tantam magiſtri cõtumeliam ſcandalum paterentur, & perfidi Iudæi euaderẽt inſolentiores. Eadem ratione, dum Philippis in carcere ſimul cũ Sila detineretur, ianuis licèt apertis, exire inde recuſauit, ſed voluit publicè, & honorifice dimitti ab ipſo adueniente Magiſtratu[y]: *Cæſos nos publicè, indemnatos* (dicebat) *homines Romanos miſerũt in carcerem, & nunc occulte nos eiiciunt? Non ita; ſed veniant, & ipſi nos eiiciant.* videlicet, vt ea ratione declararetur eorum innocentia, & omnibus conſtaret, nonniſi propter ſanctum Euangelium, & inculpabilia Chriſtianæ religionis inſtituta eos talia pati. Vnde monebat fideles S. Petrus[a]: *Nemo veſtrũ patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorũ appetitor: ſi autẽ vt Chriſtianus, nõ erubeſcat; glorificet autẽ Deũ in iſto nomine.* Erat Apoſtoli conuerſatio in cœlis[b]: *Noſtra autem cõuerſatio,* dicebat ipſe, *in cœlis eſt*, quò non animo tantũ aſſidua rerũ ſupernarũ contemplatione ferebatur, ſed aliquando etiã raptus eſt corpore in Paradiſũ[c], & audiuit arcana non referanda mortalibus: & tamen ex tanta rerũ ſublimitate vſque adeò ſe demittebat pro curatione animarũ, vt admonere coniugatos nõ vereretur, dicẽs[d]: *Propter fornicationem vnuſquiſque propriã vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum habeat. Vxori vir debitum reddat, ſimiliter & vxor viro. Nolite fraudare inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.* Et tamen valdè optaſſet, omnes (ſi fieri potuiſſet) non ſolùm in cœlibatu, ſed etiam in virginitate perſiſtere.

s Gal. c. 2. v. 11 & c. 1. v. 18.

t Rom. c. 5. v. 3.

u 2 Cor. c. 12. v. 10.

x 2. Tim. c. 2. v. 10

z Act. c. 22. v. 25.

y ibid. c. 16. c. 37.

a 1. Petri c. 4. v. 15.

b Philip. c. 3. v. 20.

c 2. Cor. c. 12. v. 4.

d 1. Cor. c. 7. v. 2.

c 1.Cor. c.7.v.7. perſiſtere. *Volo enim* (dicebat [c]) *omnes vos eſſe, ſicut meipſum: ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius verò ſic.*

Hunc ipſum ſanctæ diſcretionis, & veræ prudentiæ ſpiritũ alios edocebat, vt a falſa prudentia longè deflecterent, quam S. Iacobus appellat [f] terrenam, animalem, diabolicam: ipſe autem vocat carnalem, & mortiferam [g]: *Prudentia carnis* (inquit) *mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita, & pax.* Hæc volebat fideles ſibi inuicem proſpicerent [h]: *Contemplantes, ait, ne quis deſit gratiæ Dei. Vt non claudicans quis erret; magis autem ſanetur.* Hac monet corrigendos eſſe aliorum defectus, dicens [i]: *Fratres, etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.* Hac demũ eſſe præditos eos potiſſimùm volebat, quibus animarum cura ex officio committebatur, ſicut in SS. Epiſcopis, Timotheo, & Tito, declaratum eſt, quos in hac artium arte, vt eam appellat S. Gregorius, reddidit inſtructiſſimos. Quia verò Timotheum nouerat eſſe ardentiorem, Titum autem leniorem, illum quaſi fræno continebat in officio, & munere paſtorali, dicens [k]: *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia.* Hũc autẽ veluti calcaribus incitabat, cùm diceret [l]: *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio: nemo te contemnat. Quid eſt* (ait S. Gregorius [m]) *quòd doctrinam ſuam Apoſtolus tanta arte diſpenſat, vt in hac exhibenda, alteri imperium, alteri patientiam proponat? niſi quòd manſuetioris ſpiritus Titum; & paulò feruentioris vidit eſſe Timotheum: illum per æmulationis ſtudium inflammat; hunc per lenitatem patientiæ temperat. Illi, quod deeſt, iungit; huic, quod ſupereſt, ſubtrahit. Illum ſtimulo impellere nititur; hunc fræno moderatur.* Sed nimis longum eſſet huiuſmodi cœleſtem prudentiam in omnibus, tum dictis, tum factis Pauli examinare. *Poteſtis* (ait ipſe ad Epheſios ſcribens [n]) *legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti.* & infrà: *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt hæc gratia, illuminare omnes.* Quapropter meritò S. Ioannes Chryſoſtomus [o] Paulum appellat cœlum, virtutum ſtellis, & Sole prudentiæ, ac ſapientiæ præfulgidum, archetypum omnium bonorum, & Chriſti Oeconomum, cui vniuerſam ipſe Dominus conceſſerit animarum ad ſalutem, & perfectionem dirigendarum eruditionem, atque doctrinam.

f S. Iacobus c. 3. v. 15.
g Rom. c. 8. v. 6.
h Hebr. c. 12. v. 13. 14. 15.
i Gal. c. 6. v. 1.
k 2. Tim. c. 4. v. 1.
l Tit. c. 2. v. 15.
m S. Gregor. 3. p. paſtor. admon. 17.
n Epheſ. c. 3. v. 4. & 8.
o Chryſoſt. hom. 4. de laud. S. Pauli.

CAPVT VI.

De inuicta eius fortitudine, ac patientia.

PEr virtutem fortitudinis non rarò ſancti Patres eam intellexerunt, quæ animi firmitudinẽ, & conſtantiam quandam efficit in exercitatione cuiuſcunque virtutis. Nam, vt Poeta [a] quoque affirmauit, & eſt cõmunis doctrina Philoſophorum,

Tendit in ardua virtus.

In quam ſententiam S. Ambroſius tertio libro de Officiis: *Illa* (inquit) *ea fortitudo vocatur, quando vnuſquiſque ſeipſum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur, non aduerſis perturbatur, non extollitur ſecundis, & quaſi quadam variarum rerum mutatione circunfertur.* Sed hæc fortitudo non eſt virtus peculiaris, nec ab aliis diſtincta virtutibus, quarum vnaquæque, ſi perfecta ſit, habitúque confirmato, conſtanter circa

a Ouid. 2. de Ponto.

propriam materiā operatur. Nos verò de alia particulari virtute fortitudinis hic agimus, quę vna ex quatuor Cardinalibus poſt prudentiam numeratur, eáque rectè animus obfirmatur contra omnia terribilia, ſiue aggredienda, ſiue ſuſtinenda. Vnde à S. Auguſtino definitur [b]: *Fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio.* Habet itaque duas partes, & officia; nempe, aggredi, & ſuſtinere: & iuxta primum aggrediendi terribilia, fortitudo peculiariter appellatur: iuxta ſecundum verò, ſuſtinendi acerba, propriè dicitur patientia: hæc autem acerba, quatenus grauia, patientiam; quatenus varia, conſtantiam; quatenus diuturna, perſeuerantiam exigunt; quæ partes ſunt eandem virtutem fortitudinis integrantes [c]. In his autem omnibus vt abſolutiſſimam Apoſtoli Pauli perfectionem oſtendamus, ab aggreſſione periculorum, & frequentium, & maximorum incipiemus. Vix ab Anania Sacramentum Baptiſmi ſuſceperat, cùm exiens domo, per ciuitatem Damaſci aggreſſus eſt publicè Chriſtum Iudęis prædicare [d], non ſine vitæ periculo manifeſto, intrans eorum Synagogas, redarguens, & confundens obſtinatos: adeò vt clauſis portis ciuitatis, ad necem quæreretur: & tamen vix à fidelibus perſuaderi ſibi paſſus eſt, vt noctu per murum in ſporta dimiſſus à tanto diſcrimine ſe ſubduceret. Venit poſteà Ieroſolymam, & iterum cum euidenti capitis periculo cœpit concionari [e]. *Loquebatur quoque Gentibus* (ait S. Lucas) *& diſputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum. Quod cùm cognouiſſent fratres, deduxerunt eum Cæſaream, & dimiſerunt Tarſum.* Rediit iterum Ieroſolymam [f], vt afflictos fideles, & bonis ſuis expoliatos, col-

b S. Auguſt. lib. 83. qq. q. 31.
c S. Th. 2. 2. q. 128. & 137.
d Act. c. 9. v. 20.
e ibid. v. 29.
f ibid. c. 11. v. 30.

lectis eleemoſynis adiuuaret. Venit Antiochiam Piſidiæ, vbi more ſuo ingreſſus Synagogam audacter perfidiā Iudæorum redarguebat, etiam in ea verba contra obſtinatos progreſſus [g]: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; ſed, quoniam repelliris illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.* Et cùm impetu facto contra ipſum, & Barnabam, eiicerentur è finibus eorum, excuſſo pedum puluere contra illos, venit Iconium. Iconij denuò propter Euangelij prædicationem obiecit ſe periculo grauiſſimo [h], ne lapidibus occideretur. Inde veniens Lyſtram [i], poſt edita ibi miracula, & recuſatos diuinos honores, ita lapidibus eſt obrutus, vt velvti hominis demortui cadauer extra ciuitatem relinqueretur: nec tamen ob id cedens, ſed miraculo diuino ſtatim conſurgens iterum Lyſtrenſem ingreditur ciuitatem, nec multò pòſt Iconium, & Antiochiam reuertitur, vnde fuerat eadem crudelitate reiectus. Similia Philippis expertus eſt [k], dum contra peruerſam ciuium voluntatem, puellam Pythoniſſam ab iniquo Dæmone liberaret. Theſſalonicæ poſteà [l], & inde Berœæ, ingreſſus eodem zelo Synagogas Iudæorum, iterum furorem Iudaïcum in ſe concitauit. Poſt hæc Athenas profectus, non ſolùm in publico foro aggreſſus eſt cum Epicureis, cum Stoïcis, cum Iudæis diſputare [m]; ſed etiam in medio Areopago, in iudicio totius Orbis terræ tunc ſeueriſſimo, vbi de noua religione, vel cultu Deorum immutando agere prorſus capitale habebatur. Nec tamen quidquam eſt veritus ſuperſtitioſas eorum aras, & impiam idololatriam arguere, Crucem Chriſti prædicare, Iudices grauiſſimos ad euangelicam fidem, & noua Sacramenta

g ibid. c. 13. v. 45. 51.
h ibid. c. 14. v. 5.
i ibid. v. 18.
k ibid. c. 16. v. 16.
l ibid. c. 17. v. 1.
m ibid. v. 16. 17.

menta inuitare,ac pertrahere,quouſque Areopagitæ Dionyſio, Hierotheo, atque aliis viris primariis id perſuaſerit. Athenis venit Corinthum, vbi eadem animi fortitudine Chriſtum humanæ ſalutis auctorem annuncians [n]: *Contradicentibus Iudæis* (inquit S. Lucas) *& blaſphemantibus, excutiens veſtimenta ſua dixit ad eos: Sanguis ſuper caput veſtrum: mũdus ego ex hoc ad gentes vadã.* Neque tamen quaſi pauidus longè receſſit, etiamſi apud Proconſulẽ Gallionem à furentibus Iudæis acerbè accuſaretur; ſed migrauit in domum aliã prope Synagogam, vnde Archiſynagogũ ipſum, qua publicis, quà priuatis exhortationibus ad fidẽ Chriſti pertraxit. Epheſi poſt hæc quid non tentauit? quid aggreſſus non eſt? quid non perfecit? Concurſus ad eum audiendum ex tota Aſia fiebant [o], tum Gentilium, tum Iudæorum: Dæmones fugabantur: magicorum librorum immenſa copia in medio foro concremata eſt: templum Epheſiæ Dianæ toto orbe tunc inter mundi miracula celebratum, deſpici iam, & eius argentea idola, ne ampliùs diuenderentur, curauit. Quare Demetrius argentarius, & alij, qui ex illo ſuperſtitioſo opificio quæſtus cõſuetos facere ſibi iam non licere intelligebant, magnam in Paulum ſeditionem concitarunt, & impetu facto populi tota vrbe furentis, ac omnia clamoribus implentis, rapuerunt comites Pauli ad theatrum, non inuenientes ipſum Paulum, qui vix interim potuit contineri a fidelibus, ne tanquam ouis in medio vlulantium luporum euidenti periculo ſe exponeret [p]. *Nam* (inquit Lucas) *Paulo volente intrare in populum, non permiſerunt diſcipuli: & quidã de Aſiæ Principibus, qui erant amici eius, miſerunt ad eum, rogantes, ne ſe daret in theatrũ.*

n ibid. c. 18. v. 6.

o ibid. c. 19. v. 10.

p ibid. v. 30. 31.

Non tamen potuit vlla ratione detineri, Cæſaream cùm veniſſet, & ab Agabo Propheta certò illi pronunciaretur, futurum vt Ieroſolymis cũ caperent Iudæi, & vinculis manciparent, quin iret, ſicut anteà decreuerat, Ieroſolymam. *Quod cùm audiuiſſemus,* (inquit S. Lucas [q],) *rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne aſcenderet Ieroſolymam. Tunc reſpondit Paulus: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? ego enim non ſolum alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum propter nomen Domini* IESV. *Et cum ei ſuadere non poſſemus, quieuimus dicentes: Domini voluntas fiat.* Eadem inuicti animi fortitudo magis in facto declarata eſt [r], cùm oneratus catenis Ieroſolymis, inter armatos milites, & ſtrepitus clamantium Iudæorum, vt tolleretur, & interficeretur; tamen facultatem concionandi à Tribuno militum imperterritus poſtulauit, impetrauit, diu cõcionatus eſt ante tẽplum [s], & iterum in Cõcilio Iudæorum: vbi Pontificem iniquè mandantem, vt in faciem percuteretur, acriter reprehendit. Similiter vinctus coram Præſide Felice, & illius vxore Druſilla, tanto ardore verba fecit de iuſtitia, & caſtitate; vt reus in catena Iudici ſedenti pro tribunali non tantùm terrorem, ſed etiam tremorem incuſſerit. Poſt hæc Regem Agrippam, & Reginam ſtupentibus Gentilibus, Iudæis autem frementibus, ad Chriſti fidem inuitauit [t]. *Opto apud Deum non tantùm te* (dicebat Regi,) *ſed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego ſum.* Supererat aggrediendus omnium mortalium maximè formidabilis Nero Imperator: quapropter & ad hũc appellauit, adiit vinctus, alloeutus eſt illũ non ſemel, reprehendit, exterruit potiùs, quàm ab eo quidquam territus ſit, pellices eiuſdem,

q ibid. c. 21. v. 12.

r ibid. v. 39.

s ibid. c. 23. v. 3.

t ibid. c. 26. v. 29.

eiuſdem, adhortationibus ſuis ad pudicitiam inductas inſanienti Tyranno detraxit, comminatus eſt, illi ſe appariturum eſſe poſt martyrium, quod & præſtitit. *Stabat ante Neronem Paulus* (ait Chryſoſtomus [u]) *oculis in humum depreſſis, pannis obſitus ſquallentibus, quippe carcerem habitans, omiſſóque illo, qui aureo inuehebatur curru, huic intendebant omnes. Et quidem conuenienter, ſolenne quippe erat cernere candidis equis inuectum Imperatorem: ſed illud planè nouum, atque mirabile, intueri vinctum tanta licentia Regem alloquentem, quanta Rex ipſe, nec vile quidem mancipium eſſet allocutus. Aſtabat ingens lictorum turba, ſeruique Regis omnes: admirabantúrque non Dominum ſuum; ſed eum, à quo ille vincebatur: & quẽ contremiſcebant omnes, hunc ille peſſundabat ſolus.* Ita Chryſoſtomus.

u *Chryſoſt. hom. 5 in Ep. ad Timoth.*

Atque hæc ad eam ſpectant partem fortitudinis, quæ in aggrediendo conſiſtit: ſed in altera extitit adhuc mirabilior, quæ in ſuſtinendo poſita eſt, & à patiendo patientia nominatur. Hæc enim magis athletam Chriſti exercuit, & eſt ipſa ex ſe nobilior ſpecies fortitudinis, vt poſt Ariſtotelem [x], & S. Ambroſium, probat S. Thomas tribus optimis rationibus. In primis enim qui alterũ inuadit, eum, quem inuadit, reputat imbecilliorem: qui autem tolerat, patitur valentiorem, ideò glorioſior eſt hæc victoria: vt propterea dixerit Salomon [y]: *Melior eſt patiens viro forti.* Deinde, qui aggreditur, periculum futurum opperitur: tolerãs autem, præſens malum experitur, qua in re maior exerceatur conſtantia, neceſſe eſt. Tertiò, quia puncto temporis fieri poteſt aggreſſio; patientia verò ſolet eſſe de re magis diuturna, & animum requirit ſemper præparatum: ideò adiunctam exigit perſeuerantiam. *Quæ* (vt ait S. Bernardus [z]) *ſoror eſt conſtantiæ, filia patientiæ, virtutum confirmatrix ad meritum, & ad præmium mediatrix.* Vnde S. Iacobus [a]: *Patientia* (inquit) *opus perfectum habet.* &, *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Et Chriſtus Dominus pro iuſtitia pati, ſupremam ponit inter octo beatitudines.

x *Ariſt. lib. 5. Ethic. c. 9. S. Anſel. lib. 1. de Offic. c. 45. S. Thom. 2.2. q. 123. a 6.*

y *Prou. c. 16. v. 32.*

z *S. Bern. ep. 129.*

a *Iacobi c. 1. v. 4. & 12.*

Iam verò qualia, & quanta pro Chriſto Paulus ſuſtinuerit à prima die cõuerſionis ſuæ, per annos trigintaquinque, vſque ad optatiſſimã palmam ſui martyrij, ſolus ipſe poſt Deum benè nouit, de quo à Chriſto propterea dictum fuit [b]: *Ego illi oſtendam, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Et licèt plurima in hoc genere, tum in Actis apoſtolicis, tum in Epiſtolis ipſius Pauli ſignificata inueniantur; non pauca tamen aduertimus ſuis locis, vel nimis breuiter indicata, vel omninò eſſe prætermiſſa. Præcipuam huius rei factã mentionem legimus, tum in prima, tum in ſecunda Epiſtola ad Corinthios. In prima enim ſic habetur [c]: *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum; vos autem prudentes in Chriſto: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos ignobiles. Vſque ad hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus. Laboramus operantes manibus noſtris: maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc.* In ſecunda verò Epiſtola ad Corinthios eadem aliquantò diſtinctiùs enarrans, ait [d]: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.*

b *Act. c. 9. v. 16.*

c *1. Cor. c. 4. v. 9. 10. &c.*

d *2 Cor. c. 11. v. 23. 24. &c.*

quenter. Et ad ſingularia magis deſcendens: *A Iudæis* (inquit) *quinquies, quadragenas, vna minùs, accepi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui.* Quia verò nimis fuiſſet omnia deſcribere in ſingulari, pergit ita coaceruando reliqua: *In itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus.* Et hæc quidem eſt paſſus ab aliis illata; tum alia non deerant, quæ ſibimet ipſe, ad magis patiendum, accerſebat, corpus ſuum vatiis modis affligendo: *In labore, inquit, in ærumna, in vigiliis multis, in fame, & ſiti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate: præter ea, quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis ſcandalizatur, & ego non vror? Vide* (inquit Chryſoſtomus [e]) *quanta excellentia doloris? quomodo vſtionem nominando eam declaret? accendor, ait, vror: quod certè omnium maximum eſt. Hoc erat, quod ipſum affligebat, angebat, & ſauciabat eius mentem, quòd in ſingulis infirmis hæc pateretur, quicunque illi eſſent. Non enim de maioribus hoc dicebat, minores verò deſpiciebat: ſed etiam quemcunque abiectum inter chariſſimos reponebat. Ideò dicebat: Quis infirmatur? quiſquis ille fuerit. Et quaſi ipſe eſſet Eccleſia toto orbe diffuſa, ſic in ſingulis membris vnus pro omnibus dolebat.* Addit autem duo Chryſoſtomus valdè digna obſeruatione: primũ eſt, non niſi neceſſitate compulſum hæc de ſe Apoſtolum commemoraſſe propter Pſeudoapoſtolos, qui decipere Corinthios omnibus modis tentabant, iactantes ſe multa pro illis facere, & plura etiam quàm Paulum ſuſtinere: alterum eſt, non tam ab ipſo prædicari, quæ & qualia faceret pro Corinthiis, & pro Eccleſia Chriſti vniuerſa, quàm quid pateretur, & quãta ſuſtineret: hoc enim ſibi eſſe glorioſius exiſtimabat. Vnde ſubdit [f]: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Cùm enim infirmor, tunc potens ſũ. Factus ſum inſipiens: vos me coegiſtis: ego enim à vobis debui commendari. Martyr* (inquit Chryſoſtomus) *ſemel moritur: at beatus hic Apoſtolus vno corpore, vna anima tot pericula ſuſtinuit, quæ poterãt etiam adamantinã animã conturbare: & quæ, ſcilicet, omnes tot corporibus Sancti paſſi ſunt, hæc ille in vno omnia tulit, in orbẽ quaſi in ſtadium ingreſſus, & omnibus exutus, adeò fortis ſtat: vnde dicebat: Quotidie morior pro gloria veſtra, fratres. Et hoc ſanè mirabile, quòd talia patiens ac faciens, adeò modeſtè agere ſciebat: etenim in narrationem ſuorum præclarorum operum adductus, ſtatim omnia pertranſit, tametſi libros implere potuiſſet, ſi quidem voluiſſet omnia, & ſingula latiùs narrare, & Eccleſias dicere, pro quibus anxius erat, ſi carceres, & quæ in illis ab ſe bene geſta, ſi alias quotidianas ſollicitudines, & inſidias, ſed noluit.*

e Chryſ. hom. 25. in 2. ad Corinth.

f 2. Cor. c. 12. v. 9.

Illud prætereà nõ minori dignum eſt obſeruatione, S. Paulum hæc breuiter percurrendo non ſolùm nihil amplificaſſe; verùm etiam in pluribus extenuaſſe. Nam lapidationes enumerans, quas ſuſtinuit [h]: *Semel, inquit, lapidatus ſum:* hoc autem ei cõtigit Lyſtris, vbi lapidibus ita fuit à Iudæis obrutus, vt pro mortuo extra portam ciuitatis relictus ſit: & tamen alio tempore, dum eſſet Iconij, impetu in ipſum facto Iudæorum & Gentilium, lapidibus expulſus fuit extra ciuitatem: ſed, quia non tantoperè

h 2. Cor. c. 11. v. 25.

ſauciatum ſe inde ſenſerat, ac ſi nihil fuiſſet, omiſit. Dicit ſe naufragium ter feciſſe, ſed quartum naufragium omnium maximè formidabile, quod prope Inſulam Melitam cum ducentis & ſeptuagintaſex perſonis ipſe catenis vinctus paſſus eſt, prætermiſit. Imò quæcunque paſſus eſt ab anno ſuæ ad Chriſtum conuerſionis vigeſimoquinto, vſque ad trigeſimumquintum, hoc eſt, in extremo toto decennio vitæ ipſius, omiſit in ea Epiſtola ad Corinthios ſcribere, quam ſcripſerat decem annis ante martyrium. Cum tamen, quæ his poſtremis annis pro Chriſto ſuſtinuit, plura fuerint, & grauiora: tunc enim præcipuas inſidias Iudæorum, coniurationes, accuſationes ad varios Præſides, apud Regem Agrippam, & demum apud Neronem Imperatorem ſuſtinuit: tunc arctioribus catenis fuit conſtrictus, duriores expertus eſt compedes, carceres ſenſit diuturniores, & per plura tribunalia fuit circunductus.

Sed nihil eſt, quod ita declaret altiſſimum ac ſupremum gradum perfectiſſimæ patientiæ ipſius, ſicut hilaritas, gaudium, & exultatio, quam animo ſentiebat, patiendo multa pro nomine I E S V, & pro ſalute redemptarum eius pretioſo Sanguine animarum. Quapropter nullam ſcripſit Epiſtolam, in qua lætitiam cordis ſui hac in re aliquo modo non prodiderit, quaſi eam nulla ratione potuerit diſſimulare: vnde, quantò magis aduerſa pro Chriſto toleranda creſcebant, tantò augebatur magis eius in patiendo gaudium, & ſpiritualis conſolatio. Scripſit omnium primam Epiſtolam ad Theſſalonicenſes, in eius principio ſic habet [l]: *Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus ſancti.* Scripſit anno ſequenti alteram ad eoſdem Theſſalonicenſes, & ſimiliter circa illius initium de perſecutionibus ac tribulationibus exultat [k]: *Vt & nos ipſi* (inquit) *in vobis gloriemur pro patientia veſtra in omnibus perſecutionibus, & tribulationibus veſtris, quas ſuſtinetis.* Poſt annos tres ſcripſit priorem Epiſtolam ad Corinthios, & quia creſcebant huius virtutis exercitamenta, etiam creuiſſe gaudium ſignificabat [l]. Sed adhuc magis in altera, quam poſt alium annum ad eoſdem Corinthios dedit: vbi primo capite ſic ait [m]: *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri* I E S V *Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt. Quoniam, ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Huius rei ponit infrà rationem, dicens: *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtra, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quare addit inferiùs: *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Miſit eodem anno priorem Epiſtolam ad Timotheum, nec multò pòſt ad Titum, & in vtraque hos Epiſcopos adhortatur exemplo ſuo, vt quæcunque aduerſa ſummo gaudio propter Chriſtum patiantur. Poſt hæc ſcripſit Epiſtolam ad Romanos, in qua pluribus tractans hoc argumentum [n]: *Gloriamur* (ait) *in tribulationibus, ſcientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit.* & infra [o]: *Exiſtimo enim quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* tū ſubdit alias quatuor

[l] 1. Theſſal. c. 1. v. 6.
[k] 2. Theſſ. c. 1. v. 4.
[l] 1. Cor. c. 4. v. 9.
[m] 2. Cor. c. 1. v. 3. ibid. c. 4. v. 17. ibid. c. 7. v. 4.
[n] Rom. 5. v. 3.
[o] ibid. c. 8. v. 18.

quatuor efficaciſſimas rationes huius in patiendo gaudij & conſolationis ſpiritualis. Prima eſt teſtimonium bonæ conſcientiæ interiùs dictantis argumentum eſſe diuinæ adoptionis libenter aduerſa pro Deo ſuſtinere [p]. *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei; ſi tamen compatimur.* Secũda ratio, quia omnes creaturę quodammodo nobiſcum patiuntur, & expectant, vt per noſtram patientiam aliquam nobiſcũ gloriam, & renouationem aſſequantur [q]: *Nam* (inquit) *expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat: quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis.* Tertia ratio ſubditur illis verbis [r]: *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonum.* Quis autem non gauderet multa contra ſe à perſequente proiici, ſi videret omnia ſic proiecta in gemmas verti, in ſceptra, & in coronas? Quarta ratio, quæ alias omnes complectitur, eſt, nullum apparere certius ſignũ diuinæ prædeſtinationis, quàm conformari Chriſto pro iuſtitia patienti [s]: *Nã, quos præſciuit, & prædeſtinauit cõformes fieri imagini Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Hæc ſcripſit in Epiſtola ad Romanos, paulò antequàm Romam veniret. At, vbi Romæ vinctus moraretur, ſcripſit ad Epheſios primùm, deinde alteram Timotheo, poſteà Philippẽſibus, Coloſſenſibus, & Philemoni, omnes gaudij ſui volens eſſe participes, ob vincula, carceres, & alia, quæ propter Euangelium patiebatur. *Ego Paulus* (ait Epheſiis [t]) *vinctus Chriſti* Iesv *pro vobis gentibus. Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra.* Ad Philippenſes verò [u]: *Si immolor* (inquit) *ſupra ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ, gaudeo & gratulor omnibus vobis; idipſum autem & vos, gaudete, & gratulamini mihi.* Timotheo eodem tempore ſic ſcripſit [x]: *Noli itaque me erubeſcere vinctum Domini noſtri, propter quem hæc patior; ſed non confundor.* Et infrà [y]: *Laboro vſque ad vincula quaſi malè operans; ſed verbum Dei non eſt alligatum. Ideò omnia ſuſtineo propter electos.* Nec multò pòſt Coloſſenſibus [z]: *Nunc*, inquit, *gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea. Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri* Iesv *Chriſti.* Circa idem tempus ita ſcripſit ad Galatas [a]: *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini* Iesv *in corpore meo porto*, id eſt, verberum & vulnerum cicatrices, tanquam militiæ Chriſti decora & trophæa: quæ, quantam ſibi conciliare auctoritatem deberẽt apud Chriſti fideles, iterum inculcat in altera, licèt omnium breuiſſima, hoc tempore data Philemoni Epiſtola, vbi propter ſua vincula ter ibi commemorata obſecrat illum, vt Oneſimum, ſeruum eius fugitiuum, in gratiam, & domum ſuam recipiat. Et tandem in Epiſtola, quam omnium poſtremam ad Hebræos dedit, eos exemplo Chriſti ad lætam patientiam ſic hortatur [b]. *Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem* Iesvm, *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem.*

Quapropter conferens Ioannes Chryſoſtomus [c] Apoſtolum Paulum cum præcipuis Sanctis veteris Teſtamenti, vt oſtendat, illis omnibus excellentiorem fuiſſe, arguit potiſſimum ex eius heroïca patientia. Nam Abel gratas hoſtias Deo ſacrificabat, & innocens à fratre nihil à ſe læſo interfectus eſt: Paulus verò quotidie immolabat ſeipſum, hoſtiã Deo viuentem, ſanctam, Deo placentem,

[p] *ibid. c. 8. v. 16.*
[q] *ibid. c. 8. v. 19.*
[r] *ibid. c. 8. v. 28.*
[s] *ibid. c. 8. v. 29.*
[t] *Epheſ. c. 3. v. 1. & 13.*
[u] *Philip. c. 2. v. 17.*
[x] *2. Tim. c. 1. v. 8. & 12.*
[y] *ibid. c. 2. v. 9.*
[z] *Coloſſ. c. 1. v. 24.*
[a] *Gal. 6. v. 17.*
[b] *Hebr. c. 12. v. 1.*
[c] *hom. de laud. Pauli.*

& ab inſidiis Iudæorum, quibus innumera cõtulit beneficia, & pro quibus vincula ferè, quę ſuſtinuit, paſſus eſt, ad coronam martyrij fuit adductus. Noe inundantes aquas diluuij vniuerſalis, arca ædificata, ſuſtinuit, & ne totũ humanum genus extingueretur, effecit: Paulus exundãtes aquas tribulationum, non aliquot diebus, vt Noë; ſed multis annis pertulit, & à diluuio peccatorũ, non vna arca exædificata homines paucos, ſed fundatis quamplurimis Eccleſiis, & toto orbe confirmatis, innumeros liberauit. Abraham Deo vocante exiuit de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo patris ſui, & paratiſſimũ ſe oſtendit, mandante Deo proprium filium immolare: ſed Paulus, ne ſepararetur à charitate Chriſti, neque præſentia, neque futura, neque altitudinem, neque profundum, neque aliam creaturam, prorſus quidquam curabat, ſéque ipſum millies Deo per diem immolauit. *In Iſaac* (ait Chryſoſtomus) *admiramur præcipuè patientiam, quoniam puteos fodiens, & de propriis exagitatus laboribus* [d], *minimè reſiſtebat; ſed factos à ſe puteos obrui patiebatur, atque ad alium ſemper migrabat locum. Neque collecta ſeruorum manu in aduerſarios irruebat; ſed propria à poſſeſſione vbique cedebat, quoadúſque iniquiſſimam illorum expleret cupiditatem. At Paulus, non puteos cernens lapidibus obrutos, ſed proprium corpus, non ſolum, vt ille, cedebat; ſed etiam à quibus lapidabatur, in cœlum ſtudebat euehere: quanto enim amplius obruebatur fons iſte, tanto copioſior, & limpidior emanabat.* Pergit Chryſoſtomus dicens: *Admiratur quidem Scriptura patientiam Iacob. At, quænam illa eſt adamantina prorſus anima, quæ patientiam Pauli valeat imitari? neque enim bis ſeptem annorum, ſed totius vitæ ſeruitium pro ſponſa pertulit Chriſti, non aduſtus æſtu ſolùm diei, & noctis gelu; ſed tentationes mille perpetiens. Et nunc quidem verberibus, nunc lapidibus cæſus, atque colliſus: & nunc quidem cum beſtiis, modò autẽ cum fluctibus pugnans, modò continuè reluctans fami diebus atque noctibus inter certamina, vbique reſiliens, captas oues ex Diaboli faucibus extrahebat.* Cõfert deinde Paulum cũ Iob, *Quem* (inquit) *nemo non celebrat, vt athletam admirabilem, & qui Paulum ipsũ veluti ex aduerſo poſſit aſpicere ob patientiã & teſtimonium Dei propter illam cum Diabolo fortiſſimã pugnam, atque victoriam. At Paulus non diebus tantũ, aut menſibus, ſed annis plurimis in agone perdurãs, & pugnas aduersùs tentationes innumeras, omni certè lapide tolerantior, qui non à tribus, aut quatuor amicis; ſed à cunctis infidelibus, à falſis etiã fratribus opprobria ſuſtinebat, maledicta, atque blaſphemias.* Addit autem de Moyſe, dicens: *Quẽ verò quiſpiã poſt Iob putet eſſe mirabilem? Moyſem profectò; ſed hunc etiam Paulus ſatis eminẽti virtute trãſcendit, cuius quidem ſunt multa alia præclara: ſed caput illius ſanctæ animæ, atque faſtigium eſt, quoniã pro Iudæorum ſalute elegit deleri ex libro vitæ: ſed Moyſes cũ cæteris optauit perire; Paulus pro cæteris. Non enim cũ pereuntibus perire voluit; ſed vt alij ſaluarentur, optauit eſſe anathema pro fratribus ſuis. Et ille quidem Pharaoni, hic autẽ Diabolo quotidie repugnabat; ille pro ſua gente, hic pro vniuerſo penè orbe terrarum, non ſudore, ſed ſanguine decertauit.* Plura in eandem ſententiam Chryſoſtomus. Quare, vt hanc materiam de Pauli fortitudine, ac patientia verbis eiuſdem Auctoris concludamus [e]: *Qualemnam aliquis Pauli animam appellet, an ferream ne magis, an adamantinam? Nam erat omni adamante fortior, & auro, gemmiſque pretioſior, alteram quidem materiæ firmitate, alteram pretioſitate ſuperabat.*

Cui

d Gen. c. 26. v. 15.

e Chryſ. hom. 2. de laud. Pauli.

Cui ergo rei hæc ab aliquo anima comparetur? Earum quidem, quæ ſunt, omninò nulli. Quòd ſi vel auro adamantis fortitudo, vel adamanti honor daretur auri, fortè aliquo modo cōparatio eius, Pauli poſſet animæ conuenire. Sed, quid ego adamantem, vel aurum ad ſimilitudinem adduco Pauli? Mundum ſi è diuerſo appendas omnem, tunc videbis aperte Pauli vergere pondus examinis. Dixit autē hæc S. Ioannes Chryſoſtomus: quia S. Paulus omnia mundi huius prorſus deſpiciens, pari maluiſſet quæcunque, tum in mundo, tū ſupra, & infra mundum, accidere poſſunt aduerſa, quàm à Chriſti charitate vlla vnquam ratione ſeparari.

CAPVT VII.

De profundiſsima eius humilitate.

HVmilitas, fidelium propria virtus, ab Ethnicis ſapientibus ne de nomine quidem cognita, quanta fuerit in Apoſtolo Paulo, ex eius, de qua dictum eſt, patientia poſſet intelligi: eſt enim humilitas patientiæ germana ſoror, & ambæ filiæ charitatis. Qui enim Deum amat ex toto corde, nihil recuſat pro illo pati; nec vlli ſe non libenter ſubiicit propter ipſum, de cuius tantùm gloria, nihil verò de ſua eſt ſollicitus. Ideò dicebat Apoſtolus [a]: *Charitas patiens eſt, benigna eſt, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt.* Et S. Bernardus [b]: *Collactaneæ ſunt* (inquit) *humilitas, & manſuetudo, in eo confœderatæ germanius, qui dicebat* [c]: *Diſcite à me; quia mitis ſum, & humilis corde.* Hoc autem optime didicerat noſter Apoſtolus, vt, quemadmodum in aliis, ita in hac virtute Magiſter iam effectus, ſic Philippēſes edoceret [d]: *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto* IESV: *qui, cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens: humiliauit ſemetipſum,* &c. Vt autē clariùs exponamus, quantoperè S. Paulus Chriſti IESV diligens imitator ſeipſum exinaniuerit, oportet noſſe priùs, in quo hæc virtus humilitatis propriè ſita ſit. Qua de re agens B. Climacus in ſua ſcala Paradiſi, cum ad gradum veniſſet, cui titulum fecit: *De victrice paſſionum omnium, altiſſima humilitate* [e], refert quendam ex illis antiquis Patribus affirmaſſe, veram humilitatem eſſe, omnium extremum, magiſque peccatis obnoxium ſe exiſtimare: alium verò dixiſſe, humilitatem eſſe, imbecillitatē ſuam agnoſcere: alium gratiæ ac miſericordiæ Dei omnia adſcribere: alium poſuiſſe humilitatē, eſſe rectè factorum intēſiſſimam obliuionem: *Ego verò* (inquit Climacus) *humilitatem ineffabilem diuitiarum Dei theſaurum eſſe dico.* Quæ quidem omnes huius virtutis deſcriptiones, vt ei benè pro ſua parte conueniunt, ita victrici paſſionum omnium altiſſimæ humilitati S. Pauli optimè competunt. Nam in primis per hanc ipſe omnium ſe extremum, magiſque peccatis obnoxium exiſtimaſſe, nullus poterit dubitare: qui ea conſideret, quæ de ſe in hanc ſententiā ſynceriſſimè ſcripſit [f]: *Fidelis ſermo* (inquit ad Timotheum ſcribens) *& omni acceptione dignus, quòd Chriſtus* IESVS *venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.* Et addit exponens, qua ratione fuerit maximus peccatorum, dicens: *Qui priùs blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus: ſed ideò miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus omnem patientiam.* Et quia facilè potuiſſent aliæ cogitationes in mentem ei venire, tantam animi demiſſionem impe-

a 1. Cor. c.13.v.4.
b S. Bernard ſer. Signum magnū.
c Matt. c.11.v.29.
d Philip. c.2.v.5.
e Clim. gradu 25.
f 1. Tim. c.1.v.12. 13.15.

dientes; nempe, vbi delictum proprium abundauit, iam Christi gratiã ſupetabundare, ipſum Dominum è cœlo deſcendiſſe, vt eum ſibi fidelem ſeruum acquireret, Vas electionis efficeret, Doctoré Gentium conſtitueret, Apoſtolorum præcipuum, vſque ad tertiũ cœlum euectum, quod nulli alteri Apoſtolorum, aut Sanctorũ conceſſum eſt; ideò quid ſentiret de

g 1. Cor. 15. v. 9. ſe, magis explicuit, dicens [g]: *Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniã perſecutus ſum Eccleſiã Dei.* Et vocat ſe abortiuum, quippe qui non eo tempore, quo alij Apoſtoli, ad Chriſtũ vocatus fuit; ſed poſt Domini paſſionem, ac mortem, quaſi fœtus importuno tẽpore in lucem editus, cæcus, reluctãs, & non ſine magna violentia matris, id eſt, Eccleſiæ, quam perſequebator, & omninò extinguere voluiſſet. *Vide*

n Chryſoſt. hom. 38. in Ep. 1. Corinth. (inquit Chryſoſtomus [n]) *ingentẽ humilitatẽ: nam, quia multi poſtremi primi euadunt, cõtentus non eſt; ſed addit, quid ſentiat de ſe: neque ſimpliciter poſtremum ſe eſſe demõſtrat, & apoſtolicis titulis indignũ; ſed cauſam reddit, quòd Eccleſiam perſecutus ſit, quanquã tranſacta erant iſta omnia; ſed neutiquã fuerat eorum oblitus.* Sed, qui ſe omnium Apoſtolorum minimum, & indignũ nomine Apoſtoli reputabat, vnus inter omnes obtinuit, diuina ſic diſponente prouidentia, in præmiũ tantæ dimiſſionis, vt per antonomaſiam, & excellẽtiam quandam, Apoſtolus diceretur. Cùm verò ita de ſe humiliter ipſe ſentiret, facta cum aliis Apoſtolis comparatione, fortè putare aliquis potuiſſet, reliquis fidelibus, quorum dux erat in virtutibus, & Magiſter, iudicaſſe illis ſe modò ſanctioré. At profectò nõ ita de ſe alibi ſignificat,

h Epheſ. c. 4. v. 8. dum ait [h]: *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc.* Sanctorum infimo, legit S. Hieronymus: ſed & Græca vox, ἐλαχιστοτέρῳ, qua vſus eſt Paulus, plùs adhuc ſignificat, quaſi dixiſſet: Mihi quocunque infimo in ſanctitate infimiori. Per Sanctos autem intelligit quoſcunque fideles gratiam ſanctificantem Sacramento Baptiſmi conſecutos.

Quæret tamẽ hìc aliquis, nec immeritò, qua ratione potuerit Apoſtolus ſine fictione, aut mendacio, ita de ſe loqui, cùm non ignoraret, plùs gratiæ, atque donorũ ſibi à Deo eſſe cõceſſum, quàm multis aliis fidelibus, quos ipſe inſtruebat, & ab infidelitate ad Chriſtianam pietatem induxerat; & quos proptereà exhortabatur,

dicens [i]: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Huic difficultati S. Hiero- i 1. Cor. c. 11. v. 1.

nymus quaſi ſuccumbens, pro Commentario prædictorum Pauli verborum ita ſcripſit [k]: *Non puto, Apoſto-* k S. Hieron. in c. 3. Ep. ad Epheſ.

lum Paulum cum mentis ſuæ cõcordaſſe ſecreto, vt verè omnibus Sanctis infimũ ſe dixerit, verbi gratia, his, qui erant in Epheſo, qui in Corintho, qui in Theſſalonica, vel qui in toto orbe crediderant. Reperiendum tamen eſt argumentum, quo & verè omnibus Sanctis infimus fuerit; & tamen de apoſtolica non ceciderit dignitate. Hoc autẽ ait à S. Paulo præſtitum, gerendo ſe in exteriori demiſſiſſimè, tanquam ſi eſſet omnium infimus, iuxta Domini mandatum [l]: *Qui vult in vobis maior eſſe, fiat omnium minor: & qui vult eſſe primus, ſit omnium nouiſſimus.* l Matth. c. 20. v. 26. Id, etiamſi verum ſit, omninò tamen præſenti difficultati ſatisfacere non videtur: non enim Apoſtolus tã loquebatur de externa ſubmiſſione, in qua etiã ſeruare decorum officij, ac dignitatis ſuæ apoſtolicæ tenebatur, quàm de ſenſu & iudicio interno: alioquin ex quadam hypocriſi, & minùs verè ſic locutus fuiſſet. Quare dicendum eſt, attendiſſe, quid eſſet, quãtùm ex ſe, & quid ſine gratia Dei fuiſſet: ſicut de

S. Fran

m S. Bonau. in vita S. Franc. c. 6. S.Franciſco, refert S.Bonauētura [m], ſolitum illum dicere, ſi quencunque ſceleſtiſſimum tanta miſericordia Deus præueniſſet, tot auxiliis, & gratiis iuuiſſet, quot ipſe fuerat adiutus, perſuaſum ſibi eſſe, futurum illum Deo gratiorem, & in eius obſequio feruentiorem: contrà verò, ſi Deus gratiam, & miſericordiam ſuam ab eo ſubtraxiſſet, plura & grauiora, quàm vllus mortaliū peccata ſe admiſſurum. Quod iudicium, etiamſi ſpeculatiuè poſſet eſſe falſum; practicè tamen; quia probabile eſt, nihil fallit; ſed honeſtiſſimè à prudenti humilitate ſuggeritur. Vnde S.Vincentius in tractatu de vita ſpiritua-

n S. Vincent. tract. de vita ſpirit. c. 3. li [n], cuicunque ad humilitatem aſpiranti dat tale conſilium: *Cogita teipſum, & ad hoc credendum te inducas, tibíque perſuadeas, quantùm potes, quòd non eſt vllus peccator, qui non magis aſſiſteret Deo tuo, quàm tu, & qui non magis recognoſceret Dei beneficia, quàm tu, ſi recepiſſet gratias, quas tu ſola gratuita Dei bonitate, & non propriis meritis recepiſti.* His addebat Apoſtolus experimentum ſuæ vitæ præteritæ, cuius propterea memoriam nunquam deponebat, inde con-

o 1. Cor. c. 15. v. 9. cludens [o]: *Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam*

p 1. Tim. c. 1. v. 13. & 5. *Dei.* Et iterum alibi [p]: *Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus: ſed Chriſtus* IESVS *venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.* Atque hic eſt veluti primus gradus humilitatis, iuxta Patrum de hac virtute ſententiam, ſuperiùs ex Climaco prolatam, definientium pertinere in primis ad hanc virtutem, omnium ſe extremum, & peccatis maximè obnoxium exiſtimare.

Secundum verò gradum alij deſcribebant, dicentes, humilē omnia ſua bona & laude digna gratiæ Dei, & eius miſericordiæ tribuere: in quo Paulus Apoſtolus ita excelluit, vt meritò appellari poſſit primarius gratiæ magiſter, & magnus Præco diuinæ miſericordię, quam expertus in ſe effuſiſſimam, & efficaciſſimā, vbique commendat, vbique prædicat, & extollit [q]: *Miſericordiam* (inquit ad Ti- q 1. Tim. c. 1. v. 16.
motheum ſcribens) *conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus omnem patientiam.* Et ad Epheſios [r]: *Deus au-* r Epheſ. c. 2. v. 4. 5. 6.
tē qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, & conreſuſcitauit, vt oſtenderet ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratia ſuæ, in bonitate ſuper nos, & non ex operibus, ne quis glorietur. Et ad Titum [s]: s Tit. c. 3. v. 4.
Eramus aliquando nos inſipientes, increduli, errantes: cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitia, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit. Et alibi [t]: *Non ſum* (inquit) *dignus* t 1. Cor. c. 15. v. 9.
vocari Apoſtolus, gratia autem Dei ſum id, quod ſum. Quapropter S. Auguſtinus [u] vocat Apoſtolum Paulum conſtantiſſimum gratiæ Prædicatorem, & acerrimum illius defenſorem, addens propterea magis ei placuiſſe poſt conuerſionem, Pauli nomen, quàm Sauli; *Vt* (inquit) *ſe oſtenderet paruum, & tanquam minimum Apoſtolorum, multum contra ſuperbos, & arrogantes, & de ſuis operibus præſumentes dimicans: quia reuerà in illo euidentior apparuit, & claruit Dei gratia, & miſericordia.* Hinc omnis eius ſalutatio eſt à gratia, omnis eius Epiſtola inde habet exordium, & ea concluditur, pluréſque illarum, præſertim verò Epiſtola ad Romanos, ad Galatas, ad Epheſios, in gratiæ, & miſericordiæ u S. Auguſt. lib. de ſpiritu. & lit. c. 7. & 13.

Dei

Dei commendatione bona ex parte verſantur. Quàm autem libenter in extollēda gratia & miſericordia Dei effundi ſolitus fuit, tā facilis in enumerandis, & amplificandis propriis infirmitatibus, & iis quidem, vnde non tam videri humilis, quàm verè humiliari, & omnem arrogantiam reprimere, ac ſuperbiæ ſpiritū prorſus excludere ſe poſſe exiſtimabat. Contrà verò, ſi quid honorificum de ſe proferre interdum cogeretur, tanta id moderatione, tot modeſtiæ ſignificationibus faciebat, vt de ſola gratiæ Dei, & Chriſti meritorū exaltatione cum ſumma ſui demiſſione curā ſe gerere omnibus apertè manifeſtet. *Pro me autem* (ait ad Corin-

x 2.Cor. c.12.v.5.7.9.& 10. thios ſcribens [x]) *nihil gloriabor, niſi in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.* & infrà: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis.* & iterum infrà: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus.* Intelligit autem per infirmitates, omnes huius vitæ miſerias, ærumnas, perturbatiōnes, tentationes, quibus homines maximè humiliantur. Vnam autem præcipuam, ex qua Sancti, & omnes caſtitatis amatores multùm ſolent humiliari, non omittit ibidem apertiùs explicare, dicens: *Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Intereà, quales illi gemitus talis lucta carnis & ſpiritus exprimeret, oſtendit in Epiſtola ad Romanos, vbi poſt illas que-

y Rom.c. 7.v.15 18.14. relas [y]: *Quod operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago. Et ſcio, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum. Nam velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio.* exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quoniam verò, teſte conſcientia, nullius ſe culpę reum in hoc, aut alio genere peccatorū vllatenus agnoſcebat, ad-

dit [z]. *Nihil mihi conſcius ſum; ſed nō in hoc iuſtificatus ſum.* Quàm autem ſibimetipſi parum fideret, etiamſi z 1.Cor. c.4.v.4.

aliàs à Chriſti charitate ſeparari [a], nullius creaturæ interuentu ſibi poſſe videretur, exponit eiſdem Corin- a Rom c. 8.v.35.

thiis, cùm ait [b]: *Ego ſic curro, nō quaſi in incertum; ſic pugno, non quaſi aërem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar* & alibi: *Portamus*, ait, *theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis.* b 1.Cor. c.9.v.26.& 2. Cor.c.4. v.7.

Erant aliqui Corinthiorū nimiùm ſibi propter ſapientiam, & generis nobilitatem tribuentes: quid ad hæc Paulus? *Nos* (ait) *ſtulti propter Chriſtum; vos autem prudentes in Chriſto: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos ignobiles.* Et quaſi faciliùs ſingulari certamine ſuperbiā debellaturus, addit: *Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Rurſus

inuadens vniuerſos [d]: *Videte* (inquit) *vocationem veſtram, Fratres; quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed, quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, infirma, ignobilia, contemptibilia elegit Deus. Vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* At negare Paulus non poterat, inſtrumentum ſe eſſe diuinitùs electum ad magna in Dei gloriam perficienda, & ad ſalutem multarum animarum. Ita ſanè: ſed in- d 1.Cor. c.1.v. 26.

quit ipſe [e]: *Quid eſt Apollo? quid verò Paulus? Miniſtri eius, cui crediſtis. Ego plantaui; Apollo rigauit; Deus autem incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Detrahebant aliqui Pſeudoapoſtoli S. Paulo apud Corinthios, e ibid. c. 3.v.5.

dicentes,

dicentes, eum non conferédum cum alíis Apoſtolis, qui à Chriſto adhuc inter nos agente fuerant ad apoſtolatum vocati: vt hac ratione fideles à Pauli doctrina, & diſciplina reuocarent. Quare coactus fuit aliquid de gratiis, & donis ſibi à Chriſto collatis in ſui commendationem exponere. Hoc autem adeò modeſtè præſtat, vt non minùs in huiuſmodi fauoribus diuiniis recenſendis, quàm in exponendis propriis infirmitatibus animi ſui demiſſionem manifeſtet. Nam in primis humiliter ſe excuſat, & aggreſſus aliquid aperire, iterum, ac tertiò reſilit, dicens[f]: *Vtinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ; ſed & ſupportate me: æmulor enim vos Dei æmulatione. Timeo autem.* Et infrà[g]: *Si gloriari oportet*, inquit; *non expedit quidem.* & rurſus: *Veritatem* (ait) *dicam: parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id, quod videt in me, aut audit ex me. Sicut equus* (inquit Chryſoſtomus[h]) *præcipitium aliquod, præruptúmque cliuum tranſiturus ſe colligit, quaſi hunc vno ſaltu ſuperaturus: verùm profundum deſpiciens hiatum, obſtupeſcit: deinde equite vrgente rurſum aggreditur, neceſſitatémque & vim indicans ſubſiſtit aliquandiu; tandem reſumpto animo, ſe vltrò fidenter adigit: ſic & Paulus, quaſi ſe daturus in præceps in laudum ſuarum recitatione, ſemel, iterũ, ac tertiò retrocedit, ac tandem adigit ſe ad ſuas laudes.* Ita Chryſoſtomus. Sed adhuc Apoſtolus poſt qualencunque geſtorum ſuorum excurſionem adiungit, dicens[i]: *Factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis: ego enim à vobis debui commendari.* Sed nec auſus fuit, narraturus illam mirabilem reuelationem per raptum vſque ad tertium cœlum, apertè ſibi eam adſcribere; ſed quaſi tertiæ perſonæ, dicens[k]: *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim raptum vſque ad tertium cœlum.* Et hoc eſt aliud mentis eius humillimæ argumentum: nam, cùm ante annos quatuordecim, adeò ſingularem, & nemini Apoſtolorum, imò nec vlli, quod ſciamus, aliorum Sanctorum in hac mortali vita conceſſum fauorem obtinuiſſet, hoc toto tempore nihil dixit, & niſi coactus, adhuc perpetuo ſilentio id totum inuoluiſſet. Præthereà bis ait: *Scio hominem in Chriſto, & ſcio huiuſmodi hominem.* quia non poterat hac de re dubitare, quam expertus erat in ſeipſo. Sed tamen ne videretur minùs affirmaſſe, ſuam nõ ſemel, ſed iterum, ac tertiò qualencunque interponit inſcitiam, dicens: *Siue in corpore, neſcio; ſiue extra corpus, neſcio.* Et iterũ infrà: *Neſcio, Deus ſcit.* Denique, cùm non hanc ſolùm, ſed alias etiam viſiones, & reuelationes ſuas narrare potuiſſet, vt illa verba ſignificant[l]: *Veniam autem ad viſiones, & reuelationes Domini.* tamen de hac vna ſolùm facit mentionem: *Ne quis* (inquit) *me exiſtimet ſupra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Addit præthereà ſuæ in hac parte indemnitati, ne ſuperbiret, Deum prouidiſſe: nam ait; *Ne multitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Meritò itaque ſcripſit ad Philippenſes[m]: *Scio & humiliari, ſcio & abundare, vbique & in omnibus inſtitutus ſum.* & ad Corinthios[n]: *Deiicimur, & non perimus: humiliamur, ſed non confundimur.* Neque enim quidquam de ſua; ſed tantùm de Chriſti gloria vbique ac ſemper ſollicitus fuit. Vnde, cùm Lyſtris[o] claudum repentè ſanum, inuocato Chriſti nomine reddidiſſet, præſente Gentilium multitudine cum tanta populi admiratione & acclamatione, vt Sacerdos Iouis adductas victimas ſtatim publicè illi ſacrificare tanquam terreſtri Deo iam aggrederetur, in

f 2. Cor. c. 11. v. 1. 3.

g ibid. c. 12. v. 1. & 6.

h Chryſ. in c. 11. 2. Ep. Cor.

i 2. Cor. c. 12. v. 11.

k ibid. v. 2.

l ibid. v. 1. 6. 7.

m Philip. c. 4. v. 12.

n 2. Cor. c. 4. v. 10.

o Act. c. 14. v. 8.

SSsss medium

medium proſilierit, ſciſſa ex dolore veſte, & exclamans, ne tantum nefas vllo modo perpetrarent, ſe hominem eſſe mortalem illis ſimilem; niſi quòd miſſus à Deo fuiſſet nunciare illis Euangelium, & vt ad cultum veri Dei, qui fecit cœlum & terram conuerterentur ab impia idolorum ſuperſtitione. Et ſatius habuit ita contra ſe omnes illos irritare, vt penè lapidibus obrueretur, quàm pati quidquam minui de honore diuinæ maieſtati debito, & ſibi aliquid, quod non debebatur, attribui.

Sed & in aliis omnibus ſemper talem præ ſe tulit formam veræ humilitatis, vt ad Corinthios ſcribens ita de ſe teſtetur [p]: *Et ego cùm veniſſem ad vos, fratres mei, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ. Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi* IESVM *Chriſtum, & hunc crucifixũ. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos.* Addit poſtea: *Ipſe autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem, & modeſtiam Chriſti, qui in facie quidem humilis ſum inter vos.* Hinc ſumebant occaſionem aliqui apud Corinthios Pſeudoapoſtoli, Paulum paruifaciendi, vt ipſemet alibi Corinthiis [q] ſignificauit. Sed neque propterea veritus eſt tantus Eccleſiæ Præſul, tum Corinthi, tum alibi, artem mechanicam aliquandiu exercere, vt euangelicæ paupertatis, atque demiſſionis animi ab omni faſtu alieniſſimi, exempla illis, aliiſque relinqueret; ſicut ipſe retulit Epheſiis dicens [r]: *Quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ. Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes, oportet ſuſcipere infirmos.* Addebat ex intimo cordis affectu ad hanc virtutem hortamenta maxima: *Si qua ergo conſolatio in Chriſto* (ait ad Philippenſes [s]) *ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſericordiæ: implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; ſed in humilitate ſuperiores, ſibi inuicem arbitrantes.* & ad Coloſſenſes [t]: *Induite vos ergo, ſicut electi Dei ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam.* Sic prorſus ipſe re magis, quàm verbo præſtabat: emerſerat è naufragio Melitenſi cum multis [u], quorum vitas alioquin Orco deſtinatas, Deus illi ſupplicanti pro eorum ſalute conceſſerat: & cùm omnibus eſſet admirationi ac venerationi, quaſi communis parens; nihilominùs ac ſi omnium eſſet famulus, & mancipium, ſarmenta ſuis manibus colligebat, & aggeſta componebat in pyram ad ignem accendendum, quo afflicti imbre & frigore hyemali calefierent. *Vide illum* (inquit Chryſoſtomus [x]) *operantem: vide illum nunquam temere miracula facientem: & hic ſarmẽta imponit, ignarus omnis faſtus, vt ita ferueat illos, fruanturque calore.* Eandem animi demiſſionem ſæpè declarauit, tantus cum eſſet apud Deum Patronus Eccleſiarum, commendando ſe humiliter fidelium orationibus. Ita enim ad Romanos ſcripſit [y]: *Obſecro ergo vos, Fratres, per Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum, & per charitatem S. Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum.* & ad Coloſſenſes [z]: *Orate ſimul, & pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti, (propter quod etiam vinctus ſum,) vt manifeſtem illud, ita vt oportet me loqui.* Similia ſcripſit ad Hebræos [a], ad Epheſios [b], & ad Theſſalonicenſes [c]. Cæterùm in tanta ſui demiſſione, quantam retineret animi celſitudinem & in Deum fiduciam, oſtenſuri ſumus capite ſequenti.

p 1. Cor. c.2.v.1. & 2. Cor. c.10. v.1.

q 2. Cor. 10.v.10.

r Act. c. 20.v.34.

s Philip. c.2.v.1.

t Coloſſ. c.3.v.12.

u Act. c. 28.v.2.

x Chryſ. hom. 54. in Acta.

y Rom. c. 15.v.30

z Coloſſ. c.4.v.3.

a Hebr. c. 13.v.18.

b Epheſ. c.6.v.19.

c [illegible] 3 v.1.

CAPVT

CAPVT VIII.

De magnanimitate & fiducia in Deum.

VIrtus ſanctæ humilitatis, & diffidentiæ ſui, non modò nihil aduerſatur magnanimitati,& in Deũ fiduciæ; verùm inde potiùs ſuam accipit firmitatem,& abſolutam perfectioné. Eſt enim humilitas Chriſtiana, virtutum omnium fundamétum, tantò altiùs fodiendum,quantò ſublimiùs erigere virtutum ædificium cogitatur:quod ideò ſuffoditur,vt eiecta molliori humo,& pulueribus virium humanarum firmitate carentium, ad petram, quæ Chriſtus eſt, & ad immobile quaſi ſolum diuini adiutorij, vbi firmanda eſt moles tota ſpiritualis ædificij, deueniatur. Eſt itaque duplex munus perfectæ humilitatis: primum,quidquid in nobis, & ex nobis eſt, tanquam terreum & infirmũ euacuare, noſtrámque deficientiam nobis patefacere:vnde S.Bernardus [a], humilitatem definiuit,eſſe virtutem, qua homo veriſſima ſui cognitione ſibi ipſi viloſcit: alterum eſt, cognita propria deficientia, & quantopere in omnibus à Deo egeat adiuuari, nihil ſibi, ſed Deo tantùm inniti,& gratiæ ipſius plurimùm fidere. Atque hoc eſt,quod ipſe in ſe maximè ſentiebat, & ſentire alios hortabatur Apoſtolus,dicens[b]:*Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum: non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti.*Non poterat Apoſtolus magis id,quod eſt ex parte ſua, extenuare, & quàm parum, aut potiùs nihil ſit, oſtendere, in quo nobis fidere, & non totum Deo tribuere debeamus. Siquidem omnium minimum eſt agenda cogitare, & neque adhoc, niſi Deo dãte ſufficimus. Nam, vt ait S. Auguſtinus, expendens prædicta Apoſtoli verba, contra Pelagianos [c], *Cum minùs ſit cogitare,quàm cupere;poteſt enim homo cogitare bonum, quod nondum cupit; & proficiendo poſtea cupere, quod antea non cupiendo cogitauit; quomodo ad id,quod minus,id eſt,ad cogitandum aliquid boni,non ſumus idonei,tanquam ex nobiſmetipſis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt,& ad id,quod eſt amplius,id eſt, cupiendum aliquid boni,ſine diuino adiutorio idonei ſumus ex libero arbitrio? Neque enim Apoſtolus ait. Non ſumus idonei cogitare, quod perfectum eſt. Sed, aliquid ex nobis, cui contrariũ nihil. Vnde eſt illud Domini,[d]. Sine me nihil poteſtis facere.*Quare cõcludit S. Auguſtinus: *Multa Deus facit in homine bona,quæ nõ facit homo:nulla verò facit homo,quæ nõ faciat Deus,vt faciat homo.* Quantò itaque demiſſius de ſe Apoſtolus ſentiebat,tantò ſibi de adiutorio diuinæ gratiæ magnificentiùs promittebat: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* ſcripſit ad Philippẽſes [e]. Vnde,cùm præclarè à ſe geſta cõmemorat, non tam ea ſibi,quàm diuinæ gratiæ in ſe operanti adſcribit:*Gratia Dei ſum id,quod ſum*(inquit[f])*& gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboraui: non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* & alibi [g]: *Deo*(inquit)*gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrũ* IESVM *Chriſtum.*& rurſus alibi [h]: *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto* IESV, id eſt, triumphare nos facit per virtutem, & gratiam Chriſti IESV.

Præclarè quidẽ multa de hac virtute magnanimitatis in ſua morali Philoſophia docuit Ariſtoteles[i]:ſed,ſicut profunditatẽ Chriſtianæ humilitatis

a S.Bern. in tract. de grad. hum.

b 2. Cor. c.3 v. 4.

c S. Aug. l 2. cõtra duas ep. Pelagianorũ,c.8.

d Ioan.c. 15.v.4.

e Phil. c. 4 v.13.

f 1.Cor. c.15.v. 10.

g ibid v. 57.

h ibid. c. 2.v.14.

i Ariſt.l. 4. Eth.c. 3.

non attigit; ita nec ad ſublimitatem veræ magnanimitatis, qualem Apoſtolus doctrina, & exemplo in ſe expreſſit, aſſecutus eſt. Poſuit ille virtutem quandam innominatam circa paruos honores[k], quibus temperatus animus acquieſcit, dum ſe maiori honore non eſſe dignum agnoſcit, & profitetur. Magnanimitatem verò dicit eſſe virtutem, qua is, qui ea præditus eſt, in omni virtutum genere magna operatur, vt reddat ſe magnis honoribus maximè dignum. Quare S. Bonauentura[l]; *Magnanimitas* (inquit) *appretiatur magna, & deſpicit vilia: hæc eſt humilitas, quæ deſpicit apparentia magna, & appretiatur ea, quæ videntur eſſe parua; ſunt tamen magna. Quòd ſi Philoſophus magnanimitatem poſuit in appetitu honoris, quidquid dicat ipſe, hoc non docet veritas, niſi cùm honor eſt æternorum.* Sed S. Thomas[m] conatur Ariſtotelem excuſare, quaſi non dixerit, magnanimum propter aſſequendum honorem honeſta operari; ſed ſtudere ſemper ea facere, quæ ſunt honore digna: non ſic tamē, vt pro magno æſtimet humanum honorem. Negari tamen non poteſt, ignoraſſe Ariſtotelem, alióſque ſimiliter ethnicos ſapientes perfectam illam mundanorum honorum deſpicientiam, quam docet humilitas, & magnanimitas Chriſtiana. Vnde mirum videri non debet, ſi multas huius virtutis proprietates inueſtigando hic Philoſophus ferè in omnibus proceſſerit diminutè, quas in S. Paulo abſolutiſſimas inueniemus.

k Ariſt. l. 4. Eth. c. 4.

l S. Bon. l. de lumin. Eccleſiæ, ſer. 5.

m S. Th. 2. 2. q. 129. a. 1. ad 3.

In primis itaque deſcribēs hic Philoſophus, quomodo ſe habeat vir magnanimus ad honores, ſic ait[n]: *Ob eos honores, qui & magni ſunt, & à probis viris exhibentur, mediocriter quidem lætabitur, vtpote ſibi accommodatos, vel etiam minores, quàm ſibi conueniant: integrè enim, & abſolutè viri vti nullus honor tribui dignus poteſt.* Ita quidē in hac mortali vita; ſed qui æternam gloriam expectat, quantò maiori animo egregia quæcunque facinora aggreditur? *Omnis, qui in agone contendit* (inquit Apoſtolus[o]) *ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem, vt corruptibilē coronam accipiant; nos autem incorruptam: ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum; ſic pugno, non quaſi aerem verberans.* Et alibi[p]: *Exiſtimo enim, quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et, *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.*

n lib. 4. Ethic. 3.

o 1. Cor. c. 9. v. 25.

p Rom. c. 8. v. 18.

Secundò ponit idem Philoſophus virtutem magnanimitatis eſſe raram, ac perdifficilem, eò quòd præſupponat omnes alias virtutes, quibus ipſa tanquam decor & magnitudo ſuperinducitur, ad hoc, vt vnaquæque illarum in ſua materia honeſtiſſimas, & honore digniſſimas exerceat actiones. At, ſi ita eſt, magnanimitas abſoluta & perfecta naturæ viribus comparari omninò non poteſt: nam, præterquàm quòd acquiſitæ virtutes ſine gratia valdè ſunt imperfectæ, nulla obtinebitur ex infuſis, ſine quibus, & præſertim ſine tribus illis theologalibus, fide, ſpe, & charitate nihil vnquam valdè honeſtum magnanimus operabitur. Nam de fide ait Apoſtolus[r]: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.* & alia quæque præclariſſima geſſerunt. De ſpe[s]: *Si in hac vita tantùm ſperantes eſſemus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Vt quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior per gloriā veſtrā, Fratres. Si ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt? Sed gloriamur* (ait) *in ſpe gloriæ filiorū Dei: ſpes autem nō confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus*

r Hebr. c. 11 v. 33

s 1. Cor. c. 15 v. 19. 30 31.

noſtris

noſtris. Hac ergo charitate vrgeri ſe ad præclariſſima quæque teſtatur, dicens [u] : *Charitas Chriſti vrget nos.* Et certum ſe eſſe profitetur [x] : *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto* IESV. Hac animi magnitudine nihil profectò ſublimius in corpore mortali poterit inueniri, aut etiam excogitari, ac mente concipi.

u 2. Cor. c. 5. v. 14.
x Rom. c. 8. v. 38.

Tertiò, deſcendens Ariſtoteles ad modum, quo magnanimus in ſingularum virtutum materia excellenter operatur, primùm in materia fortitudinis ait, illum eſſe μεγαλοκίνδυνον, id eſt, circa magna diſcrimina periclitantem, non parcendo, videlicet, vitæ ſuæ propter gloriam, & honorem. Quòd ſi ad hoc inducitur magnanimus ob humanam gloriam, mundanum honorem, & famam tranſeuntem, ad quid non excitabit firma expectatio felicitatis ſempiternæ? Hinc illæ repetitæ Apoſtoli conteſtationes [y] : *Vincula, & tribulationes Ieroſolymis me manent: ſed nihil horum vereor* [z] : *ego enim non ſolùm alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum. Et nunc* (inquit ad Philippenſes [a]) *magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitã, ſiue per mortem. Mihi enim viuere Chriſtus eſt; & mori lucrum.* & ad Corinthios [b] : *Licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur; tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diem. Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

y Act. c. 20. v. 24.
z ibid. c. 21. v. 13.
a Philip. c. 1. v. 20.
b 2. Cor c. 4. v. 16. 17.

Quarta magnanimi proprietas ponitur ab eodem Philoſopho in materia liberalitatis, quòd talis conferre libentiùs ſoleat beneficia, quàm accipere; & quòd gaudeat tribuendo, recipere autem quodammodo erubeſcat: *Et ego* (inquit Apoſtolus [c]) *libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris, licet plùs vos diligens, minùs diligar. Nec enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis.* Quanta verò ſollicitudine, ac diligentia, quàm pia & profuſa liberalitate pauperibus, qui erant Ieroſolymis, collectas aliũde plurimas eleemoſynas diſpenſauerit, narratum eſt ſuo loco. Quare meritò potuit illud de ſe ad Corinthios ſcribere [d] : *Sicut egentes; multos autem locupletantes: nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Intereà, ne quenquam pro ſua parte velle grauare videretur, aut mercedem pro euangelica prædicatione expetere, neceſſaria ſibi ad vitam ſuſtentandam propriis manibus laborando conquirebat. Qua in re animi ſui celſitudinem in Epiſtola ad Corinthios ſic exponit [e] : *Neſcitis, quoniam, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt; & qui altari deſeruiunt, de altari participant? Ita & Deus ordinauit iis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Ego autem nullo horum vſus ſum. Non autem ſcripſi hæc, vt ita fiant in me: bonum eſt mihi magis mori, quam vt gloriam meam quis euacuet. Quæ eſt ergo merces mea? vt Euangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Euangelium.* Eſt autem obſeruatione dignum, quod Mileto diſcedens, Preſbyteris Epheſinis dixit [f] : *Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupiui, ſicut ipſi ſcitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & iis, qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ. Nam oportet meminiſſe verbi Domini* IESV, *quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare quàm accipere.* Hæc enim Chriſti ſententia, nec apud Euangeliſtas, nec alibi legitur; ſed tamen

c ibid. c. 12. v. 15.
d ibid. c. 6. v. 10.
e 1. Cor. c. 9. v. 13. 14. 18.
f Act. c. 20. 33.

neſcio, quomodo ſimilem protulit loquens de viro magnanimo Ariſtoteles, quòd, nimirum, malit hic dare quàm accipere, quia hoc eſt præſtantius, & honoratius: Chriſtus verò Dominus dixit eſſe beatius.

Quintam deinde ponit proprietatem à quarta prouenientem, vt magnanimus multò libentiùs audiat commemorari ſibi, quæ aliis contulit beneficia, quàm quæ accepit: non vitio ingrati animi, vt benè S. Thomas exponit [g]; *Sed, quantùm ad hoc,* (inquit) *quòd non eſt ſibi delectabile ab aliquibus accipere beneficia, quin eis maiora cõpenſet, quod pertinet ad perfectionem gratitudinis, in cuius actu magnanimus vult ſuperexcellere, ſicut & in actibus aliarum virtutum.* Sed neque huius rei exemplum in ſe deſiderari noſter Apoſtolus paſſus eſt. Fuerat aliquando à Theſſalonicenſibus humaniſſimè exceptus, à quo euangelicam prædicationem illi auidè admiſerant. Hos igitur per Epiſtolam ſic alloquitur [h]: *Deſiderantes vos cupidè volebamus tradere vobis non ſolùm Euangelium, ſed etiam animas noſtras: quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. Quæ eſt enim ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum?*

[g] 2. 2. q. 129. art. 3. ad 5.

[h] 1. Theſ. c. 2. v. 8. & 19.

Sextam magnanimi proprietatem exponit Ariſtoteles his verbis: *Magnanimi quoque eſt, a nemine quidpiam, aut vix tandem petere; ſed prõptè aliis miniſtrare.* Quod fuiſſe ab Apoſtolo diligentiſſimè obſeruatũ, ſatis conſtare poteſt ex dictis. Septima proprietas ab eodem aſſignatur, non venditare ſe apud ſimplices, & rudes; cum magnis tamen excellentiam ſuam opportunè manifeſtare. Ita planè ſolitum ſe gerere teſtatur Apoſtolus ſic ad Corinthios ſcribens [i]: *Ego, Fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus; ſed quaſi carnalibus. Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis: ſapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam autem non huius ſæculi, neque Principum huius ſæculi, qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt.* Octaua proprietas, non occupari negotiis minoribus, quibus impediatur ab operibus honeſtioribus, & quæ magis eius perſonam deceant. Ita S. Paulus baptizandi miniſterium Diaconis, & Sacerdotibus inferioribus relinquebat: munus verò proprium Epiſcoporum docendi, concionandi, & Euangelium propagandi magis per ſe exercebat [k]. *Non enim, ait, miſit me Chriſtus baptizare; ſed euangelizare. Et quandiu quidem ego ſum gentium Apoſtolus, honorificabo miniſterium meum.* Nona proprietas, tam odium malorum, quàm bonorum dilectionem apertè præ ſe ferre: velle enim latere, puſilli, non magni animi eſſe. Decimam magnanimi proprietatẽ ponit veracitatem, & in aſſerenda veritate libertatem. Vndecimam, memorem non eſſe iniuriarum. Duodecimam, neque eſſe admiratorem. Denique hominũ iudicia, laudes, & vituperationes non multùm curare. In quibus omnibus Paulus Apoſtolus, ſupra quàm dici poteſt, excelluit: vnde dicebat [l]: *Mihi autem pro minimo eſt, vt a vobis iudicer, aut ab humano die. An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, ſeruus Dei non eſſem. Et in hoc poſitus ſum ego Prædicator, & Apoſtol[us]; veritatem dico, non mentior, Doctor Gentium in fide, & veritate.* De ſua verò hac in proferenda, & defendenda veritate conſtantia teſtes eſſe poſſunt non tantùm priuati homines

vbique

[i] 1. Cor. c. 3. v. 1. & c. 2. v. 6.

[k] 1. Cor. c. 1. v. 7. & Rom. c. 11. v. 13.

[l] 1. Cor. c. 4. v. 3. Gal. c. 1. v. 10. 1. Tim. c. 2. v. 7.

vbique terrarum, ſed Magiſtratus, & Tribunalia, & Concilia, Pontifices, Præſides, ac Reges. Vnde carceribus quidem recludi, compedibus detineri, vinciri catenis potuit; ſed ne Chriſtum annunciaret, & eius Euangelium liberrimè prædicaret, impediri nunquam potuit. Qua de re ad Timotheum ſcribens: *Laboro* (inquit) *vſque ad vincula, quaſi malè operans; ſed verbum Dei non eſt alligatum.* Quin etiam adhuc reciſo à ceruicibus ſacro capite, non ceſſauit lingua eius ſanctiſſima ſalutare IESV nomen ſæpiùs iterare. Quæ cùm ita ſint, exemplar abſolutiſſimum huius virtutis magnanimitatis inter mortales ſi quæratur, vix in alio meliùs, quàm in Apoſtolo Paulo inuenietur.

CAPVT IX.

De contemptu rerum omnium mundanarum.

Sicut, qui ad verticem altiſſimi alicuius montis peruenit, & inde reſpicit inferiùs iacentia, valdè minuta, ac ferè nulla eſſe illa omnia ei videntur: ita Paulus Apoſtolus, vbi ad tantam omnium virtutum ſublimitatem fuiſſet euectus, cuncta, quæ in mundo ſunt, & ſolent magnifieri à mundanis, adeò parua, & contemptibilia reputabat, vt illa ne reſpectu quidem & reputatione digna exiſtimaret [a]. *Non contemplantibus* (inquit) *nobis, quæ videntur; ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.* Quòd ſi quis in aliquo cœleſtium orbium conſtitutus, quantumuis inferiorum, globum terræ vniuerſæ vix alicuius eſſe magnitudinis propter diſtantiam iudicaret; quidnam de iis, quæ circa terram ſunt, vrbibus, ædificiis, ac deliciis, ex ſupremo cœlorum, quò raptus Paulus aliquando fuit, deberet exiſtimare? Quamuis autem corpore ibi hærere vix ad modicum tempus fuerit Apoſtolo conceſſum; animo tamen & mente, quæ melior eſt hominis pars, & qua rerum momenta & pretia diiudicantur, ſic perſtitit, vt verè deinceps affirmaret [b]: *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Quid ergo mirum, ſi tam abiectè ſentiret, ac loqueretur de mundanis honoribus, deliciis, ac diuitiis, vt diceret [c]: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam IESV Chriſti, Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Sed adhuc ſignificantius ſordes huiuſmodi rerum mundanarum Græco vocabulo ſignificauit, ea σκύϐαλα nominando, quaſi κυσίϐαλα, ait Suidas, ἀπὸ τοῦ τοῖς κυσὶ βάλλεσθαι, id eſt, quæ canibus proiiciuntur, extracta, videlicet, reiectamenta ab inteſtinis pecorum, cùm in macello fœdè exenterantur, ad quæ canes furioſè accurrunt, inuicem mordentes, vt quiſque primus ea diripiat, ac degluriat. Tales enim ſunt ex huius Apoſtoli ſenſu & ſententia mundi huius diuitiæ, quibus cor ſuum implent opulenti, donec vni per mortem violenter extractæ, ab altero auidè rapiantur. Hinc de talibus loquens Iob ait [d]: *Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* Ecce igitur quanti diuitias, & theſauros huius mundi faciebat Apoſtolus, vt eas quaſi res abominabiles, nec ſciret

[a] 2. Cor. c. 4. v. 18.

[b] Philip. c. 3. v. 20.

[c] ibid. v. 7. 8.

[d] Iob c. 20. v. 15.

e 1. Cor. c.4.v.18.

ferret eminùs intueri [e]: *Non contemplantibus (inquit) nobis, quæ videntur; ſed, quæ non videntur.* *Quid hic dicis, Paule?* ait Chryſoſtomus [f]: *Nonne pugnant iſta? inuiſibilia enim non videmus; viſibilia autem videmus. Quales habes oculos? Tales ſunt, qui à Chriſto dati: ſicut enim hi noſtri viſibilia quidem vident; ita illi contrà, quos acceperat à Chriſto Paulus, videbant inuiſibilia, viſibilia verò non videbant.*

f Chryſoſt. hom. 32. in Acta

Quantoperè autem mundi gloriam & honores Paulus deſpiceret, & voluptates, & vanitates, & quidquid illis verbis complexus eſt Euāgeliſta Ioannes, cùm dixit [g]: *Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* ibidem proſequitur S. Chryſoſtomus, dicens: *Qui enim igne Chriſti, ſicut Paulus, captus fuerit, talis fit, qualis eſſet homo ſolus ſuper terram habitans: adeò nihil curæ eſt ei gloria, & ignominia; ſed, quemadmodum ſi ſolus habitaret, ita & talis quoque non curaret. Ea autem, quæ ſuauia ſunt in hac vita, ita ridet, & non ſentit; ſicut nos, vel ipſi mortui corpora mortua. Tātùm autem abeſt, ne ab affectione quadam capiantur, quantùm aurum, quod igne probatur, à macula abſcedit: & ſicut muſcæ in medium flammæ incidunt, ſed fugiunt; ita & affectiones illis accedere non audent.* Ita de Paulo Chryſoſtomus.

g Ioan. ep.1.c.2. v.15.

Sed alia triplici ſimilitudine ipſe Apoſtolus accommodatè nos docuit, quanti mundana omnia fecerit, & quanti à nobis facienda eſſe iudicauerit. Prima ſimilitudo eſt peregrini, altera mortui, tertia crucifixi: vnde agens S. Bernardus de perfecto contemptu rerum mundanarum, ſermonem inſcripſit: *De peregrino, mortuo, & crucifixo.* A peregrino itaque primùm ductā ſimilitudine S. Paulus in hanc ſententiam ſic ad Corinthios ſcripſit [h]: *Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum: & ideò contendimus, ſiue abſentes, ſiue præſentes, placere illi.* Et in Epiſtola ad Hebræos [i]: *Non enim (inquit) habemus hic manentem ciuitatem; ſed futuram inquirimus.*

h 2. Cor. c.5.v.6. & 7.

i Hebr. c.13.v. 14.

Quare, ſicut peregrini non hærent in via; recto itinere incedunt; non onerant ſe rebus ſuperuacaneis; hoſpitium, vbi pernoctant, agnoſcunt non eſſe propriam domum, ſed alienam, & breui tempore deſerendam; quæcunque geruntur, intra, vel extra ciuitates, per quas tranſeunt, tanquā ad ſe non pertinentia vix reſpiciunt, neque quidquam curant: ita deſpiciebat S. Paulus omnia tranſeuntia viſibilia, intentus rebus æternis inuiſibilibus; & ad ea iter ſuum, vel potiùs curſum expeditiſſimum dirigebat. Et ideò de ſe ita ſcripſit ad Philippenſes [k]: *Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Vnum autem, quæ quidem retrò ſunt, obliuiſcens; ad ea verò, quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis.* Hinc alios cuiuſcunque ſtatus, & conditionis fideles ad idem exemplo ſuo inuitabat, & verbis efficaciſſimis hortabatur, dicens [l]: *Tempus breue eſt: reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint; & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non poſſidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* Non dixit formā huius mundi, quæ rem ſignificat ſolidiorem; ſed figuram, σχῆμα, id eſt, ſpeciem euanidam & fugacem, eámque ait a nobis fugere, & ſine mora præterire. Quapropter eadem peregrini ſimilitudine S. Petrus fideles admonebat,

k Philip. c. 3.v. 13.

l 1.Cor. c.7. v. 29.30.

m Ep. 1. c. 2. v. 1. admonebat, dicens [m]: *Chariſſimi, obſecro vos tanquam aduenas, & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduersùs animam.* Eadem ratione Patres veteris Teſtamenti ſeipſos ad contemptum rerum mundanarum ſæpiùs excitabant [n]: *Quoniam aduena ego ſum apud te*, dicebat Dauid: & Salomon [o]: *Peregrini* (inquit) *ſumus coram te, & aduenæ ſicut omnes patres noſtri: dies noſtri quaſi vmbra ſuper terram, & nulla eſt mora.* Et ante hos Iacob Patriarcha interrogatus à Pharaone [p]: *Quot ſunt dies annorum vitæ tuæ?* reſpondit: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parui, & mali, & non peruenerunt vſque ad dies Patrum meorum, quibus peregrinati ſunt.* Eóque magis ſenſum huiuſmodi pietatis commendat Apoſtolus in illis Patribus antiquioribus, & noſtram inde ſtimulat deuotionē, quòd illi omnes ita versùs cœleſtem patriam peregrinabantur, vt abſoluta per mortem peregrinatione, portas ſupernæ Ieruſalem apertas per Chriſtum Dominum, ſicut apertæ nobis iam ſunt, non inuenirent, ſed expectare diu promiſſam felicitatem in Limbo cogerētur. *Iuxta fidem enim* (inquit S. Paulus [q]) *defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus; ſed à longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram.* At nos, ſi verè tanquam peregrini proceſſerimus, ſtatim apertis portis patria cœleſtis excipiet. Quod benè S. Cyprianus in libro de immortalitate perpendit, dicens: *Conſiderandum eſt, Fratres dilectiſſimi, & identidem cogitandum, renunciaſſe nos mundo, & tanquam hoſpites & peregrinos hìc interim degere. Amplectamur diem, qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo; qui nos iſtinc ereptos, & laqueis ſæcularibus exolutos Paradiſo reſtituit, & regno cœleſti. Quis non peregrè conſtitutus properet in patriam regredi? patriam noſtram Paradiſum computamus, parentes Patriarchas habere iam cœpimus: quid non properamus, & currimus, vt patriam noſtram videre, & parentes ſalutare poſſimus?* Refert in oratione funebri de laudibus S. Baſilij Nazianzenus, cùm Præfectus Valentis Imperatoris Baſilio minitaretur exilium, & ab epiſcopatu eiectionem, ſic illum reſpondiſſe: *Nihil horum, quæ dixiſti, ego curo, ipſe me ob ſpem regni cœleſtis proſcribens, & nihil poſſidens, ab exilij metu liber ſum, vnam omnium cognoſcens eſſe patriam Paradiſum: (terram enim quaſi commune omnium aſpicimus naturæ exilium:) propria vero carens terra, nullo loco circunſcribor: Domini eſt terra, & plenitudo eius: incola ego ſum in terra, ſicut omnes patres mei.* Ita ſecundùm Apoſtoli exemplum atque doctrinam S. Baſilius.

n Pſ. 38. v. 13.
o 1. Paral. c. 29. v. 15.
p Gen. c. 47. v. 8.
q Hebr. c. 11. v. 13.

Sed his noſter Apoſtolus non cōtentus gradum adhuc altiorem deſpicientiæ rerum mundanarum, qualē ipſe obtinuerat, & alios in ſpiritu proficientes obtinere volebat, ſimilitudine mortui magis expreſſit. Nam peregrinus, etiamſi non hærere in via, ſed feſtinare ad patriam teneatur; fieri tamen vix poteſt, vt prorſus nihil aſpiciat, nihil aduertat ex multis, quæ ſolēt occurrere in itinere, nec ad modicum à quoquam detineatur. At verò mortuus nulla tangitur curioſitate, nullius rei ſpecie quantumuis pulchra, vel horrifica vllatenus afficitur, non diuitias, non honores, non contumelias attendit: ſed omni prorſus ſenſu carens, ad ea tantùm, quæ alterius vitæ ſunt, anima fertur ab omni corporis commercio ſeparata. Hinc ad Coloſſenſes ſcripſit, quos ſecum eſſe huic mundo mortuos Apoſtolus cupiebat [r]: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chri-*

r Coloſſ. 3. v. 1.

ſtus eſt in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis vos, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Peregrinus, nimirum (ait S. Bernardus [s]) *poteſt facilè, occaſione viatici, plusquam oporteat, & detineri quærẽdo, & prægrauari portando: mortuus, etiamſi deſit ipſa ſepultura, non ſentit: ſic vituperantes, vt laudantes; ſic adulantes audit, vt detrahentes: imò verò nec audit, quia mortuus eſt. Omnino felix mors, quæ ſic immaculatum ſeruat, imò penitùs alienum facit ab hoc ſæculo. Sed neceſſe eſt, vt qui non viuit in ſe, viuat Chriſtus in illo. Hoc eſt enim, quod ait Apoſtolus* [t]: *Viuo autem iam non ego; viuit verò in me Chriſtus. Ac ſi diceret: Ad alia quidem omnia mortuus ſum, non ſentio, non attendo, non curo: ſi quæ verò ſunt Chriſti, hæc viuum inueniunt, & paratum.* Ita S. Bernardus. At verò Gregorius Nicænus [u] eadem Pauli verba perpendens: *Viuo autem iam non ego; viuit verò in me Chriſtus.* ſic ait: *His verbis tãtùm non clamat Apoſtolus, nullam in ſe affectionem humanam viuere, non faſtũ, non timiditatem, non voluptatem, non dolorem, non iram, non metum, non audaciam, non iniuriarum memoriam, non inuidiam, non vindictæ, auaritiæ, honoris, aut gloriæ cupidinem; ſed his omnibus abraſis, ſolùm, inquit, mihi ſupereſt ille, qui nihil eſt horum, qui eſt ipſa ſanctificatio, & puritas, & immortalitas, & lumen, & veritas, qui paſcitur inter lilia, in ſplendoribus Sanctorum.* Huc vſque Nicænus de Paulo huic mundo mortuo, & Chriſto viuente in Paulo, ac nouæ vitæ opera in eo mirabiliter operante. Hæc eſt enim vis, & virtus efficaciſſima charitatis, vt vbi humanum cor ex toto peruaſerit, extinguat omnem ſæculi amorem, atque animam & mundo & ſibimetipſi ereptam, in Deum transferat, atque trãsformet. Hoc benè Pauli diſcipulus Dionyſius Areopagita de ſuo magiſtro expreſſit, dicens [x]: *Ecſtaſim facit diuinus amor, amatores ſuo ſtatu dimouet, & ſui iuris eſſe non ſinit; ſed in ea, quæ amat, penitùs transfert. Idcircò & Paulus ille magnus, cùm diuino amore flagraret, exceſſiuæ illius virtutis particeps: Viuo, inquit, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus. Tanquam verus amator mentis exceſſum patiens.*

s S. Bern. ſer. 7. in Quadr.
t Gal. c. 2. v. 20.
u Nican. hom. 15. in Cant.
x S. Dionyſ. c. 4. de diu. nom.

Sed neque huiuſmodi gradum cõtemptus mundi ſatis ſibi eſſe Paulus exiſtimauit, etiamſi alicui videri poſſet altiorem non inueniri: ipſe tamen adinuenit, & exemplo magis, quàm verbis in ſe expreſſit. *Chriſto confixus ſum cruci* (dicebat [y]) *& mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri* IESV *Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Hæc ad rem noſtram conuenientiſſimè interpretantem S. Bernardũ audiamus: *Magnus omninò eſt gradus iſte,* (inquit loquens de ſecundo gradu iam à nobis expoſito:) *at fortaſſe poterit aliquid ſuperius inueniri. In quo ergo quæremus? In quo putas, niſi in eo, de quo nunc loquebamur, qui raptus eſt vſque ad tertium cœlum? Quis enim prohibet tertium cœlum dicere, ſi quem gradum ſupra iſtos poteris inuenire? Audi igitur ipſum de hac tanta altitudine, non in ſe gloriantem, ſed dicentẽ: Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri* IESV *Chriſti, per quẽ mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Non ſolùm, inquit, mortuus mundo, ſed & crucifixus, quod eſt ignominioſum genus mortis. Ego illi pariter, & ipſe mihi: omnia, quæ mundus amat, crux mihi ſunt, delectatio carnis, honores, diuitiæ, vanæ hominum laudes. Quæ verò mundus reputat Crucem, illis affixus ſum, illis adhæreo, illa toto amplector affectu. An non maior iſte eſt ſecundo, & primo gradu? Peregrinus, ſi prudens eſt, & non obliuiſcitur ſuæ peregrinationis, licèt cum labore tranſit, & non magnoperè*

y Gal. c. 2. v. 19. & c. 6. v. 14.

perè ſæcularibus implicatur: mortuus æque blanda huius ſæculi, ſicut aſpera ſternit. Qui vero raptus eſt vſque ad tertium cœlum, crux illi eſt omne, cui mundus inhæret, & his adhæret, quæ mũdo Crux eſſe videntur. Denique videtur S. Paulus mundum hunc veluti ludicram ſcenam ſibi propoſuiſſe, in qua quidquid affectent alij perſonas agere celebriores, & magis in apparẽtia honorificas, ipſe, vt magis Chriſtum æmularetur, partes ſibi delegerit abiectiſſimas, & deſpicatiſſimas. Qua de re ſic ad Corinthios ſcripſit[z]. *Puto, quòd Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos: quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles.* Neque interim plauſum, aut iudicium hominum ſe quidquam curare, ſed Dei ſolius approbationem: nam ſubdit ibidem[a]: *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Prætereà cupere ſe vehementer, vt drama hoc, & quaſi comœdia tandem abſoluatur, detegatur ſcenicus mundi huius apparatus, deponantur exuuiæ mortalitatis. *Scimus enim,* (dicebat[b],) *quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* & rurſus alibi[c]: *Oportet* (inquit) *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Idque ait ardenter ſe cupere[d]: *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Nihil igitur vltrà illum in hac vita niſi Chriſti charitas derinebat, & hac ipſa, vt eſſet cum Chriſto, incitabatur; & quia effectum ſibi optatiſſimum ſortiri nondum poterat, affectu tanquam in Cruce cum Chriſto erat affixus, & in hoc tantùm gloriabatur, dicens: *Chriſto affixus ſum Cruci: abſit mihi gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri* IESV *Chriſti, per quem mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo: viuo ego, iam non ego; viuit verò in me Chriſtus.*

z 1.Cor. c.4. v.9.
a ibid. v. 3.
b 2.Cor c.5. v.1.
c 1.Cor c.15. v. 53.
d Phil. c.1. v.23.

CAPVT X.

De præmio eius æternæ felicitatis.

QVia meritis præmia reſpondẽt, & contemptui rerum mundanarum gloria cœleſtis; poſteaquam ſatis pro noſtro inſtituto de Apoſtoli Pauli promeritis, & eminenti eius virtute dictum eſt, iam hìc eſſe reliquum videtur, vt aliqua de eius in cœlis corona dicamus, & cum præmio æternæ felicitatis ipſius tandem Tractationem hanc noſtram concludamus. *Bonum certamen certaui,* (ſcripſit Timotheo[a],) *curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*; nempe, iuſta & operibus iuſtis per diuinam gratiam adimpletis à iuſto Iudice mihi adiudicanda. Conſtare autem videtur Pauli corona hæc pretioſiſſima ſexdecim veluti gemmis, auro inſertis præclariſſimis, & fulgentiſſimis. Prima eſt poteſtatis iudiciariæ, quam Apoſtolis ſuis Chriſtus Dominus in Euangelio promiſit, dicens[b]: *Cùm ſederit Filius hominis in ſede Maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Iſraël.* Deinde ſunt tres, quas Theologi vocant dotes animæ beatæ, nempe, claræ viſionis diuinæ eſſentiæ; comprehenſionis, quantùm intellectu creato poteſt eſſentia diuina comprehendi;

a 2.Tim. c.4. v.7.
b Matth. c. 9. v. 28.

& inde manantis æternæ fruitionis. His adduntur quatuor dotes corporis glorioſi, nimirum, impaſſibilitatis, claritatis, agilitatis, & ſubtilitatis. Ad hæc inſuper tres aureolæ, martyrij, virginitatis, atque doctrinæ. Prætereà in ſingulis quinque ſenſibus ſua quædam propria beatitudo. Hæc omnia noſter Apoſtolus, vt in omni genere virtutum quamplurimos Sanctorum ſuperauit, ita vnus ipſe ſupra multos obtinuit mercede cumulatiſſima. Idque modò ſumus enarraturi ipſius potiſſimùm teſtificatione, qui priuilegio planè ſingulari euectus adhuc mortalis vſque ad ſupremum Paradiſum, frequentiùs de his, quam ferè vlla alia diuina Scriptura ingerit mentionem, quæ futura ſint hæc præmia, quanta, & qualia ab ipſo ſperarentur ſæpè deſcribens.

Itaque, vt à primo incipiamus præmio iudiciariæ poteſtatis: *Neſcitis* (ait ad Corinthios ſcribens [c]) *quoniam Angelos iudicabimus?* Angelos, videlicet, *qui* (vt inquit in ſua Epiſtola catholica Iudas Apoſtolus [d]) *non ſeruauerunt ſuum principatum; ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudiciũ magni Dei, vinculis æternis ſub caligine reſeruauit.* Similiter de his ait S. Petrus [e]: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reſeruari.* Quæ igitur humana poteſtas, quod regale ſolium, aut ſublimitas mundi huius cum hac dignitate comparari poteſt, aſſidendi, videlicet, in thronis gloriæ Chriſto Iudici vniuerſorum ad ſententiam iudiciariam proferendam, non ſolum contra homines, ſed etiam cõtra Angelos, tenebrarum Principes, & Poteſtates? Quòd ſi quis de Paulo quærat, qua ratione id ſibi polliceretur, quod duodecim tãtùm Apoſtolis à Domino videtur fuiſſe promiſſum, cùm dixit: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim.* Paulus autem ſupra hunc numerum eſt adiunctus; audiat, quid de hac re diſputet S. Auguſtinus [f]: *Si duodecim ſedes ibi ſunt, non eſt, vbi ſedeat tertiusdecimus Paulus Apoſtolus, & non erit, quomodo iudicet: & ipſe ſe iudicaturum dixit, non homines tantùm, ſed & Angelos. Quos Angelos, niſi apoſtatas Angelos? Neſcitis, ait, quia & Angelos iudicabimus? Quid te iactas iudicaturum, (fortè aliquis dicet,) & vbi ſedebis? Duodecim ſedes dixit Dominus pro duodecim Apoſtolis. Vnus cecidit Iudas, in locũ ipſius S. Matthias ordinatus eſt: impletus eſt duodenarius numerus ſedium: primò locum inueni, vbi ſedeas: ſic te minare iudicaturum.* Ad hæc ita reſpondet S. Auguſtinus: *Sacramentũ eſt hic numerus cuiuſdã vniuerſitatis, quia per totũ orbẽ terrarum futura erat Eccleſia. Et ideò quia vndique venitur ad iudicandũ, duodecim ſedes ſũt: ſic quia vndique intratur in illa ciuitatẽ, duodecim portæ ſunt. Non ſolùm ergo illi duodecim, & Apoſtolus Paulus, ſed quotquot iudicaturi ſũt, propter ſignificationem vniuerſitatis, ad ſedes duodecim pertinẽt: quemadmodũ quotquot intrabũt, ad duodecim portas pertinẽt. Partes enim mũdi quatuor ſũt, Oriẽs, Occidẽs, Aquilo, & Meridies. Iſtæ quatuor partes aſſiduè nominãtur in Scripturis. Ab omnibus iſtis quatuor vẽtis, ſicut dicit Dominus in Euãgelio [g], a quatuor vẽtis ſe collecturũ electos ſuos: ab omnibus ergo iſtis quatuor vẽtis vocatur Eccleſia. Quomodo vocatur? Vndiq; in Trinitate vocatur. Nõ vocatur niſi per Baptiſmũ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Quatuor igitur ter ducta duodecim inueniuntur.* Ita S. Auguſtinus, ex quo illud, quod propriè ad rem noſtram facit, deducimus: quamuis omnibus, qui pro Chriſto omnia ſua reliquerunt, vt eum ſequerentur, ſit dictum: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim.*

[c] *1. Cor. c. 6. v. 3.*
[d] *Iudæ ep. cath. v. 6.*
[e] *2. Petr. c. 2. v. 4.*
[f] *S. Aug. in Pſ. 86.*
[g] *Marc. c. 13. v. 27.*

non

non eſt tamen dubitandum, primarios,& ſupremo Iudici aſſeſſores propinquiores Apoſtolos eſſe futuros, inter quos S.Paulus: quia,vt ipſemet de ſe, veritate cogēte,profeſſus eſt [h], abundantiùs illis omnibus laborauit, qui plura pro Chriſto, & eius fide propaganda ſuſtinuit, qui mundum penè vniuerſum euangelica luce illuminauit, & ex hoc illuſtrior toti mundo apparebit. *Ecce* (inquit S. Gregorius [i]) *in maieſtate terribili inter Angelorū, atque Archangelorum choros Iudex vniuerſorum Chriſtus videbitur: in illo tanto examine electorum omnium & reproborum multitudo deducetur,& vnuſquiſque,quid ſit operatus,oſtendetur. Ibi Petrus cum Iudæa conuerſa, quam poſt ſe traxit, apparebit. Ibi Paulus conuerſum, vt ita dixerim,mundum ducens. Ibi Andreas poſt ſe Achaïam; ibi Ioannes Aſiam, Thomas Indiam, in conſpectum ſui Iudicis conuerſam ducet.* Hactenus S.Gregorius. Hunc Domini diem expectabat Apoſtolus, cùm ad Corinthios ſcripſit [k]: *Mihi autem pro minimo eſt, vt a vobis iudicer, aut ab humano die. Nolite itaque ante tēpus iudicare, quoadvſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum,& manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit vnicuique a Deo.* & ad Theſſalonicenſes [l]: *Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos,qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra,& ſic ſemper cum Domino erimus.* Et hæc quidem oculis omnium obiecta cernentur, non Sanctorum modò, verùm etiam reproborum.

h 1.Cor. c.15. v. 10.

i S.Greg. hom. 17. in Euāg.

k 1.Cor. c.4. v.3. & 5.

l 1.Theſ. c.4. v. 15.

Illas autem internas beatæ animæ dotes,viſionis,comprehenſionis, atque fruitionis, quibus in primo ingreſſu gloriæ donata eſt anima huius Apoſtoli beatiſſima, explicare quis valeat? De viſione ſic ipſe ſcripſit ad Corinthios [m]: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte; tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Atque hæc eſt eſſentialis noſtra beatitudo,viſio, nempe,clara, & intuitiua eſſentiæ diuinæ, quæ reſpondet fidei obſcuræ, de qua idem Apoſtolus ait [n]: *Dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino: per fidē enim ambulamus, & non per ſpeciem.* & alibi: *Tranformamur* (inquit [o]) *de claritate in claritatem vſque ad Domini gloriam*, id eſt, vt exponit S.Auguſtinus [p], *de gloria fidei in gloriam ſpeciei; de gloria, qua Filij Dei ſumus,in gloriam,qua ſimiles ei erimus; quia videbimus eum,ſicuti eſt.* Tres itaque gradus myſteriorum fidei ponit Apoſtolus; primum valdè imperfectum, & velatum vmbris ac figuris in lege veteri; ſecūdum in lege euangelica reuelatum; tertium in luminis gloriæ perfectiſſima claritate. Quòd ſi tanta fuit inter fideles veteris ac nouæ legis in horum myſteriorum notione differentia, & in noua lege tantus exceſſus huius notitiæ in Paulo ſupra alios Sanctos, vt ipſe diceret [q]: *Quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominū ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis,& mihi omnium Sanctorum minimo data eſt hæc gratia, illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſcōditi à ſæculis, vt innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cœleſtibus.* qualis erit poſt huius vitæ noctem in illa luce diei æternitatis ſupra multas etiam angelicas mentes ſplendor & claritas huius apoſtolici intellectus? Si Dionyſius Areopagita Paulum Eccleſiæ militantis Solem appellabat, qualem eum appellabimus in Ec-

m 1.Cor. c.13 v. 12.

n 2.Cor. c.5. v. 6.

o ibid. v.18.

p S. Auguſt.lib. 15. de Trin.c.8.

q Epheſ. c.3.v.5. 8.& 10.

cleſia triumphante ? Huic doti clariſſimæ Dei viſionis adiungitur ſecunda comprehenſionis, quam ipſe in hac vita ſpe tantùm, nondum re obtinebat, ideò dicebat [r] : *Fratres, ego non me arbitror comprehendiſſe : ſequor autem, ſi quomodo comprehendam.* Per hoc autem, quod ait, *ſi quomodo comprehendam*, indicat, non eſſe omnimodam, nec totalem comprehenſionem, qualem ſolus Deus habere poteſt, cognoſcendo infinita claritate, & cognitione incircunſcripta ſeipſum. Vnde malunt aliqui noſtram appellare apprehenſionem : ſic enim habetur in Epiſtola ad Timotheum [s] : *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam.* & infra : *Diuitibus præcipe, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam.* Sed tamen hic ſumitur apprehenſio, vt opponitur inſecutioni, qua ratione dicuntur beati non amplius eſſe viatores, ſed comprehenſores : iuxta illud ſcriptū ad Corinthios [t] : *Sic currite, vt comprehendatis.* Quamuis autem hæc, ſiue apprehenſio, ſiue comprehenſio non ſit operatio à viſione diſtincta; eſt tamen in ratione dotis valdè diuerſa. Viſio enim diuinæ eſſentiæ dupliciter conſideratur. Primùm, vt reſpicit pro obiecto Deum, & eſt clara cognitio illius ſummi boni, qua ratione pro prima dote computatur omnium trium præſtantiſſima, atque adeò ipſa eſt eſſentialis noſtra beatitudo. Secundò, conſideratur eadem viſio, vt eſt obiectum amoris ſupernaturalis concupiſcentiæ, quæ in hac vita excitabat in nobis actum ſpei tanquam boni noſtri ſummè deſiderati, & nondum habiti, ſed habendi; in alia verò excitat amorem Dei, vt iam obtenti, & quaſi manu per claram viſionem apprehenſi, non ampliùs ſperati : nam, vt legitur in Epiſtola ad Romanos [u] : *Quod videt quis, quid ſperat?* Hæc igitur comprehenſio, ſiue apprehenſio, vel, vt ab aliis vocatur, tētio, iuxta illud Sponſæ in ſacris Canticis [x] : *Tenui eum, nec dimittam.* dos ſecunda computatur, quatenus eſt obiectum facultatis appetitiuæ amantis, ac veluti manu apprehendentis tali viſione Deum, & reipſa, non amplius ſpe tenentis. Ideò dicitur hæc dos reſpōdere ſpei, ſicut prima reſpondet fidei: tertia verò reſpondet charitati, & fruitio appellatur, manans ex ea dilectione in volūtate, qua beata mens amat clarā Dei viſionem, tanquam ſummi boni propriam poſſeſſionem, atque ſummo gaudio quaſi torrēte perfunditur voluptatis. Iuxta id, quod in Pſalmo dicitur [y] : *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrēte voluptatis tuæ potabis eos. Quoniā apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Hæ dotes in beata Pauli Apoſtoli anima eò ſunt pretioſiores, quò maior extitit eius fides in hac vita, ſpes firmior, & charitas ardentior; fidei habitu mutato in lumen gloriæ, ſpei retento, non tamen ad ſperandum, aut expectādum, ſed media viſione quaſi manu tenendum, & poſſidendum ſummum bonum Deum, eoque charitate inuiolabili inſeparabiliter fruendum. Vt affirmare longè confidentius poſſit [z] : *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? certus ſum, quia neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque creatura alia* [a]. Et exiſtimo, quòd non ſunt condignæ paſſiones præteriti temporis, ad præſentem gloriam, quæ reuelatur in nobis [b]. Et momentaneum ac leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternū gloriæ pōdus iam operatur in nobis.

His tribus animæ dotibus aliæ quatuor corporum glorioſorum in vniuerſali reſurrectione ſuperadduntur,

r Philip. c. 3. v. 12. 13.

s 1. Tim. c. 6. v. 12. & 17.

t 1. Cor. c. 9. v. 24.

u Rom. c. 8. v. 24.

x Cant. c. 3. v. 4.

y Pſ. 35. v. 9. 10.

z Rom. c. 8. v. 35.

a ibid. v. 18.

b 2. Cor. c. 4. v. 17.

tur, ad quas flens Apoſtolus ſuſpira-
bat, dum inter alia ita ſcriberet Phi-
c Philip. c. 3. v. 20. lippenſibus [c]: *Saluatorem expecta-
mus Dominum noſtrũ* IESVM *Chri-
ſtum, qui reformabit corpus humilita-
tis noſtræ, configuratum corpori clari-
tatis ſuæ, ſecundùm operationem, qua
etiam poſſit ſubiicere ſibi omnia.* Et ad
d 1. Cor. c. 15. v. 53. Corinthios [d]: *Oportet corruptibile
hoc induere incorruptionem, & morta-
le hoc induere immortalitatem. Cùm
autem mortale hoc induerit immortali-
e Oſee c. 13. v. 14. tatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt* [e]:
*Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors
f 1. Cor. c. 15. v. 51. ſtimulus tuus* [f]? *& omnes quidem re-
ſurgemus; ſed nõ omnes immutabimur.*
Quod ipſe dicit propter reprobos,
qui reſurgent, ſed eorum corpora
potiùs deficient in deterius, quàm in
melius per quatuor illas dotes bea-
torum commutentur, quas ibidem
g ibid. v. 42. 43. explicans ſingillatim ait [g]: *Semina-
tur corpus in corruptione*, hoc eſt, ca-
dauer terræ mãdatur, *ſurget in incor-
ruptione*, id eſt, impaſſibile. *Semina-
tur in ignobilitate, ſurget in gloria*;
nempe, clarum ac ſplendens. *Semi-
natur in infirmitate, ſurget in virtute*;
id eſt, agile, & expeditum ad ſe &
alia mirabili virtute ac celeritate
mouenda. *Seminatur corpus animale,
reſurget corpus ſpiritale*, id eſt, ſubti-
le, potens veluti ſpiritus alia corpo-
ra penetrare & omnia permeare.
Quantò autem erunt maiora meri-
ta Sanctorum, tantò hæ dotes appa-
rebunt in beato corpore præclario-
res, quod nec omiſit eodem loco S.
h ibid. v. 41. Paulus ſignificare, cùm dixit [h]: *Alia
claritas Solis, alia claritas Lunæ, &
alia claritas ſtellarum. Stella enim à
ſtella differt in claritate: ſic & reſurre-
ctio mortuorum.* Erit itaque Chriſti
Domini corpus lucidiſſimum inſtar
Solis, imò excellentiori, & ſine cõpa-
ratione multò maiori claritate ſplen-
didius: ad quod ea corpora erunt cla-
ritate propinquiora, quæ in paſſio-
nibus pro ipſo toleratis magis ei fuê-
re conformia [i]. *Nam quos præſciuit,* i Rom. c. 8. v. 29.
*& prædeſtinauit conformes fieri ima-
gini Filij ſui* [k]: *qui reformabit corpus* k Philip. c. 3. v. 21.
*humilitatis noſtræ, configuratum cor-
pori claritatis ſuæ.* Quid ergo erit
tunc intueri Paulum, qui de ſe dice-
bat [l]: *Gaudeo in paſſionibus, & adim-* l Coloſſ.
pleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in c. 1. v. 24.
carne mea. hunc, inquam, Apoſto-
lum intueri in ſplendoribus Sancto-
rum, Soli iuſtitiæ Chriſto adeò vici-
num, adeóque conſimilem? Cru-
ciabatur olim propter obſtaculum,
& pondus corporis corruptibilis
eum impedientis, ne feliciſſimo
Chriſti Saluatoris aſpectu in cœlis
tandem aliquando frueretur, cùm
interim plura pro Chriſto pati, &
alios adhuc labores pro Euangelio
perferre deſideraret. *Quòd ſi viuere
in carne* (ait ſcribens ad Philippen-
ſes [m]) *hic mihi fructus operis eſt, &* m Philip.
quid eligam, ignoro. Coarctor autem è c. 1. v. 22.
*duobus: deſiderium habens diſſolui, &
eſſe cum Chriſto multò magis meliùs;
permanere autem in carne neceſſarium
propter vos.* Sed à compede carnis, &
ab ergaſtulo corporis corruptibilis
beata eius anima liberata, & aſſo-
ciata corpori immortali, quantùm
ad ſubſtantiam prorſus impaſſibili;
quantùm ad ornatum aurea luce ve-
ſtito, & ſplendidiſſimo; quantùm ad
operationem ſummæ agilitatis ad
omnia expeditiſſimo, atque inſtar
ſpiritus cuncta permeantis ſubtiliſſi-
mo, nihil erit vltrà, quod vtraque tũ
animæ tũ corporis vitalis pars, mens,
cor, intelligẽtia, ſenſus expetere poſ-
ſit, aut deſiderare. Et quemadmodũ
anima oculo mentis viſioni Diuini-
tatis ſemper intenta, inde ſuã obtinet
eſſentialem beatitudinem: ita & cor-
pus per ſuos oculos ab aſpectu lucen-
tiſſimæ, & perquàm ſpecioſiſſimæ
Chriſti

Chriſti humanitatis, ſuam hauriet felicitatem: ad quam S. Iob anhelabat, dicens [n]: *Scio, quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Et oculi mei conſpecturi ſunt. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Quando primùm in via Damaſci vidit Apoſtolus Chriſtum Dominum Sole meridiano fulgentiorem, inde obcæcatus eſt: non enim poterant oculi mortales vim tanti ſplendoris ſuſtinere: & tamen iure optimo gloriabatur, & apud Regem Agrippam, & in Concilio Iudæorum, & ad Corinthios ſcribens [o]: *Nónne Chriſtum* IESVM *Dominum noſtrum vidi?* At in cœlis oculi Pauli non erit, cur vnquam ceſſent ab intuitu ſacratiſſimæ Chriſti humanitatis, ſicut nec oculi mentis deſiſtent vnquam clarè intueri eius Diuinitatem, quod etiam de aliis Beatis aliqui ſentiunt, vt plenior ſit illorum Chriſti verborum veritas, & intelligentia [p]: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti* IESVM *Chriſtum.* Quid enim obſtare poterit? non iam obductio palpebrarum, propter dotem claritatis: non obiecti qualiſcunque diſtantia: nam, ſi Sol ad quancunque diſtantiam excitat ſuo ſplendore ad ſe viſum, multò magis illa Sole tantò luminoſior humanitas, quæ, vt dicitur in Apocalypſi [q], futura eſt in cœlis loco Solis: non tædium aſpiciendi, aut viſiuæ potentiæ defatigatio, propter impaſſibilitatis dotem: non opacitas corporum, cùm omnia in cœlis debeant eſſe diaphana: non denique libertas oculos auertendi, nam amoris magnitudo erga illam ſacratiſſimam humanitatem, & eius ſupra omnia creata excellens, atque incomparabilis pulchritudo ſuauiter alliciet, ac fortiter felici quadam neceſſitate detinebit. Sicut ex parte in Apoſtolo Petro declaratum eſt, cùm, etiamſi modicum quid illius pulchritudinis, & valdè contractum lumen in Chriſti transfiguratione conſpiciens, quaſi extra ſe poſitus, exclamare cœpit [r]: *Bonum eſt nos hîc eſſe.* nec vltra curam mortalis corporis habere voluiſſet. Neque ſolùm Pauli viſus, ſed & alij omnes eius ſenſus propria ſua decentiſſima voluptate recreati mirè beabuntur, quos propter Chriſtum tantoperè iugi mortificatione ſemper afflixit, vt diceret [s]: *Deiicimur, ſed non perimus: ſemper mortificationem* IESV *in corpore noſtro circunferentes, vt & vita* IESV *manifeſtetur in corporibus noſtris: ſemper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter* IESVM. *Vt & vita* IESV *manifeſtetur in carne noſtra mortali.*

His animæ feliciſſimæ & corporis beatiſſimi dotibus ac donis multiplicibus, tres inſignes aureolæ ſuperaddentur, quarum nulla in Paulo Apoſtolo deſiderabitur. Prima eſt aureola inſignis martyrij, vt non minùs de illo, quàm de aliis inuictis Chriſti Martyribus illud Eccleſiaſtici recitetur [t]: *Corona aurea ſuper caput eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.* Altera debetur aureola ob caſtimoniã virginalem, quam à Paulo ſemper fuiſſe conſeruatam oſtendimus ſuo loco [u]. De hac ipſe ſic ad Corinthios ſcripſit [x]: *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut ego: & beatior erit, ſi ſic permanſerit.* De cuius maiori beatitudine & corona dicitur in libro Sapientiæ [y]: *O quàm pulchra eſt caſta generatio cũ claritate: immortalis eſt enim memoria illius: & in perpetuum coronata triũphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.* Tertia debetur aureola

n Iob c. 19. v. 25.
o 1. Cor. c. 9. v. 1.
p Ioan. c. 17. v. 3.
q Apoc. c. 21. v. 23.
r Matth. c. 17. v. 14.
s 2. Cor. c. 4. v. 10.
t Eccli. c. 45. v. 14.
u lib. 1. c. 9.
x 1. Cor. c. 7. v. 8.
y Sap. c. 4. v. 1. 2.

aureola pro ſacra doctrina tantò eſt in Doctore Gētium illuſtrior, & pretioſior, quantò ad plures deriuata eſt eius, quaſi aureum flumen, prædicatio, & non humanæ, ſed planè diuinæ abyſſus ac mare ſapientiæ. Quòd ſi Danielis, vel potiùs Spiritus ſācti certa eſt promiſſio [z]: *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* qualis erit illa Doctoris Gentium claritas in luce beatæ æternitatis, qui in nocte huius ſæculi mundum propè vniuerſum radiis ſuæ doctrinæ, laboribus ac itineribus immenſis, inſtar Solis illuminauit? In quo autem propriè aureola, tum beatæ animæ, tum glorioſi corporis, ſita ſit, nobis in hac vita nō eſt facile definire: neque enim ſola eſſe poteſt animæ gloria eſſentialis; hæc enim omnibus Beatis, etiam iis, qui nullam obtinent aureolam, eſt communis: neque eſt intenſio maior illius gloriæ; fieri enim poteſt, vt qui nec Martyr fuit, nec Virgo, ſuperet inter Beatos, quantùm ad illius gloriæ intenſionem, ſiue in clariori viſione diuinæ eſſentiæ, alium, cui aureola martyrij, aut virginitatis debeatur: neque erit maior extenſio beatificæ viſionis ad plura obiecta ſecundaria apparentia, tanquam in ſpeculo, in obiecto primario, quod eſt eſſentia diuina; ſiquidem in hac etiam fieri poteſt, vt aliquis Beatus, cui aureola nulla debeatur, alium ſuperet, vnam, aut plures aureolas obtinentem. Poſtremò, neque dici poteſt, præmium hoc accidentale aureolarum nihil aliud eſſe, præter adiunctionem glorioſi corporis cum dotibus recenſitis ad animam beatam: nam id quoque commune eſt omnibus Beatis. Quare dicunt aliqui [a], aureolas conſiſtere in quadam ſpirituali qualitate impreſſa animæ beatæ per modum characteris, vnde Sancti aureola prędiri ab aliis diſcernantur: ſicut ornati charactere ſacerdotali ab iis, qui nunquam ordinati ſunt Sacerdotes. Addunt alij [b], etiam in corpore Beati aureolas futuras omnium oculis viſibiles, ſiue per modum fulgentis in capite coronæ, ſiue alio mirifico circa totum corpus ornatu, vt eximio candore lacis in Virginibus, & roſeo fulgore in Martyribus, præſertim in ea parte, vbi pro Chriſto vulnera ſuſtinuerunt, de quibus adhuc in vita mortali gloriabatur Apoſtolus ſcribens ad Galatas [c]: *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini* IESV *in corpore meo porto.* Quare S. Auguſtinus hac de re diſputans in libro extremo de Ciuitate Dei [d]: *Neſcio*, inquit, *quomodo ſic afficimur amore Martyrum beatorum, vt velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Chriſti nomine pertulerunt: & fortaſſe videbimus. Non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit, & quædam, quamuis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit.* Hinc Theologi Scholaſtici aureolam ita deſcribunt: eſt præmium quoddam accidentale pro inſigni aliqua victoria, ſuperadditum præmio beatitudinis eſſentiali, & corporali decore declaratum. Nec eſt dubium, Sanctos omnes aureola donandos, gaudium quoddam nobis inexplicabile in anima habituros, aliquo etiam ſpectabili ſigno, quodcunque illud ſit, declaratum, vnde inter alios conſpicui, & ex eo amabiliores, & honorabiliores reddantur, propter obtentas inſignes illas victorias de tribus hoſtibus capitaliſſimis; nempe, de mundo, per martyrium; de carne, per virginitatem; & de Principe tenebrarum, & patre mendacij Dæmone, per ſacram doctrinam

VVvvv pluribus

z Dan. c. 12.v.3.

a Salas 1. 2. tr. 2. diſp. 8. ſec. 3.

b Sot. in 4. d. 49. q. 5. a. 1. v. 2.

c Gal. c. 6.v.17.

d S. Aug. l. 22. de Ciu. c. 20.

pluribus impertitam. Itaque, vt concludamus, tot coronis Paulo in cœlis redimito, tanta gloria exornato, reliquum eſt, inquit Chryſoſtomus [d], *Vt nos tali patrono dignos exhibeamus, vt non ſolùm hîc vocem Pauli audiamus; ſed & poſtquam illuc migrauerimus, Athletam Chriſti videre mereamur. Imò, ſi hîc audiuerimus, & illic ipſum omninò videbimus, licèt non è propinquo ſtantes; videbimus tamen prope regalem thronum ſplendentem, vbi Cherubim Deum glorificant, vbi Seraphim volant. Illic Paulum videbimus cum Petro Sanctorum Chori Principem, ac Ducem, & eius germana charitate fruemur: ſi enim, cùm hîc eſſet, vſque adeò diligebat homines, vt, cùm diſſolui, & cum Chriſto eſſe cuperet, elegerit tamen hîc eſſe; multò magis illic feruentiorem charitatem oſtendet.* Hæc S. Ioannes Chryſoſtomus ſedulis Pauli Apoſtoli cultoribus, eius cœleſtis doctrinæ ſectatoribus, & heroïcæ virtutis imitatoribus, qualis in primis ipſe fuit, iure ac meritò pollicetur.

d *Chryſ. hom.* 32. *in Ep. ad Rom.*

CAPVT XI.

Epilogus totius Operis.

Finis nobis propoſitus in hac Hiſtoria conſcribenda, ex ipſa prima totius Operis inſcriptione, ac titulo potuit vtcunque cognoſci: Vitā enim eſſe diximus Pauli Apoſtoli, ſpeculum & exemplar vitæ apoſtolicæ, ad fidem, etiam Infidelibus, præcipuè verò Hæreticis, aſtruendam; ſpem magnis quoque peccatoribus excitandam; amorem diuinum omnibus accendendum; maximè autem Viris apoſtolicis zelum augendum ſalutis animarum. Et quidem, quod ad fidem attinet, ſiue augendam fidelibus, ſiue aſſerendam infidelibus quibuſcunque, tum Iudæis, tum Gentilibus, tum etiam Atheis, vix quidquam efficacius vita, & doctrina huius Apoſtoli reperietur. Id ipſe ſignificauit ad Timotheum ſcribens [a], & gratias agens Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili, qui ſe talem ac tantum Eccleſiæ perſecutorem, fidei aduerſarium, contumelioſum, & blaſphemum ſua ſuperabundanti miſericordia, & gratia Domini noſtri IESV Chriſti, fidelem Euangelij ſui miniſtrum fecerit, millies pro eo mori paratiſſimum: *Ad informationem* (inquit) *eorum, qui credituri ſunt illi, in vitam æternam.* Vnde propterea non vni tantùm, aut alteri generi infidelium; ſed planè omnibus operam ſuam, labores, ac vitam impendebat. *Græcis & barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum,* dicebat ad Romanos ſcribens [b]: *non enim erubeſco Euangelium: virtus enim Dei eſt omni credenti.* Sed, vt de ſingulis generibus Infidelium hîc aliquid perſtringamus: primùm, quis vſque adeò, ſiue Atheus, ſiue amens inuenietur, cui ſi concedatur, attentè perpendere ea, quæ hactenus de Pauli geſtis narrauimus, de admirabili eius à Iudaiſmo ad Euangelium conuerſione, de occurſu Chriſti Domini in via Damaſci, meridiano Sole tunc lucente ſplendidioris, perſuadere ſibi poſſit, omnia eſſe conficta, aut fabuloſa, tot præſertim comprobata teſtibus oculatis, repetita in Conciliis, coram Magiſtratibus, Præſidibus, Regibus & Imperatore Orbis Nerone; tot conſignata literis Scriptorum ſynceriſſimorum; tot antiquorum, & fide digniſſimorum Patrum Con[...]tatis

a 1. *Tim.* c. 1. v. 12. 13. 14. 16.

b *Rom.* 1. v. 14. 16.

tariis aſſeuerata ; tot inſignita monumentis ; ac denique manifeſtis, multiſque miraculis confirmata? Quòd ſi, ſaltem fide humana, quæ Paulo contigerunt credantur ; cur enim minus hæc, quàm Titi Liuij, aut Cornelij Taciti narrationes, veras eſſe hiſtorias quiſquam exiſtimabit? quomodo hic, quicunque fuerit, ad cognoſcendam primùm, deinde ad venerandam prouidentiam, bonitatem, atque clementiam diuinam non excitabitur? Quòd ſi extitiſſe Paulum Apoſtolum, eique talia contigiſſe nemo prudens poteſt dubitare ; neque ſummam Dei prouidentiam, animorum immortalitatem, mortuorum reſurrectionem poterit quiſquam, niſi vecordiſſimus in dubium reuocare. Hæc enim omnia in Pauli vita, doctrina, laboribus pro ſalute animarum, ac demum in eius beato martyrio apparent tanquam in clariſſimo ſpeculo fulgentiſſima.

Quod verò ſpectat ad Gentilium errores, Diuinitatem aliquam, ſed confictam admittentes, dum eam in vanorum Deorum, & idolorum multitudinem partiuntur, facilè omnes refelli per ea poſſunt, quæ Athenis, Epheſi, Corinthi, ac demum Romæ, tanquam in arcibus ſuperſtitionis firmioribus, & primariis demoliendis Paulus geſſit, docuit, ſcripſit, & virtute miraculorum omninò perfecit. *Non ſic multa tuba* (ait Chryſoſtomus [c]) *in Hierichuntinorum ciuitatis lapides irruebant, & deſtruebant illos, vt huius Apoſtoli vox trahebat in humum diabolica ſubſidia, & aduerſarios ad ſe transferebat, & quando collegit captiuorum multitudinem, ipſe illos iterum armauit, & ſi um exercitum facere cœpit, pérque illos mirè vincebat.*

c Chryſ. hom. 15. in 1. Ep. ad Corinth.

Quòd ſi Iudæos expertus eſt magis perfidos, & obſtinatos, ac Gentilibus multò peruicaciores ; non minùs tamen, imò magis habuit, vnde circa illos proficeret, eorúmque perfidiam reuinceret, ac ſuperaret. Quippe qui anteà & ipſe Iudæus vixerat, & Phariſæus, in lege doctiſſimus, in Prophetis verſatiſſimus, alius religionis ſupra alios zelantiſſimus: nulla leuitate, vel humana inconſtantia, ſed cœleſti planè virtute, & euidentiſſima Dei vocatione manus dederit victrici per Chriſtum fortiſſimæ veritati. Et certè, quiſquis animo ſecum attentè reuoluat, ac reputet, quanta hic Apoſtolus pro Iudæorum ſalute procuranda egerit, atque pertulerit; quot & qualia vitæ pericula imperterritus ſubierit ; illas diutnas, nocturnáſque fuſas ad Deum preces, illos gemitus, illa cordis vota, vt optaret etiam eſſe anathema a Chriſto pro Iſraëlitis fratribus ſuis ; conſideret etiam, quæ in ſuis Epiſtolis, præſertim in ea, quam ad Hebræos direxit, oraculis firmiſſimis Prophetarum, & non humana, ſed planè diuina ſapientia diſputat, de Verbo incarnato, de Chriſti Diuinitate, déque opere vniuerſo noſtræ redemptionis, niſi à Iudaïca cæcitate reſipiſcat, & ad lucem ſe transferat euangelicam, non tam homo compos mentis eſſe deprehendetur, quam truncus, ac ſtipes, vel potiùs Dæmonis mancipium, oſor viſæ lucis, & filius æternæ perditionis.

Iam verò errores vniuerſos, cuiuſcunque ætatis Hæreticorum, quantoperè huius Apoſtoli cœleſtis doctrina euertat, ac diſſipet, ſenſerunt antiqui Hæreſiarchæ, & ſentiunt huius temporis Nouatores. Quare illi in tres diuiſi turmas: alij Pauli omnes Epiſtolas proſcripſerunt, eáſque

à canone ſacrarum Scripturarum detruncarunt, vt Ebionitæ apud S. Irenæum [d], & apud Euſebium [e] Helcheſeitæ: alij aliquas, non omnes, repudiarunt, vt Manichæi, Arriani, & Aetiani: tertij omnes quidem vt Pauli Epiſtolas admiſerunt; ſed, quæ ſibi in illis apertiùs contraria obſeruabant, errores Pauli tanquam hominis eſſe dixerunt, aut à falſariis deprauata eſſe illa verba mentiebantur; vt Marcion apud S. Epiphanium, & alius quidam anonymus, cõtra quem duos edidit libros S. Auguſtinus ſub nomine Aduerſarij legis, & Prophetarum. Sed haſce tenebras vniuerſas Pauli auctoritas, quaſi Sol, per omnes Eccleſiæ Chriſti ætates magis ſemper effulgés, penitùs diſſipauit. Quare huius temporis Hæretici alia via conſultum ſuis erroribus voluerunt: Pauli negare tam confirmatam auctoritatem, præiudicium eſſe nimis manifeſtum: præſtare potiùs, illius abuti verbis atque ſententiis, detortis ad errorum ſuorum turpitudinem tegendam interpretationibus. Itaque, vbi S. Paulus euangelicam fidem extollit, quod multùm & frequenter facit; hoc eſſe commenti ſunt, quod ipſi, qui ſe nominant euangelicos, volunt, ſolam fidem nos iuſtificare. Vbi Apoſtolus contra Iudæos, cæremonias Moſaïcas abrogatas & mortuas, & contra Gentiles opera ſolis naturę viribus exercita deſpicit; ipſi concludunt, bona opera non eſſe ad ſalutem neceſſaria. Vbi Paulus ſupra modum celebrat gratiæ Chriſti virtutem, & efficaciam, iſti nihil inde libero noſtro arbitrio relictum perſuadere ſimplicibus conantur; & aliter ſentiſe, errorem clamant eſſe Pelagianum. Vnde nullas alias ſacras paginas ita pro ſe iactant, & ſuis inquinant ſacrilegis Commentariis, ſicut Epiſtolas S. Pauli. At, quidquid ipſi inuertant, atque peruertant, nihil eſt, quod eis magis aduerſetur, eoſque validiùs refellat, ac S. Pauli vita, mores, atque doctrina. Hic enim ſemper vixit in cœlibatu, virginitatem impensè coluit, & plurimùm omnibus commendauit: iſti cœlibes inter ſuos non habent, nec haberi poſſe, nedum debere exiſtimant. Hic vota Deo perſolui grauiſſimè admonet: iſti prædicant vota frangenda; & votifragos ad ſe accurrentes, tanquam ad ciuitatem refugij, libentiſſimè recipiunt. Hic mandat ſeruari maiorum traditiones: iſti docent, nihil eas eſſe curandas. Hic hortatur ad ferendam Chriſti crucem, ad ieiunia, vigilias, corporis caſtigationem, ad omnia bona opera, præſertim charitatis, obedientiæ, humilitatis, eò quòd Deus ad Iudicium venturus vnicuique mercedem iuxta operum merita, vel demerita ſit redditurus: iſti inimici Crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt, abhorrent à ieiuniis, corpus tractant delicatè, Chriſtum aiunt ſatis paſſum eſſe pro nobis, nulla eſſe noſtra merita, Deum tam bona, quàm mala in nobis operari, carere nos arbitrij libertate. Denique Paulus ait, velle Deum omnes homines ſaluos fieri; ſe, tametſi nihil ſibi conſcius ſit, timere, ne cùm aliis prædicauerit, ipſe reprobus efficeretur, ideò caſtigare corpus ſuum, & in ſeruitutem redigere: iſti nolle Deum omnes homines ſaluos fieri; ſed multos, nempe, omnes reprobos creaſſe propter æternam damnationem; prædeſtinatos ſola fide ſine bonis operibus ſaluari, & certò debere credere quemque prædeſtinatum, ſe eſſe prædeſtinatum. Non eſt hæc doctrina apoſtolica, ſed apoſtatica, cui nihil, vt diximus, ſic aduerſatur,

d S. Iren. l.1. c.26.
e Euſeb. l.6. c.27.

aduerſatur, ſicut huius Apoſtoli vita ſanctiſſima, mores, monita, & præcepta. *Miror*, (dicebat ipſe ad Galatas, ſcribens de ſimilibus ſeductoribus [g],) *quòd ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti in aliud Euangelium: quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti. Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquàm euangelizauimus vobis; anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit, præter id, quod accepiſtis; anathema ſit.* Talem itaque fidem primam, primæque veritatis, vnicam, catholicam, apoſtolicam, vita, & doctrina ſua Paulus Apoſtolus, contra omnem infidelitatem, atque perfidiam firmat in nobis.

g ad Galat. c.1. v.6.

Sed de ſpe magnis quoque peccatoribus exemplo & doctrina huius Apoſtoli excitanda, quid ampliùs dicturi ſumus? Vnam ex præcipuis rationibus, cur Deus permiſerit, Paulum, antequàm ad Chriſti gratiam, & Apoſtolatum vocaretur, eſſe tam magnum Eccleſiæ perſecutorem, & in adeò grauia peccata prolabi, hanc fuiſſe alibi demonſtrauimus [h], vt nemo, quantumuis grauiũ ſibi conſcius delictorum, de diuina miſericordia deſperaret. Quapropter hoc ipſe argumento ad id conuincendum vtitur libentiſſimè & frequentiſſimè, nec vllam prætermittit in ſuis Epiſtolis huius rei perurgendæ occaſionem. Nihil iam ſæpè repetit, quàm pro omnibus mortuum eſſe Chriſtum, ipſum eſſe communem totius humani generis Redemptorem; Patri per omnia ſatisfeciſſe, oblato pretio Sanguinis ſui ſufficientiſſimo: vnde mandat Timotheo, vt curet in Eccleſia preces ad Deum quotidie fundi pro omnibus etiã infidelibus Principibus, & Tyrannis [i]: *Hoc enim* (inquit) *bonum eſt, & acceptum coram Saluatore noſtro Deo, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, & vnus mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus* I E S V S, *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Poterant pro ſua parte dubitare magni peccatores, ideò ſeipſum poſuit in exemplum, dicens [k]: *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quòd Chriſtus* I E S V S *venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorũ primus ego ſum.* Addit præterea rationem, cur tantam à Chriſto miſericordiam obtinuerit. *Ad informationem* (inquit) *eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam. Si Saulus ſanatus eſt*, ait S. Auguſtinus [l], *ego quare deſpero? Si à tanto Medico tam deſperatus æger ſanatus eſt, ego vulneribus meis illas manus non optabo? ad illas manus non feſtinabo? Vt hæc dicerent homines, ideò factus eſt Saulus ex perſecutore Apoſtolus: quia, cùm venit Medicus volẽs ſibi famam comparare, quærit aliquem deſperatum, & ipſum ſanat: & ſi pauperrimum inueniat, non ibi quærit mercedem, ſed commendat artem. Ita & Chriſtus potentiam ſpiritualis medicinæ ſuæ oſtendit in Saulo, vt omnes deinceps noſſent, eum ſanare poſſe cunctas infirmitates omnium confugientium ad ſe.* Eadem à S. Auguſtino mutuatus S. Anſelmus ſcripſit pro Commentario prædictorum verborum prioris Epiſtolæ ad Timotheum. Et hanc etiam eſſe rationem ait S. Bernardus in ſermone de cõuerſione S. Pauli [m], cur Eccleſia celebrat Feſtum Conuerſionis huius Apoſtoli: *Magnificè ſiquidem in hac vna* (inquit) *conuerſione, & miſericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur. O verè ineſtimabilis diuinæ dignatio pietatis. Quis deſperet vltra pro magnitudine*

h lib. 1. c. ult.

i 1. Tim. c.2. v.3.

k 1. Tim. c.1. v.15. 16.

l S. Aug. ſer. 9. de verbis Apoſt.

m S. Bernard ſer. 1. de conuerſ. S. Pauli.

cuiuſlibet criminis? quandoquidē Saulum audit adhuc ſpirantem minarum, & cædis in diſcipulos Domini, ſubitò factum Vas electionis. Quis dicat, iniquitatis pondere preſſus aſſurgere iam ad ſtudia meliora non valeo? Quando in ipſo itinere, quo ſanguinem ſitiens Chriſtianum, dirum toto pectore virus efflabat perſecutor crudeliſſimus, in fideliſſimum repētè mutatus eſt Prædicatorem. Plura ſunt allata ex Patribus de hoc argumento alibi, & in Pauli Epiſtolis paſſim occurrunt, quæ talem ſpem excitant. Sic ad Romanos [n]: *Spes* (inquit) *non confundit:* [o] *ſpe ſalui facti ſumus.* Ad Corinthios [p]: *Non ſimus fidentes in nobis; ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit: in quem ſperamus: quonia & adhuc eripiet.* & ad Hebræos [q], fidem definit eſſe ſubſtantiam rerum ſperandarum, id eſt, ſolidum ſpei noſtræ fundamentum: vt, ſicut fides ex parte Dei non fallit, ita nec fallat in Deum ſpes; & propterea ibi vocat illam anchoram animæ tutam. *Vt per duas* (inquit) *res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam, ſicut anchoram, habemus animæ tutam ac firmam* [r]. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Hæc Apoſtolus de fide, & fiducia noſtra.

n Rom. c. 5. v. 5.
o ibid. c. 4. v. 24.
p 2. Cor. c. 1. v. 9.
q Hebr. c. 11. v. 1. & c. 6. v. 18.
r ibid. c. 4. v. 16.

Sed, ſi tanta eſt vis in huius Apoſtoli vita & doctrina ad fidem, & ſpem omnibus ingenerādam, minor non erit, ſed maior multò, & efficacior, ad cor hominis verè fidelis inflammandum incendio charitatis, & amoris Dei, ac zelo feruentiſſimo procurandæ ſalutis animarum. Qua de re cùm multa ſint dicta ſuperiùs hic non repetenda, ſolùm addimus, voluiſſe Deum in hoc vno Apoſtolo omnium quidem virtutum, ſed maximè charitatis in Chriſtum Saluatorem, & erga animas eius pretioſo Sanguine redemptas, viuum exemplar omnibus numeris abſolutum toti mundo exhibere: quod proinde non vno tantum ſimplici ſchemate; ſed valdè multiplici clariùs appareret, nunc patris, nunc matris, nunc Magiſtri ac Doctoris, nunc Medici animarum, nunc Ducis exercitus, & Imperatoris, nunc Eccleſiæ nauis gubernatoris, nunc ſeduli agricolæ, & hortorum Eccleſiæ cultoris, nunc ſpiritualis architecti, nunc denique velvti mundi intelligibilis luminaris, ac Solis. Patrem vtique amantiſſimum exhibet ſe ad Corinthios ſcribens [s]: *Si decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres. Nam in Chriſto per Euangelium ego vos genui.* & infra [t]: *Non quæro,* (inquit,) *quæ veſtra ſunt, ſed vos: non enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis: ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris: licèt plùs vos diligens, minùs diligar.* Sed matrem audiamus [u]: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis: vellem autem eſſe apud vos modò, & mutare vocem meam.* Addit alio loco dicens [x]: *Tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos: ita deſiderantes vos cupidè volebamus tradere vobis, non ſolùm Euangelium, ſed etiam animas noſtras: quoniam chariſſimi nobis facti eſtis.* Et ad Corinthios [y]: *Lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis.* Audiamus Magiſtrum & Doctorem Gentium *Vobis dico gentibus* (ait ad Romanos ſcribens)

s 1. Cor. c. 4. v. 15.
t 2. Cor. c. 12. v. 15.
u ad Galat. c. 3. v. 9.
x 1. Theſ. c. 2. v. 7.
y 1. Cor. c. 3. v. 1.

z Rom.c. 11.v.13. ſcribens [z]) *quandiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo.* Ad Corinthios

a 1.Cor. c.2.v.6. 13. verò [a] : *Sapientiam* (inquit) *loquimur inter perfectos : ſapientiam verò non huius ſaculi.* & infrà: *Quæ loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus : ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere.* Quòd ſi hebetes quorundam mentes, & aliquos ingenij tardioris diſcipulos in ſua tam altæ doctrinæ ſchola ſortitus eſt, nihilominùs honorarios habuit auditores ipſos angelicos Principatus, & Poteſtates. Sic enim de ſe teſtatur ad

b Ephеſ. c.3.v.8. & 10. Epheſios ſcribens [b] : *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes. Vt innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis gratia Dei.* Iam Ducem exercitus, & Eccleſiæ militantis Imperatorem quaſi copias educentem, armantem, & ad pugnam inſtruentem

c Epheſ. c.6.v.12. 13. videamus [c] : *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem ; ſed aduerſus Principes, & Poteſtates, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Propterea accipite armaturam Dei*, quam ibidem per ſingula deſcribit, nempe, loricam iuſtitiæ, ſcutum fidei, galeam ſalutis, gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. *Nam arma militiæ*

d 2.Cor. c.10.v.4. *noſtræ* (inquit alibi [d]) *non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Artem pugnandi ſic docet [e] : *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris, quaſi morientes, & ecce viuimus.* Tum ſingulariter de ſeipſo [f] : *Ego* (inquit) *ſic pugno, non quaſi aerem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Erat prætereà diuinus hic Apoſtolus Medicus animorum, non ſolùm peritiſſimus, ſed tantæ etiam erga infirmos Fratres compaſſionis, vt infirmari cum ſingulis videretur : vnde dicebat [g] : *Quis infirmatur, & ego non infirmor* [h] ? & alibi: *Factus ſum* (inquit) *infirmus, vt infirmos lucrifacerem.* Neque verò Fratribus tantùm, à quibus vtcunque redamabatur, hæc officia charitatis exhibebat ; ſed etiam aduerſantibus, & veluti phreneticis, in Medicum ipſum inſanientibus. *Nemo enim* (inquit Chryſoſtomus [i]) *ita dilexit inimicos, nemo erga inſidiatores ſuos tam beneficus fuit, nullus pro afflictionibus ſuis tanta perpeſſus eſt. Non enim ille, quid pateretur ; ſed naturam communem cogitabat, quantòque amplius efferebantur inimici, tantò eorum magis miſerebatur inſaniam. Vt enim aliquis indulgentiſſimus pater afficitur erga filium phreneſi comprehenſum, cuius quantò magis conuitiis, ictibúſque pulſatur, tantò eum potiùs miſeretur, atque deflet : ita Paulus, qui de magnitudine paſſionum, eorum, à quibus affligebatur, æſtimabat furorem, maiora illis adhibebat fomenta pietatis.* Hæc S. Chryſoſtomus, qui ſimiliter deſcribit, qua ratione inter ſæculi fluctus, & ſæuiſſimas perſecutionum tempeſtates

e 2.Cor. c.6.v.4. 5.6.

f 1.Cor. c.9.v. 26.

g 2.Cor. c.11.v. 19.

h 1.Cor. c.9.v. 22.

i Chryſoſt. hom. 3. de laud. Pauli.

Paulus

Paulus Orbis Eccleſias, quaſi nauem vnam gubernaret [k]; eos, qui mergebantur, ſurſum trahens, & qui turbabantur, confirmans, nautis imperans, in puppi ſedens, proram obſeruans, in cœlum ſuſpiciens; paſſus ipſe naufragium, vt à maiori naufragio plurimos liberaret; nocte, ac die in profundo maris fuit, vt à profundis erroribus multos extraheret. Agricolam quoque ſe eſſe profeſſus eſt, ad Eccleſiam, tanquam hortum Dei amœniſſimum, excolendum [l]: *Ego* (inquit) *plantaui, Apollo rigauit; Deus autem incrementum dedit.* Videbat ante ſe feliciter ſuccreſcentes multas Sanctorum violas Confeſſorum, Martyrum vernantes roſas, lilia Virginum puriſſimarum: ſeruabat hæc omnia Domino ſuo cultor fideliſſimus, ideò dicebat [m]: *Deſpondi enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* Et ne quid ſuæ arrogare induſtriæ, aut virtuti videretur, addebat [n]: *Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat: ſed, qui incrementum dat, Deus. Dei enim ſumus adiutores: Dei agricultura eſtis.* Denique architectum ſe à Deo poſitum in ædificio totius Eccleſiæ, ita deſcribit [o]: *Secundùm gratiam Dei, quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui: fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus* IESVS. *Vnuſquiſque autem videat, quomodo ſuperædificet. Si quis ſuperædificet ſupra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit.* Atque hæc ſunt, quæ de huius Apoſtoli admirabili ad Chriſtum conuerſione, vita ſanctiſſima, heroïciſque virtutibus habuimus enarrare, in eorum maximè gratiam, qui non ſuæ tantùm, ſed aliorum quoque ſaluti, ac perfectioni ſtudent. Chryſoſtomum Pauli ſtudioſiſſimum, & propterea toties in hac Hiſtoria prolatum, imitantes, qui, licèt ſibi feriò propoſuiſſet æmulanda omnium geſta Sanctorum [p]: *Flagro tamen* (dicebat) *amore huius Viri: & propterea continuò verſatur ipſe in ore meo: & quaſi in archetypum aliquod exemplar; ita in illius animam reſpiciens, obſtupeſco in hoc Viro miram affectionum proculcationem, fortitudinis excellentiam, amoris in Deum feruorem; & arbitror, quòd vnus homo omnes virtutes congregauerit, & perfecerit.* Ita Chryſoſtomus. Vtinam & nobis aliqua ſaltem ex parte opere ipſo hæc exprimere, tam in nobis, quàm in aliis, eiuſdem Apoſtoli apud Deum interceſſione concedatur.

k *Chryſoſt. hom. 25. in 2. ad Corinth.*

l 1. *Cor.* c. 3. v. 6. 7.

m 1. *Cor.* c. 11. v. 2.

n 1. *Cor.* c. 3. v. 7. 9.

o 1. *Cor.* c. 3. v. 10. 11. 12.

p *Chryſoſt. hom. 11. in Geneſ.*

Laus Deo, Deiparæ, & SS. Apoſtolis, Petro, atque Paulo.

INDEX

INDEX RERVM IN HOC VOLVMINE CONTENTARVM.

Prior numerus paginam, ſecundus columnam deſignat.

A

Abſtinentia.

ABSTINENTIAM Pauli ab omni potu & cibo poſt eius conuerſionem, Caluinus cuidam ſtupiditati animi extra ſe poſiti, falsò tribuit. 102.2.

Abſtinentiam & ieiunia malè condemnant Hæretici. 446.2.

Adam.

Adami animam in Paulum transfuſam fuiſſe, Hæretici quidam commenti ſunt, & cur. 57.1.

Adoleſcens.

Adoleſcens cur dicatur Paulus tempore lapidationis S. Stephani, cùm eſſet annorũ trigintatrium. 49.2. Adoleſcentia ſumitur aliquando pro ſenectute. ibid. Adoleſcentia ſola, media inter pueritiam, & ſenectutem. 50. 1. Adoleſcens, Græce, νεανίας, homo acer, ferox, & temerarius. 50.1.

Agabus.

Agabus Propheta Antiochiam ſuperueniens, famem magnam futuram in vniuerſo orbe prædixit. 156.2.

Agrippa Rex.

Agrippa Rex D. Paulũ audire cupit. 410.2. Cur eo deſiderio teneretur. 62.1. Coram eo & Feſto Præſide agnoſcitur D. Paulus innocens. ibid. & ſeqq.

Alexander.

Alexander ærarius, Hæreticus. 465. 1. An fuerit diuerſus à Scriba nixſo ad populi tumultum reſi-mendum. 470.1.

Ananias.

Ananias ad Paulum a Chriſto mittitur. 103. 1. & 2. & 104. 1. & ſeqq. Illum a cæcitate ſanat, & baptizat. ibid. & 107. 2. Apparitio Chriſti ad Ananiam, an in viſione externa, an imaginarie per ſõnum. ibid. 2. Ananias quis & qualis erat. 106.1. & 2. An fuerit Diaconus. ibid.

Ananus.

Ananus depoſitus à pontificatu per Agrippam Regem, quòd Iacobum, Epiſcopum Ieroſolymorum,

XXxxx

rum, lapidaſſet. 56.2.

Anathema.

Anathema, non excommunicationem, ſed denunciationem meritæ, & imminentis pœnæ ſignificat 449.1. Idem non eſt ac Maran atha. ibid. 1.

Angelus.

Angelorum diſcordia, & contentio propter Iudæos. 261. 2. Angelus Macedoniæ apparet in ſomnio Paulo, monens, vt tranſiret in Macedoniam. 271. 2. Angeli deputantur ad cuſtodiam, non ſolùm hominum, ſed etiam prouinciarum. ibid. Exemplis, & Patrum auctoritate probatur. ibid. Angeli vocantur viri. ibid. Angeli quomodo adiuuari poſſint ab hominibus. 273.1.

Anima.

Animarum ſalutis zelus feruentiſſimus in D. Paulo. 852. 1. & ſeqq. Erga animas D. Paulus erat zelotypus. 854.2. & 855.1.

Antichriſtus.

de Antichriſto ſcripta in ſecunda Epiſtola ad Theſſalonicenſes, quàm peruersè noſtri temporis Hæretici de Romano Pontifice interpretentur. 376. 2. & ſeqq. Caluini mendacia circa id referuntur, & exploduntur. 377.2. & ſeqq. Antichriſtus eſt ſingularis aliqua perſona. 379. 2. Antichriſtus ſupra Deum extolletur. 380. 1. Solus volet adorari. ibid. Sedebit in templo. ibid. 2. De iis, quæ contingent tempore Antichriſti & poſt eius interfectionem vide à pag. 380. & ſeqq.

Antiochia.

Antiochiæ, quam Claudius Caligula caput, ac principem totius Syriæ, & Palæſtinæ conſtituerat, Eccleſia Chriſti maximoperè augetur. 150.1. Barnabas in eam a D. Petro dirigitur. ibid. Eam relinquit, & Paulum inuenit Tarſi, cum quo Antiochiam reuertitur, vbi magna credentium turba augetur. ibid. 2. & ſeqq Antiochiæ ſeptē annis Petrus Sedem patriarchalem habuit. 151.2. Non ibi ſemper commorabatur, ſed diuerſa loca viſitando obibat. 152.1.

Antiochiā Paulus proficiſcitur. 192 2. Quæ hæc ciuitas. ibid. Synagogam illius ingreditur. ibid. Ad concionandum inuitatur ab Archiſynagogo. 193.1.

Antiochus.

Antiochi ſuperbia diuinitùs caſtigata. 209.1

Antiquitas.

Antiquitatis auctoritas magnum pondus contra hæreſes. 283.1.

Antonius.

S. Antonius a Deo præceptum accepit laborandi poſt orationem. 11.2.

Apollo.

Apollo diſcipulus Pauli, quis fuerit. 397.1.2. Huius conditiones. 398. 1. Cùr Chriſti Baptiſma dicatur ignoraſſe, & tantùm Baptiſma Ioannis agnouiſſe. ibid. 2. Magiſter Euangelij conſtituitur. 399.2.

Apoſtolus.

Apoſtolus à Chriſto Paulus conſtituitur. 111. 2. & ſeqq. Apoſtoli nominis etymologia. ibid. Apoſtolicum munus in quo conſiſtat iuxta Hæreticos huius tēporis. 112. 1. Apoſtoli propter decem excellentias ſupra Sāctos, tum antiqui, tum noui Teſtamenti eminent. 112. 2. & ſeqq. Quando Apoſtoli dignitatem, & officium Paulus aſſecutus eſt. 115.1. Cur Apoſtoli nomen, tanquam per antonomaſiam Paulo tribuatur. 115.1.

Apoſtoli annon multò poſt acceptū Spiritum ſanctum per varias

di

di partes ſint diſtributi.142.2. & 143.1.
Apoſtoli Gentium Paulus, & Barnabas diuino oraculo denunciantur. 165.2.

Apparitio.

Apparitio Gamalielis Luciano Presbytero. 21.1.
Apparitiones Chriſti in Euchariſtia multæ & celebres. 79. 2. Apparitio Chriſti ad Ananiam qualis. 104.2.
Apparitiones diuinæ, & piorum viſiones contra Caluinum non contemnendæ oſtenduntur.. 108. 1. & 2.Vide *Viſio.*
Apparet S.Paulus variis perſonis,eáſque à grauibus periculis, tum animi,tum corporis eripit. 802. 2.& ſeqq. Apparitiones eiuſdem ad erudiendos quoſdam inſignes viros.806. 1. & ſeqq. Apparitiones eiuſdem quibuſdam morientibus. 810.1.& ſeqq.

Aquila,nomen viri.

Aquilam,& Priſcillam B.Paulus Corinthi inuenit. 332. 1. Eos commendat in ſuis Epiſtolis. ibid. & ſeqq. Quam artem exercebant. 333.1.& 334.1.2.

Arabia.

Arabiam Damaſco relicta,proficiſcitur Paulus.128.1.& ſeqq. Arabia triplex. 129.1.

Arbitrium liberum.

Vide, *Liberum arbitrium.*

Areopagus. Areopagita.

Areopagus quis locus Athenis.309. 1. Senatus Areopagitarum integritas, & modus iudicandi.ibid.2. & 310.1.

Ars. Artifices.

Artem illiberalem D. Paulus exercuit,& quam. 9.1.
Artem aliquam addiſcere debebant Iudæi, quamuis nobiles, qui vellent ſacras Literas profiteri. 12.2.& 334.1. Rabbini qui, & quales artes didicerunt. ibid.& 335. 1.Carolus magnus filios ſuos aliquam artem mechanicam; filias verò lanificam, ſiue linificam addiſcere voluit. 12.2.& 13.1.
Artifices Romani ſecundùm ius antiquum à ciuium numero eximebantur: ſed poſteà id fuit abrogatum.12.1.Artifices,eorúmque filij ad ſummas dignitates prouecti. ibid.

Athenæ. Athenienſes.

Athenæ plurimis idolis præ reliqua Græcia abundabant. 3[illegible]4. 1. Per Gothos vaſtatæ fuerunt. ibid. 2. Athenis quatuor Philoſophorum ſectæ. ibid. Athenienſes curioſiſſimi.306.1.Cum ſectis eorum D. Paulus diſputat. ibid. & ſeqq.

Auaritia.

Auaritia radix omnium malorum,& quomodo. 476.1.2.

B

Bacchus.

BAcchum in Damaſco habitaſſe, & in quodam ſacco latitaſſe, Gentiles commenti ſunt, & cur. 69.1.

Baptiſmus.

Baptiſmum Paulo confert Ananias. 104.1.& ſeqq. Per Baptiſmum remittuntur peccata, contra Caluinum. 110. 1.& ſeq. Baptiſmus quare φωτισμὸς a Patribus Græcis appellatus. 110.1.
Baptiſmi Chriſti, & Baptiſmi Ioannis differentia. 404. 2. & ſeqq. Baptiſmus Ioannis aliqua cæremonia fuit ad Chriſti Baptiſmum præparatoria. 404. 2. In quibus conueniebant, & in quibus ab inuicem differebant Baptiſmata Chriſti,& Ioannis.405.1.& ſeqq. Refutatur Caluinus,circa id erroneè ſentiens. 406.1. 2. Baptiſmus non iterandus. 755.1.

Barnabas.

Barnabas Pauli cum Protomartyre Stephano condiſcipulus ſub Gamaliele. 137. 1. Eius mores. ibid. Ioſeph anteà dictus, cognominatus ab Apoſtolis Barnabas, id eſt, filius cõſolationis. ibid. Comes & fideiuſſor D. Pauli. ibid. A D. Petro Antiochiam dirigitur. 150. 1. Tarſum proficiſcitur, & inuenit D. Paulum, cum quo reuertitur Antiochiam. ibid. 2. Agrum vendit, & ponit pretium ante pedes Apoſtolorum. 158. 1. Apoſtolus Gentium cum Paulo, diuino oraculo denunciatur. 165. 2. Barnabas, & Paulus Epiſcopi conſecrãtur. 170. 2 & ſeqq. Tanquã Dij à Lyſtrenſibus venerantur. 207. 2. Sacrificium ab iiſdem ſibi oblatum cum indignatione reiiciunt. 208. 1. Barnabas ab aſpectu venerabilis. 207. 2. Barnabæ Acta, Hiſtoria ſub ementito Ioannis Marci nomine inſcripta, plurimis, apertiſque mẽdaciis referta. 263. 1. Barnabas in Italiam aliquando profectus eſt, in Liguria Euangelium prædicauit, & Mediolanenſem Eccleſiam fundauit. 263. 2. 264. 1. An fuerit Romæ. 264. 1. 2.

Barſabas.

Barſabas, cognomentum Iudæ hoſpitis Pauli Damaſci poſt eius conuerſionem. 102. 1. Interpretatur filius quietis, aut conuerſionis. ibid.

Beati.

Vide, *Sancti.*

Beza.

Beza, & Caluinus, bonorum operum & ſanctarum precum contemptores. 67. 1.

C

Cæcus. Cæcitas.

CÆcati lumine Solis. 83. 2. Cæcitatis per lumen illatæ Paulo in eius conuerſione myſticæ rationes. 85. 2. Cæcitas Pauli an à Medicis curata. 102. 1. Cæcitatem Pauli ſanat Ananias. 107. 2.

Cæcitas Tobiæ felle piſcis ſuper oculos poſito curata. 108. 2.

Cæcum illuminat D. Dionyſius ante conuerſionem. 315. 2. & 316. 1.

Cælibatus.

Cælibatus Pauli. 31. 1. & ſeqq. & Apoſtolorum. 32. 1.

Cælibatus, & continentiæ ſtatus contra Hæreticos probatur. 474. 1. & ſeqq.

Cælibatum Sacerdotum Caluinus vocat tyrannidem Romani Papatus. 475. 2.

Cæſarea.

Cæſaream proficiſcitur D. Paulus. 148. 1. Cæſareæ nomine plures ciuitates appellatæ. ibid. & 2.

Caluinus. Caluiniſtæ.

Caluinus, & Beza, ſanctarum precum, & bonorum operum contemptores. 67. 1.

Caluinus, & Lutherani pedeſtres peregrinationes pro ſuo Euangelio valde ægrè ſuſcipiunt. 70. 2.

Contra Caluiniſtas oſtenditur, ipſum Chriſtum Dominum pro conuerſione Pauli deſcendiſſe. 74. 1. & ſeqq. Sãctorum inuocationem ridet Caluinus. 77. 1. Realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, vt negẽt Caluiniſtæ, teſtimonio Scripturæ abutuntur. 78. 2.

Caluini & aſſeclarum mendacium, Paulum neceſſariò & coacte vocationi diuinæ conſenſiſſe, expenditur. 93. 1. & ſeqq. vbi contra liberum arbitrium errores eius explicantur, & refutantur.

Caluini error aſſerentis, quales in Paulo, tales in aliis o[illegible] [illegible] praua[illegible] diſpoſitiones, c[illegible] ad Deum conuertuntur. [illegible] 2.

Caluinus liberum conſenſum g[illegible]æ ef[illegible]ci

efficaci negans refutatur. 97. 1. & ſeqq.

Caluinus abſtinentiam Pauli cuidam ſtupiditati, & abalienationi mẽtis falsò tribuit. 102.2.

Caluinus irridet impoſitionem manuum. 107.2. Seipſum irridẽdum multipliciter exhibet. ibid. & ſeqq. Apparitiones diuinas, & piorum viſiones malè contemnit. 108.1.& 2.

Caluinus negat Baptiſmum remittere peccata. 110.2.

Caluinus in Romanam Eccleſiam ob primatum verbis procacibus inſurgit. 150. 2. Exploditur,& refutatur. 155.1.

Caluinus, & Sacramentarij Miſſam execrantur. 162.2.& ſeqq. Refutantur. 163.& ſeqq. Caluinus ieiunium impugnat. 166.2.

Caluini Mago Elyma cæcioris ſacrilegis Commentariis reſpondetur. 191.2. Caluinus morbo pediculari abſumptus eſt blaſphemans, & maledicens. 192.1.

Caluinus ſeditioſus, cum ſodalibus, Farello,& Vireto, grauiſſima concitata ſeditione Geneuam occupauit. 283.2. A Geneua expellitur ob ſeditiones. ibid.

Canones apoſtolici.

Canones apoſtolici quando, & vbi conditi. 245.2. Vnde nata conſuetudo Canonum poſt definitas veritates in orthodoxis Eccleſiæ Conciliis. 246.1.

Carcer.

Carcere includuntur Paulus,& Silas. 284.2.& 285.1 Carceris interior pars Tullianum a Romanis,& barathrum à Græcis appellata. 285 1. Quàm arcta in custodia detenti Paulus,& Silas ibid. Media nocte, terræmotu exorto, vinculis ſoluuntur ibid 2. & ſeqq. Carceris custodes eadem pœna plectuntur iuxta ius Cæſareum, qua is, qui fugerit, plectendus fuiſſet. 287.2. Ex carcere dimittuntur Paulus, & Silas. 290.2. Nolunt exire, niſi publica Magiſtratus aduenientis auctoritate fuiſſent innocentes declarati. 291.1.

Carcere Mamertino includuntur D. Petrus, & D. Paulus. 776. 2. Illius ſitus deſcribitur. ibid. A quo, & quando extructus. 777. 1. In eo multa miracula ab Apoſtolis perpetrata. ibid.

Carolus Magnus.

Carolus Magnus filios ſuos aliquam artem mechanicam; filias verò lanificam, ſeu linificam addiſcere voluit. 12.2.& 13.1.

Catholicus.

Catholici cognomen, Chriſtiani nomini additum à tempore Apoſtolorum,& cur. 154 2.

Cerinthus.

Cerinthus Hæreticus,& eius hæreſes. 226.1.2.

Charitas.

Charitas à fide ſeiungi nequaquam debet. 236.1.

Charitas erga proximum commendatur. 533.1.2.

Charitas D. Pauli in aperto naufragij periculo. 631.1.& ſeqq.

Charitas S. Pauli in Deum, & Chriſtum Dominum. 843. 1. & ſeqq.

Charitas eiuſdem in proximos. 848. 2.& ſeqq.

Chriſtus.

Chriſtum ipſum Dominum pro conuerſione S. Pauli deſcendiſſe, contra Caluiniſtas oſtenditur. 74.1.& ſeqq.

Chriſti cum Paulo in eius conuerſione dialogiſmus expenditur. 87. 2. & ſeqq & 89.1.& ſeqq.

Chriſti charitas in Eccleſiam. 89. 2.

Chriſtus cur ſe Nazaræum dixerit, alloquens Paulum in eius conuer

conuerſione. 90.2.& 91.1.
Chriſti diuinitatem Paulus concionando Iudæis demonſtrauit, & quibus Scripturæ, & veterũ Prophetarum teſtimoniis. 121. 1.& ſeqq. Chriſtum crucifixum eſſe mundi Saluatorem, & expectatum Meſſiam, Paulus conuincit. 123.& ſeqq. Chriſti aduentus, natiuitas,& omnia, quæ ad vitam,& mortem eius pertinent, à Prophetis prædicta exponuntur. 123.2. & ſeqq.
Chriſtum nominabant Chreſtum Ethnici, & Chriſtianos Chreſtianos. 154.1.
Chriſto ſuperiores Angelos, & mundi conditores, & ab illis potiùs quàm à Chriſto ſperandam ſalutem, Hæretici quidam per Aſiam falsò aſſerebant. 672.2. Chriſtus quomodo aſcendit, quia deſcendit primùm in inferiores partes terræ. 674.1.2.& ſeqq.
Chriſtus ſupplicauit tempore ſuæ Paſſionis æterno ſuo Patri,& quomodo exauditus eſt. 754.1.
Chriſto fuit ſimilis Melchiſedech in duodecim rebus. 755.1.2.

Chriſtianus.

Chriſtiani veri ſignum quale erat primis Eccleſiæ temporibus. 137. 2. Fideles Antiochiæ primùm ſunt appellati Chriſtiani. 150. 2. Quo anno ex Tertulliano. 152.2. D.Lucas, & Tertullianus circa id conciliantur. 153.1. Quanam occaſione,& quibus Auctoribus Antiochiæ potiſſimùm inditum fidelibus Chriſtianum nomen. ibid.2. Chriſtiani, etiam Nazaræni per contemptum dicti. 150. 2. Chreſtiani ab Ethnicis. 154.1.

Claudius Caligula.

Claudius Caligula in Caij Caligulæ locum ſuffectus Iudæis fauit, promulgatis edictis, ne ſuæ religionis ritus exercere impedirêtur. 150.1.

Circuncifio.

Circuncifionem etiam in lege euangelica neceſſariam eſſe aiebat Cerinthus. 228.2.

Cœlum.

Cœlum, ad quod D. Paulus raptus eſt, quid ſignificet. 176.1.& 2. & ſeqq.

Collectæ.

Collectæ introductæ ex inſtituto apoſtolico, quid, & vnde. 159.2. & 160.1.

Concilium.

Concilium primum Ieroſolymitanum,& qui ex Apoſtolis interfuerint. 231.1.& ſeqq. Qui præter Apoſtolos alij putentur conueniſſe. 233.1.2. In Concilio ſententiam dixit primus Petrus:Iacobus autem aliorum dicta poſtremus concluſit. 234.2.& ſeqq.
Conciliis quatuor primis œcumenicis ita credebat D.Gregorius,ſicut quatuor Euangeliis.247.1. Sacrorum Conciliorũ auctoritas,etiamſi par in aliquibus auctoritati ſacrarum Scripturarum, tamen in quatuor præcipuè inferior, & quæ. ibid.1.& 2.

Concio. Concionator.

Vide, *Prædicatio*,& *Prædicator*.

Concupiſcentia carnis.

Concupiſcentia carnis non fuiſſe tentatum Paulum ex familiaritate Theclæ virginis ſpecioſæ, contra Hugonem. 218.2. Lutherus Paulum impura in Theclam cupiditate accenſum fuiſſe mendaciter docet. 218.2.

Confeſſio.

Confeſſionis Sacramentum perfide negatum a Caluino,& aliis Nouatoribus, ab Apoſtolo Paulo adminiſtratur. 424.1.& ſeqq. Scripturæ ſacræ auctoritatibus Confeſſionis Sacramẽtũ adſtruitur. 426.& ſeqq.

Confirmatio.

Confirmationis Sacramētum à Paulo collatum contra pertinaciam Caluini oſtenditur. 407. 2. & ſeqq. Lutheri, Melanchonis, & Caluini blaſphemiæ de Confirmatione. 408. 2. Refutantur Concilij Trid. & Patrum auctoritatibus. 408. 2. & ſeqq. Vide, *Impoſitio manuum.*

Contemptus mundi.

Contemptus rerum omnium mundanarum in S. Paulo. 879. 1. & ſeqq Triplici ſimilitudine docet S. Paulus, quantùm mundana omnia contempſerit, & quantum a nobis contemnenda iudicauerit. 880. 1. & ſeqq.

Conteſſeratio.

Conteſſeratio quid. 137. 2.

Contritio.

Contritio reſpicit Deum offenſum, gratiam eius amiſſam, & præmium demeritum æternæ felicitatis, & pœnitentiam operatur in ſalutem. 511. 1.

Conuerſio. Conuerſus.

Conuerſi à vitiis ad virtutes. 59. 1. Conuerſio S. Pauli quo tempore, & qua ratione acciderit. 63. 1. & ſeqq. Precibus S. Stephani à Deo impetrata. 67. 1. Locus conuerſionis D. Pauli prope Damaſcum veteribus Chriſtianis notus & celebris, ibique templum exædificatum. 73. 2. Ipſum Chriſtum Dominum pro cōuerſione S. Pauli deſcendiſſe, contra Caluiniſtas oſtenditur. 74. 1. & ſeqq. qui Conuertuntur ad Deum tales in ſe habere prauas diſpoſitiones, quales Paulus, error Caluini. 96. 2. Conuerſio Pauli cur ſingulis annis celebretur. 96. 2.

Corinthus.

Corinthus deſcribitur. 331. 2. Totius Græciæ lumen à Cicerone appellata. 332. 1. Rhetorum, & Philoſophorum copioſa multitudine abundabat. ibid. Eam adit D. Paulus. ibid. Ibi inuenit Aquilam, & Priſcillam. ibid. & ſeqq.

Correctio.

Vide, *Reprehenſio.*

Creta.

Cretæ ſitus deſcribitur. 477. 2. Cretenſium mores & luxus. 478. 1.

Criſpus, Archiſynagogus.

Criſpus, Archiſynagogus, cum tota ſua familia à B. Paulo baptizatur. 342. 1. In ſuis Epiſtolis commendatur. 343. 1.

Cupiditas.

Cupiditas radix omnium malorum, & quomodo. 476. 1. 2.

Cyprus.

Cyprum proficiſcitur Paulus. 188. 1. Inſulæ huius ſitus deſcribitur. ibid. Eius nomina varia. ibid.

D

Dæmones.

DÆmonum omne commercium fugiendum. 281. 1. Lutherus profitetur, Dæmonem de multis viſibili ſpecie inſtituentem, ſuæ doctrinæ ſe habuiſſe magiſtrum. ibid. 2. Dæmonia expellit Paulus ſudariis. 416. 2.

à Dæmone corripiuntur mali Exorciſtæ, D. Pauli auctoritate abuſi. 419. 1. 2. Dæmones exorciſmis eiiciebant Hebræi. ibid. Quo modo id facerent. ibid. Alius modus eiiciendi Dæmones apud Iudæos. 420. 1.

à Dæmonum vexationibus per D. Paulum liberari. 299. 2. & ſeqq. Vide, *Pythoniſſa.*

Damaſcus.

Damaſcus interpretatur, ſaccus ſanguinis. 69. 1.

Damaſcus ciuitas primaria, & Syriæ metropolis. 65. 2. De itinere Pauli verſus eam. 68. 2. & ſeqq. Ex luto campi Damaſceni primum hominem

nem formatum, fama eſt. ibid. In Damaſco Caïn Abelem interfeciſſe, Hebræorum traditio. ibid. Situs illius ciuitatis. ibid. A quo nomen acceperit. 69. 1. De eius etymologia. ibid. Vini feraciſſima, & ob id Gentilium commentum. ibid. Eques, an pedes Saulus Damaſcum profectus fuerit. 70. 2. & ſeqq.

Damaſci quæſitus Paulus ad necem, elabitur. 126. 1. Eò ex Arabia redit. 133. 1. & ſeqq.

Decreta Eccleſiæ.

Vide, *Eccleſia. Lex.*

Demetrius argentarius.

Demetrius argentarius grauem ſeditionem in Paulum cōcitat. 449. 2. & ſeqq. Non fuit nummularius, vel trapezita; ſed ſculptor, ſiue inciſor argenti. 450. 1.

Derbe.

Derbe Paulus concionatur 216. 2. Ibi Loidem auiam, & Eunicem matrem S. Timothei, Eccleſiæ Chriſti aggregat. 216. 2.

Deus.

Deus cur permiſerit Paulum in tam grauia peccata labi. 57. 1. & ſeqq.

Deum an viderit D. Paulus in ſuo raptu. 181. 2. & ſeqq. An etiam Moyſes Deum viderit. ibid. & 183. 1. 2. & ſeqq.

Deos, & Deas variis rebus, & motibus Gentiles aſſignabant. 308. 2. Ignoti Dei ara Athenis. 311. 1. 2.

Deus quomodo velit omnes ſaluos fieri, expenditur. 470. 2. Variæ expoſitiones. ibid. & ſeqq.

Diaconus.

Diaconi ſeptem ab Apoſtolis conſtitūti pro cura indigentium. 474. 1. Viduæ aliquæ, veluti Diaconiſſæ, pro mulieribus pauperibus. ibid.

Dionyſius Areopagita.

Dionyſius Areopagita Pauli prædicatione ad fidem Chriſtianam fuit inductus. 310. 2. Dionyſius, Damaris, & alij quidam Baptiſmum ſuſcipiunt. 315. 1. & ſeqq. Cæcum illuminat Dionyſius ante conuerſionem. 315. 2. & 316. 1. Permotus fuit ex eclipſi Solis, miraculosè contingente in Paſſione Redemptoris. 319. 1. Epiſcopus Atheniēſium fuit à D. Paulo conſtitutus. 321. 1. 2. Scripſit doctiſſimos libros, quos malè noſtri temporis Hæretici, & quidam alij inficiantur. ibid. 2. & ſeqq.

Dionyſius Siculus.

Dionyſius Tyrannus Siciliæ quomodo quoſdam excæcaret. 83. 2.

Diſſenſio.

Diſſenſio Apoſtolorum Petri, & Pauli, an vera, an ſimulata. 249. 2. & ſeqq. Diſſenſio Pauli, & Barnabæ propter Marcum, an culpa caruerit. 261. 1. Diſſenſiones inter pios non condēnandæ. ibid Exemplis probatur. ibid. Diſſenſionis Pauli, & Barnabæ vtilitates. 261. 2. & 262. 1. 2.

Diſſenſio Corinthiorum dicentium: *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo*, &c. explicatur. 443. 1. 2.

Doctor.

Doctores, ſiue Magiſtri Iudæorum impoſitione manuum creabantur. 268. 2.

Docendi homines ab hominibus, non à Deo immediate, quod maximæ temeritatis eſſet expectare. 109. 2.

E

Ebion.

EBion, Hæreſiarcha, oſor virginitatis, fabulam de filia ſacerdotis à Paulo adamata cōfinxit. 40. 2.

Eccleſia.

Eccleſiæ quanti ſint adſcripti à reſurrectione Chriſti. 51. 1. Eccleſiæ perſecutio à Saulo. 54. 1. & ſeqq. in Eccle

in Eccleſiam, Chriſti charitas, dilectio & cura. 89.2.
Eccleſiæ perſecutio ab Herode Agrippa. 159.1.
Eccleſiæ decreta non ſunt à populo examinanda, an ſacris Scripturis conformia ſint, contra Caluinum. 246.1. Eccleſiam Spiritus ſanctus dirigit. ibid. 2. Eccleſia Dei à Petri Sede gubernata nunquam errauit à tramite apoſtolicæ traditionis ob Chriſti promiſſionem. 247.1. Vide, *Concilium.*

Ecſtaſis.

Ecſtaſis, quid. 84.1. An ſtupor Pauli in eius conuerſione fuerit ecſtaſis. ibid. Stupor mentis in templo Ieroſolymitano, ſecundùm aliquos fuit ecſtaſis. 146.2. D. Petri ecſtaſis. 147.1. Ecſtaſis quid ſit. ibid.

Electus.

Electorum caſus in faciem, reproborum retrorſum. 87.1. Vide, *Prædeſtinatio.*

Eleemoſyna.

ad Eleemoſynas pauperibus erogandas D. Paulus manibus operabatur. 12.1.
Eleemoſynas plurimas Antiochiæ collectas Paulus, & Barnabas Ieroſolyman deferunt. 158.1. & ſeqq. Ex eleemoſynarum illarum contributione, ex inſtituto apoſtolico, collectæ introductæ. 159.2. & 160.1. Eleemoſynarum collatio procurata à Sanctis. 160.1. & 2. Commendantur eleemoſynæ. ibid.
Eleemoſynæ à Timotheo, & Sila ad Paulum deferuntur. 339.1.
Eleemoſynarum diſtributio cómendatur. 512.1.2. Vide, *Paupertas.*

Eloquentia.

Eloquentia D. Pauli. 16.1. & 2. & 18. 1. & 2.

Elymas Magus.

Vide, *Magus Elymas.*

Epaphroditus.

Epaphroditus, Epiſcopus Philippenſium, venit Romam cum Timotheo ad Paulum vinctum. 688.1. Cur vocatus à Paulo Apoſtolus Philippenſium. ibid. Cur Romam à Philippenſibus miſſus. 689.1. Romæ grauiter ægrotauit. ibid. 2. Eum commendat D. Paulus. ibid. In Sanctorum numerum relatus eſt. 690.1.

Epiſcopus.

Epiſcoporum ordinationi quot Epiſcopi neceſſarij. 170.2.
Epiſcopos peregrinos ad concionandum inuitãdi conſuetudo antiqua Eccleſiæ. 193.1. A duobus, vel tribus Epiſcopis ſunt ordinãdi Epiſcopi iuxta primum canonem Apoſtolorum. 220.1.
Epiſcopi debent Eccleſias viſitare. 259.1. Vnde orta cóſuetudo. ibid. Paulus, & Barnabas inuicem ſeparantur ad Eccleſias diuerſas viſitandas. 258.2.
Epiſcoporum munus, diuini verbi prædicatio, ex Concilio Tridentino. 342.2.
Epiſcopum inter, & Presbyterum, nullum eſſe diſcrimen, Aërij hereſis, refutatur. 481.1.2. & ſeqq.

Epiſtola.

Epiſtolæ D. Pauli eloquentes. 16.2.
Epiſtolas raro, tum Paulum, tum alios Apoſtolos ſcripſiſſe, verum non eſt. 17.1.
Epiſtolæ Pauli magis, quàm eius præſentia timebantur à Pſeudoapoſtolis. 347.1. Quid per ſuas Epiſtolas conſequebatur. ibid. 2. A diuino Spiritu dictabantur. ibid.
Epiſtola prior ad Theſſalonicenſes Corinthi ſcripta fuit. 348.1. Eius paraphraſis. 349.1. & ſeqq.
Epiſtolæ D. Pauli ad Senecam & Senecæ ad D. Paulum, examinantur. 368.1.2. & ſeqq.

Epiſtola poſterior ad Theſſalonicenſes quo loco,& tempore ſcripta. 373.2.Eius paraphraſis. ibid.

Epiſtolam priorẽ ad Corinthios qua occaſione ſcripſerit Paulus.430.2. & ſeqq. Eius paraphraſis. 436.2.

Epiſtola prima ad Timotheũ vnde, & quo tempore ſcripta. 464. 2. & ſeqq. An ad Laodicenſes ſcripſerit D.Paulus.465.1.2.Epiſtolæ primæ ad Timotheum paraphraſis. 466.1.& ſeqq.

Epiſtolam ad Titum qua occaſione, ex quo loco, & quo tempore D. Paulus ſcripſerit. 484.2. & ſeqq. Eius paraphraſis. 489.1.& ſeqq.

Epiſtolam ſecundam ad Corinthios ſcribit Paulus; per Titum, & Lucam tranſmittit. 495.1. & ſeqq. Eius paraphraſis. 498.2.& ſeqq.

Epiſtolam ad Romanos vbi, & qua occaſione ſcripſit D.Paulus.515.1. & ſeqq. De eius argumento, & ſtylo.519. 1.2. Eius Paraphraſis. 520.2.& ſeq.

Epiſtola ad Epheſios Roma mittitur à D. Paulo. 659. 1. & ſeqq. Per quem miſſa. 660.2.Occaſio huius ſcribendi.ibid.& 661. 1. Materia & ſtylus huius Epiſtolæ. 662.1.2. Eius Paraphraſis. 663.1.& ſeqq.

Epiſtolam ſecundam ad Timotheum ſcribit Paulus.677.2.Quo tempore,& per quem.ibid. & ſeqq. Eius occaſio,materia, & argumentum. 683.1.Eius paraphraſis. ibid. 2.

Epiſtolæ ad Philipp.tempus,& materia.691 2.Paraphraſis. ibid.

Epiſtolã ad Coloſſẽſes quo anno ſcripſit Paulus. 697.2. Per quos miſſa fuit.698.1.2 Materia,& argumentũ illius.701.2.Paraphraſis.704. 2.

Epiſtolam ad Philemonem quo tempore, & per quos miſerit D. Paulus.708.2.Eius paraphraſis.711.2.

Epiſtola ad Galatas,vbi, & quando à D.Paulo ſcripta.717.1.Occaſio, & argumentum eius. 719. 1. Paraphraſis. 721.& ſeqq.

Epiſtola ad Hebræos vnde à D.Paulo miſſa,& quo tempore. 728. 2. & ſeqq. Eius auctoritas. 730. 2. & ſeqq.Stylus,& idioma.733.1.2.& ſeqq. Paraphraſis.736.2.& ſeqq.

Epiſtola decretalis.

Epiſtola decretalis eorum, quæ in primo Concilio Ieroſolymitano decreta fuerant, Antiochiam defertur. 241. 1. 2. Hanc magna abſurditate Sectarij huius temporis interpretantur.ibid.Sanctum illud in fronte huius Epiſtolæ pronunciatum: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Luthero mendacium eſt atque deceptio. 241.2.

Epiſtola decretalis Concilij Ieroſolymitani nomine totius Concilij à S.Iacobo conſcripta fuit. 244. 2. Quatuor in ea Epiſtola numerantur, à quibus maximè cauere Gentiles ad Euangelium accedentes iubebantur. ibid.

Equus.

Equo vectus, an pedibus Saulus Damaſcum proficiſceretur. 70.2.& ſeqq. Equorum vſus erat magis Gentilium, quàm Iudæorũ. 71.1. Equo vti pulchrum non exiſtimant Sancti. ibid.

Eucharistia.

in Euchariſtia, realem Chriſti præſentiam vt negent Caluiniſtæ, teſtimonio Scripturæ abutuntur. 78.2. Duabus reſponſionibus realis Chriſti in Euchariſtia præſentia adſtruitur.79. 1. & 2. Apparitiones Chriſti in Euchariſtia,multæ,& celebres. ibid.2.

Euchariſtiam Paulo ab Anania poſt Baptiſmum collatam fuiſſe, aliqui dicunt. 111.2.

Euchariſtiam fidelibus adminiſtrat Paulus. 553.1.& ſeqq.Sub vna tantum ſpecie,cõtra Hæreticos.554.1.

Eutr[illegible].

Eutrapelia.

Eutrapelia virtus ſpecialis ſecundùm Ariſtotelem. 675. 2. Quæ à D. Paulo prohibita, & quomodo. ibid. & ſeqq.

Excommunicatus.

Excommunicati dicuntur tradi Satanæ. 445.1.2.

Exemplum.

Exemplum Sauli conuerſi aptum ad peççatores conuertendos. 59.1.2.

Exorciſtæ.

Exorciſtæ mali, abuſi auctoritate D. Pauli, à Dæmone corripiuntur. 419. 1. 2. In Exorciſtarum ordinem Caluinus furioſè debacchatur. 421.1.& ſeqq. Refutatur. ibid. 2. & ſeqq. Exorciſmi apud Hebræos, & Iudæos, qui. 419. 2. & 420.1.

F

Falconilla.

Falconilla, Tryphenæ nobilis matronæ filia. 204.2. An eam ſine Baptiſmo defunctam ab Inferis Thecla ſuis precibus liberauerit. 204. 2.

Fames.

Famem magnã in vniuerſo orbe futuram, Agabus præſentit. 156. 2. Quo tempore acciderit. ibid. & ſeqq.

Felicitas.

Felicitas æterna S. Pauli. 883. 2. & ſeqq. In quibus dotibus conſiſtat. ibid. Vide, *Lumen.*

Femina.

Feminæ conſtanter in Chriſti obſequio perſeuerantes. 54.2.

Feminæ loqui, vel docere in Eccleſia non permittitur. 448.2.

Feminas pias honeſto comitatu ſe ſubſequi, & victui neceſſaria miniſtrare Apoſtoli aliquando permiſerunt. 218.1. Paulus hoc ſe non admiſiſſe apertè proteſtatur. ibid.

Fides.

ad Fidem Hæreticos minis, ſuppliciis, & illata vi licet, & ſæpè expedit, compellere. 95.2.

Fides ſola ſine aliis bonis operibus non ſufficit ad iuſtificationem, contra Caluinum. 198. 2. & ſeqq.

Fidem ſemel habitam ſufficere, nec ampliùs amitti poſſe, Nouatores mendaciter aſſerunt. 219. 1. & ſeqq. Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix iuſtificationis. 236. 1. Fides ſola ſine bonis operibus non purificat, & iuſtificat, contra huius temporis Sectarios. ibid. Fides ſine bonis operibus mortua, & ſimilis fidei Dæmoniorum. ibid. 1. & 2.

per Fidem ſine operibus legis hominem iuſtificari, quomodo intelligendum. 540.1.

Fiducia.

Fiducia D. Pauli in Deum commendatur. 875.1. & ſeqq.

Fortitudo.

Fortitudinis virtus quæ apud ſanctos Patres. 861. Fortitudinis definitio. 862.1. Quæ eius partes, & officia. ibid. S. Pauli fortitudo. ib. & ſeqq.

G

Gallia.

Galliam pertrãſiuit D. Paulus ex Italia proficiſcens in Hiſpaniam. 759. 2. & ſeqq. Quæ ibi peregit, & quos Epiſcopos conſtituit. ibid. & 760.1.2.

Gamaliel.

Gamaliel D. Pauli magiſter. 19.1. & 2. De Gamaliele quædam à Rabbinis conficta refutantur 20. 1. Qualis fuerit, adſtruitur. ibid. & ſeq. Eius apparitio Luciano Preſbytero. 21. 1. Quando fidelium Eccleſiæ ſit adſcriptus. ibid 2. Illius Simeonis filius, vel diſcipulus fuit, qui Chriſtum in vlnis acceptum propheticè ſalutauit. 22. 1.

Fuit Phariſæus. ibid. 2. Filij eius numerantur. ibid. Curat ſepulturam Stephani. 53.2.

Gentiles.

Gentilium ſalutis procurationem nō fuiſſe Apoſtolis interdictam ſtatuitur. 140. 2. & ſeqq. Gentiles Chriſtus Dominus plures conuertit,& eis benefacit. 142.1.

Giſchala.

Giſchalas,patriam eſſe D. Pauli, qui tenuerint. 5.2. Refutantur. 6.1.2.

Gloria.

Gloriæ diuinæ zelus feruentiſſimus in S.Paulo. 852.1.& ſeqq.

Gloria corporum Beatorum. Vide, *Lumen.*

Gratia.

Gratiæ Dei efficacitas in peccatorum morbis curandis. 58.2. & 59.1.

Quadruplex gratia deſcribitur. 510. 2. & ſeq. Triplex donum confirmationis in gratia diuina. 99.1.

Gratiæ plenitudinem, & plures alias gratias gratis datas Paulus obtinuit. 119.2.

H

Hæreſis.

HÆreſum gradus,ſeu præcipitia, quæ. 470.1.

Hæretici.

Hæretici quidam animam Adami in Paulum transfuſam fuiſſe commenti ſunt, & cur. 57.2. Hæretici noſtri temporis falsò inferunt, Paulum aliquando impudicè vixiſſe. 58.1. Hæreticorum praua fides peior alia qualibet infidelitate. 74.2.

Hæretici Sacramentarij, qui, & cur ita nominati. 78. 2. Hæreticos licet,& ſæpè expedit, minis,ſuppliciis, & illata vi ad Chriſti fidem ſuſcipiēdam cōpellere. 95.2. Apoſtolicum munus quod, iuxta Hæreticos huius temporis. 112.1. Miſſionem eccleſiaſticam impugnāt. ibid. Primatum Petri ſupra omnes alios Apoſtolos negant. 134. 1. Hæreticorum mendacium,negantium S. Petrum vnquam Romæ fuiſſe, refutatur. 156.1.

Hæretici turbatores publicæ pacis, ſeditioſi, nouorum dogmatum introductores. 283.1.2.

Hermes.

Hermes,quē alij Termum, vel Hermum vocant, vir inſignis ſanctitatis, inuocatur ad ſedandas tempeſtates. 642.2.

Herodes Agrippa.

Herodes Agrippa Eccleſiam perſequitur. 159.1. D.Petrum è carcere euaſiſſe valdè indignatus, milites ad cuſtodiam eius collocatos graui ſupplicio affecit. 171. 2. Conſumptus vermibus expirauit, & cur. 172.1. & 192.1. Eius ſuperbia caſtigata. 208.2.

Herodes Tetrarcha.

Herodes Tetrarcha Aretæ Regis filiam repudiauit, vt Herodiadem vxorem fratris ſui ſibi nuptiis copularet. 69. 1. Ob id bellum ab Areta in Herodem conflatum. ibid. 2.

Hierotheus.

Hierotheum inſtituit in Chriſtiana fide D. Paulus. 326. 1. Erat Athenienſis, Hierotheus, & ex Areopagitarum numero. ibid. Hierotheum D. Dionyſius ſuum, poſt Apoſtolum Paulum, Magiſtrum appellabat. ibid. 2. & ſeqq.

Horæ canonicæ.

Horæ canonicæ à media nocte incipiunt. 286.1. Vnde exemplū ſumpſit Eccleſia nocturnarū precum. ibid. Rationes cur eo tempore nocturnæ preces introductæ. ibid. 2. Tres Nocturni, & matutinæ Laudes pro vna Hora computantur. ibid. Sex aliæ Horæ adduntur, vt ſeptem conſtituantur. ibid.

Hum[illegible]itas.

Humilitas.

Humilitatis materia fuit in Paulo anteacta improbè vita. 61.2.& 62.1.2.

Humilitas Pauli, & Barnabæ, honores cum indignatione reſpuentium. 208.1.2.

Humilitas D. Pauli profundiſſima. 869.1.& ſeqq. Humilitas patientiæ germana ſoror. ibid. In quo conſiſtat virtus humilitatis.ibid.2. Varij gradus humilitatis. 869.2. & ſeqq. Humilitas omnium virtutum fundamentum.875.1. Humilitatis perfectæ duplex munus. ibid.

Hymenæus.

Hymenæus fuit Hæreticus. 469.2.

Hymenæus Deus nuptiarum, & crapulæ,& impudicitiæ patronus. 470.1.

Hypocriſis.

Hypocriſis,& ſimulatio propter aliquod bonum aſſequendum, vel ingens malum auertendum, iuxta quoſdam licita. 251. 2. Exemplis aliquibus ſacræ Scripturæ adſtruitur hęc doctrina.ibid.Reprobatur, & exempla non eſſe imitanda demonſtratur.254.1. Factum D.Petri à D. Paulo reprehenſum hypocriſis fuit ſecundùm D. Auguſtinum. ibid.

I

Iacobus maior.

IAcobo Apoſtolo ſoli permittebatur à Iudæis ingredi in Sancta Sanctorum. 49.1. Primus Ieroſolymorum Epiſcopus inſtitutus die ſequenti à nece S.Stephani. 51.2.

Iacobus poſtremus in Ieroſolymitano primo Concilio aliorum dicta concluſit. 234.2.& ſeqq.237.2.

Iacobum non fuiſſe Epiſcopū Apoſtolorum,nec in Concilio Ieroſolymitano primum locum tenuiſſe, contra Caluinum probatur.243.1. 2. & 244.

Iaſo.

Iaſo quis fuerit. 298.2. Quando ad Chriſtianam fidem inductus.ibid. Dicitur etiam Mnaſo. ibid. Cyprius fuit.299.1. Alius fuit Theſſalonicenſis ciuis. ibid. Tres inſignes Epiſcopi illius temporis, Iaſonis nomine inſigniti. ibid. P. Iaſonis in domo Paulo, & Sila latitantibus, an mendacio officioſo negauerit eos inueniri. 300.1.

Iconium.

Iconium proficiſcuntur Paulus, & Barnabas. 200.2. Duplex eius nominis oppidum.201.1.Quod fuerit,quò ſe receperunt.ibid. Quid ibi egerunt. ibid.& ſeqq.

Idolothyta.

Idolothyta comedere quare prohibitum in primo Concilio Ieroſolymitano. 238. 2. Sunt res indifferentes, quæ ſine culpa ſuperſtitionis accipi potuiſſent, præſertim in defectu aliorum ciborum. ibid. Decretum prohibens idolothyta, quomodo iuris noui poſitiui, & quomodo declaratio iuris naturalis. ibid.

Ieiunium.

Ieiunium eccleſiaſticum impugnat Caluinus.166.2.& ſeqq. Non niſi ieiunio indicto confertur Ordo. 167.1.Ieiunium adſtruitur contra Caluinum. 167.2.& ſeqq.

Ieiunia eccleſiaſtica,& abſtinentiam malè condemnant Hæretici, 446. 2. Ieiunium eccleſiaſticum quatuor Temporum Decembris ſignificatum. 624.1. Appellatur à D. Leone ieiunium decimi menſis.ibid. In hoc ieiunio omnes ordinationes celebrari ſolitæ. ibid. Poſteà verò aliis quatuor anni Temporib.habitæ. ibid. Ieiunium Iudaïcum. ibid.2.& 625.1.

Ieroſolyma.

Ieroſolymam mittitur Paulus ad ſtudia altiora. 19.1.

Ieroſolyma ne vſque ad annos duodecim Apoſtoli diſcederent, ipſis à Chriſto mandatum. 53.1.

Ieroſolymam venit Paulus ſecundò, & cur. 134.1.

Ieroſolymis aliquot diebus manet Paulus.138.2. Quibuſcum ibi loquebatur, ac diſputabat, & qui eum quærebant occidere. 139.1. & ſeqq. Eam vt relinquat, viſione monetur. 145.2.& 146.1.

Ieroſolymam tertiò Paulus proficiſcitur, quo tempore, & cur. 223.1. & ſeqq. An fuerit diuerſa hæc profectio à ſecunda, an eadem. 224.2. Ieroſolymis pro Synodo conueniunt Paulus, & Petrus. 227.2. Ieroſolymitano primo Concilio qui ex Apoſtolis interfuerint. 231.1.

Ignorantia.

Ignorantia vtrùm peccatum diminuat. 42.2.& ſeq.

Imago.

Imagines Sanctorum quomodo, & quàm licitè colendæ, contra Caluinum. 210.1.& 211.1.

Impoſitio manuum.

Impoſitionem manuum irridet Caluinus. 107.2. Seipſum multipliciter irridẽdum exhibere probatur. ibid. & ſeqq. Impoſitionis manuum cæremonia expenditur. 108.2. & ſeqq.

Impoſitione manuum collatio ſacri Ordinis ſignificata. 169.1. Impoſitionem manuum eſſe eleuationem tantùm ad ſuffragium ſignificandum, Kemnitius excogitauit. 170.1.

Impoſitio manuum, eſt Sacramentum Ordinis. 268.2. Apud Iudæos erat cæremonia, cùm quis ad alios docendos Magiſter, ſiue Doctor creabatur. ibid.

Inferi.

Inferi, inferioribus terræ partibus ſignificati. 674.2. Malè interpretantur Beza, & Caluinus ſepulcrum. ibid.

Infirmus. Infirmitates.

Infirmi varij à D. Paulo ſanari. 797.1. & ſeqq. 799.2. & ſeqq.

Infirmo, & impotenti pedibus ſanitatem Paulus confert. 207.1.

Infirmos curat D. Paulus ſudariis, & ſemicinctiis. 416.2.& ſeq.

Infirmitates varias curat D. Paulus. 638.2.

Inimicus.

pro Inimicis, & lapidatoribus orauit S. Stephanus. 67.1.2.

Ioannes Euangeliſta.

S. Ioannes Euangeliſta cum Virgine Beatiſſima pro Stephano lapidato deprecatus eſt, donec ſpiritum Deo reddidit. 68.1.

Ioannes Euangeliſta Aſiam minorem bona ex parte conuertit. 270.1. Eccleſia Epheſina à Paulo fundata, à Ioanne gubernata fuit. ibid.2.

Ioannes Marcus.

Ioannes Marcus, Barnabæ frater conſobrinus. 259.1.2. Erat filius Mariæ viduæ nobilis ac prædiuitis. ibid.2. Apoſtolorum Pauli, & Barnabæ comes. ibid. Ieroſolymam reuertitur ad matrem, relictis Apoſtolis. ibid. Paulus eum ſecum ducere ad viſitandas Eccleſias renuit, & cur. 260.1. Poſtea id ei conceſſit, & variis in Epiſtolis eum commendat. ibid. Hic Marcus non fuit Euangeliſta. ibid. Ioanni Marco adſcribitur falsò Hiſtoria inſcripta, *Acta Barnabæ.* 263.1.

Iudas Barſabas.

Iudas, cui cognomentum, Barſabas, hoſpes Pauli, poſt eius conuerſionem, Damaſci. 102.1.

Iudæus.

Iudæi, qui vellent ſacras Literas profiteri,

ficeri, debebant, quamuis nobiles, aliquod manuale opificium addiſcere,& cur. 12.2.

Iudæi quia poteſtate lapidandi abutebantur, ea illis à Romanis ablata fuit. 56.1.

Iudæi Roma edicto Claudij Imperatoris expulſi. 229. 1. Cur. 230. 1.

Iudicium extremum.

Iudicium quando ſit futurum, nemo ſcit. 359.1. Leuiſſimæ coniecturæ ſunt de eo. ibid. An de nocte ſit futurũ.ibid.2.& 360.1. Quædam Iudicij circunſtantiæ examinantur. ibid. & ſeqq.

Julianus Apoſtata.

Iuliani Apoſtatæ in Paulum conuitium refellitur. 135.1.

Iuſtus.

Iuſtus nullus in hac vita ſecundùm Caluinum, qui refutatur. 194.1.

Juuentus.

Iuuentus Pauli qualis fuerit. 41. 1. & ſeqq.

L

Labor.

LAborabat D.Paulus,vt rebus ſibi neceſſariis prouideret.11.1.In religioſis Familiis aliquid externi laboris per opera manualia ſpiritualibus exercitiis admiſcetur. ibid. D. Antonius à Deo præceptum accepit laborandi poſt orationem. 11.2.

Lapidatio.

Lapidatur Stephanus.46.2.Ritus lapidandi à Deo præceptus. 47.1.

Lapidandi poteſtate quia Iudæi abutebantur,ea illis a Romanis ablata fuit. 56.1.

Lapidibus propemodũ necatur Paulus Lyſtris. 212.1. Pluries fuit lapidatus.ibid.2 Lapidandi conſuetudo apud Iudæos,non apud Gentiles. 215.1. Extra ciuitatem lapidandi educebãtur veteri lege.215. 1. An Paulus extra ciuitatem, vel intra lapidatus fuerit.ibid. Per miraculum Paulus lapidibus penè obrutus, repentè per ſeipſum à terra ſurrexit, & intrauit ciuitatem,& ſequenti die iter benè longum ſuſcepit. ibid.2.

Lex.

Legis Moſaïcæ grauiſſimum erat iugum.237.1. Innumerabiliũm obſeruationum ſarcina. ibid.

Legem Dei, & opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem, auſus eſt in quadam concione aſſerere Lutherus. 241.2.Leges eccleſiaſticas & apoſtolicas non poſſe obligare in conſcientia,aſſerit mendaciter Caluinus, & refutatur. 242. 1. Leges diuinas,& Decalogum pro Iudæis tantummodo latum,nõ pro Chriſtianis, impudenter Lutherus, & Caluinus affirmant. ibid. Quibus Scripturæ locis mendacium illud adſtipulari nitantur.ibid.2. Refutantur illi, & explicantur loca. ibid. & ſeqq.

Liber.

Liber falsò adſcriptus D. Paulo ab Hæreticis Caïanis, Pauli Apocalypſis,ſeu Reuelationes, ſeu Aſcẽſus, inſcriptus. 186.2. Acta quædam, ſeu Periodi, id eſt, circuitus Pauli,& Theclę inſcripti,conficta, & apocrypha reiiciuntur. 201.2.

Libri magiæ ingentis pretij Epheſi comburuntur. 425. 1. Tempore D. Auguſtini magus quidam ad pœnitentiam adductus libros cõbuſſit. ibid. Quanti pretij fuerint libri illi Epheſi combuſti. 429. 2.

Liberum arbitrium.

Liberè, non neceſſariò,& coactè vocationi diuinæ cõſenſiſſe Paulum, contra Caluinum, & eius aſſeclas oſtenditur.93.1.& ſeqq.Liberum arbitrium non ſolùm negat Caluinus; ſed etiam neque vitaliter

operando homines habere ſe ad motiones diuinæ gratiæ, affirmat. 93.2.& ſeqq. Errores Caluini cōtra liberum arbitrium explicantur, & exploduntur.ibid. Liberum conſenſum gratiæ efficaci Caluinus negans refutatur. 97.1.& ſeqq. Arbitrij libertas in Mago,& Proconſule Sergio oſtenditur. ibid. 2. Liberum Pauli arbitrium à ſua conuerſione fuit in gratia confirmatum. 98.& ſeqq.

Literæ.

Literæ formatæ à Concilio Nicæno; pacificæ, ſiue commendatitiæ à Concilio Chalcedonenſi dictæ, quid. 137.2.

Literæ ſynodales eorum, quæ in Concilio Ieroſolymitano decreta fuerant, Antiochiam deferuntur. 241.1.2. Vide, *Epiſtola decretalis.*

Lucas.

S. Lucas conſilio D. Pauli ſcribit Euangelium. 400.1.& ſeqq. Vide, *Modeſtia.*

Lumen.

Luminis, quo Paulus & ſocij colluſtrati ſunt,& omnes in terram deiecti; Paulus verò obcæcatus, natura, proprietas, virtus, & effectus. 80. 1. & ſeqq. Lumen illud apparuiſſe per modum globi ab aëre propinquo terræ pendentis. ibid. 2. Lux corporum Beatorum ſitne ſpecie diſtinguenda à luce Solis,& ſyderum. 81.2. Luce & ſplendore Chriſti Iudicis, & Sanctorum, damnatorum oculi valdè affligendi. 82.2. Luce ſolari obcæcati quidam. 83.2. Myſticæ rationes illatæ Paulo in eius conuerſione, per lumen cæcitatis. 85.2.

Luminum,& lampadum vſus in Eccleſia adſtruitur contra Hæreticos huius temporis. 555.1.2.

Lutherus.

Lutherus Miſſam, magnam abominationem eſſe, à Dæmone ſe dicit fuiſſe doctum. 162.2. Eius blaſphemiæ in B. Virginem, & in Chriſtum. 194.2.

Lutheri mendacium de Paulo impura cupiditate in Theclam accenſo. 218.2.

Luxuria.

Luxuria Cretenſiū deſcribitur. 471.1. Vide, *Concupiſcentia carnis.*

Lydia.

Lydia purpuraria dicta, quia purpuram tingebat. 277.1. Numeroſam familiam habebat. ibid. 2. Eius patria,& pietas. ibid. Prima in Europa meruit à S. Paulo, cum tota ſua domo, Baptiſmi Sacramento initiari,& fieri Chriſtiana. 278.1.

Lyſtra.

Lyſtram venit Paulus, Iconio propter perſecutiones diſcedens. 206.1.& 207.1. Ibi quid egerit. ibid.& ſeqq. Lapidibus propemodum necatur. 212.1.

M

Magiſter.

MAgiſtri neceſſitas in via perfectionis probatur. 109.2.

Magiſtri Iudæorum impoſitione manuum creabantur. 268. 2. Vide, *Doctor.*

Magnanimitas.

Magnanimitas S. Pauli. 875. 1. & ſeqq. Magnanimitatis definitio ſecundùm Ariſtotelem. 876.1. D. Bonauentura definit magnanimitatem, & Ariſtotelem male illam definientem arguit. ibid. Ariſtoteles,& alij Philoſophi magnanimitatem Chriſtianam ignorarunt. ibid. Magnanimitatis proprietates ſecundùm Ariſtotelē. ibid.& ſeqq.

Magi Reges.

Magi tres Reges à S. Thoma Apoſtolo baptizati fuerunt. 1[illegible].2.

Magus Elymas.

Magus Elymas reſiſtit Paulo. 1[illegible]9 2. & 19[illegible]

& 190.1.Excęcatur.190.ʃ.Nomina eius expenduntur.ibid. Non ad ſaniorem mentem rediit cæcitate percuſſus. 191.2.

Magia.

Magiæ libri ingentis pretij publicè Epheſi comburuntur.425.1.Tempore D.Auguſtini quidam Magus ad publicam pœnitentiam adductus libros combuſſit.ibid.Quanti pretij fuerint libri illi Epheſi combuſti. 429.2.

Mandata Dei.

Vide, *Lex.*

Manuum impoſitio.

Vide, *Impoſitio manuum.*

Maran atha.

Maran atha, non eſt idem ac anathema. 449. 1. Quid ſignificet. ibid.2.

Martyr.

Martyri mors eſt meritoria non in facto eſſe, ſed in fieri.206. 1. Ob id Martyres multi in Eccleſia celebrantur,qui tamen martyrio vitam non amiſerunt. ibid.

Matrimonium.

Matrimonia Iudæorũ cum alienigenis quomodo in Deuteronomio prohibita,& quę licita.268.1.Matrimonia inter fidelem, & infidelem contracta ob ſpem conuerſionis infidelis, commendat Apoſtolus. ibid.

Matrimonium fidelis cum infideli diſſoluitur,quomodo.446.1. An teneatur coniux fidelis relinquere infidelem. ibid.2.

Melita.

ad Melitam inſulam Paulus, & naufragi deueniunt. 633. 2. & ſeqq. Melita hæc an fuerit illa vulgò dicta,Malta. ibid. & ſeqq.In ea inſula terra ex ſpelunca D.Pauli,dicta, extrahitur, qua parentur antidota contra venenum ſerpentum, an verum. 634.2.& 635.2.

Meſſias.

Meſſiæ aduentus, quo tempore ex Prophetis. 123.2.

Mendacium.

Mendacium iuxta quoſdam Auctores licitum propter aliquod bonum aſſequendum,vel ingens malum auertendum.251.2.Doctrina hæc à Platone deſumpta. ibid.Refutatur,& omne illicitum mendacium demonſtratur. 253.1.2.

Mendacium officioſum an dixerit Iaſo. 300.1.2. Obſtetrices Iudæorum, Deum timentes, Pharaoni mentiebantur. ibid.

Miletus.

Miletus multiplex.622.1. Mileti inſulæ Cretæ Trophimum reliquit Paulus infirmum. ibid.

Miletus nõ fuit Melita inſula. ibid.2.

Miraculum.

Miracula faciendi donum in quo conſiſtat. 120.1.

Miracula D.Pauli. 416.2. & ſeqq. & 633. 2. & ſeqq. 793. & ſeqq. ad 835.Vide,*Cæcus.Dæmon.Infirmus. Mortuus. Paulus. Serpens.*

Miſſa.

Miſſæ Sacrificium execrantur Sacramentarij.ibid. 2.& ſeqq.Refutantur,& quàm blaſphemi ſint,oſtenditur. 163.1.& ſeqq.

Miſſæ ſacrificium vetitum ab Eccleſia celebrari in naui.632.2. Miſſæ Sacrificium Caluinus, & alij Hæretici impugnant malè ex Scriptura, quæ contra eos explicatur. 757.1.2.

Miſſio.

Miſſionum quatuor genera. 112. 1. & 2.

Miſſionem eccleſiaſticam impugnãt Hæretici huius temporis. ibid.

Modeſtia.

Modeſtia D. Lucæ, quæ ad ſe pertinent, in Actis Apoſtolorum prætereuntis.273.2 Nullam vnquam

de ſe, ſuíſque geſtis explicitam mentionem ingerentis. 292.2.

Monachus.

Monachi aliquid laboris externi per manualia opera ſpiritualibus exercitiis admiſcent. 11.1.& 2.

Mors.

Moriendum omnibus. 357.2. Explicatur difficultas aliqua prioris Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes, in his verbis: *Nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentum Domini*, &c. 356.2.& ſeqq.

Mortuus.

Mortuum Eutychum ad vitam reuocat D.Paulus. 557.1.2.

Mortui ad vitam à S.Paulo reuocati: alij quamplurimi à faucibus mortis erepti. 793.1.& ſeqq.

Mundus.

Mundi, & omnium rerum mundanarum contemptus in D. Paulo. 879.1.& ſeqq. Triplici ſimilitudine docet S. Paulus, quantùm mundana omnia contempſerit, & quantùm à nobis contemnenda iudicauerit. 880.1.& ſeqq.

N

Naufragium.

NAufragium faciunt nautæ, Paulo non obſequentes. 626.2.& ſeqq. Precibus Pauli liberantur à naufragio. 629.2.

Nazaræus.

Nazaræus fuit Paulus. 30.2. Nazaræi tondebant capillos. 30.2.& 31.1.

Nazaræum ſe dixit Chriſtus Dominus in conuerſione Pauli, & cur. 90.2.& 91.1. Nazaræni dicti ſunt Chriſtiani per contemptum. 150.2. Nazarænorum more votum à D. Paulo in Cenchreis perſolutum, examinatur. 383.2.& ſeqq.

Nero.

Neroni ſiſtitur D.Paulus. 652.2. Nero leone ſignificatus, & cur. 653.1. In abſurdiora ſcelera imperij ſui anno quinto erūpere cœpit. 714.1. Matrem multoties interficere tentat. ibid. Miſit ſicarios, qui eam in lecto perimerent. ibid. Per quietem materna ſpecie terreſit. ibid. Neronis menſa illapſo fulmine icta. 768.2. Grauiſſimam perſecutionem Romæ excitat Nero. 769.1.& ſeqq. Vrbem incendit. ibid. 1. Chriſtianos huius incendij reos facit, & vexat. ibid. 2. Neroni coràm, palàmque exprobrat vitia Subrius Flauius, Tribunus militum. 770.1. Contra Chriſtianam religionem crudele edictum promulgat Nero. 771.1.

Nicanor.

Nicanor eodem die cum Protomartyre Stephano, & duobus millibus Chriſtianis interfectus. 52.1.

Nicodemus.

Nicodemus à principatu ſuo amotus eſt, quòd eſſet Chriſtianus. 52.2.

Nobilitas.

Nobilitas S.Pauli. 8.1.& ſeqq. Nobilis fuit S.Paulus genere, non conditione. 10.2.& ſeqq. Nobiles Iudæi, ſacras Literas profiteri volentes, manuale opificium addiſcere debebant. 12.2.

O

Obedientia.

OBedientiæ perfectæ forma. 91.2.& 92.1.

Obedientia prompta Pauli in Macedoniam citò tranſeuntis iuxta monitum Angeli in ſomnio id ab eo poſtulantis. 275.1.

Obedientia ſuperioribus debetur. 533.1.2.

Offertorium.

Offertorium, pars Sacrificij Miſſæ, vide. 160.2.

Ordo.

Ordinis Sacramentum non niſi indicto ieiunio confertur. 167.1. Impoſitione manuum collatio ſacri Ordinis

Ordinis ſignificata. 169.1. & 2. & 219.1. & ſeqq. Ordinatio Epiſcoporũ à quot Epiſcopis fiat. 170.2.
Ordines ſacros eſſe Sacramentum, ſicut Baptiſmum, contra Caluinum probatur. 219.1.2.
Ordinationes ſacræ in ieiunio quatuor Temporum Decembris aliquando tantùm celebratæ. 624.1. Poſteà in aliis etiam quatuor anni Temporibus habitæ. ibid.

Omnis.

Omnis, variè accipitur. 471. 1. & 476.2.

Oneſiphorus.

Oneſiphorus, Pauli hoſpes, Iconij, & Timotheo ſummopere commendatus. 202.2.

Opera bona.

Opera noſtra omnia, etiam quæ cenſentur bona, ſecundùm Caluinum peccata. 194.1. Fides ſola ſine aliis bonis operibus ſufficit iuxta Caluinum. 198. 2. Refutatur. ibid. & ſeqq.
Opera, & legem Dei non eſſe neceſſariam ad ſalutem, auſus eſt in quadam concione aſſerere Lutherus. 241.2.
Operum bonorum merita expenduntur. 670. 2. & 671. 1. Vide, *Fides.*

Oratio.

Orationibus S. Stephani, conuerſio Pauli à Deo fuit impetrata. 67.1.
Orationi deſtinata erant loca apud Iudæos, quæ proſeuchas vulgus nominabat. 276.2. Vide, *Hora canonica.*
Orationes Sanctorum. Vide, *Sancti.*

P

Paphus.

Paphum ingreditur Paulus. 188. 2. Duplex Paphus. ibid. Magnificum Paphi templum Veneri ſacratum. 189.1.

Patientia.

Patientia D. Pauli. 861.2. & ſeqq. Patientia nobilior ſpecies fortitudinis. 864.1.

Paulus.

Paulus quando, & cur Saulus vocatus. 1.2. & ſeqq. Paulus, id eſt, minimus. 2.1. Pauli etymologia Hebraïca. 3. 1. & 5.1. Pauli nomen à Deo inuentum, & Apoſtolo impoſitum. 3. 2. Pauli nominis etymologia Græca. 5.1. Patria D. Pauli. 5. 2. & ſeqq. Parentes. 13. 2. & ſeqq. Pauli ætas cùm Stephani martyrio intererat. 48.1.2. & ſeq.
Paulus cur primum inter peccatores ſe dicat. 57. 1. & ſeqq. Ex eo quidam Hæretici animam primi parentis in Paulum transfuſam fuiſſe commenti ſunt. ibid. 2. Paulus non impudicè aliquando vixit, vt volunt Hæretici noſtri temporis. 58.1.
Paulus eques, an pedes Damaſcum profectus fuerit. 70.2. & ſeqq.
Paulus in faciem corruit in eius conuerſione. 87.1. Pauli cum Chriſto dialogiſmus in eius conuerſione expenditur. 87.2. & ſeqq. & 89.1. & ſeqq.
Paulus, Apoſtolus à Chriſto conſtituitur, & varia obtinet priuilegia. 111. 2. & ſeqq. Vide, *Apoſtoli.* Paulus cur præcipuè Doctor Gentium appelletur. 117. 1. Baptizatus ſtatim ingreditur Synagogas Damaſci, & ibi prædicat. 119. 1. & ſeqq.
Paulus Damaſci quæritur ad necem, clauſis portis ciuitatis. 126.1. Per mœnia dimiſſus à periculo ſubducitur. 127. 2. Damaſco relicta, in Arabiã proficiſcitur. 128. 1. Quo conſilio, & qua intentione. 129.2. Quantùm temporis in Arabiæ regionibus moratus fuerit. 131. 2. Redit ex Arabia Damaſcum. 133. 2. Inde

2.Inde Ieroſolymam venit,& cur. 134.1.& 135.1.& ſeqq.

Pauli congreſſus cum Petro. 136. 1. A fidelibus timebatur poſt tres annos à conuerſione. ibid. .& 2.

Paulus & Barnabas diuino oraculo Apoſtoli Gentium denunciantur. 165.2.Epiſcopi conſecrãtur. 170. 2. & ſeqq. D. Pauli raptus ad tertium cælum. 174. & ſeqq Quo anno contigerit. 175.1. Vbi.ibid. 2. Singularis eius modeſtia in hac de ſe reddita teſtificatione expenditur. 175.2. Pauli Apocalypſis, ſiue, Reuelationes, ſiue, Pauli Aſcenſus, liber falsò D. Paulo adſcriptus ab Hæreticis Caïanis. 186.2.

Pauli,& Theclæ Acta, ſeu Periodi,id eſt,circuitus,inſcripti, conficta,& apocrypha,reiiciuntur. 201.2. Infirmum, & impotentem pedibus à natiuitate,curat Lyſtris.207.1 & 2.Paulus,& Barnabas à Lyſtrenſibus tanquam Dij habentur. 207. 2.Sacrificare ſibi volentes cum indignatione repellunt. 208.1. Paulus Antiochia ad Synodum Ieroſolymitanã proficiſcitur. 227. 2.& 231. 1.Petrum reprehendit. 248.1.2.Ob quam actionem.ibid. An fuerit vera, an ſimulata inter Petrum,& Paulum diſſenſio.249. 2.& ſeqq.S.Paulum arguebat procacitatis, & petulantiæ Porphyrius,& cur.249.2.S. Paulum,& S. Petrum Marciõ ignorãtiæ rituum Chriſtianæ religionis accuſabant. ibid. S. Petrum à D. Paulo non fuiſſe reprehenſum, ſed alium quendam ex ſeptuaginta diſcipulis, nomine Cepham, iuxta quorundam opinionem.250.1.2. Rationes eorum. ibid. Improbantur, & refutantur. ibid. & 251.1. Non peccaſſe grauiter D. Petrum à D. Paulo reprehenſum, oſtenditur. 252.1.& 2.

Paulus virgis cæditur ob Pythoniſſam à Dæmone liberatam.283. 2. & ſeqq.

Paulus artem conficiendi tabernacula exercet.335.1. Rationes præcipuæ adferuntur huius ſui inſtituti. ibid.2.& ſeqq.

Paulus accuſatur Corinthi à Iudæis tumultuantibus apud Proconſulem Gallionem. 361. 2.& ſeqq. Accuſatio ab illo non admittitur. 364.1.

Paulus ſæua patitur à Iudæis.413.2. & ſeqq. Edit miracula. 416. 2. & ſeq.

Paulus mortuum Eutychum ad vitam reuocat. 557. 1. 2. In templo Salomonis à Iudæis comprehenditur.575.2.& ſeqq Falsò accuſatur apud Lyſiam Tribunum.578. 1.2. Vinctus catenis concionatur. 580. 2. & ſeqq. Expediuntur pro illo flagella, ſed profeſſus ſe eſſe ciuem Romanum, liberatur.585. 1.Producitur Paulus à Tribuno in Concilio Iudæorum:Phariſæis autem & Sadducæis inter ſe multùm diſſidentibus, indemnatus ad caſtra reducitur. 586.2.& ſeqq.

Paulus Cæſareæ coram Præſide Felice concionatur de iuſtitia, caſtitate, & futuro Iudicio, cum terrore Præſidis, & vxoris eius Druſillæ. 604 2.605.1.

Paulum iterum exponit vanis accuſationibus Iudæorum, Porcius Feſtus Felici ſuccedens in Iudææ gubernatione. 606. 1. 2.& ſeqq. Eum Agrippa Rex audire cupit. 610 2.

Paulus Epiſtolas, quas, ad quos, & quo tempore ſcripſerit, & earum materia,ſtylus, & argumentum. Vide, *Epiſtola.*

Paulus mari cõmittitur vehendus ad Cæſarem ſub cuſtodia Iulij Centurionis.

turionis. 618. 1. & ſeqq. Nautæ ei non obſequentes naufragium faciunt; ſed eius interceſſione ſaluantur. 626. & ſeq. Ad Inſulam Melitam deuenit, vbi multa miracula operatur. 633. 2. & ſeqq. Melita nauigat Syracuſam. 643. 1. 2. Inde Rhegium. 644. 1. Deinde Romam. 645. 2. & 647. & ſeqq. Romæ concionatur, & plures ad Chriſti fidem inducit. 650. 1. & ſeqq. Neroni ſiſtitur. 652. 2. & ſeqq. Chriſti viſione recreatur, & à vitæ diſcrimine liberatur. 657. 1. 2. Liberatur à vinculis 713. 1. 2. Roma propediem diſceſſurus Lucam præmittit. 714. 2.

Paulus ex Italia per Gallias in Hiſpaniam proficiſcitur. 759. 1. 2. & ſeqq. Ex Hiſpania per Siciliam in Italiam reuertitur. 765. 1. & ſeqq. Venit Romam, vt Eccleſiæ ſæuiſſima Neronis perſecutione afflictæ ſubueniat. 768. 1. & ſeqq. In vincula ſimul cum Petro coniicitur. 775. 1. 2.

Paulus in carcere cum Petro diu manet. 774. 1. A Nerone capite damnatur. 779. 1. 2. Tempus, locus, & genus ipſius martyrij. 781. 2. & ſeqq. E reciſa Pauli ceruice non ſanguinis, ſed lactis copia effluxit. 785. 1. 2. Eius forma, & ſtatura corporis. 786. 1. Eius ſepultura, & mira quædam poſt eius martyrium ſecuta. 787. 1. & ſeqq.

Paupertas.

Paupertatem religioſam primi Chriſtiani profitebantur. 158. 1.

Pauperum curam habebant ſeptem Diaconi in primitiua Eccleſia, ob id muneris ab Apoſtolis conſtituti. 474. 1. Pauperum mulierum curam habebant viduæ aliquæ, velut Diaconiſſæ. ibid. Vide, *Eleemoſyna.*

Peccatum.

Peccata Sauli cur Deus permiſerit. 57. 1. & ſeqq.

Peccatores, quamuis maximi, ad exemplum Pauli & aliorum conuerſorum debent conuerti. 59. 1. 2.

Peccata remittit Baptiſmus, contra Caluinum. 110. 1.

Pecunia.

Pecuniæ cupiditas omnium malorum radix. 282. 1. Aliqui deficiunt à fide propter pecuniam. ibid.

Penula.

Penulæ nomine quid D. Paulus intellexerit. 550. 2. Penula quod genus veſtis. 551. 1. Duplex erat. ibid. Variè penula interpretatur. ibid. & ſeqq.

Perge.

Pergen nauigat Paulus. 192. 2. Quæ hæc ciuitas. ibid.

Perſecutio.

Perſecutio Eccleſiæ prima, & grauiſſima 50. 2. Perſequitur Eccleſiam Nero. 769. 1. & ſeqq.

Petrus.

Petri auctoritas, atque primatus ſupra omnes alios Apoſtolos, contra Hæreticos huius temporis adſtruitur. 134. 1.

Petri viſio, qua ipſi, & aliis Apoſtolis omne genus hominum infidelium congregandi poteſtas dabatur. 139. 2.

Petrus ſeptem annis Antiochiæ Sedem patriarchalem habuit. 151. 2. Non ibi ſemper commorabatur, ſed diuerſa obibat loca. 152. 1.

Petrus Roma diſcedere cum omnibus aliis Chriſtianis edicto Claudij Imperatoris compulſus fuit, & cur. 229. 1. Ieroſolymam pro Synodo profectus. 231. 2.

Petrus primus in Ieroſolymitano primo Concilio ſententiam dicit. 234. 1. Cur 235. 1. 2.

Petrus aliqua in actione exhibuit ſe

Paulo corrigibilem. 247.2. Quæ fuerit illa actio. 248.1. Reprehenditur à Paulo. ibid. 2. Petri, & Pauli an fuerit vera diſſenſio, an ſimulata; & de S. Hieronymi, & S. Auguſtini ea de re ſententia. 249. 2. & ſeqq. S. Petrum Iulianus Apoſtata non eſt veritus accuſare hypocriſis, & verſutæ calliditatis. 249. 2. Marcion S. Petrum, & S. Paulum ignorantię rituum Chriſtianæ religionis accuſabat. ibid.

Petrus, & Paulus in vincula ſimul coniiciuntur. 773. 1. 2. Diu in carcere manent. 774. 1. Petro Roma diſcedenti Chriſtus Dominus obuiam venit. 778. 1. Quo tempore martyrium ſubiit. 781. 2. & ſeqq. Crucis ſupplicio afficitur conuerſis ad cœlum plantis. 784. 1.

Pharisæi.

Phariſæorum ſectam Paulus ſecutus eſt. 23. 1. & ſeqq. Phariſæi in tribus maximè conſpicui. 25. 1. Eorum dogmata. 26. 1. & 2. Ad certum tempus virginitatem ſibi præſcribebant. 40. 1. & 2. In iis maximè, quæ ad temperantiam, & caſtitatem pertinent, ſeueri erant. 44. 1. Delicias in cultu, & cura corporis aſpernabantur. 72. 1.

Philippenſes.

Philippenſibus Paulus Euangelium prædicat 276. 1. Philippenſes miſerunt Epiſcopum ſuum Epaphroditum ad D. Paulum Romæ in vinculis à Nerone detentum. ibid. Quàm cautè Paulus in vrbem Philippenſium ingreſſus fuerit, & eorum ingenia explorarit. ibid. 2.

Philoſophi.

Philoſophi Seneca, Plato & Triſmegiſtus an verè virtutem coluerint, expenditur. 537. 2. & 538. 1. 2.

Pœnitentia.

Pœnitentia Pauli per triduum nihil guſtantis. 100. & ſeqq. In pœnitentia eccleſiaſtica tria genera ſunt ſatisfactionum. 102. 2. Vide, *Confeſſio.*

Pontifex Romanus.

Pontificem Romanum non eſſe Antichriſtum contra Hæreticos probatur. 376. 2. & ſeqq. Caluini circa id mendacia referuntur, & exploduntur. 377. 2. & ſeqq. Pontifex Romanus, non eſt nomen proprium perſonæ, ſed dignitatis. 379. 2. Pontifex Romanus, ſeruus ſeruorum Dei inſcribitur. 380. 1. Ex Hæreticorum ſententia, ſummus eſt idololatra, & promotor idololatriæ. ibid.

Prædeſtinatio.

Prædeſtinationem Theſſalonicéſium quomodo ſciuerit D. Paulus. 353. 2. Duplex prædeſtinatio. 354. 1. Refutantur Hæretici circa prædeſtinationem errantes. ibid. 2. Prædeſtinationis definitio. 355. 1.

Prædeſtinati quomodo poſſint damnari. 447. 1.

Prædeſtinationis decretum ad gloriam, an à Deo fiat ante præuiſionem noſtrorum meritorum. 543. 1. 2. & ſeqq.

Prædeſtinatio Sanctorum à Deo abſolutè decreta ante præuiſionem noſtrorum meritorum. 669. 2. & ſeqq.

Prædicatio.

Prædicatio Pauli admirabilior ex anteacta iniquè vita. 60. 1.

Prædicationis euangelicæ lumen mirabiliùs mundo inclaruit, ex tenebris peccatorum Pauli. 61. 1.

Prædicauit Paulus in Synagogis Damaſci, ſtatim ac baptizatus fuit. 119. 1.

Prædicationes duæ Petri poſt Penteceſten quot millia hominum conuerterint. 143. 2.

Prædicatio poſt Euangelium Miſſæ introducta,

introducta,& cur.160.2.& 161.1.
ad Prædicandum Epiſcopi peregrini inuitati olim.193.1. Hæc conſuetudo canone Concilij 4.Carthaginenſis confirmata. 193.1.
Prædicatio Pauli apud Antiochenſes,in quatuor partes diſtributa,& quæ.193.2.Iterum prædicat Paulus apud eoſdem,vnde tumultus à Iudæis. 197.1.
Prædicat Paulus Troade magna populi frequentia. 552.2.& 556.2.
Prædicat Paulus Cæſareę coram Pręſide Felice de iuſtitia, caſtitate & futuro Iudicio,cum terrore Præſidis,& vxoris eius Druſillæ.604.2. & 605.1.

Presbyter.

Presbyteri nomine an Parochi, an ſimplices Sacerdotes, an potiùs Epiſcopi intelligantur. 220.2.
Presbyterum inter, & Epiſcopum nullum eſſe diſcrimen, Aërij hæreſis,refutatur. 481.1.2. & ſeqq. Vide, *Ordo. Sacerdos.*

Primatus.

Primatus Petri ſupra omnes alios Apoſtolos probatur. 134.1.
in Primatum Eccleſiæ Romanæ procacibus verbis inſurgit Caluinus. 150.2.&.151.1.
Primatum Petri in Concilio Ieroſolymitano negat Caluinus, & refutatur. 243.1.2. & 244.

Priſcilla.

Vide, *Aquila.*

Prouerbium.

Prouerbij, *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* explanatio.91.1. & 2.

Prudentia.

Prudentia S.Pauli. 856. 2. & ſeqq. Prudentia ſcientia Sanctorum.ibid. Prudentiæ definitio. ibid.

Purpura.

Purpuram tingendi ars humilis.277.1.Inter artes illiberales tincturæ purpuræ opificium magni æſtimabatur,nec facilè cuicunque permittebatur.ibid.2. Cæſareæ leges de eo.ibid.Præfectura purpuræ inter Magiſtratus cenſebatur. ibid.

Pythoniſſa.

Pythoniſſam liberat Paulus à Dæmone.279. 1. An ſua culpa à Pythone obſideretur. ibid. Cur malus hic Spiritus Python dicebatur. ibid. Pythoniſſæ ventriloquæ dicebantur,& cur.ibid.2.Vetitum in veteri Teſtamento huiuſmodi Pythonicos Spiritus conſectari. ibid. & 280. 1. Pythoniſſa liberata à Paulo in tribus ab aliis differebat. ibid. 1.2. Magnum quæſtum præſtabat dominis ſuis in diuinando. ibid.1.& 281.2.

R

Rabbini.

Rabbini qui,& quales artes didicerunt.12.2.Vide,*Doctor.Magiſter.*

Raptus D. Pauli.

Raptus D. Pauli ad tertium cœlum, quo anno,vbi,& quomodo contigerit.174.1.& ſeqq. An ſpiritu, an corpore fuerit raptus.179.1.Quid in eo raptu viderit, & quid ei fuerit reuelatum. 181.2.& ſeqq.

Reliquiæ.

Reliquiarum Sanctorum cultus malè à Caluino damnatus, licitus demonſtratur. 210.2.& 211.1.
Reliquiarum ſacrarum cultus contra Caluinum, & Nouatores defenditur. 417.1.2.& ſeqq.

Reprehenſio.

Reprehendit Petrum Paulus, & ob quam actionem.248.1.2. Reprehenſionem à Pauli pia charitate, & ardentiori zelo profectam, Petrus admirabili manſuetudine, & humilitate ſuſcipit. 249.1.

Religioſi.

Religioſi manibus laborant. 11.1. & 2.&

2.& 351.2. Eos propterea inique calumniatur Caluinus. 351. 2. & ſeqq.
Religioſi noui Teſtamenti, in Nazaræis præſignati. 31.1.
Reprobi.
Reproborum caſus retrorſum, electorum in faciem. 87.1.
Reſignatio.
Reſignatio Dei voluntati commendatur. 91.2.
Rhinoceros.
Rhinoceros quomodo capiatur. 58.2.
Roma. Romana Eccleſia.
Romanæ Eccleſiæ primatum Caluinus procacibus verbis proſequitur. 150.2. & 151.1. Exploditur, & refutatur. 155.1. & ſeqq. Romani denominatio addita cognomini Catholici, & cur. 154.2. Romana fides vniuerſalis. ibid. Romanus Epiſcopus non tantùm ex iure eccleſiaſtico, ſed diuino, eſt Petri ſucceſſor; nec eligi legitimè poteſt in Summum, & vniuerſalem Pontificem, qui non teneat Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum. 155.1.& 2.
Romam potuit proficiſci Barnabas ante Petrum. 264. 1. Ibi ab eo Euangelij portam Gentilibus patefactam non debet reputari abſurdum. ibid.
Romam ingreditur Paulus. 645. 2. & ſeqq. Quo tempore. 647. 1. 2. & 648. 1. Iudæis ad hoſpitium ſuum accurrentibus concionatur. 650.1.2.& ſeqq.
S
Sacerdos.
Sacerdotes vnius vxoris viri debent eſſe. 478.1.2. Vide, *Ordo. Presbyter.*
Salamina.
Salaminam ingreditur Paulus, ibique Dei verbum prædicat. 188.1.& 2.
Eius ſitus & nomina. ibid. 1.
Sancti.
Sanctorum preces quantùm apud Deum valeant. 67.1.
Sanctorum inuocationem ridet Caluinus. 77.1. Contra eum probatur. ibid. 1. & 2. Sanctorum corporum lux ſitne ſpecie diſtinguenda a luce Solis, & ſyderum. 81.2.
Sanctorum cultus adſtruitur contra Caluinum. 209.1. & ſeqq. Sancti honorantur non cultu latriæ, ſed multò inferioris ordinis, nempe, duliæ. ibid. 2.
Sanctorum venerationẽ vocat Caluinus idololatriam. 210. 1.2. Refellitur. ibid. Reliquias Sanctorum licitè colunt Catholici, contra Caluinum. 210 2.& 211.1.
Sanctorum interceſſio, inuocatio, eorúmque merita contra Caluinum probantur. 630.1.2. Sancti in vita, & poſt vitam orant pro nobis. 631.1.
Sanctorum interceſſione varia hominibus beneficia impetrantur. 642.1.
Sanguis.
Sanguine vllius animātis veſci Chriſtianis ex Gentibus prohibitum. 239 1. Hebræi ab hoc valdè abhorrebant. ibid. Mandatum de eo dedit Deus Noë. ibid. Quod ſub Moyſe renouatum eſt, addito ſupplicio. ibid. Rationes huius prohibitionis inſinuantur. ibid.& 2.
Saulus.
Sauli nomen quando D. Paulo impoſitum. 1. 2.& ſeqq. Sauli etymologia. 2.1.& 4.2. Cur Saulus dictus ſit Paulus. ibid. & ſeqq.
Saulus perſequitur Eccleſiam. 53. 2. & 54.1. & ſeqq. Nullius tamen cæde manus proprias inquinauit. 55.2.& 56.1.
Scribæ.
Scribæ quinam, & an Phariſæi

Scribæ eſſe poſſent. 26.1.

Scriptura ſacra.

Scripturę ſacræ auctoritas in quatuor præcipuis ſuperat auctoritatem Conciliorum. 247.1.2. Scripturarum nō ſolùm dogmata,ſed etiam hiſtoriæ & verba ſingula ad catholicam fidem debent pertinere. 247. 1. Scripturæ non egent approbatione Pontificis. ibid.2. Habent ſe ad Canones, & decreta Conciliorum, tanquam principia ad concluſiones. ibid. Infallibilis ſunt directionis, & veritatis in omnibus, quæ docent. ibid.

Scurrilitas.

Scurrilitas prohibita à Paulo. 675.2. In quo conſiſtat. ibid. & ſeqq. A ſtultiloquio diſtinguitur. 676.1. Triplicis generis ſcurrilitates præcipue fugiendæ. ibid.& 2.

Seditio.Seditioſus.

Seditioſi ſunt Hæretici.283.1.Geneuam Caluini ſodales Farellus, & Viretus grauiſſima concitata ſeditione occuparunt.ibid.2. Ab ea ob ſeditiones expulſus Caluinus.ibid. Seditio in Paulum concitata ab argentario Demetrio. 450.1.

Seleucia.

Seleuciam proficiſcitur Paulus. 187. 2.Seleucia deſcribitur. ibid.

Seneca.

Seneca Proconſulis Gallionis frater init amicitiam cum D.Paulo.368. 1. & ſeqq. Extant octo Senecæ ad Paulum epiſtolæ, & ſex Pauli ad Senecam.ibid.2. An veræ, an ſuppoſititiæ. 369.1.& ſeqq. Seneca, Plato,& Triſmegiſtus an ſolidæ virtutis fuerint cultores, expenditur. 537.2.& 538.1.2. Senecæ Philoſophi opera an D.Paulus à Nerone liberatus. 637.2.

Sequenti Sabbatho.

Sequenti Sabbatho, verba variè explicantur. 196.2.

Sergius Paulus.

Sergius Paulus Proconſul Paulum audit. 189.1.& 2. Quis fuerit, & quo ex genere.ibid. 2. Tantus pietatis fuit cultor, vt ab Apoſtolo fuerit Narbone Epiſcopus conſtitutus,& inter Sanctos relatus.191. 1.& 2.

Serpens.

Serpentes necat terra ſpeluncæ Melitenſis,& aliarum quarundam Inſularum.634.2. & 635.2. Vipera inuadit manum D Pauli. 637. 2. Nihil ei nocet. ibid. Serpentes & ſcorpiones calcandi poteſtas data à Chriſto diſcipulis ſuis, ita vt nihil eis noceant. 638.2.

Signum.

Signum veri Chriſtiani primis Eccleſiæ temporibus,quod 137.2.A falſis Fratribus adulteratum, in literas commutatum, & quales. ibid.

Silas.

Silas quis fuerit. 241. 1. Idem dictus & Syluanus. ibid.

Simon magus.

Simon Magus Neroni gratiſſimus. 774.2.Inter D.Petrum, & Simonem Magum graues diſceptationes ortæ, & cur. ibid. Ieroſolyma expulſus venit Cæſaream. ibid. Præuenit S.Petrum Romam.ibid. Statua illi ponitur in Inſula Tyberina. ibid. Romæ ſuperatur ab Apoſtolis,& infami præcipitio necatur. 775.1.2.

Simulatio.

Vide, *Hypocriſis.*

Somnium.

Somnium diuinitùs immiſſum Paulo, quo monetur, vt in Macedoniam tranſeat. 272.1. Somniis facilem præſtare fidem in Scripturis diuinis reprehenditur. ibid. Per ſomnia viſiones aliquando immittuntur à diuino Spiritu. ibid. Diſ-

crimen veri, & falſi ſomnij ex S. Thoma. ibid. 2.

Soſthenes.

Soſthenes Princeps Synagogæ à Iudæis tumultuātibus Corinthi percutitur. 365. 1. Quis fuerit hic Soſthenes. ibid. Quare à Iudæis percuſſus. 366. 1. 2.

Stephanus.

Stephani Protomartyris perſecutio, inſtigante & adiuuante Paulo. 45. 1. & ſeqq. Stephanus, & Paulus, condiſcipuli ſub Gamaliele. ibid. Stephanus animi, & corporis dotibus perinſignis. ibid. 1. & 2. Lapidibus obruitur. 46. 2. An veſtiméta Stephani lapidati, an teſtium eum lapidantium ad Pauli pedes depoſita. ibid. Stephanus ſepelitur à Gamaliele. 53. 2.

S. Stephanus à Chriſto Domino didicit orare pro ſuis lapidatoribus. 67. 1.

S. Stephani precibus impetrata fuit à Deo conuerſio Pauli. ibid.

Stephana.

Stephana nomen carceris cuſtodis, quem Paulus cum tota eius domo baptizauit. 290. 1. Eius liberalitas commendatur. ibid.

Studium.

Studiis litterarum ſacrarum addicti Iudæi, etiam nobiles, manuale aliquod opificium addiſcere debebant. 12. 2. Studiis litterarum ciuitas Tarſi florētiſſima 14. 1. Quantùm in ſtudiis D. Paulus profecerit. ibid. & ſeqq. Ad ſtudia altiora proficiſcitur D. Paulus Ieroſolymam, & quantùm in eis profecerit. 18. 2. & ſeqq. 22. 2. & 23. 1.

Suffocata.

Suffocatorum prohibitio. 239. 2. Per Moyſem facta. ibid Cur, ex S. Thoma, & ex Origene. ibid. Temporibus S. Auguſtini veſtigia quædam huius obſeruationis extabāt. 240. 1. Antiqua Concilia aliqua prouincialia iuxta id. ibid. Ab orientali Eccleſia meritò antiquata. ibid. Suffocatorum prohibitio à quibuſdam antiquioribus Patribus omiſſa, & cur. 245. 1.

Superbia.

Superbia Herodis Agrippæ caſtigata. 208. 2. Antiochi etiam. 209. 9.

Superbia, initium omnis peccati. 476. 2.

Syluanus.

Syluanus idem, ac Silas. 241. 1. Multæ fuit apud primos Chriſtianos auctoritatis. ibid. Vnà cum Paulò, & Barnaba ad Eccleſias Gentium fuit deſtinatus. ibid. Multarum peregrinationum comes Paulo fuit, & cum ipſo aliquando in eodem carcere incluſus. ibid. Epiſcopus fuit Theſſalonicenſium. ibid. Epiſtola decretalis Antiochiam deferenda illis tradita eſt à Concilio. ibid. & 2.

Synagoga.

in Synagogis Damaſci Paulus baptizatus prædicat. 119. 1. & ſeqq. An liberum vnicuique, ibi dicere, ſi quid occurreret. 120. 1.

Synodus.

ad Synodum Ieroſolymitanam Paulus Antiochia, Petrus Roma proficiſcuntur. 229. 2. & ſeqq.

T

Tabernaculum.

Tabernaculorum textor fuit D. Paulus. 9. 1.

Tarſus.

Tarſi S. Paulum fuiſſe nutritum, oriūdum verò Giſchalis, qui tenuerint. 5. 2. Refutantur, & Tarſi natum probatur. 6. 1. 2. Tarſi ciuitatis antiquitas, nobilitas, & præſtantia. 7. 2. & 8. 1.

Tarſus, ciuitas, ſtudiis litterarum florentiſſima. 14. 1. A Cæſarea Tarſum dimittitur D. Paulus. 149. 1.

Multos

Multos ibi Domino lucratur.ibid. & 2.S. Ignatius Martyr Tarſenſes vocat Pauli ciues & diſcipulos.ib.

Tempeſtas.

Tempeſtas non excitatur in mari Halcyoneis diebus. 626. 1. Tempeſtas adoritur nauem cum Paulo portantem perſonas ferè trecentas,circa Inſulam Cretam. ibid.2. & 627.2.Tempeſtas deſcribitur à Typhone excitata. 628. 1. 2. Caſtor, & Pollux putabantur à Gentibus Numina valdè propitia nauigantibus contra tempeſtatem. 641. 2. Tempeſtate maris imminente, flammulas quaſdam accenſas Gentiles Caſtorem,Pollucem, & Helenam dixerunt. ibid. 5. S. Nicolaüs, & S. Clemens contra tempeſtates inuocantur. 642.1.& 2.S.Hermes, aliis Termus, videtur S. Telmus eſſe, vit Hiſpanus admirabilis ſanctitatis, ex Familia Dominicana, cuius miracula multa circa ſedatas tempeſtates numerantur. ibid.

Ternarius.

Ternarius numerus, ſymbolum multitudinis, & vniuerſitatis. 178.1. Continet in ſe principium, medium, & finem ibid. Tum apud ſacros,tum apud profanos Auctores, pro aliquo toto ac ſummo vſurpatur. ibid.& 2.

Terræmotus.

Terræmotus maximus ſub Tiberio Cæſare in morte Chriſti Redemptoris 393.1. Vide, *Carcer.*

Thecla.

Thecla à Paulo ad virginitatem inducta.40.1.& 201.1.& 202. 2.& ſeqq.

Thecla virgo nobiliſſima.201.1.Acta quædam, ſeu Periodi, id eſt, circuitus Pauli, & Theclæ,inſcripti, conficta & apocrypha reiiciuntur. ibid. 2. Quidquid de Thecla ſcriptum non in dubium, tanquam apocryphum, reuocandum. ibid. Neque id improbat D. Hieronymus. ibid. Theclam commendat idem D. Hieronymus. 202. 1. Et Romanum Martyrologium. ibid.

Theclæ mater Theoclea, vidua ditiſſima, & nobiliſſima. 203. 1. Vbi D. Paulum Thecla audierit, & quomodo ad virginitatem inducta.203. 1. Thamyrum ſponſum, iuuenem nobilem, & Iconij primarium reiecit. ibid. Gemmas,& mũdum muliebrem diſtraxit,tum pecunia per famulos miſſa cuſtodibus carceris, in quo à Ceſtillio coniectus fuerat D.Paulus,aditum ſibi ad illum inuiſendum aperuit. ibid.2. Eius martyrium. 204.1.& 2. An Falconillam, Tryphenæ filiam,ſine Baptiſmo defunctã,ſuis precibus ab Inferis liberauerit. 204.2.& 205. 1. An euaſerit tormenta, & morte naturali diem obierit 205.2.Coniecturę,quibus geſta Iconij circa beatam Theclam ex Lucæ hiſtoria aliquatenus deprehenduntur. 206.1.2.

Theclæ virginis ſpecioſæ formam non tentationum occaſionem fuiſſe D.Paulo, contra Hugonem. 218.2.

Theoclea.

Theoclea,vidua ditiſſima,& nobiliſſima, Theclæ fuit mater. 203.1.

Thomas.

S. Thomas Apoſtolus tres Magos Reges baptizaſſe fertur. 130.2.

Timotheus.

Timothei auia Loïs, & mater Eunice, Eccleſiæ Chriſti aggregantur. 216. 2. Timotheus à matre, & auia de fidei myſteriis fuit inſtructus.217.1.Adhuc iuuenis Epheſi ptimus Epiſcopus, poſteà etiam Archiepiſcopus conſtituitur.217. 1.& 265.2.& 457.1.& ſeqq.

Timotheum ſecum aſſumit Paulus, & circuncidit. 265.2. Eius virtutes commendantur. ibid. De circuncisione eius tandiu dilata, difficultas diluitur. 266.1. & 267.2. Cur eum D. Paulus circunciderit. ibid.2. & ſeq.
Timotheus Epiſcopus cũ Epaphrodito venit Romam ad Paulum in vinculis detentum. 688.1.

Titus.

Titus in qua parte Macedoniæ Paulum inuenerit. 477.1. Epiſcopus Cretæ cõſtituitur. 477.2. & ſeqq. Non ſolùm Epiſcopus, ſed etiam Archiepiſcopus. 480.2.

Tobias.

Tobiæ cæcitas ab Angelo curata, & quomodo. 108.2.

Tonſura.

Tonſuræ eccleſiaſticæ vſus à Nazaræis exortus. 30.1. & 31.2.

Torpes.

Torpes in Neronis aula primarius vir. 658.1. A D. Paulo in Epiſtolis commendatur. ibid. Piſis in Tuſcia illuſtre martyrium conſummauit. ibid.

Traditiones.

Traditiones diuinas, apoſtolicas, & eccleſiaſticas vult Caluinus excludere. 294.2. 295. & ſeqq. Traditiones adſtruuntur. 295.1. 2. & 296.1. Non traditiones improbauit D. Paulus, vt Caluinus ſomniat. 297. 1. Traditiones denuò contra Caluinũ probantur. 302.2.

Tribulatio.

Tribulationes patiuntur, qui piè viuere volunt. 217.2.

Tryphena.

Tryphena, nobilis matrona, Theclæ multùm fauit. 202.2.

Tyrannus.

Tyrannus nomen expenditur. 412.1. & ſeqq. Principem ſignificat. ibid. In bonam partem aliquando accipitur. ibid.2. Tyrannus, vel Tyrannio nomen proprium viri. 412.2.

V

Valeſij.

Valeſij Hæretici ad ſeruandam caſtitatem violenta corporis ſectione fiebant eunuchi. 37.2.

Vas.

Vas electionis Paulus, elogium Chriſti ipſi datum expenditur. 105.1.

Veſtis.

Veſte ſenatoria Romanorum, penulæ nomine ſignificata, D. Paulus vtebatur. 9.2. Veſtis Phariſæorum deſcribitur. 25.1. & 2. Vide, *Penula.*
Veſtium ſcindendi mos apud Iudæos, ob quas cauſas. 208.1. Paulus, & Barnabas tunicas ſcindunt. ibid.

Vidua.

Viduæ in primitiua Eccleſia quotidiano miniſterio ſeruiebant pauperibus. 474.1. Deinde mulieribus tantùm indigentibus. ibid. Erant veluti Diaconiſſæ. ibid. Earum munus deſcribitur. ibid. & 2.

Vinum.

Vini feraciſſima, Damaſcus, & propterea Gentilium commentum. 69.1.
Vino generoſiſſimo abundabat Creta. 477.2.

Virgo Beatiſſima.

Virgo Beatiſſima cum Ioanne Euangeliſta, ſuper lapidem, non procul à porta Ephraïm tandiu deprecata eſt pro Stephano lapidato, quandiu inter ictus ſpiritum Deo reddidit. 681.
Virginis Beatiſſimæ morti ac funeri an fuerit D. Paulus præſens. 814. 1. & ſeqq.

Virgo. Virginitas.

Virginem ſemper Paulum permanſiſſe verius videtur. 36.2 & ſeqq. Auctoritatibus Patrum probatur. ibid. Et rationibus. 39.1. & ſeqq.

Virginitatem Thecla nobilis virgo amplectitur,de eius præſtantia audiens D. Paulum differentem. 203.1.

Virtus.

Virtutes S.Pauli in genere, & earum imitatio commendatur. 837. 1. & ſeqq.

Viſio.

Viſiones piorum contra Caluinum non contemnendæ.108.1.& 2.Vide,*Apparitio.*Viſio Petri,qua ipſi, & cæteris Apoſtolis poteſtas dabatur,omnes infideles congregandi.139.2. Eadem viſio quid ſignificaret,pleniùs expenditur. 143.1. & 2. Viſione monetur Paulus, vt relinquat Ieroſolymam.145.2.& 146.1.& 270.2.

Viſione prophetica monetur Paulus, vt in Macedoniam tranſiret. 272. 1.Diuina viſione monetur Paulus, ne Corintho diſcedat.34..2. Dominus ipſe in hac viſione locutus eſt Paulo. 344 1. Se illi ſemper præſtò futurum promittit. ibid. 2.

in Viſione Paulus à Domino animatur,dum Iudæi ſupra quadraginta de eo interficiendo coniurant. 594.2 & ſeqq.

Viſio Angeli de nocte Paulo adſtantis, & liberationem à naufragio promittentis.629.2. Viſio Chriſti Domini Paulo Neroni ſiſtendo apparentis explicatur. 657.1.

Vocatio.

Vocationi diuinæ Paulus liberè conſenſit,nó neceſſariò.93.1.& ſeqq. Tria diſtinguenda circa Pauli aſſenſum diuinæ vocationi. 95.1.

Votum.

Votum more Nazaræorũ à D. Paulo in Cenchreis perſolutum examinatur. 383.2. Vota ſacra,& religioſa impugnantes Hæretici teſtimonio Scripturæ conuincuntur. 474.1.

Votum Nazaræorum in templo Salomonis perſoluit D.Paulus. 571. 1.2.Contrà ſentientes refelluntur. ibid.

Vxor.

Vxorem an duxerit Paulus aliquando.32.1.& ſeqq. Vxores filiis ſuis tempeſtiuiùs Hebræi dabant.ibid. 2. Argumenta Hæreticorum dicentium, Paulum habuiſſe vxorem. 33. 1. & ſeqq. Refutantur. ibid. Deprauatæ aliquæ Patrum auctoritates de Pauli vxore elucidantur. 35.1.& ſeqq.

Z

Zelus.

Zelus feruentiſſimus diuinæ gloriæ in S. Paulo. 852.1. & ſeqq. Zelus Iudaïſmi in S. Paulo per diuinam gratiam correctus. 853.1. Zeli perfecti proprium quid ſit. ibid. 2. Zelotypia animarum vrebatur D. Paulus.854.2. & 855.1. Zelus, effectus perfectiſſimæ charitatis.855.2. Zelus velut armiger charitatis. 856.1. Zelus ſine prudentiæ temperamento non tam ſolet prodeſſe, quàm officere. ibid.2.

F I N I S.